UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus temporis Controversiarum tam inter Lutheranos, Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Visual Library

N. IV. 16.
~~NHH~~ Th. 4870.
~~20~~

FLOREMUNDI RÆMUNDI

V. CL. OLIM CONSILIARII REGIS GALLIARVM
Ex Calviniano Catholici

SYNOPSIS

Omnium hujus temporis Controversiarum tam inter Lutheranos, Calvinistas quam alios plurimos.

SIVE

HISTORIA MEMORABILIS

DE ORTV, PROGRESSV, AC RVINIS HÆRESVM XVI. SECVLI.
Aucta & illustrata ex Scriptis

R. D. CASPARI VLENBERGII LIPPIENSIS
Ex Lutherano Catholici
Coloniæ ad Sanctam COLUMBAM Pastoris.

Accessit nunc
Ex legato Celsmi Principis Ecclm: Epi Paderb. et Monaster: Ao 1683
PARS III. SIVE CONTINVATIO DE ORTV ET PROGRESSV SCHISMATVM AC HAERESVM hujus Saeculi, ex ipsorum Schismaticorum Scriptis collecta.




Anno M. DC. LV.

IN MANIBVS DEI SORTES MEÆ.
COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus IOANNIS ANTONII KINCHII.
Cum Privilegio S. C. Majest. Generali.

Collegij Soc. Jesu Paderb.



SANCTISSIMO DOMINO, PAPÆ *Universalis Ecclesiæ,*

INNOCENTIO X.

EMINENTISSIMIS DOMINIS CARDINALIBVS *Purpuratis S. Romanæ Ecclesiæ Patribus.*

VRbs vestra à se ac Latinis ROMA vocata, in aliis Linguis omen faustum habet, siquidem apud Græcos eadem vox Robur germanica quadam dialecto Laudem seu Gloriam, in Hebræo verò idiomate multo dilicatiora etiam encomia sonat: nam *Ecclesiam sublimemque* notat quo Virgilius domesticus eius Poeta ingeniose allusisse visus est, cum eam ita descripsit vrbem,

Quæ tantum alias inter caput extulit Vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Fatetur hæc Onomasticum Theologicum in inimica Romæ Vrbe Witeberga Anno 1564. opera Davidis Chytræi acatholici editum, ut alios silentio obvolvam, veluti Brunum in urbium Theatro. & sane praclara illa & innumera alia etiam inimici de vera *Dei Civitate* enarrant, cum in ea non solum *Turris fortissima* nomen Domini sit erectum, sed Ecclesia orthodoxa *in petra exædificata* omnibus gentibus objiciatur videnda. Nihil ad hanc fortitudinem Tyros, nihil Trojanæ arces ac pergama, nihil muri, vel Babylonis palatia, Cyro Regi vix superata, nihil Persarum Regia Persepolis, ab Alexandro non vi, sed ignibus domita: nihil nostri temporis fortissimæ munitiones, Petra Sisimithræ in Bactriana, Camienitium in Moldavia, Iaurinum in Hungaria ac alibi omnes fortissimæ arces, atque propugnacula, utpote quæ humana manus, ac natura construxit, eadem etiam humana industria, ac potestas evertit, aut cum lubet evertere potest. Hanc verò Romanæ Ecclesiæ arcem

supra *Petram*, nempè *Petrum* constructam nulla vis humana, nulla machinatio diabolica evertere unquam poterit; quia non solum à *Viro sapienti* (prout Mathęi 7.cap. dicitur) sed ab ipsa DEI *Sapientia* sic ædificata, sic corroborata, sic firmiter stabilita est, *ut si descendat pluvia, si adveniant flumina, si venti flaverint, & in domum illam irruerint, minimè sit casura.* Imo si *portæ inferi* robur omne suum conferant, machinas suas omnes admoveant, furorem suũ omnẽ effundant, *contra eam* tamen *non prævalebunt.* Nec est *Capitis* solius ea soliditas, sed est etiam PURPURATORUM PATRUM in Ecclesiæ bonum vigilantissimorum, est magnorum in ea, Doctorum scripturæ sensa in omnibus Fidei articulis sequentium, atque propugnantium, *Collum Sponsæ* Ecclesiæ DEI egregiè repræsentantium, quod fortissimæ *Turri David*, in Canticis Canticorum, non invenustè assimilatur. *Turris* ea omnino est validissima, *quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura Fortium.* Ejuscemodi propugnacula sunt Articuli Fidei, sunt Traditiones sacræ, sunt Ritus Ecclesiæ venerandi, à Christo, & Apostolis accepti, hoc in libro Floremundi Ræmundi insigniter propositi, ac defensi. *Mille Clypei*, sunt primi Catholicæ Ecclesiæ Magistri, atque Informatores post Apostolos sanctissimi, Clemens, Dionysius Areopagita, Ignatius, Polycarpus: sunt magni Doctores Græci, Athanasius, Gregorius Nyssenus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus. Inter Latinos eminentiores S. Ambrosius. S. Augustinus, S. Hieronymus, & S. Gregorius Magnus: sunt omnis Linguæ, ac sermonis mille alii. imò millia plura eruditissimorum Virorum, qui doctrinæ suæ clypeis, hoc in Opere non rarò productis, orthodoxam Fidem fortissimè propugnaverunt, contra vim omnem hostilem egregiè firmaverunt, suisque sanctissimis lucubrationibus mirificè exornarunt. Quid dicam de Tuis SANᵐᵉ PATER, clypeis quibus arcẽ Fidei orthodoxæ propugnas? Quid dicam de vestris EMINENTISSIMI CARDINALES, parmis & umbonibus, quibus summo PONTIFICI in defendenda veritatis arce, Ecclesia nimirum Catholica, non consilium minus, quam auxilium affertis. Certè clypeus fuit, Ajacis clypeo impenetrabilior, *Constitutio* illa, sive *Bulla* duplex toti Ecclesiæ utilissima, Anno hoc (quo Tuæ Sanctitatis insigne in lapide veteri sculptum è subterraneis locis emersit Romæ, & proximo, in quo Cometa ad Noæ columbam in cœlo natus adversus septentrionem est progressus) longè latèque per terrarum orbem promulgata, qua, SANCTISSIME PATER, sub nomine Augustini latentes hæresum autem veneno turgentes Doctrinæ gravissima censura sunt notati & ab omni Catholicorum usu exterminatæ, atque condemnatæ. Ausus fuerat Author ille de schola Gomarista-

manifestarum asserere, *Aliqua* Dei *præcepta Hominibus justis, volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent vires, esse impossibilia, illisque deesse gratiam, qua possibilia fiant.* Quid adhæc Arx Romana, cui Pastorum & Episcoporum apex præsidet? Mille clypei prætensi sunt veritati in illa tam grandi & gravi ætate, manibus adeo fessis, immaculatum agnum sæpissime Deo Patri sanctissime, obtulisti acuminibus Theologorum maximis & difficillimis intendisti, ad stuporem prolixas defendentibus partibusque aures patentes dedisti, animasti, invitasti: sed exhausta abysso illa cum ipsi patroni malæ causæ ante sententiam tuam se subducerent, & latere volendo se ante tuam æquissimam sententiam damnarent, tum demum, non in Homines, quos uti Deus amas, sed in opera Hominum fulmina Censurarum evibrasti? *Propositionem, Temerariam, impiam, blasphemam, Anathemate damnatam, & Hæreticam declarasti, & ut talem damnasti* Ausus fuit inimicus sub nomine Viri alias pii ex eadem schola Gomari effutire, quod interiori gratiæ *in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur*, Quid contra hæc? En clypeos, & tela Romana! *Sententia ista hæretica declarata est & uti talis damnata.* Non erubuit idem falsus Augustinus pro vera doctrina obtrudere: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Quid ad hæc Romanæ Arcis Sapientia? *Falsam, temerariam, scandalosam, & eo sensu intellectam, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & Hæreticam declarat, & uti talem damnat.* Et quorsum hæc omnia? Satis id in aperto ponis Sanctissime Pater, cum in eadem Bulla dicis: *Inter multiplices curas quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa imprimis cordi est, ut Ecclesia* Dei *nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tutò militare, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit.* Ecce finis tantorum laborum, salus est omnium populorum, quam, cum Purpuratis Patribus, in probanda vera Ecclesiæ doctrina studiosè intendis, quam in Christiana virtute promovenda negotiosè perquiris. Ob hanc tantam curam, atque vigilantiam, *Dignus es* (ut cum S. Augustino, serm. 28. de Sanctis, loquar) *dignus es, qui ædificandis in visibili domo Populis, lapis esses ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad Regnum* cælorum. Quos officii tui titulos, ut *Assistentes Tibi magnæ Intelligentiæ* facilius, atque perfectius explere possint, Ecce ad laudatam Romanæ Ecclesiæ Arcem, custodiæ Tuæ concreditam, affero & ego minimus novam ex Germania panopliam, Historiam nimirum Ortus, Progressus, & Interitus Hæresum sæculi nuperi, ab e-

erudito atque prudenti viro, Floremundo Ræmundo conscriptam, ab aliis post mortem Authoris consummatam, nunc verò etiam à Religioso viro auctam, & egregiè locupletatam. Panoplia hæc planè est insignis, est controversiarum omnium temporis solidissima Synopsis, quâ multi in sua Fide orthodoxa conservari, quâ multorum pertinacia expugnari, quâ utrorumque pietas, atque religio confirmari poterit, atque stabiliri. Hanc SANCTISSIME PATER, ad pedes tuos (quos absens demississimè exosculor, cũ præsenti, in tanta locorũ distantia, nõ liceat) humillimè depono, consecroque. Hanc etiã vobis firmissimis Ecclesiæ Rom. Cardinibus vobis etiam Illustrissimi Apostolicæ Sedis NUNTII ac LEGATI toto orbe dispersi, in manus, imo in tutelam, patrocinium que trado atque consigno. Admittite quæso ad exquisitissimæ virtutis atq; doctrinæ vestræ garophilacium hanc opellam continentem in se

Non Telamoniadæ clypei septemplicis Orbes;

Sed multos clypeos æternarum veritatum hoc in Opere contentarum, omnemque armaturam Fortium Ecclesiæ Propugnatorum, & egregium sacræ encyclopædiæ magnis in vestris mentibus ornamentum. Id si gratioſé facitis, me etiam tam salutaris Operis, typo Colonienſi promotorem, inter minimos Clientes vestros benevolentissime succenturiatis largâque benedictione vestra mactum locupletatis. Ita spero, ita expecto, Coloniæ Agrippinæ, Anno Salutis partæ M. DC. LV. die

SANCTISSIME PATER

Tuus &

VESTRARUM EMINENTIARUM

Respectivè Filius, & Servus humillimus,

IOANNES ANTHONIVS KINCHIUS.
Bibliopola Colonienſis

AV

AVTHOR EDITIONIS PRIMÆ
AD LECTOREM CATHOLICVM & Acatholicum.

CHRISTIANE, & CATHOLICE LECTOR, flagras desiderio cognoscendi, tam Veritatem dogmatum circa Ecclesiam Matrem tuam, quam falsitatem adversantium illi Hæresum; Tu igitur es, ad quem hoc opus fuerat destinatum: certè pro te illud fuit conceptum. Infelix partus, qui necdū maturus, ut in Mundo appareret editus, sensit se fasciolis miseriarum involutum, in quibus etiam lachrymæ illi non defuerunt, quibus mors Autoris nimiū præcipitata deplorabatur. Eheu! Partus certè tā miserabilis quam nobilis, qui coactus est videre Patrem suum sepulchro inferri, antequam ipse in lucem publicam vitamque inferretur. Hic pupillus tibi dedicatur. Et verò quod donum tibi vel utilius, vel acceptius offerri potuisset? *Vtilissimum* est, ob argumentum quod tractat, quia in eo nihil præter salutem animæ tuæ quæritur; quia in eo siparium, quod sectas in media nocte Hæreseos occultabat, revelatur, oculisque tuis detracta larva monstrum illud detestabile, suo in antro, cui feliciter est inhumatum, objicitur. *Acceptissimum* verò idem opus existet, quia per liliorum candorem in Ecclesiæ doctrina emicantem sentire poteris innumerabilium dulcissimorum florum suavitatem, quorum diversitas non parum te recreabit. Etiam rarissimarum rerum varietas, qua Opus hoc effloresçit, summâ te voluptate perfundet; multa enim pulchra studiosè perquisita, (quorum perfectio hominis animum non simplici gaudio titillat) multæ nobiles inventiones, quæ te in admirationem rapient, facile animi tui gaudium explebunt. Scis quæ encomia Historiæ adscribantur. nimirum

Magistra docta temporum,
Est vita Mortuorum.
Est lumen ignorantiæ,
Humanæ imago vitæ.

Eventuum fert nuntia,
Quæ sæcla dant caduca.
Theatra pandit omnium,
Scenasque veritatum.

Sed & illud nosti scio, quod ea quæ Vniversalem tangit Ecclesiam, quæque ejus describit amplitudinem, quæ miranda ejus laudat facinora, quæ decanrat insignes ejusdem victorias, longè omni profanæ Historiæ præstet magisque exoptabilis videatur, Iupiter ille Olympius (quem famosus sculptor Phidias sic sua arte expressit, ut immobilis, fixusque hærens alio nusquam oculos suos convertebat, quam quo Magister suus direxerat) Ille tamen tali manu fabrifactus nunquam ob aurum, eburque suum tanti æstimatus fuit, quam ille, quem Humerus sub diversis formis exhibuit, dum finxit eum totius Mundi finem utrumque oculis percurrere. Imitatus est hunc Iovem Homericum utcunque in hoc Opere Autor non contentus oculos irretortos conjicere in solam Franciam, ejusque miserias atque calamitates describere, sed proponit etiam statum summorum Christianitatis Capitum cognoscendum. Quos cum ames Liber pla-

ber placebit. Displicuit autem prima editione pluribus, quod hoc Opus non Latinâ lingua, ut omnibus Nationibus usui esse posset, sed nativa gallica prodierit : at ecce nunc etiam Romana cyclade indutum, ut omnibus faciat satis, & thesaurum quem Gallia proprium sibi vindicavit, communem facit Populis universis. Fatendum est enim :

Gallica magna Tuis luci mysteria donas ;
Plus tamen omnigenis lingua Latina viris.

Sed quæ mysteria, inquis ? videbunt hic omnes *Veritatem*, *Fidelitati*, & utrique *Doctrinam* tã dextrè, intimèq; permixtã, ut in quamcunq; minutulam partem benignos suos oculos conjecerint, tres eas proprietates sua in perfectione possint recognoscere ; non minus quam Fusores illi, qui auri, argenti, æriſque massas aliquas commiscentes curant, ut se partes invicem pervadant intimè, bene uniant, & æqualiter exornent, ita ut metalla hæc sub minima etiam portione, in justa sese proportione mixta, deprehendant.

At tu LECTOR, qui Majorum tuorum Fidem deseruisti ; qui alios quæris perdere, dum te ipsum præcipitem agis ; qui ingratiis superbum cogitas exstruere ædificium, dum ruinis tuis accumulas ruinas à pertinaci judicio tuo contra DEI Ecclesiam excitatas ; cerne hanc tuam pulchriorem atque meliorem fabricam, verissimumque existima, id omne, quod construis, aliud nihil esse, quam ruinosas macerias aut parietinas, quæ tandem tibi pro sepulchro deservient :

Namque Evangelium proprio tractando cerebro,
Protea perpetuo vis agitare modo.
Ordo nullus inest : nulla est constantia : qualis
Te rotat affectus, talis & error agit.

Et quamvis in tam multiplicia avia te ingerere, & per tortuosas Labyrinthi vias incedere videaris, invenies tamen hic veritatis filum, quo securè deduci possis, Tu illud ne dimittas, quod per omnes flexuosas vias ad veram Cæli semitam te ducet. Verum sicut Philosophus ille, qui fingebat animas hunc mundum relinquentes introire in rotunditatem Lunæ, dicebatque has terrestre Cœlum conscendentes, non posse Cælestium corporum Harmoniam audire, quam diu in umbra terræ existerent, sic Tu quisquis es, non Lunam conscensurus, sed Ecclesiam veram ingressurus expedi te umbris terrenis, apparentes opiniones non obiter attende, sed penetrare labora ante omnia vero passiones animi tui moderare, maximè judicii prii obstinationem, quæ te morti æternæ involvet, hac quam diu languebis, non poteris ullo modo frui optima hac harmonia, quam *Veritas* cum *Fidelitate* & *Doctrina* Ecclesiæ cum utraq; tanquam Chorus Gratiarum nudarum & lætantium, in quo nihil possit reprehendi, efficiunt :

O Homo te nubes prægnans erroribus atris
Decipit ; Ixion captus ut ante fuit.
Sponte, volensque tuæ lumen rationis obumbras,
Teque bonis privat sensibus umbra Stygis.

Si mihi reponis, *Video non erro*, ego te obtestor, ut tecum habites, & noris quam sit tibi curta ingenii judiciique supellex, quoties non errasti ? Ex Adam cæcutimus, Cacodæmon accedit & veræ Fdei lumen innumeris opinionibus contrariis obtenebrat, idemque te, in perniciem tuam securitatis obscuritatibus involvit. Hic verò Liber econtrario te irradiat, obscurasque nebulas dissipat, eâque ratione à ruina, interituque te præservat. Accedit Cœlum

quod

quod in pertinacis ſuperbiæ tuæ montes ſupercilioſos, totos torrentes, & maria gratiarum effundit ; ſed in iis hærere non valentes mox diffluunt, nihilque poſt ſe præter lutum, & infectionem relinquunt, Age, ab his ſupercilioſis collibus deſcende, in abyſſum te utilitatis tuæ immerge, judicium tuum illi Hominum multitudini qui ab Apoſtolis in unum ſenſum collecti in uno ſenſu hucuſque per ſucceſſionem claram propagati toto orbe invocant nomen Domini, & offerunt in cunctis gentibus hoſtiam mundam Domino, uti in Malachia prędixit. Huic te multitudini, in qua SS. Cyprianus, Auguſtinus, Hieronymus &c, ſalvi facti ſunt adjunge. Eccleſiæ dico, extra quam nulla ſalus reperiri poteſt, ſubmitte; Eam tuto ſequere, quæ Firmamentum eſt, & columna veritatis, uti Apoſtolus nominat in prima ad Timotheum Epiſtola c. 3. v. 15.

Interim, *Catholice Lector*, dole quod eodem authore intentum huius operis finem non videas executioni mandatum, ſed manu ſubſidiaria ſolum utcunque conſummatum vidiſſes, ſi author ultimam manum addere potuiſſet, faciem longè venuſtiorem, qui moriens plures defectus, & & eclipſes accuſavit, quibus lucem affundendam Mors ſæculo huic invidit, atque ipſi conſepelivit. Reliquerat ſolum titulum Libri 6. quo ſchiſma Anglicanum erat explanandum, ſeptimũ tamen & octavum, quos magis ad ſe pertinere exiſtimabat, proſequutus, quia iis ſtatum Franciæ exponebat hinc vides in quo anno mihi fuerit deſudandum fructu eorum citiſſimè fruereris. Styli mei diverſitas, meæ tenuitatis (me non invito) puplicam faciet profeſſionem : & modicum, quod adjeci etiam ſub ſua deformitate ſerviet, ad reliquam Operis pulchritudinẽ, perfectionemque commendandam. Porro notum facio, quod in ea parte quam de Anglicano Schiſmate omiſſam ab Authore ſupplevi ſecutus ſim relationem DD. in Anglia Legatorum, Domini de Nouailles, Dominique de la Mothe-Fenelon: ſecutus ſum item Memoriale Domini Secretarii Reginæ Scotiæ, qui in hujus ſervitio fidelis uſque ad mortem permanſit. Quod ſi hic labor meus tibi mi Lector probatus fuerit, cum tempore proferam reliqua, quæ circa Franciam contigerunt : ut ſic manifeſtum faciam Hæreſin in hoc regno, ſicut in pluribus aliis, ultimum dominii ſui fulgetrum oſtentaſſe. Coronidis loco manifeſtabo, quomodo non pauci fluctuantes in Religionum tam parum confirmtarum incertitudine, retulerint ſe ad Arcam Eccleſiæ Catholicæ, quæ nos ſecurè ſemper deducet ad portum ſalutis æternæ, cum nec errarè valeat, nec perire. Vale.

* * VOTVM

VOTUM AUCTORIS.

ECce, Deus ter Optime Maxime, confertas hic turmas hostium tuorum, ex antiqui illius Serpentis, in Ecclesiæ tuæ agro disseminatis, dentibus enatorum; Ecce me eidem arenæ inclusum, & ad defendendum contra rugientes hos Leones, Dracones monstrosos, & mordentes viperas, strenue arma capessentem. Victoriam ego mihi facilem video, Domine; si modo cœlestis tui lactis guttam tam linguæ quam pennæ meæ instillaveris, ut illa tamquam tonitru adversam aciem percellam, hac vero crimen illud læsæ divinæ & humanæ Majestatis, infinita mala & enormes impietates, à portentosis Hæreticis ac juratis ecclesiæ tuæ hostibus commissas, chartis his, ad æternam posteritatis memoriam, insculpam ac consignem. Et quemadmodum olim, ô præpotens rerum omnium Deus, turrim illam Babylonicam, cœlo minantem, immissa linguarum confusione, nullo negotio dejecisti: sic largire, quæso, ut nova hæc Cadmea progenies, inter se commissa, mutuis armis & vulneribus contrariarum opinionum conficiatur. Siste hæreticorum ambitionem, furorem eorum compesce, & pro meritis eis retribue. Diffla spiritu tuo illas vanitatis ampullas. Vt penitus perdantur, satis erit producere illos tales quales sunt: & ilices non erunt. Errorem commonstrare, confutare erit. Ruunt illi in malum: nec instantem à tergo Nemesin vident. Soli novas has aquilas obtuendo objiciamus, spurium fetum esse facile apparebit. Tu modo ô Deus, mihi per densissimam hanc tot tamque diversarum Hæreseon caliginem ambulanti, earumque mysteria excutienti, cœlestem illam tuam facem accende, ut tam tætros errores in lucem producere, atque universo Mundo ostendere possim. Fave huic meo ad nominis tui unius gloriam suscepto conatui, daque ut is omnibus sit salutaris.

MVTOV

APPRO-

APPROBATIO ET CENSVRA Ordinarij.

Liber, *cui Titulus est* Florimundi Raemundi Historia de ortu & progressu hæresum sui sæculi, auctus ex Caspari Vlenbergij scriptis, *cum appendice, quia nihil Catholicæ Romanæ Fidei, vel moribus â Sancta Matre Ecclesia Catholica approbatis contrarium, sed plurima eiusdem Ecclesiæ filijs utilia, veluti* Synopsin omnium Controuersiarum *continet, singulari cum fructu in lucem edi potest. Coloniæ die* 10 Septembris 1654.

Georgius Paulus Strauius Epus. Ioppensis
Suffraganeus Coloni. & librorum censor ordinarius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AVCTOR EDITIONIS AVCTÆ

CVM HISTORIA MAXIME QVATVOR REBVS INNITATVR, NEMPE CHRONOLOGIAE Topographiæ, Genealogiæ, (id est Temporis, locorum, & succesionis inter homines, maxime Principes ac Dominos terrarum, notitiæ) denique Authorum, quibus historica fides inniti securè posit, authentheſia, seu fida asignatione, aliqua ex parte te, Amice Lector, sublevo in legendo præclaro opere Historico Raemondi, ac primo Chronologiam brevem ex Philippo Bebio S. Iesu scriptore attexo, quæ omne tempus in hoc opere descriptum declarabit.

Anni Christi	Pontifices Rom.	Impp. occid.	Impp. Orient.
1341			
1342	Clemens VI.		Ioannes Palæologus cum Ioanne Cantacuzeno.
1346		Carolus IV.	
1352	Innocentius VI.		
1362	Vrbanus V.		
1370	Gregorius XI.		
1378	Vrbanus VI.		
1379		VVenceslaus piger	
1384			Manuel II. Palæologus
1389	Bonifacius IX.		
1400		Robertus Bavarus	
1404	Innocentius VII.		
1406	Gregorius XII.		
1409	Alexander V.		
1410	Ioannes XXII. al. XXIII.		
1411		Sigismundus	
1417	Martinus III al. V.		
1418			Ioannes Palæologus
1431	Eugenius IV.		
1439		Albertus Austriacus	
1444		Fridericus III. annis 54.	
1445			Constantinus XII. Palæologus ult. Imp. Turcæ Constantinopolim occupant. An. 1453. incipit Mahomet II.
1447	Nicolaus V.		
1452			
1455	Calixtus II.		
1458	Pius II.		
1464	Paulus II.		
1471	Sixtus IV.		
1484	Innocentius VIII.		1481. Bajazeth II.
1492	Alexander VI.		
1493		Maximilianus I.	

Anno Christi	Pontifices Romani	Impp. Christiani.	Impp. Turc.
1503	Pius III.		
	Iulius II.		
1513	Leo X.		1514. Selymus.
1519		Carolus V.	1520. Solimannus.
1522	Adrianus VI.		
1523	Clemens VII.		
1534	Paulus III.		
1550	Iulius III.		
1555	Marcellus II.		
	Paulus IV.		
1558		Ferdinandus I.	
1560	Pius IV.		
1564		Maximilianus II.	1566. Selymus II.
1566	Pius V.		1574. Amurathes III.
1572	Gregorius XIII.		
1576		Rudolfus II.	
1585	Sixtus V.		
1590	Vrbanus VII. dies 12.		
	Gregorius XIV.		
1591	Innocentius IX.		
1592	Clemens VIII.		1595. Mahometes III.
1605	Leo XI.		1604. Achmath. F. ejus.
	Paulus V.		
1612		Matthias I.	
1619		Ferdinandus II.	1620. Mustapha frater Achmathi.
1621	Gregorius XV.		1621 Osman frater Achmathis.
1633	Vrbanus VIII.		1622. 19. Maii Strangulatus Mustapha iterum.
1636		Ferdinandus III.	
1644	Innocentius X.		1623. Amurathes frater Osmanis.
1653		Ferdin. IV. Rex Rom. vivente patre assumptus seq. Anno obiit.	1626. Hassan Begler.
1654			

Atque ista quidem est Chronologia maxime necessaria ad hanc Historiam, Topographia vero assumenda est ex Tabulis Europæ passim extantibus, Genealogias, cum perobscuræ sint, & raro notæ, quantum opus esse judicavi, attexã XII. Authores passim in decursu capitum & librorum nominati sunt. Exordior autem à Bohemiæ Regum Genealogia utpote sub quibus prima in Imperio Germanice hæresis nata erupit in Europam, deinde ad Austriacam sub qua, altera hæresis Lutherana emersit, & obscuravit solem & aerem fumo Apocalyptico, ut ibidem cap. 9. prædicitur, & in hac historia expletum ostenditur.

Premislaus III. vulgo Othogarus Rex Bohemiæ è Sclavica Zechi ſtirpe deſcendens, patris ſui oppugnator & à morte ſucceſſor Anno 1245. uxorem habuit Margaretam ſororem Friderici bellicoſi Auſtriæ Ducis, ex ea familia poſtremi, & ea in monaſterium ob ſterilitatem detruſa Cunigundem Roſcislai Bulgarorum Regis Filiam. oppugnavit Rudolfum Habſpurgium, à quo occiſus in bello Anno 1278.

Wenceslaus Senior Rex Bohemiæ uxor ejus Iudith F. Rudolfi Habspurgii Cæſaris. Coronatus cum ea Anno 1297 Pragæ, in dotem accepta Egra & aliis locis aliquot Miſniæ ac Luſatiæ. ſecundis nuptiis duxit Eliſabetham, ſeu Richſam Polonam, aſpernatus Imperium poſt Rudolfum Cæſ. nominavit Adolphum Naſſovium, ipſe Rex Poloniæ creatur Anno 1300. Hungariæ quoque regnum aſpernatus, filio conceſſit, poſtea Otthoni Bavaro. obiit. Anno 1305.

Agnes nupta Rudolpho Habspurgico Duci Sueviæ Anno 1273. 28. Septembris creato Francofurti Imper. Roman. obiit Anno 1291 idibus Iuliis ex Anna Comitiſſa Hohenburgenſi.

Beatrix nupta Ottoni Pio Marchioni Brandeburg. Item Catzelina nupta Ottoni Longo Marchioni Brandeburgio.

Ex Iudith Auſtriaca.

Wenceslaus Iunior. ob Luxuriam & gulam Olomucii occiſus Anno 1306. ſine prole.

Iuditha nupta Roberto Naſſovio F. Cæſaris Adolphi.

Ex Eliſabeth Polona.

Eliſabeth nupta Ioanni Comiti Luceburgico (Henr. VII. Imp. filio) qui Regnum occupavit Anno 1311 Pragæ à Mog. Archiepiſc. Coronatus. ex Eliſabetha Bohema.

Anna nupta Henrico Tirolliorum & carinorũ Tetrarchę. certavit de Bohemiæ regno cum Ioanne Lucemburgio. obiit ſine prole.

Albertus I. &c. Imp. contra Adolphum Naſſovium factus 1298. occiſus Anno 308. ex Eliſabeth Carinthiæ Duciſſa nati XXI. in his.

Albertus II. Archi-Auſtr minimus fratrum, item ſapiens dictus, ex Canonico hæres ditionum.

obiit Anno 1358

& alii vide eos pag. 79. partis Reuſneri.

Carolus IV. Imp. & Rex Bohemiæ fũdator Academiæ Prag. Anno 1360 & Bullæ aureæ conditor An. 1356 obiit An. 1378 de quo l. 4 c. 3. ex Eliſabetha Stetini & Pomeraniæ Duciſſa.

Henricus Comes Luxemb. & March. Moraviæ ac Dux Luſatiæ uxor Margareta Maulteſch. in.

ex Beatrice Borbonia

Wenceslaus I. Dux Lucemburgi creatus à fratre Carolo IV. uxor ejus Ioanna, Ioannis III. Brabant. Ducis Filia

A

VVenceslaus Ignavus Imp. Roman. & Rex Bohemiæ, amotus ab imperio Anno 1400

Sigismundus Imp. Rom. Rex Pannoniæ ac postea Bohemiæ obiit Anno 1437. ejus uxor Maria Regina Vngariæ. 2. Barbara Herman. Comitis Cilleiæ filia.

Elisabeth hæres Regnorum Bohemiæ & Pannon. nupta Alberto Austriaco V. Vide Genealogiam Austriacam.

B

Lodocus Marchio Moraniæ

Procopius Marchio Moraniæ.

II. Genealogia Austriaca serviens primis IV. Libris.

Albertus II. Archidux Austriæ Comes Habspurgius, Sapiens d. item contractus, sacris ordinibus à Pontif. Roman. absolutus, fratribus extinctis successit obiit Anno 1358. 20. Iulii uxor Ioanna F. Vlrici Comitis Phyretarum.

Rudolphus Magnanimus obiit Anno 1365 ux. ejus Catharina Caroli IV. Imp. filia, quæ ei Tarvisanam Marchiam attulit. 2. uxor Margareta Henrici Tirolensis Bohemiæ Proregis F. quæ ei comitatum Tirolensem attulit, nulla proles, Hæredes fratres.

Albertus III. dictus cum Trica, Austriæ Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchiæ, VVandalicæ & Tarvisanæ Exarchus Bello Bohemico apud Snoymam mense Augusto decessit Anno 1395 uxor 1. Elisabetha Caroli IV. Imp. Filia sine prole. 2 Beatrix Burggravii Norimb. F.

Albertus IV. Patiens è terra S. rediit Anno 1402 elapsus ex Francorum insidiis obiit Anno 1404 uxor Ioanna Alberti Bavari.

C

Leopoldus II. d. Probus & Militiæ decus cum fratre partitus Tirolem, Turgoviam, Sueviam, Helvetiam, Sundgoviam, Brisgaviam, Alsatiam & Phyretarum comitatum tenuit, & plura adjecit bellis, obiit Anno 1386. contra Helvetios pugnans.

Fridericus Tirolios Helvetios & Suevi-am tenuit, Ioannem XXII. persequens omnibus exutus est, obiit 1440

Ernestus Ferreus obtinuit Stiriam, Carniolam & Marchiam Vandalicam seu Vinidorũ bellum in Italia pro Ruperto Cæs. gessit, obiit Anno 1435 Ziemburga Mazoniæ Ducis F. uxor eius.

C

D

C

Albertus V Austriacus Anno 1410 juvenis principatum aggressus 17 Iuli fortuna faventissima brevi usus, nam uxor ejus Elisabetha F Sigismundi Imp. ipsi in dotem attulit, unica hæres, Regnum Bohemiæ, & Hungariæ & Lutzenburgi Ducatum defuncto patre ejus Anno 1437

Anna nupta Guilhelmo III Duci Saxoniæ. Item Elisabeth nupta Casimiro Poloniæ R.

Ladislaus posthumus Rex Bohemiæ & Hungariæ obiit in nuptiis 1457

D

Fridericus III. Romam profectus Leonoram Eduardi Portugalliæ Regis F. duxit Anno 1452 XVI. Cal. April. Pacis amantissimus obiit An. 1493

Albertus VI. Brisgoviam Sundgoviam &c. gubernavit, obiit Anno 1463 sine prole.

Maximilianus I. Imp. Roman. natus Neapoli Anno 1459 à Friderico patre in Regni consortium assumptus Anno 1486 Maximarum virtutum, & rerum gestarum gloria inclytus. Is Luthero dæmonium insidere conspexit in comitiis, obiit Anno 1519 uxor ejus I. Maria F. Caroli Ducis Burgundiæ hæres Burgundic. & Belgic. provinciarum.

Cunigunda nata 1465 nupta Alberto utr. Bavariæ Duci

Philippus I. Dux Burgundiæ & Belgicarum Provinciarum ducta Ioanna F. Ferdinandi Catholici Regis secundo genita Hispaniæ. (nam primogenita Catharina nupta est Henrico VIII. Angliæ Regi) Siciliæ, & Neapolis regna &c. acquisivit dote unicæ hæredis, obiit ante patrem Anno 1506 in Hispania.

Margarita connubiis satis infelix postea Belgium rexit, sub qua Geusii inchoarunt rebellionem.

Carolus V. Imp. Rom. & Rex Hispaniæ celeberrimus post Carolum Magnum, abdicavit se Imperio & Regnis Anno 1555 obiit in Hispania. uxor Isabella F. Emanuelis Regis Lusitaniæ

Ferdinandus I. Rex Hūgariæ & Bohemiæ & Rex Rom. Anno 1531 Anno 1556 Imp. post Carolum V. fratrem obiit Anno 1564. VIII Cal. Augusti rix Anna Ludovici Hungar. Regis filia.

Eleonora nupta I. Emanuelı Reg. Lusit. 2. Francisco R. Galliæ. itē Isabella nupta Christierno II. Regi Daniæ

Maria nupta Ludovico Hungar. Regi postea rexit Belgium, item Catharina desponsata Frider. III. Sax. Duci, mutata autem religione data Ioanni III. Lusitaniæ Regi

Philippus II Rex Hisp. Siciliæ, Neapolis, Portugaliæ & Indiarum obiit Anno 1622 uxores 4 successive habuit.

E

Elisabeth nupta Sigismundo Augusto R. Polon.

Anna nupta Alberto Duci Bavariæ

Maximilianus II Rex Hungariæ Bohemiæ & Imp. Rom. uxor Maria F. Caroli V. XVI. proles.

F

Carolus &c. XV. Archidux Austriæ natus 1540 obiit 1590 uxor Maria F. Alberti Ducis Bavariæ

G

Ex Maria Lusitana Carolus Dentatus anno 1568 obiit ex Maria F. Henrici VIII. Angl. Regis nulla proles

Ex Isabella Valesia. 1. Isabella Cl. Eugenia nupta Alberto Duci Austriaco 2. Catharina nupta Emanueli Duci Sabaudiæ

Ex Anna Austriaca Philippus 3. Rex Hispaniarum & Indiarum uxor Margareta F. Caroli Archiduc. Austriæ

Philippus IV. Rex

Rudolphus 2 Imp. obiit 1612 ite Matthias 1. Imp. post fratrem obiit 1619

Fernandus 2. Rex Hungariæ Boh. & Imp. ux. Anna Bavara

Ferdinandus III Rex Hung. Boh. & Imp.

III. Genealogia Regum Hungariæ assumptorum ex Familia Comitum Andium Cenomanorum, Siciliæ & Neapolis Regum serviens Lib 4. Cap. 6 &c.

Charolobertus Rex

Ludovicus Rex Hungariæ XXVIII. Anno 1342 Coronatus est post fratris necem Apuliam &c. Neapolitani Regni loca occupavit, Rex Ierosolymæ & Siciliæ proclamatus & Anno 1348 in Hungariam reversus, magnus inter Reges Europæ sua ætate, obiit Anno 1382

uxor Elisabeth F. Stephani Bosniæ Regis

Andreas Rex Neapolitanus occisus Anno 1345

Catharina Cælebs.

Maria Regina Hungariæ cum Matre regnavit Albæ usque ad Anno 1384 quo Carolus parvus ex regno Neapolitano ab Vngaris inductus, occisus est, ipsa captiva, postea liberata nupsit Sigismundo Regi Bohemiæ, & ei regnum attulit Hungariæ, is ex ea nulla prole suscepta duxit 2 loco Barbaram Ciliæ Comitissam

Helvvigis nupta Iagelloni Poloniæ Regnum ei in dotem attulit

Elisabeth nupta Stephano Fibulato Duci Bavariæ.

Elisabeth Hæres regnorum paternorum nupsit Alberto Austriaco II. qui cum ea coronatus est Rex anno 1439 obiit cum anno 1. & menses 9 dies 17 regnasset gravida relicta uxore

Elisabeth nupta Casimiro R. Poloniæ qui obiit Anno 1492

Anna Maria Wilhelmo Duci Saxoniæ

Ladislaus Posthumus Rex Hungariæ XXXIII. natus anno 1440 VIII. Cal. Mart. in cunis coronatus Rex Prorex ei datus Ioannes Corvinus Huniades factus etiam Bohemiæ Rex Pragæ moritur in apparatu nuptiarum An. 1457 Succedit ei in Hungaria Matthias Corvinus 1. Huniadis Filius ab Vngaris electus qui obiit anno 1490 & ad Polonum Regnum delatum est

Vladis-

Vladislaus II. Rex Bohemiæ & Hungariæ obiit Anno 1517 uxor Anna Comitissa Candales

Elisabeth nupta Ferdinando I. Cæsari

Ludovicus II. à Solymano Turca victus Anno 1526 in fuga periit 28 Augusti

Ita regnum Hungariæ ad Austriacos devenit, contra Ferdinandum tamen electus est ab Hungaris *Joannes de Zapolia Comes Sepusiensis*, inter quem & Ferdinandum I. demum ita conventum est ut iste ad vitam maneret Rex, eo mortuo Ferdinandus succederet. Sed Ioannes cum Isabella Polona Regina reliquit filiolum XI dierum Stephanum, quem Turcæ implorati à Vidua in regno stabilierunt cum Regina, appellantes eum à patre suo Ioannem, datus eidem est tutor Georgius Martinusius Monachus Benedictinus Catholicæ Fidei magnus conservator & Cardinalis factus, quo occiso per Ferdin. successit in tutela Petrovitius pessundator Relig. Catholicæ, primo Lutheranus, postea Arianus, per quem Hungariæ regnum inter contentiones de Regno ad extremam infelicitatem pervenit, Turca potissimam partem, reliquam Austriacis utcunque servantibus Christianitati.

IV. Genealogia Regum Poloniæ serviens Lib. 4. Cap. 8. & 9.

Ludovvicus Rex Poloniæ simul & Hungariæ, obiit 1382 ultimus masculorum ex Familia Piasteorum uxor Elisabeth F. Stephani Regis Bosniæ.

Hedvvigis nupta ——— Iagelloni ——— Wladislao Lithuaniæ Duci, ad Christianam fidem cum populo suo, converso. Is Lithuaniam perpetuo Coronæ Polonicæ univit, obiit Anno 1434. 31. Maii quatuor successive uxores habuit, ex quibus nati sunt.

Ex 1. Hedvvige. Elisabeth-Bonifacia cito mortua

Ex 2. Anna Comitissa Ciliæ. Hedvvigis veneno à noverca sublata

Ex Elisabetha Pelicia ——— nulli

Ex Sconza Russa Kiovensium Ducissa Coronata Anno 1434. quæ privignam Hedvvigem putatur sustulisse

Vladislaus Iunior Rex Poloniæ post patrem 8. Cal. Aug. factus, cũ An. 1437 mortuo Alberto V. Austriaco Vngari in Regẽ postularunt, mox defecerũt. Turcæ formidandus, ita ut pacẽ rogaretur, cũ pacẽ datam rupisset ad Varnã cæsus est 1444.

Casimirus natus 1426 cito obiit item Elisabeth nupta Erico Stolpensium Duci.

Casimirus natus 1427 primo creatus Magnus Dux Lithuaniæ, cõtra Moschos feliciter bellavit, cæso fratre ad Varnã ad Regnum Poloniæ vocatus ægre venit, gloriosus Rex fuit, obiitq; An. 1492 uxor Elisabeth F. Alberti V. Archid. & Imp.

Vladis-

Vladislaus natus 1456 adversus Matthiam Corvinum Rex Bohemiæ electus postea etiam Hungariæ, uxor Anna Gandalana

Hedvvigis nupta Georgio Diviti D. Bavar. itē Casimirus Dux Lithuaniæ. item Ioannes Albertus Rex Polon. post patrē. obiit Anno 1401

Alexander Magnus Dux Lithuaniæ, ab Hussitis in Regem Boh. postulatus frustra. fratri successit in regno, obiit An. 1506

Sigismundus natus Anno 1464 Rex Poloniæ factus est An. 1507 obiit Anno 1548

Elisabeth nupta Ferdinando I. Regi Rom.

Ludovicus Rex Hungariæ & Bohemiæ.

Vxor Bona Sfortia

Sigismundus Augustus, natus Anno 1520 regnavit cum patre 20 annos, & post eundem, obiit Anno 1571. habuit uxores tres successive sine prole.

Isabella nupta Ioanni de Zapolia Regi Hungariæ ejecto, item Goptiva nupta Henrico Iun. Duci Brunsvvic.

Catharina nupta Ioanni III. Sueciæ Regi ex quibus natus est.

Anna nupta Stephano Bathorio Palatino Transiluaniæ, qui per eam Rex Poloniæ creatus est post Sigismundum Augustum & Henricum Valesium brevem Regem.

Sigismundus Rex Sueciæ & Poloniæ Vpsaliæ coronatus Anno 1594. 19. Febr. dum in Polonia agit, regnum Sueciæ præreptum amittit. Vnde bella inter eum & Regnum extitere, obiit Anno 1632 ex uxoribus binis successivè nempe.

1. Anna F. Caroli Archiducis Austriæ. —— —— Ex Constantia Maria F. ejusdem Caroli

Catharina nata 1592. 24 Ian. item Maria n. 1600 item Christophorus n. 1598

Ladislaus. Sigismundus natus An. 1595. Rex Poloniæ obiit Anno 1648

Ioannes Casimirus natus 1609 Rex Poloniæ duxit fratris viduam relictam Mariam.

Ioannes Albertus natus 1612 item Carolus Ferdinand. 1613 natus Episcopus Vratislaviæ.

Alexander Carolus natus 1614 item Anna Catharina nata 1619

Vxores

1. Renata Cæcilia Ferdinandi II. Rom. Imp. filia. —— 2. Maria Ducissa de Neverf.

V. Genealogia Regum Daniæ Norvvegiæ ac Sueciæ, videnda in fine libri 4. sive 2. partis expressa.

VI. Genealogia Regum Angliæ serviens lib. 6.

Henricus V. Rex Angliæ XXXIV. coronatus 1413. cum Gallis bella gessit acria, obiit Anno 1422. Vxor Catharina F. Caroli VI. Reg. Gall

Ex Henrico V. & Catharina F. Caroli VI. R. Gall.

Henricus VI. Angliæ Rex natus Anno 1422. is infans cæpit regnare passus gravissima cum matre bella & exilia diversa Anno 1471. in Carcere Londinensi ab Eduardo IV. regni invasore necatur.

Vxor Margarita F. Renati Siciliæ Regis & Andium Ducis

Eduardus Princeps VValliæ natus Anno 1453. tracidatus in pugna Anno 1471.

Ex Catharina eadem & Owveno Tyderio secundo Marito.

Edmundus Tyderius Comes Richemondię ux. Margarita F. & hæres Somersetti Ducis.

Iaspar de Hadfeld Comes Penbrochii & Dux Bedfordiæ.

Henricus VII. natus 1455 Comes Richmondiæ, in Gallia exul revocatus contra Richardum III. regni detentorem, Rex Angliæ coronatur Anno 1486 obiit Anno 1509. uxor ejus Elisabeth Eduardi IV. Filia.

N nupta Polo

Richardus Polus ux. Margarita Ducissa.

Arthurus Princeps VValliæ natus 1487. obiit ante patrem An. 1501. uxor Catharina Ferdinandi Catholici Hispan. Regis filia Matertera Caroli V. Imp. Roman & Hisp. Regis quæ mox' vidua facta sine prole nupsit Henrico VIII

Henricus VIII. natus An. 1491. Rex coronatus An. 1509. initio zelosus defensor Fidei Catholicæ, uxor 1. fuit Catharina vidua fratris intacta accedente dispensatione Iulii III. PP. post repudiata.

ex hac nata est Maria Regina Angliæ facta post Eduardum VI. fratrem suum, natū post Catharinam injuste repudiatam.

Margarita nupta Iacobo IV. Scot. Regi vide seq. Genealogiam. postea Archibaldo Duglassio, ex quo conjugio est Margarita Mater Henrici Stuarti qui fuit Mariæ Stuartæ Maritus de quo in seq Genealogia.

Maria nupta 1. Ludovico XII. R. Francorum 2. Carolo Brandonio, Duci Suffolciæ creato per Henricum 8.

Catharina innupta mansit.

Reginaldus Polus natus 1500. Cardinalis Rom. Eccl. factus à Paulo 3.

Franciscа nupta Henrico Grajo Marchioni Dorcestriæ, & postea Duci Suffolciæ, occisus ob affectatum pro filia regnū An. 1554.

Eleonora nupta Henrico Cliffordio Comiti.

Ioanna Graja ab Eduardo VI. Rege hæres scripta machinatione patris sui. occisa Anno 1554.

Maria nupta N.

Catharina Graja nupta Eduardo Seymero.

Appendix de Henrici VIII. uxoribus

1. Catharina illicite repudiata. — Maria Reg.

2. Anna Bolenia ducta An. 1533. — Elisabeth Reg.

3. Iana Semeria mortua in partis Eduardus 6. Rex Ang. obiit 1553.

4. Anna F. Iohannis 3. Clivensium Ducis repudiata.

5. Catharina Havarda Capite plexa.

6. Catharina Parra supervixit Marito.

7. Elisabeth Blontia Concubina.

§§§

VII. Genea-

Iacobus II. Stuartus Rex Scotorum electus Anno 1449. VI. Cal. April. litem multam habuit cum Duglaſſiis, & demum occubuit in bello contra Anglos Anno 1460 circa æquinoctium autumni, ei ex uxore Maria filia Arnoldi Egmondani Gelriæ Ducis nati ſunt præcipuè

Iacobus III. Stuartus qui patri in caſtris occiſo ſucceſſit Anno 1460 primis annis quieto regno uſus, deinde ob mores corruptos valde inquieto, tum à fratribus, tum ab aliis proceribus Prope Sterlinum cum Annandianis pugnans, in mola aquaria occiſus eſt menſe Iunio Anno 1588 judicatuſque eſt in ordinum conventu jure eſſe cęſus, ex Margareta filia Chriſtiani I. Daniæ R. nati ſunt ei

Alexander Dux Albaniæ, cum fratre Rege ſimultates habens, captus, & fuga elapſus terrore belli ab Anglis inferendi reſtitutus eſt; iterumque gratia excidens in Angliam fugit, bello illato Scotiæ, ope Iacobi Duglaſſii, infelix exul in Gallia obiit An. 1583. Huic ex binis ſucceſſive ductis uxoribus nati ſunt hi filii nimirũ

Ioannes Comes Marriæ occiſus Anno 1480 menſe Decembri, quod inſidias fratri Regi ſtruxiſſet.

Maria - Catharina - Helena nupta eſt Iacobo Hamiltonio Comiti Araniæ

Ex N. Orcadum Regis filia.

Ex Anna Bononiæ Comitiſſa N. quæ nupſit N. Hamiltonio, ex quibus eſt natus

Iacobus IV. Scotiæ Rex factus An. 1487. Aſtrologicis nugis valde implicatus ex eiſdem infeliciter gubernavit, occiſus ad Fluidonem ab Anglis in prælio ubi nobilitas præcipua cecidit. Huic ex binis nati ſunt filii, ex Margarita F. Henrici VII. Angliæ Regis uxore.

Alexander Stuartus Archiepiſcopus S. Andreæ obiit in bello cum fratre ad Fluidonem Anno 1513. VI. Id Octobris occiſis ibi 5000. Scotorum.

Ioannes Comes Marrenſis.

Ioannes Stuartus Albaniæ Dux, poſt nepotum ex patruo ſuo ortorum mortem Anno 1513. Pro rex in Ordinum Regni Comitiis conſtitutus eſt donec Iacobus V. Matureſceret, quod munus fideliter adminiſtravit. Anno 1524 ab Hamiltoniis occiſus, Cui in tutorio Regni munere ſucceſſit filius ejus.

Patritius Hamiltonius qui Marpurgi ſtudens hæreſi Lutherana infectus, reverſus in Scotiam, Anno 1528. 28 Febr. crematus eſt.

Ex N. Concubina.

Iacobus V. Stuartus Anno 1526. VI. Cal. Martii Rex conſtitutus eſt Scotiæ mox ab Arcibaldo Duglaſſio hæreſi inquinato captus & An. 1527. elapſus à Schiſmatis Anglici, conſortibus ſubditis afflictus Anno 1542. obiit.

Guilhelmus Iacobus Ioannes Robertus invidia in Reginã viduam & ejus filium Iacobum V. concitari, regnum Scotiæ in extrema mala & Calviniſmũ conjecerunt, diſtinctum tamen à Calviniſmo Galliarum, itẽ Anglicano. Geſta eorum exhibet Henninges in 4. Tomo Genealogici operis. parte 2. pag. 171

Maria postuma A. 1542. 18. nata Catholicè in Galliis educata. Anno 1558. 19. April. nupsit Francisco II. Valesio Galliæ Delphino, & post matris obitum Anno 1563. 20 Iun. in Scotiæ Reginã coronatur, sed exagitata ab hæreticis & æmulis regni post multas calumnias mendacia, & captivitatem multam, Anno 1587. VI. Id. Feb. victima facta est Calvinianis securi Elisabethæ Reginæ Anglorum occisa.

Maritus secundus illi fuit Henricus Stuartus ex quo conjugio natus est

ei

Iacobus Stuartus VI. Rex Angliæ Scotiæ & Hiberniæ, veneno sublatus ab Hæreticis, Vxor Anna F. Frid. II. Regis Daniæ.

Matthæus Stuartus Hamiltoniorũ ob patrẽ cædẽ, ab iisdẽut hostis. Scotia depulsus est Anno 1541 & in Angliã secessit, ubi damnatus est absens & bona ejus confiscata sunt per Hamiltonios, Anno vero 1563. restitutus est patriæ & bonis per Mariam Reginam, qua periclitante iterum in Angliam rediit Anno vero 1571. Interrex ac mox Prorex factus est ei ex binis successive uxoribus filii nati sunt

Ex 1. ux. Margarita Hamiltonia.

Ioannes Leviniæ Comes.

Ex 2. ux. Margarita Arcibaldi Duglassii & Viduæ Iacobi IV. nata

Henricus Stuartus Comes Lenossiæ & Durlæus, assumptus in maritum à Maria posthuma Regina dolis Calvinistarum & insidiantiũ regno occisus subjecto pulvere tormẽtario, crimine in innoxiam Reginam rejecto Anno 1567 10. Febr.

Carolus Levinię Comes.

Henricus Princeps Walliæ obiit 1612

Carolus Stuartus natus 1600. Rex Ang. Scot. Hibern. decollatus à Calvinistis 1649 30. Ian. uxor Henrica Maria F. Henr. IV. Reg. Franc.

Elisabetha nata 1604 nupta Friderico V. Electori Palatino, fugata de Regno Bohemiæ occupato ejus suasu

Margarita nata 1598

Maria nata 1602

VIII. Genealogia Regum Galliæ, serviens lib. 1. 3. 7. 8.

Ludovicus XII. ex Aurelianensibus Valesiis Galliarum factus est An. 1497. 27. Maii bella multa gessit in Italia, obiit Anno 1515. 1. Ian. Vxor ejus 2. Anna Britannica Vidua Caroli VIII. Regis Franciæ.

Carolus Valesius Comes Engolismæ obiit Anno 1494 Vxor Aloysia seu Ludovisia F. Philippi Ducis Sabaudiæ quæ obiit Anno 1532

Renata nupta Herculi Estensi Duci Ferrariæ.

Claudia nata An 1499. nupta Francisco I. Valesio ex Engolismæ comitibus.

Franciscus I. Gall. Rex natus An. 1594. per Claudiam Ludovici XII. filiam Rex factus An. 1514 bella acria cũ Carolo V. gessit, captus An. 1525 dimissusq; obiit An. 1547

Margareta Literata & Mnemosynedicta seducta à Lutheranis Magistellis nupta Henrico Regi Navarræ

Henricus Albretanus Rex Navarræus, & Bearnii Comes

M Ex his conjugibus

Ex Francisco I. & Claudia Valesia

Ex Henr. R. Navar. & Margar. Valesia

Franciscus Delphinus natus 1517 obiit 1536 Venevo

Ludovica & Carola immature obierunt.

Henricus II. natus An. 1519 Hæreticis infensus Varia bella fortiter gessit, Tullum, Virdunum & Metas occupavit, famosam Cladem ad S. Quintin. accepit, pacem tandem cum Philippo Hisp. faciens casu periit Anno 1559

Caro-lus Dux Aurel. immature obiit.

Magdalena nupta Iacobo V. R. Scotiæ Anno 1537

Margareta nupta Emanueli Philiberto Duci Sabaudiæ.

Ioanna Vnica & hæres nupta Antonio Borbonio Duci Vendoniæ.

Antonius Borbonius Dux Vendomæ.

Franciscus II. Rex Galliæ cito obiit Anno 1560 Nov. Decem. uxor Maria Stuarta.

Isabella nupta Philippo R Hisp. Anno 1547 obiit 1568

Claudia nupta Caroloduci Lotharing.

Ludovicus Dux Aurelian. cito obiit.

Carolus Maximilianus dict⁹ IX. Rex Galliæ natus An. 1550 coronat⁹ 1561 sub eo Reformati omnia miscuerunt. obiit An. 1574 uxor Elisabeth Austriaca.

Henricus III. Dux Andinus & Engolismensis Comes, electus in Regē Poloniæ Anno 1573. mortuo fratre Carolo IX. Rege revolavit in Galliā, occisus cultello Anno 1589

Ioanna Victoria gemellæ Hercules Aldegavensis

Margareta nata Anno 1553. prid. Id. Maii nupta Hērico IV. An. 1572. xv Calend. Septemb. sine prole obiit.

Henricus IV Borbonius Rex Navarræ Princeps Bearnii. Dux Vendomæ, Galliæ Rex factus per Testam. Henrici III. Socerū suū A. 1589

2. uxor Maria Medicæa ex hac

Catharina nupta Henrico Duci Lotharingiæ.

Ludovicus XIII. Gall. Rex natus 1601. obiit 1643

Vxor Anna-Maria-Mauritia Filia Philippi III. Hisp. Regis

Gaston Ioannes Baptista Dux Aurelian. natus 1608

Vxores

1. Filia Henrici Ducis Monponsierii

2. Maria Margareta F. Francisci Vadomontii.

Isabella nata 1602. obiit 1644. uxor Philippi IV Hispaniarum & Indiarum Regis.

Christina nata 1606. uxor Victorii-Amadæi Ducis Sabaudiæ

Henrica-Maria nata 1609 uxor Caroli Stuarti Regis Angl. Scotiæ & Hiberniæ à suis occisi.

IX. Genealogia Comitum Palatinorum Electorum ad Lib. 5. Cap. 9. & Lib. 3.

Rupertus Rom. Imperator obiit Anno 1410. uxor ejus Elisabeth Burggravia Norimb.

Ludovicus II. Barbatus. Item Cæcus d Præfectus Imp. apud Concilium Constantiense Anno 1415 obiit Anno 1429 uxor ejus Mechtildis Pedemontana.

Stephanus natu minimus obiit Anno 1444. uxor Anna Veldentia & Sponhemia.

Lodovicus III. Mitis obiit Anno 1451 uxor Margareta Sabauda.

Fridericus Victoriosus natus 1425. defuncto fratre suo tutor fuit Philippi F. ejus

Fridericus Dux Simmerensis & Spanhemii. ux. Margareta F. Arnoldi Ducis Gelriæ.

Ludovicus Niger ex hoc descendunt, Bipontini & Veldentii.

Philippus Posthumus Ingenuus d. Bello Bavariæ proscriptus obiit Anno 1508. uxor ejus Margarita Bavara.

Ludovicus Comes de Levvenstein V. Comites Werthemenses.

Ioannes I. heros non tam militiæ quam pietatis amans obiit 1509. ux. Ioannetta Sarepontana.

Ludovicus IV. Pacificus d. Lutheranus factus obiit Anno 1544. uxor Sibylla Bavara. nulla proles.

Rupertus Virtuosus obiit An. 1504. uxor. N.

Fridericus II. Comes Palatinus Elector Anno 1544. post fratrem suum. Anno 1546. hic religionem Catholicam palam abrogavit obiit Anno 1556 uxor Dorothea Christiani II. Dan. Regis F. nulla proles.

Ioannes II. Pacificus, literatus & literatorum fautor. Imperiali Camerę aliquot annos summa laude justitiæ tanquam Iudex præfuit, & demum obiit Anno 1557 uxor Maria Iacoba Comes Oetingensis.

Otto Henricus Anno 1556 Elector factus est post patruum Fridericum II. sub quo Calviniani Doctores in Academiam Heidelb. irrepserunt Boquinus & Clebitius obiit 1559 Vxor Susanna Brandeburgia. nulla proles

Philippus Bellicosus imprólis.

Fridericus III. post emortuā lineam priorem Elector An. 1559. Calvinismū sancivit. obiit An. 1576. uxor Maria F. Casimiri Marchionis Brand.

Ludovicus Palatin. Elector natus An. 1539 Acatholicus sed Lutheranus, expulit Calvinianos Doctores obiit 1583. uxor ejus Elisabetha F. Philippi Landgravii

Elisabeth nupta Friderico Duci Saxoniæ. item Herm. Ludovicus xv. an. obiit

Ioannes Casimirus natus 1543. bellicos⁹ tutor & curator septemviratus fuit pro fratuele Calvinismum restituit. uxor Elisabeth F. Augst. Saxoniæ Ducis.

Susanna Dorothea nupta Ioanni Wilhelmo Duci Saxoniæ. & Anna Elisabeth nupta Philippo II. Landgrav. Hassiæ.

Cunegunda Iacoba nupta Ioanni Com. Nass. Dillenburg. item Christophorus obiit in bello apud Hollandos.

Anna nupta Carolo prin Somerlandiæ

Fridericus IV. Elector, natus An. 1574. 3 Non. Martii obiit ——— ux. Ludovica Iuliana princ. Vraniæ.

cæteræ proles cito obierunt.

Proles cito defunctæ.

Fridericus V. Elector Anno 1596. natus Anno 1619 Rex Bohemiæ factus obiit Anno 632 uxor Elisabeth F. Iacobi Stuarti Regis Anglorum.

Ludovicus Wilhelmus natus 1600. obiit eodem. item Mauritius Christianus natus 1601. obiit 1605

Luduvicus Philippus natus 1602 item Ludovica Iuliana nata 1564 uxor Ioan. Casimiri Palatini Bipontini.

Catharina Sophia nata 1597. item Anna Eleonora nata 1598 obiit 1600

Fridericus Strenuus Dux Sax. militavit Carolo IV. Imp. obiit Anno 1380 per Catharinam F. Henrici Com. Hennenbergii Coburgum & adjunctas arces suæ familiæ adjunxit dote.

Fridericus I. Bellicosus Elector militavit in Francia contra Stellares: in Borussia contra infideles; in Bohemia contra Hussitas, meruit Electoratum suæ familiæ An. 1409 Ex Catharina Brunsvvic. & Luneburgica.

Guilhelmus II. Dives obiit Anno 1425 sine prole.

Georgius obiit Anno 1411. Coburgi.

Fridericus II Elector mortuus Anno 1464. VII. Id Sept. Vxor Margareta Friderici III. Cæsaris Soror.

Sigismundus Epis. Herbipolensis. item Anna nupta Ludovico Pacifico Hassiæ Landgrav.

Catharina nupta Friderico II. Electori Brandeburg.

Guilhelmus III. ex Anna Alberti II. Cæsaris filia fæmellas 2. suscepit.

Ernestus Elector obiit An. 1486 VII. Cal. Sept. Vx. Elisabeth Bavara.

Albertus Animosus Bellis adversus Gallos, Belgas & Frisios gestis inclytus, mortuus apud Embdam Anno 1500. uxor Zedena Georgii Boh. Regis filia.

Fridericus III. natus 1463. Elector, fundator VVirteb. Academiæ & Lutheri fautor ob. 1525. improlis Christina nupta Ioanni Regi Daniæ vide Daniæ Genealog.

Albertus Archiepis. Mogunt. obiit 1484 Cal. Maii. item Ernestus Archiepisc. Magdeb. item Margareta nupta Henrico Duci Brunsvvic.

Ioannes successit fratri in Electoratu & hæresi obiit 1532

Item, frater præmissorum, Ioannes qui successit Friderico III. Improli Anno 1625 in Electoratu, & hæresis ac Lutheri favore obiit Anno 1532 Vxor Sophia Megapolitana.

Georgius Dux Catholicus religiosissimus. obiit Anno 1539. sine prole.

Henricus defecit à fide Catholica obiit An. 1541. uxor Catharina Megapolitana.

Ioan. Frider I. Lutheranus Bellum contra Brunsvvicensem Catholic. & Cæsarem gessit captus Anno 1547. X. Cal. Maii & abdicatus obiit A. 1554 Vxor Sibylla Iuliacensis

Maria nupta Philippo Duci Pomeranorum. Cæteræ proles sine prole fuerunt.

Mauritius Dux Sax. fit Elector An. 1547 pro abdicato cogna. Agnes Landg.

Augustus militavit in Gallia cõtra Franc. R. Carolo V. post to. obiit 1553 ux. fratrẽ Elect. factus obiit 1586.

Franc. Duci Sax. ité Æmilia nupta Georgio Brandeburg.

Sidonia nupta Erico Duci Brunvv. item Sibylla nupta

Ioan. Fridericus II. captivus capta Gotha ad Maximil. II. Imp. missus A. 1567 obiit 1595. Lutheranus. ux Elisabeth Friderici Palat. F.

Ioannes VVilhelmus Lutheranus militavit in Gallia obiit An. 1573 uxor Dorothea Susanna Palatina.

Ioan. Frideric. III. Cælebs obiit An. 1565. Ienæ Prid. Cal. Mov.

Anna nupta est VVilhelmo Nassav. Auraniæ Princ. 1561

Christianus I. Elector Sax. n. 1560 obiit 1591 ux. Sophia Brandeburg. F Ioannis Georgii

Ioannes Ernestus

Ioannes Casimir.

Fridericus obiit Anno 1572. 16 an.

Ioannes Friderici-cus IV obiit 1560 infans

Fridericus Wilhelmus natus 1562 obiit 1602 ux. 1. Sophia VVirtenberg.

Ioannes Dux Sax. n. An. 1570 ux ejus Dorothea Maria Anhaltina Mater plurium liberorum

Christianus II. Elector Sax. n. 1583 obiit 1611 ux. Hedvvigis F. Friderici II. Regis Dan.

Augustus n. 1589 ob. 1616 uxor Sophia Hedvv, Brunsv. Pomer.

Sophia ux. Frã. cisc. D.

Ioachimus I. Elector natus Anno 1484 Literatus, condidit Academiam Francofurti ad Oderam Anno 1506 obiit Anno 1535 uxor Elisabeth Ioannis Daniæ Regis

Ioachimus II. natus 1505 approbavit Interimisticã religionem, Lutheranam tamen servavit. obiit demũ Anno 1571 tactus apoplexia uxores 1 Magdalena Ducissa Saxoniæ

Anna nupta Alberto III. Duci Megapolensi & Catharina nupta Friderico Onolsbachio, & Elisabeth nupta Ioach. Friderico Administr. Magdeburgio

2 Hedvvigis F. Sigismundi I. Polon. R.

Elisabeth nupta 1 Erico seniori Duci Brunsvvici 2 Popponi Hennebergio

Margareta nupta 1 Georgio Duci Pomeraniæ 2 Ioanni Principi Anhaltino

Ioannes d. Prudens & Severus Lutheranus

Ioannes Georgius Elector natus 1525 obiit Anno 1598

Vx. 1. Sophia F. Friderici Ducis Lignicensis

Barbara nupta Georgio Duci Bregano & Lignicio.

Sigismundus Administrator Magdeb. & Halberstadensis, item Elisabeth Magdalena nupta Francisco Ottoni Duci Luneburgio

Hedvvigis nupta Iulio Duci Brunsvvicensi, & Sophia nupta Guilhelmo Barom Rosenbergio

2. Vxor Elisabeth Filia Ioachimi Ernesti Anhaltini Princ.

Ioachimus Fridericus natus 1546 Administrator Havelberg. Lebusiensis, & Magdeburg. uxor Catharina March Brandeburgia

Erthmudis nupta Friderico Duci Pomerano. item Anna Maria nupta Barnimo x. Duci Pomerano.

Christianus

Ioachimus Ernestus

Ioannes Sigismundus Elector, natus 1572 Vxor Anna Brandeburgica

Anna Catharina nata 1575 obiit 1612 nupta Christiano IV. Daniæ Regi

Ioannes Georgius nata 1577 obiit 1624

&c

Georgius VVilhelmus Elector Vxor Elisabetha Calotta Frid. IV. Elector Palatini F.

Anna Sophia nupta Vlrico Duci Brunsvvigio

Maria Eleonora nupta Gustavo Adolpho Regi Sueciæ.

&c

XII. *Genealogia Landgraviorum Hassiæ.*

VVilhelmus Hassiæ Landg. dictus Medius; divisam Hassiam emortuis fratre & patruelibus totam possidere cæpit. obiit Anno 1509 tabe. Vxor Anna Ducissa Megapolitana.

Philippus Landgr. Hassiæ natus 1504 ad Lutheranismum defecit, fœderis Smalcaldici Dux factus & devergens ad Zvvinglianismum Anno 1546 à Carolo V. captus supplex ei, quem ludibrio habuerat, factus punitusque Anno 1567 obiit X. prolium pater ex, Christina Georgii Barbati Ducis Sax. Filia.

Elisabeth ux. Ioan. Ducis Saxoniæ.

VVilhelmus IV. natus 1532 Cassellensis uxor Sabina F. Christophori Duci VVirtenbergici

Ludovicus natus 1537 Marpurgensis sine prole

Philippus natus 1541 Rheinfelsensis sine prole

Georgius natus 1547 Darmstadinus. 1. Vxor Magdalena F. Bern. Com. Lippiensis.

Mauritius natus 1572 ex binis quas successive habuit uxoribus habuit, proles plures nempe

Anna Maria nupta Ludov. Com. Nassovio

Christianus natus 1575 defunctus 1578

Ludovicus natus Anno 1577 Darmstadinus Vxor Magdalena Marchionissa Brandeburg. XII. Prolium Mater

Christina Vxor Friderici Com. Erpael.

Anna Vxor Albert. Com. Solmensis.

Fridericus natus Anno 1585 Homburgius. Vxor ejus N.

Ex 1. Agnete C. Solms — Ex 2. Iulia C. Nassovia.

VVilhelmus, Constans natus — obiit 1737 Vxor Amalia Elisabeth Comes Hanovienſis.

VVilhelmus Hassiæ Lādg. Cassellensis.

Mauritius natus 1600 obiit 1620 & Elisabeth Vx. Ioan. Alberti Magni & Otto Administrator Hirschfeld. sine prole.

Hermannus &c. Vxores 1. Sophia Iuliana Com. de Waldech 2. Cunigunda Iuliana F. Ioanne Georgii Anhaltini

Agnes Vx. Casimiri Princ. Anhalt. Philippus natus 1604 obiit 1616

Ernestus natus 1627 Catholicus Vxor Maria Eleonora Catholica Comitissa Solmensis

VVilhelmus

Carolus.

Georgius natus Anno . . . Vxor Sophia Eleonora Ducissa Saxoniæ.

Ludovicus. Georgius.

Fridericus Henricus Ioannes

Ludovicus Philippus

Georgius

VVilhelmus Christophorus

Georgius Christianus

Fridericus

INDEX ARGUMENTORUM LIBRI I.

Argumentum Capitis Primi Fol. 1.

CVM in pace esset Ecclesia, multis præsagiis tempestas religionis prænuntiatur, & demum à Luthero infelix tragædia inchoatur qui tanquam stella de cœlo lapsa secum in miserabilem ruinam, traxit suo tumore, quasi tertiam partem Stellarum, adjuvantibus eum dæmone vitiis & favore hominum, ex dissimulatione & eloquenti dicacitate eius acquisito.

Argumentum Capitis secundi. Fol. 5.

Quomodo motus ob Religionis dissidia exorti, variis cœlorum præsagiis & ostentis fuerint præsignificati.

Argumentum Capitis Tertii Fol. 10.

Quomodo Deus imminentes mundo calamitates variis modis annunciet & prædicat,

Argumentum Capitis Quarti. Fol. 14.

Quomodo sub initium Sæculi XVI. Religiones fuerint mutatæ, & Sectariorum qui ante Lutherum in arenam prodierunt, imago sive descriptio.

Argumentum Cap. Quinti. Fol. 19.

Lutheri Hæresiarchæ Nativitas, & quomodo is Religiosam seu Monasticam vitam ingressus & professus sit.

Argumentum Capitis Sexti. Fol. 26.

Quomodo sacra expeditio contra infideles à Leone X. Papa promulgata dissidio inter Dominicanos & Augustinianos ansam præbuerit, quo postea schisma est exortum.

Argum. Cap. Septimi. Fol. 30.

Quomodo Diabolus Ecclesiam vexaturus Conventus Fratrum Spirituales & Oratoria obeat atque etiam ineat; quibusque artibus ad seducendos homines utatur.

Argument. Cap. Octavi. Fol. 36.

Quomodo Lutherus publicè è suggestu docere cœperit & quam ob caussam.

Argumentum Cap. Noni. Fol. 39.

Progressus controversiæ de Indulgentiis, Dominicani Luthero sese opponunt, qui Romam citatus, demum cautè S. Sedis Legato se sistit Augustæ, & quæ postea evenerint,

Argumentum Capitis Decimi. Fol. 47.

De Prima Disputatione in negotio religionis habita, deque ejusdem exitu.

Argumentum Capitis Vndecimi. Fol. 50.

Quomodo Lutherus excommunicatus fuerit: & quò desperatio eum adegerit.

Argumentum Capitis Duodecimi. Fol. 56.

Quomodo Lutherus reprehensis initio Indulgentiarum tantum abusibus, totam deindè Veterum Religionem evertere constituerit.

Argumentum Capitis decimi tertii. Fol. 58.
Carolus V. Imperator in Germaniam proficiscitur: videt, audit & damnat Lutherum.
Argumentum Capitis decimi quarti Fol. 63.
Caroli Quinti Imperatoris contra Lutherum ejusque novam doctrinam edictum propositum Anno millesimo quingentesimo vigesimo primo, octava Maij.
Argumentum Capitis decimi quinti. Fol. 70.
Lutherus excommunicatus in cœpto pergit. Biblia in Teutonicam linguam vertere præsumit, multis additis, recisis, depravatis. cum Diabolo consortium habet, ut ipse testatur.
Argumentum Capitis decimi sexti. Fol. 79.
Quomodo Lutherus ex omnibus veteribus hæresibus suam consacinarit.

INDEX ARGVMENTORVM LIBRI II.

Argumentum Libri Secundi Capitis primi. Fol. 84.

LIbro hoc Secundo comprehẽduntur omnes Sectæ & Hæreses quæ turmatim post Lutherum in omnibus angulis eruperunt: sed potissimum Anabaptistarum Sectam. Cuius originem ortum & progressum; tum doctrinam, vitam & mortem præcipuorum Hæresiarcharum Auctor describit: eorumque errores indicat, ac brevibus refutat.
Argumentum libri secundi capitis secundi Fol. 92.
Quomodo Anabaptistæ è Lutheranis prodierint & Sectariorum quæ inter eos comparatio.
Argumentum libri secundi capitis tertii. fol. 99.
De Synagoga Anabptistarum & præcipuis ipsorum fidei articulis.
Argumentum Libri Sec. Capit. quarti fol. 104.
De Apostolis & Prophetis Anabaptistarum.
Argumentum Lib. secundi Cap. quinti. fol. 107.
De ineptis quibusdam Anabaptistarum consuetudinibus in S. Scriptura ut ipsi ajunt fundatis.
Argumentum Lib. secundi. Cap. sexti. fol. 110.
De compluribus Anabaptistarum factionibus seu divisionibus earumque auctoribus.
Argumentum Lib. secundi. Cap. septimi. fol. 114.
De Andrea Carolstadio nostri temporis Sacramentariorum antesignano.
Argumentum Lib. secundi Cap. octavi. fol. 125.
De Hulderico Zuinglio & Ioanne Oecolampadio Helvetici Schismatis auctoribus.
Argumentum Lib. secundi. Cap. noni. fol. 136.
De Philippo Melanchthone Confessionistarum Patre & auctore.
Argumentum Lib. secundi Cap. decimi. fol. 144.
Quam in multis Lutherus sibi ipse adversetur: & quam ille sententiam contra Sacramentarios pronunciarit.
Argumentum Lib. secundi Cap. undecimi. fol. 151.
De Martino Bucero non vulgari hæresiarcho.
Argumentum Lib. secundi Cap. duodecimi. fol. 157.
De miraculis aliquot per Eucharistiæ Sacramentum à Deo factis eodem tempore quo à Sacramentariis maxime impugnabatur.
Argumentum Lib. secundi Cap. decimi tertii. fol. 163.
De unitate Ecclesiæ & Adversariorum discordia.
Argument. Lib. secundi Cap. decimi quarti. fol. 166.
De infinita Hæreseon infælicis hujus nostri sæculi multitudine.
Argument. Lib. secundi Cap. decimi quinti. fol. 175.
De pluribus nefandis Hæreticis, qui regiones septentrionales multiplici veneno infecerunt.
Argument. Lib. secundi Cap. decimi sexti. fol. 185.
De multis Scotis tam absurdis quam impiis

Argument

Argum. libri secundi, capitis decimi septimi. fol. 195.
Hæreseon quædam figuræ, ex Apocalypsi petitæ.
Argum. libri secundi, capitis decimi octavi. fol. 198.
Quomodo quisque novam sibi religionem fabricare instituerit: & quam miseris modis Catholici oppressi sint & decepti.

INDEX ARGVMENTO. LIBRI III.

Argumentum Libri Tertii Capitis Primi. fol. 206.

HOc tertio libro motus & turbæ in Germania & Helvetia à Lutheri insania, Munceri furore & Zuinglii somniis exortæ, explicantur: tum protestantium confœderationes: Lutheri cum Monacha nuptiæ, illo ipso tempore quo innumeræ cædes ipsius caussa perpetrabantur, celebratæ, ejusdem mors: adversum protestantium prælium victoriæ imperatoris; Mauritii Saxonis & Alberti Brandeburgici defectio, clades, mors cum multis aliis rebus particulariter enarratis.

Argumentum libri tertii, capitis secundi. fol. 214.
De bello rusticorum Lutherani Evangelii defendendi causa excitato deque miserabili eorundem strage.

Argumentum libri tertii, capitis tertii. fol. 218.
De Schismatis inter helvetios origine: deque iis quæ postea acciderant.

Argumentum libri tertii, capitis quarti. fol. 222.
De civili Helvetiorum bello & mutua laniena: ac de Zuinglii morte.

Argumentum libri tertii, capitis quinti. fol. 227.
De Petri Martyris & Bernardi Schini apostasia, vita & morte.

Argumentum libri tertii, capitis sexti. fol. 233.
Quomodo Lutherus in magna rerum omnium perturbatione à se excitata uxorem duxerit: & quam fœde de omni re carnali excucullatus ille Monachus senserit.

Argumentum libri tertii, capitis septimi. fol. 240.
De fœdere protestantium & Augustanâ Confessione Carolo V. Imperatori exhibita.

Argumentum libri tertii, capitis octavi. fol. 248.
De conventu protestantium Smalcaldiæ habito, & fœdere ibi percusso: & Concilio à Clemente VII. indicto.

Argumentum libri tertii, capitis noni. fol. 252.
De diversis ob tollendum Schisma celebratis conventibus: & quis eorum fuerit exitus.

Argumentum libri tertii, capitis decimi. fol. 260.
Quomodo Lutherani Turcicum optarint dominatum, & caussa fuerint quod pars aliqua Christianitatis ei subjecta sit.

Argument. libri tertii, capitis decimi primi. fol. 263.
De Lutheri morte: deque summo ejusdem fastu & arrogantia, ac cæteris moribus.

Argumen. libri tertii, capitis decimi secundi. fol. 275
De diversis malorum quæ sequuta sunt prodigiis.

Argument. libri tertii, capitis decimi tertii. fol. 278.
De Initio belli inter Carolum V. Imperatorem & protestantes.

Argument. libri tertii, capitis decimi quarti. fol. 281.
Quomodo Imperator bellum duxerit, protestantium interim copiis dilapsis.

Argumentum libri tertii, capitis decimi quinti. fol. 285.
De Smalcaldicis à Cæsare victis ac profligatis, & Germaniæ civitatibus in gratiam receptis.

Argument. libri tertii, capitis decimi sexti. fol. 288.
De prodigiis quæ eo die quo prælium commissum est, evenerunt.

Argumentum libri tertii, capitis decimi septimi. fol. 291.
Quid Imperator post victoriam egerit: & quomodo Interemistica religionis formula sit procusa.

Argument. libri tertii.cap.decimi octavi.fol.295.
Quomodo Saxoniæ Dux Electorali dignitate privatus,& Hassiæ Landgravius Cæsaris arbitrio se permittere coactus sit.
Argument. libri tertii.cap.decimi noni. fol. 298.
Protestantium conatus in disturbando interim Cæsario,item Concilio: Mauritii arma contra Cæsarem & mors:tum Alberti Brandeburgici facinora recensentur.

INDEX ARGVMENTORVM LIBRI IV.

Argumentum Libri Quarti Capitis Primi. fol.307.

IN hoc quarto libro Hussiticæ sectæ , quæ Lutheranæ in Bohemiam aditum aperuit, origo monstratur. Deinde religionis iu Hungaria , Transylvania. & Polonia explicatur mutatio Novitiæ sectæ cum Mahumetana comparantur.Ostenditur summa calamitas& miseria istorum populorum, apud quos omnia sectarum & hæreseon genera locum habent.Admirabiles denique mutationes in regnis Daniæ.Norvegiæ & Sueciæ ob religionis mutationem factæ recensentur.
Argumentum libri quarti capitis primi.fol.309.
Excusatio auctoris quod sepositis paulisper sæculi nostri rebus, Hussiticæ hæreseos historiam altius repetitam interponat.
Argumentum libri quarti,capitis secundi. fol.311.
Quomodo VVielephi hæresis in Bohemiam illata & à Ioanne Hussio propagata sit.
Argumentum libri quarti,capitis tertii.fol.317.
Bohemi fiunt Schismatici Ioannes Hussius & Hieronymus Pragensis supplicio afficiuntur.
Argumentum libri quarti, capitis quarti. fol.323.
De Taboritis & Orebitis nec non de Ziska hæreticorum duce ejus victoriis & morte & reliquis in Bohemia per ea tempora gestis.
Argumentum libri quarti,capitis quinti. fol. 329.
De Picardis & Calixtinis eorumque errore: deque iis moribus qui Luthero exorto & religionis mutationem aggresso in Bohemia exstiterunt.
Argumentum libri quarti, capitis sexti.fol.337.
Quomodo post Ludovici mortem regno Hungariæ in factiones sciisso , religionis status quoque convulsus &florentissimum regnum ad interitum pænè redactum sit.
Argumentum libri quarti, capitis septimi. fol.342.
De mutatione religionis & reipublicæ in Transylvania ac miserabili ejus statu.
Argumentum libri quarti,capitis octavi. fol. 354.
Quibus modis Hæreses in Poloniæ regnum irrepserint.
Argumentum libri quarti,capitis noni.fol.360.
Comparatio novæ Evangelicæ Doctrinæ cum Mahumetana.
Argumentum libri quarti,capitis decimi. fol.368.
De seditiosis prædicantium in Polonia cõtra Regem sermonibus de Ioanne Lasco Nobili Polono:de miraculis quibusdam Eucharistiæ:& de falso prædicantis cujusdam miraculo
Argumentum libri quarti,'capitis decimi primi. fol.370.
Quibus rationibus Catholica in Poloniæ regno conservata sit religio.
Argumentum libri quarti, capitis decimi secundi. fol.373.
Heretici in Polonia omnis dignitatis exsortes. Ibidem varia sectarum inveniuntur genera. Iacobus Palæologus Dominicanus hæreseos damnatur & punitur.
Argumentum libri quarti,capitis decimi tertii. fol.380.
Poloni semper Catholicum regem eligere studuerunt. Societatis Iesu in Polonia Collegia & ministri cujusdam hæretici conversio.

Argumen-

Argumentum libri quarti, capitis decimi quarti. fol.383.

De religionis in Daniæ & Norvegiæ regnis mutatione.

Argumentum libri quarti, capitis decimi quinti fol.388.

Quomodo Gustavus Sueciæ regno occupato ad faciliorem sui defensionem religionem mutarit.

Argument.libri quarti, capitis decimi sexti.fol.390.

De regno, captivitate, & morte Erici Regis narratio.

Argument.libri quarti, cap. decimi septimi.fol.394

Quomodo Ioannes Rex Catholicam religionem in Suecia restaurare conatus sit eoque defuncto Sigismundus filius regno privatus.

INDEX ARGVMENTORVM LIBRI V.

Argumentum Libri Quinti Capitis Primi.fol.1.

IN hoc libro Author demonstrat, quomodo & quibus remediis magna Germaniæ pars ab Hæresis contagione fuerit præservata. Quomodo etiam Italia & Hispania eandem contagionem effugerint. Tum quomodo Carolus V. Imperium abdicarit, præter alia regna, Belgii regiones filio regendas commiserit: & quam magnæ ac continuæ calamitates gliscentem ibi hæresin consequutæ sint. Quid Ferdinandus Imperator in religionis negotio egerit ac statuerit, quam frequentes religionum in Germania mutationes acciderint: subditis partim vi, partim ultro ad principum ac Dominorum nutum sese applicantibus. Multa denique tam ad reipublicæ quam religionis statum pertinentia, & inprimis Hæreseos decrementa exponit.

Argumentum libri quinti capitis secundi.fol.6.

Origo Soc. Iesu firmissimi contra Hæreses valli.

Argumentum libri quinti, capitis tertii.fol.15.

Quomodo Societati in Germaniam aditus sit patefactus; eaque deinde per totum terrarum orbem se diffuderit.

Argumentum libri quinti, capitis quarti.fol.20.

Quomodo Italia hæreseos evaserit contagionem.

Argumentum libri quinti, capitis quinti.fol.25.

Quomodo Carolus V. Imperii Ferdinando fratri, & suarum ditionum administrationem Philippo filio commiserit.

Argumentum libri quinti, capitis sexti.fol.28.

De Hispania & quibus modis ea ab hæresi fuerit præservata.

Argumentum libri quinti, capitis septimi.fol.33.

De iis quæ Imperator Ferdinandus post Caroli fratris discessum ad Catholicam stabiliendam Ecclesiam egit.

Argumentum libri quinti, capitis octavi.fol.37.

De variis ac diversis fidei confessionibus, Principum jussu cusis & per ipsorum ditiones divulgatis: deque altercationibus Theologorum.

Argumentum libri quinti, capitis noni.fol.40.

De frequenti & miserabili Religionis in Palatinatu ad Rhenum mutatione.

Argumentum libri quinti, capitis decimi.fol.45.

De diversis ac quamplurimis Hæreticorum synodis ac conventibus ac frustraneo eorundem exitu.

Argument. libri quinti, capitis decimi primi fol.54.

De concordia Religionum à Iacobo Andreæ Smidelino tentata: & quæ circa eam in diversis Germaniæ locis evenerint.

Argumentum libri quinti, capitis decimi secundi. fol.59.

De forma Religionis ac Cæremoniis quibus Lutherani in Germania passim utuntur.

Argumentum libri quinti, capitis decimi tertii. fol.68.

In hoc capite Auctor incipientem hæreseos

ruinam demonstrat. Deinde de statu Imperii in Germania aliqua dicit.

Argumentum libri quinti.capitis decimi quarti. fol.70.

De Archiepiscopi Colonienſis ſanctimonialem uxorem ducentis apoſtaſia & ruina.

INDEX ARGVMENTO. LIBRI VI.

Argumentum Libri Sexti Capitis Primi.fol.74.

SExto hoc Libro Schiſma Eccleſiæ Anglicanæ explicatur è divortio Henrici VIII. & Catharinæ Hiſpaniarum Regis filiæ Caroli V. Sororis natum: tum quæ ab eodem & Edvardo ejus filio & ſucceſſore crudeliter ac nefarie perpetrata. Additur deinde quomodo Catholica religio à Maria Regina Henrici VIII. & Catharinæ filia Philippo Hiſpaniarum Regi nupta velut poſtlimino reſtituta; poſt ejus vero obitum ab Eliſabetha ejuſdem Henrici VIII. & Annæ Bolenæ Filiæ rurſus exterminata & variis atque inauditis modis contra Catholicos ſævitum fuerit. Tandem exponuntur res in Scotia turbatæ, & miſerabilis mors Reginæ Mariæ in Anglia crudeliter occiſæ.

Argumentum libri ſexti,capitis primi.fol.78.

Ortus Schiſmatis Anglicani ex diſſolutione matrimonii inter Henricum Regem VIII. & Catharinam Hiſpanam.

Argumentum libri ſexti, capitis ſecunpi.fol.85.

Henricus VIII. Petit à Pontifice judices qui de divortio cognoſcant, qui dati mox revocantur Volſæus gratia regis excidit.

Argumentum libri ſexti, capitis tertii.fol.93.

Henricus Rex cum Anna Bolena matrimonium contrahit: ab Romanæ Eccleſiæ communione ſecedit: crudeliter multa perpetra excommunicatur. Regina Catharina diem ſuum obit.

Argumentum libri ſexti,capitis quarti.fol.104.

Henricus Rex Anna Bolena ob adulterium punita, Ioannam Seimeram, deinde Annam Clivenſem, hac rurſus repudiata, Catharinam Havardam ducit, hancque etiam poſt Cromvelum ſupplicio affici jubet.

Argumentum libri ſexti, capitis quinti. fol.112.

De morte Regis Henrici, & quamvis ſera ejus reſipiſcentia, ac teſtamento ejuſdem.

Argumentum libri ſexti,capitis ſexti.fol.118.

De Eduardi VI. Regno cujus Avunculus hæreſeos & Regni Protector Lutheraniſmum promulgat. De Cranmero primo Anglorum Apoſtolo: & quomodo Maria ſola inter Principes Catholicam Religionem profeſſa ſit.

Argumentum libri ſexti,capitis ſeptimi.fol.124.

Edvardus Seimerus Protector à Dudlæo circumventus ſupplicio afficitur: Eduardus Rexè vita decedit, condito teſtamento, quo Ioanna Regina declaratur: cui ex hoc faſtigio dejectæ, Maria ſuccedit.

Argumentum libri ſexti,capitis octavi.fol.130.

Maria Regnum init. Dudlæum una cum filio & Ioanna Regina capitis ſupplicio affici jubet, Catholicam religionem reſtituit. Matrimonium cum Philippo Hiſpaniarum Principe tractat, Thomas Crãmerus igni crematur.

Argumentum libri ſexti,capitis noni.fol.140.

Hæretici à Maria Angliæ Regno ejiciuntur. Philippus Hiſpaniarum Princeps in Angliam appellit, nuptiaſque cum Maria celebrat. Eccleſiæ reformandæ curam ſuſcipit. Angli ab excommunicatione abſolvuntur: totumq; regnum Pontifici obedientiam præſtat.

Argumentum libri ſexti, capitis decimi.fol.144.

Philippus ex Anglia diſcedit. Maria Regina moritur. Catholica religio proſcribitur. Eliſabetha Regina proclamatur: & pro capite Eccleſiæ ſe fert.

Argument;

Argument. libri sexti, capitis decimi primi. fol. 150.

Anglorum Religio ab aliis sectis in quibus differat. Elisabetha Religionem mutat, retentis tamen quibusdam ex Catholica Ecclesia &c.

Argum. libri sexti, capitis decimi secundi. fol. 155.

De illegitimis Hæreticorum ministrorum connubiis. De puritanis de Catholicorum quorundam Martyrio: & invincibili feminarum aliquot constantia.

Argument. libri sexti, capitis decimi tertii. fol. 162.

Mira quatuor puerorum constantia. Iesuitarum in Angliam ingressus P. Edmundi Campiani, & aliorum sacerdotum martyrium, cum miraculis aliquot.

Argument. libri sexti, capitis decimi quarti. fol. 165.

De Nobilium quorundam Martyriis atque exsiliis. De Ioannis Nicolai Apostasia: qui Roma Londinum reversus, Catholicam religionem oppugnavit, tandem vero Rothomagi comprehensus malitiam suam fassus est.

Argumentum libri sexti, capitis decimi quinti. fol. 168.

Martyria quorundam & circa ea miracula Cardinalis Castillioni mors. Oratoris Gallici in Anglia Privilegium.

Argumentum libri sexti, capitis decimi sexti. fol. 173.

De infortunato Mariæ Stuartæ viduæ post mortem Francisci II. Galliarum Regis matrimonio: deque ejus captivitate & Moraniæ comitis proditione.

Argument. libri sexti, capitis decimi septimi. fol. 181.

De Maria Scotiæ Regina, quæ in Angliam fugit, ibique ab Elisabetha in custodiam datur. Dux Norfolciæ Moravii artibus eversus, supplicio afficitur: tandem & ipse Moravius trucidatur.

Argumentum libri sexti, capitis decimi octavi. fol. 186.

De processu ab Anglis contra Mariam Scotiæ Reginam instituto variisque artibus quibus Angliæ legibus eam subjicere conati sunt, tum quomodo eadem ad caussam dicendam producta, ac tandem damnata sit.

Argumentum libri sexti, capitis decimi noni. fol. 195.

De sententiæ contra Mariam Reginam latæ exsequutione; Bellieurii legatione ac protestatione; incredibili Mariæ constantia, morte & sepultura.

Argumentum libri sexti, capitis vigesimi. fol. 204.

De Hiberniæ Regno, ac bellis in eo ob religionem gestis: deque statu Ecclesiæ & persequutionibus contra Catholicos excitatis.

INDEX ARGVMENTORVM LIBRI VII.

Agumentum Libri Septimi. fol. 211.

SEquenti Libro Septimo demonstratur, quomodo Lutherana hæresis in Gallia irrepserit, quibusque artibus à Lutheranis sit propagata; sed pietate Francisci I. Regis, ne pedem in regno figeret aut latius proserperet prohibita: Margarita interim Navarræ Regina Schismati favente: & quibus modis. Ioannis Calvini novæ Hæreseos auctoris thema genethliacum explicatur: quibus ille artibus prima sectæ suæ fundamenta jecerit, ac Genevam tandem profugerit: ubi multa à nemine antea scripta recensentur, ac simul caussæ quæ Galliæ populos ad novarum rerum studium impulerant.

Argumentum libri primi, capitis secundi. fol. 214.

Quomodo Lutheranismo primus in Galliam aditus sit patefactus.

Argumen-

Argumentum libri septimi, capitis secundi. fol. 217.
De Franciſco I. Galliarum rege, ejuſque in litteras & litteratos, quos undique ad ſe accerſivit, amore.
Argumentum libri septimi, capitis tertii. fol. 220.
Quomodo Margarita Franciſci I. Soror Navarræ Regina Lutheranis apud ſe receptum dederit.
Argumentum libri septimi, capitis quarti. fol. 223.
Quomodo Hæretici Franciſcum Regem ſeducere conati ſint; & quomodo Navarræ Regina Catholicæ Eccleſiæ fuerit reconciliata.
Argumentum libri septimi, capitis quinti. fol. 228.
Quomodo Franciſcus I. Rex Galliæ regnum à periculo & interitu vindicarit.
Argumentum libri septimi, capitis sexti. fol. 231.
Quomodo Diabolus tamquam Dei ſimia, ſuos quoque habeat Martyres.
Argumentum libri septimi, capitis septimi. fol. 237.
Quales & è quo hominum genere fuerint primi novi Evangelii in Galliis miniſtri.
Argumentum libri septimi, capitis octavi. fol. 242.
Ioannis Calvini natalis & judicium ex themate ejus genethliaco ſumptum.
Argumentum libri septimi, capitis noni. fol. 245.
Quomodo Calvinus ad Theologiæ ſtudium animum applicuerit & Lutetia Engoliſmam profugerit.
Argumentum libri septimi, capitis decimi. fol. 247.
Lutheri & Calvini comparatio.
Argumentum libri septimi, capitis decimi primi. fol. 251.
Quibus modis Calvinus doctrinam ſuam propagare cœperit: & quibus Apoſtolis (ſcilicet) ad hoc uſus ſit.
Argumentum libri septimi, capitis decimi secundi. fol. 255.
De imaginum uſu, ob quem multi Catholicam religionem repudiarunt.
Argumentum libri septimi, capitis decimi tertii. fol. 258.
De libertate vel licentia omnium hæreſeon feneſtra.
Argumentum libri septimi, capitis decimi quarti. fol. 261.
De miſſæ ſacrificio & hæreticorum in eo abolendo conatibus.
Argumentum libri septimi, capitis decimi quinti. fol. 263.
De prima Calviniſticæ Eccleſiæ forma, deque manducatione Calviniſtarum quæ poſtea Cœna dici cœpit.
Argumen. libri septimi, capitis decimi ſexti. fol. 267
Quibus artibus Religioſi utriuſque ſexus ad Calviniſticam Religionem vel libertatem potius fuerint pertracti.
Argumentum libri septimi, capitis decimi ſeptimi. fol. 271.
Quomodo Calvinus Genevam ſe contulerit, quæque ibidem fecerit ac geſſerit.
Argumentum libri septimi, capitis decimi octavi. fol. 276.
Quomodo Calvinus propria auctoritate Genevenſem Eccleſiam involarit & miniſtros inde huc illuc miſerit.
Argument. libri septimi, capitis decimi noni. fol. 280
De primis Calvinianæ Synagogæ miniſtris: & quomodo ii nomina ſua mutarint & magno numero Genevam accurrerint.
Argument. libri septimi, capitis vigeſimi. fol. 284.
Quomodo Geneva civilibus Gallorum bellis creverit.

INDEX ARGVMENTORVM LIBRI VIII

Argumentum Libri Octavi fol. 288.

IN hoc Libro tamquam in tabula, novæ à Calvino conſtitutæ Synagogæ forma depingitur: fundamenta doctrinæ, inſtitutio & officia

cia miniſtrorum Superintendentium, Diaconorum, Conſiſtoria, Conciones, Baptiſmum & Cœnam adminiſtrandi ratio, Pſalmorum cantillatio, ſepulturæ ritus, aliaque ad Calviniſticam religionem pertinentia explicantur: ſimul obiter controverſis aliquot articuli fidei explicantur ut hæreſeos error & impoſtura, Catholicæ vero Eccleſiæ veritas tanto facilius ab omnibus cognoſci queat.

Argumentum libri octavi, capitis primi. fol. 291.

Auctoris ſcopus in hoc libro; ejuſque excuſatio quod de controverſis quibuſdam religionis articulis diſputationes paſſim immiſceat.

Argumentum libri octavi, capitis ſecundi. fol. 292.

Scripturam ſolam id eſt novas hominum privatorum interpretationes omnium hæreſeon eſſe fundamentum.

Argumentum libri octavi, capitis tertii. fol. 301.

De Calvino qui omnes ceremonias abolevit: deque modis quibus primi Chriſtiani paganos ad Chriſtianiſmum adduxerunt.

Argumentum libri octavi, capitis quarti. fol. 306.

Hæreticos multas res ſanctas ac bonas ex ſuis Eccleſiis profligare, eo tantum quod eædem à Catholicis cum veneratione uſurpentur.

Argumentum libri octavi, capitis quinti. fol. 310.

Quomodo Calvinus Eccleſiam inſtituerit, capite deſtitutam: & tam nomina quam munera Epiſcoporum & Presbyterorum ex ea profligarit.

Argumentum libri octavi, capitis ſexti. fol. 313.

De miniſtris, eorum nominis origine, receptione, & officio.

Argumentum libri octavi, capitis ſeptimi. fol. 318.

De miniſtrorum, ſeniorum & Diaconorum officiis de ſynodis & colloquiis, eorumque omnium multiplici abuſu.

Argumentum libri octavi, capitis octavi. fol. 321.

De Calvinianæ Eccleſiæ conſiſtoriis.

Argumentum libri octavi, capitis noni. fol. 323.

De abuſibus & ſcandalis quæ circa conſiſtoria illa frequenter contingunt.

Argumentum libri octavi, capitis decimi fol. 327.

De templis, precibus, cantu, aliiſque ceremoniis Calviniſtarum.

Argumentum libri octavi, capitis decimi primi fol. 332.

De Baptiſmo Calviniſtarum.

Argumentum libri octavi, capitis decimi ſecundi. fol. 336.

De Cœna Calviniſtarum ejuſque multiplice abuſu.

Argumentum libri octavi, capitis decimi tertii. fol. 344.

De confuſione Matrimoniorum apud Calviniſtas.

Argumentum libri octavi, capitis decimi quarti. fol. 346.

De Pſalmorum cantu, quo Calviniſtæ multos initio ſeduxerunt.

Argumentum libri octavi, capitis decimi quinti. fol. 348.

De erroribus & falſitatibus à Maroto in Gallica Pſalmorum verſione commiſſis.

Argumentum libri octavi, capitis decimi ſexti. fol. 348.

De Clemente Maroto, qui primus Pſalmos Gallicis rhytmis illigavit deque ejus vita & morte.

Argumentum libri octavi, capitis decimi ſeptimi. fol. 350.

De Theodoro Beza Maroti imitatore, ac Pſalmodia à Calviniſtis introducta.

Argument. libri octavi, cap. decimi octavi. fol. 353.

De Calviniſtarum ſepultura.

INDEX
ARGUMENTORUM
PARTIS III. SIVE CONTINVATIO
DE ORTV ET PROGRESSV SCHISMATUM ac Hæresum hujus sæculi ex ipsorum Schismaticorum scriptis Collecta.

LIBER NONVS

ARGVMENTVM fol. 355.

IN hoc libro continuator explicat Schisma Calvinianum Ortum in Hollandia, inter Prædicantes & Doctores Reformatos quorum ex una parte fuit Iacobus Arminius Doctor Leydensis, ex altera vero parte Franciscus Gomarus ibidem Doctor, quorum Controversia principaliter quidem erat circa Prædestinationem Dei, consequenter tamen etiam circa alios articulos, à prædestinatione illa dependentes, aut cum ea connexionem habentes, nimirum 2. de Vniversitate Redemptionis Christi, an nimirum omnes homines redemerit, eisque meruerit, an aliquibus solum. 3. De Gratiæ divinæ auxiliis & concursu cum Homine. 4. De conversione vel Iustificatione Hominis. 5. De perseverantia Fidelium in Fide. De his enim prædicti Doctores & eorum adhærentes Sectarii contradictoria asseruerunt, scissi in *Remonstrantes* qui Arminium sequebantur, & *Contra-Remonstrantes* qui Gomarum secuti sunt. Quid hi senserint, & quomodo se invicem oppresserint doctrina & vi sæculari etiam, exponetur isto libro.

INDEX

III. *Inter Eccium & Carolstadium, Georgii Saxoniæ Ducis operâ, disputatio instituitur.*
IV. *Carolstadio Lutherus se adjungit, & disputandi provinciam in se recipit.*
V. *Incipit à S. Sedis auctoritate.*
VI. *Lutheri in hac disputatione inconstantia.*

Caput XI.

I. *Georgius Saxoniæ Dux jam dicta disputatione in Catholica Religione valde confirmatur.*
II. *Lutherus ad Papam scribit. Leonis in reprimenda hæresi conatus; & Pontificii Legati error.*
III. *Consuetudo & ceremoniæ Ecclesiasticæ excommunicationis.*
IV. *Lutherus excommunicatus, ad desperationem redigitur.*
V. *Lutherus Iuris Canonici libros publice concremat; & alia extremæ audaciæ consilia capit.*
VI. *Turpes Lutheri Prophetastri picturæ, scripta & verba.*

Caput XII.

I. *Lutherus religionem plenam Libertatis fabricari constituit.*
II. *Omnibus quæ quis vult credendi potestatem permittit.*
III. *Ex Lutheri sententia omnes homines sunt Sacerdotes.*
IV. *In religionis negocio etiam parva magni sunt momenti.*
VI. *Centuriatorum Magdeburgensium judicium.*

Caput XIII.

I. *Imperator ad compescendam Lutheri insaniam in Germaniam proficiscitur.*
II. *Ad eum Lutherus se confert.*
III. *Quid præsente Imperatore actum.*
IV. *Imperator Lutherum damnat.*
V. *Lutheranos diffidentia invadit.*
VI. *Lutheri cum Trevirensi Archiepiscopo colloquium.*

Caput XIV.

I. *Quod munus sit vel esse debeat Imperatoris.*
II. *Lutherus novæ hæreseos auctor.*
III. *Lutherus antiquarum hæreseon renovator.*
IV. *Variæ Imperatoris antequam sententiam contra Lutherum pronunciaret, consideraticones.*
V. *Imperatoris contra Lutherum Resolutio.*
VI. *Imperatoris de non legendis vel imprimendis Lutheri libris Edictum.*

Caput XV.

I. *Lutherus in Pathmo sua, ut ipse vocat, latet.*
II. *Novam cudere Religionem constituit.*
III. *Diaboli cum Luthero Colloquium.*
IV. *Lutherus Pathmo sua egressus, Carolstadium iritat.*
V. *Quomodo Lutherus Academias abolere, & bonarum litterarum studia extinguere conatus sit.*
VI. *Montani dictum de primo Lutheri ingressu.*
VII. *Lutherus Bibliis transferendis atque interpretandis operam dat.*
VIII. *Infinitæ ibi falsitates & depravationes per Lutherum commissæ.*

IX. Lutheri & Zuinglii in eodem instituto æmulatio.
X. Lutherus pro lubitu suo SS. scripturas tractat, aufert, addit.
XI. Ecclesiæ in dijudicandis S. scripturæ libris, qui Canonici sint, qui non, auctoritas.

Caput XVI.

I. EX quibus velut cæmento & lapidibus Lutherus novam suam Ecclesiam ædificarit.
II. Hæresis Lutherana monstrosa.
III. Ex omnibus præteritorum temporum hæresibus consarcinata.
IV. Lutherus Græcæ Ecclesiæ multa suffuratus.
V. Conciliorum auctoritatem reprobat & spernit.
VI. Notabile Erasmi Roterodami dictum sive de Lutheranis judicium.



LIBRI

INDEX CAPITVM
Libri Primi.

I. Ecclesia hostium suorum victrix, altissima fruitur pace.

II. Ecclesiæ Antistites, in utramque aurem dormientes, novo eoque improviso bello opprimuntur.

III. Diaboli tempori & occasionibus insidiantis, sagacitas & industria.

IV. Sleidani, quem Lutherani veluti pro altero T. Livio habent, in schismate hoc ejusque causis describendis vanitas.

V. Scopus operis hujus universi.

VI. Auctoris excusatio.

Caput II.

I. Sub principium sæculi XVI. variis Religionum mutationibus totus terrarum orbis perturbatur.

II. Ipsum quoque Cœlum multa futurorum malorum præsagia & indicia edit.

III. Imperiorum & rerumpublicarum ruinæ.

IV. Religionis mutationes.

V. Varia Prodigia in aëre sive cœlo conspecta, instantis Schismatis indicia.

VI. Potentia quæ Astris tribuitur, in laudem Dei cedit.

Caput III.

I. Vulgi voces & mala omina prædicti sæculi initio passim audita.

II. Deus quibus modis nonnunquam nos de imminentibus malis & calamitatibus commonefaciat.

III. Religionis mutationes à quibusdam prædictæ.

IV. Frater quidam Franciscanus de futuro Religionis Schismate ante Lutheri adventum concionatur.

V. Mira ejusdem historia.

VI. Cacodæmones idololatris populis abominandorum cultuum abolitionem prædicunt.

Caput IV.

I. Religionis in Perside commutatio, sub initium sæculi XVI.

II. Sectariorum qui ante Lutherum in arenam prodierunt, imago sive descriptio.

III. In Africa eodem tempore Religio mutatur.

IV. Itemque in Indiis.

V. Ac tandem etiam in orbe Christiano.

VI. Pauli Iovii de turbis non minus miserabili-

bus quam mirabilibus, ob Religionem passim excitatis, dictum sive judicium.

Caput V.

I. Martini Lutheri, qui primus tam pernicioſi Schismatis auctor fuit, prima incunabula & nativitas.
II. Schema ejus genethliacum.
III. Mars & Iupiter in Luthero insolentiam & contumaciam demonstrant.
IV. Diversa de hominum quorundam Nativitatibus judicia.
V. Lutherus monasticam vitam amplectitur.
VI. Dotes ejus & vitia.

Caput VI.

I. Leo X. Papa Crucem contra Selimum Turcarum tyrannum jubet prædicari.
II. Principum Christianorum erga Papam obedientia.
III. Crucis prædicatio terror Othomanicæ familiæ.
IV. Pecunia ex Crucis prædicatione collecta, Christianæ Reipublicæ defensioni applicanda.
V. AEmulatio inter monachos Augustinianos & Dominicanos, prima hujus mali radix.
VI. Ei schismati Dux Saxoniæ favet.

Caput VII.

I. Diaboli, primi mendaciorum architecti & parentis, in asilienda & turbanda Christi Ecclesia consuetudo & versutia.
II. Quomodo idem animas hominum à divina abstrahat devotione.
III. Solus Dei amor omnem ad diversandum nobis datum locum jucundum reddit.
IV. E Monachorum claustris & jam olim, & nostro etiam tempore complures hæretici prodierunt.
V. Insidiæ & machinationes quibus diabolus in supplantandis animabus utitur.
VI. Lutherus à vita Monastica desilit.

Caput VIII.

I. Controversia sive contentio inter Augustinianos & Dominicanos de Indulgentiis orta.
II. Staupicius Luthero concionandi dat negocium.
III. Lutherus in oppugnandis Indulgentiis mirifice desudat.
IV. Ad Episcopos de suo concionandi instituto & materia scribit.
V. Indulgentiarum insignes abusus, à Fr. quodam Thoma enarrantur ac deplorantur.
VI. Iusta Dei adversus ejusmodi abusus judicia.

Caput IX.

I. Quid Leo X. Pontifex in his turbarum initiis fecerit.
II. Dominicani Lutherum undique oppugnant, qui non minus acriter sese defendere conatur.
III. Non in hoc tantum, sed aliis etiam articulis Lutherus erroris accusatur, & aliarum rerum insimulatur.
IV. Lutherus Romam citatus, coram Pontificis in Germania Legato se sistit.
V. Recantat simul & perjurium committit.
VI. Obsequio & conniventiâ perditur.

Caput X.

I. Quæ nova, hominibus grata: & quomodo Lutherus mundum deceperit atque inescarit.
II. Lutherus, nomen suum ubique celebrari animadvertens, cristas multo altius tollit, & incredibili arrogantiâ inflatur.

III. Inter

INDEX CAPITVM

LIBRI NONI. fol. 357.

CAP. I. De Duplici sententia Calvinistarum circa prædestinationem & primo quidem eorum, qui Antelapsarii dicti sunt, quod ante lapsum Adæ prævisam Prædestinationem à Deo factam assererent.

I. *Quid statuant Antelapsarii de prædestinatione.*

II. *Citantur Antelapsarii Authores & eorum verba, ut de eorum sensu non dubitetur.*

CAP. II. Proponitur sententia eorum Calvinistarum, qui Sublapsarii dicti sunt, quod Dei prædestinationem absolutam post lapsum Adæ prævisum assererent.

I. *Quid Sublapsarii statuant de æterna Dei prædestinatione.*

II. *Quomodo quidam Calvinistæ sese implicent, dum volunt mediam sectam constituere, irrito tamen conatu.*

CAP. III. Instructiones ipsorummet Calvinianorum pro ante dictis duabus sententiis intelligendis & refutandis.

I. *Quomodo vocem* Efficaciter *usurpent.*

II. *Quomodo permissionem definiant Calviniani.*

III. *Frivola eorum distinctio inter Necessitatem Infallibilitatis & Coactionis.*

IV. *Quomodo intelligant hominem mutabilem conditum esse.*

V. *Ineptas alias eorundem distinctiones esse, inter Electionem & Salvationem; & inter Reprobationem & Damnationem.*

VI. *Quod sub Reproborum nomine etiam Fidelium Filios comprehendant Calviniani Contra Remonstrantes, seu Gomaristæ.*

VII. *Syllabus Authorum qui è Calvinianis damnatam à Romonstrantibus tenent sententiam, & cur eam Syllabum ediderint.*

CAP. IV. De Calvinianis aliis contra prædictas sententias pugnantibus, sive de Remonstrantibus aut Arminianis.

I. *Sententia Remonstrantium decem Thesibus exposita.*

II. *Declaratio harum Thesium facta per ipsos Remonstrantes Anno 1619. 14. Ian.*

III. *Quomodo conveniunt Calvinistæ in voce Electionis intelligenda.*

IV. *Quomodo iidem discrepent inter se.*

V. *Explicatur finaliter sententia Remonstrantium quoad prædestinationem in quatuor punctis consistens, nempe causis, objecto, conditionibus, discrimine electionis ad gratiam & gloriam.*

VI. *Remonstrantes occurrunt quibusdam dubiis, vel objectionibus, de Fide, de Christo.*

VII. *Ordinem decretorum divinorum in Electione secundum suam sententiam proponunt.*

VIII. *Aliæ eorundem Controversiæ.*

CAP. V. Quænam Catholici omnes in his Calvinianorum sententiis desiderent.
I *In sententia contra Remonstrantium.*
II. *In sententia Remonstrantium, seu Armenianorum.*
CAP. VI. De Confessione Belgica, & quæ circa eam evenerunt.
I. *Origo ejus & robur.*
II. *Summarie proponuntur eius dogmata.*
III. *Errores multiplices in ea admissi.*
IV. *Quod hos errores ipsi Calviniani agnoverint & oppugnarint.*
V. *Dei cura & providentia circa Ecclesiam Catholicam quo ad hanc litem.*
CAP. VII. De Catechismo Reformatarum Ecclesiarum seu Heidelbergensi, & quæ circa eum acciderunt.
I. *Author Catechismi Palatini seu Heidelbergensis.*
II. *Eiusdem Synopsis.*
III. *Eiusdem absurda quinque in 1. quæst. & Responsione deprehensa.*
IV. *Similia plura ex aliis quæst. & Responsionibus excerpta.*
V. *Idem à Catholico festivè explosus.*
CAP. VIII. Schismatis inter Calvinianos Remonstrantes & contra Remonstrantes orti, initium & decursus, An. 1567. Anno 1620.
I. *Initia Schismatis Calviniani inter Remonstrantes & contra-Remonstrantes.*
II. *Progressus eiusdem ab Anno 1605. ad 1609.*
III. *Acta ab Anno 1609. ad Annum 1618. quo indictum est Consilium Calvinianum vel Synodus Dordrechtana pro sopiendo schismate.*
IV. *Dordracena synodi Acta.*
V. *Secuta post synodum Dordracenam.*

FLORIMVNDI RAEMVNDI

Consiliarii olim Regis Galliæ

MEMORABILIS HISTORIA

De Ortu & Progressu ac ruinis Hæreseon Sæculi XVI.

LIBER PRIMVS

Tractans de Ortu Hæresis in Imperio, & in quo statu erat Christiana Fides Anno 1500. nostræ salutis.

ARGUMENTUM.

Cum in pace esset Ecclesia, multis præsagijs tempestas religionis prænuntiatur, & demum à Luthero infelix tragædia inchoatur, qui tanquam stella de cælo lapsa secum in miserabilem ruinam, traxit suo tumore, quasi tertiam partem Stellarum, adiuuantibus eum dæmone vitijs & fauore hominum, ex dissimulatione & eloquenti dicacitate eius acquisito.

PRÆFATIO OPERIS

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.

I. *Ecclesia hostium suorum victrix, altissima fruitur pace.*
II. *Ecclesiæ multi Antistites in vtramq; aurem dormientes, nouo eoque improuiso bello opprimuntur.*
III. *Diaboli tempori & occasionibus insidiantis sagacitas & industria.*
IV. *Sleidani, quem Lutherani veluti pro altero T. Liuio habent, in schismate hoc eiusq; caussis describendis vanitas, & contra eum meliores Authores producti.*
V. *Scopus operis huius vniuersi.*
VI. *Auctoris excusatio.*

I. ALlabente sæculo post Christum Salvatorem natum decimo-sexto, Ecclesiæ post tam multa prœlia, victorias & triumphos, nulli iam, quã latè patet eius gremium, qui cristas contra ipsam tollere auderent, hostes nisi extranei, Turcæ scilicet, Iudæi, & Gentiles supererant: omnia collum ultrò iugo eius submittebant, omnia potentiam eius agnoscebant, & imperium reverebantur. Jam duces ejus velut confecto bello victricia arma ad tholos suspenderant, jam ex hostiũ spoliis trophæa pulcherrima in sacris illis Palatiis erecta passim cernebantur; milites verò victores complicatis crucis in formam atque in sinum compositis manibus, sub umbra ejus turò requiescebant, exspectantes dum illi

velut fugitiui aut ad signa Ecclesiæ rediret, aut pessimo letho interirent. Inter ea dum hi Canticis suis & hymnis cœlum feriunt, Deo pro tot victorijs gratias agentes; illi terram matrem suam mordent, in eam mox descensuri, cernere erat velut cumulos, è torr hæresibus & hæreticis profligatis structos, nimirum Hærensium, Valdensium, Petrobusianorum, Arnoldistarum, Albigensium, Vicleuistarum, Picardorum, Hussitarum, & aliorum qui proximis retro quadringentis annis arma Ecclesiæ inferre ausi fuerant. Verum post dulcissimam tam longi temporis pacem & quietem, ecce tibi nouum ac domesticum bellum, quo post nefariam Arrij perfidiam, nullum vmquam asperius aut crudelius Ecclesia sensit. Hoc nimirum illud est quo omnes superiorum temporum controuersiæ toties iam dijudicatæ, & infinitis propemodum tractationibus finitæ, è sepulcro rursum erutæ & renouatæ, in quibus ipsis tamen sæpe diuinæ benignitatis & misericordiæ radij etiam clarissimè interfuxerunt. Vt enim Deus facilem manum dat, & ad se trahit eos qui verâ pœnitentiâ ducti, sese humiliant, & errores suos agnoscunt ac retractant; ita eorum qui pertinaciter ipsius se insignibus & Ecclesiæ opponunt, capiti grauissima mala, velut extento ad ictum brachio, minatur. Hinc est quod Propheta dicit, inferos ad Dei vocem contremiscere, & diabolos ad sonitum vocis eius fremere.

II. Quemadmodum longa malacia propinquam tempestatem nauigantibus plerumque minatur; ita diuturna hæc pax Ecclesiæ nouarum turbarum fuit index, quæ non multo post exortæ sunt. Dum enim Catholicorum ducum & militum nonnulli longa prosperitate quasi ebrij genio indulgent, & immensarum diuitiarum delicijs immersi, sub septentrionali frigore, in vtramque aurem dormiunt; vetus ille hostis diabolus è latebris suis tanquam ex equo Troiano immanem gigantum & terræ filiorum numerum eduxit; qui cœlo bellum inferre ausi, muros Ecclesiæ quasi apertos, & plurimis locis male custoditos, inuadunt domos expugnatas diripiunt, ac velut obscura in nocte, incendio ac cædibus in oppressos vndique grassantur; adeo vt vix ad flammæ lucem Leopardi pellem ex Antenoris ædibus suspensam potuerint agnoscere? & parum abfuerit, quin Raab quoque meretricis ædes (quamuis rubro fune, vt in direptione Hierichuntis, manus ab ea abstinerentur, insignitas) expugnarint. O infelicem felicitatem! O prosperitatem insidiosam, quæ miseris mortalibus dulci felle inescatis, tam amarum poculum misces? Tu sanè non minus, quam charissimi nobis Affectus, oculos nostros excæcas, animosque ita excantas, ut etiam ipsum felicitatis datorem agnoscere nequeamus. Non sic aduersa fortuna, oculos illas nobis aperit, & animum ab omnibus vitiosis humoribus & imaginationibus purgat, ut homo tantò melius se ipsum cognoscere possit: quam cognitionem prò dolor! non tarò felicitas infelix obscurat, aut etiam planè aufert.

Casus siniſtros, dixeris rectè quidem
Homini moleſtos, ſed timendos proſperos.

Et hæc illa est, ut optimè Seneca inquit, quæ à se & super se causas ruinæ suæ attraxit.

III. Adhæc suomet ductu Malignus ille Spiritus à Deo maledictus, & æterno supplicio destinatus, Ecclesiæ sine vlla intermissione insidians, terribilem hunc & penè lethalem ictum etiam ei infligere voluit, vt damna olim accepta quodammodo ulciscereturs & per Hæreses non minus quam per Idola quondam Ecclesiam oppugnaret, vt Tertullianus in simili casu dixerit. Quare tempus hoc valdè sibi opportunum existimavit, quo non quidem pristinam puritatem & innocentiam Ecclesia amisisset, & relicto verbo Dei, sibi ipsi relicta tamquam res suas sibi habere jussa esset, vt aduersarij ajunt. nequaquam: hoc enim esset, Dei, perpetuam Spiritus S. assistentiam Ecclesiæ polliciti promissa certa & infallibilia evacuare, de quibus quicunque dubitat, potest idem de eo dubitare, an Deus qui vniuersa condidit, satis virium ad explenda promissa habeat, sed quum animadverteret multos Ecclesiæ Antistites profundo ocio & deliciis, quibus jam diuturna pax, & per eam congestæ divitiæ, materiam suppeditabant, sepultos; de conatibus suis benè sperare cœpit, non aliter quam carnivoræ aves præpinguia animantia, quæ semianima jacere vidēt, ad escam sibi obliquis oculis designant; iis vero quæ per pascua vegetæ exsultant ac currūt, appropinquare non audent. Et quemadmodum olim Attali Pergami regis, congestæ Romam, opes, Urbi illi invecto luxu, plus nocuerut quam profuerunt: ita Ecclesia non parva è divitiis, vel earum abusu potius, incommmoda excepit, quippe quum aurea in ea vasa, sed lignei essent sacerdotes; pro eo quod olim ligea vasa, sed aurei sacerdotes fuissent, eo tempore damna accepit, cum antegresso tempore hostis eam, utpote vegetam, & hostes etiam vltro prouocantem, minimè aggrediendam sibi putârit: Nouerat enim quamdiu prisca illa disciplina

ciplina in ea perdurauerit, facile ei fore omnes astus eludere, omnemq; vim elidere; at ea remissa, facilem sibi aditum futurum. Inde est quod ad primum impetum, antequam murum grauissimus aries percusserat, nonnullos quibus Ecclesiæ ex parte, custodia commissa erat, subito terrore perculsos vidimus in aduersam partem, traditis clauibus, vltro transfugisse; alios incerta spe se aliquamdiu defendentes, sacrorum quibus custodiendis appositi erant, locorum ruina oppressos fuisse. Et quidem qui inopinato opprimuntur, à victis parũ absunt; at qui vigilant, non facile hosti præda fiunt. De illis Ezechiel Propheta loquitur, inquiens; O Infelices! non in arenam vos descendistis, non murum ad defendendam domum Israel opposuistis, tam molles in aduersis, quam ebrij & feroces in secundis rebus. At profecto hactenus & sortem & vsuram tam immoderatarum nimiumque expetitarum voluptatum exsoluistis, vtpote in quas præcipuus huius furoris impetus sese effudit. Nempe quum Deus punire mundum constituit, *à sua domo incipere solet*, vt Apostolus inquit. *Ego*, inquit alibi, *Dominus, respicio ad Pastores, & oues meas de manibus illorum requiram, faciam eos cessare à pascendo & pastores non amplius seipsos pascent, sed oues meas ex ore ipsorum liberabo.* Eo inter miserias deprehensi, quid ergo facies miser ista videns sentiensq; Ecclesiastice? Fatere & agnosce, virgas illas quibus humeri tui lacerantur, à diuina manu esse. Si conqueri vis de nemine alio conquerere nisi de teipso: neque aliam caussam tuis miserijs assigna, quam iustam Dei, non tuis tantum, sed totius quoque populi, cuius animarum cura tibi commissa est, peccatis offensi indignationem. Hic ille est malleus qui portas cœli percussit; hæc fomenta quibus diuinæ iræ accensus ignis, tanta violentia in ipsam quoq; Dei domum grassatus est & adhuc grassatur.

IV. Porro nemini hac nostra ætate (quam recte Noctem Mundi appellare possis) viuenti, ea incognita sunt, quæ ex hac rebellione sunt consequuta, nimirum Deo omnipotenti suam gloriam, Ecclesiæ decus suum & honorem, & tandem omnibus Monarchis & Principibus imperium extorquere atq; eripere. Malum quidẽ hoc omnes sentiunt; at mali caussam pleriq; non æque cognitam habent, idcirco vt eam, quæ malis nostris, queis etiamnum obruimur, initium dedit exactè cognoscamus, ab eius explicatione huic meo operi initiũ facio. Neq; enim harum rerum historia adeo perualgata est, vt nemo sit, qui eam nesciat, quin imo sunt, qui eam ad captum suum & lubitum accommodent, vt scilicet, tãquam pij filij, patris sui, hæreseos vino, vel veneno potius ebrij, pudenda velent, & originis suæ turpitudinem ac spurcitiem occultent. Velamen hoc seu pallium contexuit Sleidanus ad cuius conscientiam & libros plerumque recurritur posthabitis ijs quę eadẽ de re Henricus VIII. Rex Angliæ, Georgius Dux Saxoniæ, Henricus Dux Brunsuicensis, Thomas Morus, Erasmus, Eccius, Lindanus, Hosius, Cochlæus, Gropperus, Fontanus, Roncerus, Surius, & alij tam boni viri quã fide digni Auctores scripta nobis reliquerunt. maximeq; illa, quæ Casparus Velenbergius, ex ipsiusmet schismatũ Authoris scriptis & dictis collecta, fidelissimè tractauit postquã ex Lutheranis castris ad Catholicos recurrit. Ex his vti etiã ex Cardillo, & Historia Latomi & Gasparis Gennepij Coloniæ edita Sleidani refutatione perspicuum fit, quid de Sleidano sit Christiano homini censendum, nimirum tam pulchris tamq; astute quæsitis coloribus Hæresim ab eo pictam ac fucatam, vt ipsa immaculata Iesu Christi sponsa simplicioribus videri possit? Tantus hic in lupo ouilla pelle regendo est artifex, tam multis Historiam suam inserit mendacijs, vt eorum ab vno homine vndecim millia notata sint. Hinc factum est, vt quemadmodum Cyprianus Tertulliani scripta lecturus, *Cedo mihi Magistrum meum*, aiebat, ita Carolus V. inclytæ memoriæ Imperator teste Surio in Chr. & Opmero Sleidani Historiã inspecturus, *Pseusten* suum siue *Mendacem* porrigi sibi iubebat, in quem merito illud Homeri detorquetur. Mos garrire tibi multa est.

Eamq; ob caussam ipse Sleidanus, vt Cromerus testatur, *Lutheri* potius *ac Lutheranæ religionis Encomiastes*, quã Historicus à viris cordatis harũq; terũ peritis appellatus fuit. Olim pictor quidã vt capitis deformitatem in Pericle celaret, cassidem illud tectũ pinxit. Et alius Antigoni altero oculo capti formã delineaturus, dimidiam tantum faciei partem repræsentauit, eodem planè modo Sleidanus ea, quæ iustam in Luthero reprehensionem merentur, miro quodam artificio occultãs, alium nescio quem, nobis depingit ac proponit, & quidquid potest in laudem eius venatur; non tamen ita, quin multa eiusdem vitia, fastus in primis & arrogantiam, feritatem, oscitantiam, polypragmosynem, & imprimis carnales & immoderati animi affectus omni-

bus passim locis prodat & ostendat. Interim nihilominus Lutheranorum hic alter, si dijs placet, Titus Livius, omnium fere manibus teritur, & in varias linguas transfusus, nescio qua dulcedine legentium animos allicit ac detinet. Ut enim aurum artificiosa cœlatorum manu ac pictum gemmis quantumuis per se lucidis maius decus addit: sic mira quædam non inconcinne contexta varietas Sleidani scripta ita commendat, vt legentis animum non modo non expleat, verum etiam magno reliqua cognoscendi desiderio accendat. Quoniam vero scriptor hic non sine multorum pernicie, dum Statum Religionis & Reipublicæ exponit, nocentissimum Hæreseos virus legentibus propinat: operæ precium facturum me putavi, si Antidotum hoc contra pararem, & pro absynthio & felle hæreticorum, sincerum mel Christianæ & Veritatis degustandum omnibus proponerem.

V. Quandoquidem verò plerique omnes qui Christianæ Reipublicæ quietem sive spiritualibus sive temporalibus armis perturbarunt, causas & defensionem suæ rebellionis non vulgari tantùm, sed Latina quoque lingua, ut quæ omnibus ubique nationibus communis sit, evulgarunt: nobis quoque faciendum putavimus, quo nempe à pluribus, atque adeo ab omnibus apud quos Latinæ linguæ usus viget (apud quos vero non viget?) cognosci possent. Nimirum *sic Ars deluditur arte* Fine interim longè diverso, ut scilicet scripta nostra legentes Catholici, antiquitate, magnitudine & veritate Religionis suæ perspecta, gaudeant sibique gratulentur; Lutherani verò, Zuingliani & Calvinistæ novitatem, vilitatem, angustias & imposturas suorum dogmatum agnoscere incipiant & detestari. Equidem futurum non dubito quin hic Catholici continuam Pastorum suorum, ab Apostolis tamquam hereditario jure, tot jam sæculis acceptam successionem, meridiana luce clarius videntes, magna lætitia incessuri sint: hæretici contra præ pudore, ut qui sæculo suo antiquius allegare, nec tertiam generationem majorum, ipsi etiam tam jure quam facto ab Ecclesia tamquam ingrati filii, atque adeo hostes, exhæredati, ætatem producere possint, demissis manibus & tecto vultu diffugituri. Et hoc quidem modo illi in antiqua fide sua confirmabuntur, hos vero, spero & opto, tandem novorum dogmatum sive opinionum pigebit ac pudebit.

VI. Ad vos jam, ô Lutherani, Calvinistæ & Zuingliani, mea se convertit oratio: Adeste: arrigite, si vultis, aures ad ea quæ dicturus sum, convertite oculos ad tot Ecclesiarum sacrarumque ædium in pulvere iacentium ruinas, aspicite tot regna & regiones cladibus ac stragibus funestas: ecquid aliud, miseri, videbitis nisi tristia patrum ac majorum vestrorum imo & vestri furoris signa ac vestigia? Habebitis hic vitæ ipsorum quasi compendium, & tanquam vivam schismatis hujus Lutheró Calvinistici imaginem. Grande profecto opus, aggressum me sentio, cujus pondus vel sola cogitatione me quasi attonitum reddit. In quo quidem conscribendo non tam temporis quã ipsarum rerum & subjecti rationem habebo, nullibi bella aut dissidia Principum merè civilia aut ad Reipublicæ solius statum pertinentia intermisturus, ut plerique alii hactenus fecerunt, nè lectoris animus aliis rebus occupatus, ab eo de quo agitur avocetur, aut intricatus passim obhærescat. Hanc certè historiam toti quotidiè Mundo antè oculos ponendam censeo, ut quisque intelligat in quo statu Christiana religio decimo sexto salutis nostræ reparatæ sæculo fuerit, eo nimirum tempore quo Hæresis ex inferno progressa, cœlo denuo bellum inferre, & terrã suo subjugare imperio conata est: in quam multiplicẽ formam, velut Proteus aliquis, sese eadem converterit & qui primi schismatis hujus fuerint auctores: quæque & quam multa non minùs admiranda quam deploranda grassante passim hæresiarcharũ furore, consequuta sint: verbo, quis ortus vel monstrosus potiùs ab ortus, qui progressus Hæresios fuerit, ut denique quis ejusdem exitus futurus sit, non dubiis argumentis lector colligere possit. Verè enim D. Hieronymus, dixit *Hæresin refutat, qui quis originem eius demonstrat*: ego verò velut in theatro quodam sub diversis Scenis in diversos Actus distinctis lamentabilem Tragœdiam producturus sum. Primam personam seu protasin aget Germania: quam velut pedissequæ aliæ ad Septentrionem regiones quæ Hæresi & erroribus decipiendas se præbuerunt, sequentur. Epitasin Anglia & Scotia, sive magna Britannia ut à reliquo orbe, ita ab Ecclesia quoque jam divisa, ac tandem Francia Tragœdiæ huius Catastrophen constituet. In hoc theatrum spectanda venient Hæresis, passis capillis, oculis igne ardentibus, anguibus ex ore erumpentibus terribilis, à Sathana tamquam Hercule furioso conducta atque incitata, qui cœlo iratus ac terræ exitio imminens, magnam post se manum pertinacium Hæresiarcharum ac hæreticorum trahit. Et hi

qui-

quidem partes præcipuas hic agent in varias vultus sese transformantes personam modo simulantes modo occultantes, subinde morientes, subinde velut Hydræ capita renascentes. Apparebit hic tum singulare artificium & ordo quo in tanta rerum omnium confusione ad destruendam domum Dei vsi illi; tum industria & modi quibus Catholici iam grassanti malo obuiam ire conati sunt. Et quemadmodum ex vna parte elucebit iustitia eius, qui semper bene facit quodcunque etiam facit, quando alij malefaciunt, ac præcipuè dum eiusmodi turbas ac rebelliones in regno suo excitari permittit, vt tanto maiori ac certiori pace ac quiete postea fruatur: ita ab altera quoque parte misericordia eiusdem & promissorum veritas apertissimè sese ostendent, vt qui mediis in turbis ac hostium furore Ecclesiam suam, quam agitari, non submergi voluit, tam clementer defendit; ac tam potenter omnibus periculis liberavit. Interim illud quoque Lector animadvertet, paucissimos esse qui Catholicæ Fidei veritati aures occludant, è contra gentes natione antea barbaras, locis infinitas, numero innumerabiles obvijs ulnis eandem accipere atque amplecti. Vrbem aliquam aut civitatem hic à Catholica religione abdicatam vides, alibi integram provinciam eidem de novo adjunctam videbis, provincia aliqua à Catholica Fide abscedit? at integrum alibi Regnum eidem accedit. O miram Dei providentiam! Vix Septemtrionali frigore rigere cœpit Religio, quum ecce Austrino calore eadem liquefacta, ad ultimos etiam terratum fines diffundi & propagari cœpit, uti ex Annuis Soc. JESU literis, & Indiarum Historijs constat.

QUOMODO MOTUS OB RELIgionis dissidia exorti, variis cœlorum præsagiis & ostentis fuerint præsignificati.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

I. *Sub principium sæculi XVI. variis Religionum mutationibus totus terrarum orbis perturbatur.*
II. *Ipsum quoque Cœlum multa futurorum malorum præsagia & indicia edit.*
III. *Imperiorum & rerumpublicarum ruina.*
IV. *Religionis mutationes.*
V. *Varia Prodigia in aëre siue cœlo conspecta, instantis Schismatis indicia.*
VI. *Potentia qua Astris tribuitur, in laudem DEI cedit.*

I. PRofunda vt dixi pace, summaque Religionis concordia vniuersus Christianus Orbis fruebatur, in Maiorum fide vnusquisque acquiescebat, nec vlla inter eiusdem religionis socios nisi forte de finibus imperij proferendis erat contentio: quum ecce sub initium decimi sexti sæculi (quod præcipuam nostræ huic historiæ materiam præbebit) omnes Mundi partes schismate & Hæresibus distractæ, infinitis calamitatibus & miserijs inundari cœperunt. In Asia, Africa, Europa, & nouo Mundo turbis & confusionibus pullulantibus: dum alij impiæ Mahumetis commenta & mẽdacia expolire, alij Euangelicæ Veritatis intellectum nouum quærere student. Itaque videre erat eo tempore Musulmannos cum Turcis; Iezelbas; cum Cazelbis; Seriphios cum Africanis; Christianos denique cum Christianis digladiationes inchoando infestis animis ac tanto furore depugnare, vt ne vltimæ quidem sanguinis guttæ parceretur: dum illi veterem & à maioribus acceptam Religionem summo studio tuentur, hi nouam introducere ac stabilire conantur, vt IV libri huius Capite fusius à nobis dicetur. Ita vno eodemque tempore Quatuor Mundi partes Religionum cõtrouersiæ perturbarunt, atque omnia ita miscuerunt, vt ruptis fœderum vinculis populi antea inter se amicissimi, capitalibus odijs dissidere cœperint, & in mutuam perniciem armari. Ex quo apparet quam vere à Gregorio Nazianzeno in I. de Pace Oratione dictum sit, vti ad firmandam ac tuendam hominum concordiam nihil efficacius sit, quam Religionis consensus, ita nihil esse quo eorundem animi magis distrahantur atque alienentur quam eiusdem diuersitatem.

II. Sane ipsum cœlum quasi iratum tam his quam illis varijs signis ac prodigijs demonstrauit, propediem fore vt suis ipsi manibus alter ab altero debitas pœnas exposcerent. Quemadmodum enim fulmen primum in nubibus scintillas & fulgur quoddam longe lateque explicat, vt aër ipse ardere videatur, mox horribili cum murmure ipsa terræ fundamenta concutit, antequam rupes & cœlo minãtia cacumina diffindat ac dissipet: aut quemadmodum antequam terra ad emittendos visceribus suis inclusos spiritus, & quæ dorso portat de-

glutienda dehiscat, solet mugitus quidam audiri, & tremor sentiri, multaq; alia instantis mali signa præcedere, vt quod aues circumuolitantes clamoribus & frequenti alarum concussu accolas ad fugam hortantur, atque ipsi etiam serpentes & venenata animantia è cauernis suis prorepentia, ad tutiora loca se recipiunt: ita Deus Optimus Maximus, qui ex paruarum rerum casu, magnarum nobis ruinam ostendit, cuique omnia etiam antequam eueniunt, sunt præsentia, non statim iræ suæ gladium in eos à quibus offensus est, distringit ac vibrat, sed varijs prodigijs nisi à peccatis desistant, scelerum pœnas hominibus denunciat, quarum initium est, vt Eusebius Lib. 9. de Demonst. Euang. ait, conceptus inde pauor & consternatio. Stellæ & astra tanquam Feciales sunt aut tubicines magni illius Imperatoris, ad commonefaciendos homines missi, quanta rerum mutatio in cœli præparetur.

Natura quandoq; Deus: perfringere leges
Non dubitat, terra hæc quæu est adstricta poluſque:
Naturam vt contra si qua forte ire videmus,
Accipiamus, vt instantis prænunciat cladis.

Ab eodem immortali Deo cœlestia lumina nobis proposita sunt tamquam tabulæ aut Aduersaria, vt in ijs sancta ipsius decreta legeremus, & tum horribiles diuinæ auræ effectus, tum suauissimos clementiæ & benignitatis fructus ob oculos positos semper haberemus. Nec profecto cuiquam dubium esse debet, quin magnum hoc & tot astris insignitum corpus vires suas inferioribus hisce continuo imprimat, sic vt omnia etiam inanima ad Dei omnipotentis nutum componere se & accommodare inducantur. Omnes Mundi huius partes felici illo matrimonio, quod Deus ab initio, velut Parauymphus, sanxit, inter se coniunctæ sunt, & mirabili quodam ordine velut concatenatæ: sic vt actiones & passiones reciproce communicent, & sempiterno quodam fœdere perstent.

III. Per mutos hos interpretes, qui non nisi per signa quædam loquuntur, quique præcipua diuinæ potentiæ instrumenta sunt, Deus sæpe Rerum publicarum ortus, mutationes ac ruinas, prœlia clades, Regum ac Principum obitus significat ac prænunciat: vti in magna illa persequutione accidit, qua Antiochus Israeliticum populum grauissime afflixit. (*a*) Quæ signa & prodigia Ægyptus non vidit (*b*) tum quum eundem suum populum Deus inde educere vellet? Hæc in sacris exstant historijs: quorum similia non pauca apud alios leguntur, quæ scilicet Xerxis illam, plusquam decies centena hominum millia ad excidium Græciæ secum trahentis expeditionem (*c*) quæ, Romanæ magnitudinis æmulæ, Carthaginis euersionem (*d*) quæ bellum Ciuile inter Cæsarem & Pompeium (*e*) quæ necem eiusdem Cæsaris præcesserunt. (*f*). Et vt ad nostra veniam, quis nescit tum quum Brunehildis, & Fredegundis scelleratissimæ fœminæ, in regno hoc omnia permiscuerunt; (*g*) vt & tum quum Ludouicus & Fridericus ciuilibus armis de Imperio contenderunt (*h*) multis prodigijs publicas has calamitates fuisse præsignificatas? Sed & morbos febresque continuas & funesta illa bella quibus Franciæ regnum sub Philippo Valesio misere vexatum fuit; nec non multorum Regum ac Principum mortes crebra ostenta præcessisse historiæ testantur. Infinita alia exempla omitto, quæ exstant apud eos qui temporum & rerum gestarum memoriam litteris prodiderunt.

IV. Verum enimuero illud longe est admirabilius, quod per eadem astra Religionis mutationes sæpenumero Deus ostendit; &, siue ad puniendos malos, siue ad bonos exercendos ac probandos, Sathanæ in homines grassandi licentiam permisit. Sic idem admirabilem religionis & sacrorum mutationem, quæ Christo D. & Seruatore nostro nato accidit, per magnam illam Iouis & Saturni coniunctionem, quæ Natiuitatem ipsius præcessit; ipsam vero Natiuitatem per nouam & inusitatam stellam præsignificauit: vt & Paganismi abolitionem per Virginis imaginem in cœlesti iride, vt quidam scripserunt, ab Augusto conspectam: (*i*) itemque miserabile Hierosolymitanæ vrbis excidium, per varia prodigia & portenta. (*k*) Sic Hermes & Ascalius, vt Albumazar testatur (*l*) è signo Virginis semper virginem illam Dei filij matrem nutricem quodammodo agnouerunt quam modo dictus Arabs tamquam penicillo depingit, nec tamen tanto tempore exspectatum Messiam agnoscere potuit. Sic Iudaicæ religionis abolitio a minaci & prodigioso Cometa fuit prænunciata, vbi illi quam Deus omni terrarum nationi

a 2. *Machab.* 5. b. *Sap.* 17. *Exod.* 7. 8. 9. c. *Herodotus. lib.* 7. *cap.* 37. d. *D. Liu. Florus.* e. *Cæsaris Com.* f. *Seruius in Virgil.* g. *Annales Franciæ.* h. *Bzouij Annales.* 1. *Baron. Tom.* 1. *Annal* k. *Iosephus l.* 1. *de bello. l. lib.* 10. *Introduct.*

tioni diripiendam dare constituerat, tamdiu infestis suis radijs quasi incumbente (*a*). Sic Christianæ religionis incrementum victoriosum Crucis signum, (*b*) quod Constantino Imperatori apparuit, sic frequentes & celeberrimæ Christianorum sub Theodosio victoriæ à stella insolita gladij formam præferente fuerunt significatæ. Sic exsecrabilem Arij, in Trinitatem ac diuinam essentiam contumelios, hæresin multa cœlorum prodigia præcesserũt: & pessimi impostoris Mahumetis aduentum magna Planetarum in scorpionis signo facta coniunctio: quo tempore Arabes excitata contra Imperatores rebellione, in Elnabi sui, tot gentium postea facti domini, Lege modis omnibus stabilienda, tanta contentione elaborarunt. Sic Carolo magno Imperatore inusitatæ magnitudinis eclipses multarum nationum ad Christianam religionem conuersionem prænunciarunt (*c*) vt & præclaras Ecclesiæ contra Henricum V. Imperatorem victorias (*d*) Sic paulo ante insignem illam Christianorum ad Echinadas de Turcis Anno M.D.LXXI. partam victoriam, Crucis insignia super Constantinopolitana vrbe apparuisse dicuntur (*e*) Sic Anno M.D LV. medio die lucentes flammæ super sancto illo sacello, in quo Saluator noster verbum caro fieri voluit, è Syria in Marcam Anconitanam transportato, è cœlo delapsæ & conspectæ, ad celebrandam & amplificandam Deiparæ Virginis gloriam è toto terrarum orbe homines excitarunt & conuocarunt (*f*) Sic ignea illa pyramis seu columna, in aere super Mexicana vrbe diu suspensa (*g*) Euangelij in nouo Mundo propagationem: & Crucis signum Anno M.D.X. in Orientali India conspectum (*h*) & à Prorege Albuquercio & Lusitanis magna veneratione adoratum eiusdem salutaris signi in medio Sathanæ regno exaltationem, & tot præclarissimas eorundem victorias præsignificauit: quod idem signum Anno M.D LX. quoque apparuisse scribitur (*i*) Sic crudeles illas teneræ adhuc & adolescentis in Laponibus Ecclesiæ persecutiones, inauditi antea & horrendi terræ motus, tamquam conflictus quidam infernalis potentiæ (*k*) præcesserunt. Si plus quam sexcenta idola euersa, & prælta illa apud Laponenses diabolica statua fulmine percussa, certam nobis spem faciunt, idololatriam istis in regionibus funditus excisum, veramque Christianam ac Catholicam religionem longe lateque propagatum iri: vt multa alia circa religionem præsaga prodigia & prodigiosa præsagia, ac tam ostenta quam euenta præteream, in cœlo nota quæ in vniuersa Mundi nascentis, adolescentis & senescentis historia curiosus lector facile deprehendet & obseruabit.

V. Porro quemadmodum prima Mundi nascentis incunabula quæque circa illa acciderunt, à stellis & astris præsignificata fuerunt (vt præteritorum sæculorum percurrenti memoriam facile apparebit) sic etiam eiusdem quasi decrepitas & finis, quando scilicet homo ille peccati solenni & perpetuo sacrificio abolito, nouam religionem introducturus, Antichristianismum stabilieturus, seque ipsum tanquam Deum, vt Apostolus loquitur, adorandum exhibiturus est, multis signis ac prodigijs famosus erit. Tunc quidem monstri illius detestabilis, ad humani generis exitium nati, aduentus specioso noctis velo tegetur atque inuoluetur. Omnes planetæ, omnia elementa, vt ipsa S. Scriptura testatur, extremam illam rerum in toto Christiano orbe mutationem, tamquam diuini iudicij interpretes annuntiabunt: adeoque ipsæ *cœlorum virtutes commouebuntur*, summaque infimis miscebuntur, ac susque deque omnia ferentur. (*l*) Vnicus ille Mundi oculus, Dei imago, ac fecundus terræ parens, tam de splendore quam viribus suis multum amittet, ac lumen suum Lunæ maligne communicabit: & quemadmodum stellæ D.N. Iesu Christi natiuitatem indicarunt, ita eædem Antichristi aduentum & prodigiosam Christianæ legis mutationem prænunciabunt. *Faciam*, inquit Creator, *vt omnes cœlorum stellæ, ô homo, super te plorent ac lamententur* Siste hic superbæ, siste curiositatem tuam, nec quidquam vlterius inuestiga; sed illud potius considera, schisma hoc quo fœdeiam dilaceratam adeoque ab hæreticis viam Antichristo præparantibus, ad extrema fere redactam Ecclesiam cernimus, ab ipso vniuersi huius opifice per easdẽ cœli, toties turbato rerũ ordine fractas ac mutatas virtutes, esse prædictum. Considera cœlum ineunte decimo sexto sæculo, nequaquam fuisse mutum, sed veluti clara voce & quasi intento digito magni illius Aduersarij præcursores indicasse. Sol, luna & reliqua luminaria quæ Deus in vasto cœlorum fornice, mira inter se ordine disposuit,

a. *Iosephus 7. Belli 12* b *Euseb. in Vita Constantini.* c *Annales Francorum.* d. *Natal Com. lib. 21.* e *Idem.* f *Historia Lauretana. l. 3. c. 24.* g *Acosta.* h *Maffeius l. 5. Hist. Ind.* i *Gaspar in Epist* k *Historia Martyr. Iapon.* l. *Luc. 21. S. Hieron, Hom. 31. in cap. 4. Isaiæ.*

posuit quasi tubæ fuerunt & indicia earum miseriarum & calamitatum quas plena ipse manu in nos effudit; & insperatorum motuum nuncij, ob antiquæ & à maioribus acceptæ religionis innouationem toto passim orbe exortorum. Et quemadmodum Dionysium Areopagitam horribili illa, quæ Christo D.N. in cruce moriente accidit, ac totum hoc hemisphærium per tres horas tenebris inuoluit, conspecta eclipsi, exclamasse fertur; *Aut Deus Natura patitur aut vniuersa hæc machina dissoluetur*: sic Astrologi tot tristibus Planetarum aspectibus, tam varijs atque inusitatis eorundem coniunctionibus, tot superiorum concursibus, tot inferiorum inter se, aut cum superioribus, vel etiam cum stellis fixis coniunctionibus, tot denique cœlestis illius exercitus signis ac velut tesseris excitis atque attoniti, (a) magnum aliquod & inusitatum malum præ foribus esse facile ipsi præuiderunt, & vna voce omnibus annunciarunt. Et certè, si verum fateri volumus, nullum à condito Mundo sæculum tot ac tantis mutationibus fuit exagitatũ quam hoc decimum sextum, cuius cursum aperire mox incipiemus. Mirabiles tum contigêre Planetarum dispositiones ac habitudines, frequentes conspectæ sunt & inusitatæ magnitudinis eclipses, multi item terribiles Cometæ apparuerunt, qui non sunt, vt quidam opinantur, exhalationes quædam calidæ & siccæ, in supremam aëris regionem eleuatæ, & à sole excoctæ; sed noua potius corpora à Deo creata, & ad hominum terrorem in cœlo collocata & accensa. Conspecti quoque sunt tres soles, tres Lunæ, & noua quædam neque vnquam antea visa stella. Quid de coniunctionibus dicemus? quarum viginti vno mense, & quidem ex ijs sexdecim in signo Aqueo contigerunt (b) quod magnam non regnorum solum & ciuilis status, verum etiam Religionis mutationem portendit. præsertim Planetis omnibus cum sole in bicorporeo signo concurrentibus. Sic enim videmus quatuor anni tempora seu partes bicorporeo aliquo signo definiri, Geminis scilicet, Virgine, Sagittario & Piscibus. Sic etiam Planetarum combustio, quæ fit quando illi sub radijs solaribus concurrunt ea quæ circa religionem euentura sint designat, ac præcipue quando vis armorum admiscetur, quod ille tum in Martis triplicitate reperiatur. Omnes, inquam Astrologi in Asia, Africa & Europa, iudicia & sententias suas in suspenso ac dubio habuerunt, ob tantam euentorum diuersitatem & mirabiles Astrorum positiones diuersis opinionum fluctibus agitati: quæ singula in Historiæ nostræ serie ad annum quæque suum indicabimus. Sed nihil magis admiratione dignum visum est quam magna illa Saturni, Iouis & Martis in Piscium signo coniunctio: quæ itidem primorum nostrorum parentum temporibus acciderat, tum quum apertis cœlorum cataractis, diluuio omnia perierunt, exceptis qui cum Noa in Arca seruati erant. Dici non potest quanto metu astrologi quorundam mentes pertertuerint, adeo vt quidam aquarum eluuionibus terram inundatum iri constanter affirmarent. Verum non aquarum illud: sed sanguinis fuit diluuium, qui in omnibus terræ partibus ob nouas in Religione concertationes, à malè feriatis hominibus, qui quasi toti antiquitati & consentienti tot sæculorum iudicio bellum indixerant, & stolidi vulgi conscientias vexandas sibi sumpserant, inuectas, copiose fuit effusus. Perspicuè hoc sanguinis diluuium portendit crux puniceo coloris Vinariæ in Saxonia Festo Natalis Domini visa in cœlo hoc ipso anno quo Lutherus primas theses edidit contra Indulgentias (c). Quantopere, Deus bone, abditarum illi rerum inuestigatores in explicandis his cœlestium corporum prædictionibus desudarunt, quam misere sese torserunt, (d) dum quid tantas cœlorum minas sequuturum sit, aperire nobis conantur! Quamvis enim cœlestium corporum vires & effectus ob incomprehensibilem diuersitatem humano ingenio vix ac ne vix quidem peruestigari possint, ac nostri oculi in rimandis diuinæ maiestatis secretis ac futuris rebus dijudicandis plusquam cæcutiant; nec credendum sit omnia & singularum publicarum quam priuatarum rerum euenta & velut fata stellis tamquam diuinæ legis tabulis inscripta, atque inde actiones nostras & consilia dirigenda esse; multo minus Deum ipsum (quæ stulta fuit Chaldæorum & Stoicorum opinio) Naturæ & Fati legibus, vt Iouem fabulæ ferunt Adrastiæ decretis teneri: nihilominus tamen, vt cæteræ artes longo usu & experientia constitutæ sunt; ita diligenti quoque cœlestium corporum & Planetarum, ejusque quam singuli habent vigoris ac potestatis observatione, & cum iis quæ euenerunt

a *Iulius Obseq. histor.* b *Stoflerus in sphæram & c Conr. Lycost. de prodig. Lauatherus de Cometis. Maiolus in diebus Canicul. Tract. de Comet. & prodig. Ortuuin Gratius.* c *Lycosthenes* d *Ioannes Lichtenbergius in sua præfag. Ioachimus Abbas Calaber.*

runt collatione deprehensum est stellas divina provisione vim quandam & Jurisdictionem in hominem & habere & exercere.

Credite mortales: quæ cœlo affixa videtis
Plurima divinum lumina numen habent.

Et profecto negatinon potest, cœlestium corporum non tantum in hæc quæ videmus elementa & in omne animantium genus, sed etiam in ipsos homines vim magnam, minime obscuram esse. Eadem ut claritate & splendore inter se differunt; ita diversas quoque operationes & effectus habent. *Insigna vobis erunt*, inquit Verbum ista cieans. Eoque *Si quando rerum mutari fortè videmus*

Ordinem, & omnia misceri sursum atq; deorsum,

Certo atq; infallibili signo colligimus, Deum hominum peccatis offensum irasci. Nec sanè umquam quidquam præter aut contra Naturæ ordinem factum legimus, quin magnum aliquid & insolitum sit consequutum. Nunquam ulla vel vis superiorũ in inferiora vel Solis aut Lunæ eclipsis contigit, quæ nõ insignis alicujus mutationis aut calamitatis fuerit prænuncia: nunquam Comera conspectus est cuius cauda non longam miseriarum seriem secum traxerit: nunquam Saturnus & Mars, præsertim in vigore uterque constitutus, ceteris Planetis languentibus, congressi sunt, quin generalis quædã calamitas in illos populos qui horum Planetarũ virtuti subjecti sunt, incubuerit. Longũ sit atq; adeo alienum hoc loco tum Planetarum inter se concursus, oppositiones, conspirationem & consensum, tum, quam in quoque signo seu domicilio vim habeant ac potestatem, aliaque hujus generis, longo usu observata explicare.

VI. Tantum vero abest ut virium, quas corpora cœlestia in hæc inferiora habent, indagatio quidquam de divinæ Majestatis magnitudine detrahat, ut eidem multum gloriæ addat. Præterquam enim quod illa testãtur Deum res hominum providentia sua regere & gubernare (quod impii quidã negare non dubitant) ejusdem etiam omnipotentia tanto magis apparet, cœlestes has faces tamquã decretorum ter Optimi Maximi nuncios non sine reverentia quadam adspicientibus, quibus ille etiã in maximis rebus utitur, ut in imperiorum mutationibus gentiumque eversionibus. Nec vero ille jam quoque magnis atque horrendis signis ac prodigiis omnium rerum tandem futurum exitium ac finem ostendit, sed in dies quoque præcipua rerum humanarum eventa tamquam in speculo intuenda atque animo præcipienda nobis proponit. Jniuriã Deo profecto faciunt qui existimant tantum stellarum & astrorum numerum à Deo creatum, ac tam mirabili ordine in cœlestibus orbibus summa constantia in se redeuntibus ad ornatum tantum esse dispositum.

Fornice quisquis in hoc lucenteis aspicis igneis,
Et terra atq; maris longè superantia molem
Corpora, ne vanas jaculari credite flammas.

Mihi quidem illi rectè ac dignè divina opera considerare videntur, qui futurarum rerum & cœlestium decretorum præsagia & quasi vaticinia ex iis quæ quotidiè fieri videntur, quodammodo cognoscunt. (a) Neque vero cœlo aut stellis innocentibus, quæ in voluntatem nostram nihil potestatis habent, primam causam efficientem aut fatalem quandam & irrefragabilem necessitatem, qualem Stoici & Astrologi quidam commenti sunt, qualemque in illis D. Augustinus, (b) in his Picus Mirandula, (prædictionibus eorum qui tricesimo tertio ætatis anno eum certo moriturum prodiderant, offensus) exagitavit. Absit à nobis hæc impietas, ut præpotentem omnium rerum Deum duræ illi Necessitatis Catenæ adstringamus. Jmpia hæc deliria Democrito, Empedocli, Heraclito & aliis tam Philosophis quam Poëtis paganis relinquamus, qui omnia Fato quodam inevitabili, (c) id est, ordine quodam naturali, ceu indissolubili rerum inter se colligatarum nexu, teneri prodiderunt. Hinc apud Homerum Deos videmus iratos & lamentantes quod Fatum rumpere aut transgredi nequeant. Sed qui in vera pietatis ac sapientiæ schola edocti sunt, ab hac Stoicorum & fatalium hominum ignava & stulta disciplina longissimè absunt ac Deum non modò omni necessitate liberum fatentur, verum etiam Rerumpublicarum ortus atque interitus, ut & Religionis mutationes nequaquam à secundarum causarum dispositione irapendere credunt, quin à prima illa mutari possint: quamvis nonnulli existiment in magno hujus Universi libro rerum humanarum historiam atque eventa etiam antequam concepta, nata atque producta fuerint, descripta esse. Nos dicimus, astrorum minas averti, atque ictum vitari posse, secundum illud; *Sapiens dominabitur astris.*

Sic videmus Deum sæpè conceptam ibi superius in nos sententiam, hic inferius mutare, quando scilicet vera pœnitentia & lachrymis peccata nostra deflemus ac delemus. Hoc illud est quo fato-

a S. Basilius. S. Chrysost. b Lib. 4. cap. 11. De Civit. c Cic. De Fato.

rum ordo rumpitur, quo Dei iudicia mutãtur, sententiæ reuocantur, & reis destinata supplicia declinantur. Audi quid per Ezechielem Propheram Deus loquatur. *Si*, inquit, *populum hunc peccatorum suorum pœnituerit, me quoque pœnã quam infligere eis constitui, pœnitebit.* Tanta scilicet est Dei infirmitati nostræ sese accommodantis benignitas. Idem misericors Deus, iam pronunciata in miserum hominem sententia, gratiam suam de nouo iterum obsignat, & vitam ei qui mortis erat mancipium largitur. Abraham Aben Esra magni nominis inter Judaicæ disciplinæ Rabinos Doctor, de Israelitici populi seruitute loquens, affirmare non dubitat, (etsi satis quoad partem stolidè) Deum postquam ex astrorum influentia tamquam rerum futurarum Indice & Protocollo, vt vocant, populum adhuc diu in captiuitate futurum vidisset, commiseratione & charitate motum, signorum adspectus & constellationes diuina sua virtute commutasse, exsilijque tempus abbreuiasse. Quare æternam illam Sapientiam, & primam, infinitam & incomprehensibilem rerum omnium caussam agnoscamus, quæ secundarum caussarum ordinem & consequutionem regit & moderatur, tollit, firmat, mutat, quando & quomodo ipsi visum fuerit: interim vero futura in præsentis temporis speculo velut adintuendum, vel certè coniectura elicendum, nobis proponit.

QUOMODO DEUS IMMINENTES Mundo calamitates varijs modis annunciet & prædicat.

CAPVT III.

ARGUMENTUM.

I. *Vulgi voces & malaomina initio seculi prædicti passim audiuntur.*

II. *Deus quibus modis nonnunquam nos de imminentibus malis & calamitatibus commoneſaciat.*

III. *Religionis mutationes à quibusdam prædictæ.*

IV. *Frater quidam Franciscanus de futuro Religionis schismate ante Lutheri adventum concionatur.*

V. *Mira eiusdem historia.*

VI. *Cacodæmones idololatriæ populis abominandorum cultuum abolitionem prædicunt.*

I. ADhuc recensita hactenus multaque alia futurorum malorum præsagia, quibus vniuersus quasi Mundus vehementer fuit attonitus, accessit quoque communis vox hominum, in qua sæpe mirabiles prædictiones apparent. Et quemadmodum aruspices olim ex auium volatu, garritu & eiusmodi, auguria sumebant, quorum tamen ipsi ignorabant rationem: ita in hominibus occulta quædam vis tam boni quam mali imminentis quodammodo præsentiendi esse videtur. *Vox populi* (inquit non minus verum quam antiquum proverbium) *vox Dei*, id est, ipsa est Veritas. Quotiescunque vna & eadem de re omnes etiam locis & linguis discrepantes populi idem conformiter loquuntur & sentiunt, non illud iam pro hominum testimonio, in quorum animis vt plurimum altissimi sunt recessus, in verbis magna inconstantia, in judicio non minus varia, quam in vultu diuersitas; sed pro diuino oraculo seu clarissima Dei voce habendum est, occultâ quadam vi, veras rerum imagines (vt Democritus ait) in aere imprimentis; & insensibili seu transpiratione seu inspiratione hominum animis insinuantis. Hinc est quod communis vulgi vox & vniuersalis consensus, quem συμφωνίαν Græci appellant, de rebus futuris multo certius quam de præsentibus pronunciat, quum in his sæpe (vt Æschines contra Timarchum inquit) in alijs raro multitudo fallatur. Quid quod communis hæc hominum vox tanto verior plerumque deprehenditur, quanto incertior eius est auctor: quasi ex altiori quodam ac diuiniori fonte manantis. Et sicut aliquando Panicus terror, nulla apparente caussa, subito timore exercitum ita percellit, vt sanguine quasi congelato, & corde ad pedes delapso, ipsi etiam, vt cum Pindaro loquamur:

Dijs geniti fugiant, terroribus externati; ita etiam rumor aliquis sæpe sine certo auctore ortus, inconstantis multitudinis ora constanter peruagatur, ac tandem verus esse deprehenditur. Populo Romano ludis Circensibus & spectaculis intento, repente rumor percrebuit teste Plutarcho, Perseum regem à P. Æmilio victũ, & Macedoniã in prouinciæ formam redactam: cuius quidem rumoris auctor, vt idem testatur, numquam rescisci potuit; fama hæc nihilominus velut momento quodam, ita se diffudit, vt omnes incredibili lætitia exsultantes læto carmine victoriam nondum cognitam celebrarint (a). Quemadmodum vero læta sæpe animo, antequam euenerint, præcipimus; sic animus noster quandoque infortunium etiam, quum longe adhuc abest, nescio quo instinctu sentit, & timidus ictum, quem in se paratum videt, exspectat, quamuis nulla metus caussa appareat: id quod nostro

a. *Pausan. in Phoc.*

ſtro magno malo, durante hoc ſchiſmate, & ex eo conflato ciuili bello, nō ſemel ipſi experti ſumus.*a*

II. Poſtquam Deus vrbem illam tantopere ſibi amatam exſcindere conſtituit primum miſerabili illi populo (omnium gentium deprædationi & odijs poſtea expoſito) extremam miſeriam & exitium per ipſorum conſcientiam denunciauit, quæ præter continuos morſus & tormenta, inſtantis exitij vaticinium ex ipſorum ore expreſſit, quum miſeros ſe & propediem perdendos eſſe clamitarent. Soler enim Deus fatorum noſtrorum curſum, libertimæ ſuæ voluntati alligatum, diuerſis rationibus nobis oſtendere. Longo tempore priuſquam Chriſtiani ad Indias penetraſſent, & Euangelij lucem opulentis illis & vaſtiſſimis, ſed incognitis antea terris intuliſſent, omnium fere ſermonibus apud populos illos iactatum ferunt, venturam aliquando gentem barbaram, quæ nouum Deum nouamque religionem ſit annunciatura. Similiter in Europa antequam ſchiſmatis illa ſcintilla in Saxonia gliſcere cœpiſſet, dici vix poteſt quanto in metu totus fere Chriſtianus verſatus ſit orbis. Nondum conſpecta flamma, iam pleriſque incendium; & tranquillo adhuc mari, naufragium ante oculos obuerſabatur. Cis vtraque Rhenum habitantes populi Chriſtianæ Reipublicæ magna mala, & atrocem Eccleſiæ afflictionem impendere ominabantur. Eſt hæc diuinæ iuſtitiæ pars quædam, quod ex æquo doctis atque indoctis ſeſe manifeſtat. Neque enim ſatis illud Deo viſum eſt, decreta ſua velut ad tabulas cœleſtium ſignorum affixa publicare, vt quæ hac ratione non niſi profunda aſtrorum ſcientia inſtructis, & ſummæ mentis agilitate ac contemplatione cœleſtia ſecreta rimantibus patent; indoctis vero, qui ea quæ ſupra ſe, nihil ad ſe pertinere exiſtimant, quique tamquam terræ filij, oculos continuo in terram defixos habent, vel potius ipſi tamquam animantia ad perpetuas tenebras condemnata, intra terræ viſcera ſine oculis degunt, abſtruſa ſunt & incognita: eoque non tantum in ijs quæ ſunt extra homines, verum etiam in ipſis hominibus & per ipſos homines judicia ſua manifeſtat, vt ignorantiam nemo prætendere, aut contra Deum pœnaſque ab ipſo inflictas murmurare poſſit. Nihil omnino accidit, quod non populari hac & communi voce multo ante fuerit denunciatum. Deus (inquit Ioſephus) hominum ſpectat vtilitates, deque ijs, quæ ſcire ad ipſorum ſalutem intereſt, in tempore ipſos certiores facit: at mala ſuo ipſi ſibi iumento, vt eſt in prouerbio, accerſunt, dicente Propheta.(*b*) *Perditio tua ex te eſt ô Iſrael & Poeta quispiam. Multos imminens terret ceruicibus enſis: Nec quiſquam vitare tamen ſtudet improbus ictum.*

III. Nec vero communis tantum populi vox tempeſtatem hanc, qua S. Petri nauicula breui agitanda erat, prædixit; verum etiam ſingulares quædam perſonæ, diuino incitante ſpiritu, quaſi Iliadem quandam noſtrorum malorum nobis contexuerunt. In Germania virgo Hildegardis, diuini interpres Numinis vaſtitatem illam & deſolationem quæ ſuperiori & noſtra ætate Chriſtianam religionem tantopere afflixit, quaſi digito præmonſtrauit(*c*) dicens: *Ah miſera Eccleſia! quid ages quo te vertes: Mille hæreſes in te orientur, quibus reſiſtere vix poteris. A Edes tuæ ſacræ, atque adeo ipſa etiam ſacra profanabuntur; Principes contra te inſurgent, populi contra te arma capient omniaque in ruinam tuam conſpirabunt. Quum primi illi homines luxui & voluptatibus ſeſe dediſſent(d) Deus aquarum eluuionibus vniuerſam terram ſubmerſit: at quia vltimi ſæculi homines incredulitate & quouis opinionum vento abripi ſe patientur, Deus Eccleſiam ab eis auferet.* Omnia eius ſcripta eiuſmodi minis plena ſunt, nec fere aliud quam pœnas, vindictam, ſtragem & vt vno verbo dicam, Catholicæ Eccleſiæ ruinam repræſentant: *quæ tandem recollectis viribus*, (inquit eadem virgo) *eos quos diabolus adipſam perſequendam vinculis exſoluit, catena rurſus conſtringet.* Poſt hanc Hieronymus Sauonarola Dominicanæ familiæ monachus, cōſimilibus vocibus Chriſtianum orbem implere non deſtitit(*e*) eadem prædicens, & vniuerſum Eccleſiaſticum ordinem metu & ſtupore defigens. Sic apud Mauros quoque in Granatæ regno Alfaquis quidam Moſquearum (*e*) ſeu fanorum Mahumetanorum ruinam, & Euangelij propagationem prædixit. (*f*) Et apud Perſas Techellis è ſpelunca ſua progreſſus tam imperij quam religionis ſciſſuram Muſulmanis vaticinatus eſt. (*g*) Ante vltimam Romanæ vrbis direptionem, in qua Carolus Burbonius occiſus fuit homo quidam ignotus, indutus cilicio, diſcurrens paſſim ciuibus inſtantē ruinam & perniciem prædixit, vt ſuo loco latius à nobis explicabitur.(*h*) Sic in Anglia virgo quædam

a *Sand. li.* 1. b *Oſee c.* 13 9. c *lib. Reuelation.* d *Gen* 7. 2. *Pet.* 2. 5. e *vide Bzouij Annales A.* 1494. *num.* 37. *& Anno* 1496 *& ſeqq.* f *Vide P. Cominæum in hiſtor. Gall. Bzouium in Annal. Anno* 1492 g *extat liber prædict. eius Techellis.* h *Franck in Chron. part.* 2. *etat.* 6 *fol* 692. *& libellus de direptione vrbis Romæ ſub Carolo V.*

Elisabetha nomine, insignis, quæ paullo post sequuta est, mutationis, dicam, an euersionis? vates fuit non vana: quum ea nostra ætas viderit (vt Sanderus ait (a) quæ vmquam futura tum nemo ne per somnium quidem poterat cogitare. Thomas Morus vir omni virtutum genere præstantissimus, nõ solum imminentem tempestatem (vt idem Sanderus inquit) in spiritu præuidit, verum etiam plera que omnia vti postea acciderunt, prædixit. Paullo ante Lutheri aduentũ in Gallia Franciscanus quidam vicatim circumijt, populum docens, ac de diuina ira pœnisque acerbissimis, quæ ipsorum capiti iam paratæ essent, commonefaciens. De quo homine dicere aliquid operæ precium mihi videtur, quod scripta eius nulla exstent, quamuis ipse vera malorum [illegible] rorum fatidica Cassandra fuerit.

IV. [illegible] hic, nomine Frater Thomas, à vitæ ver[illegible]morumque sanctitate, *le sainct homme*, id est, vir sanctus vulgo appellatus fuit. Per mundum discurrens, iram Dei annunciabat, & ad pœnitentiam omnes cohortabatur. Is quam primum in oppido aliquo pedem posuerat, statim lusus omnes, luxum & voluptates velut publico inde proscriptas edicto vidisses. Omnia meram pietatem & deuotionem spirabant. E proximis atq; remotis etiã locis populus cateruatim accurrebat, vt tã sanctũ hominem videret, ac audiret eius sermones, qui tanta auditorum frequentia celebrabantur, vt ijs habendis loca publica aperire necesse esset, quod etiam amplissima templa tantam hominum multitudinem non caperent. Vltimum ille sermonem Burdigalæ in magna illa area Conuentus, qui magnæ Obseruantiæ dicitur, habuit, quo Aquitaniæ non sine lachrymis, his inter alia verbis valedixit: O pulchra & plena deliciarum prouincia Mundi pa adisus! Heu quantis lachrymis exuberabis! Videbis ignes passim per campos tuos crudeliter grassantes & superbas has ædes, auitæ pietatis, & deuotionis testes, Ecclesiæ hostium, qui in te nascentur, iniurijs & prædæ expositas. Videbis diuinæ iustitiæ exequutores & carnifices qui flagellorum ictibus negociatores de templis eijcient. Lupi inouile irrumpent, & tam pastores quam oues dilacerabũt. O Burdigala! Tu è mœnibus tuis subiectorum templorum incendadspicies, quin etiam ea, quæ muris tuis inclusa sunt, hostium Ecclesiæ furorem & rabiem vix effugient. Et hoc quidem modo populi impietatem & Præsidum hypocrisim Deus iuste puniet. Sed quẽadmodũ sancta illa corpora quæ apud Tolosam requiescũt, eius vrbis opitectores & si ita dicere licet, Dij tutelares sunt: sic ô Burdigalenses, S. Martialis vester protector erit. Hæc quidem tum à plerisque velut inania terriculamenta audita & accepta sunt. Quis enim credere potuisset quæ à maioribus tanto labore & sũptu exædificata fuerunt, tanta posterorum rabie & furore destructum iri? Memini bonas quasdam & ætate decrepitas feminas, quũ Anno M D LXX. Romegontius tẽplo Lormontano, spectatissimus è muro Burdigalæ ciuibus, ignem subiecisset, in hæc verba erumpẽtes me audiuisse: Ecce tibi, sancti illius viri Fratris Thomæ adimpletum vaticinium. Viuunt etiamnum vtriusque sexus homines, qui ex ijs quæ à patribus suis audiuerunt vere testari possunt, sanctũ hunc hominem verũ fuisse Prophetam, vt qui ea quæ quinquaginta annis post acciderunt, iam tum non minus ac si iam euenissent, præuiderit ac prædixerit. Neque vero mala propterea eueniunt, quod prædicta sint; sed propterea prædicuntur, quod euentura sint, nisi eorum causla præcidatur: quemadmodum Ezechiæ regis & Niniuitarum exempla in SS. literis nos docent. Scripta huius hominis (quorũ copiã mihi bona fortuna fecit) admirabilẽ quandam libertatem & parrhesiam præ se ferũt, qua is in corruptos omnium ordinũ ac præsertim Ecclesiasticarũ personarum mores, vnico diuinæ iræ fomites, passim inuehitur, apertè inquiens, in ouili plures hœdos esse, quam agnos. O *indigni Prælati & Pastores!* (exclamat ille in libello quodam, cui titulus est, CONDITIONES VERI PRAELATI) *vobis satis est ventrem cibo & potu, arcam auro & argento implere, cor cubinã habere in lecto, multũ pinguem in stabulo: & hæc omnia ex Crucifixi sumptibus pro quibus vix quidquam aliud sanctis, quam* DOMINVS VOBSCVM *decantatis: tum scilicet probe munere perfuncti. Interim parum illud curatis, oues vestræ damnentur, an saluentur.* Et hic quidem Religiosus ijsdem fere quibus Lutherus hac in re vocibus vsus est, vt suo loco, in causla scilicet seu subiecto Schismatis explicando, commodius ostendetur. Illud vero interest, quod hic ministrorum tantum & Prælatorum Ecclesiæ vitia perstrinxit? doctrinã illæsam reliquit: at Lutherus apostata ipsam doctrinam, ab Apostolorum vsque temporibus huc vsque integram conseruatam, exagitandam, atque adeo si fieri posset, eradicandam vnà cum professoribus eius sibi sumpsit. Antequam vero ad alia progrediar, facere nõ possum, quin notabilia quædam hominis antedicti facta posteritatis memoriæ prodam & commendem: idque tanto magis: quod à Beza idẽ scurriliter irrideatur,

a *De schism. Angl. fol. 104. 105.* V. Hic

V. Hic ergo noster per Mundum passim circumiens, cilicio indutus, vili asello insidens, & in summa paupertate atque austeritate vitam agens, tandem in Aquitaniam peruenit, & loca maxime solitaria quærens, tandem circa maris litus in loco quodam Arcaixon apellato (inde scilicet quod quasi centrū sit ejus Arcus quem duo promōtoria. Oissinum scilicet & Finis terræ faciunt) obertans, mare vidit fluctibus tumidum, & tempestate quasi imis à sedibus euersum. Est verò litus hoc nauibus tam periculosum & formidabile, ut subitanea tempestate deprehensis vix vlla spes sit euadendi. Eo tempore duæ ibi naues ad exitium iam iam ferebantur: quibus conspectis, Sanctus ille homo in genua procidens, & Crucis signū, (quod S. Hieronymus alias quoque fecisse dicitur) in arena describens, ardentissime Deum pro eorū qui in naui erant, & à præsentissimo exitio parum aberant, salute deprecari cœpit. Nec mora: statim venti remittere, fluctus subsidere, aeri serenitas, ac mari tranquillitas reddi, multis hominibus non sine admiratione adspectantibus: sic vt naues hæ (quod vmquam antea factum nemo quisquam meminerat) naufragium euaserint. Eodem tempore, seu forte fortuna ex fractæ nauis reliquijs, seu, miraculo quodā diuinitus eo delatam B. Virginis imaginem idem in litore inuenit, & in monte collocauit. ibique sacellum, quod etiamnum in montibus illis inter frequentes pinos conspicitur, loco admodum aspero & syluestri sibi construxit, & aliquamdiu summa in austeritate vixit. Sacellum vero ideo è ligno esse voluit, vt de loco in locum trāsportari posset. Est enim ibi ea loci natura, vt tempestatibus & ventis sæpe arenarum cumuli disijciantur, montes complanentur, & valles in montes eleuentur. Ex eo tempore locus ille in magna habitus fuit veneratione, vt eriam naturæ vela facturi vota ibi sua & preces prius persoluant; neque vmquam impias piratarum ibi prædas agentiū manus sensit, nisi quod post aliquot annos Angli quidam myoparone eo delati, & in terram egressi, opulentā sacræ huius ædiculæ paupertatem diripere ausi sunt. Sed ecce tibi iusta Dei iudicia, peccata sæpe in ipso vestigio punientis. Vix illi cum sacra supellectile & ornamentis, quæ inuenerant, ad nauē reuersi, vela in altum fecerant, quum ecce cœlo sereno & mari tranquillo, in scopulos deferuntur, & ad eos fracta naui, in ipso quē impio sacrilegio violauerant loci cōspectu ab aquis absorbētur. Multa alia quæ ex aliorū narrationibus de sancto hoc homine cōperta mihi sunt, filētio prætereo: quod eiusmodi nō temere fidē habere soleam, nec quidquam rarè sine bona cautela litteris & posteritati commendandum existimem. Sed hæc de isto satis.

VI. Idem Deus qui vaticinia non in sapientum tantum, verum etiam insipientum ore ponit, quique diabolos sæpe, atque adeo ipsos mendacij parentes adigit vt Veritatis sint interpretes, idem, inquam, Deus voluit vt ipsi dæmones in suo ipsorum regno idololatriæ ruinam, & Euangelij de IESV CHRISTO propagarionem prædicerent. Mexicanam tum Ferdinandus Cortesius adornabat expeditionem eaque feliciter succedente, Crucis tropæa illis in regionibus primus statuebat. Volētibus ibi paganis idolis suis sacrificare, vox è terra audita fuit, dicentis: *Non est voluntas eius quiomnia creauit hoc vt amplius fiat. Iam iam ruinæ vestræ tempus adest.* Vox hæc aures sacrificare volentium continuo pulsauit: non minus quam illa quæ, T. Liuio teste, cladem Romæ à Gallis acceptam; aut quæ magni Panis mortē teste Plutarcho vel Hierosolymæ excidium apud Iosephum de bello Iudaico, denunciauit. Mexicanis quidem Quetzocoal (id nomen est quod colunt idololatræ) voce lamentabili barbaræ & Crucis signo armatæ gentis aduentum prædixit. Motezuma, qui Rex regum ijs in locis fuit appellatus, quum intellexisset Christianorum classem appulisse (quod factum est eodem anno quo Lutherus è S. Petri nauicula exsilijt) *Ecce*, aiebat, *barbaros illos, nouam religionem in meā regna inuehentes, vt Deus meus mihi fore prædixit. Sed fatis cedendum est.* Idem Texuco Regi prædictum fuit: in cuius regnum appulsis Christianis, maligni spiritus tamquam mox de sede sua dejicrendi, ingemuerunt (a) Sane ad Brasiliā prouinciam Lusitani duce Petro Aluaro diuinitus, per maximas etiam tempestates & pericula incolumes delati barbaris Christum annunciarunt, erectoque saluificæ crucis signo sac atissimum Missæ sacrificium sub dio magna veneratione peregerunt, adeo equidem, vt ipsis vasta provinciæ intuentibus incolis clarissima miracula sese coram exhibuerint, Dæmonibus, quibus sacrificijs barbari litabant, vel eiectis prorsus, vel præterentis Dei præsentiam atte stantibus: qui quidem ipsi vel ut paranymphi aut vates ruinæ suæ fuerunt, vt etiam Apollo ille Pythius Augusto importune oraculum scisciranti respondit:

Me Puer Hebræus, Deus, & mortalis ab alma
Virgine natus Homo, terræ istu pellit ab ora.

a *Sur. comm. rer. it gestarū an. 1500 fol. 7. & 8.*

Ad tenebras. Mœsti ergo meis discedite ab aris.

Et hoc quidem modo tam boni quam mali Angeli, astra, Planetæ, vox communis tam Christianorum quam idololatrarum varias rerum mutationes, & nouarum sectarum ac religionum introductiones præuidere ac prædicere visa sunt. Et hæ sanè prædictiones nequaquã vanæ fuerunt; vtpote quas ipsæ calamitates per totum terrarum orbem, ipso effectu consequutæ sunt, dum apud omnes vbique gentes (ô rem prodigiosam & admiratione dignissimam!) sub prætextu religionis arma arripiuntur, & tumultibus ac turbis omnia miscentur. Sic est: momento mala exsurgunt & sese expandunt. Neque in Religionis negocio res stetit; sed varias etiam imperiorum ac Rerumpublicarum mutationes vidimus, dum ad vicinæ quæque sese statum accommodare cogitur, & altera alterius fortunam secum veluti trahit.

Audite famosi illius & nostra ætate celebertimi Necromantæ dæmonem, de ortu, progressu & decremento eius factæ quæ è Geneuensi lacu religionis suæ flumina deriuat (de qua suo loco) ita vaticinantem:

Quæ tanto studio expetitur modo grata Lemani
Vnda lacus pariet iam mox fastidia summa.
Quique sonant iam cottidie plaudente popello
Sermones, primum hebdomadis, tum mensibus, inde
Vix etiam totis semel annis, accipientur
Auribus: ac tandem obmutesceret dira cathedra,
Doctrinam & mores prauos damnante senatu.

Et quid mirum de isto, cum Caluinus ipse, vel ingenij sagacitate, vel spiritus sui reuelatione regni sui ruinam & dissipationem, post pauxilli temporis defluxum futuram præuiderit & prædixerit. *De posteritate*, ait, *ego sic sum anxius, vt tamen vix cogitare audeam; nisi enim mirabiliter Deus è cælo succurrerit, videre mihi videor extremam barbariem impendere orbi, atque vtinam non paulo post sentiant filij nostri fuisse hoc verum potius vaticinium, quam coniecturam.* Vide Petri Cursem. Desp. Gal. causa. n. Caluin. præfat. Catech. Geneu. ad Mnistr. Frisiæ orientalis.

Caput IV.

ARGVMENTVM.

I. *Religionis in Persida commutatio, sub initium sæculi* XVI.
II. *Sectariorum qui ante Lutherum in arenam prodierunt, imago siue descriptio.*
III. *In Africa eodem tempore Religio mutatur.*
IV. *Itemque in Indiis.*
V. *Ac tandem etiam in orbe Christiano.*
VI. *Pauli Iouii de turbis non minus miserabilibus quam mirabilibus, ob Religionem passim excitatis, dictum siue iudicium.*

QVEMADMODVM, versutissimus ille Arabs, gentisque suæ seductor, filius Sathanæ primogenitus, qui occidendo Alcoranum suum plantauit, vt filius Dei moriendo Euangelium suum stabilinit, omnia quæ acquisierat quamdiu vixit pacifice possedit: ita eiusdem successores, sine vllis turbis aut dissidijs altissima pace diu vsi sũt, hominibus illis vanissima pessimi pseudo prophetæ superstitione miserè deceptis & inlaqueatis. Et quãuis nec vllum ille antiquæ vocis testimonium pro se haberet, nec missionem suam vllo vero miraculo confirmasset; ab ingenti tamen hominum multitudine, Mecham ad ipsius reliquias properantium adorabatur, lege ipsius detestabili tamquam diuina passim recepta: donec tandem Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo, (*a*) nongentis circiter post impij Mahumetis ad inferos descensum annis, magnum vulnus secta hæc accepit, noua hæresi exorta, quæ innumeris turbis, seditionibus & conspirationibus ansam dedit, dum nouum Persarum imperiũ ex ipso & in ipso Othomanico imperio efflorescit. Hoc est illud Eridis pomum, quod Turcas religione, animis & viribus hactenus coniunctissimos, inter se commisit. Etsi enim magna Asiæ pars sub Arabum, Tartarorum, ac præcipue formidabilis illius Tamberlanis, quẽ Orientis fulmen merito quis appellare possit, imperijs dominum mutarat; Mahumetana tamen secta integra adhuc perstabat, nec vllã sensérat mutationem. Idem cultus Tauristij qui Mechæ, eadem religio Trapezũte quæ Persepoli vigebat. Exstitit tandem Ismael quidam ex Vsum Cassanis prognatus sanguine, (*b*) qui circa Annum M.D. imperium inuasit, & mutato dominio, religionem quoque mutauit, nouam superstitionem inuehens, qua à monacho quodam Mahumetano, Techelli dicto, imbutus fuerat; tanta sectæ confidentia, vt Sophi quoque nomen vsurpare non dubitarit, quæ vox Dei interpretẽ significat: idque etiam ad posteros tanquam hæreditarium transmiserit. Postquam igitur hic Persidem ingressus, plerisque persuasit, se veram afferre Mahumetis religionem, quam ha-

a. *Vid. Bisar. lib.* 10. *& Iou. lib.* 13. *b. Laur. Sur. Commentar. rerum gestarum fol.* 10. 11, 12. *& seqq.*

hactenus aiebat male fuisse intellectam; maiora animo volutans, auctis mirum in modum viribus, multas prouincias occupauit, sibique subiectis imperauit, ut relicta Turcarum religione, Halis, quē verum Mahumetis discipulum dicebat, doctrinam & dogmata, ita vti ea à Techellī tradita erant, sequerentur; atque intra triginta dies quique animū suum aperirent: qui vero sectæ huic nomen dare recusarent, gladio feriebantur: ex quo seuero & sanguinario Edicto mirum est quanta breui rerum mutatio consequuta sit. Idem vt sectæ suæ addictos a Turcis discerneret, voluit vt Persæ rubris pileis vterentur, quum Turcæ albos, Tartari virides gestent: hoc tamen in vniuerso Turcarum imperio neminī nisi è Mahumetis prosapia ortis, vti licet. Hæc vero religionis mutatio nihil aliud fuit quam prætextus quidam quo nouus hic deorum Interpres ad inuadendū imperium vsus fuit. Quin etiam ferunt eundem de Mahumetana profliganda ac Christiana amplectenda religione consilia agitasse, (vt qui nihil aliud spectaret quam quomodo imperio potiri posset) & fortasse perfecisset, si Christiani Principes naturē auxiliares ei manus præbuissent. Christianis certe amicum se semper, Turcis vero & Iudæis hostem acerrimum ostendit; ac sæpenumero Maximiliano Imperatori, Regi Ludouico XII & Venetis fœderis ad exstirpandum funditus Othomanicum imperium ferendi auctor fuit. Eiusdem vestigijs insistens Mahometus Persarum Imperator, Anno M.D.CI. Clemente VIII. Pontificiam sedem obtinente, legatos suos Romam misit, vt cum Christianis fœdus contra Turcas tractarent, vt suo loco latius explicabitur.

II. Porro Techellis postquam è latebris suis & speluncis, vbi solitariam vitam in summa austeritate egerat, prorepsisset, ad Ismaelem Sophi sese applicuit, ac breui ex monachio strenuus Imperator euasit, ferro & igne Hali vetusti prophetæ, quem solum aiebat verum Mahumetanæ legis intellectum tradidisse, dogmata propugnans & propagans; adeoque Armeniam & Asiam Maiorem breui tempore in partes suas pertraxit, Turcas qui Omaris interpretationem amplectuntur, infestissime vbique persequens. Baiazethes etenim tot suorum cladibus, è contra vero prospertimis hostium successibus vt maximopere contristatus aperto Marte Techello tantæ æstimationis Prophetæ, vt supra centum quinq; agmina hominum millia eius & sectam & castra sequerentur, congredi non ausus, summa velut desperatione adductus, arma contra Techellum sumpta in subditos conuertit. (a) Quippe Constantinopolim profectus diuersis incendijs ciuibus excitatis, ac supra ducentas domos vna cum habitatoribus flammis absumi iussit. Vnde graui inter ipsum & subditos orta diffidentia, post breue tempus iusto Dei iudicio ab omnibus desertus, qui nec suis nec Metonensium Episcopo in ipsis sacris constituto, pepercerat; à proprio filio Iudæi cuiusdā opera ad id vtentis veneno sublatus fuit. Ismael interim tantū sibi nomen & dignitatem comparauit, vt velut Deus aliquis nuper cœlo delapsus a suis adoraretur; ipseq; *Saich* Ismael (ea vox Persarum lingua deum significat) appellari se pateretur. Supernouæ huius religionis fundamentis magnum illud Persarum imperium tum exstructū fuit; quo Babylonij, Medi, Assyrij, alijq; populi ad extremos vsq; Indiæ fines comprehenduntur. Hoc illud est imperium quod Othomanis multum hactenus negocij facessiuit, ac quominus fines latius proferrent obstitit. (b) Eodem tempore quo Ismael Sophus armorūmetu & vi universum Orientem concusit, ingens terræmotus Constantinopolitanam vrbem afflixit, adeo vt Baiazethes ipse ruinis pæne fuerit oppressus. Sinus maris inter Constantinopolim & Peram tanta vi concitatus fuit, vt spumātes fluctus ipsam cœnia fere supergrederentur. Non multo post, anno scilicet M.D.X. alius quidam Mahumetanes Cadi nomine (vt ad perfectam nostrorum temporum tot sectis distractorum similitudinem nihil deesset) Ismaelis exēplo non minus propitiam sibi sperans fortunam, nouam & ipse sectam commentus est, dicens, nec Halim, nec Omarem, Oelam, Culbā, Abocherim, Azebarem, Zeibem, Ietribem, aut quemquam aliū veram Mahumetanæ legis intelligentiā habuisse, sed à se solo eam modo productam. Et quemadmodum in religionis schismatibus & turbis nulla dogma vnquam tam absurdum fuit, est, aut erit, quod non assipulatores inueniat, & varios prætextus & modos sese diffundendi apportet: ita huic quoque nouo doctori fautores ac sequaces non defuerunt, quorum ille viribus adiutus, oppida quædam adeoque integras prouincias occupauit, & varia fortuna, modo victor, modo victus, aliquot prælia commisit. Tandem vero, vna cum viginti quatuor millē hominibus in prælio interfectus, & vna cum ipso secta eius extincta ac sepulta fuit.

a. *Georg. Fabric. in Chron. Turcico VVolfgangi Dresslerī fol. 12. & 13.* b. *Bizar. lib. 10. Pers.*

fuit. Turbæ hæ Baiazethis Turcarum Imperatoris rebus percommodæ fuerunt, quæ tot cladibus fractæ ac prostratæ, pessimo loco sitæ fuerant, adeo vt Trapezuntino imperio Persis cedere, & vicies centenis scutatorũ millibus pacem ab Ismaele redimere constitutum habuerit. Sed Ismael è medio victoriarum cursũ domum reuocatus & retractus, turbis à nouo hoc propheta excitatis occurrere fuit coactus (a). Ex quibus omnibus temporum illorum facies apparet, quando scilicet totus Oriẽs, ac præcipuè duo maximi & potẽtissimi Turcarum & Persarum populi ob diversas Mahumetanæ legis interpretationes infestissimis animis atque armis concurrerunt ac digladiati sunt, tanta odiorum pertinacia ut non nisi mutua pernicie elui aut expiari possint. Hanc enim sententiam decretoriam Turcarum Muphthii id est summus Pontifex pronunciavit: Eum qui Persam hæreticum, licet Mahumetanum, occiderit, multo gratiorem rem Deo facere quam si septuaginta Christianos interficiat. (b) Nunc rerum in Australi plaga statum itidem perspiciamus.

III. Africa vetusta Mahumetis dogmata, & antiquam Alcorani interpretationem hactenus amplexa fuit, donec Anno MDXIV. Monachus quidam Amether nomine, nescio quo œstro percitus, è cellula sua pervolavit, & oppidatim circumiens, populumque ad pœnitentiam cohortans, novam Elfurcani expositionem, è sola, ut ajebat, S. Scriptura hausta, novarum rerum cupidis obtrusit. Inter alia hic docuit, Halis, Omaris & aliorum interpretationes humani ingenii esse commenta; adrecte vero interpretandum Elfurcanum, nudam & puram ipsius scripturam sufficere, ut qui optimus ipse sui ipsius sit interpres. Novus hic Monachominister & Ministro monachus non mirò tantum verborum artificio, sed vitæ etiam exteriori quadã simplicitate & innocentia incredibilem hominum multitudinem, ac præcipuè in Fessano ac Marocano regno, ad suas partes perduxit, & novæ religionis prætextu subditos passim contra Principes armavit. Inde ad vicina regna progressus, usque ad intimam Libyam penetravit, ac plus quam centum discipulos tamquam religionis suæ Episcopos & Mahumetanæ legis præcones, constituit; ipse vero sexaginta hominum millia ferè semper circa se habebat. (c) Tafileti rex inter Africæ Principes non postremus, hominis fama motus, eum ad se accersivit, eo fine ut novo huic Propheræ, de quo tam mira ubique jactabantur, conscientiam suam denudaret, magno errore, ut postea patuit: ut qui hac ratione ambitioso homini fenestram ad imperium invadendum aperuerit, ac suam etiam vitam præsentissimo periculo exposuerit. Statim enim ubi ille pedem in regno posuerat, subditos ad rebellionem excitavit, & cœlestium revelationum prætextu, Regem ipsum vita privavit, assumtoque Seriphii, id est, supremi Pontificis nomine, re ipsa regiam potestatem usurpavit. Prioris deindè simplicitatis quasi oblitus, nuspiam nisi magna armatorum manu & pompa regia stipatus conspiciebatur, conciones interim nihilominus, non tamen in Mahumetanorum Mosqueis, nec in Christianorum, à quibus non alieno planè erat animo, templis, sed patenti in campo sub dio habebat. Idque unum agere videri volebat ut Mahumetana religio reformaretur. Quia vero Christianis Turcarum Mosqueas ingredi capitale est, nisi ejurata religione sua Mahumetanas superstitiones amplecti velint; Regius hic Pontifex ex æquo omnes, tam Christianos & Judæos quam Mahumetistas ad conciones, sacra & ceremonias suæ religionis admisit: & felicitate rerum omnium successu clarus, magnum ac prævalidum confecit exercitum, atque eo quinque reges subegit. Longum esset omnia ab ipso commissa prœliaque recensere, è quibus unum maximè est memorabile, in quo supra centum hominum millia periisse dicuntur. Quid multis? ipsum etiam Mahumetem bellica gloria Seriphius hic superavit, ac totius ferè Africæ imperium quadraginta annis tenuit; Turcis tam formidabilis ut aperte lacessere eum non auderent, sed occulto tantum magnitudini ejus obstruere atque obicem ponere satis haberent. Unum restabat iis in locis Algerianũ regnum, reliquis Fessæ scilicet, Maroci, Tremissæ, Tafileti, Arcæ & Susæ regnis adjungendum: cujus rex viribus suis diffusus, corrupto satellite, hominem insidiis circumventum una cum præcipuis ducibus & Consiliariis interfici curavit. Successit ei nihilominus Abdalæ filius, cujus progenies etiãnum exstat. Sed hæc micro, breviter turbas illis in partibus eodem tempore quo apud nos veterum sacrorum fundamenta fuere subruta, ob religionem exortas indicasse contentus. *Eodem tempore* inquit Thevetus in Cosmographia sua, (d) *quo Lutherus Christianam religionem in Europa turbat & exagitat,*

a *Surius histor. fol. 16. & 17.* b *Leuncla. in supplem. Ann. Turca pag. 138.* c *Iov. de vir. illust. lib. 3. & 7. Genebr. in Chron.* d *lib. 1. cap. 5.*

tat, & Reges ac Principes facem hanc funestam exstinguere vel conantur vel dissimulant Seriphius nouis pariter in Africa rebus studet, eiusdem fere cum Luthero farinæ homo, vt qui non minus quam hic pauper & vilis fuerit monachus, quitamē seditiosis suis concionibus complures Reges ac Principes sede & dignitate deiecit. (a) Hæ scilicet diaboli sunt artes, omnia versantis, & subiectos sibi ad mutuas cædes nouis sectarum & opinionum facibus accidentis.

IV. Dum ita Mahumetistæ & Halistæ de stultis & vanis suis superstitionibus inter se digladiantur, & Serephius sectam suam stabilire allaborat, à Christianis ex alia parte in propagando Iesu Christi Euangelio, eiusque cognitione remotissimis à nostro orbe & incognitis antea populis illustrandis, vehementer fuit desudatum, Deo tam pios conatus mirum in modum fortunante, vt Mundi huius principis magna, possessionis tot sæculis iam vsurpatæ, parte intra breue tempus fuerit exturbatus. Idem Deus Christianorum ad ea loca aduentum diuersis prodigijs iam ante præsignificauerat, (b) vt ignea illa pyramide, quæ toto anno supra Mexicanam vrbem conspecta fuit: vt igne illo cælitus super primarium eorum locorum templum delapso: vt Cometa illo tricipiti, in medio die apparente, & ab Ortu ad Occasum tendente: & alijs stupendis prodigijs, in India passim, ac præsertim in magni illius Principis Motezumæ regno circa Annum M. D. XVII. conspectis, quo tempore Christiani primum ibi locorum innotescere cœperunt, sic vt illo ipso tempore quo Lutherus Christianam Ecclesiam inter Christianos conuellere ac demoliri aggressus est, Christiani inter idololatras prima Christianæ fidei fundamenta iecerint, longe lateque postea per ingentia illa terrarum spatia expansæ: sic vt pro exigua terræ particula, eaque niuibus & frigoribus infami, integri velut Mundi ad Christianam rempublicam sint adiuncti. Vt enim torrens obstructo alueo, limites suos egressus alio erumpit, multoque latiorem viam & canalem sibi facit: sic Ecclesia apud nos oppressa ac quasi deiecta, alibi pulcrior ac validior surrexit: sic vt fidem è nostro orbe profugientem alter ille obuijs vlnis excepisse videatur. Confluebant vndique eò Christiani, apertoque Christophori Columbi primum, deinde Americi Vespucij, immortali memoria dignissimorum opera & industria ad ignotos populos aditu, tam Hispaniæ quam Lusitaniæ reges cœptum opus summa contentione, ac magnis sumptibus vrgebant, commodum eo ipso tempore infideli Mauro-

rum gente è Granatensi regno, quod illi vltra octingentos annos insederant, profligata. Horum iussu & sumptibus instructæ & emissæ fuerunt aliquot classes, tanta nauium agilitate, vt cum ventis ipsis de leuitate certare viderentur. Hæ tam ad Orientalem quam Occidentalem Indiam plenis velis conuolabant, & in medio tot periculorum & difficultatum mare tranquillari, breuia aperiri, voragines impleri videbantur, cœlo ipso per alteram quandā viam lacteam nouos populos monstrante, vt ad eos qui Sathanæ hactenus mancipia fuerant, salutare Iesu Christi Euangelium deferretur. Mox videre ibi fuit Crucis tropæa in celsissimis montium iugis passim erecta: perpetuum illud & solenne Christianorum sacrificium sub arborum vmbris passim celebrabatur, dum noua quotidie sacrarum ædium fundamenta iaciuntur. Et quamuis barbari reges quibus poterant viribus nostrorum conatibus resisterent, Deus tamen ipsorum animis incredibile atque inuictum robur inspirauit, ac multis etiam miraculis editis auxilio suo vbique præsto fuit (c) Tales fuerunt fortissimi illi Christiani Equites, Alphonsus & Franciscus Alboquercij, Eduardus Pachecus, Ferdinandus Cortesius, Franciscus Pizarrus, & alij, qui frustra frendentibus ac fremētibus Sathana eiusque ministris, salutare Redemptoris signum in terris illis erexerunt, dum idem interea apud Christianos passim deiectum fuit & sublatum: dumq; alij sumi Pontificis auctoritati & obedientiæ subducere se conantur, ecce tibi ex vltima vsque India Principes, qui Dei in Terris Vicario eandem promittunt ac præstant. Visi sunt sæpenumero plusquam mille idololatræ à paucis Christianis in fugam acti aut caesi, non aliter ac si ardente illo gladio, quo ingens quondam Sennacherib regis exercitus fugatus fuit ac deletus, ipsorum humeri fuissent percussi. Hoc modo Christiani tam armorum quam solius etiam nominis terrore non vrbes modo, sed integra etiam regna occuparunt, constituerunt templa, erexerunt altaria, & paganorum Pagodas, Guacas, & Pachicamas, Sathanæ antea deuotas ædes & idola, veri Dei Opt. Max cultui consecrarunt Regibus Cananoris, Cochini, Calecuti, Mexici, Cusci & alijs quidem contranitentibus, & arma etiam opponentibus, sed Dei gratia & nostrorum virtute semper victis. Quamuis autem Sophus Persarum rex, prophetæ sui no-

men

a. *Vide Prateolum fol* 701. b. *Acosta lib.* 7. *Hist. Ind. cap.* 23. c. *V. Maffeium in Histor. Indica.*

men & doctrinam propagare cupiens, ad Cambaiæ regem legatos miserit, qui vt Persicam legem susciperet, ei persuaderent: omnes tamen ipsius conatus Christianorum industria disturbati sunt, ac populis illis verus Mundi Saluator D. N. Iesus Christus fuit annunciatus, & Mahumetis atque Halis impostura & impietas detecta (a) Sicut vero Christanorum Principum dissidia hæresibus sæpe tam aditum, quam crescendi copiam præbuerunt; sic Indorum quoque intestina odia & distractiones Christianæ religionis plantationem atque incrementa faciliora reddiderunt Quæ post Gnanacapæ patris mortem inter Attabalipam & Gascam exstitit contentio, Francisco Pizarro in Peruanum regnum aditum aperuit. Mutuis Tlascallensium & Mexicanorum odijs prudenter vsus Ferdinandus Cortesius, tam hos quam vicinos populos facilius subegit, ab Indis Solis filius appellatus. Hic scilicet rerum mundanarum cursus est: *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* ait sapiens (b) Miracula quæ in conuersione Indorum infidelium Deus operatus est, suo loco à nobis explicabuntur; quæ vero hoc loco breuiter attigimus, eo tantum pertinent vt intelligatur vniuersum Mundum sub initium decimi sexti sæculi religionum dissidijs agitatum fuisse, dum inter Christianos, paganos, idololatras, Musulmanos, Halistas quidam noua dogmata comminiscuntur; alij pro maiorum religione, & verè, quod dicitur, pro aris & focis depugnant. In quo diuinam admirari libet prouidentiam, hæc ipsa dissidia ad Christianorum salutem conuertentem. Sophi enim secta Othomanici imperij incrementum valde remorata est, sic vt Mahumetanorum factionibus Christianorum concordia multum adiuta & salus conseruata fuerit. Sic sacerdotes nostri in nouum illum Mundum missi, Christianam religionem, longe lateque propagarunt: quæ quidem antequam supremus illè iudicij dies veniat, ad extremos vsque terrarum fines percrebescere debet. Et hæc certissima sunt diuinæ Sapientiæ vestigia, quæ in omnibus eius operibus merito sunt obseruanda.

V. Dum omnes orbis partes varijs, vti diximus, iactantur tempestatibus, ecce decumanus quasi fluctus superueniens, Ecclesiæ apud nos nauiculam pene oppressit: ac plane apparuit non vanas fuisse cœlestium influentiarum & constellationum aliorumque prodigiorum minas. Eo enim ipso tempore quo Dei Ecclesia in medio Sathanæ plantatur regno, dum Asiæ, Africæ & Indiarum populi mutuis ob religionem cædibus in se grassantur, pestilens hæresis in Europa glisscere ac caput efferre cœpit: quam mox atrocia dissidia & turbæ consequutæ sunt, adeoque infortunato schismate omnia exarserunt, infelici Monacho primam facem subijciente. Rem miram vide, quæso! Totum scilicet Mundum eodem tempore in diuersis terræ partibus à quinque Monachis varie commotum. Vnus Martinus Monachus furiosus tonat, fulgurat, ignem & flammas vomit, hoc denique omnibus modis agit vt Ecclesiam in Europa subuertat: alter Martinus Franciscani Ordinis Monachus, & primus Vniversalis Vicarij apud Indos Vicarius, Evangelium in novo orbe disseminat, & novam quasi maximo cum labore ædificat Ecclesiam. Vnus Monachus, Techellis nomine, in Asia noua sua superstitione cælum terræ miscet: alter Tecelius in Europa primus antiquæ religionis defensionem suscipit & contra Lutherum in arenam prodit. Seriphius denique vel fortunatior illis vel audentior, religionem mutando cucullum cum regio diademate, & librum cum sceptro mutat. Et nihilominus hæc omnia iusto & admirabili Dei iudicio euenerunt.

Qui, quamuis sit simplex solus & vnus,
Edit diuersos semper nihilominus actus,
Et tamen ex vno manantes fonte & eodem
Iustitia, qua cuncta regit, dat, mutat & aufert.

VI. Sed Pauli Iouij illustris Historici de temporibus his & religionum sectis iudicium audiamus. *Non multo post*, inquit (postquam Ismael Persarum imperium inuasit, nouamque Mahumetanæ superstitionis opinionem promulgauit) *exarsit in Germania auctore Luthero dira hæresis, qua populus, vt in Perside acciderat, ad insaniam versis, Christiani dogmatis placita & veteres sacrorum ritus vehementissime conturbauit. Ita vt facile crediderim ab occulta cœli potestate malignoque siderum concursu prouenisse, vt religiones toto terrarum orbe enatis factionibus, vno tempore scinderentur, quando non Mahumetani modo Christianique, sed & remotissimæ gentes idololatræ, aut sidera aut portenta pro dijs venerantes, quum in India quæ ad Orientem vergit tum in Nouo Orbe ad Occiduam plagam reperto, nouas sacrorum opiniones induerint.* Hic facere non possum quin insignem eius fraudem & falsitatem qui eiusdem Iouij historiam Gallica lingua interpretatus est, ostendam, omnia illa

a *Osor. lib. 10.* b *Ecclesiastes cap. 1. 9.*

illa quæ à Iouio de religionum mutationibus, & de dira Lutheranorum hæresi dicta sunt, alto silentio prætereuntis. Hoc scilicet illud fuit quod reformatam ipsius conscientiam vsſit, quodque religiosus ipsius stomachus concoquere non potuit. Quod si tanta illi impudentia profanas mutilant historias, vt paucula verba ad Lutherum Hæresiarcham pertinentia premantur; qua fide sacros ab illis libros tractari existimabimus? Sed quoniam infelix illud schisma, cuius Lutherus primus auctor fuit, & natas inde cum summo Christianæ Reipublicæ periculo & damno Hæreses explicare constitutum habeo; tempus est, vt prima Lutheri incunabula & natiuitatem describam. Nec vero in hoc eius imitabor exemplum, qui Iunonis autem pingere iussus odio eiusdem nihil nisi pedes pinxit: sed potius, vt pictor fidelis, vultum & animum ita vti est, ac viuum repræsentabo, & in propatulo spectandum omnibus proponam; nec committam vt vel odium vel adulatio vnius aut alterius partis à veritate, quam ex bonorum & fide dignorum Auctorum libris, & eorum qui tum vixerunt commentarijs & narrationibus magno labore collegi, abduxisse me & transuersum egisse videatur.

LVTHERI HÆRESIARCHÆ Nativitas : Et quomdo is religiosam, seu Monasticam vitam ingressus & professus sit.

Caput V.

ARGUMENTUM.

I. *Martini Lutheri, qui primus tam pernitiosi Schismatis auctor fuit, prima incunabula & natiuitas, cum damone familiaritas, nominis potestas.*
II. *Thema eius genethliacum.*
III. *Mars & Iupiter in Luthero insolentiam & contumaciam demonstrant.*
IV. *Diuersa de hominum quorundam Natiuitatibus iudicia.*
V. *Lutherus monasticam vitam amplectitur.*
VI. *Dotes eius & vitia.*

I. MONACHVS hic qui Christianæ Reipublicæ non minus mali conflauit, nec pauciora suspiria & lachrymas expressit, quam Turcis, Persis, Arabibus & Africanis duo illi alteri præced. cap. nominati, Monachi, Islebij natus est (a) in Mansfeldensi Comitatu (quem locum discipuli ipsius idololatræ nouam Bethlehem appellarunt) Anno M. CCCC. LXXXIII. die XXII. Octobris, hora XI. & XXXVI. minutis O infelicem & infamem diem, dignum qui non tantum è Catholico Calendario, sed ex omni hominum memoria, si fieri possit, eradatur! Alij aiunt eum X. Nouembris, in D. Martini vigilia natum; eòque nomen hoc à parentibus ipsi fuisse inditum. Sed credibile est Cardanum & Iunctinum qui tam curiosè genethliacum eius thema descripserunt, veram eiusdem Natiuitatem summo studio perueſtigasse ac prodidisse Cardanus certe XXII. Octobris natum eum scribit (b) Hanc, inquiens, veram esse Lutheri natiuitatem. Idem dicit Iunctinus. Et quamuis inter duos hos Astrologos, quod ad horoscopum Lutheri attinet, quædam sit diuersitas; illa tamen tanti non est quæ cuiusquam iudicium remoretur. Apud vtrumque enim Planetæ in eisdem constituti sunt domicilijs, Luna in duodecimo, Iupiter, Venus & Mars in tertio, Sol, Saturnus & Mercurius in quarto. Iudicium vero quod inde illi faciunt, postea videbis. Hoc vero loco digna consideratione mihi diuina videtur providentia. Vt enim olim eodem quo acerrimus Catholicæ Ecclesiæ hostis Pelagius, eiusdem acerrimus defensor S. Augustinus, hic quidem in Africa, ille in Europa, natus esse ferturi ita eodem anno, mense & die, quo in plaga Septemtrionali infans in lucem prodijt, Ecclesiæ postea confirmata ætate bellum ijlaturus, in plaga Australi alius in Mundum prognatus fuit, qui tamquam strenuus sub Iesu Christi signis dux, Ecclesiæ fines longe lateque ad populos incognitos prolaturus erat. *Lutherus in mundum natus est*, scribit Consaluus de Ilescas, *vt totum Mundū perturbaret & infinitos Christianos sub diaboli signa cogeret. Eodem tempore Ferdinandus Corteſius, Vallis Marchio, Medelini in Hiſpania natus fuit, vt infinitam barbararū nationū multitudinē tot ſaculis in miſerrima*

a *Oſiand. centur. 16. Magdeb. Hiſtor. Eccleſiaſt. Cochla. in Act Luth. fol. 1. Melanch. fol. 1. in vita Lutheri. alias* 10. *Nouemb. Miniſtro-mach. fol. 15. Lutherus ipſe in declar. ſermonis de Euchariſtia, qui addit locum eſſe in Epiſcopatu Halberſtadienſi, & Principatu Saxoniæ, Mansfeldia vero ſeſe eſſe educatum; Magdeburgi & Iſenaci ſtudiuiſſe &c.* b *Card. de cent. genit.*

Sathanæ servitute detentam, sub Iesu Christi signa colligeret. Et, quemadmodum ab Aquilone (ut divinum testatur verbum) malum se expansurum erat: ita eiusdem remedium ab Austro venire decuit. In Saxonia Monachus ad Ecclesiæ ruinam; & eodem tempore in Biscaia ad eiusdem defensionem Christianus Eques natus fuit. (Ignatius Lojola, fundator Societatis Jesu, ut in Gallicana editione Elor. Ræmundi.) O fortem Jesu Christi militem! quem postea caput & auctorem vidimus ejus Ordinis, qui flagellum & carnifex omnis hæreseos futurus erat. Eodem anno quo natus est ille Monachus qui statuta legesque Ecclesiæ eversurus erat, Sancta etiam Inquisitio, Hæreseos terror, obex & pestis, fuit instituta. Ut vero illud de Cortesii & Lutheri nativitate notabile est, ita in iis quæ ab utroque gesta sunt, multa admiratione digna deprehenduntur. Lutherus Anno M. D. XVII. ut infra dicetur, Ecclesiam aßilire & oppugnare cœpit. Eodem anno Cortesius in Novo orbe à Columbo detecto idololatriæ bellum intulit, & ducto ad Mexicum exercitu, Crucis signum, quod tum maximè in Europa cæpit dejici, in India erexit. (a) Porro, ut ad Lutherum redeamus, pater ejus fuit Joannes Lûder vel Luder, mater Margarita, quam nonnulli ajunt fricandis in publicis balneis hominibus operâ locare consuevisse. Cõmemorantur alia mirabilia de hac muliere, quomodo scilicet dæmon mangonis habitu à marito hospitio susceptus, cũ ea congressus sit, è quo partum illa hunc conceperit. Sed quæ hac de re ab aliis jactata & in scripta relata sunt, lubens omitto. Quamvis enim privata illa communicatio & familiaritas, quam Lutherus, (ut diversis ipse locis fatetur (b) cum diabolo habuit, ut & illud, quod Maximilianus Imperator in humeris ejus conspexit, (c) tum corvi circa fũnus ejus crocitantes (d) & dæmoniaci eo die quo sepultus ipse fuit, à dæmonibus animam ejus ad infernum comitantibus liberati, (de quibus omnibus alio loco) faciunt ut superius illud verisimile videatur; ego tamen matrem Lutheri cum dæmone rem habuisse pro vero affirmare nolo, Erasmus in quadam epistola, (e) sed obscuris verbis, id innuere videtur. Vvierus vero idẽ ut rem fabulosam, (f) Cochlæus (g) & Simon Fontanus (h) ut rem veram, recensent, (i) Fides sit penes auctores: ad quos hanc contentionem remitto. Plures scriptores affirmant, Lutherum sæpè dicere solitum, *dæmonem sibi benè notum (k) & familiarem esse*; ut cum quo plus quam modium salis comederit. Imo vero, *se generalem ac communem Dæmonem (l) à Deo excitatũ* non obscuris sanè, sed apertis verbis ipse declarat. Addit insuper *insignia sibi nonnunquam ab illo veritatis hoste argumenta suppeditari,* (m) *qui propius etiam sibi quam Catharina sua cubet,* (n) *& à quo quam à Cæsare interfici malit. Hunc dilectum & Sanctum suum vocat, hunc adorat* sanctissimâ & individuæ Trinitatis majestate contempta, hunc invocat. *Dilecte inquit, Dæmon te oro apud Deum intercedere pro me dignare, Sancte Sathan ora pro me. Beate Diabole intercede pro nobis &c.* (n) Ajunt etiam, quum aliquãdo, dum Missæ celebratur sacrificium, Evangelium illud legeretur, cujus initium est: *Erat Iesus ejiciens dæmonium*, Lutherum inter alios Monachos adstãtem, in terram sese projecisse, magnaque voce exclamasse, *Non sum ego, non sum ego.* (o) Sed sive vera sive falsa ista sint (certè multorum asseverantium testimonia non desunt.) certè Margarita Lutheri mater justiores ob causas somniare ac certo credere potuit, ardentem sese facem peperisse, quam Hecuba olim Paridis mater; qui tam benignè & hospitaliter à Menelao susceptus, tam malam eidem gratiam persolvit, patriamque suam exitio dedit. At Lutherus tamquam sulphure & pice fumans ardensque titio, non patriam tantum, sed magnam universæ Christianæ Reipublicæ partem incendit, & in cinerem ac favillas penè redegit. Hic ille est qui Gordium nodum, quo hactenus universæ Ecclesiæ pax & unitas constricta fuerat, uno ictu dissecuit & dissolvit. Et quemadmodum Trojæ excidium illi præcipuè imputatur qui Durateum illum & doli plenum equum fabricavit; ita ab hoc uno homine omnem illam malorum nostrorum Jliadẽ in Religionis dissidio promanasse, verè dicere possumus

a *Acosta lib. 7. c. 24.* b *Vlenberg c. 7. num. 3.* c *Tomo 6. operum Lutheri in tract. de Missa Angulari. Nicol. Serarius in Tract. de Lutheri magistro &c.* d *Vlenberg. vita Luth. cap. 34 num. 4.* e

f *Erasmus purgatione ad epistolam Lutheri non sobriam.* g *Vvier. lib. 3. cap. 15.* h *in præfat. Actorum Lutheri.* i *Hist. Cat. de S. Font.* k *Vide Rostium de pseudo Iubilæo Lutheranorum.* l *Luth. lib. de Missa Angulari.* m *Tomo 6. Ienensi fol. 360. & Colloq. mensalibus.* n *lib. de missa Ang. &c.* o *Colloq. mensal. fol. 216. 281. & 259.* p *Colloq mens. fol. 202. 286. 288. & tomo 2. Vvitteb. fol. 251. a. Colloq. mensal. fol. 259. ibid. 286. ibid. 261. ibid. 288. Vide Conrad. Andreæ in Angelico Luthero.*


sumus(*a*) Martinus nomen ei fuit; **Lotter** vero cognomen, hoc enim ipse in prima ad Eckium epistola ponit. Alij **Lauther** appellant. Verùm quia primum illud in Germanica lingua mali est ominis, ut quod Scurram, atque adeo nihili hominem significat; alterum vero numerum Antichristi, in Apocalypsi designatum, includit: Monachus hic noster, & turpitudinem & malum hujus & illius omen aversatus, Luther dici voluit, quod eadem lingua Putum sonat. Idem Manichæos feciſſe, ex Augustino discimus, (*b*) qui non ab antesignano suo Mane, Manichæi (ne scilicet Μανία, id est, insania, nomẽ ei dedisse videretur (sed Mannichæi appellari voluerunt, quasi facta voce è Manna & χέω Fundo, quod scilicet doctrina ipsorum, quasi cœlestis ille cibus, è cœlo esset defusa. Sed nomen Lutherus mutare potuit; colorem tamen & suum quasi fatum mutare non potuit. Non enim modo Latinum ipsius nomen (ut non sine mysterio cap. XXIII. lib. mei de Antichristo à me annotatum est) sed idem etiam Hebraicis, ut etiam Sectæ, & gentis è qua illa prodiit, Græcis litteris concepta nomina (*c*) truculentæ illius bestiæ sub finem Mundi Dei filio sese opposituræ numerum repræsentant, ut ex sequenti tabella apparet.

												Summa
ר		ת		ו		ל		ל				
200		400		6		30		30				666
λ	ο	υ	β	ε	ρ	α	ν	α				
30	70	400	9	5	100	1	50	1				666
σ	α	ξ	σ	ν	ε	ι	ο	ς				
200	1	60	70	50	5	10	70	200				666
M	a	r	t	i	n.	L	a	u	t	e	r.	
30	1	80	100	9	40	20	1	200	100	5	80	666

Nec verò illud ratione caret, quod nonnulli Mahumetem & Lutherum in eundem ordinem retulerunt, non minus hunc quam illum Anti-Christi præcursorem esse existimantes, Uterque enim infamem illum numerum, à cœlestium rerũ Secretario in Apocalypsi (*d*) expressum, portat. Moscovitas verò ajunt Lutheranis & Picardis exprobrare solitos, Luther sua ipsorum lingua significare hominem ferum & crudelem: quæ quasi propria est Anti-Christi nota.

II. Jo[illegible]agni nominis Astrologus, genethliacu[illegible]na hominis hujus, libro III. describens, Ma[illegible]m & Jovem in tertia domo constitutos; defectionẽ à fide significare ait. Qui enim duos hos Planetas in tertia natiuitatis suæ domo habẽt, (vt Albupater & Homar antiqui admodum & Iudiciariæ periti Astrologi testantur) apostasiam à fide plerumque patiuntur. Verum vt curioso Lectori satis fiat, ecce tibi thema eius genethliacum, vti à Iunctino est descriptum.

a *Cochlæus Act. Lutheri anno 17. Sur. com. hist. anno 17.* b *Vide Cosal. Iles. hist. Pont. 21.* c *Lib. de her. cap. 42. & lib. 18. contra Faust. c. 22.* d *Genebr. lib. 4. Chron. fol. 713.* e *Apoc. 13.*



Feruet mundus (ait Iunctinus *Lib.*3.) *huius schisimate, quod quia Martem admixtum habet, & Caudam soluitur in seipso infinitaque reddit capita.* (nota hic tot hæreses ex vna Lutherana exortas) *vt si nihil aliud errorem conuincat multitudo ipsa opinionum ostendere tamen possit, cum veritas vna tantum sit, plurimos necessario aberrare.* Cardanus vero Lib. de cent. Genit. vbi de Lutheri natiuitate agit, Martem, inquit, Venerem & Iouem circa spicam Virginis in alterius hemisphærij Meridiano coniungi, eique coniunctioni vim aliquam esse decretam, sed sine sceptro quod omnes Planetæ in altero hemisphærio exsistant, & spica Virginis semper proposito suo Religioni velut moderetur. De cetero Solem & Saturnum cum stella Libræ Australis in loco futuræ magnæ coniunctionis, hæresis huius robur demonstrare, quum triplicitas illa iamdiu dominata sit: verum Saturnum Soli coniunctum per tantos motus, nullam ei promittere dignitatem.

III. Habes duorum de Lutheri natiuitate Astrologorum iudicium, de qua alij eadem fere sen-

serunt,

serunt & prodiderunt, illud imprimis quod Mars & Iupiter in tertia domo sibi occurrentes, defectionem ipsius significarint. Saturnus quidem & Iupiter magna producunt ingenia, sed vaga atque errabunda. Mercurius & Venus eloquentes faciunt & disertos, sed eosdem mendaces, Mars & Mercurius in Scorpionis signo occurrentes, homines ad decipiendum aptos, & in defendendis erroribus insignes sophistas. Mars, Mercurius & Luna, nullo alio interposito, promptos, acutos & subtiles, sed vafros & versipelles. Et sicut Mars & Venus libidinem mirifice incendunt, etiam quando ijdem in Capricorni signo. Mercurio ibidem existente, congrediuntur: sic Mars & Iupiter in Scorpione sibi occurrentes, conscientiam vehementer perturbant & irrequietam faciunt, vti Luthero accidit, quem fidem abnegaturum, & nefarium veræ religioni bellum illaturum, ijdem Planetæ demonstrarunt. Quod si duo hi Planetæ, Iupiter & Mars, in Libra aut Aquario constituti, & Luna in Geminis aut Libra fuissent oppositi: cœlestium is siderum positus ingenium productus fuerat omnibus dotibus perfectum, & ad omnium rerum capiendam notitiam habile & accommodatum. Hic verò è contrario omnia significant animum dubiosum, vagabundum, & schismaticum: quod idem in Philippi Melanchthonis qui Lutheri quidem fuit discipulus, sed nouam postea sectam cudit, genesi fuit obseruatum.

IV. Nec verò inania hæc sunt ociosorum hominum figmenta; sed experientia optima rerum magistra, & vera judicij norma, ab astris quæ natiuitati nostræ præsunt, non solum qualis vitæ nostræ futurus sit exitus, verùm etiam nascentium tam virtutes quam vitia significari, demonstrauit. Hanc confessionem vel ab inuitis ipse euentus extorquet: nec rationes quæ forte contra allegari possent, experientiam falsitatis conuincere possunt. Sic Astrologi, Ciceronis c xxv. annis ante natũ Saluatorem, v. sextilis VII. hora, LVI. minutis ante meridiem nati schema describentes, in horoscopo eius Mercurium & Venerem in secunda Virginis facie annotarunt: vnde de admirabili summi huius Oratoris eloquentia Astrologi coniecturam fecerunt: quam similis Erasmi hominis sua ætate disertissimi natiuitas comprobauit, quæ incidit in annum M CCCC LXVII diem Octo. XVII. VI. horam & XXXI. minuta post meridiẽ. Idem in Bẽbo sub simili constellatione nato fuit obseruatum. In Sauonarola ambitiosa superbia, quais Prophetam se postea ferre non erubuit, ab ijsdem Astrologis è genituræ eius themate notata & prædicta fuit, natus n. fuit Anno M. CCCC. LII. die Sept. XX. hora V. & XLIV. minutis à meridie, Venere & Saturno cõiunctis & Luna in hemisphærij Meridiano constituta: eamq; ob causam tanto ille Astrologiã prosequutus est odio, vt Pico Mirandulæ Comiti contra eam calamũ stringendi auctor fuisse credatur. Insignis doctrina & eruditio Hermolai Barbari, Anno M. CCCC. LIII. die XXI. Maij, V. hora & X. minutis nati, in eiusdem genethliaco themate promissa fuit. Habuit enim Mercurium soli in cauda draconis coniunctũ, in tertia domo, & in domicilio suo Lunæ opposito: quæ positura, secundũ Ptolomæi doctrinam, iaram & exquisitam eruditionem designat. Silentio hic disertum & eruditissimum virum Panigarollam, Astensem Episcopum, præterire nec debeo nec volo: Is lucem hanc primum aspexit Anno M. D. XXVIII. die XXVI. Ianuarij, hora XIV. & XXXV. minutis post meridiem; Lunam habens in horoscopo, & Mercurium in tertia domo Aquarij. Et quia in eius natiuitate Mercurius Lunam respiciebat, & Mars in sextili erat aspectu, facile inde colligi potuit Oratorem fore eloquentissimum, summo iudicio & memoria præditum. Sed ne verba mea & sententiam quis calumnietur, aliterque quam par est, accipiat, iterum dico, Deum primam & suprem am rerum omnium causam esse. Solus ipse causarum tam necessariarum quam contingentium videt ordinem & dependentiam. Et licet tam diuersi casus ac tam varij rerum humanarum euentus solius Omnipotentis cognitioni ac voluntati reseruati, aut certe ab ipso cœlestibus illis faculis inscripti, & ad cognoscendum quodammodo propositi sint (neque enim hanc quæstionem tot disputationibus vexatam, neque vmquam decisam, vlterius persequi mihi est animus, vnice illud operam danti, vt intra Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ septa me contineam) nihil tamen inconueniens est Deum per secundas & subalternas causas agere, sic inter se aptatas & colligatas, vt volũtatem eius omnia respiciant, eique obediant, ac sæpe nobis tam bona quã mala, quæ in vita nobis euentura sunt in ipso limine prædicant. Sed, vt dixi, curiosius in ista inquirere mihi non est animus, ad præcipuum scriptionis meæ scopum & materiam properanti. Noui ego virium mearum imbecillitatem: ac simul in quod theatrum prodierim sentio. Illud tantum cum Poeta disciplinarum osoribus occino:

Quisquis

Quiquis posse negat fieri qua sæpe videntur,
Hic fieri, hunc vestru adytis excludite Musæ,
Noscere nec dignum cœli secreta putate.

V. Lutherus exactis primis adolescentiæ annis, & positis in Magdeburgensi & Isenacensi collegijs humaniorum litterarum fundamentis, Erfordiæ Anno 1501. Philosophiam aggressus, An. 1503. (a) ad Iurisprudentiæ studium sese applicuit, quod ad explicandos olim difficiles legum nodos aptus sibi videretur, & ex forensi facundia (erat enim naturâ dicendi quadam facilitate præditus) laudem speraret. Sed propositum hoc, adeoque Mundum ipsum non multo post reliquit. Vix enim à limine salutatis Iuris principijs, cum studiorum socio in campum animi caussa progressus, (b) repentina superueniente tempestate, socium ante pedes suos fulmine exstinctum vidit, fumo ipse afflatus, ceteroqui sanus & illæsus. B. Annæ, vt incolumis cælestis gratiâ Numinis euaderet, in tantis angustijs voto nuncupato, post quod iteratâ in tempestate & iterum præsenti periculo vehementer consternatus, quasi lauretum aliquod quærens, vbi tutus lateret, terrore magis quam animi deuotione inductus (c) Eremitarum Augustinianorum sodalitati nomen dedit, cœnobium Erfurdense, Anno M.D IV. quum iam XXI. ætatis annum attigisset, ingressus. Historiam hanc ipse recenset in libello quodam qui dem De Votis Monasticis scripsit, & patri suo, quamuis illiterato, nuncupauit. Tam subitam hominis mutationem amici & familiares ipsius magnopere sunt admirati, vt qui hactenus in iuuenili hoc pectore numquam vllam pietatis aut religionis scintillam, sed potius aperta omnium vitiorum ad quæ ætas illa propendere solet, semina & indicia perspexerant. (d) Sed naturam ille ita abscondere non potuit, quin statim initio animi morbum proderet, applicatus officijs humilioribus & mendicationi religiosæ, vniuersitatem veluti Magister Artium interpellauit, & sese ijs exemit. (e) Vix etiam exacto probationis suæ anno, doctrinæ opinione inflatus, primus haberi, ceterisque omnibus imperare volebat: sed breui sacerdotio post alios ordines initiatus Anno 1507. in quadragesima. 2. Maii Dom. 4. post Pascha primitias magno terrore obtulit, (f) demum tamquam fera & indomita bestia, translatus inde. & Vitebergam Anno M.D.VIII. missus fuit, vt ibi forte cicuraretur. Eo tempore perniciosum admodum dissidium inter Augustinianos Ordinis Religiosos exarserat, adeo vt septem Monasteria seu Conuentus contra Ordinis Vicarium per Germaniã Generalẽ conspirarint (g) quorum defensione suscepta Lutherus rebellionis Aduocatus, ad eorum caussam agendam, Romam ablegatus fuit Anno 1510. Nouerant enim ingenium eius astutum, versipelle, & intricatum & ad res eiusmodi, ac præcipue ad alendas dissensiones à Natura quasi factum. Alia quæ de prima ipsius iuuentute & religiosæ vitæ ingressu ab alijs narrantur, (h) omitto vt & illud, quod duin illud Euangelium legeretur, *Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum*, ceu attonitus concidisse, & terribili voce exclamasse dicitur: *Ha! non sum ego, non sum ego*: ex quo tamen facile colligi potuit, qualis ille futurus fuerit, tantoque facilius multis persuasum fuit, à maligno ipsum spiritu fuisse insessum. Sed nihil ego nisi sub bona cautione scribere volo: quin etiam multa vltro tacitus præteribo, ea præsertim quæ ab instituto meo quodammodo videbuntur aliena. Sed age dotes & vitia, quæque alia tam bona quam mala in Luthero fuerint, propius inspiciamus.

VI. Multis tam corporis quam animi dotibus præditum fuisse Lutherum, negari non potest. Nam præ multis Germanis, gente alioquin crasso cælo nata, (i) & quod inde pronum est consequi quandoque hebetiore, ingenio promto fuit & viuo, felici memoria, singulari & facili vernaculæ linguæ eloquentia nemini suæ ætatis concedens. E suggestu declamans, velut ostro percitus, accommodata verbis actione, auditorum animos mirifice percellebat, & velut torrens, quocumque vellet abripiebat. (k) Quæ dicendi gratia & vis

paucis

a *Cochlæus in Actis Lutheri fol. 3. Surius Comment. hist. Anno 17. Matthesius in vita Lutheri Conc. 1. 4. 6. Luth. præf. in lib. de votis.* b *Matthesius in Vita Luth. fol. 6. Selnecc. in vita Lutheri fol. 2 n. 2. Cochl. fol. 2. Melanchto. in vita Lutheri fol 6* c *Paulus Seidelius in hist. Luth l. 1.* d *3. Chytræus in Chron Saxon. fol. 223. ait Anno 1504. factum id, quod alij mense Iulio Anno. 505. gestum aiunt* d *Cythr lib 7. Chron. Sax. fol. 224.* e *Matthesius Conc. 1. in vita Lutheri.* f *Buchholzerus sub Anno 1507. Selnecc ibid. fol. 2. Matthis. fol. 5. a 1. Conc. 4 Lutherus ipse Colloq. Lat. Tom. 2. pag. 13. 14 6. 5. fugiturum se fuisse ab altari nisi sese Prior retinuisset.* g *Cochlæus in Actis Luth fol 3 Matthis. fol. 6. conc. 1. de Luthero. Selnecc. fol 3. Surius.* h *Cochlæus, Lindanus, Surius, Font* i *Tacitus de morib. Germ.* k *Cythr. li. 7. Chron Sax fol. 223. 1. 4.*

paucis apud Septemtrionales populos concessa est, vtpote natura tardos & crassos, vbi plerosque sermonem ad populum habentes, clausis ac mutis, vt ita dicam, manibus, sine vllo gestu velut è libro aliquid recitantes, & tamquam immobiles statuas cathedris affixos videas. Fuit idem omnis laboris patientissimus, quo etiam quasi pro quiete vtebatur: in legendo & scribendo assiduus nisi quantum ei temporis Monialis suæ amplexus eripiebat, quæ magnum ipsi onus & impedimentum fuit, quo minus maiores in studijs faceret progressus) magno & vasto animo, ad audendum prompto, & ad id quo odium vel alius animi impetus ipsum rapiebat, impigro: in conuersatione quotidiana comis & affabilis, ita tamen vt inter Principes etiam & magnæ dignitatis viros, præsertim Propheticum scrutans spiritum, supra ceteros grande quid spiraret. Fuit idem multæ lectionis, vt qui quatuordecim illis annis quibus Monasticam egit vitam, bonos libros sedulo euoluerit. Nullus vel in Philosophia vel Theologia cum ipso Sophista congressus est, (*a*) quem non Labyrintheis nexibus inuoluerit, adeo vt plerique totius Ordinis primas ipsi inter Scholasticos disputatores detulerint (*Fieri enim vix potest*, quemadmodum D. Hieronymus inquit, *vt hæreseos auctor plane indoctus sit.*) Quamuis scripta eius nihil exquisitum aut singulare spirent. Sed hoc sæculi magis quam hominis fuit vitium. Etsi non desunt qui scripta Lutheri à Philippo Melanchthone, discipulo ipsius (sed qui magistro, par euasit) castigata & rudem ipsius & asperum stilum limatum ac politum fuisse, aiunt. Et hæc fortasse causa fuit cur Amsdorfius in Præfatione super primum Tomum Operum Lutheri conqueratur, ea corrupta passim à quibusdam & deprauata esse. Quidquid sit structura eorum monstrat auctorem è numero eorum fuisse, *quibus cura magis est cito quam bene scribere*, (*b*) illius pictoris exemplo qui vix manu ad tabulam posita, iã perfectum sibi opus gloriabatur; quum è contra Zeuxis suam in pingendo vel tarditatem vel morositatem non modo non celaret, sed palam etiam præ se ferret atque iactaret. *Festinans canis cæcos parit catulos*, verus dicit prouerbium. Luthero nihilominus dicendi illa facilitas, & scribendi promtitudo, tum singularis, quo inter dicendum aut disputandum vtebatur ardor & vehementia, primũ apud discipulos, quibus Aristotelis libros explicabat, deinde etiam apud vulgus, postquam è suggestu publice declamare cœpisset, magnam existimationem & fauorem conciliabant. Sed hæc tam corporis quam animi bona ingentia vitia æquabant ac contaminabant, inprimis fera quædam insolens & intolerabilis arrogantia. Dissimulari non potest, inquit Gesnerus Lutheranus, (*c*) Lutherum ingenio fuisse vehementi, & qui neminem qui cum ipso non sentiret, ferre posset. Adeo impatientis hominis animum ambitio transuersum rapiebat. Merum virus lingua eius fundebat: adeo vt aculeos eius & morsus vix quisquam etiam amicorum potuerit effugere. Quin etiam ne sanctissimorum quidem hominum cineri pepercit: quod etiam tã à Bucero, quam Erasmo non semel fuit exprobratum. *Lutherus*, inquit Erasmus, *animum suum iniurijs & conuiciis pascit, nec ijs satiatur vmquam furioso Oresti similis.* Nec minus moribus intemperans, quam in doctrina inconstans ad extremam vsque fuit senectutem: quam repetitis fere cum Solis cursu vicibus mutatam subinde rursus mutauit. Ex hac ipsius inconstantia infinitæ propemodum & inter se pugnantes hæreses exortæ sunt: quemadmodum inter medios fluctus insulæ nonnumquam exsistunt & emergunt. Fuit præterea omnis subiectionis, austeritatis & pœnitentiæ, qua Dei ira placatur, capitalis hostis: ieiunium vero, abstinentiam & castitatem cane peius & angue oderat (*d*) adeo vt non dicere solum, verum etiam publice scribere non erubesceret, naturam sibi non è ligno sed carne & ossibus factam; nec magis se sine feminarum quam vini vsu viuere posse, nec minus renes purgare, quam ventrem exonerare sibi necesse esse. Sed hæc atque alia fœde & nequiter ab ipso dicta & scripta ad nuptias ipsius reseruamus, vt ex ijs Hymenæum atque Epithalamium ei concinnemus. Quid de ambitione eius dicam? quæ vt S. Augustinus (*e*) alibi dicit, vera omnis hæresis mater est. Tantum certe sibi tribuebat, vt tanquam alter Iupiter Mineruam capite inclusam tenere, aut tam-

D quam

a *Cochlaus in Actis, Disputatorem acerrimum & vanæ gloriæ cupidum vocat. Mellerstadius, profundos oculos habentem, & qui Doctoribus negotium esset facturus, & turbas daturus.* b *Vide Epist. Erasmi ad Coclen.* c *In Biblioth. lit. M. Vide Sadolet. ad Sturm. Eras. in Hyperaspiste dialog. aduersus Melanth. contra Epist. non sobriam.* d *Ederus Inquis. Euang. Lutherus Tom. 2 fol. 2. Tom. 5. f. 119. clarissime Andreas de Cornu siue P. Vetter in Luthero, sobrio, casto, mundo &c.* e *Lib. de peccato, cap. VIII.*

quam Hippias alter omnia præterita & futura, scire se arbitraretur. Magnum virum Lutherum futurum fuisse Beza in imaginibus suis dicit, si tantum prudentiæ & moderationis quantum Zeli attulisset. Quod in eo reliquum erat pudoris, immoderata libido; quod timoris, audacia; quod rationis, insania exstinxit. Verum quæ in Luthero præ ceteris insignes fuerunt tam dotes quam vitia, ex ijs quæ postea in vita ipsius describenda dicturi sumus, melius intelligentur. Et certe alius esse non potuit qui vitijs & licentiæ latissimam fenestram aperturus, obedientiam ac virtutem profligaturus, sectæ denique ex omnibus superiorum hæreticorum erroribus consarcinatæ fundamenta iacturus erat. Quam vero in consuendis variarum hæreseon centonibus egregius ille fuerit artifex, ipsa historiæ nostræ series ostendet. Habes, lector, Lutheri natiuitatem, educationem, & primum in Ecclesiam ingressum: videamus porro eius egressum & defectionem, eiusque causam & occasionem. Sed vt legentibus omnia apertiora sint, rem ab ouo, quod dicitur, repetere, operæ precium videtur.

QUOMODO SACRA EXPEDITIO contra infideles à Leone X. PP. promulgata dissidio inter Dominicanos & Augustinianos ansam præbuerit; quo postea schisma est exortum.

CAPVT VI.

ARGUMENTUM.

I. *Leo X. Papa Crucem contra Selimum Turcarum tyrannum iubet prædicari.*
II. *Principum Christianorum erga Papam obedientia.*
III. *Crucis prædicatio terror Othomanicæ familiæ.*
IV. *Pecuniæ ex Crucis prædicatione collectæ Christianæ Reipublicæ defensioni applicandæ.*
V. *Æmulatio inter monachos Augustinianos & Dominicanos, prima huius mali radix.*
VI. *Ei schismati Dux Saxoniæ fauet.*
VII. *Staupitij discessio à Luthero & Saxoniæ Duce.*

I. Dici non potest quanto terrore Selimus Turcarum Imperator vniuersum mundum circa huius sæculi initium impleuerit; adeo vt tam Oriens quam Occidens vel ad famam continuarum eius victoriarum contremisceret. Hic enim populorum domitor & crudelis parricida, postquam debellatis Persarum, Ægyptiorum & Mamaluchorum regibus tot regna & ditiones imperio suo adiecit, nihil aliud nisi vniuersalem Monarchiam somniabat ac cogitabat. Iam ille in opulentissimas Italiæ & Hungariæ regiones oculos defixerat. iam ille Romanum Imperium ad prædam, iam Christianorum templa ad impiæ suæ superstitionis receptacula designabat. Exstimulabat ipsum animus vastus: quem frequens rerum ab Alexandro Magno & Iulio Cæsare gestarum lectio & accendebat & alebat. (a) Horum enim Commentarios in patriam linguam traductos nũquam fere è manibus deponebat: adeoque horum exempla in omnibus ad imitandum sibi habebat proposita. Iam ille catenas & compedes miseris Christianis vinciendis præparārat, non aliter quam Germani olim, qui multos curtus funibus & catenis onustos secum adduxerant, vt ijs Romanos ad cædem & captiuitatem opinionis errore & falsa spe sibi designatos, vincirent. Hoc omnium Christianorum periculo expergefactus Leo X. Pontifex Maximus Deique in magno hoc animarum imperio Vicarius, precibus & ieiunijs publicis Dei misericordiam implorari iussit. adeoque ipse vna cum sacro Cardinalium collegio nudis pedibus septem Romæ maiores Ecclesias visitauit: tum etiam per legatos & Nuncios ad fœdus & bellum contra tam formidabilem hostem Christianos Reges, Principes & Respublicas excitauit circummissis Breuibus seu Bullis Apostolicis, quibus omnes ad assumendum Crucis signum & tam sacram hanc expeditionem commonebantur. Ad Imperatorem missus fuit S. Sixti Cardinalis; ad Galliæ Regem, Cardinalis S. Mariæ; ad Regem Hispaniæ Cardinalis Ægidius; & ad Regem Angliæ Cardinalis Campegius. (b) Quia vero Christiana Respublica factionibus tum distracta erat (quamuis vna vbique omnium esset religio) idem communis omnium parens subpœna Excommunicationis seriò edixit vt pacem omnes colerent, & in quinque annos generales inducias facerent.

II. Huic Edicto morem gerentes Christiani Principes vno consensu arma contra communem hostem vertere instituebant. Maximilianus Imperator & Franciscus I. Galliæ Rex sacro huic bello interesse ipsi decreuerant; ille quidem quum zelo

a *Vide Ionium tom 1 lib 14 & 17. Vide Tillet. & Guicciard lib. 13. Genebr. lib 4. Chronol fol. 716.*
b *Nic. Sand in schis. Angl. fol. 28. & 29.*

zelo tum proprio periculo stimulatus, vt cuius ad latus hostis tam potens & acer sedebat, hic vero tamquam præcipuus sacri huius federis auctor. Postquam igitur iam dictus Rex cum Pontifice Bononiæ congressus esset, multi passim Principes exstiterunt, qui suscepto voto & Crucis signo, militiæ huic nomen dederunt, eum in finem vt bellum ab Europa in Asiam transferrent, & qui barbaris hactenus quasi pro incude fuerant, iam porro pro malleo essent, Sistite hic, inuidi & calumniatores, qui omne malitiæ virus contra Pontifices euomere, omnesque etiam sanctas ipsorum actiones calumniari soletis. Sistite, inquam, ab vna parte notate admirabilem illius humilitatem, qui à nobis, vt vos dicitis, pro Deo habetur, nudis pedibus Ecclesias obeuntis, in pane & aqua ieiunantis, & tam calidis suspirijs & precibus pacem & misericordiam Ecclesiæ, cuius directio à Deo ipsi commissa est, poscentis; ab altera vero parte obstupescite tantam Christianorum Regum ac Principum obedientiam priuatas iniurias tam facile Reipublicæ condonantium, & vnius imperio tanto consensu acquiescentium. Ita quidem conuenerat vt Romanus Imperator, cum Hungaris, Polonis & Germanis Constantinopolim aggrederetur; Galliæ Rex cum Heluetijs, Venetis & alijs Italiæ Principibus Græciam inuaderet; Hispaniæ, Angliæ & Lusitaniæ Reges cum ducentis nauibus bellicis, & centum triremibus à Pontifice instructis Constantinopolim eodem tempore quo Imperator terra, mari oppugnarent. Vides ingentes ad bellum apparatus, & omnes Christianas nationes Crucis signo signatas, ad sacram expeditionem accinctas.

III. Porro sacræ hæ expeditiones, quas Cruciatas vulgo vocant Othomanico imperio semper formidabiles fuerunt, postquam prima hæc verba signis inscripta prætulit: Deus Vult. Hac vna Mahumetes II. aliquandiu quasi fræno constrictus, nihil contra Christianos tentare ausus fuit. *Ego* (ait idem in quadam ad PP. Pium II. Epistola) *mortis Iesu Christi culpam nullam habeo, quinetiam Iudæos à quibus ille Crucifixus est, exsecror & detestor. Cur ergo tu tuos contra me armas? Cur remissionem peccatorum ijs promittis qui bellum mihi intulerint?* Tum quidem Christiani & vno nomine & vna religione coniuncti, sub vno & eodem sacræ Crucis vexillo militabant. Saxo & Italus, Hispanus & Anglus eidem cohorti erant adscripti. Vna & eadem fides, vna eademque lex omnium animos stimulabat, voluntates coniungebat, & ad tam periculosam & vltramarinam expeditionem Principis Christianorum suasu & mandato non solum contra infideles, verum etiam hæreticos suscipiendam animabat. Recte enim ab Epiphanio dictum est, *prauam fidem ipsa infidelitate peiorem esse. Hos enim non credendo credere; illos vero credendo non credere.* Quod si eiusmodi expeditionum exitus non semper votis respondit, æque animos se magis susceptæ, quam feliciter perfectæ sunt. Dei judicia super nos agnoscamus. *Bonum enim Consilium sæpe*, vt Solon aiebat, *infeliciter cadit*: nec valde Mundi judicium curare oportet, omnia ex euentu judicantis. Illud certum est, eiusmodi conatibus hostium sæpe consilia elusa atque elisa fuisse. Negari non potest, si magni illi duo Principes Carolus V. Imperator & Franciscus I. Galliæ Rex vires suas non ad mutuam perniciem & ruinam, sed Turcarum oppugnationem conuertissent, Solimanum de Rhodo & Hungaria nunquam triumphaturum fuisse. Atque, ô, vtinam tot duces peritissimi, tot fortissimi milites tam Germani quam Galli, qui mutua laniena absumti, in medijs patriæ cineribus sepulti iacent, vim suam & arma contra Turcas coniunxissent! Quis non putet immanissimum tyrannum de sua magis salute defendenda, quam aliorum oppugnanda cogitaturum fuisse? Tantum abest vt arma ille vltra Sigethum, quemadmodum, proh dolor, fieri vidimus, prolaturus fuerit. Quin certum est tantum imperium è manibus eius extorqueri, & à Gallica Nobilitate præcipue, cuius pristinam virtutem in Sidonis, Tyri & Hierosolymæ muri testantur, gloriosum salutis nostræ tropæum ex Constantinopolitanæ vrbis turribus ac pinnis efferri, illudque pulcerrimum S. Sophiæ à Iustiniano Imperatore ædificatum templum, ad veræ religionis vsum repurgari potuisse.

IV. Cetervm quandoquidem pecunia belli neruus est, sine qua nihil non dico præclare, sed ne geri quidem aliquid potest (id quod Græci optime intellexisse videntur, dum in eodem templo quod Marti consecratum erat in Delo Insula, thesauros suos asseruari voluerunt) necesse sanctum erat de modis eius colligendæ, & tam arduum opus perficiendi cogitare. Et ad hunc quidem finem, Imperatoris aliorumque Principum rogatu Iubileum per omnes Christianas prouincias fuit annunciatum, vt deuoti homines qui ipsi ad sacrum hoc bellum ire non poterant, ad

eleemosynas & quasi contributionem quandam excitarentur: exemplo magnanimi illius è Græcia ducis, qui cum ad oppugnandam Trojam proficisci ipse non posset, jumentum suum Agamemnoni dedit. Quod ex devotis hisce contributionibus colligitur argentum, non eo destinatum erat, ut S. Sedis calumniatores dicunt, ut in Vaticani seu Capitolii ærarium inferretur; sed ut in stipendia militum, ad instituendam classem, & reliquos tanti belli apparatus erogaretur: parte etiam ejus aliqua magnum illud & superbum S. Petri Ecclesiæ à Julio II. PP. cœptum ædificium absolveretur. Antiqua jam olim fuit consuetudo, ut in ejusmodi necessitatibus Indulgentiarum thesauros recludat Ecclesia, quo ad opem ferendam Christiano nomini, Christianorum auxilia evocentur, iisque ad Paradisum via præparetur, quæ pœnitentia, precibus & eleemosynis planior fit & facilior. Ipsi SS. Patres quotiescunque Christianus aliquis Princeps Ecclesiæ bona involare conatus est, iisdem ad defensionem usi sunt: quemadmodum tempore Ladislai regis Neapolitani factum legimus. Et hodie etiam sacra hæc contributio quam *Croisadam* seu *Cruciatam* appellant, in Hispania, adeoque in Indiis etiam durat, sic ut ab unoquoque capite ad minimum bini Regales, uti vocant, exigantur, à ditioribus vero aut honoratoribus octoni solvantur: è qua pecunia præsidiis, quæ Hispaniarum rex contra Mauros & Turcas continuo alere cogitur, stipendia solvuntur: cujus summa ad vicies centena aureorum millia singulis annis ascendere fertur. Nostro tempore idem à Papa Lusitaniæ regi permittitur, ubi illud nondum fuit usitatum, à primo sacro Christianorum bello, tunc quando infortunatus Rex Sebastianus majori animo, quam viribus, expeditionem contra Maroci & Fessæ regem suscepit, sed in ipsa cum magna Nobilitatis parte periit. Eadem pecuniæ colligendæ ratio in Hispania & Italia nonnunquam adhuc iis, qui bonam Christianæ Reipublicæ operam navant aut navaturi sunt, à Pontifice conceditur: quo minus enim in Gallia & Germania idem hodie usitatum videmus, indevotio vel despectus ejusmodi rerum ab Hæresi invectus, obstat, sic ut ejusce rei causa fores eorum nemo pulsandas censeat. Vidi ego in hac urbe (Burdigala) Alexandrum Nicolo Paronichū, Sangiaci seu præfecti Scutarensis fratrem, & Sinai supremo Bassæ proxima cognatione junctum: qui à Papa Sixto V. Breve impetrarat quo Indulgentia iis qui eleemosyna ipsum adjuvarent, concedebatur. Hic deserta Mahumetana religione, multos Christianos è miserrima servitute liberarat, & eorum opera, edito prius atroci cum Turcis conflictu, duas triremes abduxerat: in quo quum oculos sagittæ ictu amisisset, à Pontifice beneficio aliquo affectus, per Breve illud, à Cruciata in Hispania Consilio approbatum, plus quā viginti aureorum millia collegit.

V. In Germania Albertus Brandeburgicus, Elector & Archiepiscopus Moguntinus, Primas Germaniæ, cui ea potestas à S. Sede tributa fuerat (*a*) hanc Cruciatam prædicandi populumque ad contributionem exhortandi provinciam Joanni Tecelio (*b*) Dominicano seu Jacobino monacho, Francofurti tum commoranti, demandavit: eo potissimum quod hominem hunc ei rei maxime idoneum cognovisset, ut qui jam ante missas in Livoniam & circumjacentes regiones à Pontifice Indulgentias, quo Teutonicis Equitibus Moscovitico bello vexatis succurreretur, prædicasset. Id Joannes Staupitius nobili genere natus, Generalis Augustiniani Ordinis Vicarius, non ad sui tantum, verum etiam totius Ordinis contemptum & injuriam pertinere interpretatus est, ut qui longo jam tempore id muneris in Germania obire consueverat. Et sic hos quidem lucri spes inter se commisit. O ambitiosa avaritia, quam care nobis constas! Non sine caussa Philosophus dixit, nullam capitaliorē Rerumpublicarum esse pestem quam avaritiam: quamvis ambitionem multo magis noxiam esse velit is, qui nulla alia re quam humani generis odio celebratur. O *miseri homines* (exclamabat ille) (*c*) *omnium malorum vestrorum fons & origo est ambitio.* Vera & meliori auctore digna sententia! sed ad rem. Staupitius hac, ut ipse interpretabatur, injuria irritatus, aperte protestatus est eam se minimè laturum. Tecelius econtra, circumissis undique Ordinis sui Fratribus, non viva tantum voce, sed scriptis etiam Indulgentias annunciavit & defendit, ac primus sese iis qui S. Sedem sub Indulgentiarum abusus prætextu oppugnare instituerant, opposuit. Vidisti su-

a *Cochlaus in Actis Luth. Surius in Comment. Anno 1517. Sedelius in Vita Lutheri initio. Matheſius. Selnecc. Melanthon in Vita eiusdem.* b *Cochlaus in Act. Luth. Selnecc. fol. 5.* c *Timon.*

suprà Techellim Persam monachum patriæ religionis ritus mutantem: ecce tibi alium consimili nomine in Europa monachum, eodem tempore antiquam religionem magno animo propugnantem.

Ac veluti si quando leo sitibundus, & esse
Fulmineo metuendus aper, de monte ruentes
Fonticulum ad tenuem properant, dum cedere neuter
Sustinet, in magnas exsurgunt protinus iras,
Exacuunt q; feros dentes, tum plurima dant q;
Vulnera & accipiunt, donec qui robore victum
Se sentit, fugit, & victoris subtrahit iræ:

Sic duo hi monachi, productis quasi etiam nigro & albo colore distinctis fratrum suorum cohortibus, concurrere & digladiari cœperunt (*a*) tanta vtrumque pertinacia, vt velut ex duorum attritu lapidum scintillæ excutiuntur, ita ex horum concursu ignis exortus sit quo vniuersa Christiana Respublica fere conflagrauit. Et Augustinianus inprimis, odio & inuidia, quæ non minus in monachorum claustris quam regum palatijs sæpe regnant, inductus, opimum sibi bolum è faucibus ereptum ægerrime ferens, vlcisci se, & Dominicanis quæcumque posset impedimenta obijcere constituit: id quod facile effecturum se putabat, si modum hunc indulgentias prædicandi tamquã nouum & commentitium salutis subsidium criminaretur, & deuotam Germanorum liberalitatem frigefaceret, auaritiam ac latrocinia quæstorum seu concionatorum exaggerando, & vti mos est maleuolis, vera quædam plurimis falsis ac mendacijs miscendo (*b*). Quis enim eredat, tam procul illorum Prædicatorum D. Dominici filiorum animas ab omni pietate ac Dei timore abfuisse, vt tam exsecrabiles blasphemias, quarum abaduersarijs accusantur, proferre ausi fuerint. At ex contentione hac (*c*) tamquam scintilla initio neglecta, tantum quantum videmus incendium natum est, quod momento longe lateque omnia amplexum, incomparabile damnum Ecclesiæ inuexit, & totum terrarum miscuit orbem.

VI. Primis his motibus statim potentissimus Germaniæ Princeps Fridericus Dux Saxoniæ sese immiscuit, eo quod Moguntino in Archiepiscopatus Magdeburgici petitione fuisset posthabitus, tum etiam quod Ecclesiasticorum magnitudini & opibus inuideret. Tanto ergo faciliores aures Staupitio præbuit, à stationarijs illis seu quæstoribus Germaniam expilari, & paucorum auaritiam vix totius populi opibus expleri conquerenti: eundemque vt acriter sese opponeret, promisso suo fauore & auxilio, est cohortatus. Staupitius à Duce, vti dicere cœpimus, animatus, cœptam telam pertexere summa quidem diligentia allaborauit: nihilominus tamen vt Alexander olim primus Arianismi auctor, hæresi suæ nomen non dedit. (Arrio hunc ei honorem prætipiente) ita Staupitius quoque quamuis primus lapidem, validiori postea brachio vibrandum, contra Ecclesiam conjecisset, sectæ tamen, cujus si non auctor, certè promotor fuerat, nomen dare non potuit, sed honorem hunc, vel potius turpitudinem alteri reliquit. E simili ferè contentione Bohemicum schisma, quod etiamnum durat, extitisse legitur. Quum enim Wenceslao regnante Academiæ Pragensis à Carolo IV. fundatæ Rectura Germanis commissa esset; Bohemi hac ícti sive injuria sive injuriæ opinione, omnem vindicandi se de Germanis occasionem quæsiverunt. Nec multo post homo quidam de schola Wiclevi ex Anglia hæretici libros apportavit; è quibus Joannes Huss, bonus & subtilis Dialecticus disputandi materiam desumit, atque ita portas divisioni seu schismati aperuit. Hic ille est, qui primus hausturn è Wiclevi libris venenum, per scholas passim d sseminavit. Nec segnius Germani ad disputandum & contendendum incubuerunt; præcipua tamen de regimine & præeminentia erat contentio; qua tandem Germani Bohemis cesserunt, qui Joanne Hussio duce novam sibi Ecclesiam formarunt, Rege interea, homine ad serviendum quam ad imperandum aptiori, connivente, nec quidquam contra faciente. De hoc schismate prolixius hic agere supersedeo, ut de quo alibi, quando scilicet Bohemiæ statum indicaturus sum; quæcumque eò pertinent explicare constitutum habeo. Nunc duorum istorum

a *Theses Lutheri contra Indulgentias Anno* 1517. *pridie omnium SS. edita, cum Epist. ad Alb. Archi-Episcopum Mog. Vid. Tom.* 9. *Op. Luth. German. Anno* 1569. *fol* 8. *& seq. Tom* 1 *Ien. fol* 12. *Tom.* 1. *Epist. pag.* 37. b *Selnecc. de Orat. Aug. conf. & vita Lutheri pag* 5. 6. *contra Pontificis potestatem dicta insinuat.* c *Cochl. in Actis Luth. Vienbergius in vita eiusdem referunt quomodo Tetzelius Prædic. Ord. Francofurti ad Oderam statim visis Lutheri Thesibus, alias Theses opposuerit. Item Ioannes Major Eckius Ingolst. ad. Theologus Annotationes in Theses Lutheri, ex quibus ad Disputationem Lipsiensem gradus factus est.*

monachorum de Ecclesiæ, ut illi de scholæ Cathedra inter se contendentium pugnam videamus; & quomodo spiritus discordiæ tertium quoque è suo claustro extraxerit, ostendamus.

QUOMODO DIABOLUS ECclesiam vexaturus, Conventus Fratrum spirituales & Oratoria obeat, atque etiam ineat; quibusque artibus ad seducendos homines utatur.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

I. *Diaboli primi mendaciorum architecti & parentis, in assilienda & turbanda Christi ecclesia consuetudo & versutia.*

II. *Quomodo idem animas hominum à divina abstrahat devotione.*

III. *Solus Dei amor omnem ad diversandum nobis datum locum iucundum reddit.*

IV. *E Monachorum claustris & jam olim, & nostro etiam tempore complures hæretici prodierunt.*

V. *Insidiæ & machinationes quibus diabolus in supplantandis animabus utitur.*

VI. *Contra Angelorum Sanctorum studium in iis servandis.*

VII. *Lutherus à vita Monastica desilit.*

1. ILle, ille, inquam, qui vix creato è Nihili visceribus hoc Universo, nefarium in ipso cœlo bellum Deo inferre ausus est (quique postea hic in terra jam ultra pluries mille & sexcentos annos bellum contra hominem à se per serpentem in terrestri Paradiso victum (*a*) non minus strenuè quam continuo gessit) non tam vi quam versutia (*b*) omnibus in rebus utitur, ut qua omnes hujus Mundi homines vincit: quumque Creatori nocere nihil possit, in Creaturam jram suam effundere studet, non aliter quam latrunculi, qui hostium acie præterita, sarcinas non tam victoriæ quam prædæ spe invadunt. Solet idem ut S. Hieronymus quodam loco notat, bellum homini illaturus, non aperto Marte pugnare, sed insidias locis opportunis collocare, aut excubitores corrumpere. Idem tamquam explorator astutissimus, alieno assumpto habitu, adversariorum suorum qui Deo serviunt, quorumque curæ & custodiæ Dei domus commissa est, fossas, valla & propugnacula transcendit, ibique curioso oculo omnia notat, illud inprimis, quomodo vigiliæ habeantur, id est, qualis vita ab Ecclesiæ Prælatis ducatur. Novit enim Religiosorū Deoq; dicatorum hominū domicilia Christianæ Reipublicæ esse propugnacula, secessum pietatis, fugam vitiorum, & latebras innocentiæ tutas. Ibi inclusi vivunt, qui ut in spiritus libertate dignius ac melius Deo servire, & tentationes quibus homines in hoc Mundo vexari solēt, effugere possint, carnem domant & castigant: eoq; tam vita quam nomine Religiosorum, ab iis qui in Mundo vivunt, discernuntur. (*c*) Hic ille omnes angulos, omnes recessus & latebras excutit, an fortè animam aliquam ægram ejusq; vitæ rædentem invenire, ac nanciscī aliquem possit (*d*) quem carceris, flagellorum, cilicii, jejuniī pertæsum cato titillet, cui sanguis bulliat, quemque venter ad helluationem vocet: qui denique tamquam Psyllus aliquis, veneno suo aërem & terram postea inficiat. Ubi jam quasi ex venæ tactu animadvertit illum renium febri teneri, alium aliquo alio malè affecti animi morbo vexari, ut qui luxuriam præferat continentiæ, crapulam jejunio, libertatem obediētiæ, humilitati gloriā, opes paupertati: Deus bone quāta solertia magnus ille Venator plagas suas explicat, Vulcania retia tendit! immo ut prædam tanto certius assequatur, nassis suis aquam, plagis terrā, & retibus aërem undique impedit. Diabolus superbissimus spiritus, (ajt Religiosius quidam (*e*) ejus tentationibus sæpè vexatus) eodem modo quo domino suo servire sibi vult. nec hoc contentus, etiam quos potest servitio ejus subtrahit, ut quasi de ipso Deo triumphet. Tunc enim plenam sibi adeptus victoriam videtur. Mavult ille sibi serviri à Christiano quam à Judæo, à Catholico quam ab hæretico, à Religioso quam à sæculari. (*f*) His (Religiosis scilicet) multo lautius stipendium solvere paratus est, propterea quod Deo sacrati fuerunt. Eiusmodi vasa si fortè profanaverit, summam Deo contumeliam feciſſe se putat; non aliter quam si quis, ut de hoste acerbius se vindicet, lectum ejus nuptialem polluat. Et quamvis ipse Monasteriorū, hic in montium & rupium cacuminibus, ibi in profunda & obscura valle, alibi inter saltus avios, alibi in vastis solitudinibus sitorum positus à proposito eum deterrere quodammodo deberevideatur: videmus tamen nec claustris, nec habi-

a *Gen. 3.* b *2. Cor. 11. 2. &c.* c *Vide Platum de bono Status Religiosi.* d *1. Petri. 5.* e *Albaspin. in Elagel. Elob. 40. 8. &c. Habacuc. 1. 16.*

habitus duritie, nec lectorum asperitate vultus & morum, assultus ejus vitari aut impediri posse. Nullus est locus tam munitus, quem non invadat, nullus tam altus murus, quem non transcendat, nullum tam profundum flumen, quod non traijciat; nullæ tam sollicitæ excubiæ, quas non in soporem det; nullum claustrum, quod non perfringat; nullus tam vigilans canis, quem non incantet; nulla tam valida porta, quam non aperiat, non quidem arietis aut tormentorum ictibus; sed astutia & mille eiusmodi artibus. Hi sunt illi arietes, hæc tormenta & machinæ, quorum vim & impetum sæpenumero sensisse se bonus ille Monachus mihi dixit.

II. Omnem diaboli laborem S. Chrysostomus in eo versari inquit, vt ingressum reperiat: id si consequutus sit, iam rem quasi pro confecta habet, numquam ille vacuis abscedit manibus, vt qui ad perdendos homines semper vigilat, quos inobedientiæ suæ socios sibi esse cupit, vt Deo contumeliam faciat. Nam sicut Deus est auctor Naturæ, ita Sathanas eiusdem est destructor. Ille est vitæ fons, hic mortis principium: ille Veritas est, hic mendacium: ille origo & pater luminis, hic tenebrarum: ille auctor gratiæ, hic peccati. Diabolus serpentis pellem induit vt hominem sub iugum suum mitteret; Deus vero hominis naturam assumsit, vt ex infernalis serpentis eum potestate liberaret. Ille vt facilius & felicius pugnet, omnibus armis stat instructus, plurimos ac diuersos quasi harpagones manibus tenens, quibus homines ad se attrahat. ille vigilat quãdo homines dormiunt; laborat quando illi quiescunt. Adest ille mane (vt idem inquit hoc ipsum expertus Monachus) vt sacrum totius diei pensum nobis interuertat; meridie, vt discontinuet; vesperi, vt corrumpat. Non illi noctu laterna aut face opus est, vt nos inueniat; est enim ei nox pro die, & tenebræ pro luce. Omnes nostras ille obseruat actiones. Edentes ad intemperantiam; ieiunantes ad arrogantiam irritat. Arma ille ad defensionẽ nostri apprehensa in ferulas, quibus nos percutiat, remedia in venenum, libertatem in carcerem, vertit. Et sicut in S. Scriptura pluribus ille nominibus insignitur (dicitur enim Tentator, Calumniator seu Diabolus, quod proprium ipsi nomen est, Serpens, Leo, Aduersarius, Sathan, Princeps Mundi & tenebrarum, qui glorioßimus ipsius est titulus) ita idem diuersa quoq; retia & decipulas habet, tam locis & temporibus quam personis accommodata. Et quemadmodum piscatores non diuersa tantum instrumenta, sed diuersas etiam escas habent, quas, pro ut vnumquodque piscium genus ijs capi norunt, eis obijciunt; ita magnus hic piscator varijs quoque ad inescandos homines vtitur irritamentis, nempe varijs Mundi illecebris carnisque voluptatibus, & delicijs, opibus, ac præcipue dulci illa & tantopere amata hominibus libertate seu licentia, qua tot infelices animæ perduntur. Et quemadmodum mare quantumuis vastum ac profundum nihil sordidum aut morticinum patitur, sed è ventre suo quæcumque talia in litus eijcit; sic, Ecclesia quamprimum animam aliquam intra sua viscera veneno infectam incurabilem esse sentit, eam à se segregat, & ei, qui illam iam possidet, tradit.

III. Locus non potest quietem animo afferre. Solus Dei amor quemuis commorandi locum gratum facit; tum scilicet, quando abiectis priuatis affectibus, semetipsum quis abnegauerit, crucemque suam in collum sustulerit. Nam velut oculus (vt S. Basilij vtar similitudine) qui in continuo est motu, & modo huc modo illuc, iam sursum iam deorsum respicit, nihil recte peruidere potest, sed ad exactè videndum necesse est vt vno obtutu defigatur: ita hominis ingenium mille curis & sollicitudinibus distractum, veritatis cognitionem assequi non potest, nisi omnibus desiderijs & cogitationibus leuetur & euacuetur, quæ à cœlestium rerum contemplatione auocant, & (vt cum Poëta loquar) *diuina particulam aura* humi affligunt. Sic etiam impossibile est vt anima Dei amori immersa naufragium faciat. Neque enim Deus vmquam hominem deserit, vt Cyprianus testatur, nisi prius homo Deum deseruerit. Talis vero Dei ac Domini desertor continuo etiam in solitudine, vbi Deus plerumque frequens est, commorandi desiderium amittit. Pulcerrimos Ecclesiæ flores, ait S. Hieronymus ad Marcel. in solitudinibus succreuisse. Sed vt rosa ad solis radios sese expandit, vesperè vero marcescit, ac tanto magis pulchritudinem suam perdit, quanto magis sol claritatem suam retrahit: eodem modo qui etiam minima ex parte ad Mundi tenebras & noctem redit, statim frigescere animam, & ad spiritualia exercitia segniorem se fieri sentit. Et quemadmodum ignis exstinguatur necesse est, cui materia fuerit subtracta: ita amor Dei statim expectoratur quamprimum terrestrium rerum cura animum tetigerit, & quasi è domi-

domicilio suo transtulerit. Et vt venenum quam primum ad cor peruenerit, corpus enecat; sic vbi affectus animi & cupiditates rationem expugnauerint, ilicet anima ab ijsdem morti est tradita.

IV. Locorum illa solitudo iam olim diabolum non prohibuit quominus in illis Iouinianum, Theodorum, Pelagium, Eutychetem, Timotheum, Henricum, alioſque monachos & Religiosos inuenerit; qui velut sub diuersis signis, sub vnius tamen ductu & auspicijs, nefario Ecclesiæ indicto bello, domum Dei oppugnarunt, & partim etiam diripuerunt; discordiæ zizaniam inter bona pacis grana seminarunt; & mortem vbi viuifica fides vigebat, plantarunt. Numquam hostis ille Ecclesiam acrius aut periculosius quam per eiusmodi apostatas oppugnauit. Ex his locis Sergium ille produxit, à quo detestabilis Mahumetana secta cusa est. Ex his locis idem nostro tempore tot stultos iuuenes ad Mundi delicias & voluptates retraxit. Nulla domus aut familia est Religiosorum quæ impias eius manus & rapinam euaserit. Augustinianis ille abstulit Martinum Lutherum; Dominicanis Bucerum; Franciscanis Conradum Pelicanum; Carmelitis Viretum & Petrum Richerium; ex S. Brigitæ ordine abduxit Ioannem Oecolampadium; è D. Bernardi ordine Thomam de Thielt; è Capucinorum cellulis detestabilem illum hominem Bernardum Ochinum; ex Carthusianorum solitudine Petrum Martyrem protraxit: vt multos alios eiusdem notæ taceam, vt Pomeranum Bugenhagium, Musculum, Munsterum, Marloratum, Virellum, Solon, Parrocelj, Lesspine, Beraut, &c. qui exoriente Lutheranismo & Caluinismo hinc inde per varias Europæ regiones, ad colligendos sibi stultæ impietatis socios, discurrerunt. Et hi quidem excerebrati & excucullati Monachi tamquam immundæ sues in stercoribus & sordibus huius Mundi sese volutarunt, & cilicio, cucullo & pera abiectis, ad pallium & puellam conuolarunt, non iam latus rosario, sed gladio cinctum ostentantes.

V. Diabolus, vt testatur D. Gregorius, insidias alicui homini structurus, primum dispositionem eius & affectus explorat, atque exinde laqueos suos nectit ac tendit: hac in re aucupes imitans, qui non vno sed multis modis volucres captant. Aliter ille superbos venatur, quorum ambitio vltra cœlum ascendit; aliter auaros, qui ceu talpæ terræ visceribus inclusi viuunt: aliter luxuriosos, qui velut hirci nihil nisi vbi libidinem expleant, quærunt; aliter timidos, qui suam, instar ceruorum, vmbram ipsi metuunt. Hinc versutissimus ille piscator escam illam hamo imponit, quam à piscibus maximè scit expeti, nihil omnino admiscens quod gustum ipsorum posset corrumpere. Insciti esset auarum luxuria, luxuriosum auaritia, hominem ab omni ambitione alienum superbia tentare. Nouit Panurgus ille, quem nihil istarum rerum latet, quibus muneribus singuli captari debeant. Hinc auaris iumenta mittit auro onusta, quibus arcem eorum facile se scit expugnaturum: Samsones ille in Dalilæ ponit gremium, quæ abrasis capillis, omne eis rumpendi vincula robur adimit: Superbis alas addit, quibus quanto illi altius ad cœlum euolant, tanto miserabiliori ruina decidant, & ad infernum vsque deprimantur. Sic alijs alia, & quidem vnicuique id ad quod naturâ maxime propendet, suggerit & subministrat: tantoque magis quemque impellit, quanto faciliori sponte duci se quisque patitur, vt in omnibus apostatis videre est. Sic ille cum eremita aut Religioso cuiuscunque ordinis homine agit, sic ad cor loquitur: Miser homo! quid tibi opus est carnem affligere, ieiunare, vigilare, cilicium portare, monasterio te includere, ac totam vitam in solitudine exigere? Miser Capucine! Cur tu corpori vilissimum pannum injicis? cur cilicio pro lintea subucula veteris? cur nudis incedis pedibus? cur somnum capturus, stoream pro lecto tibi substernis? vni vnicæ vesti ita inclusus veluti & affixus, vt mutare eam numquam, immo ne in extrema quidē hora, frigido & lethali sudore ex omnibus membris dimanante, induſium tibi sumere liceat. Cur tu, miser Flagellator, à carnium esu abstines, & tanta austeritate vitam traducis? Et tu Carthusiane, ecquid est quod præter tot tamque acerbas carnis macerationes, charissimorum societate te priuas? ne verbum quidem cum vllo homine sine venia loqui audens, & ad vmbrosam illam solitudinem tamquam perpetuam carcerem damnatus. Quin tu meum audis consilium. Perfringe hunc carcerem, erumpe è custodia, & ea vtere libertate quam Deus tibi dedit. Liber natus es, non seruus. Quid attinet vt in tam exiguo vitæ curriculo tibi ipsi dulcem huius luminis vsum eripias? Non tam rigidus aut immisericors est Deus vt hoc à te exigat. Christus sua passione & morte pro te satisfecit. Vbi quæso in SS. litteris mandatur homini, vt sibiipsi compedes velut injiciat, tantaque perferat' & patiatur quò cœli compos fiat? Mera hæc est superstitio

stitio. Potes tu sine Dei offensione voluptates ac delicias hujus Mundi gustare, genus tuum pulcrorum liberorum procreatione ad posteros propagare, *& cum formosa conjuge dulce ævum exigere: quo nihil homini optabilius aut beatius contingere potest* (a) Quin tu ætatulam hanc primamque lanuginem Veneri & voluptatibus, canos vero demum Deo consecras, hæc illi pars debetur. Et tu, quem Deus tantis ornavit donis: an te ipsum vis abscondere? an tuis ipse luminibus vis obstruere? Potes in tanta religionum diversitate quibus Deus in hac terra colitur, aut doctrinam tuam aut eloquentiam tuam ostendere, aut eas consequi dignitates in quibus & patriæ & Deo simul serviasi potes divitias acquirere, neque in tam miserabili paupertate perire. An cœlum eremitis tantum & monachis est conditum? Nuptiæ aut opes non Abrahamum, non Davidem, non alios illo exclusere. Temerè votum fecisti. Non tam justitiam suam, quam tuam infirmitatem Deus respiciet. Paullulum degusta ea quæ sunt in Mundo. Ubi voles, reverti poteris. An tu sanctior es Davide, sapientior Salomone, Samsone fortior, qui optimam vitæ partem inter mulierum amplexus exegerunt? Quin tu miser compedes hos abiicis, & tam asperæ vitæ incommoda cum Mundi deliciis commutas? Quid tu extremam illam vitæ horam metuis? Crede mihi tunc unum *Miserere*, aut *Mea culpa*, omnibus miseriis & culpis te liberabit, & ad cœlestem vitam perducet. non minus quam infamem illum cum Christo Cruci affixum latronem. Hoc ferè modo diabolus caussam suam agit, hujusmodi persuasionibus ad seducendos homines utitur: ut latius apud eum videre est, qui Flagello suo apostatas usque ad sanguinem castigavit. Et quoties putamus, etiam in duro strato & cilicio jacentibus ab impudentissimo hoste jam feminarum pulchritudinem, jam divitiarum commoda, jam carnis voluptates, atque alia libidinum fomenta subijci? Harū tentationum aculeos D. Hieronymus quoque, solitariæ vitæ decus, sensisse se ipse fatetur, (b) inquies: *Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram, horrebant sacco membra deformia; & squallida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus immineus oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebã, de cibis vero & potu taceo, quum etiam languentes monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquod accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore; & ante hominem sua jam carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant.* Ecce qualem quantumque virum diabolus tentare non dubitârit. Jisdem artibus ille S. Antonium in solitudine oppugnavit. Ut namque aurum & argentum à monetariis jam sectione, jam Lydii lapidis contactu, jam malleo, jam igne probatur: ita illi quoque quos Deus toros sibi vindicare constituit, variis ab eo modis tentantur.

VI. Verumenimverò quemadmodum ab una parte malus angelus eos quos è matris Ecclesiæ gremio abducere vult, assiduis vocibus & tentationibus fatigat: ita ex altera parte bonus Angelus eos ad quos non solùm in vita, sed divina quoque gratia & cœlestis beatitudinis fruitione custodiendos, à Deo est appositus, confirmat & confortat. (c) Et profecto in hac ipsa eremitica vita boni Angeli etiam malos multo frequentius aggrediuntur, & hoc ferè modo compellant: *Agite, amici nostri & socij: reddite Deo creatori vestro votum quod fecistis. Ut nihil temerè promittendum; ita promissa religiosè servanda sunt. Exigua est pœna hac temporalis æterna remunerationis, quam exspectatis respectu. Pulchrè & benè negotiatur, qui parum perdit ut plurimùm lucretur. Istis ubi vos jam degitis locis multò simpliciùs ac candidiùs vivitur.* (d) *Rariùs hic homo labitur, rariùs peccati laqueis implicatur, si quando cadat: faciliùs erigitur. Major hic cautio adhibetur in vita gubernanda; major securitas sentitur in quiete capienda. Dona Dei largiùs hic diffusa sunt; & quod acquirire hic quisq; potest, omni spe & voto majus est. Solitudo omnes sedat perturbationes, & rationi tēpus ac facultatē largitur ex animo eas evellendi. Ut enim feræ bestiæ tantò faciliùs cicurātur quantò mansuetius tractantur: sic animi cupiditates, ira, pavor, tristitia, quæ validæ animi sunt compedes, facilius subiguntur ut rationi pareant, quando subsidere jam incipiunt, neq; continua agitatione iritantur atq; efferantur. Hic fugiēdo pugnatur. Nè vos, nè cogitate claustra & septa vestra*

a *Lutherus ad cap. 30. Proverbiorum in glossa marginali Bibliorum Germanicorum doctus ab hospita sua Vidua Isenaci.* b *Epist. 22. ad Eustochium.* c *S. Ignatius Lojola in libello Exercitiorum Spir. de motibus quos diversi Spiritus excitant in anima.* d *S. Bernardus & alii Ascetæ, præcipuè Hieronymus Platus de bono statu Religiosi.*

carcerẽ esse. Mundus est quẽ reliquistis: Mundus, inquã, qui nihil aliud est quam fœtida omnium malorum cloaca; quibus, è Mundo egressi, liberati estis. An solitudinis vestræ & cellularum umbras densiores esse putatis plusquã Cimmeriis Mundi tenebris? An catenæ, quibus mundanorum hominum animæ vinctæ sunt, graviores vobis videntur quam funes quibus renes vestri cinguntur? O quantò plus immunditiei & fœtoris est in Mundi carcere quam in vestro: si modo carcer dicendus est. Non, non hic carcer est, ut Diabolus vobis persuadere conatur, ubi captivi teneamini; sed arx potius, in qua præsidium agitis, nè diaboli laqueis irretiamini, & in æternam incidatis captivitatem. Qui voluntariè huc ingrediuntur, non minus liberi hic sunt quam in quacumque alia domo. Quid ægrè fertis intra terram includi, quum cœlum vobis sit apertum? An recludi timetis vos qui odore estis suavitatis? Non curare oportet quo loco in Mundo sitis, modò extra Mundum sitis. Qui in Deo morantur, non sine domo sunt. An vos primi estis qui à Mundo se segregarunt? Nequaquam: sed instituti vestri laudare potestis auctores Heliam, Helisæum, Ioannem Baptistam, Antonium, Paullum, Macarium, Hieronymum, Bernardum, & alios vitæ sanctitate & miraculorum claritate admirabiles. Per deserta & solitudines Deus populum Israeliticum ex Ægypto in Terram promissionis duxit: in deserto eidem populo Lex data est, in deserto Manna pluit, in deserto serpens ille salutifer fuit erectus. Quid? ipse D. N. & Servator Iesus Christus nonnè deserta loca maximè frequentavit? In deserto transfiguratus, in deserto baptizatus est, in deserto magna idem fecit miracula. Quod si per voluntariã paupertatem, Mundi divitiis privati, in solitudine degitis, cogitate regnorum & opum Mundi oblatione Salvatorem vestrum à Sathana tentatum fuisse. Omnibus bonus dives est qui cupiditatibus pauper est. An aliud quam pauperes esse cupitis, quos Deus pauperes in hunc Mundum misit, & eosdem pauperes rursus est revocaturus? Quin ipse vester Dominus & Servator pauper factus est, adeò ut quò caput reclinaret non habuerit. Vt eum sequeretur, S. Petrus naviculam suam & retia reliquit, S. Matthæus teloneum, & omnes omnia: non ignari eis qui nulla re impediti, alacriter ipsum sequũtur, nihil deesse posse. In magno periculo miles est, qui propinquo hoste sarcinis onustus incedit. Ejcite, ejcite hanc terrestrium rerum cupiditatẽ ardenti cœlestium desiderio; hujus terræ vilitati inæstimabile cœli precium opponite. Agnoscite mundanarũ rerũ incertitudinem & fragilitatem; quæ tamquam nubes ex uno climate in aliud, ex uno hemisphærio in aliud transvolant, ut tandem in nihilum abeant. Quis bona hæc dicat? nisi per antiphrasin fortè, ut quæ omnium malorum causſa sunt & radix. Epulonem illum ad infernum opulentia; Lazarum ad cœlum paupertas deduxit. Sed quid? An Mundi dignitatibus animum vinci patiemini? Dicite mihi, sultis: quam Dictaturam, quem magistratum Salvator vester gessit aut exercuit? Annon ille eorum qui Regem ipsum facere volebant, oculis sese subduxit? Primus apud homines gradus, ultimus est apud Deum. Falsus hic splendor, quem diaboli instinctu tanta contentione sequimini ut spiritus prius quam voluntas sequendi vos deficiat, est instar facularum illarum terrestrium quæ noctu circa flumina aut paludosa loca aberrare videntur. Vt enim hæ non nisi in tenebris lucent, & sequentes se in aquas præcipitant; ita sæculares pompæ & dignitates nullam claritatem habent, nec videntur aut expetuntur nisi ab iis qui in mediis huius Mundi tenebris oberrant. Quod si oculos à cœlesti illo lumine averteris, fateor, insolito fulgore eosdem præstinguent; at sequentem te ad voragines & scopulos naufragiis infames deducent & impingent. Incessit carnis edendæ cupiditas? Recordare, Israelitis eo quod cœlesti Manna non contenti, ad ollas & carnes Ægyptiorum respexerint, coturnices quidem à Deo datas fuisse, sed carnem hanc carè ipsis constitisse. Non nisi sero homines carne vesci cœperunt; ac tum demum quum iam à priori statu & perfectione humanũ genus plurimum degenerasset: cuius salus ut ingluvie fuit deperdita, ita ieiunio reparari debuit. Sic Ninivitæ ieiunij beneficio divinã iræ furorem evitarunt. Moses, Helias, & ipse D. N. Iesus Christus ieiunarunt. Perstringunt oculos tuos vestes sericæ & preciosæ? At quid tu bestiæ mortuæ exuviis te iactas? quem honorem speras ex eo quod ob confusionem & turpitudinem gestas? In statu innocentiæ nudus incessit homo; nec prius vestitus fuit quam detracta ei fuit innocentia. Non illi ad ostentationem, sed ad tegendam turpitudinem vestis fuit inducta. O quantò in oculis Dei formosior fuit Ninivitarum saccus, aut D. Ioannis Baptistæ tunica è pilis camelorum contexta! Sub sordido pallio sæpè latet sapientia, immò vilis & contemtus vestitus nonnunquam pulcherrimi & ditissimi animi index est. Lectorum mollitiem desideras? An Regum & Principum milites exigui spe præmii non sub pellibus tantum, sed sub dio etiam, pruina & nivibus cooperti, adeoque gelu panè enecti noctes exigunt: & tu Iesu Christi Regis Regum miles, certus cœlestis & æternæ mercedis, in duriori aliquãtũ strato quietem capere non sustineas? Rex noster pro nostra salute Patrem deprecans, in monte oliveti in terram se prostravit; ipse pro nostra salute in duro Crucis ligno expandi se passus est: & tantum amor ipsius apud te efficere non potest, ut le-

lecto aut aut strato meliori tibi ipse interdicas? Iacobus Patriarcha non in lecto, sed in terra dormiens, nec pulvinar capiti, sed lapidem substratum habens, scalam illam cœlestem, illam S. Crucis figuram, & Angelos per eam ascendentes vidit: atque evigilans illum ipsum locum ubi tam duriter cubuerat, sanctum esse pronunciavit. Serpens hic est, qui prohibitum tibi offert pomum, ut in æternam te pertrahat damnationem. Dalila est, quæ sinum suum tibi offert, ut in suis illecebris obdormiscas. Bersabea est, nudam se oculis tuis ingerens, ut post commissum contra Deum adulterium, homicidio quoque animam tuam perdas. Concubinæ Ægyptiæ sunt, quæ conjugii specie te ad fornicationem & idololatriam allicere student. Quis Apostolorum, ut caput & magistrum suum sequeretur, uxorem suam non reliquit? Sciebant illi, non esse militis in bellum proficisci, uxori lateri adhærente. Qui cœlibes vivunt, nihil curant, quam quomodo Deo placeant. Quid miseri? an regula vestri ordinis dura vobis videtur? Quomodo capitis spinis coronati membra fieri potestis, nisi per castigationes & carnis mortificationem? Sed esto: duræ sint ejus quam vos sequemini militiæ leges & disciplina. An propterea desertores fieri, & cum ignominia ad hostes transfugere vultis? Militaris virtus in laborum tolerantia præcipuè consistit. Pagani athletæ ex ipso labore vigorem sumebant. Non pugnanti corona non datur. Non nisi victori laurea imponitur. Quin ergo in claustrorum vestrorum circo fortiter contra diabolum Antagonistam vestrum puggnatis: ubi Agonotheta vester est Jesus Christus dux Spiritus S. spectatores Angeli & homines, præmium corona cœlestis.

VI. Hoc ferè modo existimemus custodes illos fideles, hominem contra diaboli insidias actẽtationes excitare atque animare; sic illi Sathanæ sese opponunt assultibus; sic alas expandunt super pullos suos, ne infernali aquilæ circumcirca volitanti præda fiant. sic denique boni & mali spiritus de animarum salute vel tuenda vel perdenda concertant. Quod si inter tam multos aliquis reperiatur, qui carnalis quum sit, carni adhæreat, & mundanus, à mundo abripiatur, relictoque custode sese lupi faucibus obijciat, ei illud occini potest: *Perditio tua exte Israel, dicit Dominus.* Et illud Salvatoris nostri: *Quoties volui te congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Ex horum numero Lutherus fuit, Seductoris præda factus, dum declinat discipulus esse Salvatoris.

Ad hunc in Conventu Erfurdensi Augustinianorum degentem primam ille machinam admovit cum vilia quædam & abjecta negotia illi sunt demandata, scilicet ut scopis purgaret loca sordida, ut custodis officio fungeretur, ut Ecclesiæ fores aperiret clauderetque, ut horologium dirigeret, exiretque subindè mendicatum sacco cervicibus impositio, & quæ sunt hujus generis quibus ad sui ipsius contemptum & veram humilitatem manu duceretur: nam persuasit illi vafertimus Spiritus indignum esse, hominem Magisterii laurea decoratum adeò contemptum haberi, suggessitque ut Universitatem interpellaret, cujus interventu ab hujusmodi molestijs exercitiis liberatus fuit. (a) Idem versutiarum artifex eidem discipulo suo, jam in minoribus doctrinæ suæ assueto, persuasit, ut cum jam Doctor Theologiæ esset promotus (b) contra juramentum, quo obstrictus erat Erphordiensi Academiæ, sui fiducia elatus D. Thomam alioqui Scholæ Doctores inter docendũ cæperit carpere & sugillare, quasi paulatim sibi sterneret ad explodendos Theologos & evertendam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, quam Scholastici à majoribus suis acceptam adhibita methodo diligenter, explicatam posteris tradiderunt. Ad horum autem opprimendam authoritatem, usus est duplici stratagemate, nempè primò asserebat Evangelii sinceram doctrinam obscuratam esse Philosophiæ quadam eluvione, per Scholasticorum Theologorum culpam, qui loco Christi & Apostolorum Aristotelem & gentiles induxerint in Ecclesiam. Secundò Literatores seu Humaniorum studiorum cultores in suam partem adversus Scholasticos tãquam barbaros attraxit, in quorum numero fuit etiam Erasmus Roterodamus, sub initium hujus dissidij, donec is in rem profundius inspexit, & pedem serò retraxit (c) Ad hoc ꝓpositũ Luthero affulsit occasio opportuna, dũ Staupitius è Saxonia in Inferiorem Germaniã ad SS Reliquias colligẽdas missus à Friderico Electore Saxoniæ, Luthero vicem suam demandauit, qua ille non ignaue usus fuit. adeo vt ad Ioannem Langum ipsemet Lutherus

a *Caspar Vlenbergius in vita Luth. cap. 1. num. 3. ex AA. b Selnec. 18. Octob. An. 1512. per Andream Carolstadium promotum docet Bucholzer. 19. Octob.* (c) *Vlenbergius in vita Lutheri cap. 1. num. 5.*

glorioſe ſcriberet: *Theologia noſtra & S. Auguſtinus proſpere procedunt & regnant in noſtra Vniuerſitate Deo operante, Ariſtoteles* (nempe Philoſophia) *deſcendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram ſempiternam. Mire faſtidiuntur Lectiones ſententiaria* (*nempe Theologia Scholaſtica*) *&c.* (*a*) maxime vero tunc Diaboli verſutia ingenio huius hominis abuti cœpit, quum infelix illa inter Dominicanos & Auguſtinianos de Indulgentiarum prædicatione contentio exarſiſſet. Quam ille fouere cupiens, iuuenem hunc monachum rebus ſuis valde commodum fore videbat. vtpote audacia & confidentia plenum, ſophiſtam præterea, non indoctum volubilis Sermonis, & ex hoc ipſo ſuperbum & ambitioſum: & qui quum fræno opus haberet, gloriæ calcaribus quum à ſe ipſo tum ab alijs (*b*) incitaretur. Et hæc quidem ambitio præcipuus fuit vncus quo diabolus eum in rete ſuum pertraxit: vt qui magnifice ſe circumſpiceret, ac nihil non ſibi tribuendum exiſtimaret, videns vnum ſe è tam multis ad hanc quæſtionem agitandam electum. Singulare hoc diaboli eſt artificium, & quaſi duplicatus ictus quo ille ad extremum fere contra eos vtitur qui reliquos eius ictus fortiter exceperunt. *Superbia*, teſte Auguſtino, (*c*) *communis omnium hæreticorum mater eſt.* Et alius ait, *in Hæreſeos regno Ambitionem & ſuperbiam primas tenere ſedes.* Quatuordecim annis Lutherus in Monaſterio vixit, ad rebellandum ſemper pronus, inconſtans, & quotieſcumque turba aliqua aut diſſidium inter Fratres exſtitiſſet, dux magis partium quam aſſecla. Hoc ſcilicet hominum genus diabolus quærit. Placidis & quietis amantibus ingenijs non vtitur, ſed feris, impetuoſis & vana gloria ac ſuperbia inflatis. Talis Lutherus fuit; inſtrumentum ſcilicet diaboli rebus promouendis aptiſſimum, vt ex triſtis huius hiſtoriæ ſerie patebit.

QUOMODO LVTHERVS PVblicè è ſuggeſtu docere cœperit: & quam ob cauſam.

Caput VIII.

ARGVMENTVM.

I. *Controuerſia ſiue contentio inter Auguſtinianos & Dominicanos de Indulgentijs orta.*

II. *Staupitius Luthero concionandi dat negotium.*

III. *Lutherus in oppugnandis Indulgentijs mirifice deſudat.*

IV. *Ad Epiſcopos de ſuo concionandi inſtituto & materia ſcribit.*

V. *Indulgentiarum inſignes abuſus, à Fr. quodam Thoma enarrantur ac deplorantur.*

VI. *Iuſta Dei aduerſus eiuſmodi abuſus iudicia.*

I. QVEMADMODVM Martis olim ſacerdotes inter duos exercitus conſiſtentes, faces accenſas conijciebant, vt eo ſigno dato impetus fieret, ac hoſtili acie concurreretur; ſic diabolus vbi duas velut Auguſtinianorum & Dominicanorum legiones in mutuam perniciem armatas & in procinctu ſtantes vidit, oleum igni modis omnibus ſuffundere allaborauit, ac præcipue partium duces, quorum pleriſque de ſua magis quam Dei gloria, ac de olla potius quam animorum ſalute, certamen erat, inuidia, odio, auaritia & ambitione accendit. In quo certamine boni quidem ſancto diuinæ gloriæ zelo impellebantur, veruntamen cæcum malorum impetum ſiſtere aut cohibere non potuerunt. Sic ergo duo hi Monachorum ordines velut collato pede & infeſtis ſignis congredi cœperunt, Luthero vnius, Tecelio alterius partis duce & anteſignano. Agnoſcamus hic iuſtum Dei iudicium, qui domum ſuam purgaturus, diſſidium hoc inter duos ordines exſiſtere permiſit; nec ſtrictum ſemel terribilis iræ ſuæ gladium prius recondidit, aut plagas ſanauit, quam iuſtitiæ ſuæ ſatisfactum, & caſtigationis tempus ſit elapſum. Sed ad rem ipſam accedamus.

II. Staupitius Generalis Auguſtinianorum Vicarius, ingenium & mores Lutheri optime perſpectos habens, ei mandauit, vt contra indulgentias prædicaret, eorumque quibus illas publicandi munus demandatum erat, vitia & abuſus populo oſtenderet. Et hoc quidem munus lubenter ille ſuſcepit, tum vt iniuriam Ordinis ſui fratribus, vt putabant, illatam, vindicaret; tum vt gloriam & lucrum ex Indulgentijs ſperatum Dominicanis è faucibus eriperet. Sic illi per inuidiam & auaritiam in ſuggeſtum producto, propria Ambitio arma contra comunem Dominicanis cum Eccleſia cauſam, ipſamque Eccleſiam ſubminiſtrauit. Excitatæ huius turbæ Staupicium non ſemel pœnituit. Sed ſero quid ageret? Iacta erat alea: telum ex arcu excuſſum reuocare non licebat. Idem ei accidit quod

a *Selnec. pag. 5 Epiſt. Lutheri.* b *Staupitius Vic. Generalis Auguſtin per Germaniam & alij ſeq. cap. nominandi hi fuerunt.* c *Lib. de offi paſt. cap. 8.*

quod Erasmo: qui quum liberius aliquanto de monachis, quos male ipse tractarat, & à quibus male ipse parumque honorifice tractatus fuerat, scripsisset, sæpe postea dixit & scripsit, si quæ sequuta sunt tempora nouisset, & Lutheri furorem præuidisset, numquam se facturum fuisse, vt eiusmodi filiorum parens, aut eiusmodi discipulorum doctor fuisse videretur: vt ex eius ad Albertum Carporum Principem epistola apparet. Verum sapientis non est dicere, *Non putaram.* Multorum est opinio, ab Erasmo primum portam hanc apertam, quam Lutherus demum totam effregit. De vtroque certè Germani illud in ore habent: *Erasmus*, aiunt *innuit; Lutherus irruit. Erasmus parit oua; Lutherus excludit pullos. Erasmus dubitat; Lutherus asseuerat.* Sic tum quoque scholastici homines de vtroque Græcum illud vsurpabant Ἡ Ἐρασμος λουθηρίζει, ἢ λούθερος Ερασμίζει, *Aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat.* Ego certe hunc grauem Lutheranæ sectæ aduersarium fuisse persuasum habeo, vt sequentia ostendent: quamuis Ecclesiæ hostes quidquid possunt è scriptis eius colligant & corradant, quò ostendant Lutheranum eum fuisse; interim multa prætereunt, è quibus contrarium euinci possit inter quæ excellit illud in versione Noui Testamenti Act. XIII. *Illis autem Sacrificantibus & ieiunantibus &c.* Vnde Missa Sacrificium euidenter aduersum Lutheranos euincitur. Ipse certe Erasmus ad Pontificem & Theologicam Facultatem Parisiensem humiliter scripsit; & libros suos censuræ subiecit. Quidquid hac de re sit, sic sentio, scripta Erasmi sano iudicio lecta & accepta (prout in Indice Expurgatorio librorum proponuntur) pietatem & timorem Dei legentium animis imprimere.

III. Accepto igitur à Vicario sui Ordinis mandato, Lutherus ambitione tumidus quod tantum munus iam dudum experitum sibi demandatum esset, suggestum ascendit, nunc huc nunc illuc discurrens, abusus Indulgentiarum, Prædicatorum fraudes & expilationes quam odiosissime perstringere & exagitare nusquam cessans, inter alia dicens, *pulcram hanc esse fraudem ab Ecclesia adinuentam ad homines prouocandos ad pietatem & deuotionem. Et licet malum non sit, decipiendum ita se præbere, ad maiorem deuotionem, non tamen nimiam his rebus ad eam deceptionem piam adhibendam credulitatem aut fiduciam admouendã esse &c.* Ridicula etiam, vt erat ingenio festiuo & mordaci, nonnunquam intermiscebat, ita tamen vt non raro verba aliqua ipsi exciderent, quibus non solum S. Romanæ Sedis dignitas violabatur, verum etiam capitis Ecclesiæ potestas in dubium vocabatur. His suis ille declamationibus tantum effecit, vt complures Indulgentiarum præcones pro argento iniurias & conuicia domum retulerint. Accessit, quod non multo post de Selimi morte allatum nuntium omnem fere prioris deuotionis calorem restinxit. Exstincto enim tanto tyranno, cuius vastis cupiditatibus ne totus quidem Mundus sufficere videbatur, quemque perpetua quædam felicitas ad sepulcrum vsque comitata fuerat pleriq; Germani præsertim, omni se metu liberatos credebant.

IV. Lutherus sermone & voce Indulgentiarum abusus perstringere non contentus scripta insuper ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum & Hieronymum Brandenburgensem epistola, acerrime in earum præcones inuectus est, inter alia exprobrans, quod ad populum profiteri non erubescerent, *eodem momento, quo argenti in peluim conjecti sonus audiretur, animas è purgatorio euolare; atque Indulgentiae saluum esse conductum, quo animæ ad cœlum certò ac tutò perducerentur. Hunc se abusum silentio præterire non potuisse, quum nemo de salute sua, neque etiam per gratiam Dei nobis infusam certus esse possit: quum iustius etiam, vt D Petrus testatur, vix saluetur.* Sed ab hac doctrina non multo post Lutherus deflexit. Neque epistolam eius vterque valde morabatur, vtpote hominis obscuri, & qui scribendi hanc prouinciam si vero zelo duceretur, ei cui ea ex Ordinis Ecclesiastici regula & præscripto incumbebat, relinquere debuisset. Neque hic eius stetit audacia: sed epistolæ insuper propositiones quasdam adiunxit, è quibus omnis illa disputatio postea nata est. Quin & maiora audens Theses suas publice affixit, & in scholis disputandas proposuit, *Indulgentiarum præcones passim auaritiæ & fœdi quæstus, vniuersum vero Ecclesiasticum Ordinem negligentiæ, desidiæ & ignorantiæ insimulans.* Ex aduerso Tecelius non minus impiger ad se munusque suum defendendum, quam Lutherus audax fuerat ad criminandum, suas & ipse Theses publicauit, quibus *Luthero respondet, Hæreticum eum appellans.* Lutherum Saxoniæ Ducis Electoris; Tecelium Pontificij Legati sustentabat auctoritas, qui quod id muneris Tecelio demandasset, desertum eum pati, aut Lutheri insolentiam ferre salua auctoritate, non poterat. Præter communem vtilitatem, etiam de priuato honore agebatur. Fatcamur libere

(enim vero, velimus nolimus, fatendum est) non sine caussa vitia eorum qui animarum curam agere debebant, à Luthero fuisse reprehensa. Multi enim non oues, sed lanam; non gregem, sed adipem gregis quærebant. Paucis cura erat caulæ reficiendæ, & contra luporum insidias & impetus obstruendæ. Ventris curam plerique agebant, & popelli simplicitate abuentes, in vendendis Indulgentijs, & carnis diebus vetitis comedendæ licentia, quæstum magis quam animarum purgationem spectabant; quum populum docere potius ista debuissent: *Clauibus quæ à Deo S. Petro & successoribus eius data sunt, vere pœnitentibus cœlum recludi, obstinatis peccatoribus occludi: à Papa Dei in terris Vicario, Indulgentias ex inexhausto Ecclesiæ thesauro, qui ex infinitis Saluatoris, tum postea etiam Deiparæ Virginis & Sanctorum meritis congestus est, proferri*: Tum, *quomodo pœna æterna in temporalem commutetur: Quomodo mille, duo millia, &c. annorum in Indulgentijs intelligenda sint: Quæ & quam antiqua huius rei in Ecclesia fuerit consuetudo, ad salutem eius filiorum instituta & semper hactenus vsurpata, &c.* Ista verò: *Animas audito argenti in peluim coniecti sono, in Purgatorio prægaudio exsilire, ac continuo euolare, tumque statim etiam maxima peccata remissa esse: qui argento numerato Magnas has Indulgentias* (sic enim nominabant) *sibi acquisierit, ei magnas Cœli portas stare apertas: & pœnam & culpam deleri, immo etiam futura peccata Indulgentiarum beneficio remitti*; Ista, inquam, sine scandalo dici non poterant. Hæc tamen posteriora Indulgentiarum præcones dixisse ac docuisse, Lutherus in epistola ad Henricum Brunsuicensem Ducem scribit: idemque Tecelium alijs horribilibus blasphemijs, quas vix diaboli ipsi utpote vafri ingenij spiritus, proferre ausint, onerat. Et hoc est quod tam hoc, quam alia istius accusationis capita, suspecta reddit. De eadem re Guicciardinum audiamus, (nisi is ex fide aduersæ partis ea scribat, nempe.) *Argentum hoc, inquit) (a) à Commissarijs ad hanc exactionem deputatis impudenter petebatur: quorum plerique à Papa Officiarijs potestatem hanc emerant. Plures eius ministri potestatem animas è Purgatorio liberandi vili precio vendebant, aut in tabernis consumebant.*

V. Audiamus etiam quid bonus ille Eremita, cuius supra cap. iv. mentionem fecimus, Fr. Thomas eadem de re senserit ac dixerit: qui non minori asperitate quam Lutherus, sed longe alia conscientia & diuerso prorsus fine in impudentes hosce exactores invehitur. Sed operæprecium est è libro, quem penes me habeo, qui etiam Anno M.D.XXII. typis est editus, verba quædam eius exscribere. *Vide quæso, inquit, Christiane Lector, quomodo Bullistæ, vel potius nebulones illi Christianum populum decipiant. Discurrunt illi per montes & valles, & miseros idiotas facultatibus suis exspoliant. Vtque tanto melius ac facilius deglubere eos possint, cum Parochis rem & consilia conferunt, dicentes: Domine Paroche, apportamus Indulgentias plenarias. Quod si vestro mandato populus conuenerit, & Processiones factæ fuerint, nos tertiam eius quod inde collegerimus vobis dabimus, & de bonorum hominum fortunis vnà læti conuiuabimur. Ibi Parochus concubinarius, indoctus, mercenarius & non Pastor, quò ventrem suum replere & scortum alere possit, cum istis Bullarum portatoribus transigit: qui pecunia inde per fas & nefas collecta, convivantur, saltant, genioque indulgent: interim simplicitatem illorum rident qui opinione peccatorum veniam consequendi, aut captivos redimendi, pecuniam profundere non dubitarunt. O bone Deus! quis recensere posset ea flagitia, quæ sub Indulgentiarum prætextu ab infamibus istis quæstoribus atque etiam redemtoribus committuntur? Sunt enim quidam adeo stulti, vt profligata omni conscientia, Epicureorum more dicant: Agite, lætos agamus dies, voluptatibus indulgeamus: exiguo precio redemta Bulla noxas nostras omnes quantumvis graves & enormes, delebit.* Multa alia ab eodem in eandem sententiam scripta omitto: non sine summa animi acerbitate hæc ipsa à veritate scribere coactus. Consimilis querela bonorum fuit tempore PP. Ioannis XXIII. (b) tum quum ille Indulgentias contra Regem Neapoleos promulgauit; quæ Bohemorum animis iam ante à Ioanne Hussio accensis, multo ardentiores faces subiecerunt, vt libro IV. à nobis dicetur. Debuit tamen Sleidanus in libri sui vestibulo, vbi de Bulla Leonis X. agit quæ velut pomum Eridis fuit, maiori vti integritate & fide. Scribit enim *Papam remissionem omnium peccatorum & regnum cœlorum promisisse, ijs scilicet qui argentum pro Indulgentijs numerassent.* Sed cur, quæso, idem *Pœnitentiam, Confessionem, Restitutionem ablatorum, quæ in eadem Bulla iniunguntur, vt cœlestium clauium potestate, contritione, oratione & eleemosyna mediantibus Indulgentiam pœnæ peccatorum in ea promissam consequamur*, omisit? Verum relinquamus ista, quæ à quibusdam nequiter & flagitiose perpetrata Ecclesiæ tamen judicio, ut patet, nunquam probata, iram Dei in omnes prouocarunt.

a *Guiceiard. lib. 3. Peucer. in Chron. Carionis.*
b *AEne. Syl. cap. 35. Hist. Bohem.*

V. Hic

VI. Hic vero expendamus an jam cuiquam mirum videri debeat, si magnus ille Iudex (semper bonus, semper iustus, qui in pondere & statera omnia mensurat) brachium suum exseruerit, & manum fulminibus impleuerit, ad deijciendum & proterendum eos qui ipsius bonitate, eaque potestate, quam ille certis hominibus in terra commisit, abusi sunt? an & mirum? Si Germaniæ Episcopos & Prælatos in seruitutem dederit? quum antea diuitijs, potentia & maiestate etiam maximis Europæ Principibus non cederent, iam multis in locis tenui aliqua & miserabili pensione, à suis hostibus pene dicam emendicata, vel ex inæquali cum ipsis diuisione sibi relicta portione fruuntur, imo prorsus plurimis locis exterminati sunt de terra? quamuis reliquijs hoc tempore melior fortuna affulgere incipiat. An non Deus ipsis per Malachiam Prophetam prædixerat? *Propter quod & ego dabo vos contemtibiles & humiles omnibus populis: quia non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege mea.* Negari non potest Lutherum aliquam causam habuisse clamandi, & sanctum nostrum Eremitam, suspirandi & votis poscendi Reformationem. Sed vt S. Bernardus Ecclesiasticorum vitia itidem aspertime reprehendens, intra professionis tamen & officij cancellos se continuit, & Monachos curæ suæ commissos tanto diligentius rexit: sic Lutherum decebat, si Spiritu Sancto agebatur, in caritate Ecclesiæ succurrere. At longe aliam ingressus est viam, qui abiecto cucullo, è Monasterio profugus, non aquam incendio, sed oleum & sulphureum puluerem affudit, quo domus, quam purgandam scilicet sibi sumserat, plane conflagraret, & in fauillam & cinerem redigeretur. Non est sanus iste modus purgandi, cum ex eo quod lauandum est, incendium aut pyram construis. Auaros igitur nonnullos quæstores & Indulgentiarum præcones excusare nolo, qui vulgi simplicitate abusi, magnam vim pecuniæ turpiter compararunt, ac turpius profuderunt. O turpis & infamis *auaritia, radix omnium malorum*; vt recte Apostolus te appellat! Tu primam Hæresi portam aperuisti. Tu illam tam longam miseriarum nostrarum telam exorsa es: tu quemadmodum tu quoque innocentissimum Dei filium tradidisti. Auaritia, auaritia, inquam, horum sacrilegiorum primam Luthero ansam dedit: tum auaritia etiam quorundam Augustinianorum, qui ægrius forte ferebant quod & ipsi in partem non admissi essent cum ipso Luthero: quem, vt apparet, initio nihil aliud in hanc arenam protraxit quam gloriæ desiderium; eoque multo acrius aduersariorum vitia postea insectatus est. Quid, quod tum temporis Christiana charitas pluribus in locis exstincta, & humilitas proscripta videbatur? In omnibus pene per septentrionem Religiosorum familijs dissolutio & superbia regnabant: vulgus erat longæ & crassæ ignorantiæ immersum. Sic nimirum cessante agricola. —— *Infelix lolium & steriles dominantur auenæ.*

Ecclesiæ certe ager Borealis Prælatorum negligentia & pigritia totus quasi sentibus & spinis obductus squallebat; totusque ob morum dissolutionem & vitia, degeneratat in myricas. Quod enim ad doctrinam vniuersæ Ecclesiæ Sanctitatemque eius attinet, ea integra semper manet & manebit, neque illius erroris poterit conuinci ob æternam assistentiam Spiritus Sancti, & promissam Ecclesiæ indefectibilitatem. Sed quemadmodum senectus deformitatem subinde affert, neque vllum tam bene compositum est corpus, aut ædificium tam bene coagmentatum, quod non vetustate in aliqua parte corrumpatur; sic nulla est disciplina, etiam in Dei domo, quæ in longinquitate temporis situm aliquem non contrahat, & à pristina degeneret integritate, in hac vel illa regione terrarum. Ita enim comparatum est, naturæ lapsæ casu, vt quanto leges fiunt antiquiores, tanto vitiata natura subtilius rimas aduersus leges quærendo, vitia multiplicando magis inualescat: omniaque sic quotidie fiant deteriora. In quo Natura aliter operatur quam ars quæ opera sua indies politiora producit. Hinc Horatius de isto degenere cursu Naturæ sua concinit lyra:

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores: mox daturæ
Progeniem vitiosiorem.

PROGRESSUS CONTROVERSIÆ de Indulgentijs, Dominicani Luthero sese opponunt: qui Romam citatus, demum caute S. Sedis Legato se sistit Augustæ, & quæ postea euenerint.

Caput IX.

ARGUMENTUM.

I. *Quid Leo X. Pontifex in his turbarum initijs fecerit.*

II. *Domi-*

II. *Dominicani Lutherum vndique oppugnant, qui non minus acriter seſe defendere conatur.*
III. *Non in hoc tantum, sed aliis etiam articulis Lutherus erroris accusatur, & aliarum rerum insimulatur.*
IV. *Lutherus Romam citatus, coram Pontificis in Germania Legato se sistit.*
V. *Recantat simul & periurium committit.*
VI. *Obsequio & conniuentiâ perditur.*

I. NON sine causſa Gordianus iunior Imperator dicere solebat, infelices esse, qui Imperij sceptrum tenerent, eo potissimum *quod verum raro audirent.* Et certe ita est. Sed meo iudicio, id multo magis de ijs dici potest, quibus claues S. Petri & animarum imperium est concreditum; nisi eis assistentia Spiritus Sancti præberet aliud robur, nam ob locorum per orbem totum distantiam à Româ, eis veritas posset occultari commodius, quam Imperatoribus minus late regnantibus, ac sæpe aliter quam sese habent res narrari. Et quid mirum? quum vtrique alienis oculis & auribus videre & audire cogantur: pluresque circa eosdem sint, qui ob priuatam vtilitatem, publicam prodere nihil pensi habent. Id certe omni tempore experientia docuit in facti quæstione posse errari, etiam apud S. Sedem & forte etiam talis error Facti tempore Leonis X. PP. accidit, tunc quum Christiana Respublica vitium facere ac diffindi, vt ita dicam, cœpit. Is enim vt mitis ingenij erat Princeps, ita facilis erat ad credendum, graue illud quod sustinebat onus pro aliqua parte de suis humeris in alienos sæpe transferens. Et vt natura erat quietis amans; ita lubenter omnia quæ molestiam aliquam parere possent à se in alios reijciebat. Ex quo factum esse potuit, vt de tantis quæ in Germania exortæ erant turbis quoad omnes circumstantias parum ex fide edoctus, vni fortasse parti aures præberet: quæ quotidiæ seditiosis Lutheri propositionibus feriebantur, tacita interim vera huius funestæ contentionis origine, quæ erat, infamis illorum sacrilegorum auaritia, qui & Ecclesiæ thesaurum, & honorem Dei in terris Vicarij, cui ille distribuendus commissus est, tam turpiter prostituebant. Fama quoque erat, falsa fortassis, Magdalenam Mediceam Pontificis sororem, partem habuisse pecuniæ, quæ Indulgentiarum forficibus tum de Iesu Christi ouium velleribus detondebatur: cuius collidendæ cura, vt nonnulli scribunt historici, Episcopo Arembaldensi, ad eiusmodi munus apto homini, fuit demandata; quod ille auare nimis exercuit, tanto maiori omnium indignatione, quod ad explendas feminæ cupiditates sacram pecuniam interuerti viderent. Verum de tali errore, non Iuris sed Facti ego sententiam ferre non ausim, cuni probare eum non possim. Suspiciones ipsas refero quæ sæpe ipsæmet falluntur. Sed & id quod Lutherus initio promiserat, suppressum fuit, nimirum se Ecclesiæ capitis, id est Pontificis, quem pro Dei in terris Vicario agnoscat, iudicio acquiescere paratum. Nisi fortasse hæc ipsa Lutheri humilitas merum fuerit figmentum & tergiuersario, uti Caspar Vlenbergius (a) ex ipsiusmet Lutheri Vertumni verbis & actis ostendit, nam cum Silvester Prieras, dialogo quodam sub initio Anno 1518. oppugnasset Theses Lutheri, Lutherus abrogata authoritate D. Thomæ, & Scholasticorum authoritate ad solas sacras scripturas prouocauit, & pontificia Decreta se astrinxit, in qua re gradum primum Apostasiæ manifestum fixit, paulo post ipsa etiam Pontificum Decreta conuulsurus, ut videbimus. Cum etiam publica fama Lutherum crimine hæresios notaret passim, metu adactus Analysim Thesium suarum scripsit prolixam (b) adabluendam maculam suam, quam Episcopo loci, Hieronymi Brandeburgensis scilicet, censuræ submisit (c) Eandemqiad Staupitium Generalem Vicarium Ordinis sui misit cū Epistola rogans ut ad detergendam suspicionem hæresios à se, eam Leoni X. Papæ transmitteret, ad quem in Præfatione ait: *Beatissime pater, prostratum me pedibus B. T. Offero, cū omnibus quæ sum & habeo. Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mori non recusabo.* Et ibid. *Protestor, ait, me prorsus nihil dicere aut tenere velle, nisi quod In & Ex Sac. Literis, deinde Ecclesiasticis Patribus, ac Decretalibus Pontificijs habetur & haberi potest.* (d) Et in alia epistola quæ itidem in I. eius Operum Tomo reperitur, sic scribit: Coram Deo & omnibus creaturis protestor, me nec velle nec voluisse vnquam Ecclesiæ Romanæ ejusque Pastoris auctoritatem conuellere. Confiteor hanc Ecclesiam esse supra omnia quæ sunt in cœlo & in terra, vno IESV CHRISTO excepto.

Sed

a *In vita Lutheri cap. 2. & 3.* b *Tom. 1. operum Luth. Ienensium fol. 52. & Tomo 9. Vvittebergens. fol. 19.* c *Ibid seqq paginis.* d *Vide Tom. 9. pag. 21. & Tom. 1. Ienens. pag. 56. Cochlæum fol. 11.*

Sed vt Pammachius, testante Hieronymo, ad Damasum Papam dicebat : *Fac me Pontificem Romanum, & Christianus ero:* sic Lutherus illud lubenter, credo, dixisset: *Facite me Cardinalem, & ero Papista.* Idem quippe Lutherus eodem plane Anno & mense fere scribere ausus fuit Tom. 9. VVit. fol. 23. & Tom. 1. Ien. pag 58. & 60. longe aliter: nimirum sic: *Si Roma sic sentitur & docetur,* nempe aliter quam Lutherus, *Scientibus Pontifice & Cardinalibus, quod non spero, libere pronuntio his scriptis, Antichristum illum verum sedere in templo Dei & regnare in Babylone illa purpurata Roma ; & curiam Romanam esse Synagogam Sathanæ:* & paulo post, *si sic Roma credit, beata Gracia, beata Bohemia, beati omnes qui sese ab illa separarunt, & de medio illius Babylonis exierunt: Damnati vero omnes, qui ei communicauerint,* &c. & post pauca ; *Nunc vale infelix, perdita & blasphema Roma* &c. Extant hæc etiam Tom. 1. Latin. operum Lutheri. pag. 170. qui in altera Epistola tunc data multo apertius classicum Martis canit aduersus Romanos, ista scribens: *Mihi videtur, si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium , quam vt Imp. Reges & Principes vi & armis accincti aggrediantur has pestes orbis terrarum; remque iam non verbis, sed ferro decernant.* Et paulo post; *si fures furca, si latrones gladio, si hæreticos igne plectimus , cur non magis hos Magistros perditionis hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ Colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit omnibus armis impetimus &* MANVS NOSTRAS IN SANGVINE ISTORVM LAVAMVS ? Hæc omnia, iste ad pedes B. Leonis Papæ X. prostratus humilis monachus: ut mirum non sit, multos ignaros omnium eius scriptorum & actorum, inspecta solum particula aliqua, mirifice condolere Luthero, tanquam non bene intellecto, vel non audito. Nouerat ille tempori & loco seruire , ut patet vel ex dictis his paucis. Porro ex Augustanis Comitijs Imp. Maximilianus Leonem Pontificem monuit de turbis per Lutherum excitatis, uti prouideret. Ille 7 Augusti literas citationis Lutheri intra 60. dies Romã, edidit, quæ VVittebergam perlatæ trepidationem causarunt ad tempus , Luthero omnia circumspiciente, qui demum id Consilij inijt, ut per vniuersitatis VVittebergensis Professores effugium reperiret, quod & inuenit. Itaque & hi & Fredericus Elector Saxoniæ, intercesserunt literis Romam datis , laudando doctrinam excusandoque innocentiam Lutheri, ut is non Romæ, sed in Germania audiretur, (*a*) quod Pontifex gratiam faciens Electori indulsit , & Cardinali Caietano Thomæ de Vio , tunc apud Cæsarem Maximilianum Legato sedis Apostolicæ commisit, ut is Lutherum Augustam euocatum sine strepitu judicij in viam reuocaret, quod idem serio & diligenter egit, etsi spe sua sit frustratus, Luthero & suis Cardinalem eludentibus.

II. Ea ludificatio ut clarius perspiciatur ab initio repetendum est, quod quidam Dominicanus seu Iacobita, Syluester Prieras nomine, (celebris Theologus, qui Summam illam ab se Syluestrianam denominatam composuit; actum Papalis Palatij Magisterio fungebatur) Luthero sese opposuit: quumque abusus à Luthero notatos nec celare nec excusare posset, multa de Pontificis auctoritate disputauit, quam supra Concilia , adeoque omnem in terris potestatem eleuabat. Quemadmodum vero hic S. Sedem ad cælum vsque scriptis suis extulerat; ita Lutherus eandem contrarijs assertionibus ad infernum vsque deprimere studebat, dicens inter alia: *Si vera sint quæ à Siluestro asseuerarentur, Romam non S. Petri, sed Antichristi esse sedem,* &c. Mox alius Dominicanus prodijt, Iacobus Hochstratanus nomine, ad dira supplicia Lutherum deposcens. Nec Tecelius interim quiescebat, à quo primum cum Luthero certamen erat susceptum: sic vt Dominicani gloriam profligati ac deuicti Lutheri vindicare sibi voluisse videantur, forte Pontificij Legati, qui Dominicanus fuerat, auctoritate & fauore præcipuo confisi : illaque etiam Indulgentias prædicandi inuidia atque æmulatio nondum plane esset exstincta. Econtra à Luthero plerique ex Augustinianorum ordine stabant: quorum multi postea desertis Monasterijs, Luthero sese associantes, sibi ipsis exitium, & religioni multa damna procurarũt. Nõ multo post alij quoque Theologi huic se certamini immiscuerũt: inter quos Eccius fuit, vir magni nominis & exquisitæ doctrinæ uti & Emserus & Cochlæus. Lutherus vbi se à tot tantisque viris pressum vndique vidit, tamquam fera bestia è latebris protracta, faciem opposuit, vt missum se facerent clamans. Id si minus impetraret, cum Iunone apud Virgilium protestabatur: *Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.* Ego, aiebat, si persequi me non cessabitis, egregie me vlciscar. Sed insania profecto est ita vindictam de alio sumere vt & ipse pereas potius

F quam

a *Idem fol. 15. Act. Luth.*

quam iniuriam feras. Et sicut aper à canibus cinctus, vbi euadere non potest, clunibus insidens pilosque surrigens nudos ostentat dentes, ac inter venatores in eum potissimum quem venabulum intentare sibi videt, irruit: sic Lutherus vndique lacessitus & oppugnatus, & ipse quidem nemini pepercit, præcipuum tamen impetum in Eccium & Syluestrum Prieratem conuertit, & Caietanum elusit.

III Verum vt ijs qui de leuissimis etiam rebus inter se contendunt, noua contentionis materia quasi sub manu nascitur, sic vt sæpe de verbis ad verbera veniatur: sic hæc de Indulgentiarum abusu, per earum præcones commisso, disputatio mox alias secum traxit, adeoque disquiri à nonnullis cœptum est: Vtrum Papa Indulgentias viuis & mortuis dispensandi potestatem habeat? Vtrum bona opera meritoria sint & satisfactoria? Quæ differentia inter peccata mortalia & venialia sit constituenda: & complures eiusmodi quæstiones, quas Lutherus initio attingere aut in disquisitionem vocare noluit. Quamuis enim Indulgentiarum præcones à Moguntino Archiepiscopo delegatos magna vehementia inuasisset atque increpuisset, nec sanctam tamen Indulgentiarum institutionem, neque absolutam Pontificis eas distribuendi potestatem in dubium pro eo tẽpore uocauerat: quin etiam aperte summam hanc potestatem in Pontificis manu esse fatebatur, vt in I. eius Operum Tomo legere est. Quod idem Lutheri prædecessor Ioannes Hussius fassus fuit, qui contra Ecclesiæ limina impingens, ab igne deuoratus est, ex decreto Spiritus Sancti in Constantiensi Concilio: vt nihil ex eo reliquum manserit præter cineres, leuibus ludibrium ventis datos. Ille enim accusatus quod hanc Romani Pontificis potestatem in dubium reuocaret, *Concedo*, inquit dicto loco, *Papam qui est immediatus Iesu Christi Vicarius, potestatem habere largiendi Indulgentias & alia quæ pertinent ad Clauium potestatem: quæ qui receperit, tanto magis Deo appropinquabit.* Fuit id opportunè hoc loco monendum, vt eorum error ostenderetur, qui Lutheri religionem, vt scilicet vetustatis aliquam opinionem ipsi concilient, cum Hussij religione copulant, & eandem fuisse aiunt, ipso Luthero inuito, qui Hussitam se appellari, aut quod eius hæresi faueret insimulari, ægerrime tulit. *Numquam* (inquit ad Eccium, in disputatione Lipsiensi) *Bohemorum schisma ego approbauero, quamuis diuinum ius pro se habuerint: quum propria & priuata auctoritate se ab Ecclesia separarint, & vnitatem eius ruperint. Hussio*, (inquit Lutherus alibi) *mecum non conuenit: qui si hæreticus fuit, ego decies plus fui. Ille enim tantum parum quid dixit, & Veritatis lumen afferre cœpit.* Sed hominis huius inconstantiam & fraudulentam linguam in stabilienda sua hæresi libro IV. apertius in propatulo omnibus videndã proponemus. Verũ est vti Hussius magis infami & cruciabili morte perijt; ita ex eius cineribus Lutherus deterior est enatus. Ea pro re vt Lectori satisfaciam, Ioannis Hussij historiam suo loco aliquot Capitibus descriptam dabo: quæ licet à seculo quod describendum sumsimus, aliquanto sit remotior, non tamen à subiecto nostro abhorret. Et quemadmodum Hussius Vvicleuiti a Lutherus Hussij deliramenta ex parte est imitatus.

IV. Itaque Lutherus cum Aduersarijs scripto ac voce confligens ad dicendam coram Asculano Episcopo & Syluestro Prierate caussam nuper Romam citatus (hos enim Pontifex delegarat, vt rationes ipsius audirent, & si persisteret, tamquam contumacem & rebellem condemnarent) vociferari, Dei hominumque fidem implorare, ne Romam ire, & coram Syluestro, quem apertum sibi inimicum dicebat, caussam dicere cogeretur, deprecans. Vt enim crimen nihil magis quam Iudicis frontem & tribunal reformidat; sic Lutherus vel ad nomen Romæ trepidabat. Vel vultus Inquisitoris metum ei mortis iamdudum incusserat. *Nec S. Petrus*, aiebat, *nec S. Paulus ego sum. Neronem illum valde metuo.* Et vt desperatio necessitati remedia subministrat, sic Lutherus nullum omnium auxilia implorandi finem faciebat. (a) Inter alios ut dixi, caussam eius suscepit Fridericus Saxoniæ Dux, scriptisque ad Pontificem litteris pro eo intercessit, Pontificis etiam Legatum coram appellauit, spem faciens se Lutherum in viam reducturum: tantumque effecit, vt caussa eius Legato ventilanda commissa fuerit. Ad quem Lutherus his verbis scripsit: *Fateor & alias fassus sum, me temerarium fuisse, nec supremi Pontificis nomen quod parerat reuerentia vsurpasse, quamuis instigatus fuerim. Agnosco maiori modestia vti me, hancque materiam maiori charitate tractare, nec stulto ita respondere debuisse, vt stultitiæ eius particeps fierem. Huius facti sane me pœnitet: omnesque vt mihi ignoscant oro.* Non multo post Lutherus, sub die octauo Octob. Anno 1518.

a Selnec fol. 7. 6. 3.

no 1518. Augustam adueniens in sui ordinis monasterium diuertit, adducto secum VVenceslao Linck Noribergensi apud Augustinianos Ecclesiaste, viæ & Apostatiæ socio. Nec abfuit Staupitius. 9. Octob. Cardinali aduentum suum per VVenceslaum indicans, ipse nisi saluo Cæsaris conductu impetrato accedere recusauit. Itaque tandem saluo, accepto conductu, ad Legatum Pontificis comitante VVenceslao, Staupitio qui primus hûc ferum caueæ emiserat, inter carecta latente. Legatus benignissime accepto, nomine Pontificis Luthero triâ proposuit. 1. *ut reuocaret, quæ de Indulgentijs contra receptum Ecclesiæ doctrinam in Thesibus & Sermone de Indulgentijs asseruisset.* 2. *Vt deinceps ab ijs docendis abstinere se velle fidem faceret.* 3. *Vt nec in posterum, à probatis in Ecclesia dogmatibus, aliena diuulgaret, ne publica pax Ecclesiæ perturbaretur.* Ibi commendatitijs Saxoniæ Electoris litteris, & verbis modestia plenis, vultuque ad grauem quandam & vere Religioso dignam humilitatem composito, longa oratione innocentiam suam demonstrare conatus est Lutherus, *protestans numquam se ab Ecclesiæ vnitate seu communione discessurum. Quod si ab Indulgentiarum præconibus, re sacra turpiter abutentibus, incitatus dixerit aut scripserit aliquid quod sinistre quis interpretari possit, id sibi vehementer dolere: neque tamen vnquam sibi animum fuisse Dei in terris Vicarium offendere; sed omnia sua dogmata Theologorũ Basileensium, Louaniensium, Friburgensium, & inprimis Facultatis Parisiensis, Christianissimæ SS. Theologiæ scholæ* (sic enim appellabat) *iudicio & censuræ submittere, Cardinalis hominem* multo quam ipse sperauerat humanius acceptum & auditum grauissimis verbis monuit, *& quam grauiter peccasset contra Ecclesiam vniuersalem insurgendo, ostendit; vt errorem fateretur ac retractaret, vrgens.* At bonus hic monachus respondit: *Nullius rei male à se dictæ aut scriptæ sibi conscium esse, nec posse errorem reuocare cuius nondum sit conuictus.* Caietanus vt erat homo singulari prudentia & doctrina præditus, breuiter errores aliquot Propositionibus Lutheri insertos, & iam olim à Concilijs damnatos, ei ostendit: nimirum quod neget, virtutem Indulgentiarum ex thesauro meritorum Christi promanare. Deinde in usu Sacramentorum nouam quandam fidem exigat, qua scilicet homo certo statuat, peccata sibi remissa esse, non habita ratione dispositionis suæ, quodque hanc persuasionem appellet Fidem, eaque sola dicat hominem iustificari. Prius illud Clementis VI. Decreto Extra. de Indulgentijs; alterum multis Sacr. Lit. testimonijs aduersari, breuiter Cardinalis demonstrauit. Lutherus utrumque assertionem tueri volens principio Clementis Decretum cum sua opinione conciliare nitebatur, sed cum id non posse fieri, Cardinalis ostenderet, Lutherum iterum hortatus est, *vt scripta sua reuocaret, errorem fateretur, & veniam peteret.* Lutherus vacillans & dubius (quod infallibile signum est, eum à Dei spiritu neque aquam ductum aut incitatum fuisse) spacium de re tanta cogitandi ac deliberandi dari sibi petijt: interim vero Indulgentiariorum vitia & abusus iterum tam voce quam stilo acerbissime perstrinxit. Etsi vero Cardinalem oportebat in hæc diligenter inquirere, nec ad eorum flagitia conniuere qui sub pietatis prætextu populi simplicitate & Cardinalis, vel Dei potius & Ecclesiæ auctoritate abutebantur; ac præcipue ijs os occludere qui tam ipsum quam Magdalenam Pontificis sororem pecuniæ ex Indulgentijs collectæ participes esse iactabant: Lutherus tamen suam causam non valuit probare. Debebat sane agnoscere Cardinalis, monachi huius querelas à ratione alienas non esse: debebat ille quæstores Indulgentiarum meritis pœnis coercere; rum curare vt populus melius instrueretur, omnisque ignorantia & auaritia procul à domo Dei arceretur. Sed omissa quæ Lutherum in arenam protraxit, quæque vitia & dissolutionem ministrorum aluit, occasione, reliqua persequamur. Verum tamen nec Lutheri omnis doctrina querelis adiuncta à veritate probatur. Sed ad Lutherum deliberantem reuertamur. Is altera die, re deliberata ad Legatum cum Staupitio rediit, & Notario ac quatuor Imperatoris Consiliarijs præsentibus sequentia verba, eodem fere modo quo honor alteri ablatus publice restitui solet, è scedula legit: quæ huc inferre visum est, quod ea Sleidanus in Lutherana sua Historia omiserit, inque ijs quæ ad hanc Lutheri palinodiam pertinent describendis parum integre sit versatus. Sic vero se habent. *Ego frater Martinus Lutherus, Ordinis Sancti Augustini, profitor quod reuereor & sequor Sanctam Romanam Ecclesiam*

a *Eadem omnia fuse Vlenbergius in vita Lutheri ex Tomo Lutheri 1. Latino. & Selnecceri oratione de Luthero. p. 8.*

in omnibus meis factis & dictis, præsentibus, præteritis & futuris. Quod si quid mihi excidit, aut si quid contrarium dixi, volo & rogo id pro non dicto haberi. Vide, quæso, Lector, quomodo Ecclesia sine ulla vi aut metu ex ipso hostium suorum ore honorificam sibi confessionem exprimere soleat, non aliter quam herba illa, cujus Plinius facit mentionem, reum ad suum ipsius detegendum scelus cogit. At Confessio hæc nihil aliud erat quam falsus quidam prætextus, sub innocentiæ habitu insolentem regens malitiam. Idemque de Luthero dici poterat quod de Antipatro Alexander dixit, cum foris candido uti vestitu, sed intus totum rubrum esse & cruentum. Et quemadmodum cygnus plumas habet candidores reliquo omni volucrum genere, sed cutem magis nigram quam aliæ omnes: sic monachus hic in confessione sua mirum candorem & simplicitatem præ se ferebat, ut qui in omnibus tam præsentibus quam futuris Ecclesiæ iudicio & censuræ se submittebat; interim verò deterrimum virus, quod postea evomuit, animo occultabat. Ut vero Lutherus ambiguis verbis utebatur; ita Cardinalis Lutherum nihilominus urgebat, ut missis ambagibus errorem liberè fateretur & revocaret. id si facere recusaret, usurum se ea potestate quam ab Ecclesia accepisset. Ille contra protestabatur nihil à se dictum, quod sacris literis Ecclesiæ Patribus, aut rectæ rationi adversaretur, verum quia se tamen hominem agnoscat, qui errare possit & falli, paratum se scripto respondere ad ea quæ proposita sint capita. Quod Cardinalis permisit alteroque die Lutherus prolixo allato scripto præstare conatus est, ita illud concludens ut eum dare verba Legato appareret & habere mentem in erroribus obstinatam. Ad quod visum Cardinalis benè respondit Congeriem esse verborum, rogavitque ne sui oblitus fiducia sui elatus plus saperet quam par est, rigidam cervicem in gremium Ecclesiæ reclinaret &c. se, nisi aliam viam teneat, posse à suo conspectu abstinere.

V. Sic Lutherus indignatione & vindictæ studio protractus, confusionis metu nolens regredi, velut ille apud Homerum, *Destruit ædificat mutat quadrata rotundis*, ac sententiam mutavit; & prioris suæ Confessionis ac protestationis, quod sub Romanæ Ecclesiæ legibus vivere & mori vellet, oblitus, Cardinali Ecclesiasticam censuram interminante, veritus fortasse ne posthabitis salvi-conductus literis, captivus detineretur, atque eodem modo quo Joannes Hussius olim & Savonarola, tractaretur, clanculum abiit: id quod etiam Staupitius biduo ante fecerat, Et quidem manus ei injici Pontifex jusserat, ut qui sciret ea, quæ privatim ac secretò ageret cũ ijs, quæ publicè promitteret è diametro pugnare. Discendens Lutherus epistolam ad Legatum scripserat, qua promittebat de Indulgentiis nihil porrò se disputaturum: interim verò scripto publicis in locis Augustanæ urbis affixo, ab eo provocavit ad Pontificem melius informandum, ultimaque Octobris die eques Wittebergam reversus est. Ex quibus omnibus animus ejus & intima sensa facilè perspici poterant. Juramenti enim, quod supra fecisse eum diximus, verbis adhuc intra labia ejus natantibus, jam ille perjurium animo conceperat, certus nihil eorum quæ pollicitus erat præstiturum. Vix enim indè digressus, ad amicos ita scripsit, *Ne crederent, quæ fecisset aut dixisset Legato, ita fecisse aut dixisse quasi de doctrina sua dubitaret, aut quod sententiam mutasset, aut umquam mutaturus esset: sed eo tantum omnia spectasse, quod ei qui Papæ Legatus esset, reverentiam & honorem deferendum existimasset.* Ecce tibi hominis duplicem ac tectum animum! ecce fidem & candorem Christianum! Sic igitur Lutherus Ducis Saxoniæ & Academiæ Wittebergensis favore subnixus, in arenam rursus prodiit, discipulorum & amicorum qui certatim causam ejus susceperant, & tamquam muli mutuo se scabebant, laudibus non mediocriter inflatus. Indigne tulit ejusmodi discessum Cardinalis, & 25. Octobris per literas Friderico Electori Saxoniæ rem cum Luthero gestam exposuit, hortans ut Lutherum vel Romam ire compellat, citatum nuper ad causam dicendam, vel è ditionibus suis ejiciat, nec se illius labe aspergat. Has literas Elector 9. Novembris Vvittebergam misit, ad Lutherum, qui statim respondit, prolixis literis, in quibus suo more Acta Augustæ exponit, sponderque ne periculum Electori accersatur, se alio migraturum, actisque gratiis eidem Vale dicit. Sciensque processum contra se Romæ cæptum persecutum iri 28. *Novembris Novam appellationem interposuit à Pontifice ad Concilium, utpote ab homine erroribus obnoxio, protestatus interim se nihil de Pontificis authoritate velle esse detractum.* His gestis alij latebras Luthero suadebant,

bant, alii migrationem in Franciam, ubi opinio esset quorundam ipsi favens de Concilio supra Papam &c. sed Electori id displicuit, qui eum securum esse iussit, donec aliud quid statueretur à se.

Jndè Romam iterum ut coram ipso Ecclesiæ capite causſam diceret, citatus, ad futurum Concilium provocavit; protestatus nihilominus, nihil se Pontificis auctoritati detractum velle, modò is (sic enim loquebatur) sanæ esset opinionis. Interea verò ad Papam Leonem scripsit, culpam omnem in Cardinalem Caietanum reijciens. *Nôsti*, inquit, *quomodo Legatus tuus infidus, infelix & imprudens, se erga me gesserit, cuius protestati ob reverentiam quam erga te habeo, me submiseram. Et quidem pacem illam aversatus est, quam uno verbo stabilire potuisset: quandoquidem silentium ego promiseram, modo adversariis meis os quoque occluderetur. Ille verò causſa eorum susceptа multo acrius eos contra me incitavit, adeoque ad retractationem seu palinodiam cogere me voluit. Importuna ipsius tyrannis in causſa est quòd id, quod iam in eo erat ut feliciter terminaretur, iam deterius multo evaserit, sine ulla spe compositionis. Culpa igitur non mihi, sed Caietano imputetur, qui ut silerem ferre non potuit.* Hoc ille sensu quum ad Leonem PP. scripsisset; paullo post alias ad eundem litteras, ijsdem ferè, quibus S. Bernardus ad PP. Eugenium, verbis conceptas, in quibus *Romanæ quasi animam agenti Ecclesiæ ultima suspiria & lachrimas persolvit, tum etiam Leonis X. conditionem & fortunam deplorat, quod, tantæ bonitatis Principi inter pessimos, & in tanta omnium vitiorum sentina viuendum sit, simulque librum De libertate Christiana nuperà se conscriptum misit.* Tum, licet sero iudicatũ est vel animadversum, duplicem errorem à Legato commissum, & quod quæstorum Jndulgentiariorum abusus non coërcuerit, & Lutherum evadere permiserit. *Certè*, inquit Consalvus de Jlescas, *Cardinalis nimis lente ac frigide cum Luthero egit: quem si capi, quod facile poterat, & ignis suppũcio tradi curasset, tot mala quæ videmus, non evenissent. Sed sic in fatis fuit.* Accessit deinde aliud, quod rem multo magis exulceravit, allato novo Româ diplomate, quo Jndulgentiarum præconibus suum in colligenda sacra pecunia munus confirmabatur, quantumvis exearte ante biennium tantis turbis occasio nata fuisset. Hoc excitatus Huldericus Zuinglius, non minus Helveticas, quam Lutherus ante Saxonicas, Ecclesias turbavit, ut III. libro c. 3. dicetur. Lutherus interea Romam citabatur, & Persarum more flagellis absens cædebatur, præfixo LX. dierum salvo conductu, ut intra id spatium conscientiæ suæ consuleret, & errores revocaret. At ille risui & ludibrio omnia habens, nihilominus humillimum & obedientem Romanæ Ecclesiæ filium in omnibus se ferebat: deprecans inter alia, ne quisquam ipsius exemplo, parum reverenter eam tractare præsumat; quum aliorum stultitia & avaritia ei imputari nequaquam debeant aut possint. His & aliis fucatis verbis Lutherus universum Mundum decepit: quem Erasmus, à Lutheri causſa initio non abhorrens, in epistola quadam monuit, *non contra Pontifices, sed contra eos qui Pontificum auctoritate abutuntur, clamandum ac fulminandum; ubique vero modestiam magis quam insolentiam & impetuositatem adhibendam esse.* Quemadmodum vero Lutherus obedientem Romanæ Ecclesiæ filium se simulabat, ita Fridericus Saxoniæ Dux sensus suos dissimulabat, missis Romam litteris, *quibus si Lutherus ab Ecclesia Romana vnione discederet nihil sibi cum illo rei fore promittebat. Iritatum, eum quasi invitum in hanc arenam protractum: modestia nihilominus limites non transgressurum.* Neuter promissis stetit: Lutherus doctrinæ opinione & gloriæ studio inflatus; Dux verò sinistro rerum suarum, quas Romæ ministri eius agebant, successu offensus. Nec mora. Prodeunt Theologi Lovanienses & Colonienses; & tam voce quam scripto Lutherum strenue oppugnant. Nascuntur quotidie novæ disputationes, novæ controversiæ de Communione sub utraque specie, de Libero arbitrio, de Cœlibatu; ex qua quæstione, complures Ecclesiastici perprurisceere cœperunt. Plerisque respondit Lutherus: sed in omnibus eius scriptis ne unum quidem verbum reperias quod modestiam & charitatem Christianam spiret. Libri eius non libri sunt, sed plaustra infamibus convitiis & injuriis onusta, quas ille inde plena manu spargit, ut in iis passim videre est, ac præsertim in libro De Captivitate Babylonica, quem Latine à se scriptum, in varias linguas transferri curavit: ut Judæis, Turcis ac Paganis omnem Christianam religionem, tantis quantas ille describit, abominationibus plenam amplectendi animum & voluntatem adimere voluisse videatur; quemamodum Tartarorum rex iam olim Eccle-

sę Christianæ nuncium remisit, offensus mala eorum vita quorum doctrina tam splendidis laudibus ornabatur. Luthert interim absentis nomen Romæ forensibus præconijs citabatur. In Italia oppugnabatur, qui in Germania interim suauiter & quiete fere viuebat: præpostero sane consilio, quum Saxoniæ Dux interposita Imperatoris auctoritate, sollicitari debuisset, vt hominis defensione abiecta, Sanctæ Sedis mandata exsequeretur.

VI. Inscitia profecto erat, existimare processibus eiusmodi malum hoc sisti posse. Aut prudenti quadam lenitate hominis huius, tum quum silentium promitteret, ferocitas demulcenda, minime vero crebro hic in suo ipsius nido iritandus erat; aut extrema ferro & igne adhibenda erant remedia. Dura, inquis, & aspera medicina. *Sed aspera dici non potest cuius effectus est salutaris: & ipsa sanatione excusari debet, etiam qui cum dolore & cruciatu sanat; futura vtilitate præsens incommodum compensante,* vt Tertullianus ait. Vbi legibus non potest, vi agendum est, & quidem mature. Non ignoro dici vulgo solere, à legibus id exigendum esse quod possunt, quando non possunt, quod volunt. Atqui Maximiliano Imperatori tum satis superque erat virium: Germania quid rebellio esset ignorabat: Caietanus plus satis habebat auctoritatis. Quid ergo fuit quod tanto malo grassandi licentiam dedit? Illud nimirum, quod obscurum hominem Imperator contemsit, Cardinalis vero dulcibus ipsius verbis, & suis ipsius, quas Lutherus frequenter in ore habebat, laudibus consopitus fuit. Nullum enim Caietani humanitatem ac benignitatem deprædicandi finem Lutherus initio faciebat. Illud sane imprudenter vel negligenter potius à Caietano factum videtur, quod hominem nullo saluo conductu ab Imperatore munitum, tum Augustæ tum alibi tamdiu oberrare permisit, cui sine vlla perfidiæ exprobratione, quod in mandatis habebat, manus inijcere potuisset. Sed & optimo iure securitatis litteras Imperator Luthero denegare poterat, vt qui imprudenter in plagas ipse se Augustam & aliò ventitando conieciisset. Sed vterque lenitate vtendum sibi existimauit: quod remedium invalescentibus malis admodum est periculosum. Testatur enim experientia, morbos pecudum magis magisque ingraescere & dispalari,

Dum medicus adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, & meliora deos sedet omina poscens.

Et quemadmodum vrtica leui & suspensa manu contacta vrit, at rudi manu compressa obtunditur ac vim suam perdit: sic nascens quæcumque hæresis facile opprimi potest, si auctori os claudatur, & irrisa eius stultitia & temeritate, vox plane adimatur. Hoc modo multorum fatuitas sanata fuit. Contra obstinatos vero non verbis sed factis, non lenibus sed asperis rememedijs vtendum, primisque principijs obstandum est. Dilatio enim seu mora nouas malo vires addit: tantoque illud sit incurabilius quanto magis inueterascit. Hinc Synesius ad Imperatorem Arcadium sic scribit: Malum nascens facile auertitur & sanatur: at vbi inueterauerit, omnē medicinam respuit. Nimirum

——sero medicina paratur,
Quum mala per longas inualuere moras.

Et sapienter monet Aristoteles, ad præcauendas imperiorum ruinas, turbarum quamuis tenuissimis initijs esse occurrendum. Nam quemadmodum in fluminibus videmus, si quid inciderit aut aquarum impetu eò delatum sit quod cursum remoretur, paullatim molem accrescere, ac sæpe integras insulas exsistere: sic in mundi huius, ac præcipue religionis negocijs ex paruis initijs magnæ rerum mutationes sequuntur. An non exigua Arianismi Alexandriæ accensa scintilla totum fere terrarum Orbem fœdo incendio involuit, eo quod primo sui ortu non fuerat extincta? Sic Lutherana quoque hæresis ex obscuro Germaniæ angulo progressa, magnam Christianæ Reipublicæ partem sua contagione infecit, eam ob causam quod initia eius essent neglecta. Sed hæc diuinæ voluntatis erant permissiones: hanc pœnam, adeoque multo maiorem peccata nostra merebantur. Et quamuis veræ causæ nos lateant, sic tamen iudicare oportet eas plane esse iustissimas, vt quæ à iusto omnium causarum motore, qui in numero & mensura omnia disposuit, procedunt.

Quo loco cum Doctoribus nonnullis obsérvo admirabilem diuinæ sapientiæ curam, ex qua mecum inspecta quilibet Christianus perspicuè animadvertet, non temerè, sed summa sapientia permissiones hæresum ordinari, ab ipso qui permittit. nam prorsus simili ferè decursu Hæreses permissæ sunt nasci in Ecclesia & invalescere ad tempus quo ordine sana doctrina ab Apostolis in Symbolo Fidei est comprehensa & proposita. Siquidem vix exortus erat Christianissimus, cum Magi, se pro Deo venditãres populo, exorti, primum articulum dæmone adiuuante oppugnare cæperunt,

in

in quorum vestigia Ebion, Cerinthus & Manes ingressi aliquod de diuinitate attributum euertere conati sunt. his deinde Marcion successit, qui verâ incarnationem Filii Dei negauit, & quantumuis reciperet S. Lucæ Euangelium, omnia tamen loca verum corpus astruentia in Christo, per Caluinianum interpretamentum, *id est, figura Corporis* corrumpere molitus fuit, uti ex Refutatore eiusdem Tertulliano legenti constabit. Successit deinde Arius, qui verum Hominem confessus diuinæ essentiæ naturam in Christo negauit, nempe homœusion volens inducere pro Catholico homousio. Successit illi Eutyches, qui utramque naturam in Christo confessus, utramque confudit, & mixtum effecit, sed cum Ecclesia hosce hostes iam vinceret proprietates naturæ vtriusque in Christo aggressi sunt oppugnare increduli tunc & vna voluntas Christi, & eius operatio, & passio, & mors multis modis in disquisitionem vulgi protracta sunt, donec ad ipsum quoque Spiritum S. deuoluta est procella opinantium, & illius vel diuinitas vel à patre filioque processio cæpit in dubium vocari per Græcos. Post hanc quoque sectam succumbentem, de Ecclesia articulus cæpit conuelli, nempe caput Oecumenicum Papa Romanus & pars opt. Ecclesiæ Sâcti & cultus Sanctorum & his dicatarum imaginum usus, de quibus cum acriter esset concertatum, Sanctorum communio, & quidem Augustissima illa cum Christo per Eucharistiam à Berengario in Gallia cæpit euerti, & contra à recte credentibus firmari, donec Lutherus sequentem articulum, nimirum Remissionem peccatorũ aggressus eumq; in nihilũ redigere laborauit, suoq; errore omnes veteres in theatrum reduxit, tanq; am immediatus Anti-Christi præcursor homo peccati quæ enim alia pars de Symbolo restat oppugnanda, bestiæ illi deterrimæ vltimæ, quã *carnis resurrectio*, quam tamen aduersus ipsã Enoch, & Elias, non solum verbis sed & experimento resurrectionis suæ probabunt & verissimè & sanctissime ab Ecclesia, semper creditam fuisse.

DE PRIMA DISPUTATIONE
In negocio religionis habita, deque eiusdem exitu.

Caput X.

ARGVMENTVM.

I. *Quæ noua, hominibus grata: & quomodo Lutherus mundum deceperit atque inescarit.*

II. *Lutherus, nomen suum vbique celebrari animaduertens, cristas multo altius tollit, & incredibili arrogantiâ inflatur.*

III. *Inter Eccium & Carolstadium, Georgii Saxoniæ Ducis operâ, disputatio instituitur.*

IV. *Carolstadio Lutherus se adiungit, & disputandi prouinciam in se recipit.*

V. *Incipit à S. Sedis auctoritate.*

VI. *Lutheri in hac disputatione inconstantia.*

QVÆ noua, grata sunt & accepta, vulgo præsertim, in quo non est consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia. Faciles omnibus noui aliquid afferentibus aures præber, noua sectatur, noua amplectitur; nec quidquam nisi præsentia respicit. Id in Lutheri hæresi apparuit, quam plures præcipiti quodam iudicio, aut potius temerariâ credulitate amplexi sunt, Lutherum videre, audire gestientes. Ex quo factum est, vt paullatim Dei in terris Vicarius, eiusque statuta & leges in contemtum apud ipsos venerint. Lutherus interea scriptis ad Imperatorem, Reges, Principes, non Germaniæ tantum, sed vniuersæ Christianæ Reipublicæ litteris, variè eorum animos versabat, his adulando (vt in litteris ad Sabaudiæ Ducem apparet) illis tamquam Propheta & Dei legatus, diuinam iram interminando. Pronis auribus accipiebatur, quod nihil nisi Reformationem spectare aut poscere se dicebat, protestans cetera integra & illæsa sibi fore: vt quitum monasterio adhuc se contineret, ac diuinum Officium frequenter celebrarer. Atque ô vtinam his ille se limitibus continuisset, non autem domum Dei (quam sordibus ministrorum negligentia fortè infectam, purgandam susceperat) tamquam alter Herostratus succendisset. Hoc tamen ne faceret, multa adhibita sunt etiam Anno sequenti 1529. remedia. Sed & ipsi Luthero etiam indies suggerebantur occasiones maiori & noua proteruia tendendi in ruinam grauiorem. Occasiones profundius decidendi fuere, primo in Heluetia exurgens motus duce Zvvinglio qui primo Ian. primam cõcionem seditiosam habuit, quo die Tiguri monstrum Hermaphroditi natum est, aptum omen hæresis nascituræ 2. Maximiliani Imp mors 12. Ian. 3. Importunus concursus profectionis indictæ Luthero confluentiam Rheni in Archiepiscopatu Treuirensi, & disputatio ab eo habenda Lipsiæ, & his similia, nam superiore anno Ioannes Eckius & Lutherus Augustæ Octobri mense

mense congressi, ad tollenda scriptionum polemicarum scandala, disputationem, publicam in huius anni Iunium Lipsiæ habendam condixerant, & Carolus Militius Roma in Saxoniam profectus hoc Anno cum Luthero contulerat, conueneratque, Alteburgi, ut Lutherus datis humilibus ad Papam litteris causam censuræ eius subijceret (quod & 3 Maij fecit magnificè commendata Romana Ecclesia) & dum causa ab aliquo Germaniæ Episcopo, veluti Treuirensi, cognosceretur, silentium partes tenerent. Cum igitur improuide Militius Confluentiam professus, Lutherum eodem ad Treuirensem Episc. euocat, improuide disputatio imminens euocati profectionem, & omnem deinceps Militij actionem & spem abrupit.

II. Ad Lutherum interea scholastica iuuentus certatim accurrebat, & versibus alijsque encomijs tamquam alterum Herculem ad cœlum vsque efferrebat: sic vt breui nomen eius per totum terrarum orbem celebraretur. Præsertim cum Erasmus Roterodamus hoc ipso tempore pro Luthero dedisset epistolam ad Fridericum Elect. Saxoniæ declamatoriam tanquam cui lis mouentur ob Latinitatem & linguarum peritiam, confessus libros Lutheri ab optimis legi, etsi à se non sint adhuc lecti. Iam Fama tantæ rei omnium animos mira exspectatione suspensos tenebat:

Fama, malum quo non aliud velocius vllum.
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo;
Tam ficti prauique tenax, quam nuncia veri
Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens; & pariter facta atque infecta canebat.

Ecquid animi Luthero fuisse putatis, vbi vidit se tamquam Demosthenem olim. —— *digito passim monstrari, & dicier, Hic est*: —— vbi Romam non aliter quam cœlum Iouis nutu, nominis sui fama quasi sedibus emotam, nec minus ipsius metu quàsi Hannibal ad portas esset, consternatam animaduertit? Habet hoc vitium natura nostra, vt adulationem amet, suisque laudibus turgescat, & maiora quam capere possit præsumat. Sic Lutherus superbia, certissima animarum peste, elatus, tantos spiritus sibi sumpserat, vt se pro diuino vate, & verba sua pro oraculis habenda esse existimaret. *Nomen meum*, ait in epistola ad Ducem Brunsuicensem, *tum celebrari cœpit, adeo vt nullus opponere se auderet. Qua licet exigua gloria valde mihi placebat.* Quinetiam paucis ad se aditum dabat: sic vt Carolo Miltitio Papæ Nuncio ægre, & quidem ipsius Ducis intercessione, bis videndi ipsius atque alloquendi potestas facta sit: de quo ipse Lutherus postea sæpe est gloriatus. Tum ille Apostolus, tũ Euangelista audire, & cum Spiritu S. de reformanda Ecclesia, ac tota Christiana Republica firmioribus tibicinibus stabilienda consultare videri voluit. *Oculos tuos*, aiebat, *ô Germania, ad me conuerte: ad quam saluandam ego missus sum. Accede ad me, charissima mea patria, & aperi aures Euangelio, quod hactenus numquam audiuisti.* Sic quintus hic Euangelista loquebatur, superbia & ambitione inflatus. Sed cedo Martine, vbi sunt diuina missionis tuæ testimonia? vbi Propheticæ? Vis dicam? Illæ sunt, quæ *Attendere*, nos iubent (a) *à falsis Prophetis, qui ad nos venturi sint in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Hæretici*, vt recte Bernardus ait, (b) *specie oues sunt, feritate lupi, astutia vulpes.* Porro disputationis Lipsiensis hæc fere series fuisse repetitur.

III. Dum Lutherus noui Apostoli personam induitus Wittebergæ omnia miscet; Archidiaconus quidam eiusdem ciuitatis, Carolstadius nomine, eandem religionem publice profiteri cœpit. Hic ex Ecclesiasticorum ordine primus desertis Ecclesiæ vexillis, ad Lutheri castra transfugit. Sed de furioso hoc homine, & noua Secta, ab eo multum indignitate Luthero, ad magistri sui ruinam procusa, libro II. fusius dicetur. Hic quum in scripta quædam Ioannis Eccij Ingolstadiensis Canonici contra Lutherum incidisset, refutanda ea, ac Lutheri sui, quem Doctorem SS. Theologiæ creauerat, existimationem defendendam sibi sumpsit ediditque aduersus Eckium libellum atro maledicentiæ felle scriptum. cui cum Eckius modestam responsionem opposuisset, ad Iudicium sedis Apostolicæ, vel alterius Vniuersitatis prouocando, Carolstadius non minus amarum obiecit. Itaque re tandem eo deducta, vt Colloquio dies & locus, Lipsia nimirum, sit designatus. Erat tum ciuitas hæc sub ditione Georgij Saxoniæ Ducis, cuius frater Fridericus, vti ex superioribus intelligi potest, Lutheri patrocinium susceperat. Colloquio huic acriter sese opposuit Lipsiensis Episcopus, non ignarus eiusmodi concertationibus hæreses non modo non retundi, verum etiam exacui & novis opinionibus viam aperiri. Quemadmodum enim

a *Matth.* 7. b *Ser.* 66. *in Cant.*

enim è nubium collisione non fulgura tantum & tonitrua exsistunt, verum etiam fulmina obvia quæque proterentia exsiliunt: sic è disputationibus cum Luthero eiusque complicibus habitis contentionis ignis multo magis exarsit, adeoque Ecclesiam multo fœdius est depopulatus. Sic igitur repudiato prudenti Episcopi consilio, Georgio Duce assentiente, locus & dies ad disputandū fuit conductus. Ego sic sentio: quando hæresis alicubi invaluit, aut ab ipso Principe toleratur aut etiam asseritur, disputationes eiusmodi valdè esse utiles, uti sæpè in Gallia nostra vidimus, ut quibus hæreticorum fraus detegi commodè, ipsiusque hæreseos impetus seu cursus quodammodo sisti potest. At pati ut modo ex inferis emergens hæresis in publicam lucem producatur, & coram iis, præsertim quibus his de rebus iudicandi munus à Deo non est demandatum, causam suam agere & tueri ausit, id sanè perquam periculosum mihi videtur.

VI. Fama hujus disputationis institutæ pervulgata, magna omnium animos exspectatione accendit, Luthero tum Carolstadii sui doctrinam ad cœlos usque efferente, quem postea ad inferos usque depressit, ac nihil non sibi arrogante, de cuius stultitia & nugis tantos viros inter se depugnantes videbat. Ad diem compromissum Eckius solus adfuit; ut & Carolstadius, sed hic magnum comitatum, & plaustra libris onusta secum trahens. Adduxerat inter alios Lutherus, cuius causa præcipue agebatur, Philippum Melanchtonem Philosophum & Grammaticum, qui tum Græcas litteras VVitebergæ profitebatur; eumque velut triarium in subsidio collocârat. Idem Lutherus Carolstadium obsecrabat, ut provinciam hanc disputandi sibi relinqueret, indignum esse aiens, ut tantæ dignitatis (erat enim Archidiaconus) & doctrinæ vir cum vili & obscuro homine congrederetur. Econtra Carolstadius rogabat, ut omnium qui toto terrarum orbe essent doctissimi ac primarii viri Propositiones defendendi honos sibi deferretur. Sic duo illi ardeliones tamquam muli mutuò scatebant; & miserum Eckium risui & ludibrio habebant. *Leo hic*, scribit Lutherus ante congressum, *iam mortuus & in arena prostratus iacet*: epinicion ante victoriam canens. Disputationem hanc in sua arce Dux haberi voluit: cui ipse una cum Consiliariis suis & Academicis quotidie interfuit. Ab initio uterque Agonistarum protestatus fuerat, à fide & religione Catholica non discessuros, & præcipuarum Universitatum iudicio sese submissuros. Utrimque constituti sunt Notarij, qui argumenta & responsiones exciperent, & fideliter omnia in scripta redigerent. Primum disputationis caput fuit de Libero Arbitrio: inde alia quædam per decem dies ventilata sunt. Lutherus primo statim die animadvertit Leoni huic nequaquam mortuo, sed acutissimis dentibus & unguibus instructo, barbam vellere non ita facilè esse. Quare anxius valde, & sudore æstuans quod Carolstadium suum tam male acceptum & tractatum videret, certamini continuando sese obtulit. Nec detrectabat Eckius Consiliarii Ducis è colore, vultu aliisque gestibus quibus ille cucullo caput nudans, audientiam petierat, interioribus hominis motibus cognitis, eum rogarunt ut modestia in disputando uteretur. Sed vicit hominem iracundia, eique verba illa toties postea ipsi exprobrata expressit: *Neque in nomine Dei cœptam esse eam disputationem, neque in Dei nomine finitum iri.* Testantur hoc quotquot ei Colloquio interfuerunt, eiusque Acta conscripserunt. Lutherus ad se paulum rediens, idem quod Carolstadius protestatus est, itidem de dogmatibus suis iudicio Theologis Erfordensibus & Parisiensibus delato: illorum benevolentia confisus, ut à quibus prima ipsius adolescentia litteris erat imbuta; hos vero, quanto à S. Sede obsuppressam Pragmaticam Sanctionem alieniori erant animo, tanto æquiores sibi fore confidens.

Quemadmodum vero ij, qui quocumque tempore ab Ecclesiæ unitate discesserunt, rebellionem suam ab oppugnatione supremi Episcopi & Pontificis Romani auspicati sunt, ut I. Cap libri mei De Antichristo demonstravi (à Mercurio quippe, credo, didicerant, centoculum illum & vigilantem Argum occidendum esse, (*a*) ut Jo abduci possit: vel potius è S. Scriptura, ubi dicitur, (*b*) Pastore percusso, oves dispergi) sic eandem viam ingressus Lutherus, ad hunc fundamentalem lapidem convellendum, primum arietem admovit, ut eo secundum apparentem in vulgi opinione speciem è moto (quia se ipsa emoveri non potest) universum Ecclesiæ ædificium dissolveret ac prosterneret. Sed frustra corvus aquilæ obstrepit. Nôrat' ille capite hoc decusso, reliquum

a *lib. 1. metamorphos.* b *Zachar. 13. 7. Matth. 26. 31. &c.*

corpus, tamquã ingentem colossum subruto fundamento, vnà repente corruiturum. Hæc rebellionis Lutheranæ fuêre rudimenta. Schisma D. Thomas sic definit: (a) *Esse scilicet singularem & contumacem separationem ab vnitate Ecclesiæ, eo quod quis Caput eius, qui est Papa Romanus, agnoscere nolit.* Ad huius igitur potestatem, quam toties antea confessus fuerat, oppugnandam Lutherus pleraque argumenta sua direxit, nihil dubitans hoc modo ordinem quo Ecclesia mirabiliter & pulcerrime inter se aptata est & colligata, perturbatum adeoque sublatum iri: ordinem, inquam, qui sine capite hoc subsistere non potest. Caput hoc tolle, ordinem quoque sustuleris; tolle ordinem, animam vnà Ecclesiæ, vires & essentiam quoque tolles. Sic Nestorius, Manes, Dioscorus & alij fecerunt. Hinc recte S. Cyprianus. (b) *Neque enim aliunde*, inquit, *hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa; nemo aduersum Sacerdotum collegium quicquam moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum iudicem se iam non episcopi, sed Dei faceret; nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet; nemo sibi placens ac tumens, seorsum foris nouam haresim conderet.* Sed quemadmodum fluctus scopulis illisi franguntur potius quam frangunt: sic quotquot per eam hanc fundamentalem oppugnarunt, inuicta eius duritie fracti & quasi in spumam versi euanuerunt.

VI. Quamuis autem Lutherus caput hoc de summi Pontificis potestate magna contentione & vehementia discuteret, ita tamen ambigua vtebatur interpretatione, vt vna manu destruere, altera ædificare videretur. Atque hoc eo, quod auctor schismatis, vt ipse dictitabat, esse nollet. Ab Eccio vero Bohemorum fautor & protector appellatus, vt quorum erroresiam olim à Constantiensi Concilio damnatos sequeretur & defenderet: *Mentiris*, inquit, pro solitâ sua modestia, *Hussita numquam fui: quos tamquam hæreticos damno, vt qui propria auctoritate se ab Ecclesia separarunt.* Verum enimuero constat ex omnium eorum qui Colloquij huius Acta conscripserunt testimonijs Lutherum supremam Romanæ Sedis auctoritatem agnouisse tandem, aperteque professum esse, *hanc tamquam omnium Ecclesiarum matrem agnoscendam esse.* Quin idem narrat Georgium Principem, apprehenso vna manu Eccio, & Luthero altera, vt finem ipsorum De Pontificis primatu concertationi imponeret, sic vtrumque compellasse: *Quid illud tanta contentione disquiritis, vtrum Papa diuino aut humano iure supremum sit Ecclesia in terris caput, quum ipse sit supremus Christianorum Pontifex, semperque sit futurus? Hic solus est, in quem Deus omnem potestatem contulit, vt ea deinde in plurium dominationem diffunderetur. Sine hoc enim velut sacomate nullus Episcoporum alteri cederet, & confusione ac turbis omnia miscerentur: adeoque in Ecclesia non ordo, qui in ea pulcerrimus & conuenientissimus esse debet, sed mera anarchia futura esset.* Hic Lutherus obmutuit, non sine magna assistentium admiratione, quod illum non solum in hoc articulo, etsi nondum, vt debebat, discusso, sed alijs etiam, ac præsertim illo qui est de Purgatorio, quem ille *Papalem ollam seu culinam* prius appellarat, contra primas suas Propositiones multa remittere viderent & audirent. *Credo*, inquit, *atque adeo dicere audeo Purgatorium esse: & cum S. Gregorio dico, eius mentionem fieri* XII. *capite Euangelij S. Matthæi, & lib.* II. *Machab. cap* XII. Sic vt sæpe intra Ecclesiæ septa se recepisse videretur; quæ tamen mox iterum tamquam erratica & ferox bestia perfregit, ruptisque repagulis, quacumque carnales eum trahebant cupiditates, ferebatur tantopere desiderata libertate seu viuendi licentia tandem potitus.

QVOMODO LVTHERVS EXcommunicatus fuerit: & quò desperatio eum adegerit.

Caput XI.

ARGUMENTUM.

I. *Georgius Saxoniæ Dux iam dicta disputatione in Catholica Religione valde confirmatur.*
II. *Lutherus ad Papam scribit. Leonis in reprimenda hæresi conatus, & Pontificij Legati error.*
III. *Consuetudo & ceremonia Ecclesiastica excommunicationis.*
IV. *Lutherus excommunicatus, ad desperationem redigitur.*

V. *Lu-*

(a) 2. 2. q. 39. art. 1. (b) ep. 55.

V. *Lutherus iuris Canonici libros publice concremat; & alia extrema audacia consilia capit.*

VI. *Turpes Lutheri Propheta stri picturæ, scripta & verba.*

I. OPERAM profecto perderem, ac Lectoris abuterer patientia, si omnia quæ in isto Colloquio acta aut disputata sunt, persequi hoc loco vellem: præsertim quum nullam fere attulerit vtilitatem. Sleidanus primam hanc Goliathæ sui pugnam leui percurrit brachio; & quamuis Eccius & Carolstadius præcipuas partes sustinuerint, ac diu inter se concertârint, solum tamen Lutherum in scenam producit, Romanæ primatum Ecclesiæ oppugnantem. Illud boni ex hac disputatione consequutum est, quod Saxoniæ Dux Georgius non mediocriter inde confirmatus, ad extremum vsque vitæ diem in Catholica religione constanter perseuerauit, ac Lutheri acerrimus hostis fuit. *Ego*, inquit, in epistola ad Angliæ regem, (a) *cognoui tum quò euasura esset hominis huius audacia, si non fibula ei fuisset posita. Facile videre fuit, sub ouilla pelle astutam vulpem latere.* Finito, vel abrupto potius colloquio, noui pseudo-Apostoli VVitebergam reuersi sunt; & quamuis tam S. scripturæ quam SS. Patrum testimonijs & auctoritate victi essent, pro victoribus tamen se ferebant, diuersis scriptis Carolstadium excusantes, quasi is sine charta & libris disputare coactus fuisset, quum tamen plaustra libris & chartis onusta adduxisset. Ilthoc quidem Lutherus in epistola ad Spalatinum affirmat. Iidem contra quam decretum ac promissum fuerat, Disputationis articulos ad ipsorum incudem reuocatos diuulgarunt. Quin etiam ipse Lutherus ad Pontificem scribere, & Eccium arrogantiæ & temeritatis accusare ausus est: vt qui suæ gloriæ studio, Curiæ Romanæ turpitudinem detexerit, & compositionem quam eius Nuncius Miltitius tractabat, impedierit *Ipsius exemplo*, inquit inter alia, *cognitum est, nullum perniciosiorem esse hostem quam adulatorem.* Econtra Hieronymus Emserus, qui disputationi quoque interfuerat, in Catholicorum fauorem veram totius rei historiam typis publicauit, non sine magna Lutheri ignominia, cuius ille furorem non minus scite quam vere descripsit, & plusquam centum testimonijs confirmauit. Duo tamen commoda populus Catholicus ex disp. Lipsiensi nactus est, unum quod *sui cordis secretum furioso clamore Lutherus aperuit, coram multis professus eam rem nec in Dei nomine cœptam esse, nec terminandam.* Alterum quod post eam disputationem passim traductus est Lutherus suismet ex dictis & chartis, quod dogmata tueretur quædam aliena à communi sensu Fidelium. quorum p ius ita manifestum erat, ut redarguere ipse licet effrons non potuerit, alterum verò conatus est obuelare, edito libello professionis Fidei suæ, quoad articulos eos, circa quos erat suspectus, in quo profitebatur SS. *esse inuocandos honorandosque: defunctorum fidelium cruciatus esse caritate viuentium mitigandos: & Dei ac Ecclesiæ mandata esse obseruanda: Opera per gratiam Dei facta esse bona. Ecclesiam Romanam etsi defectus quosdam habeat, esse tamen à semper futuram talem, ut sit causa recedendi ab ea, Pontificum Romanorum decretis esse obtemperandum.* (b) Sed hæc ipsa metu solo vel spe purgandi sui apud homines, non autem seriò dicta sequens tempus edocuit, aut certe si serio ista professus est, *arundo fuit ventis*, contrarijs ad ituporem *agitata*, verbo *Proteus aut Vertumnus Saxonicus.*

II. Dum Lutherus in hac arena vehementius quam antea desudat, & iam hunc iam illum Fidei articulum conuellit Colonienſis Vniuersitas libellis à Luthero editis oculos iudiciumque adhibuit, & scatentes erroribus Christique fidelibus noxios declarauit, publicato damnationis decreto 30. die Aug. quorum exemplum secuti sunt Doctores Louanienses, 7. Nouemb. in quos proinde more suo Lutherus dentes & bilem exacuit, quos viri grauissimi flocci fecere; Iacobus tamen Latomus Louanij Doctor rationibus è SS. PP. petitis iustam damnationem Lutheri typis vulgauit (c) Et quia Philip. Melanchton data 21. Iulij epistola falso contraque fidem & pacta vulgarat de Lipsiensi disp. sibi placita capita quædam, Eckiusque eum refutarat, acerbissimè calamum strinxit in Eckium & poetastrorum chorum in eum armauit, quo genere pugnæ nihil territus Eckius Romam perfectus est ad informandum Pontificem de periculo, quod Germaniæ infelici incumbebat: (d) Leo PP. scriptis ad Saxoniæ Ducem, vnicum Lutheri fulcimentum, litteris, priores querelas repetit, & quam grauem

a *Data 6. April. 1519.* b *Vlenbergius in Vita Luth. cap. 4 num. 5.* c *Vlenbergius cap. 5. Vitæ Luth.* d *Idem cap. 5.*

nem tam ſuæipſius exiſtimationi quam vniverſæ Eccleſiæ injuriam faceret demonſtrat, qui ſinu ſuo tam venenatam aleret viperam, quæ lethali morſu mox ipſum eſſet confectura. *Qui*, ait quodam loco Papa Vrbanus, *alterius defendit errorem, deteſtabilior eſt eo ipſo qui errat: vt qui malitiam eius fouet, & plagas tendit quibus alij capiantur.* Lutherus ijs, quas ad Pontificem dederat litteris, plurima verba honorifica immiſcuerat; tandem vero ita concludit: *Pater ſancte*, inquiens, *Quantum ad reuocationem eius quod dixi aut ſcripſi, ne quæſo, quiſquam cogere me præſumat, niſi Eccleſiæ cauſſam multo maioribus quam antea turbis inuoluere, ac rem plane exulcerare velit. neque enim ad interpretandum Dei verbum vllam ego legem vel auctoritatem recipere decreui.* Suum ſcilicet vnius caput ac cerebrum pro Delphico oraculo & veritatis norma habebat. Vide, quæſo, extremam hominis ſuperbiam & vanitatem, qua ſuperbiæ parens eum inflauerat! Saxoniæ Dux acceptis à Pontifice litteris, ſe excuſauit, dicens, *Sanctitatis ſuæ Nuncio minime è re viſum fuiſſe vt Lutherus Saxonia excederet, ne alibi, vti aiebat, multo plus mali daret, idque quod vno iam loco includeretur, vbique diſſeminaret.* Sed hoc profecto imprudens fuit & pernicioſum Militij conſilium. Quis enim Lutherum à Saxoniæ Duce eiectum recipere auſus fuiſſet? Credibile ſane eſt, eum paullatim in eas anguſtias redigi potuiſſe, vt relicta Germania ad Bohemos fuerit transfugiturus. Et hoc quidem ille aſylum ſeu receptum ſibi ipſe deſtinarat, vti non ſemel poſtea ex eo, primam hanc ſuam fortunam cõmemorante, auditum fuit. Sed quem fauorem ab Huſſitis exſpectare poterat, quos ille hæreticos appellando, non mediocriter offenderat? Et quemadmodum Caroli V. Imperatoris metus Germania; ſic Ferdinandi, Bohemia eum fuerat expulſurus: nec quidquam aliud reliquum futurum erat, quam vt nullibi reperta ſecura ſtatione, in Turciam profugeret. Fridericus Dux quamuis Pontifici obtemperaturum ſe ſimularet, Lutherum tamen tanto plus animabat ac ſuſtentabat, quanto magis alios in exitium eius conſentire animaduertebat. Ex quo factum eſt, vt Papa ad extremum deſcendere remedium, eoque gladio vti coactus ſit, cuius virtus reliqua arma temporalia & humanarum virium inſtrumenta tanto plus ſuperat, quanto vis ſupernaturalis inferioribus his rebus dignitate antecellit: Gladio, inquam, quem ille ab omnipotenti Dei manu accepit; vel Fulmine potius ſpirituali, vt Cyprianus appellat, quo Eccleſia non minus, quam naturali fulgure aer, purgatur. (*a*) atque hæc fere Anno 1519. geſta fuerunt. ſeq. vero An. 1520. 4. Ian. Ioannes Epiſc. Miſnenſis Lutheri libros damnauit, & Lutherus paſſim hominum fauores minis, dolis blanditijſque captauit.

III. Vetus eſt Chriſtianæ Eccleſiæ conſuetudo, vt contra omnes hæreticos, ſchiſmaticos & alios rebelles formidabilis Excommunicationis ſententia pronuncietur. Id quod ſingulis annis feria quarta ſacræ hebdomadæ fieri ſolet: qua Pontifex, peracto ſacro, Põtificali habitu indutus, comitante vniuerſo clericorum ordine, in ſublimem quendam Eccleſiæ S. Petri locum aſcendit, vnde in ampliſſimam ſubiectam aream, in qua innumerabilis tum hominum cuiuſcumque nationis multitudo conuenit, eſt proſpectus. Ibi duo vtrimque ad Pontificis ſtantes latera, Bullam quæ *In Cœna Domini* appellatur, vnus Latina, alter Italica lingua conceptam præ legunt; cui inſerta ſunt nomina omnium hæreticorum, ſchiſmaticorũ, & aliorum qui ab Eccleſia reciſi ſunt, quos certis verbis & cæremonijs Papa de nouo excommunicat & anathematizat. Quo facto, idem flammam ardentem proijcit, in ſignum maledictionis. Anathema (*b*) vero quo Eccleſia rebelles ab obedientibus ſeparat (quæ eſt maxima omnium in Monarchia Eccleſiaſtica pœna, & mors animæ, vt S. Aug. (*c*) loquitur figura eſt eius ſeparationis quæ in extremo ludicio futura eſt. Quod enim corpori vetus, idem noua Lex animæ ſtatuit ſupplicium, vt idem inquit. Tum etiam candelæ exſtinguuntur; quo tenebræ damnatis præparatæ ſignificãtur. Igne enim animatũ, quæ in cælis viuunt, ſignificatur immortalitas: quod is naturaliter ſurſum ad cœlos tamquam centrum ſuum feratur: & corporibus etiam abreptis, animæ nihilominus in magno illo & æterno igne, omnis lucis inexhauſto fonte, felices viuant. Per ignem quoque fides noſtra viua & feruens figuratur. Atque hanc ob cauſſam apud primos Chriſtianos etiam medio die Epiſcopis flammæ ardentes præferebantur (vt Nicephorus (*d*) & Suidas in vita Fulgentij Africani Epiſcopi teſtantur) vt olim quoque Imperatoribus

a *Vide Glycam parte 4. Annal. de punitione excommunicati. Nau. c. 17.* b *Tertullianus in Apolog.* c *Auguſtin. in Deuter. q. 59.* d *Vlenberg. in Vita Cap. 5.* e *Lib. 10.*

bus Romanis. Cuius rei causſam aut originem doctiſſimus Lipſius in Commentarijs ſuis ad IV. librum Annal. Taciti nullam aliam ſe reperire poſſe ait, quam id quod ab Herodiano poſt Antoninorum ſæculum notatur. Et eandem forte ob causſam Ducibus Venetorum per vrbem euntibus tæda ardens olim fuit prælata. Lumina ergo, vti dix mus, in hoc Actu exſtingui ſolent, quum vt fides hæreticorum mortua, tum triſtitia quam inde concipit Eccleſia, ſignificetur: ſicut econtra in publicis gaudijs & feſtiuitatibus eadem accendi ſolent, vt S. Chryſoſtomus ait (a) Hinc etiam apud nos in ijſdem ignes publice excitari ſolent. Licet autem Luthert hoc eodem modo in maledictorum numerum relati candela exſtincta fuerit; hæreſis tamen eius paſſim accenſa indies magis magiſque gliſcebat: quod ille tam extrema deſperatione, quam vindictæ contra Papam ſtudio adactus, Deo, cœlo & terræ bellum inferre conſtituiſſet.

IV. Videns ergo Lutherus nullam ſpem ſalutis ſibi eſſe reliquam, neque vllum ad gratiam aut veniam receptum, niſi collum laqueo ipſe præberet, omnem iram cum fæcibus euomere, ac tamquam rabioſus canis obuios quoſque impetere cœpit, clamitans: *Vbi eſtis, ô Imperator & Principes? An tantam violentiam ferre poteſtis? Non veremini, ô Romani Antichriſti, ne lapides & ligna præ veſtrarum blaſphemiarum horrore ſanguinem ſudent? Ego ſi peream, exitium meum veſtra ruina nobilitabo Idem omnes potentias cœleſtes & terreſtres ad ſui defenſionem contra Papa, vt appellabat, tyrannidem, euocabat, quem Chriſti olim Vicarium, iam Antichriſtum appellans; cui ſua manu lethalem ictum ſe inflicturum minabatur. Mea, inquit, doctrina dominabitur; Papa vero cadet. Pacem recuſauit: bellum ergo habeat. Videbimus vter prior laſſus ſit futurus, Papa an Lutherus. Fatum ineuitabile Papam ad ruinam trahit, nec quiſquam, vt Daniel dicit, in auxilium eius veniet.* Sic pſeudoprophetes hic vaticinabatur palam, clam vero anguſtijs animi exitum non videntis, luctabatur ita vt Wittebergæ inſidias ſibi paratus ſciens, & gratiæ ſuæ in Aula Saxonis, ob læſos petulante lingua nobiles viros, diffidens, & præſagio fulminis Roma imminentis, de Transfugio ad Huſſitas conſilium cæperit. à quo tamen conſilio eum ſupernenientes è Franconia Nobilium aliquot literæ, reuocarunt, omnem opem ſpondentes fortunarum & corporum ſuorum obiectu. Complures exiſtimabant, quemadmodum ſerpens virga facilius quam fuſte occiditur; ſic hæreſin hanc leui potius quam tam graui & ſeuera, quamuis iuſta cenſura potuiſſe exſtingui. Et quemadmodum qui à Tarantulis morſi ſunt, (b) tibiarum cantu ſanantur; ſic hæreſi infectos manſuetudine potius & lenitate ducendos, ac vincendos eſſe. Sed tam in hoc quam alijs ex euentu potius quam veritate iudicium fieri ſolet, Emunctæ naris ſcriptor Guicciardinus, *Melius forte futurum* ait, *ſi hominis huius fatuitas diſſimulata initio & contemta fuiſſet, vt quæ propria ſponte in ventum & fumum fuerit abitura: quum econtra tot tantiſque conatibus nihil aliud effectum ſit quam quod malum longius latiusque proſerpſit. Quanto enim plures quantoque acerbius Lutherum perſequebantur, tanto illius cauſſæ maior apud populum accedebat auctoritas & fauor, exiſtimantem tantas ipſum perſequutiones ob vitæ innocentiam & ſanam doctrinæ reformationem ſuſtinere. Et certè conſultius fuerat ei ignoſcere:* quemadmodum coruos crocitare non moleſte ferimus, quod hanc à Natura habeant vocē, recte Veſpaſianus aiebat; Non ægre ferendum eſſe, ſi homines quæ corde concepta habent, aliquando effundant, ne retenta aut repreſſa, cum maiori deinde periculo & damno erumpant, vel ſaltem vt quis quiſque ſit innoteſcat. Verum vniuerſa conſilia hominum incerta ſunt & timida.

V. Cum igitur 14. Iunij Romæ publico decreto foribus S. Petri affixo damnati eſſent Lutheri 41 errores accuſante Eckio, & damnationis ſententia per eundem & Hieron. Aleandrum miſſos in Germaniam Commiſſarios publicaretur (c) Lutherus incredibili Papæ æſtuans odio, quod ab eo Sathanæ eſſet traditus, multo quam vnquam antea acrius inſanire & furere cœpit; certus iam extrema omnia moliri. Quod ipſum in libello ad comitia Ratisbonenſia miſſo præ ſe fert, omnium turbarum cauſſam in ſanctiſſimum Patrem (ſic per ludibrium eum appellat) à quo excommunicatus & diabolo eſſet traditus; conferendo; ſeipſum vero excuſando, vt cui omnium, vndiquaque ſtilis & calamis impetito, extrema ſe defendendi impoſita fuerit neceſſitas. Vbi vero accepit libros ſuos publicè crematos (quaſi ijs abolitis, omnis Lutheranæ hæreſeos memoria vna foret interitura) ipſe quoque Iuris Canonici libros, vt & Leonis X. Bullam, inaudita tam vilis monachi audacia, conuocatis ad

a *Hom. 20 ad pop. Antioch.* b P. *Athan. Kircher in Magnete*, c *Vlenberg. cum AA. ſuis, cap. 5. Bzouius An. 1520*

hoc sacrificium scholasticis suisque auditoribus, Witebergæ publice combussit pronunciatis inter alia his verbis: *Quoniam tu conturbasti Sanctum Domini, ideo te conturbet ignis æternus.* Facti huius decretum IV. Operum ipsius Tomo insertum legitur. Neque vnquam postea vllam animus ipsius quietem habuit. *Inuadamus* (exclamabat homo ille omnis humanitatis expers, (a) *Inuadamus omnibus quibus possumus armis filium perditionis, Pontifices, Cardinales, ac totam hanc sentinam Romanam: lauemus in sanguine ipsorum manus nostras.* Ecce quomodo Sathanas tam lingua eius quam penna ad summam crudelitatem abusus sit. Hæc enim ipsa verba gladiatorijs suis libellis non vna lingua editis ac circumissis, inserere non dubitauit. Sed quid dicis, Luthere? An S. Apostolus Paulus hoc modo gentiles tractauit? An sic ille cum ijs quos ad Iesu Christi cognitionem adducere cupiebat, loquutus est? *Quæ desursum est sapientia*, inquit D. Iacobus, (b) *pudica est, pacifica, modesta*: at scientia filiorum superbiæ turgida est, arrogans, minax. Non igitur diuinæ domus zelo, sed Papæ odio impulsus fuit Lutherus, vt ipse in epistolis suis testatur, vbi dicit, *se non* IESV CHRISTI *amore, sed Pontificis odio, cui igne & sanguine bellum denunciatum velit, certamen hoc suscepisse: valdeque sibi molestum esse quod multo plus mali facere iam ipsi non posset.* Qui Lipsienſi disputationi interfuerunt multa incredibilis insolentiæ adeoque furoris plena verba ex ore eius profecta annotarunt. Admonitus enim vt modestius ageret, siquidem Dei verbum non nisi cum modestia & spiritus lenitate tractandum esset: *Ego, aiebat, longe alia scribam, si Romanæ Sedi hæc displicere intellexero.* Et in præfatione libri De captiuitate Babylonica, *Dum illi*, inquit, *de mea aliqua hæresi triumphabunt, ego aliam nouam procudam.* Nihil tum ille frequentius quam Antichristum in ore habebat (c) & vt simplices deciperet, primitiuæ Ecclesiæ simplicitatem demonstrabat: quæ opulenta tum paupertate & sublimi humilitate felix, ad eam, vti ab Esaia vate prædictum fuerat, magnitudinem postea peruenire debuit, quam post redditam ei pacem & Imperatores Regesque ad fidem conuersos, ei obtigisse videmus & admiramur. Et sicut ab vna parte Lutherus nascentis Ecclesiæ paupertatem; ita ab altera morientis (sic enim aiebat) pompam & maiestatem graphice describebat: *eam exemplo Pelagianorum* (d) *pestilentia cathedram appellans; item Babylonem, cuius in Apocalypsi fit mentio, Sanctorum interfectricem, & Sathanæ sedem*: quasi eadem esset Roma quæ tempore Neronis & Diocletiani olim fuit. Atqui inter Romam paganam & Christianam, vel potius inter Romam & Ecclesiam, vt facit Hieronymus, diligenter distinguendum est. Illa tum merito adultera & meretrix audijt; postea vero a SS. Patribus Ciuitas sancta, Sedes pietatis, & omnium Ecclesiarum totius Mundi mater fuit appellata. Tempora scilicet distinguenda sunt, nec quod de primis sæculis dictum est, ad posteriora est trahendum. Roma gentilis domicilium fuit Sathanæ, & thronus eorum qui tam Apostolos quam multa martyrum millia morti tradiderunt: at eadem iam est Ecclesiæ Dei Sedes, in qua Apostolorum sedet successor. Qui sedem hanc occupat, non cum Ioue imperium partitus est, nec velut alter Briareus, deiecto Ioue, seipsum intrusit. Qua vos fronte, ô perditi mendaciorum parentis filij, eiusmodi sententiam contra eum pronunciare audetis, qui Sedem suam numquam tam alte versus cœlos eleuatam esse cogitat, vt obliuiscatur terram à se pedibus contingi? qui licet Dei in terris sit Vicarius, hominem tamen, & quidem è terra & luto formatum in Dei conspectu se esse meminit; nec tam D. Petri quam peccatoris successorem, adeoque seipsum peccatorem esse nouit.

VI. Non sine caussa reprehensione dignus fore mihi videor, si huius monachi fatuitates vel furias potius hoc loco recenseam, quas ipse Sleidanus celare non potuit: quæ si ipso forte dignæ sunt, dignæ tamen non sunt quæ à me describantur. Quoniam tamen noui hi Deucaliones; meliores Mundi, si dijs placet, restauratores, & Ecclesiæ repurgatores, ipsi à nouo hoc Apostolo doctrinam suam (quamuis ea iam immane quantum ab ea quæ olim fuit distet) accepisse se gloriantur; non abs re fuerit noui huius Euangelistæ ingenium & mores cum primis Christianæ fidei architectis & fundatoribus conferre. Sicut vero Simonidis calcei distortos ipsius pedes arguebant: sic hominis huius scripta animum eius nobis indicant & depingunt. E sacco frustra tu aliud depromere tentes, quam quod in eo reconditum est. Et quemadmodum in priscis illis Doctoribus humilitas, mansuetudo, benignitas, continentia & pietas

a *Epist. contra Silvest.* b *epist. cap. 3.* c *Vide epist. ad Argent. Cochlæ, Lindan. Emser.* d *Aug. lib. 2. cap. 5. cont. Petit.*

tas mirabiliter eluxerunt; ita in hoc homine nihil nisi superbia, furor, crudelitas, incontinentia, maledicentia & impietas notari potest. Vt vero Apellis manum vna linea prodidit: ita ex vno & altero dicterio ingenium & mores huius hominis, & ex vnguibus, quod dicitur, leonem facile agnoscemus. In libello quem ille pro strena ad sacrum Cardinalium miserat collegium, a minis contra sanctissimam Sedem exorsus, post multas effutitas ineptias sic tandem concludit, vt dicat, *se Papæ minas & Bullam neptili quidem facere; eosque qui ob minas moriantur, ventris crepitibus esse sepeliendos.* O rarum Lutheranæ modestiæ exemplum ac testimonium? Quam longe ab hac scurrilitate etiam ipsi Ethnici abfuerunt, qui nec ambiguis verbis opinionem aliquam turpitudinis habentibus vti voluerunt! Montus vero à discipulis, & inprimis à Philippo Melanchthone, vt maiori vteretur modestia ac ratione, respondit: *Velle se pro tali haberi, velle maledicentia, conuicijs & opprobrijs contra Papistas refertum videri. Immo pulcrum sibi & glorioſum ducere, si vsque ad vitæ finem exsecrationibus & iniurijs contra furciferos istos sese exercere posſit: & citius eos aquam ex pumice quam vel vnum bonum verbum ex ore ipsius expressuros* O impudentem audaciam! omnis ô mali, Lernam atque abyssum! inquit Euripides. Porcus hic in Augiæ Augia saginatus nihil fere nisi sord dum ac stercoreum aut in ore habebat aut chartis illinebat, tanta fœditate vt vel sola auditione aures, & lectione oculi conscelerentur: vt inde *Propheta stercoreus* passim appellatus sit. In eum est Andreæ Deliciani hoc Epigramma:

Stercora dum præ se ducit quæcumque Lutherus,
Oreq; spurciloquo nil nisi sterc⁹ habet;
Num, rogo, Stercoreū dices hunc esse Prophetam?
Qualia verba viri, talis & ipse vir est.

Hoc encomium Luthero veriſſime competere luce meridiana clarius perspiciet qui eius operum Tomos perlegeret, quorum tamen, hanc ob causam legendorum, operam lucri fecit præclare M. Conradus Andreæ, seu P. Conradus Vetter è Soc. Iesu, qui ex vniuersis operibus Lutheri collegit flosculos dictorum eius, redegitque in locos communes seu Titulos istos: 1 Innocens 2 Humilis. 3 Verax. 4. Christianus. 5 Deuotus. 6. Fidelis. 7. Angelicus. 8. Biblicus. 9 Grauis. 10. Castus. 11. Sobrius. 12 Cygnæus, vel porcinus. 14. Veraquista 13. Pacificus. 15 Mundus. 16. Mansuetus. 17. Iuriſta. sub quibus titulis ipsa Lutheri verba ex eius operibus ita digesta sunt, vt sub solo 15. titulo, 311. loca impuriſſime olentium & scurrilium verborum ex scripta sit reperire.

Nec contentus tam scurrilibus conuitijs & atrocibus iniurijs scripta sua infercire, etiam scalprum & penicillum adhibuit. Sicut enim Leopardus omnium animalium homini infestissimus, vbi ipsum hominem nanciſci non potest, imaginem eius sibi obiectam inuadit, & articulatim dilaniat; sic Lutherus furijs & intemperijs actus, Leonis PP. imaginem centum modis à se depictam misere habuit & depexuit. Iam *ad instar cornuti diaboli*, iam *sub forma asini Midæ habentis auriculas*, iam *serpentis apertæ ingluuie & faucibus minantis* figura. Magno numero passim eiusmodi tabulæ Papæ figura pictæ & sculptæ visebantur, non solum ineptæ & ridiculæ, verum etiam ignominioſæ, adeoque profligatissimi hominis Chirophanis picturis turpiores; scommatis & dicterijs adiectis non tam Theologo quam effronti nebulone dignis. Has ille plerumque librorum suorum frontispicijs præfigere solebat, vt Sleidanus non sine voluptate quadam recitat: qui Scrophæ & Asini picturam à Luthero editam repræsentat, eaque occasione Prophetam illum appellat, addita tabulæ eiusmodi inscriptione: *Lutherus Prophetico spiritu donatus.* Nec dissimulat tamen eundem propterea à multis fuisse reprehensum. Nec vero libri tantum & Musæa eiusmodi emblematis depicta passim videre erat, verum etiam maius Torgauiensis arcis, vbi Saxoniæ Duces commorari fere solent, cœnaculum miram è Lutheri cerebro effictam ac depictam Iesu Christi & Papæ Antitheſin ostendebat. *Depicturis eiusmodi*, loquens Sleidanus, *ait eas à multis fuisse reprehensas, quasi parum ipso dignas. Sed illum suas habuisse rationes; ac longius prospicere eum vulgo existimatum. Et in libris eius multa de magnis rebus exstare vaticinia, quorum nonnulla iam impleta, alia adhuc in Dei sint manu.* Idem hoc loco Sleidano accidit quod remigantibus accidere solet, quò nauis agatur nihil prospicientibus. Excusando enim pseudoprophetam suum, non modo ipsum, verum se quoque reum, & ipsius stultitiæ participem facit, chirurgi illius apud Iuuenalem exemplo, fœdum & putidum vlcus fetico emplastro tegere ac celare conantis. Sed vbi vaticinia illa vel prophetiæ sunt, quas hic Lutheri paranymphus nos celat? Restat ergo vt dicamus Milesiam aliquam fabulam illum narrare & depingere nobis voluisse?

QVO-

QUOMODO LVTHERVS REprehensis initio Indulgentiarum tantum abusibus, totam deinde veterem religionem euertere constituerit.

CAPVT XII.

ARGUMENTUM.

I. *Lutherus constituit, fabricari religionem plenam Libertatis etiam ad peccandum.*
II. *Omnibus quæ quis vult credendi potestatem permittit.*
III. *Ex Lutheri sententia omnes homines sunt Sacerdotes sine subordinatione.*
IV. *In religionis negocio etiam parua magni sunt momenti.*
V. *Montani dictum de primo Lutheri ingressu.*
VI. *Centuriatorum Magdeburgensium iudicium.*

I. POSTEAQVAM animaduertit Lutherus iuriis suis, probis & conuicijs parum admodum se profecisse, vt quæ nihil aliud essent quam vani & inualidi cõtra adamantinum murum emissi, & sine noxa fere repulsi ictus: rem alia ratione aggredienda n sibi statuit, à Papa in Ecclesiam; & à moribus seu vita in doctrinam conuerso impetu, sperauit conatum hunc aliquanto felicius sibi successurum, quam alijs qui idem antea cum suo ipsorum exitio attentarant. Nam & iam ante multa sibi præter spem euenisse videbat. Inprimis nomen suum obscuro ante inclusum monasterio, iam per totum orbem celebrari: Nihilque adeo ad summum gloriæ fastigium sibi deesse, quam si nouæ religionis auctor haberetur. Et quemadmodum crocodilus durissimis squamis vndique munitus non facile nisi ventre nudo & aperto lædi potest; sic Lutherus corpus Ecclesiæ munitum quasi Clypeis, per Carnalem in ea partem, tanquam ventrem potissimum impugnare voluit, obijciendo voluptates ad quas omnem suam doctrinam & dogmata direxit: non ignarus natura hominem fere à cœlibatu, ieiunio, pœnitentia, abnegatione sui, baiulatione crucis ac cæteris austeræ vitæ exercitijs abhorrere. Et certè sicuti Christi, Ecclesia est ædificata super petram duram, laboriosam &c. Ita Lutheri Ecclesia omnis eiusque doctrina ventri quasi est inædificata: vt in qua gulosi nec Vigilias, nec Quadragesimam, nec vllos dies esuriales reperturi sunt, nec judicium suum ulli subijcere seu captiuare, nec voluntatem suam resignare coguntur. Quocirca vt suam religionem carnalibus hominibus acceptiorem faceret, ieiunia in conuiuia, cilicia in teneras subuculas, seruitutum in libertatem commutandum, & Monachorum Deoque dicatarum virginum claustra perfringenda sibi putauit: summa suo cuique modo viuendi genioque indulgendi licentia proposita. Licentia, inquam, pessima & infami omnium hæreseon lena & conciliatrice. Hæc enim illa est, quæ hæresibus portam aperit, viam sternit, & planum facilemque cursum reddit, non viuendi tantum vt velis, sed credendi etiam quæ velis, Libertas. Et certe magna illecebra peccandi est impunitatis spes, vt Cicero ait.

II. *Non iam amplius tempus est*, clamabat Lutherus, *torquendi conscientias.* Par est vt vnusquisque quod vult credat. Hoc eodem scuto Donatistæ olim vsi sunt, dicentes: Mi frater, quidquid lubitum fuerit, idem licebit: & quidquid voluptati vobis erit, per nos sanctificabitur. *Libera res fides est, nec imperari potest.* Sed *ô felicem metum*, inquit Augustinus, *qui vt melior fias cogit!* Econtra Lutherus, (a) *Si quis fide, aiebat, male vtitur, satis pœnarum ille in inferno dabit; & si ex numero sumus electorum, quid attinet vitam hanc acerbam nobis facere? Cum fata rumpere non possimus. Prædestinati enim sumus aut ad bonum aut ad malum. Præscientia Dei nos præordinauit antequam nati essemus; facitque vt aut boni simus aut mali. Credamus modo, satis est, & quanto es improbior, tanto es Deo propinquior.* O detestabilem doctrinam! quæ omnem reuerentiam & cultum Dei conuellit & tollit. *Cur enim*, inquit aliquis, *vitam ego meam in tantis laboribus & sudoribus traducam, vt possideam id quod sine vllo meo labore iam est acquisitum! Cur carnem meam ego macerem, quum nihilominus aut æternis destinatus sim supplicijs, aut sine vllis meis laboribus de salute mea certus.* Et alibi ait, (b) *Sicut Deo is olius sit nostra bona opera remunerari, ita peccatorum nostrorum pœnas eidem soli nos per soluere debere: atque ita stulte agere qui ob secus facta pœnas à seipsis exigant. O nouam libertatem Euangelicam*, exclamabat Erasmus, Lutheri eiusque doctrinæ mentionem audiens, *sentire & facere quod cuique bonum videatur: siquidem iam saluationis & damnationis decretum à diuina prædestinatione latum est.* Quid Augustinus hac de re? *Absit,*

a *Luth. Tom. 4. fol. 319. Tom. 2 de Mini. Eccles.*
b *Serm. de Piscat. Pet.*

Absit, inquit, *vt dicamus vobis: Viuite quomodo vultis, quiescite securi. Deus neminem perdit. Fidem tantum Christianam custodite. Non ille perdet quod redemit. Non perire sinet eos pro quibus sanguinem suum effudit. Si ita loqueremur, cœtus quidem nostros valde auctu-ri, sed homines in infernum præcipitaturi eramus.* O quantum doctrina magni huius Ecclesiæ luminis Augustini ab impia Lutheri Augustiniani doctri-na abest, cui diuina illa Ciceronis sententia mi-rifice placuit: *O miserum, cui peccare non licebat!* Econtra illam magni Episcopi ridebat, dicentis: *Qui te fecit sine te, non te saluabit sine te. Væ*, inquit Propheta Ezechiel, (a) *qui consuunt puluillos sub o-mni cubito manus; & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas*, id est, qui via-m salutis planam & facilem esse ipsis persuadent. Hi quidem tanto periculosius & grauius errabunt, quanto facilius sibi salutis negocium imagina-bantur.

III. *Omnis Christianus*, aiebat nouus hic Chri-stianus, *Sacerdos est. Omnes annunciare possunt ver-bum Dei*, etiam ipse diabolus & eius mater. *Omni-bus quippe dictum est: Hoc facite in mei commemoratio-nem.* Sed quid ais, bone vir? An D. Petrus Apostolus omnes Christianos, sacerdotes appellat? *Vos*, ait Lutherus ex illo: *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis.* (b) Sed audi Luthe-re. Loquitur ne hic Apostolus de sacrificio altaris? an alio spirituali? quo Deo offerimus preces no-stras & bona opera; de illo non de priore quo so-lemne illud D. N. & Seruatoris sacrificium Deo offertur loqui, colligitur ex verbis præcedenti-bus, vbi inquit: *Offerentes spirituales hostias, accepta-biles Deo per Iesum Christum.* Et quoad hoc, omnes sane sacerdotes sumus, quia scilicet viuas Deo ho-stias, ut D. Paullus loquitur, offerre debemus. Nec vero sacerdotes tantum, sed & Reges esse dicimur. Reges quidem vt animi nostri affectus & cupidi-tates regamus; Sacerdotes vero, vt corpus & ani-mam nostram viuam Deo hostiam offeramus. (c) Martinus Chemnitius in Examine Concilij Tri-dentini magistrum suum ab hoc errore vindicare volens, numquam eum ita sensisse scribit. At si ani-mi interpres vox est, Lutheri certe verba aliter in-telligi non possunt. Sic enim loquitur in libro De Captiuitate Babylonica: (d) *Esto itaque certus, & se-se agnoscat, quicumque se Christianum esse cognouerit, omnes nos æqualiter esse sacerdotes, hoc est, eandem in verbo & Sacramento quocumque habere potestatem.* Idem sic argumentatur. (e) *Primo docendi munus om-nibus est permissum: siquidem Esaias Propheta & ipse Saluator dicit: Omnes erunt à Deo docti. Secundum mu-nus sacerdotale est Baptizare. Atqui hoc ipsum omnibus, immò & feminis vsurpare licet. Tertium est consecrare panem & vinum: quod itidem omnibus cum sacerdoti-bus commune est, quum Dominus tam ad præsentes quam futuros dixerit: Hoc facite in mei commemorationem.* (f) *Ad officium Clauium quod attinet, illud itidem tam fratrum minimo quam summo Apostolorum fuit dema-datum. Claues ad vniuersam spectant Ecclesiam: & sic tam ad minimum eius membrum quam ipsum Papam.* Quam glossam his verbis Chemnitius alliuet? quẽ alium in sensum ea detorquebit? Idem Lutherus, *Vtinam*, inquit, *maiores nostri voce hac*, Clerici, *nun-quam vsi essent!* Idem votum ijsdem vere verbis cõ-ceptum fuit eius qui peioris hæreseos caput & au-ctorem se fecit (g). Sed cur, quæso, ab hac voce tantum abhorretis? quum Nicenum Concilium, Origines, Epiphanius & alij eandem differentiam quam nos inter Laicos & Clericos constituerint. Est vero vox hæc derivata à κλῆρος, quod signifi-cat Hereditatem seu sortem: quod Clerici sint sors seu pars Domini, peculiaris ut Leuitæ in vet. Lege, etsi enim omnis Israel erat hæreditas Domini spe-cialiter tamen Leui.

IV. Verum enimuero quemadmodum aperta leui murorum ruinâ, hostes turmatim irrumpunt; aut rupto alicubi aggere, aqua longe lateque om-nia inundat, nec vllo obice coërceri potest: sic conuulsa per Lutherum prima Ecclesiæ porta, & emotis humilitatis & obedientiæ cardinibus, su-perbia & arrogantia ita inualuit, vt nemo iam ab Ecclesia, sed à seipso credendi legem ac metam accipere debeat aut velit, si Luthero obedit. Quæ vero inde consequuta sint, libro II. videbis. Et hunc quidem hæreticorum morem Lutherus ipse notarat, (h) *quos ait, ab vno aliquo articulo initium facere, deinde omnes conuellere aut negare.* Idem articulos Fidei annulo comparat, qui fractus, di-gito amplius accommodari non potest: itemque campanæ, quæ vel leuissima accepta fissura, so-num omnem perdit. Quocirca mirum non est quod vniuersa Christiana Respublica commoue-ri sit solita quam primum vel vnus Religionis ar-ticulus in dubium reuocari cœpit: quum Fides

H my-

a *Cap.* 13. b 1. *Pet.* 2. c *Vid. Bellar. lib.* 2. *de Sacr. cap.* 15. d *Fol.* 326. e *De abrog Miss. cap.* 5. f *Matth.* 18. g *Calu. de Monagom.* h *Tom.* 2. *fol.* 261. *Bren Confess. de Cœna.*

mystici Ecclesiæ ædificij basis sit & fundamentum, sic vt vno conuulso aut mutato articulo, reliqui omnes eandem fortunam subeant, vt Illustriss. Cardinalis Bellarminus in Præfatione primi Tomi erudite ostendit.

V. Audi quid hanc in sententiam Gallus (a) quidam elegantis ingenij & doctrinæ homo dixerit. *Quando noua Lutheri dogmata, ait, magni fieri passim cœperunt, vidimus veterem nostrâm Fidem disputationibus & argumentorum collationibus valde concussam: & facile apparebat huius morbi principium mox in exsecrabilem Atheismũ declinaturum. Sunt enim homines eius naturæ, vt quum res suis ipsorum ponderibus & ratione dijudicare nequeant, specie earum & communi quodam errore facile abripiantur. Quamprimum certe quis inducitur, vt opiniones seu dogmata, quæ in magna prius habuit veneratione, qualia sunt quæ ad salutem spectant, contemnere quodammodo ac discutere ausit, adeoq; Fidei suæ articulos in dubium & ad trutinam reuocet; idem statim de cæteris quoq; Religionis capitibus nec plus auctoritatis nec fundamenti habentibus, dubitare incipiet; omnesq; persuasiones vel à legum auctoritate, vel antiqui moris reuerentia animo impressas, tamquam tyrannicum iugum abjiciet, cum proposito nihil posthac se recepturum aut crediturum, nisi quod prius ipse ad sui iudicij normam exegerit, eiq; conueniens iudicarit. Sic ille veritatem turbans, mediis mendacij turbis sese immiscet.* Nec minus docte atque appositè eadem de re Clemens Alexandrinus inquit, *Veritatem rem arduam, ac difficilem esse eius inuestigationem, vnde facile hæreses nascantur, præsertim in hominibus ambitiosis, & sui ipsorum amore ægris, qui sibi aliisq; persuadent se intelligere illud quod tamen numquam didicerunt; nec scientiam, sed falsam scientiæ habent persuasionem.*

VI. Hoc loco facere non possum quin in hostium castra paullulum concedam, non vt transfuga, sed vt explorator, & vnius Centuriatorum Magdeburgensium notabile dictum, tamquam rosam è spinis, decerpam. Ait ille, *malas artes & fraudes quæ contra veram religionem adhibentur, similes esse cuneo: cuius acies tenuis admodum est, lignoq; infixus, haud ita magnam fissuram facturus videtur: at vbi in rimam adigitur, paullatim hiatum ampliorem facit, donec tandem vel maximam trabem omnino diffindat.* Primam cunei huius Lutherani fissuram ait Cardinalis Hosius fuisse de Indulgentijs disputationem. Secunda latior multo fuit & profundior, Communicatio scilicet laicorum sub vtraque specie, & clericorum matrimonia. At Augustana Confessio quæque postea sequuta sunt, tantam dederunt fissuram ac hiatum, vt nisi Deus propitius nos respexisset, numquam tam grandis hæc scissura rursus coalescere, & ad pristinam integritatem redire posse videatur. Sed quemadmodum Milo athleta, quum nimia virium fiducia arborẽ in media parte hiantem diducere vellet, brachijs, redeunte ad se arbore, hinc inde constrictis, & deficiente conatu retentus, lupis esca fuit: sic quamuis hæreticus hic gladiator, alijque non minus validam quam antiquam Ecclesiæ arborem discindere annexi sint, numquam tamen totam eam conuellent; sed spes est potius eam pristina vnitate rursus coalituram, cum perpetua ignominia & ruina eorum qui diducere eam ac diuidere sunt conati.

CAROLVS V. IMPERATOR in Germaniam proficiscitur: videt, audit & damnat Lutherum.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

I. *Imperator ad compescendam Lutheri insaniam in Germaniam proficiscitur.*
II. *Ad eum Lutherus se confert.*
III. *Quid præsente Imperatore actum.*
IV. *Imperator Lutherum damnat.*
V. *Lutheranos inuadit Spiritus rebellionis.*
VI. *Lutheri cum Treuirensi Archiepiscopo colloquium.*

I. QUATUOR iam circiter labebantur anni, ex quo Lutherus Ecclesiam turbare cæperat, cum iam Nobilitatem Germanicam in arma conciuerat, edito scripto de grauaminibus Nobilitatis plane sedioso ac furioso, Item libro de libertate Christiana ad 6. Septemb. cum ei suppetias tulit etiam scribendo Vlricus Hüttenius Nob. Franco, qui acerbum scriptum contra Romanistas euulgauit, vt contra Tyrannos pro Luthero, & mox Rithmum (Tit. Clag vnd Vermanung) seditiosissimum & furiosissimũ. Coronabatur sub id tempus nempe to Nou. Carolus V. Aquisgrani, & aderat Imperatori Fridericus Elector Saxoniæ, cum damnationis Romanæ sententia Wittebergã aduenit, qui monitus 18. Nou. ad Academiam VVittebergensem rescripsit perplexus, magis tamen Luthero fauens; quem ei fauorem instillauerat Erasmus Louanio à Friderico euocatus, & consultus de Luthero, qui ita patrocinatus est Luthero. vt deinceps Elector Apostolicos Nuntios aduersus Lu-

(a) *Montanus.* therum

therum noluerit audire. Cum igitur coronatus in Imp. Romanum Carolus Hiſpaniarum Rex, iuuenis non minus generoſus quam Chriſtianus & Catholicus, ex inferiore Germania, vbi tunc erat, in Germaniam ſuperiorem proficiſci, nouum hunc Prophetam audire, eiuſque inſaniam, quæ magnum malum Chriſtianæ Reipublicæ minabatur, compeſcere ſtatuiſſet, à Pontifice, qui in hunc finem Hieronymum Aleandrum ad eum ablegarat, præcipuè incitatus Comitia VVormatiam indicta fuerunt ad ſeq. Anni initium futura Circa id tempus Lutherus librum ſuum De Eccleſiæ Reformatione, eidem Imperatori dedicarat, in quo valde ſe humiliat, & S. Athanaſij exemplo, ad pedes ipſius tamquam ad aram & aſylum ſe proſternit, *per omnia ſacra obſecrans, vt vim inimicorum, qui perſequi ipſum non ceſſarent, omneſque conatus ad exſtinguendũ vna cum ipſo Euangelium dirigerent, à ſe depellat.* Sic ille loquebatur, ſic ſcribebat: tum omnes contentiones quæ inter Pontifices & Imperatores olim interceſſerant, ac præcipue de Neapolis & Siciliæ regno, velut è ſepulchro rurſus protrahebat: iuuenem hunc Principem vehementer exhortatus, *vt ne auctoritatem ſuam eripi ſibi ac pedibus conculcari pateretur, vt qui non minus iuris & imperij in clericos quam reliquos haberet, quos illi male Laicos appellarent: quum per Baptiſmum conſecrati omnes & ſacerdotes facti ſumus.* Hoc modo Lutherus in bonam Caroli gratiam & fauorem inſinuare ſe ſtudebat: vtque ijs quæ ſcripſerat, pietatis, deuotionis & ſanctitatis opinionem conciliaret, omnium paginarum frontiſpicijs IESV nomen præfigebat; interim vnice illud ſpectans vt Imperatorem cum Papa committeret, quod effecturum ſe non ſemel iactârat, eo præcipue confiſus, quod Imperatorem alienior eſſe á Leone animo ſperaret, vt qui eius electioni quantum poterat obſtitiſſet. Quæ tamen ſpes valde illum fefellit: quod Religioſus hic Princeps ſuas iniurias inſuper haberet, vt quo Deo illatas vindicaret. Luthero iã ante non leuẽ terrorem incuſſerat, quod Imperator in omni ditione ſua Belgica libros ipſius cremari iuſſerat: quod etiam in quibuſdam ciuitatibus Imperialibus, vt Coloniæ ac Moguntiæ, factum fuit. Porro Fridericus Saxoniæ Dux vbi accepit Imperatorem VVormatiam proficiſci, magnis itineribus & ipſe eodem contendit, vt primus Imperatorem ſalutaret, ac in meliorem de Luthero ſententiam adduceret, quẽ ſanctæ vitæ atque doctrinæ hominem eſſe aſſeuerabat. Econtra Hieronymus Aleander Pontificis Legatus, XL. articulos è Lutheri libris excerptos, & hæreſeos iam olim à Concilijs damnatos, in frequentiſſimo Principum ac Statuum Imperij conſeſſu, recitauit: atque hoc effecit vt alter alterum intueri, & contra Lutherum eiuſque fautores murmurare inciperent. Quod vbi ſenſit Dux Fridericus, declinandæ inuidiæ cauſſa dixit, *Eos articulos non eſſe Lutheri, ſed in eius odium ab aduerſarijs confictos; neque librum illum De captiuitate Babylonica ex Lutheri officina prodiiſſe, ſed ſuppoſititium eſſe.* Ex aduerſo Aleandro ipſiſſimos hos Lutheri eſſe fetus aſſerente, ac re ad alterationem delapſa, viſum fuit Imperatori ac Principibus, Lutherum ipſum accerſendum eſſe, ne inauditum ſe damnatum eſſe quæri poſſet. Lutherus accepto celeriter eius rei nuncio pelli ſuæ ante omnia conſultum voluit, eoque ſalvum conductum non Imperatoris tantum, ſed Imperij quoque Principum manu ſignatum petiit. Annon vero digna hæc cœlitus ad perditam reſtauradam Chriſtianam fidem, miſſo Prophetâ videtur conſtantia? Illi olim priſcæ religionis Antiſtites, tyrannos adituri, & in ipſo quaſi Sathanæ ſterquilinio Euangeliũ prædicaturi, an vllam vitæ ſuæ ſecuritatem expetebant? Certe tantum abeſt, vt honeſtam eius perdendæ quæſierint occaſionem. Sic igitur pro vnius Monachi ſaluo conductu publicæ expeditæ ſunt & ſignatæ litteræ; adiecta iſta conditione, *vt Lutherus in itinere neque concionaretur vſquam nec ſcriberet*: miſſuſque eſt VVittebergam Imperialis caduceator, qui eum VVormatiam deduxit, comitantibus Iona Eccleſiæ VVittebergenſis Præpoſito, D. Schurffio Iuriſconſulto, & Amsdorffio, quem poſtea Lutherus primum & vltimum ſua manu Epiſcopum conſecrauit, vt ſuo loco infra dicetur.

11. Ad hanc famam viæ paſſim & compita quacumque iter faciebat Lutherus ingenti hominum multitudine Monachi huius (cucullo enim tunc adhuc indutus erat, quem Anno MDXXIII. demum abiecit,[a]) videndi deſiderio accurrentium, complebantur. Ipſe Lutherus curru in modum lecticæ facto & vmbroſo vehebatur, non iam vti olim quando ad Legatũ proficiſcebatur, pedibus ſuis inequitans. In diuerſorijs multa propinatio, læta comportatio, Muſices quoque gaudia, adeo vt Lutherus alicubi ſonora teſtitudine ludens, omnium in ſe oculos conuerteret, velut Orpheus quidam aut Amphion, ſed raſus adhuc & cucullatus, eoque mirabilior. Non hoc

a *Bzouius in Annal. An.* 1521.

ornatu Fr. Thomas, de quo supra, vitia reprehendendo & rebellionem Lutheri prædicendo, varias regiones obiens, incessit vili asino, vestitu duro & aspero, pera denique, in qua omnis eius erat suppellex, contentus. Quamuis autem ea lege saluum conductum Cæsar ei dedisset, vt in itinere nullibi concionaretur aut scriberet: Erfordiæ tamen Dominica in Albis, contra Peregrinationes eligionis ergò, Vota, & alios Catholicæ Ecclesiæ ritus publice prædicauit: Gaspare Sturmio caduceatore conniuente, & sedulo omnia quibus Lutherum oblectare posset, prouidente. Certe Luthero tum data fides iure quam optimo reuocari potuisset, vt qui prior legem sibi præscriptam violasset. Qui enim contra legem delinquit, eius beneficio indignus est. Sed cum caduceator ille fidem & Ecclesiam proderet, Deus suæ sponsæ deesse monendo noluit, nam templum, in quo Lutherus concionabatur ruinam minari visum fuit, cum terribili cõsternatione erumpere conantium; ut Dresserus, eiusdem cum Luthero opinionis, testatur testis oculatus.

III. Venit ergo Wormatiam, hoc modo & hoc comitatu quem diximus Lutherus, die XVI. Aprilis Anno MDXXI. cum pridie nempe 15. Aprilis Parisijs Lutheri libri fuissent damnati. (a) Et ad Imperatorem introductus, ac humaniter, ne terrorem caussari posset, receptus 17. April. monitus is tunc fuit, vt omissis ambagibus, ad quæsita tantum responderet. Tum Eccius vir tam Theologiæ quam Iurisprudentiæ peritissimus, Treuirensis Archiepiscopi Officialis, Cæsaris nomine Lutherum primo Latine, deinde vt ab omnibus intelligi posset, Germanice rogauit, vtrum libros hactenus sub ipsius nomine vulgatos pro suis haberet, & quod in iis continetur defendere veller. Tum Lutherus simulans se Imperialis illius Maiestatis intuitu perculsum, vel potius sua ipsius conscientia perturbatus, aliquantulum obmutuit: deinde paullum recollecto animo, libros suos titulo tenus recitatos agnouit & nunquam abnegaturum dixit: verum quum defensio eorum vel reuocatio, quæ ijs continentur res sit tanti momenti, spacium deliberandi petere. Ad hæc Eccius: *Et sitis Martine, ex mandato Cæsaris satis intelligere potuisti ad quid accersitus sis, eaque de caussa indignus cui longior cogitandi mora detur: Cæsarea tamen Maiestas ex innata sibi clementia diem vnum indulget meditationi tuæ, vt eras ad eandem horam hic compareas, ea conditione ne scripto sententiam tuam proponas, sed ore exsequaris.* Observet hic Lector: Luthero fuisse catalogum librorum suorum exhibitum, inter quos & ille fuit De captiuitate Babylonica agnitus, quem Dux Lutheri esse negarat, ut vel hinc appareat inordinatus & cæcus Friderici Electoris affectus in causa Lutheri. Postero die 18. Aprilis ad constitutam horam reductus Lutherus, videns se in tam illustri cœtu stantem qui ante hac in monasterio educatus fuerat, quasi pudore suffusus (qui tamen in eius fronte numquam, sed potius summa temeritas & audacia domicilium habuit) rogauit Imperatorem ac Principes, vt si vel verbis vel moribus tam illustri confessu parum dignis veteretur, id sibi ac vitæ generi in quo meliorem ætatis partem consumpsisset, condonarent. Deinde longam ac prolixam orationem Latina linguâ exorsus est, vndique ad Auditorum fauorem sibi conciliandum conquisitis Rhetoricis coloribus distinctam; iam blandiens Principibus, iam terrens scripturarum exemplis, de Regibus Ægypti, Babylonis & Israel, longè admodum petitis. Producto hoc modo, & quidem extra lineam, vt dicitur, in duas fere horas sermone, Eccius qui è vultu Imperatoris & Principum molestiam quam è tam longa haurirent oratione perceperat, interpellans: *satis*, inquit, *Luthere, verborum est. Nihil attinet Cæsaris ac Principum animos tam prolixa oratione fatigare. Ad hoc tantum quod heri ex te quæsitum fuit, simpliciter responde.* Tum Lutherus: *Nisi conuictus fuero testimonijs scripturarum aut ratione euidenti* (nam neque Papæ neque Conciliis solis credo, quum constet ea errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse) *reuocare neque possum neque volo quidquam.* Deinde distinctionem librorum a se conscriptorum fecit, seque veritatem vti eam è S. scriptura hauserat, docuisse præfracte contendit, obiecto omnibus hæreticis, qui ante fuerunt, vsitato clypeo: protestans, se minime contumacem futurum, sed errores suos ipsum damnaturum, si quid cum verbo Dei pugnans docuisse foret conuictus. Et quemadmodum Oracula dæmoniorum ambiguis olim verbis concepta erant, vt varia ac multiplici explicatione ad quemcumque euentum trahi possent: sic Lutherus ad quæstiones sibi ab Eccio propositas aperte numquam respondere voluit, vt scilicet vndique effugium haberet. Hoc quippe in Arrii schola didicerat, qui quanto magis vrgebatur, tanto magis animi sensus ambiguitate velabat.

a *Authores apud Vlenbergium citati in vita Lutherij.*

velabat, Socrate teste. (a) Fatetur quidem Lutherus in Papam & Ordinem Ecclesiasticum se vehementiorem quam deceat, fuisse; nec tamen in hoc quoque quidquam retractare velle, ne hoc ipso multorum insolentiæ fenestram patefaciat. Ad caussæ suæ defensionem se illud seruatoris nostri dictum sibi sumere: *Si male iam loquutus, testimonium perhibe de malo.* Et velut Imperator Theodosius olim ex hæreticis eandem ob caussam conuocatis, initio statim rogauit, *Annon prisci Patres & maiores Fidei vnitatem & veram doctrinam seruassent;* vt scilicet sua ipsorum confessione eos iugularet? sic Lutherus eodem gladio ab Imperatore tum petitus fuit. Sed quemadmodum illi (vt iidem testantur Historici) ambiguis & contrarijs etiam responsis Theodosij interrogationem eluserunt, ne si veros illos & irreprehensibiles Pastores fuisse faterentur, eorundem doctrinam probare necesse haberent: ita Lutherus quoque Patres illos & totam antiquitatem plurimum se venerari dixit, ita tamen vt errare eos posse, atque errasse non semel agnoscat. Instanti deinde Eccio, & vniuersalem Ecclesiæ, cui Spiritus S. semper assistat, consensum ac infallibiles Dei promissiones vrgenti, Lutherumque reprehendenti quod pars & iudex esse vellet, spreta omnium tam Pontificum quam Conciliorum auctoritate Lutherus respondit, Iudicem se alium non recepturum quam solam S. Scripturam. Tum Eccius conuersa ad Imperatorem oratione, idem dixit quod S. Hilarius ad Constantium Imperatorem olim dixisse fertur, (b) *Nullum scilicet vmquam fuisse hæreticum, qui non hæresin & blasphemias suas pro S. scriptura & verbis venditarit. Solent quippe hæretici,* vt idem S. Doctor alibi dicit, *verborum cœlestium simplicitatem ad sensum voluntatis suæ, non vero ad Decretum Veritatis accommodare. Hæresis ex sensu, non ex scriptura nascitur: & sensus est: non verbum, quod in crimen vertitur.* Et profecto res omnibus qui aderant nimis quam mira visa fuit, vnum Monachum tantæ reperiri confidentiæ ac præsumtionis, vt omnibus Concilijs adeoque ipsi Ecclesiæ figmenta cerebri sui præferre auderet, ac solus sapere videri vellet, nec vultu illo fero alijsque gestibus animi calorem atque elationem celare poterat. Quidni vt in hoc quoque omnium qui ipsum antecesserunt, hæreticorum vestigia sequeretur: qui quando inexplicabilibus laqueis irretitos se senserunt, hac potissimum ratione se se extricare atque euadere conati sunt. Tantus quidem Antiquitatis consensus, tanta tot sanctissimorum virorum & Doctorum Ecclesiæ auctoritas cor & conscientiam eius assiduis morsibus rodebat. *Difficilis sane,* inquit alibi, (c) *res est, tot sæculorum auctoritatem conuellere, tot ac tantorum hominum iudicijs se opponere.* Ait sæpe sibi cor tremulum palpitasse, & reprehendens obiecisse: *Tu solus sapis? Anne hactenus errarunt & errant vniuersi? Tot ne sæcula in tenebris & ignorantia iacuerunt?* Sed audi dignam homine conclusionem. *Protestor,* inquit, *contra eos qui tamquam fatui insensati contra me vociferantur quod contra Ecclesiæ consuetudinem & omnes Patres doceam, me nihil omnia ista facere.* Et hoc quidem modo ferus hic homo & arrogans ab Eccio coram Imperatore & Principibus in summas angustias redactus, euadere tentabat: suo exemplo verissimum illud Sapientis dictum esse ostendens, *Maximam stultitiam esse sapientiæ persuasionem.* Totus vero hic congressus nihil aliud fuit quam quædam Eccii & Lutheri altercatio, qui in sua opinione pertinaciter persistebat, nec vlla vel ratione vel auctoritate vel traditione dimoueri se patiebatur. *Quin idem gaudere se dicebat,* (Sleidano ipso testante) *quod videret Euangelium suum tot turbis occasionem dedisse: quum Christus ipse prædixerit hanc Euangelij esse conditionem, vt etiam inter cognatos & consanguineos pacis ac concordiæ vinculum soluat.* Imperator Carolus Lutheri contumacia offensus, postridie ad Principum & Procerum conuentum sententiam suam propria manu scriptam misit: quam integram hoc loco inserere visum est, a Sleidano pari fide, qua Edictum eiusdem Imperatoris, quo Lutherus & doctrina eius damnantur, omissam. Sic vero habet.

IV. *Vobis constat, genus me ducere à Christianissimis Imperatoribus, à Nobili natione Germanica, à Catholicis Hispaniæ Regibus, ab Archiducibus Austriæ, à Ducibus Burgundiæ; qui omnes Ecclesiæ Romanæ filii ad mortem vsque fideles perstitere, semperque Catholicæ fidei, sacrarum Ceremoniarum, Decretorum, Ordinationum, sanctorum morum, pro honore Dei, pro fidei augmentatione, pro animarum salute, defensores fuere. Qui quidem fato functi, Nobis ex institute Naturæ iureque ipso hereditario, sanctas quas diximus Catholicas obseruationes quasi per manus traditas reliquerunt, vt eorum exempla sequuti viueremus, & in iis etiam moreremur. Atque ita Nos, vtpote qui Maiorum nostrorum veri imitatores sumus, diuina fauente gratia, tenore eo-*

a *Hist Tripar. lib. 4 cap.* 10. b *Lib. 2. ad Const. lib. 2. ad Trin.* c *Libro de abg. Miss. in Præf.*

dem ad hunc vsque diem viximus. Ego itaque hac de causſa tueri decreui quidquid ipſi Prædeceſſores mei & quidquid ego adpræſens vsque obſeruaui: id vero præſertim & ante omnia, quod per ipſos Prædeceſſores meos tam in Concilio Conſtantienſi quam etiam in alijs decretum ſancitumque eſt. Quoniam vero conſtat Fratrem vnum tantum ſua quadam opinione deceptum, hallucinari, qua contra totius Chriſtianiſmi ſententiam eſt, tam eorum qui anteacto tempore Nos ſupra mille annos præceſſerunt, quam eorum qui nunc viuunt; ex cuius quidem opinionis oſtentatione vniuerſum Chriſtianum orbem in errore ſemper verſatum eſſe videretur: ea propter decreui omnino regna omnia mea, Imperium, Potentatus, amicos meos, corpus & ſanguinem, vitamque & animam meam exponere, ne prauum hoc incœptum proſerpat vlterius, propterea quod Mihi magno dedecori cederet, atque etiam Vobis, qui nobilis & maxime celebris eſtis Germaniæ Natio: quibus id ad honorem, auctoritatem & prærogatiuam acceſſit ex priuilegio, vt præcipui iuſtitiæ obſeruatores Catholicæque fidei defenſores & protectores habeamur. Quod ſi quæ noſtris temporibus non ſolum hæreſis, verum etiam hæreſeos ſuſpicio, aut vlla Chriſtianæ religionis imminutio in cordibus hominum relinqueretur, id ſucceſſoribus noſtris perpetuæ vituperationi foret, Audito itaque pertinaci reſponſo, quod heſterna die in noſtro omnium conſpectu Lutherus dedit, meam ego vobis ſententiam teſtatam facio, pœnitere me moræ, qua contra ipſum Lutherum & falſam eius doctrinam procedere diſtuli; eoque hominem quidquid dicturus ſit, non amplius audire decreui: Mando ergo vt quam primum ex Mandati præſcripto reducatur, caueatque ipſe ex conditionibus in ſaluo conductu præſcriptis, ne publicas conciones habeat, ne populum falſam doctrinam ſuam vlterius doceat, ne denique operam vllam det vt noui quidquam vllibi excitetur, aut motus fiat. Et ſicut præfatus ſum, conſtitui me accingere ad procedendum contra eum, vt aduerſus notorium hæreticum æquum eſt procedi: ſimulque à Vobis exigo vt in hac cauſſa tamquam boni Chriſtiani decernatis quod debetis, & vt mihi facere promiſiſtis. Scripta hæc manu mea die XIX. *Aprilis* MDXXI.

V. Cæſaris hæc contra Lutherum hæreſeos damnatum ſententia, vt à bonis & Catholicæ religionis amantibus ſummo applauſu excepta fuit; ita Lutherana ſcabie infectis murmurandi in occulto & criminandi cauſſam dedit; ita vt noctu paſſim valuis illud inſcriberetur: *Væ terra cuius Rex puer eſt.* Tum etiam ſcedula affixa fuit, in qua fingebantur CD. Equites Germani Cardinali & Archiepiſcopo Moguntino, qui per Germaniam inter Imperii Principes Decanus eſt, bellum indicere: in cuius ſcedulæ fine appoſita legebatur vox ipſa ſeditioſa Germanica Bundtſchuch/ quæ ſignificat fedus populare, ſeu potius coniurationem contra ſuperiores. Eodem tempore quo Imperator VVormatiæ contra Lutherum ſententiam tulit, Sorbona Pariſienſis Lutheri articulos Lipſiæ diſputatos condemnauit, vt Cochlæus teſtatur, qui comitiis his VVormatienſibus interfuit: Huius vero ſententia ſic ſe habet. *Sollicite*, inquiunt, *per nos examinata, & maturius conſiderata vniuerſa doctrina Lutherano adſcripta nomini, & ad plenum diſcuſſa: exſecrandam illam erroribus ſcatere certo deprehendimus & iudicauimus, fidem potiſſimum contingentibus & mores: quodque ſimplicis populi ſeductiua ſit, omnibus Doctoribus iniuria, poteſtati Eccleſiæ & Ordini Hierarchicoimpie derogatiua atque in Spiritum ſanctum blaſphema. Et ideo veluti Reipublicæ Chriſtianæ perniciоſam cenſemus omnino exterminandam, ac palam vltricibus flammis committendam: auctorem vero ad publicam abiurationem modis omnibus legitimis compellendum, &c.* Hoc modo Academia Pariſienſis Lutheri doctrinam poſt Colon. & Louanienſem diris deuouit, quas vniuerſitati oportebat in Conſilium adhiberi cum de Luthero agebatur, ad has enim miſer ille appellauerat, Itaque in eo à nonnullis peccaſſe notatur Imperator, quod tam celebrium Academiarum ſententias non prius exquiſiuerit quam Lutherum ad ſe vocâret, vt tanto iuſtiores condemnandi eum, qui ad illas ipſas antea prouocauerat, cauſſas haberet; tum etiam quod aliunde doctos Theologos ad conuincendos Lutheri errores non accerſiuerit. Sententia hæc Sorbonæ Pariſienſis Lutherum fere ad inſaniam redegit: quam publico ſcripto deinde teſtatus eſt. Tum etiam in Saxonia prodigioſus fetus natus fuit, Vitulus Monachi cucullo intorti ſpecies quem alij Saxoniæ Minotaurum appellarunt, alij Viculo Monachum, quo ſine dubio nouum hoc Monſtrum ac tot Monſtrorum parens fuit portentus.

IV. Treuirenſis Archiepiſcopus, incendium hoc reſtinguere cupiens, Lutherum priuatim ad ſe euocatum quam humaniſſime admonuit, vt ab errore deſiſteret, ac Conciliorum decretis ſententiam ſuam ſubmitteret. Ille vero tergiuerſatus, Conſtantienſis inprimis Concilij decreta reiiciebat, quod Ioannem Huſſium condemnaſſet, eo quod Eccleſiam definijſſet cœtum Prædeſtinatorum. Tum Treuirenſis, omnibus remotis, priuatim

uatim quomodo huic morbo tam graui medendum sit, ab eo exquirit. Ille quod Gamaliel quondam suasisset Pharisæis atque Scribis, optimum esse consilium, neque Deo repugnandum esse dicit: *Si enim*, inquit, *à Deo hoc est quod cœpi, frustra repugnabunt homines; si ab hominibus, facile dissipabitur.* Verum sane Vaticinium: quum videamus iam Lutheri fidem ad tam paucos redactam, sic vt Sectores eius nomen eius erubescant, Euangelicorum, Reformatorum, & similibus nominibus sese insignientes: imo rami seu stolones ex hac arbore enati iam multo amplius se diffundunt, quam ipse trumcus. Nam quemadmodum malus Cydonia in altum se erigere ac ramos dilatare non quod pomorum grauitate deprimatur ad terram: sic infausta Lutheranæ Hæreseos arbor excrescere non potuit, tot malis fructibus & aliis Hæresibus cito ex ea enatis. Sed ad historiæ filum redeamus. Luthero ob erroris pertinaciam complices sui mirifice congratulati sunt. Et verissime ille postea scripsit, *Nullum Hæresiarcham vmquam exstitisse qui sententiam mutarit, & ad Ecclesiam redierit.* (a) *Esse enim hoc peccatum in Spiritum sanctum: ac Dei permissu fieri vt obstinatè illi in hæresi sua moriantur, secundum illud Esaiæ: Oculos habent, & non vident; aures habent & non audiunt.* A Christo nullum Pontificum aut Scribarum, sed discipulos tantum; nec ab vllo Propheta Pseudoprophetam fuisse conuersum. Hoc modo Lutherus ira & indignatione plenus è Conuentu VVormatiensi digressus est, quemille postea magnum Agonem, circum, puluereмque, gloriæ denique triumphum appellauit; sibi ipsi iratus, quod tam stulta humilitate (sic enim aiebat) vsus esset. Suaserant nonnulli vt captiuus detineretur: sed Imperator fidem ei datam seruare voluit: Quamuis vero mandasset ei Cæsar, ne in itinere concionaretur aut scriberet; Lutherus tamen huius mandati immemor aut contemtor, & publice Isenaci in Thuringia concionatus est 3. May. ac retro ad Principes Friburgo scripsit. Remisit etiam Caduceatorem seu Fecialem Imperatoris, ne ipsius actionum esset arbiter. Fama quoque tum sparsa fuit, Lutherum fuisse captum, violata fide publica & saluo conductu: vt scilicet populi animus & tentaretur simul & commoueretur. Delituit deinde in arce Alstatensi satis munita, dicta VVarteberga in quam à duobus nobilibus viris laruatis & eorum binis ministris, in Silua inter Isenacum & VVittebergam ex condicto quasi captus sub mediam noctem iussu Friderici Electoris Saxoniæ inductus fuit accepto à Duce Saxoniæ mandato ne inde digrederetur, quod nihil ei tutum videretur, per publicum Cæsaris Edictum proscripto: quod edictum hoc loco, vtpote res multas ad historiam hanc pertinentes particulatim explicans, adscribendum putaui.

CAROLI V. IMPERATORIS contra Lutherum eiusque nouam doctrinam Edictum propositum Anno 1521. 8. Maij.

CAPVT XIV.

ARGUMENTUM.

I. *Quod munus sit velesse debeat Imperatoris.*
II. *Lutherus noua hæreseos auctor.*
III. *Lutherus antiquarum hæreseon renouator.*
IV. *Varia Imperatoris antequam sententiam contra Lutherum pronunciaret, considerationes.*
V. *Imperatoris contra Lutherum Resolutio.*
VI *Imperatoris de non legendis vel imprimendis Lutheri libris Edictum.*

I. CAROLVS V. *diuina fauente Clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ: Comes Habspurgi, Flandriæ, & Tyrolis &c. Vniuersis & singulis sacri Romani Imperij Electoribus, alijsque Principibus tam Ecclesiasticis quam secularibus: Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Præfectis, Præsidibus, Iudicibus, Scultetis, Burgimagistris, Consulibus, Scabinis Ciuitatum, Oppidorum, Villarum, Terrarum, & quorumuis aliorum locorum Communitatibus: nec non Vniuersitatum Studiorum Gymnasiorum Rectoribus, & locorum tenentibus, seu Officialibus eorundem, ac Cæteris quibuscumque nobis, tam ture sacri Imperij quam hereditario, aut alio quocunque modo subiectis: & fidelibus dilectis, cuiuscũq; status, gradus, aut conditionis sint, & ad quos præsentes, vel earundem exemplii, nostro, vel alicuius Prælati Ecclesiastici sigillo, siue etiam publici Notarij manus subscriptione, communicatum peruenerit, gratiam Cæsaream, & omne bonum. Ad veri Romanorum Imperatoris officium pertinet, non solum fines huius sacri Imperij: quod præde-*

(a) *Lib. 1. contra Oecolamp. & Zvvingl.*

cessores

cessores nostri, Germaniæ Principes, ob defensionem S. Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ suo suorumque sæpius effuso sanguine, per diuinam gratiam sibi quæsierunt, ad Orthodoxam viam adductis vel expulsis infidelibus, propagare. Verum etiam, ne qua hæreseos labes aut suspicio, in iam sibi subditis Nationibus sacrosanctam Religionem nostram commaculet, summo studio prouidere: At si quæ iam oriri cœperit, eam omni ope, omnique cura, iuxta normam, à Sancta Romana Ecclesia hactenus obseruatam, delere penitus & extinguere. Quod si quis alius è Maioribus nostris, tanto Nos magis præstare debemus, quanto Dei Opt. Maximi immensa benignitas Nobis plura Regna & Dominia, pluresque & magis bellicosos populos, maioresque vires, quam iam multis sæculis alicui Principi, qui hisce titulis sit potitus, ad suæ S. fidei tutelam & incrementum, elargiri dignata est. Accedit, quod quum ex paterno genere, è Christianissimis Imperatoribus & Archiducibus Austriæ, Ducibusque Burgundiæ: Ex materno vero, Catholicis, Hispaniarum, Siciliæ & Hierusalem Regibus, simus orti: quorum omnium, pro fide Christiana, res præclare gestas, nulla vnquam delebit obliuio: Non sine graui conscientiæ nostræ onere, & perpetua nominis nota, quadamque veluti nebula, fœlicibus ineuntis Principatus nostri auspicijs offusa, factum crederetur, si, quæ iam ab hinc triennium pullulare in Germania cœperunt, nouas quasdam hæreses, immo verius iam sæpe olim per Concilia, & summorum Pontificum decreta, approbante Ecclesia, damnatas, & nunc denuo, veluti ab Inferis erutas, altiores iacere radices, vlla nostra negligentia passi esse videamur.

II. Sane, vestrum neminem ignorare existimamus, quibus erroribus & hæresibus, ab Orthodoxa fide longe alienis quidam frater Martinus Lutherus, Ordinis Sancti Augustini, Religionem Christianam, in hac præsertim Inclyta Germanica Natione, omnis infidelitatis & hæresum perpetua oppugnatrice ita inficere conetur, vt nisi maturè occurratur, tota hæc Natio, & deinde serpente contagione vniuersa Christiana Respublica, in abominandum schisma, & bonorum morum pacisque, ac tandem detestandam sui pernitiem, prolapsura videatur. Quapropter, non immerito commotus Sanctissimus in Christo Pater Dominus Leo X. Sacrosancta Romana & Vniuersalis Ecclesiæ Summus Pontifex: ad quem fidem Catholicam, & Ecclesiæ Sacramenta curare spectat præfatum Martinum à principio clementer & paterne monuit, & hortatus est, vt à nefandis huiusmodi inceptis desisteret, & iam sparsos errores reuocaret. Quod cum ille neglexisset, & peiora semper prioribus adderet: idem Beatissimus Pater, ad opportuna, neque tamen insueta remedia procedere statuit. Itaque conuocatis sæpius Reuerendissimis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Episcopis, ac alijs Prælatis, nec non Regularium ordinum Prioribus seu Ministris generalibus, accersitisque pluribus scientia & probitate præstantibus viris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, ac diuersarum Christianarum Nationum Doctoribus & Magistris: Prædicto tamen Martino prius vocato ac citato, ac in contumacia persistente, ipsius scripta, tam Alemanico quam Latino sermone edita & edenda, vt pernitiosa, & fidei vnitatique Ecclesiæ contraria, Authoritate sua Apostolica præfatorumque ad hoc accedente Cardinalium consilio & assensu, ac Episcoporum & prælatorum, Doctorumque & Magistrorum matura deliberatione, damnauit, & vbique locorum comburenda, prorsusque abolenda censuit & decreuit. Martinum vero ipsum, nisi infra certum expressum terminum, à publicatione Decreti sanctitatis suæ, mutata sententia, se errores suos reuocasse, & ad pœnitentiam rediisse, docuisset: vt in obedientia & iniquitatis filium, vt schismaticum & hæreticum ab omnibus euitandum, & prout iura postulant, puniendum declarauit, subpœnis & censuris, quæ in Apostolicis literis, Bulla plumbea communitis, & super hac re editis, latius continentur. Quas ad nos, vtpote Christinæ fidei verum & supremum propugnatorem, & Sedis Apostolicæ, sanctæque Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ Primarium filium, & Aduocatum, per suum, & dictæ Sedis spiritualem Nuncium & Oratorem, honorabilem virum nobis dilectum, Hieronymum Alexandrum, eiusdem Sedis Protonotarium, & Apostolicæ Bibliothecæ Præfectum, dedita ad hoc opera, misit: petens atque requirens, vt pro officio ac debito Imperialis dignitatis, in vniuerso primum Romanorum Imperio, deinde (quod Catholicum Regem & Christianum Principem decet) in cæteris etiam Regnis, Dominijs & Prouincijs nostris, & præsertim in Germania, præstito in auxilium fidei Catholicæ brachio seculari, omnia & singula in tam dictis literis Apostolicis contenta, immobiliter obseruari, & executioni mandari iuberemus. Post quas quidem prædicto Martino factas à Summo Pontifice, Monitionem, Vocationem, Citationem, & ipsius tandem Condemnationem, nec non præsentatas Nobis eiusdem Beatissimi Patris literas, Bullamque Apostolicam, per varia & diuersa loca Germaniæ publicatam, & nostro iussu & mandato, non solum Louanij in Inferioribus Dominijs nostris: verum & Coloniæ, Treueris, Moguntiæ, Leodij, executioni demandatam, tantum abfuit, vt idem Martinus resipisceret, errataque sua reuocaret, & petita absolutionis venia, in gratiam cum Summo Pontifice & sancta Ecclesia redire procuraret, vt etiam de stabiliores peruersi ingenij sui fructus indies ederet, & perinde, ac in manifestam

Eccle-

Ecclesiæ pernitiem, furens rueret, complures aceruatim libros, non modo nouarum, sed etiam à sacris Conciliis olim condemnatarum hæresum plenos: nec solum Latino, verum etiam, vt facilius vulgus peruerteret, Alemanico sermone à se compositos, vel saltem suo nomine editos, fere quotidie diuulgaret.

III. In quibus (bone Deus) obseruatum ab Ecclesia iam tot seculis, septem Sacramentorum numerum, ordinem, vsum dissipat, confundit, deturpat: inuiolatas Matrimonij leges miris modis fœdissime inficit; Extremam Vnctionem cum VViclepho fictionem dicit: Communicanda sacratissimæ Eucharistiæ ritum, ad damnata Bohemorum reuocat instituta. At, saluberrimam cotaminatis peccato mentibus, confessionem primum ita inuoluit, vt confusionem eam è confessione fecerit, mox etiam magna in parte conuellit, posiremo adhuc peiora se de ea scripturum minatur. Vnde nonnulli iam (vt accepimus, quod vel auditu est intolerabile) sumpta hinc occasione, de confessionis instituto & modo cœperint subdubitare. Alij mutilatam & truncam fecerint, Aly vero (proh scelus, & confiteri ipsi desiierint, & nequaquam esse confitendum publice asserere sint ausi. Porro sacerdotalem ordinem, & per quod sacrosanctum Christi corpus sanguisque conficitur, diuinum illud munus clauiumque cœlestium potestatem non solum vilissimi pendit Lutherus, & Laicis pueriscque, atque adeo fœminis ipsis, communia facit: sed & eosdem Laicos, ad lauandas sibi in sacerdotum sanguine manus, incitat. Ipsum verò summum nostræ Religionis Sacerdotem, diui Petri successorem, & verum in terris Christi Vicarium, non nisi infamibus & probrosis nominat verbis, & frequentissimis atque inauditis Inuectiuis contumelijs, & blasphemijs insectatur. Liberum arbitrium prorsus nullum esse, sed omnia certa lege stare, ex Manichæi quidem & VViclephi penu depromit, & tanquam irrefragabili argumento Ethnicorum Poetarum carminibus confirmat. Missæ venerabile Sacramentum neque defunctis, neque viuis alijs, quam soli celebranti suffragari scribit. Ieiuniorum & Orationum institutionem, & consuetudinem, ab Ecclesia obseruatam, inuertit & corrumpit. De purgatorio, & Animarum, quæ in eo expiantur statu, deque diuini sacrificij & veniarum suffragijs, quæ à nobis fideles defuncti expectant, cum VValdensibus & VViclephistis contra Ecclesiam sentit: De Ecclesia vero ipsa militante, cum Pelagianis & Hussitis. At Sanctorum Patrum authoritates & scripta, ab Ecclesia recepta, pro nihilo habet. Est vbi etiam sæpe deridet, debitumque illis cultum & deuotionem deterit & diminuit. Obedientiam, & Regimen omne prorsus tollit. Vnde populi ad defectionem & rebellionem à suis, tam spiritualibus quam temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia, cum magno ac manifesto Christianæ Reipublicæ discrimine, prouocentur. Quinimmo, quum vitam quandam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicitam, & verè ferinam inducere conetur, ita ex lex homo, leges ipsas omnes damnat & contemnit, vt Decreta sanctorum Patrum & sacros Canones publico igni comburere non formidauerit: facturus peiora Ciuili iuri, si non magis sæculi gladium, quam Pontificis excommunicationes & censuras metuisset.

Iam verò sacrosanctis Conciliis palam contradicere, & pro suo arbitratu detrahere, non erubescit. Equibus potissimum Constantiense illud, quod cum perpetua Inclyta Germanicæ Nationis gloria, pacem & tranquillitatem dissidenti Ecclesiæ dedit: ita vbique mordet, & impuro sceleratoque ore lacerat, vt in magnum vniuersalis Ecclesiæ dedecus & offendiculum, sed Germanicæ præsertim Nationis opprobrium & ignominiam, Concilium ipsum nunc pessime omnium erraße scribat, nunc Synagogam Sathanæ quiquè in eo conuenerant, & Ioannem Hussitam hæresiarcham comburi iusserant. Sigismundum vtique felicis recordationis Imperatorem, & Sacri Imperij Principes, Antichristum, & suos Apostolos, homicidasque & Pharisæos vocet. Quid, quod damnata in eodē Concilio omnia Ioannis Hussitica errata, Euangelica & Christiana esse, & se recipere, probaturumque profitetur: Approbatos verò eiusdem Hussitæ articulos, nequaquam admittit. In tantamque prorupit mentis vesaniam, vt si semel Ioannes Hussita fuerit hæreticus, septies decies hæreticum Martinus glorietur: homo vsque adeo nouarum rerum ac potius perditionis humanæ cupidus: vt nihil fere scripserit, vel saltem suo nomine diuulgauerit, cui non aliqua pestis, aliquis lethalis insit aculeus: præter illos libros, ne nominandos quidem, ob execrandam eorum materiam, ipsius tamen titulo editos, & ab eo cum reliquis vt suos agnitos, quorum singula verba, singula venena merito quis dicat. Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt Lutheri errata, singulatim percenseantur, tanquam si hic vnus, non homo, sed Diabolus ipse, sub hominis specie, ad perniciem humani generis, assumpta Monachi cucullæ, quam plurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses, iamdiu sepultas, in vnam sentinam congesserit, & aliquas etiam nouissime de suo excogitauerit, sub simulata prædicatione fidei, quam ad prætexendos suos dolos, tam sæpe, tantoque opere objcit: Fidem veram prorsus destruit, sub libertatis, quam promittit, specie: Diaboli iugum & seruitutum inducit, & sub Euangelicæ professionis nomine, omnem Euan-

gelicam pacem & Charitatem, omnemque rerum ordinem, & pulcherrimam denique totius Ecclesiæ faciem inuertere, labefactare, & penitus pessundare molitur.

IV. Quibus omnibus per Nos, & consilia nostra omnium Nationum nobis subditarum, sapius & diligenter attentis & consideratis, & præsertim in hac parte ab eodem Beatissimo Patre requisiti: absque insigni macula nostra, atque Orthodoxæ Religionis iniuria & detrimento, rem tanti ponderis negligere nequaquam potuimus, vt etiam non debuimus neque voluimus: Sed potius prædecessorum nostrorum, Romanorum Imperatorum, vestigijs insistentes, eorumque pro libertate Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ perpetuo laudabilia facta, ac pias & sanctas, super puniendis & exterminandis hæreticis, constitutiones obseruantes, conuocatis sapius ad præsentiam nostram propter hoc præcipue, Electoribus: nec non vniuersis sacri Romani Imperij Ordinibus & Statibus, in hoc VVormacienſi conuentu congregatis, de eorum omnium & singulorum vnanimi consilio, matura deliberatione & consensu, in hanc tandem deuenimus sententiam & conclusionem, vt quamuis hominem, ita à Summo Pontifice & sede Apostolica condemnatum, & in sua obstinata peruersitate obduratum, atque ab vsu Catholicæ Ecclesiæ alienum, & Notorium hæreticum audire, omni iure exceptum esset: tamen ad tollendam omnem cauillandi ansam (idque, quia nonnulli pleroſque libros Martino ascriptos, ipsius esse apertissime inficiabantur) complures audiendum à Nobis prius hominem, quam in eum ad executionem Pontificij Decreti vlterius procederemus, asseuerabant, Martinum sæpe dictum, misso ad ipsum, dedita opera, vno è Caduceatoribus seu Præconibus & Heraldis nostris, sub libero huc veniendi & hinc recedendi saluo conductu, accersiri iuberemus: Quod & factum fuit: Non vt nos de hoc negotio iudicaremus, aut cognosceremus (quum id dubio procul ad Romanum Pontificem, & Sedem Apostolicam pertineat,) neque vt res sacrosancta fidei nostræ, nunc tandem, post tot sæcula, per nouas altercationes, cum magno fidelium scandalo & perturbatione, ac infidelium derisione, in controuersiam reuocari pateremur: Sed vt cum vulgi & plurimorum ita petentium satisfactione, hominis animum percontantes, eum bonis monitionibus & suasionibus, ad rectam semitam (si fieri posset) reduceremus. Itaq; Lutherum in nostra & sacrij Imperij Electorum, Principum, Prælatorum, & Statuum præsentia constitutum, iuxta formam Imperialis mandati, super hac re nuper edui interrogari iussimus. Primum, Nunquid ipse multos libros sibi ob oculos adductos, & titulatim nominatos, & alios item, qui sub suo nomine circumferentur, compositisset. Deinde an ea, quæ in ipsis libris contra sacra Concilia, Decreta Patrum, ritus & consuetudines, à nostris maioribus ad hunc vsque præsentem diem obseruatas, scripserit, reuocare vellet, & ad sinum & vnitatem vniuersalis Ecclesiæ redire, adhibitis ad hoc nostro & Imperij nomine admonitionibus & adhortationibus, quæ obstinatissimum hominem (etiam lapide duriorem) emollire, & conuertere potuissent. Qui sane statim libros ipsos antedictos vt suos agnouit, & confessus est, & nunquam se id negaturum protestatus: Immo & adhuc alios se composuisse dixit, quorum copia cum nobis non fuisset facta, idcirco in medium non fuerunt allati. Quantum vero ad reuocationem attinet, terminum sibi ad respondendum dari petijt, qui quamuis merito negari potuisset, tum quia noui tates & errores in fide nulla sunt dilatione tractandi, sed statim penitus resecandi: Tum quia ex mandato nostro sibi legitime insinuato, nec non etiam literis, quas ad eum dederamus, optime admonitus, quam ob causam vocaretur, non nisi statim respondere paratus, ad tantum Imperialis Conuentus Conspectum venire debuisset: Tamen ex nostra Clementia & benignitate, vnius adhuc diei terminum ad respondendum sibi dedimus. Quo elapso, rursus coram Nobis, & prædictis Ordinibus Imperij Comparens, & similibus adhortationibus sæpius, vt ad cor rediret, efflagitatus, pollicentibus etiam nobis, si resipisceret, errores que suos agnosceret, & quæ in suis libris damnata & mala essent, reuocaret: facile nos impetraturos, vt à Beatitudine Pontificis in gratiam benigne reciperetur, & adhibito fideli, æquo, & diligenti examine ex ipsius libris, quæ mala scripserat, secernerentur. quæ vero bona, Authoritate Apostolica approbarentur: Sed ne verbum quidem in suis libris mutaturum, imprudentibus simul & impudentibus verbis, orisque & Corporis gestu, quo duis potius, quam religiosum aut sanum hominem præ se ferente, apertissime negauit. Quinimmo, in nostram & sacri Imperij faciem, Summorum Decreta Pontificum, & Concilia ipsa sacrosancta, errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse, & tandem nullius apud se momenti fore, asseuerauit: seque nihil ex his, quæ scripserat, reuocaturum, nisi, euidenti sibi ratione, & sacræ Scripturæ authoritatibus ad suæ conscientiæ animique satisfactionem & assensum fuerit conuictus: Illud subinde repetens & inculcans (quo fraudum suarum virus, iam multis detegi cœptum, occultaret) conscientia sibi illæsa & integra neque velle se, nec posse verbum Dei immutare. Mala mens, malus animus. Quasi vero Nos id ab eo poteremus, vt verbum Dei immutaret, ac non potius, vt iuxta verbum Dei verum, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ, à qua tam impie quam turpi-

turpiter defecerat, rediret. Cuius Authoritatem, quum tantam voluerit esse Dominus, idemque Deus noster Iesus Christus: Vt qui Ecclesiam non audierit, tanquam Ethnicus & Publicanus sit habendus Idcirco non immerito veleam solam omnibus inuentionibus, & vaframentis hæreticorum longe anteferendam nemo unquam, nisi perditissimus & vere hæreticus, vt Lutherus iudicauit, qui vt tandem egregia sua hic acta condigno fine clauderet, & quod pessime inceperat, peiusterminaret, & quid animi habeat, & quam fidelium clade exultet, vel in nostro & sacri Imperij conspectu dissimulare non potuit. Nam detorta (vt hæreticis mos est) à vero sensu ad suam impietatem Euangelica illa sententia: Non veni mittere pacem, sed gladium. Omnium sibi, dixit, iucundissimam istam in rebus faciem videri, ob verbum Dei, studia, & dissensiones fieri: Id est (quod vtinam ne experientia videremus ob dissidentes ab Ecclesiarum Lutheri opiniones, quas verbi Dei falso titulo prætexit, vere studia contraria, & dissensiones, & dissidia & schismata, & bella, & cædes, & rapinas, inter Christianos concitari. Tali igitur, & tam subdola, atque hæreticis omnibus peculiari, responsione, Nobis, & sacro Imperio à Luthero data, etsi decreueramus, ipso statim remisso, ad vlteriora progredi (id quod ex sententia nostra, manu nostro scripta, & postera die publicata nemini non constare potest.) Tamen ad preces omnium Imperij Ordinum inclinati, adhuc ipsi triduum ad resipiscendum concessimus. Quo tempore duo Electores, duo Episcopi, duo Principes seculares, duoque Ciuitatum nomine, Vniuersos Ordines, & status sacri Romani Imperij representantes, & ad hoc communi omnium iussu, & nomine deputati, vocato ad se Martino prædicto, nullum non admonendi & adhortandi eum, vt tandem resipisceret, & nisi id faceret, qua ipsum à Nobis, & sacro Imperio, legumque constitutionibus pœna manerent, declarandi officium frustra insumpserunt. Vnus etiam eiusdem sacri Imperij Elector, adhibitis secum duobus Doctoribus, pietate & scientia præclaris, non solum adhortationibus: sed etiam multorum errorum euidentibus redargutionibus, ad ipsius vsque obmutescentiam factis, mox seorsim ipsum prudenter & humane commonefecit, vt ad summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ, Nostrumque & sacri Imperij Statuum & cæterarum fidelium Nationum, sanam sententiam, iuxta continuatum et saculis Ecclesiæ ritum, potius quam ad suam vnius opinionem respiceret. A qua si recedens, in ordinem redire vellet, id se primum nonnullorum sanctorum patrum, qui & ipsi aliquando errauerunt, laudabili exemplo, deinde saluis, anima, corpore & honore facturum cognosceret. Ad quæ Martinus antedictus, etsi varia pleraque & diuersa, cumque eis, quæ scripserat, pugnantia: nihilo tamen meliora, aut saniora, priuatim respondit, quam publice, coram nobis, & sacro Imperio fecerat. Atq; adeo se, non omnes modo supra memoratos, sed & Concilium ipsum generale (si quod fieret) suspectum habere protestatus est. Et (vt certissimo, & omni exceptione maiori, testimonio nobis constat) pollutissimo & sceleratissimo ore profari non est veritus, res Euangelij & Catholicæ fidei, nunquam fuisse in Conciliis generalibus benè tractatas. Vnde non iniuria plurimum nobis mirari subiret (cur nam à summi Pontificis sententia: ad generale Concilium non perprouocarit, quum tam impie de conciliis ipsis loquatur & scribat) nisi manifestè sciremus, vt nihil est hæreticis aquè formidabile, atque œcumenicum Concilium: ita nihil illis iisdem magis proprium esse, quàm vt dictis factisque & scriptis, secum ipsi dissideant. Quod si vsquam alibi, præcipue in Lutheri libris (diuina prouidentia sic operante, quo ipsius vana ædificia per seruant) passim legere & videre est.

Hu omnibus & singulis, sic omnino vt præmittitur, se habentibus, quum prædictus Martinus, tam peruersè & obstinatè, in suis adeo manifeste hæreticis opinionibus persisteret, vt ab omnibus iis qui sapiunt, partim demens, partim etiam malo aliquo obsessus Spiritu iudicaretur. Nos iuxta tenorem salui conductus, ipsum statim à conspectu nostro missum fecimus, datoque sibi in comitatu vno ex Heraldis nostris, & præscripto termino, à die vicesima quinta mensis Aprilis, qua ex VVormacia discessit, ad viginti deinde proximè futuros dies, quibus peractis, vnà saluus conductus peractus & extinctus censeretur. Nunc tandem ad reliquas opportunas medelas, huic pestilentissimo morbo necessarias, in hunc qui sequitur modum procedere decreuimus.

Primum omnium ad honorem Dei omnipotentis, Romanique Pontificis, & sanctæ Sedis Apostolicæ debitam reuerentiam, pro Imperialis dignitatis officio ac debito, nec non zelo & studio, quo nostrorum maiorum more & ingenita etiam Nobis vi ad defensionem Catholicæ fidei, sanctæque Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ honorem, tutelam & protectionem, omnes nostras vires & facultates, Imperium, Regna, Dominia, amicos, vitam denique & animam ipsam nostram, exponere sumus parati. Ex Imperiali & Regia authoritate, nec non consilio & assensu Electorum, & omnium sacri Ro. Imp. Principum, Ordinum, & Statuum, in hac celeberrima & frequentissima Imperiali Dieta VVormatiæ congregatorũ, ad perpetuam rei memoriam exequendo sanctissimũ

domini nostri Papa, veri in hac parte iudicis sententiam, decretum & condemnationem, in litteris Apostolicis (vt supra dictum est) ad nos directis, contentam, Martinum Lutherum, vt membrum ab Ecclesia Dei abalienatum, vt obstinatum schismaticum & Notorium hæreticum à Nobis haberi declaramus, & vt talem à vobis omnibus & singulis habendum decernimus & edicimus: Mandantes de eorundem Statuum consilio & consensu, sub criminis læsæ Maiestatis, Nostræque & sacræ Imperij grauissimæ indignationis, ac etiam amissionis feudorum, Dominiorum & bonorum omnium gratiarum quoque & omnium Priuilegiorum à Nobis & sacro Imperio dependentium, quæ obtinuistis hactenus, aut prædecessores vestri quomodolibet obtinuerunt: necnon proscriptionis ac Banni, & interdicti Imperialis pœnis: ne quis vestrum præfatum Martinum Lutherum, receptare, defendere, sustentare, fouere, dicto, facto, aut scripto præsumat. Quinimo post elapsum supradictum viginti dierum terminum contra eum, vbicunque deprehensus fuerit, & in manu aut facultate vestra erit, iuxta formam Imperialis Banni procedatis, vel saltem personaliter captum tam diu custodiatis, donec Nos, à vobis de hac re certiores facti, de legitima in eum prosecutione facienda vobis significemus: & vos tam sancti operis & laboris debita præmia, & mercedem etiam vberem, cum impensis ob hanc causam factis reportetis.

Et nihilominus eiusdem Martini complices, adhærentes, receptatores, & quomodolibet fautores & sectatores (nisi se iniquitatis semitam deseruisse, & Authoritate Apostolica absolutionis remedium consecutos esse, fidem condignam fecerint) iuxta sacras constitutiones, ac interdicti & Banni Imperialis legem & ordinem, libere & absque vlla contraditione prosequamini, illosque & illa capiatis, & in vsus vestros, optimo & pleno iure conuertatis. Mandamus insuper vobis omnibus & singulis prafatis, sub eisdem prænominatis pœnis, ne quis Martini Lutheri scripta, à summo Pontifice Authoritate sua Apostolica (vt præmittitur) damnata, aut alia quæcunque, tam Latino quam Alemanico, seu alio quouis Idiomate, ab eo hactenus composita, vel in posterum componenda vtpote mala, suspecta, & à notorio & pernicioßissimo hæretico prouenientia, emere, vendere, tenere, legere, describere, imprimere, aut describi vel imprimi facere, asserere, sustentare, prædicare, defendere præsumat: non obstante, quod in illis etiam aliqua bona (ad fallendas simplicium mentes) immixta essent. In quo præter iustam Sedis Apostolicæ sententiam, etiam laudatissimam veterum patrum institutionem & consuetudinem omnino exequendam duximus: qui Arrianorum, Priscillianistarum, Nestorianorum, Eutychianorum, & aliorum hæreticorum libros & in illis contenta omnia, tam bona, quam mala, promiscue exusserunt, & adnihilarunt. Neque id immerito. Nam si optimi quique cibi, vnius tantum gutta veneni (quo humanum corpus læderetur) infusione suspecti penitus sunt abijciendi: quanto magis ea scripta, quibus tanta & tam noxia animabus venena passim inserta sunt, non solum nobis cauenda sunt, sed etiam (ne alijs noceant) prorsus destruenda & corrumpenda atque ab omni hominum memoria veniunt obliteranda. Accedit ad id, quod quicquid boni in Martini libris reperitur, id antea à sanctis patribus, quos Ecclesia recepit & approbauit, sæpe dictum & sæpius repetitum, absque vllius periculi aut mali suspicione, legi, & haberi potest.

VI. Eapropter, sub eisdem pœnis omnibus & singulis supradictis, vos omnes, vt quilibet vestrum, tam Principes quam alij, ad quos iustitiam quomodolibet pertinet ministrare, & alij quicumque in vniuerso Imperio, Regnis & Dominijs nostris constituti, huiusce modi pestiferos Martini libros, tam Alemanicos quam Latinos impressos & imprimendos, aut etiam manu scriptos, vbicunque reperiantur (vtpote magnæ seditionis, schismatis, hæreseos, in Ecclesia Dei fomites) diripiendos, & publico igni consumendos, penitusque abolendos cum effectu curetis, Apostolicisque Nuncijs, seu eorum Commissarijs, si operam vestram ad hanc rem requisiuerint fideliter & diligenter assistatis: Et nihilominus in eorum absentia, per vos ipsos hæc fieri, nostro nomine & iussu, omnino & re ipsa faciatis. In quo omnibus fidelibus, dilectis, subditis nostris, vt vobis ac Nobismetipsis assistant, & pareant, tenore præsentium sub eisdem pœnis iniungimus & mandamus. Verum quia maxime cauendum est, ne Martini libri, aut ex illis excerpta mala, suppresso aut etiam mutato authoris nomine, publicentur: quia etiam non sine magna animi nostri offensa, multos quotidie videmus & audimus, cum alibi tum maxime in Germania componi & imprimi libros pluribus malis traditionibus & exemplis refertos: & ne non omni astu & dolo humana natura hostis Christianæ laqueos tendat multos, passim diuulgari picturas & imagines, non in opprobrium modo priuatarum personarum, sed & ipsius Summi Pontificis & Sedis Apostolicæ contumeliam excogitatas; ex quibus omnibus libris & picturis, Christi fideles in maximos, tam in fide quam in vita & moribus, prolabuntur errores, & non solum priuata odia, scandala & simultates (prout experientia docet) multis in locis exorta fuerunt: verumetiam seditiones, tumultus, rebelliones, schismata, in Regnis, Prouincijs, & populis, atque

atque vniuersa Dei Ecclesia (nisi prouideatur) iamiam excitanda formidantur. Idcirco ad hanc pernicioſſimam peſtem extinguendam, ex ſupradictorum Electorum & Statuum concordi animo & ſententia, omnibus & ſingulis ſupradictis, tam Imperiali quam hereditario iure nobis ſubditis, ſub iam ſæpedictis omnibus pœnis præcipimus & mandamus ne quis huiuſmodi famoſos & peſtilentes libros, ſeu quaſcunque alias ſchedas, ſcripturas, imagines, picturas, contra Orthodoxam fidem bonos moros, & id quod ſancta Romana Eccleſia hactenus obſeruauit: Atque etiam inuectiuas, criminationes & ignominias, contra Summum Pontificem, Sedem Apoſtolicam, Prælatos, Principes, Vniuerſitates Studiorum, & eorum facultates honeſtaſque perſonas, componere, ſcribere, imprimere, depingere, vendere, emere, tenere habere: aut imprimi, deſcribi, depingi, vel vendi facere, quauis arte aut dolo audeat, aut attentet. Quinimo ſub eiſdem panis iubemus omnibus & ſingulis ſupradictis & præſertim ijs, qui iuſtitiæ miniſterio præſunt vt eiuſmodi libros quoſcunque ante hac impreſſos vel poſthac imprimendos necnon etiam manuſcriptos cuiuſcunque ſint authoris aut vbicunque locorum per ſacrum Imperium, atq; etiam noſtra hereditaria Regna & Dominia, inueniantur: ſimiliter etiam picturas huiuſmodi & imagines, noſtro iuſſu & nomine occupent, diripiant, & publico igni comburant. Et nihilominus huiuſmodi deteſtabilium librorum, codicum ſchedarum, ſcripturarum, & picturarum, authores, & venditores, qui contra iuſſa noſtra facere præſumſerint, (ſi modo vt legitime conſtiterit) nec non eorum iura & bona omnia & ſingula capiant, apprehendant, & detineant, ac iure bono quicquid ſibi licitum fuerit de illis diſponant: ita, quod de hoc nulli hominum, tam in iudicio quam extra, reſpondere ſint obligati.

At vt omnis eiuſcemodi & aliorum errorum occaſio tollatur, & ne talia ſcribentium venena longe lateque diffundantur, ſed raclarum imprimendi libros artificium in bonos tantum, & laudabiles vſus exerceatur: ex certa noſtra ſcientia, animoque deliberato, ac Imperiali Regiaque autoritate, de maturo ſupradictorum Electorum, & aliorum ſacri Ro. Imp. Statuum, conſilio, deliberatione & vnanimi conſenſu: volumus & ſub Banni & Interdicti Imperialis, ac alijs antedictis panis præcipimus & iubemus tenore præſentis Edicti, quod vim inuiolabilis legis habere decernimus. Ne quis de cætero Chalcographus, & librorum impreſſor aut alius quiuis vbilibet per ſacrum Imperium, atque noſtra prædicta Regna & Dominia conſtitutus, libros vllos, ſeu aliam quamcunque ſcripturam in quibus de ſacris litteris, aut fide Catholica aliquid vel minimum tractatur, non habito prius conſenſu & voluntate Ordinarij loci, aut eius ad hoc ſubſtituti & deputati, cum Autoritate etiam facultatis Theologicæ alicuius propinquæ Vniuerſitatis, pro prima videlicet impreſſione: Alios vero cuiuſcunque rei & facultatis libros, ſchedas & picturas, de conſenſu ſaltem ordinarij, aut eius ad hoc ſubſtituti, vllo pacto imprimere vel vendere aut imprimi, vel vendi facere, directe vel indirecte, quoquo modo præſumat aut attentet. Quod ſi quis cuiuſcunq; ſit dignitatis, gradus, aut conditionis, hanc noſtram mentem, decretum ſtatutum, legem & ordinationem, in omnibus & ſingulis ſupradictis, tam Lutheranam, quam impreſſoriam materiam concernentibus, inuiolabiliter obſeruandam, vllo pacto, aut quouis quæſito colore vel ingenio, contra facere, aut venire, aut temerario præſumpſerit: præterquam quod illud irritum decernimus & inane, etiam in læſæ Maieſtatis crimen, ac noſtram & Sacri Imperij grauiſsimam indignationem, proſcriptioniſque & Banni, ac Interdicti Imperialis, necnon alias ſæpedictas panas, ſe ipſo facto, incurriſſe cognoſcat; harum teſtimonio literarum, Sigilli noſtri munimine roboratarum.

Datum in Ciuitate noſtra Imperiali VVormatia, die octaua Menſis Maij, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo viceſimo Primo, Regnorum noſtrorum, Romani ſecundo: cæterorum vero omnium ſexto.

Quis vero negare poſſit, in eo à tot tantiſque viris, qui in Lutheri ruinam coniurauerant, grauiter peccatum fuiſſe quod hoc Imperatoris edictum exequutioni non demandarint? Digna enim erat monachi huius obſtinata contumacia, quæ viribus frangeretur, aut qui tamquam fera beſtia ex Imperij finibus procul profligaretur. Idque tanto erat facilius, quod qui eum occultabat, in aula & Imperatoris conſpectu præſens erat, qui vt eum indicaret, non difficillime poterat cogi: ſic vt ad monſtrum hoc conficiendum nullo novo Hercule opus fuiſſet. Sed incendium exigua aqua initio, vbi vero invaluit, nullo mari reſtingui poteſt. Iam tempus monet vt cum Luthero in Pathmon ipſius ſecedamus. Obſeruatum eſt à quibuſdam (a) hoc loco quod eo ipſo die atque anno, quo ad hunc modum Cæſar Lutherum proſcripſit natus ſit Petrus Caniſius Neomagenſis, is qui deinde Coloniæ ſtudens primus omnium ex Germanis ſeſe Societati Jeſu addixit cum quâ ipſe inter primos cum Hæreticis ad finem vitæ ſuæ pugnando,

a Vita Caniſij.

do, toto orbe celebrem (a) catechumenum inter alia opera sua præcla a catholicis catechismis oppotuit prouidente Deo Opt. Max. vt cum ad exequendum Cæsaris edictum non satis animi esset futurum primoribus Germaniæ, paruus lapis iste de monte avulsus in statuam Babylonicam (Lutheri scilicet opus) incurrendo pedes eiusdem commoleret, & reliquum corpus disponeret ad ruinam.

LVTHERVS EXCOMMVNICATVS in cœpto pergit. Biblia in Teutonicam linguam vertere præsumit, multis additis, recisis, deprauatis, cum diabolo consortium habet, vt ipse testatur.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

I. *Lutherus in Pathmo sua, vt ipse vocat, latet.*
II. *Nouam cudere Religionem instituit.*
III. *Diaboli cum Luthero Colloquium.*
IV. *Lutherus Pathmo sua egressus, Carolstadium iritat.*
V. *Quomodo Lutherus Academias abolere; & bonarum litterarum studia extinguere conatus sit.*
VI. *Lutherus Bibliis transferendis atq; interpretandis operam dat.*

I. LVtherus Alstetensi solitudine nouẽ fere menses per Nobiles Prelopsium & Steinbergium Iussu Electoris recluſus, ac delicatissime habitus, per ephebum conscium cibos ei apportantem, nihilominus includi se fremens frendensque, scriptis, quum aliter non posset, tam Germanica quam Latina lingua editis, vlcisci se omniaque miscere constituit: quæ à discipulis ipsius tamquam diuina excepta oracula, incredibili studio, fauore & celeritate per omnes regiones mox spargebantur. Et Chalcographos quidem vt strenuam ijs imprimendis præstarent operam, facile lucri impulit cupiditas; legendi vero cupiditatem interdictum tanto magis accendit. Nec minus ille interim suis partibus addictos litteris suis excitabat, inter alia scribens: *Quare vestrum aliquis ad reliqua non respondet? vel Ionas, vel Andreas Carolstadius? Ecquid cessat Amsdorfius? An non vobis omnibus pariter Euangelij gloria vindicanda est. Caput ergo contriui serpentis; corpus cur non queatis calcare?* Sed nihil peius ipsum habuit quam vbi Parisiensium Theologorum sententia se suosque libros condemnatos vidit; eoque quam ille Faculeatem antea primam totius Orbis, & scientiarum Matrem appellauerat, tum inauditis conuitijs onerauit. *Academia*, inquit, *Parisiensis in parte suprema qua Facultas Theologica nuncupatur, est à vertice vsque ad plantam mera & vt nix alba lepra vera nouissima Antichristianaque & capitalis hæreseos; Mater omnium errorum in Christianitate, maxima meretrix spiritualis quam sol vmquam vidit, & vera postica Inferni Prophetatum est, temporibus Antichristi omnes hæreses, quæ vmquam fuerunt, in vnam Camerinam confluxuras mundumque perdituras. Id ego*, inquit, *ostendere intendo de Parisijs, Papæ veri Antichristi maximo fornicationis cubiculo; atque probare eos esse peiores Montanis, Ebionitis, & omnibus qui vmquam fuerunt, hæreticis.* Hæc ille tum contra Vniuersitatem Parisiensem, quam non multoante omnibus scholis prætulerat, cuique censuram ac iudicium de se detulerat, plenis buccis ad populum Germanicè, deinde etiam scriptis vndiquaque effundebat. neque solum ipse scurrilibus locis, mordacibus sannis, risuq; Sardonio in eam Vniuersitatem incurrit: sed etiam hyperaspistes eius factus est petulcus Melanchton iuuenis vix 24 annos natus, impudenter ausus garrire aduersus Doctores tantæ doctrinæ & ætatis (b) Scripsit in eodem delicato latibulo Lutherus *Enarrationem in aliquot psalmos; & canticum D. Virginis. Tractatum de Confessione Francisco à Sickingen patrono suo singulari 1. Iuny dedicatum.* Item *librum contra Catharinum de Antichristo Postillam in Epistolas & Euangelia Dominicarum. Responsionem ad Bartholomæi Latomi librum. Bullam Cœnæ Domini* quam Vespertinam ingluuiem appellat Germanicam in linguam scurrili translatione transcripsit. (c) interea Caroli V. Imp. Fidei professio Romæ 10 Maij ex autographo lecta & eiusdem zelus fuit in Consistorio Pontificio præclarè laudatus. Accidit tunc si quid aliud vnquam rebus Lutheri opportunum, Ecclesiæ vero Catholicæ triste, quod Robertus Marcanus, frater Leod. Episcopi, fretus Francisci Galliarum Regis, ope, hinc, & ex alia parte idem Franciscus Carolo V. bellum in Nauarræo Regno commouit (d) quo executio Decreti Cæsarei aduersus Lutherum editi suspensa fuit;

a *eum Catechismum & Ferdinandus I. & Philippus II. Hisp. Rex & Clemens VIII. sanciuerunt Edictu & decretis suis.* b *Cochlæus in Act. Vlenberg cap. 7. ad finem.* c *Vlenberg. cap 8. vita Luth n. 1.* d *Bzouius in annal. An. 1521 num. 27.*

fuit, & penitus infirmata apud homines, apud Deum autem, contra quem non est consilium, aliud Ecclesiæ suæ remedium est destinatum, nempe vt per id ipsum bellum, quo cacodæmon ad suummet & Lutheri propositum abutebatur, exitium eorundem causaretur, dum 21. Iunij (eodem planè tempore, quo Lutherus dæmoni in abrogandæ Missæ Sacrificio consensit) Ignatius Loiola Eques Hispanus, in arce Pampilonensi Nauarræi regni Gallorum ictibus læsus, per morbum & curam excitatus à Deo Spiritu tantum ex deteriore genere hominum, nempe è militaris licentiæ forma, profecit in sanctitatem Ecclesiæ Dei seruituram, quantum Lutherus ex optimo genere hominum, nempe Religiosorum ordine, in peius Spiritu Sathanæ communicando degenerauit (a) ita vt ex eo die oppositis plane gradibus ille profecerit, hic defecisse ex Actis collatis notetur, nempe iste lectione ad SS. imitationem & cultum affici, hic abire longius & abrogare: iste durum castumque genus vitæ amplecti, ille illud excutere &c.

11. Vnde facile intelligit cordatus lector, quam arroganti exemplo nimiumque superba imitatione imo blasphemè Lutherus solitudinem suam & delicatam & impiam in Thuringia vocauerit. *Pathmon suam*, velut alter Euangelista Ioannes in insulam olim à Cæsare Domitiano relegatus, vbi etiam, quemadmodum D. Ioannes suam Apocalipsin, plurimos libros conscripserit: itemq; *Eremum & locum exilij sui, vbi Deus se ipsi reuelarit, & secreta sua manifestarit.* Qualis vero hic Deus aut Angelus fuerit, postea apparebit. Hic Lutherus nouæ religionis ex veteris ruinis exædificandæ consilium cum suo Angelo inijt, eo artificio, vt ianuæ ac fenestræ omnes voluptatibus ac carnis desiderijs apertæ, pudori vero & bonis operibus clausæ essent, gnarus scilicet nulla re facilius homines allici ac tenacius irretiri posse. Neque tamen statim scopum sibi propositum attingere potuit, ob summam consiliorum & opinionum, quibus cerebrum ipsi æstuabat, inconstantiam. Dum vero omnes se vindicandi & quod proposuerat efficiendi rationes circumspicit. Idem Spiritus quasi libere iam emissus, in mortales passim furiose inuasit sibi opportunos. nam eodem mense Iunio ingens seditio exarsit Erfurti in Thuringia aduersus Ecclesiasticos Ordines, Flabello Lutheri excitata (b) & Solymannus Imp. Turcarum Belgradum initio Iulij cæpit oppugnare, quod 29. Aug. Christianis ademit, (c) VVittebergæ Fratres Augustiniani, Lutheri Collegæ Missam, abrogare cæperunt mense Octobri (d) aliaque tristia fieri per eos qu Luthero communicabant postquam Dæmoni disputando victus (in Iunio) se ipso teste triumphum concessit (e). Colloquium hoc suum cum dæmone tunc quidem subticuit, aliqua retentus verecundia Lutherus postea tamen successu audacior factus, palam Mundo professus prolixe in libro De Missa angulari describit, vbi inter alia Missam, puram esse idololatriam, ipsius diaboli testimonio probat. Solet malignus hic spiritus, decipere aliquem volens, in angelum lucis se transformare: neque tamen ita se abscondere potest quin aliqua parte aut nota se ostendat. Vt S. Martinum deciperet, in Iesu Christi forma apparuit. sed ex superbia agnitus ab eodem & confusus fuit, relicto magno post se fætore (f). Vt S. Antonium in nassam pertraheret, mulieris speciem assumpsit; sed vir sanctus è carnis quam patiebatur tentatione facile quis esset intellexit. (g) Quali tamen, monstrosane & terribili, vt Berengario, an alia forma ipsi diabolus apparuerit, a Luthero, quod memini, proditum non est: neque integram ille historiam nobis recensere voluit. Discipulorum ipsius quidam aiunt, Monachi specie & habitu ad ipsum venire solitum, sed ex vnguibus ab eo agnitum fuisse. Nam pleriſq; persuasum est, diabolum numquam maris aut feminæ speciem ita induere posse quin defectum aliquem monstrosum ostendat, cornua interdum, caudam, aut vngues, aut tale aliquid hoc tamen vtcunque sit, Lutherus certe sæpius profitetur se exacte eum nouisse (h) quam confessionem cur mendacij suspectam habere oporteat non video. Quoniam vero huc delapsa est oratio, intermittere non possum quin puleri illius & magnifici Colloquij verba quædam recenseam, vt tanto facilius Lector intelligat, quibus saxis noui huius Euan-

a *Vita Ignatij per diuersos scripta, & Tomus I. Hist. Societ. Iesu.* b *Vlenberg. Vita Luth. cap. 6. num. 2.* c *Bzouius Anno 1521. num. 30.* d *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 8. num. 3.* e *Vlenbergius. cap. 8. num. 2.*

f *Vita S. Martini per Sulp. Seuerum.* g *Vita S. Antonij per S. Athanasium.* h *Lutherus in Concionē de Turb. sedandis.*

Euangelij fundamentum subſtratum ſit, & quis aut qualis Deus Luthero in Pathmo ſua ſecreta reuelarit.

III. Primus vero diabolus Lutherum ſic aggreditur. (a) *Audi Doctor Martine Luthere eruditiſſime. Scin tu quindecim iam elapſos annos quibus tu quotidie fere priuatas Miſſas peregiſti? Quid ſi Miſſa illa ſint abominabilis idololatria? Quid ſi non adfuiſſet ibi corpus & ſanguis Ieſu Chriſti, ſed teipſum nihil niſi panem & vinum adoraſſe, & alijs adorandum obtuliſſe? Cui ego,* inquit Lutherus, *ſic reſpondi: Sacerdos conſecratus ab Epiſcopo & vnctus ſum, & ſic quicquid feci, ex mandato ſuperiorum feci. Et cur non conſecraſſem ego, quum Ieſu Chriſti verba protulerim & Miſſam bona intentione celebrarim? Hæc omnia,* replicabat diabolus, *vera ſunt. Sed & Turcæ & Pagani ex ſuperiorum ſuorum præcepto omnia faciunt, & ſacrificia etiam ſua ſerio & bona intentione peragunt. Sic & Sacerdotes Hieroboami omnia exzelo & deuotione agebant, contra ſacerdotes Hieroſolymitanos. Et quid tu dices, ſi Ordinatio & conſecratio tua falſa ſit, ſicut & Samaritanorum & Turcarum ſacerdotes falſi ſunt, eorumq; doctrina falſa & impia.*

Sudat mihi frons, ac cor palpitat, (inquit idem Lutherus) *quoties talem ingredior diſputationem: in qua diabolus contra me exſurgit, argumenta ſua diſponit, & robuſta ac terribili voce vrget. In eiuſmodi diſputatione non multum temporis, nec ferè vlla deliberatio interponitur, ſed in inſtanti vna reſponſio ſequitur aliam. Quãtum ad me, bene ego expertus ſum qui fiat quod homines nonnunquam in lecto mortui mane inueniuntur* (Nota hic Lutheri Prophetiam de ſua ipſius morte.) *Corpus quidem tantum ille occidere poteſt; nihilominus tamen idem in eas angustias animam quoq; redigere poteſt, vt momento temporis è corpore diſcedat: quò ille me ſæpe perduxit. Et verum dicam, in hac ille diſputatione me vicerat. Et quamuis innocentiam meam allegarem, tamen tam innumerabilium blaſphemiarum cumulo non poteram non terreri. Quas igitur contra ſacerdotium & ordinationem ſeu conſecrationem meam afferebat rationes, diligenter auſcultabam. Primo dicebat: An neſcis te tunc nullam cognitionem Ieſu Chriſti nec vllã veram fidem habuiſſe? Ad fidem quod attinet, nihilo meliores quam Turcæ. Nam & Turcæ, atque adeo ego etiam & omnes diaboli credimus ea quæ de Ieſu Chriſto ſcripta ſunt. &c.* Habes lector partem aliquam Dialogiſmi inter magiſtrum & diſcipulum habiti, dicet merito Chriſtianus. O magnam cæcitatem! Quid fidei quæſo tribuendum ſit eiuſmodi diſputationi in qua diabolus ipſe Actuarius fuit & ſcriba? Recte quidam è Religioſorum D. Bernardi familia ad Lutherum tunc ſcripſit: *Si Miſſa abominatio eſſet, vti tu blaſphemas, anputas diabolum contra eam diſputaturum, & ad eam abolendam argumenta ſubminiſtraturum, ac non potius modis omnibus eam ſtabilituru magiſque confirmaturum eſſe.*

Idem Lutherus in libro de Miſſa priuata ait, (b) *ſe diabolum ſtudiorũ habere ſocium, ac ſe pluſquam modium ſalis cum ipſo comediſſe. Crede mihi,* inquit, *me diabolum bene, immo quam optime nõſſe.* Nihil verius ſponte confitentis de ſe elogio. Et is erat ſpiritus qui ipſum agitabat. *Nec ſcribere nec legere poſſum* (inquit in quadam ad Saxoniæ Ducem epiſtola) *ſic diabolus caput mihi turbat.* Sed hæc fortaſſe phantaſticæ fuerunt imaginationes, certè non illæ, *quando,* vt ipſe ſcribit, *diabolus per cubiculum cum ipſo incedebat, & maligni ſpiritus torve ipſum intuebantur.* Philippus Melanchthon & VVierus alium recitant dialogum inter eoſdem habitum tum quum diabolus Monachi ſpecie ad ipſum veniſſet. Et hi quidem Lutheri cum diabolo congreſſus & colloquia valde confirmant id quod Bredenbachius libro VIII. cap XLI. ſcriptum reliquit, hoc modo. *Quum,* inquit, *Imperator Maximilianus, felicis memoriæ, Auguſtæ eſſet in Comitiis Imperij, ac more conſueto, apertis foribus prandaret, Martinus Lutherus cum alijs quibuſdam idem cœnaculum fuerat ingreſſus. Quem Imperator fixis oculis intuens, Baronem qui pincernæ munere fungebatur, ex Erpachiorum familia, ad ſe vocauit, eique dixit: Intuere hunc monachum à calce ad verticem, ac quid videas mihi refer. Tum ille, Video,* inquit, *cucullum in eius capite ſed præterea aliud nihil. Ibi Imperator propius accedere, ac melius contemplari hominem iuſſit, verbo illo quod fere ſemper in ore habebat, vtens: Per amorem Dei, fac quod iubeo. Baro quum ad Lutherum propius acceſſiſſet, ad Imperatorem reuerſus, nihil ſe vidiſſe dicit. Tum Imperator, Atqui ego,* inquit, *diabolum creaturæ ſpecie monachi huius humeris inſidentem video. Videbis tu quas hic tragœdias & miſerias poſt mortem meam daturus ſit. Hæc ex Germaniæ quodam Principe qui tum cum Imperatore fuerat, audita, filius eiuſdem, qui adhuc in viuis eſt, me præſente* (inquit Bredenbachius) *duobus Electoribus narrauit, ac mihi ſcripto conſignata tradidit.* Sed & quæ morienti Luthero & in ipſius funere deducendo acciderint, infra videbis. Illud fere conſtat, pleroſque Hæreſiarchas ſua ipſorum confeſſione cum diabolo priuatum habere & ſecretum conſortium, vt præter alia etiam Oecolampadij, Zuinglij, Caroſtadij,

Bro-

a *Tom. 7. VVitteb. An. 1537. Serarius de Luth. Magiſtro.* b *Tom. 2. Colloq. Menſ.*

Brocardi, & noſtro etiam æuo Guilielmi Poſtelli exempla teſtantur: quorum hic in omnibus artibus, linguis & ſcientijs ad miraculum vſque doctus fuerat; quamuis non diabolum ſed Angelum Razielem fuiſſe contendat. Sed tam magnum virum Deus vt alios perire noluit, ſed paullo antequam vita excederet, oculos ipſi aperuit, vt alibi dicetur.

IV. Dum Lutherus in Pathmo ſua deſidet, inaudita eum inſania inuaſit omnem ſcientiam, cuius cupiditas à natura nobis innata eſt, perdendæ. Et quemadmodum Hadrianus vt Homeri opera aboleret, quantum poterat ſtudium adhibuit; ita Lutherus in perdendis Philoſophorum principis aliorumque ſcriptis totus fuit; nec concedere voluit vt in ſcholis Ariſtotelis aut Platonis ſcripta prælegerentur. Sola, inquiens, Biblia ab vniuerſo Mundo legi debere. Exſtat adhuc epiſtola eius ad Nobilitatem Germaniæ Anno M D XX. cum in finem ſcripta. *Vix*, inquit, *contineo me quin dicam, bonum mihi videri vt Vniuerſitates reformentur; quidquid alij contra dicant. Omne illud quod Papatus (id eſt tota antiquitas) ſtatuit & decreuit, non alio pertinet quam ad tegendos ipſius errores & vitia. Sancta ſcriptura derelicta eſt; & ſolus cæcus & paganus Ariſtoteles ſupra Ieſum Chriſtum eſt collocatus. Meum eſt conſilium, vt libri illi Phyſici, Ethici, De anima, &c. vna cum omnibus illis qui de rebus ſcripti ſunt Naturalibus, aboleantur. In his enim adoleſcentes & ingenium conſumunt & tempus perdunt. Ego non dubito quin vilis aliquis figulus maiorem & exactiorem Naturæ habeat cognitionem: quam quidem ex libris illis fruſtra ſperet.* Et contra Ambroſium Catharinum quodam loco inquit, *diabolum ad deſtruendam funditus Eccleſiam, aſtutiorem modum excogitare non potuiſſe quam Academiarum inſtitutionem.* Hæc Melanchthon & Carolſtadius ex ſacro ore Lutheri excepta, alijs poſtea inſtillarunt, incredibili ſtultitia dicam an furore: ſic vt multis in locis Germaniæ tam Vniuerſitatibus quam celebribus olim ſcholis magna fuerit tam Doctorum quam Auditorum infrequentia & ſolitudo, in Sileſia præcipue. Multi ſcholarium Wittembergenſium ſpiritu hoc vertiginis icti, libros ſuos Vlcano conſecrarunt. Tum nouæ ſcilicet ſcholæ, & noui ſanctificati Chriſtiani exſtiterunt. Teſtatur Staphylus[(a)] ſua ætate multos adhuc vixiſſe confuſionis huius oculatos teſtes Lutherus tamen ad ſe reuerſus, de reſtaurandis Scholis librum Anno M D XXIV. publicauit; & Carolſtadium à ſtiua, Melanchthonem vero è piſtrino retraxit: quorum vterque ex Sanctæ ſcripturæ præcepto, *in ſudore vultus pane ſuo veſci, & Philoſophiæ (b)* valedicere volebat, ob metum *ne ea*, vt eadem Scriptura per D. Paulum monet, *ſeducerentur.* Quem locum Lutherus inſigni falſitate deprauârat. Loco enim eius quod ſcriptum eſt, *ſecundum elementa Mundi, (c)* repoſuit, *ſecundum leges Mundi. (d)* Nec vero ſtulta hæc perſuaſio aliquorum hominum animis euelli potuit, quos *Biblioſtas* vulgo appellarunt, qui omnibus alijs libris neglectis, ſola Biblia diurna ac nocturna manu verſant, vt Turcæ quoque Alcoranum ſuum aſſiduo legunt ac relegunt, exiſtimantes quanto ſæpius quis eum legerit, tanto maiorem ſplendorem in cælis eum conſequuturum.

V. Porro Lutherus nouo afflatus Spiritu, eo ita intumuit, ut & ipſe & aſſeclæ eius id manifeſte deprehendere potuerint. Teſtantur hoc Acta eius poſt receſſum, imo ante eundem finitum, & epiſtolæ quædam & libelli poſt reditum ſcripſit *(e)* tum conciones octiduo poſt eundem reditum habitæ. Certe Tractatus duo, tum qui *contra falſo nominatum ordinem Eccleſiaſticum*, tum qui *in Henricum VIII. Angliæ Regem de Sacramentis eſt ſcriptus*, talem in eo mentis tumorem, tam apertum furoris incrementum produnt, vt ex hoc tempore Luthero adhærentes, eum vt *Virum Dei, & Prophetam, imo Tertium Eliam* admirentur & ſcribendo *(f)* profiteantur. Itaque qui hactenus auxilio & fauore Friderici Electoris Saxoniæ eluſerat poteſtatem Papæ, & Cæſaris, ex eo tempore ad ſubiugandum ſibi ipſum Fridericum animum aſſumpſit. Id paulatim ſic geſtum fuiſſe proditur. Vvitteberga nuncium afferebatur, octobri fere menſe, quod ipſo abſente Miſſa fuerit abrogata ab Auguſtinianis, quam ipſe abrogare ſuo ſtatuto hactenus ſuperſederat. Item cum tumultu SS. Imagines confractas, & è templis aliquot eſſe electas, ea res occaſionem dedit Luthero ſcribendi *Librum de abroganda Miſſa*, quem Kal. Novemb. ad ſuos Auguſtinenſes cum litteris tranſmiſit

K (g) nec

a *Vid. Staph. de Ger. Bibl. verſi. & lib. de Luth. concord.* b *ad Coloſſ. 2. 8.* c *ibid.* g *Luth. in Præf. ſuper Comment. Melanch. in Paullum. Eraſ. Alb. contra Carolſtadium cui huius rei culpam Lutherani affricant.* e *Tom. 1. Ienenſi fol. 119. 141 145. 161.* f *gloſſema Tomo 1. Ienenſi fol. 58. 89. ad epiſtolas Lutheri datas poſt reditum ſuum ad Fridericum Elect. & ad Harmuium Cronebergium.*

(*a*) nec multo post, eodem mense Wittebergam clam ipse veniens ex Eremo suâ, suos in spiritu fratres conuenit, octiduo VVittebergæ apud Nicol. Amsdorffium commoratus est mentito habitu & VVartbergam demum reuertit, anxius ne quis se absente mutatæ religionis lauream sibi præriperet. Cum igitur An. 1522 ineunte Carolstadius & alij hæreses nouas *Cælestium Prophetarum* procuderent Ian. & Februario Lutheri patientia dirupta, vti dicere cœpimus, monitus Carolstadium noua dogmata proponere, & suaipsius auctoritate nuper statuas confregisse è templis eiecisse; nunc nullum inter Christianos mendicum tolerandum edito de ea re libello, ad Comitem Passauiæ docere (*b*) & Cælestium Prophetarum authorem factum esse, (*c*) ergo 5. Martij die è latibulo suo VVitebergam reuertit, magnas iras & vindictam animo coquens cum ex itinere audaces ad Fridericum Electorem literas dedisset de suo reditu inuito principe, terrendo eum cœlestibus suis visis dicendoque magis Deo quam Imperatori obediendum esse, se vt Ecclesiæ & populi suæ fidei specialiter commissi saluti prospiceret, rediisse. Reuersus, discipulum suum quod tale quid ipso absente & inconsulto facere ausus esset, acerrime exagitauit: vt qui hactenus imaginum vsum numquam reprobarat. Sic enim inquit quodam loco: *Ego dico Mosaica lege nullam aliam imaginem quam Dei prohiberi; neque interdictum Christianus esse, Saluatoris Crucifixi aut alicuius Sancti imaginem habere.* Quæ de his duobus & exorta inter eos contentione dicenda restant, Secundo libro sum explicaturus. Lutherus interim antiquum obtinens, totus in id incumbebat vt Ecclesiam destrueret, quamuis suam ille nulla adhuc certa forma ordinasset contentus in præsenti antiqua conuellere. Missatum in ea ijsdem fere cæremonijs quibus apud Catholicos celebrabatur: & licet non deessent quidam mutationis cupidi, Dux tamen nullam admittere, nec vmquam Luthero pro suo lubitu grassandi licentiam dare voluit, vti postea à fratre prædicti Ducis factum fuit: immo quoties à Luthero, sententiam indies mutante, de his aut illis admoneretur, tantum sperare eum bene, interim vero quiescere iubebat. Lutherus interim scriptis, voce, precibus, minis omnes exhortabatur, vt oculos aperirent, & seruitutis iugum abijcerent.

VI. Interea Lutherus transferendis in Germanicam linguam Biblijs laborem impendebat, facile intelligens ad serendam in Ecclesia discordiam nihil fore efficacius quam inspienti vulgo arma hæc (quæ hæreticorum ipse postea appellauit) in manus dare quibus & cum clero imprudenter confligere, & inter se in mortem dissidere valerent, ipso quiescente inter tot turbas, quot capita de vulgo scripturam lectitarent, nullo iudice, nullo audito Magistro. Vsus est ad translationem suam Doctore Medicinæ apud VVittebergenses Caspare Crucigero, qui deinde relicta professione Medica, spiritu Lutheri afflatus professus est nouam in templis doctrinam. Ac tum quidem Lutherus tanquam primitias Translationis suæ edidit solum Nouum Testamentum, (*d*) vetus autem postea non modico tempore interiecto vtpote grandis operæ & curæ opus. Absolutum opus magna omnium exspectatione statim publicatum, & Germaniæ patriæ suæ tamquam cœleste donum nuncupatum & obtrusum fuit. *Iam alter Moyses in Mundum venisse credebatur.* Et quidem aperte ille gloriabatur, (*e*) *totam Christianitatem Bibliorum rectam ac veram translationem nunquam habuisse quam quæ ab ipsius manu profecta esset. Septuaginta Interpretes sensum Prophetarum & Euangelistarum numquam tam genuine expressisse.* Eius discipulus Matthesius alibi exclamabat, *Maximum diuinorum miraculorum nostro tempore factorum hoc esse. quod Deus ante finem Mundi à D. Martino Luthero Biblia in Germanicam conuerti linguam curarit.* Hinc illa *de Biblijs ex subter scamna locis & ex puluere eductis* fabula, & innumera huiusmodi partim falsa partim delira encomia, quæ vt Christianus lector, quam solida sint intelligat, aduertere placeat, oculos in Bibliothecas non dico Franciæ, Italiæ &c regionum sed in ipsam Germaniam solam, in qua tam grandia mendacia pueri Lutheri fingendo sparserunt. Quid igitur ibi videbimus? 1. Biblia sacra multis sæculis ante Lutheri ortum in Germanicam & quidem Saxonicam linguam versa fuisse, ita diserte Ioannes Lampadius Caluinianus prædicans Bremæ, testatur in 3. parte Mellificij Historici cap. 8. inter Ludouici, Pij, qui Caroli Magni filius & succes-

a *Vlenbergius. cap.* 8. b *extat libellus ille Carolstadij.* c *Vlenberg. in vita Philippi Melanth. cap.* 2. d *ad Coloss.* 2. 8. e *Luth. in Post. Coll. Mensa. Hezhus. in Proœm. lib. de Eccles.*

cessor fuit, rebus gestis, de quo ad An. Christi, 818. scribit, (a) hæc: *Ludouicus scripturam sacram in Saxonicam linguam conuerti curauit, quemadmodum postea Carolus sapiens in Gallicam & Anglicam dialectos.* Extant hodieque in Bibliothecis Germaniæ pluribus Coloniæ, Moguntiæ, Herbipoli &c. Biblia Germanica, in quorum fine typis exaratum fertur ab ijs qui viderunt hoc: *Excusa per Antonium Koburger in laudabili ciuitate Imperij Norimberga An. post natum Christum MCCCC LXXXIII. die Lunæ post Inuocauit* nempe aliquot menses ante ortum Lutheri: aut igitur cæci fuerunt Germani, aut intoxicati, aut vehementer imperiti, qui aliter sibi aduersus oculorum suorum testimonia persuaderi siuerunt de Luthero tanquam primo translatore. 2. Nec Lutherus quidem Biblia Veteris Testamenti transtulit, sed ex Iudæorum antiqua in Germanicum idioma translatione Hebræis litteris scripta suffuratus est, id ex collatione Bibliorum Lutheri ac Iudæorum deprehensum est non semel, adeoque ex ipso Initio Geneseos fit manifestum, vbi Iudaica Translatio, (pro verbis vulgatæ *In principio creauit* Deus &c.) prorsus eadem verba habet, quæ Lutherus exhibet nempe: Im anfang schuff Gott Himmel vnnd Erde. Habent igitur Lutherani Biblia Germanica veteris quidem Testamenti prout à Iudæis translata ac corrupta erant, & per Lutherum corruptiora facta, Novum vero corruptissimè per ipsum & Crucigerum editum. Sed hoc quam primum prodierat, omnium Catholicorum calculis & sententijs fuit condemnatum; & etiam Ferdinandi, Imperatoris fratris, iussu flammis publice exustum; cuius exemplum statim Georgius Saxoniæ Dux, quo præsente inter Eccium & Carolstadium habita fuerat disputatio, (vt supra diximus) multique alij Principes imitati sunt: tanto quidem illius zelo (ex dicta disputatione vehementer aucto) vt omnes libros à librarijs coëmi, & in ignem conijci mandarit. Ne vero calumniæ locus esset, ex eo quod princeps optimus plebi inuideret scientiam sanctorum librorum, per Empserum continuo Novum Testamentum Translatum edidit, (b) Lutherus interim ad Germaniæ populos libellum scripsit, quo exhortatur eos ne magistratuum edictis parerent. *Qui enim libros suos magistratui cremandos traderet, ab eo Iesum Christum* in manus Herodis tradi. Nihilominus tamen exsequutioni edictum hoc multis in locis fuit demandatum.

Non mirabitur deinceps Lector, cur Lutherus & eius nepotes, tanto zelo vrgeant librorum Biblicorum numerum & Canone Iudaico, cum in ipsa sua Translatione Iudaizent. In solis Noui Testamenti libris vltra mille & quadringenta loca ab ipso corrupta & deprauata sunt, vt quidam notarunt. (c) Ipse Buzerus etiam quum iam Lutheri ineptias & peruersa dogmata sequi inciperet, hoc ipsum in Dialogo contra Melanchthonem ei exprobrat, dicens: *Si Lutherus id postulet vt nemo ei contradicat, id quoque postulat, vt Deus sit. Multa in versione crassa ab ipso commissa errata.* His tamen non obstantibus, vt Iudæi olim in memoriam promulgatæ à Moyse legis solemne festum in insula Pharo instituerunt. sic aliquis Ministrorum Pomeranus nomine, vt ostenderet hanc versionem Sp. Sancti opus esse, VVitebergæ in honorem eius *Festum* instituit, *quod Translationem Bibliorum nominauit.* Quod quidem primum Lutheranum est festum. Et alius quidam scripsit, versionem illam Luthero sine dubio à Spiritu sancto esse dictatam. At si Spiritus Sanctus primæ versionis auctor sit, etiam sequentium auctor erit: vtpote quam Lutherus ter ac quater, ac sæpe in deterius mutauit. In solo S. Matthæi Euangelio triginta quatuor loca aliqui notarunt, à Luthero in secunda editione mutata. Quid? ergo *Lutherum in prima à Spiritu sancto deceptum dicemus?* Idem monitus à quodam amico, minus recte ab eo factum quod per vim alibi integra verba in S. scripturam intruserit, eaque ratione Papistis iustam calumniandi ansam dederit, respondit: *Si Papista aliquis obmurmuret, dic tu Doctorem Martinum Lutherum sic habere velle: eundemque dicere. Esse Papistam & esse Asinum vnam eandemque rem esse.*

VIII. Lutheri hic in transferendis Biblijs conatus Zuinglium postea ad idem præstandum excitauit (d) Eius operis exemplar à Tigurino Typographo, vt Lauaterus scribit, dono Luthero missum, idem non sine conuitio remisit. *Ego,* aiebat Lutherus, *istorum hominum libros, & scripta legere nolo, quum sint extra Ecclesiam,*

a *pag. mihi* 108 b *Vlenberg. Vit. Luth. cap.* 10. *num.* 1. c. *Vide Staphylum Apolog. pag.* 2. *Emserum in præfat. Noui Testamenti Rescriptum Georgij Ducis.* d *Scluſſelb. lib.* 2. d *Theol. Calv. art.* 12.

& non solum ipsi sint damnati, verum etiam secum ad Infernum multas miseras animas abducant. Quos ego quam diu vixero, precibus & scripto oppugnare non cessabo. Idem Lutherus Zuinglij opus statim damnauit, infelicibus flammis abolendum esse dictitans, quum nihil aliud sit quam meratum corruptionum farrago. Et profecto sic est. Noui hi Bibliorum interpretes vix quidquam aliud omni suo studio perfecerunt, quam quod falsitates falsitatibus cumularunt; dum vnaquæque secta suo modo versionem instituit, & tam sensum quam verba ad suas opiniones accommodat. Certe ab Oecolampadio (a) *sexaginta septem Versiones* notatæ sunt. Sed vt Lutherus, ita Zuinglius nullam aliam quam suam in Ecclesia sua tolerare voluit. Eodem quasi iure Anabaptistæ, itemque Waldenses vtuntur, qui Biblia in Gallicam linguam conuerti, & in oppido Nouocastellano imprimi curarunt. Eadem Budneus in Polonicam linguam traduxit, impudenter asseuerans, *solam suam Versionem veram esse:* eoque audaciæ progressus, vt Euangelistarum ordinem mutare ausus sit. Idem in Poëmate suo fatetur, *ex omnibus libris nullum magis deprauatum in quacumque lingua reperiri, quam Biblia.* Tigurini tandem omnibus quacumque vellent Versione vtendi licentiam permiserunt, quod Ecclesia, vt ipsi in Latina aiunt Præfatione, nulli Translationi adstricta esse debeat, sed vnicuique liceat Biblia pro suo iudicio transferre. Econtra Lutherani Lipsienses in synodo Anno M.D. XXVIII. hoc decretum ediderunt. *Quum omnes Bibliorum versiones, excepta ea quam vir Dei Martinus Lutherus fecit, corruptæ sint & deprauatæ, velle se ac iubere ne vlla nisi eiusdem in Ecclesia legatur aut vsurpetur.* Lutherus ergo accepta Zuinglij versione, eum *impudentem & diuini verbi corruptorem* appellabat. Ex aduerso non minus Zuinglius contra Lutherum detonabat, *impostorem eum vocans, & qui diuinum verbum pro libitu suo mutet iterumque mutet.* Eodem modo Castalion & Beza in versionibus suis magnas contentiones susceperunt: quarum hic strenuus fuit Caluinianorum dogmatum assertor, hancque ipsam *Lutheri versionem tamquam nouam, insolitam & corruptam* traducere non dubitauit: cui tamen Germani ita illuserunt, vt dicerent. Pulchrum esse spectaculum quod Gallus Circulator Germanos Germanicam linguam cuius vix verbum intelligat, docere velit. Sed de Luthero & Zuinglio tum illud Lucani vsurpare licebat: —— *nec poterat Cæsar iam ferre priorem, Pompeiusve parem.*

Lutherus enim tamquam alter Pythagoras αὐτὸς ἔφα, *Ipse dixit*, deberi sibi putabat, nec quemquam tam in intelligentia quam versione S. scripturæ sibi parem, nedum superiorem iudicabat. Quinetiam tantum sibi sumebat, vt non solum verba & loca ad ipsius gustum parum facientia immutaret (b) quorum magnum numerum Lindanus Ruræmundensis Episcopus, & Staphylus collegerunt) verum etiam ipsis Prophetis & Euangelistis vim quasi inferre, & alios pro suo lubitu substituere auderet. Melanchthon quidem magistrum contra Staphylum defendere conatus, quum vero nulla aut debilia admodum reperisset tela ad defendendum, manus tandem dare coactus fuit. Sed præterquam quod Lutherus integros S. Scripturæ libros aggredi & loco quasi mouere seu proscribere non dubitauit (& ne te longe per scriptura circumducam) ecce tibi singulare effrontis cuiusdam impudentiæ specimen. Tota Christianitas vna voce & lingua hactenus in symbolo Apostolico cantare solebat: CREDO SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM. Posterius hoc verbum quum non satis ei placeret, proscriptum ab ipso, ac vox CHRISTIANAM substituta fuit. (c) Et sic quidem habent omnia prima Symbola, tam Latina quam Germanica: vt & libelli Elementarij in puerorum vsum, etiam Antuerpiæ, atque in Polonia à Ioanne Lasco excusi. Vtrum Lutherus adiuncti illius articuli, qui in Lutheranorum templis decantatur (quo plena omnium peccatorum remissio annunciatur) auctor fuerit, nescio: certe de ipsius genio fluxit.

In tota orbis totius Christianitate,
Tenetur in vnius sensus æqualitate,
Quod omnia omnium remissa sint peccata.

Quæ verba Rescius in suis Atheismis è vulgari Germanica lingua, qua illa à Lutheranis decantantur, in Latinum vertit.

IX. Porro vbi animaduertit Lutherus, doctrinam quam è suo cerebro tamquam alteram Iouis Mineruam parturiebat, sustineri ac defendi non posse, si certis quibusdam Sanctæ scripturæ libris eadem quæ hactenus constaret auctoritas; illos audaci manu furcillare ac conuellere aggressus est, Iudæos in hoc imitatus. Quam ob caussam Iustinus Martyr in Dialog. contra Tryphonem hæreticos sui temporis Iudæorum

a *Oecolamp. de verb. Dom.* b *Vid. Elench. Prateoli. Staph. de Germ. Bib. vers.* c *Luth. contra Ambros. Catharin.*

rum pedissequos appellauit, quod vtrique Scripturas truncare soleant. Quemadmodum vero lignator syluam ingressus, hic abietem, illic fraxinum sibi designat, ex vna arbore ramos tantum desecat, alteram vnà cum trunco deijcit, donec tandem ex harum omnium strage struem sibi qualem vult concinnet: sic Lutherus tamquam alter Marcion, per Sanctam scripturam grassatus, plures eiusdem libros, eos præsertim qui dogmatibus ipsius colorem aliquem præbituri videbantur, sibi elegit, è quibus ascia ipsius dedolatis, & ad propositum Lesbiâ regulâ accommodatis, hæresin suam quæ hominibus placeret, exædificaret.(*a*) Et quemadmodum malus architectus regulam materiæ, & non materiam regulæ applicat: ita malignus hic artifex non dogmata sua scripturæ accommodabat, sed scripturam, ad dogmata sua detorquebat. Et hoc omnibus hæreticis, vt Cyprianus (*b*) & alij omnes qui post eum scripserunt, testantur, vsitatum est, vt postquam ab Ecclesia recisi sunt, ipsi quoque libros ab Ecclesia receptos recidant, & quæ ei soli debetur, hos reijciendi, illos approbandi auctoritatem sibi vsurpent. Hinc Augustinus contra Faustum ait, *Hæreticos sacrorum librorum testimonijs & auctoritate conuictos falsitatu eos insimulare, & sic ad sententiam toties confutatam reuerti.*

Hanc ob caussam Marcion olim *Mus Ponticus* fuit appellatus,(*c*) quod nonnulla Sanctæ scripturæ loca arrosisset, & plurima alia falsificasset. Quod si ij, Solone teste, *qui humanas leges corrumpunt, peiores sunt quam qui monetam adulterant*, quandoquidem plurimæ ciuitates numis ex ære, cupro, aut alia materia admista, vtuntur sine vllo suo detrimento,(*d*) legum vero corruptio ac transgressio plerisque Rebuspublicis exitium attulit: qua pœna eos dignos iudicabimus qui Dei verbum adulterant, legesque ab eo præscriptas conuellunt? Primum impetum Lutherus fecit in Libros Machabæorum, quos reijcit tamquam Apocryphos: quam vis eos ipsos Vertumnus ille in Lipsiensi disputatione approbasset. Quin etiam optabat, Aurifabro attestante, vt ijdem plane iamdudum fuissent aboliti. Sed cuiusnam ille Concilij decretum, cuius Ecclesiastici Doctoris testimonium producit? In Hebræo, inquit, Canone non reperiuntur: quasi scilicet ex hoc solo Canonicos libros dignoscere, & plus Iudæorum quam Christianorum iudicio tribuere debeamus. Videslector ut Lutherus Iudæorum discipulus factus, dum Ecclesiam matrem suam & magistram negat. Reuerso è captiuitate Babylonica populo Iudaico, ne libri supposititij reciperentur, catalogus seu Index librorum Canonicorum qui in Arca repositi erant, factus, & secundum numerum Hebraicarum litterarum conscriptus atque insignitus fuit, sic vt viginti duo tantum libri Canonici fuerint, inque isto numero nec Machabæorum, nec Ecclesiastici, nec Esdræ, nec Sapientiæ libri inueniantur. Id quidem verum est. Atqui quomodo in eum numerum referri potuerunt qui tum nondum scripti fuerant? An futurarum rerum Indicem quis conficere potest? An iniculo isti addidit Deus nullum post hac librum à *Spiritu*, *S.* dictandum esse? quomodo ergo, *Luthere*, Nouum Testamentum recipis? Iamdictis tamen libris Hebræos vsos, ex Iosephi & aliorum Rabinorum testimonijs constat: vt qui pro defunctis orarint. Et S. Hieronymus quoque contra Iouinianum dictorum librorum testimonio vtitur. In magno illo Carthaginiensi Concilio cui *S.* Augustinus (*e*) interfuit, dubium illud ab Ecclesia sublatum, ijdemque libri pro Canonicis agniti sunt & iudicati. Et longo tempore antea Tertullianus & Cyprianus ijsdem contra Iudæos; atque etiam ad Christianos in Martyrio confirmandos vsi sunt: vti & Origenes, S. Ambrosius, & Isidorus. *Iudæi*, inquit S. Augustinus, *libros Machabæorum pro Canonicis non habent, quos tamen Ecclesia pro talibus habet.* Sed & Dn. & Seruatoris nostri sigillo ijdem confirmati sunt. Nam apud Sanct. Ioannem Euangelistam cap. x. dicitur, quod festo Dedicationis templi à Iuda Machabæo instituto interfuerit: cuius mentio alibi non reperitur. Quin omnium totius Christianitatis Ecclesiarum consensu ijdem in Oecumenico Florentino Concilio pro Canonicis recepti sunt: & solus hic Monachus Apocryphos eos esse pronunciare ausit? Nec ibi Latinarum tantum Ecclesiarum, sed Patriarchæ quoque Constantinopolitani, præsentis, & trium absentium Legatorum, itemque Armeniæ, ac totius quasi Græciæ consensus interuenit. Lutheri in hac re iudicium omnes ipsius successores & discipuli

a *Irenæus l.* 1. *cap.* 29. b *De vnit. Eccles. Euseb. cap.* 5. *lib.* 5. *Epiph. Hær.* 24. *Concil. diuersis locis.* c *Tertull. lib.* 4. *contra Marcionem.* d *Demosth. orat. contra Timocre.* e *Lib.* 3. *ad Quiri. ep.* 56. 63. *ad Fort. Lib. ad Iud. lib.* 2. *de Sac. & vi bea. cap.* 10. *lib.* 7. *cap.* 40. *De cur. pro mort. & lib.* 18. *de ciuit. cap.* 36.

puli sequuti sunt, eo potissimum vt Purgatorium & Orationes pro mortuis exsibilarent. Econtra clarissimum illud Ecclesiæ lumen Sanctus Augustinus sanctos eos & Canonicos esse declarat, dum ait, (a) in Machabæorum libris legi sacrificium pro mortuis offerri solitũ. Quamuis autẽ inter vetustos S. scripturæ libros seu Hebræos, seu Catalogo Esdræ insertos non reperiantur: tamen totius Ecclesiæ auctoritas clare demonstrat, Canonicos esse habendos, quum videamus *inter Precationes quæ à sacerdotibus iuxta altaria fiunt, eam quæ fit pro mortuis memoria, suum quoque habere locum.* Et Epistolam aliaque ex Machabæorum libris desumpta in diuinis Ecclesiæ officijs ab antiquis temporibus Apostolorum publicè legi. Nec melius alios libros, vt Iudith, Tobiæ, Hester, & Ecclesiasticí, Lutherus tractat: quos in sermonibus suis Conuialibus *Iudæorum figmenta, & nescio quas Tragœdias & Comœdias appellat.* Idem ait, quæ de Iob scribuntur credere se non posse ita euenisse: sed fabulæ argumentum esse. *Librum Ecclesiasticí*, idem scurra inquit, *similem esse equiti sine calcaribus & ocreis equo insidenti, nec quidquam præ se ferre quam calopodia quædam qualibus ipse in Conuentu Fratum vsus fuerit.* Quum Iustus Ionas eius discipulus, Tobiæ versionem à se curatam exhibuisset: *Apage*, inquit, *isthæc, mi Iona In hoc enim libello multa stulta & ridicula inueniuntur.* Sed & D. Iacobi epistola morsum eius effugere non potuit, *stramineam* eam appellavit: immo hanc præcipue insectatus est, tamquam in fauorem Pontificum & Pontificiorum cusam, nec à falso abstinuit, reponendo *cum* pro *sine*. Etiam S. Pauli ad Hebræos, S. Iudæ, tertiæ S. Ioannis, & secundæ S. Petri fidem derogabat, aiens, nolle se eiusmodi Epistolas in suis Bibliis habere, sed permittere vt excludantur inde, & reiiciantur. Nec S. Ioannis Apocalypsin pluris quam Esdræ libros facere dicebat: immo vtrosque in profluentem se lubentet abiecturum. Quæ hæc est priuati hominis impudens confidentia & audacia, id unum velle damnare quod adeo constanti totius antiquitatis iudicio & consensu receptum fuit & approbatum!

X. Quinam libri Canonici sint, qui non, Ecclesia suprenam semper & absolutam habuit diiudicandi auctoritatem ac potestatem: vtpote in qua Spiritus sanctus præsidem agit. Hanc potestatem S. Irenæus, Athanasius, Augustinus in scriptis suis passim inculcant & laudant. Et Ecclesia quidem iamdudum iudicauit quinam libri ad Bibliorum corpus pertineant, qui minus. Vide S. Clementem, Anacletum, Hieronymum, Augustinum, Isidorum, Damascenum, & ante omnes S. Dionysium. Hos communis SS. Patrum consensus probat, solus Lutherus improbat; vtri credemus? Erasmus homo sæculi sui primarius, arrogantiam hanc Lutheri ferre nequiens *Demonstra nobis*, inquit, *Luthere, te nouum esse Christum, qui talem in libros sacros habeas potestatem.* Non minus libera grassandi in sacros libros vsus est Lutherus in versione Psalmorum, quos in modulos, sed liberrima, ac sæpe repugnante vero textus sensui, paraphrasi redactos, exemplo priscorum hæreticorum vulgo psallendos dedit: omissa etiam pulcerrima illa clausula, quam Ecclesia vnicuique Psalmo, in memoriam victoriæ contra Arium, adiunxerat, nimirum, *GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITVI SANCTO*; quod forte ea Antitrinitarijs displicebat, quos in Germania & alibi latere, ac tempus tãtum & occasionem sese ipsi adiungendi captare non ignorabat. Sic enim rationes suas instituerat, vt quisquis hostis Ecclesiæ, amicus suus esset. Hinc ad Bohemos scripsit, quod olim aduersarium se eorum professus sit, id inde factum quod Papam Antichristum esse nondũ persuasum haberet: eoq; eos quos initio damnauerat, postea pro amicis & fratribus se palam habere atque agnoscere, postquam nimirum certus iam sit, Papam Antichristũ esse. Quid non audeat hic homo (vt ad vsurpatam ab ipso nefarie super sacris libris auctoritatem vel libidinem potius redeamus) quid non audeat qui nec à Dominica Oratione malam manũ abstinuit, verborum ordinem antiquo Ecclesiæ instituto receptum perturbando? Pro enim eo quod hactenus precari homines solebant: *Pater noster qui es in cœlis*, Lutherus dici voluit, *Noster Pater in cœlo, Nomen tuum sit sanctum.* Tum etiam ad vltimam petitionem, Sed libera nos à malo, hanc clausulam adiungendo: *Quia tuum est regnum, & virtus, & gloria, in sæcula, Amen.* Pari impudentia & improbitate Angelicam peruertit salutationem. Loco enim, *Aue gratia plena* posuit, *Aue gratiosa*, & in Germanica lingua, Gegrüsset seyst du holdseelige, id est, *Aue digna amari.* Sic Lutherus diuinum verbum & S. Scripturam ludificabatur, vt ei nouam suam Ecclesiam quodammodo inædificare videretur. Cæremonias vero quibus illa vsa & partim etiamnum vtitur, quinto libro descriptas dabo. Neque enim vna tabula tam multicepsac multiformis diuersitas describi

a *Lib. de cur. pro mort.*

describi potest. Eoque singulari capite eas spectandas proponam: eam etiam ob caussam, quod qui totum etiam Sleidanum vel alios consimiles scriptores perlegerit, Lutheranæ tamen Ecclesiæ faciem perspicere totam nullo modo possit.

QVOMODO LVTHERVS EX omnibus veteribus hæresibus suam consarcinarit.

Caput XVI.

ARGUMENTUM.

I. *Ex quibus velut cæmento & lapidibus Lutherus nouam suam Ecclesiam ædificarit.*
II. *Hæresis Lutherana monstrosa.*
III. *Ex omnibus præteritorum temporum hæresibus consarcinata.*
IV. *Lutherus Græcæ Ecclesiæ multa suffuratus.*
V. *Conciliorum auctoritatem reprobat & spernit.*
VI. *Notabile Erasmi Roterodami dictum siue de Luthero iudicium.*

I. LVTHERO homini vel multæ lectionis aclaboris sponte, vel spiritu malo agitato per suggestionem vel in naturæ lapsæ miseris impressionibus hærenti, casu quodam facile admodum fuit omnium tam veterum quam recentiorum hæreticorum inuenire vestigia ac persequi, eorum artes condiscere, exsculpere versutias, & argumenta, quamuis sæpe à SS. Patribus validissime profligata & deiecta, rursus erigere & nouo quasi cultu adornare. Prius fieri fuit possibile ex eo quod, licet ex tot librorum millibus quibus Mundum olim hæretici referserunt, non vna pagina auctorum ruinæ superstes manserit, nec illæ reliquiæ vltrices flammas effugerint: multo tamen plura, eorum fragmenta & tabulæ velut huius naufragij apud S. Epiphanium, Hieronymum, Augustinum, Hilarium, Ambrosium & alios qui Arrianorum, Donatistarum, Pelagianorum, Marcionistarum, Manichæorum, aliorumque hæreticorum tam memoriam quam scripta condemnarunt, adhuc exstant & leguntur: quod fere aliter vis argumentorum, quæ contra ipsos adferunt, intelligi nequeat. Alterum fieri potuit facilius, ut poterit Lutheroſe auidum præstante discipulum genio malo, vti ipse non semel est de se testatus, Tertius quoque modus non est incongruus, nam sicuti ciuitas obsidione ad extremas famis angustias redacta, omnes cibos tam malos quam bonos absumit: sic Lutheri animus, odij contra Ecclesiæ caput veneno suffusus, omnia quæcunque ad propositam sibi vltionem quocumque modo spectare videbantur, ab antiquis Ecclesiæ eiusdemque capitis hostibus sine vllo fere delectu, hinc inde arripuit & mutuatus est, quæ iam olim alij, Naturæ lapsæ ductum sine gratia secuti excogitarunt. Ita vt nihil aliud reliquum esset operæ, quam vt tot modis dissoluta fragmenta rursus coagmentaret, & è veteribus illis centonibus bene defricatis atque interpolatis nouam consueret vestem, ac tamquam astutus veteramentarius, pro noua venditaret: qua similitudine eleganter in hac eadem re Gallicus Poeta Ronsardus vtitur, quam nos Latinis versibus vt potuimus, expressimus. Is igitur ita canit.

Ac veluti pauper Corydon, valde obsitus annis
Panniq; ad ripam fluuij, aut post mœnia, fœdæ
Siue Cloacinæ quocunq; in fornice, mille
Colligit articulos frustillaq; stercore plena,
Asportatq; domum, disponitq; ordine deinde
Eluta, defricta & depexa reconsuit; & sic
Centonem mira tandem consarcinat arte:
Sic similis sunt cuſa Lutheri dogmata Marte.

Porro ad Ecclesiæ suæ constructionem Lutherus pleramque materiam ab antiquis hæreticis, vti diximus, mutuatus est, iam olim infamibus læsæ diuinæ & humanæ Maiestatis inustam, & à Concilijs reprobatam. Tantum vero abest vt hæreseos nominis eum puduerit, vt etiam in libro De Captiuitate Babylonica (vt quidem libri Anno MDLI. VVitebergæ impressi habent) protestari non dubitarit, *quam primum Monachus aut alius quicumque nouas ipsius hæreses refutare aggressus fuerit, se nouam interea procusurũ* Hoc modo Lutherus in fœtido hæreticorũ luto tamquã sus immunda se voluauit; & tamquã animantia quædam aliorum excrementis viuentia, ab vno hoc ab alio aliud desumsit Et quemadmodum olim pictor nescio quis qui Trigridis corpori caput ouillũ, dẽtes lupi, auriculas vulpis, oculos basiliſci, cerui collũ, vngues Leonis, alas struthionis, & scorpionis caudã appinxit, molestè ferens, quod eidem monstro Sirenum vocem addere non posset: sic Lutherus multis antiquisac iam intermortuis hæresibus è sepulcro rursus excitatis atque in vnum conflatis, nouum monstrum è plusquam mille diuersis formis compositum,

positum, Orbi Christiano ostendit vt multi è scriptoribus Ecclesiasticis demonstrarunt, veluti Bellarminus & alij, sed exactissimè Liber ille qui dicitur Anatomia Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, in cuius prima parte recensentur, omissis plurimis, ducentæ quatuor nominatæ hæresum sectæ exortæ ex Lutheri schismate, in Tertia vero parte per singula sæcula Hæreticorum dogmata recensentur quæ in Lutheri sectatorum phantastica capita ita influxisse ostenduntur perspicuè, vt negari, nisi à fatuo, non possit, ex illis corpus hæresios Lutheranæ ad sui confusionem esse coagmentatum. Eodem vero modo Ebionem feciſſe Epiphanius testatur, qui ex ijs, quæ in diuersis Sectis erant deterrima, nouæ hæreseos corpus constituit; ab his dogma aliquod, ab ijs nescio quam cæremoniam mutuatus, omnium vero malitiam & peruersitatem imitatus. Interim quamuis nec fide nec vita Catholicus esset, Catholicus tamen audire & videri volebat. Et uti Mahometem ex Christianorum, Iudæorum ac gentilium disciplina centonem confeciſſe euidens est. Sic Lutherus ex scriptis VVicleui, Hussij, & cuiusdam Monachi excucullati, Henrici nomine, (a) qui S. Bernardi tempore errores suos disseminare cœperat, pleraſque suas hæreticas & schismaticas opiniones, reliquas vero ex turbido illo primarum hæreseon mari hausit.

III. Nam cum Simone omnium hæreticorum anteſignano, *liberum negat arbitrium*. Hunc enim Libero arbitrio nihil, fato omnia tribuisse Clemens testatur. Cum Donato, ait *Ecclesiam ex bonis tantum compositam esse, nec malos in ea vllam habere partem*. Cum Iebusianis Montani discipulis, *omnium ordinum & graduum in Ecclesia distinctionem reiicit*. Cum Constantino, qui eam ob causſam à S. Athanasio Antichristus fuit appellatus, *terrenum Principem in sua ditione caput Ecclesiæ esse dicit*. Cum Iunonio, qui id ex Arrianorum fontibus hauserat, affirmat *hominem sola fide iustificari, bonaque opera, tamquam liberi Arbitrii fetus nihil ad salutem prodesse*. Ad quam doctrinam specie aliqua veritatis confirmandam, in III. cap. Epistolæ D. Pauli ad Romanos verbis Apostoli in Germanica versione vocem Allein id est, *Sola*, adiunxit: rogantibus vero qua auctoritate id faceret, multo impudentius respondit, *sibi ita placere, quod Christianus dives sit, qui ob peccatum quodcumque animam suam perdere non possit, modo credat: quum nullum peccatum damnet hominem nisi sola incredulitas*. Hoc idem dogma Simonis fuit, Irenæo & Theodoreto testibus. Et hoc ipsum quidam nouorum Euangelistarum præco simul & historiographus, inter Simoniacas hæreses recenset. Hunc certe articulum Lutherus quo melius eorum animis, qui pro sua conditione & ingenio, picturis erudiuntur, in tabula quadam in qua Extremum & vniuersale Iudicium depictum erat, Augustæ Vindelicorum ita adscribi curarat: *In hoc die vnusquisque secundum Fidem suam mercedem accipiet*. Deum immortalem, quam multi putridi ac pestilentes fructus hæc vna radix tulit! uti sunt hi quod hoc modo Virtus Sacramentorum est inutilis: Pœnitentia, Eleemosyna, Ieiunium & Oratio efficaciam suam amittunt. Quia vero non ignorabat Omnes SS. Ecclesiæ Doctores & Patres vno ore ac consensu asseuerare, sola fide, quamuis ea in tenebris huius vitæ fax nostra sit, hominem non iustificari; Papistas eos & Regni Papalis Iustitiarios seu Sanctos operarios appellare non erubuit. *S. Hieronymum*, idem impie ait, *Infernum magis quam cœlum promeruisse, eo tantum quod Operum Iustitiam contra Fidem asserat*. Sed ô felix nimium sæculum, mi Luthere, quando linguæ tacebunt. & sola opera loquentur! Sed videamus alias quasdam veterum hæreticorum exuuias, quibus hærecica nostra Cornicula sese exornauit.

Cum Petro Abaillardo Gallo, qui tempore S. Bernardi vixit, idem asserit, *omnia fato & absoluta quadam necessitate fieri, nec posse aliter fieri:* faciens hoc modo Deum auctorem peccati, quamuis ad malum nihil nos alliciat aut trahat, quam propria nostra voluntas. Cum Lurcone Iouiniano ait, *Ieiunium nullius esse meriti, nec ciborum vllam esse differentiam faciendam. Monialium coniugium tam Deo placere quam Virginitatem. Peccata omnia esse æqualia*. Cum Vigilantio *Sanctorum intercessionem exsibilat*. Cum Arrio *Oblationes pro mortuis excludit*: itemque cum eodem asserit *inter sacerdotes & Episcopes nihil interesse*. Cum Eutychianis, *Peregrinationes religionis ergò susceptas*; cum VValdensibus *Indulgentias* despicit. Cum Manichæis affirmat, *Aquam Baptismi ad salutem nihil prodesse*. Cum Pelagianis *Infantes sine Baptismo saluari posse*. Cum VVicleuistis idem *Missæ sacrificium ex parte abolere* voluit. Cum Armenis *negat Matrimonium esse Sacramentum*; à quibus etiam hoc didicit, *in Eucharistia vinum aqua miscendum non esse*. Cum Donatistis dicit, *Ecclesiam multis sæculis fuisse inuisibilem*; quamuis

a *Vita S. Bern. cap. 5. Masso. in Phil. an. 5.*

nis hunc illæ articulum postea retractarit, vt in 11. Operum ipsius Tomo legere est. Cum VValdensibus & Pauperibus Lugdunensibus vult, *Pastoribus & Prælatis Ecclesiasticis non licere bona temporalia possidere.* Cum illis hæreticis qui Berengarium sequuti sunt, *admirabilem & supernaturalem Transsubstantiationem in Eucharistia negat*: cum Nestorio, teste Cyrillo negat *corpus Iesu Christi esse in Eucharistia, extra vsum Sacramenti.* Cum Græcis hæreticis & Schismaticis *affirmat, necessariam esse in Eucharistia vtriusque speciei (Panis & vini) sumptionem.* Quid tamen de S. Eucharistia seu Cœna Domini senserit, plenius libro 11. exponam. Cum VVicleuo *effectum & potestatem Excommunicationis vetjcit:* cum laicis VValdensibus, *potestatem seu auctoritatem Ecclesiasticam*: cum Nouato, *potestatem remittendi peccata.* Cum Arrio *omnem Traditionum Ecclesiæ memoriam abolitam cupit, pedibus manibusque soli scripto Verbo affixus.* Vt paucis multa concludam, ab omnibus hæreticis aliquid mutuatus, tanto formosius hæreseos corpus efformaturum se putabat, quanto è pluribus atque inter se diuersis membris ac partibus esset compositum. In quo sane non leuiter peccasse mihi videtur, qui non præuiderit si quisque suum ab ipso repetierit, se tamquam Æsopicam illam corniculam in medio nudum relictum iri. Sed & Iudæorum synagogam intrare & aliquid ab eis discere non dedignatus est. Quemadmodum enim illi docent, Postello teste, *peccatori quamprimum pœnituerit, remissum esse peccatum*: sic Lutherus explosa Pœnitentia quæ iram Dei sedat & prædestinationem rumpit, nullum salutare remedium animabus applicandum ducit: sed *vel vnum*, ait, (a) *suspirium ad Deum emitte, & iam tibi obsignata erit gratia; immo quanto eris sceleratior, tanto citius Deus in te gratiam infundet.* Illa vero Contritio quæ fit per discussionem, recollectionem & detestationem peccatorum, quando scilicet homo præteritos annos & offensas in memoriam reuocat, grauitatem, multitudinem, fœditatem & magnitudinem peccatorum, ac vitæ æternæ iacturam expendit: *talis*, inquit Lutherus, *Contritio hypocritas, adeoque maiores quam antea peccatores facit. Ista*, ait, *satisfactiones nihil aliud sunt quam tormenta & carnificina conscientiarum. Homines nati sunt liberi. Ipsi Angeli nullam homini imponere legem possunt. Nemo hominum super Christiano vel vnam syllabam statuendi ius habet. Restituendum est Euangelium, & abycienda hominum seruitus, &c.* His & alijs emblematis splendet totus ipsius liber De Captiuitate Babylonica: quibus latissimam in omni licentia viuendi fenestram aperiebat, & tamquam classico vniuersum Mundum ad vitiorum castra conuocabat. Omitto hic ea quæ idem ex Alcorano desumsit, de quibus post.

III. Porro desiderium bonæ apud Græcos Patriarchas ineundæ gratiæ (vt scilicet cum iis velut coniunctis communis odii erga Romanum Pontificem castris, tanto magis Romanæ nocere possit Ecclesiæ) in causa fuit vt in multis tam ad Fidem quam ad Cæremonias spectantibus, cum Græcanica Ecclesia similitudinem aliquam affectarit, ac præsertim in Liturgia Lutherana, vt V. libro ostendetur. De Græcorum verò Fide & Cæremoniis, quod eæ à nostris auctoribus obscurius aliquanto descriptæ sint, multa ego non sine labore cum pluribus circumstantiis non scriptis, aliunde collegi: quæ Lectori non poterunt esse non grata. Græci igitur, vt hinc potissimum exordiar, Missas seu Liturgias suas ijsdem fere verbis & precationibus peragunt quibus Latini. Exemplar nos in manibus habemus, eadem forma, qua S. Basilij & S. Chrysostomi opera, impressum. Ipsa Missa longior est aliquanto quam nostra, sic vt ei celebrandæ tres aut quatuor horæ impendendæ sint, si adhibeatur cantus Symphoniacus. Vnam tantum quotidie in Patriarchalibus Ecclesijs recitant: sed in Monasterijs pro deuotione Religiosorum plures celebrantur. Idem à Lutheranis fieri postea animaduertes, Horas Canonicas & Officia quotidie cantant, sed non Missam. Feria enim secunda, tertia & sexta non celebratur Missæ Officium. Ordinis Ecclesiastici homines eodem fere vestitu vtuntur quo Episcopi nostri aut sacerdotes: quemadmodum etiam multis in locis Lutherani. Sacerdos celebraturus, ad Altare accedens, pedes imaginis Saluatoris nostri in plana tabula depicti, deinde S. Virginis, S. Ioannis, & eius Sancti qui Ecclesiæ est patronus, deosculatur. Neque enim ab imaginibus plane abhorrent, vt nec Lutherani. Recitatis consuetis precationibus, panis modicus ad Altare portatur, in quo Crucis signum superna parte est expressum, & circumscriptum his verbis: (b) ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, id est, *Rex Iudæorum.* Inde sacerdos celebraturus hastulam sumit vtrimque acutam, eam qua Saluatoris nostri pectus confixum fuit, repræsentantem: eamque partem vbi Crucis signum est, excecat, ijsdemque verbis quibus nostri

a *In Assert. art. 5. & p.* b *Punis Græcorum.*

sacerdotes consecrat. Reliquum panis populo diuiditur, vt apud nos panis benedictus. Postea vino in Calicem infuso, aquam admiscet, è vase sartagini prunis ardentibus plenæ imposito haustam, & aliquantum calefactam: ad repræsentandum, meo quidem iudicio, pro nobis effusum sanguinem, qui natura calidus est; quamuis alij existiment eo Spiritus sancti descensionem figurari. Sic igitur Calicem & particulam illam panis rotundam accipiens, templum cum odoramentis & incensis obit, populum ita inclamans: *Ecce Deum vestrum. Adorate eum.* Cui mox omnes acclamant: *Credimus, Credimus*: in Crucis formam complicatis manibus, & capite ad terram inclinato. Reuersus dein ad altare sacerdos, preces continuat, tum quidquid panis sub crusta cui Crux impressa fuerat, remansit, in vasculum mittit; eumque populo communicanti distribuit. Neque enim sine communicantibus vlla ab eis Missa celebratur.

Ab his non valde discedunt Lutherani, qui hostias quoque, quæ apud ipsos ijs, qui Sacramenti recipiendi gratia altare accedunt, exhibentur, seruarunt. Græci sacerdotes communicantibus exiguam panis reseruati micam lentis magnitudine, cum guttula vini consecrati, in cochleari in aurato, & sic duobus speciebus, pane, vino & aqua commistis, porrigunt. Idem etiam Lutherani faciunt, vno hoc à Græcis differentes, quod vna gutta contenti non sunt. Panem consecratum Græci ad ægrotos ferunt. Idem faciunt Lutherani: illi quidem cum lumine & face: hi vero sine vllis Ceremonijs, adeo vt Minister seu Prædicans hostias suas sub pallio aut in pera portet, ac demum apud ægrotum consecret. Græci in Confessione Sacerdotibus conscientiam suam denudant: aut altari innitentes, aut recti stantes; idem à Lutheranis, ac præsertim Augustæ, Lubecæ, Bremæ vsitatum: alijs enim in locis in genua procumbunt aut adsident excipienti confessionem. Græci voluerunt vt sacerdotes mariti esse sinantur: quod vnum Lutherus plusquam cetera omnia Ecclesiæ suæ dogmata mordicus arripuit & defendit, vt infra in eiusden Nuptijs quas describpturus sum, plenius cognoscès.

Sed vt totam Græcanicæ Ecclesiæ faciem videas, & quibus in rebus cum Lutherana conueniat, quibus discrepet, pauca addam. Patriarcha Græcorum semper è Monachorum ordine, qui S. Basilij dicitur, quique vnus in vniuersa est Græcia, adsciscitur, nec nuptias contrahere potest. Nam apud Græcos quoque Monachi, qui votum castitatis fecerunt, in cœlibatu perpetuo viuere tenentur; vt etiam Episcopi, qui nec vxores habent, nec carnibus vescuntur, non minus quam ipsorum Patriarcha. Suasit aliquando Philippus Melanchton ne ad Ecclesiasticas dignitates vxorati vocarentur, quod verèdum scilicet esset ne hoc modo Ecclesiastica bona dissiparentur aut alienarentur; sed consilium hoc quod Luthero minus placeret, facile fuit repudiatum.

Apud Græcos si Diaconus velit fieri sacerdos, necesse est vt antequam ordinem suscipiat, vxorem ducat: alias eo suscepto, à nuptijs postea abstinere cogitur. Vxore vero mortua, idem fit Monachus. Sic etiam marito mortuo, vxor alteri nubendi potestatem non habet, sed & ipsa Religiosarum monasterio includitur. Luthero id valde rude & inhumanum visum est; qui vt Monachatus seu Religiosæ vitæ capitalis fuit inimicus, ita omne castitatis votum cane peius & angue oderat. Pro eo enim quod Græci sacerdotem, vnam tantum & vnicam vxorem habere volunt, Lutherus quot quisque velit ducendi ac permutandi potestatem suis permittit, vt libro III. ex ipso Lutherani Euangelij textu à nobis probabitur.

Vides opinor, quomodo ex veterum hæreseon ac schismaticæ Ecclesiæ ruderibus & parietinis Lutherus suam Ecclesiam ædificarit: in qua si materies vitiosa est, ipsa certe symmetria & structura multo est vitiosior. Quin vt testatum faceret quam ab omni ordine abhorreret, & confusionem amaret, pronunciauit, *Summo Pontifice in Ecclesia nihil opus esse: eandem visibile caput habere non posse: immo contra Dei verbum esse, vt in supremo Hierarchiæ gradu vnus solus collocetur.*

Quoniam vero non ignorabat dogmata sua & opiniones ex aliorum hæreticorum & schismaticorum fontibus haustas iam olim ab omnibus Concilijs damnatas asse; atque inprimis Christianæ Fidei structuram *quatuor illis generalibus consilijs tamquam solidissimo cubo inniti*, vt Gregorius ait: (a) inter cetera asserere non dubitauit, *Concilijs illis seu SS. Patrum Conuentibus Spiritum sanctum non ita præfuisse, vt tam in moribus quam in fide errare non potuerint* (b) Et quamuis Spiritus S. Ecclesiam deserere non posset, nec Ecclesia, vere

a *Lib. 1. ep. 4. in Regist.* b *Luth. de Capt. Babylon.*

vere Ecclesia sit vllibi magis quam in Concilio generali, si tamen ipsum audire velimus (a) *credendum propterea non est Concilium errare, aut falsam doctrinam promulgare non posse.* Ergo S. Irenæus mentitus est quum dixit (b) *Vbi Ecclesia sit, ibi S. esse Spiritum; & vbi S. spiritus sit ibi esse Ecclesiam & omnem diuinam gratiam.* Quam bene huic conuenit quod Lutherus dicit (c) *Christum Episcopis, Doctoribus & Concilijs indicandi de doctrina potestatem ademisse, & omnibus Christianis in genere dedisse. Papam, Doctores & Pastores potestatem habere docendi; sed oues iudicare debere an vox illorum sit vox Christi. Statuant illi,* inquit *& decernant quidquid volunt: nostrum erit iudicare.* Papa, ait alibi, *tu cum Concilijs tuis concluseristi: at ego iam iudex esse volo an illa recipere debeam, & an potuerint errare.* O audaciſſimum omnium qui vnquam fuerunt diuinæ sapientiæ & scientiæ arbitrum atque exactorem! Sed nihil hoc mirum, quum & eodem fere modo Arrius de Concilio Niceno, Macedonius de Constantinopolitano, de Mileuitano in Africa Pelagius, Nestorius de Ephesino, de Chalcedonensi Eutyches, Hussius de Constantiensi senserint & loquuti sint. At non ita S. Gregorius, qui *profitetur se omnia reprobare quæ à Concilijs sint reprobata; & recipere quæ ab illis sint recepta* (d). Quin etiam Petrus Martyr apostata (e) & Vrbanus Regius Lutheri discipulus (f) scribere ausi sunt, *quam diu ad Patres & Concilia confugerimus doctrinamque nostram retulerimus, errandi finem nullum fore: quod luce clarius sit non vnum tantum aut duo, sed omnia turpiter errasse.* Sed nihil mirum quod Conciliorum auctoritatem illi conuellere ausi sint, qui affirmare non erubescunt Apostolos quoque, etiam post missionem Spiritus sancti, in errores impegisse. Lutherus certe ait (g) *etiamsi quid ab omnibus Concilijs decretum sit, se tamen illud per scripturam examinaturum, nec vt humanis Traditionibus decipiatur, passurum.* Sic enim appellat ille Apostolorum Traditiones, & Conciliorum, supremarum Ecclesiæ Cutiarum, decreta, quæ vere sunt Verbum Dei iuxta illud: *Vbi duo vel tres in nomine meo &c.* per Scripturam vero intelligit suam ipsius scripturæ literam suamque sub ea interpretationem, more omnibus hæreticis vsitatissimo, quippe hominibus qui ab Ecclesia seu communi consensu apostatarunt. Talem vero ab Ecclesia Catholica apostatam non solum reipsa sed professum & confitentem esse Lutherum, luce meridiana clarius est ex ipsius autographo, nempe Libello suo de Captiuitate Babylonica, ibi, *Si forte,* inquit, *Concilium decreuerit sub duabus speciebus sumendam esse Eucharistiam, ego in contemtum ipsius vnam tantum recipere aut omnino abstinere velim.* Qui fieri potuit, vt tam profligatæ ac desperatæ audaciæ homo tot insaniæ suæ complices ac socios inuenire potuerit, qui vt Concilijs aut Ecclesiæ capiti contumeliam faciat, etiam, suo ipsius testimonio res bonas & pias reprobat? Idem alibi hoc consilium Christiano dat, (h) *ne in Quadragesima confiteatur, ne in Paschate ad Eucharistiam accedat. Vtque ita intra se dicat: Quia Papa, qui homo est, hæc ita statuit, ea propter nihil eorum volo fatere; si non mandasset, vltro facturus. Faciam ergo alio tempore, quo ab ipso mandatum non sit, tunc quum mihi placuerit, & deuotio animum subierit.* Eadem sententia multis alijs in locis ab ipso inculcatur, tantum vt statuta & auctoritatem Ecclesiæ labefactet.

VI. Hinc Erasmus postea melius sapiens non minus scite quam vere de Lutherinis quodam loco scripsit, *Eos iugum humanarum constitutionum abiecisse, sed hominum itidem suasu inductos. Nomen tantum mutatum esse Appellari Verbum Dei, quod nihil sit nisi mera Libertas. Pro iugo hominum, eos iugum subijsse diaboli.* Et profecto non sine causa omnes Hæreticorum Synagogæ Concilijs tanta diligentia fores & fenestras omnes occludunt: quorum lumine non nesciunt; si vel tenues aliquot radij eò penetrauerint, omnes statim tenebras dispulsum iri. Sed multa alia ex eadem officina à Luthero deprompta in sequentibus hinc inde sparsa occurrent ipsius iudicia & decreta, quibus ille, tam impudens Ecclesiæ & Conciliorum contemtor, non minus fidei haberi volebat quam si cœlitus delapsa essent. Et quemadmodum Saluator noster dixit: *Doctrina mea, mea non est, sed patris mei qui me misit;* sic Lutherus aiebat (i) *Doctrina mea, mea non est sed Iesu Christi. Certus ego sum, me errare non posse.* Sic ille de se: at quomodo de S. Concilijs, SS. Patribus & vniuersa Ecclesia? *Omnes* ait, *immo vniuersam Ecclesiam errasse.* Sed loqui profecto aliter non potuit, qui

a *Luth. de abroganda Miss. & in Vision. Daniel.* b *Lib. 3 cap* 40 c *Tom 2. lib. 2 Rat. Iud. Eccles. In Serm. Attendite à fals. Proph. In* 500. *Art art.* 115 d *Loco citato.* e *De Votis pag.* 476. f *lib. de Eccles.* g *Ita sæpe Luth. præcipue Vormatiæ An.* 1521. *in Aprili Respondit Cæsari ac Principibus.* h *Luth de Confess part* 3. *cap.* 14. i *Lib. contra fals. Proph.*

SS illos Patres tamquam scopulum fugiendos, sibi existimauit: non ignarus, quamdiu pagina ex ipsorum scriptis, diuinitus per tot sæcula in tanta rerum omnium & imperiorum deuastatione conseruatis, superfit, non defuturas quoque fidiculas, quibus veritas ex ipsius ore extorqueatur. Quam reuerenter vero de diuinis illis & cœlestibus animabus, quas priora sæcula tamquam æterna antiquitatis ornamenta semper coluerunt; sentiat ac loquatur, III. liber explicabit. Iam tempus videtur, vt in Theatrum nostrum nouos hæreticos prodeuntes spectemus: qui non minus, quam Choragus ipsorum Lutherus (tamquam ἀπὸ μηχανῆς scilicet) è cœlo veniſſe videri volunt. Lutherum interim in noui sui Euangelij baliſtario varias mechinas tam nouo quam cœpto bello patrando fabricantem relinquamus.

Finis libri Primi.

FLORIMVNDI RAEMVNDI DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA HERESEON SVPERIORIS SAECVLI HISTORIÆ

LIBER II.

ARGUMENTUM SECUNDI LIBRI.

Libro hoc II. comprehenduntur omnes Sectæ & Hæreſes, quæ turmatim poſt Lutherum in omnibus Germaniæ angulis eruperunt: ſed potiſſimum Anabaptiſtarum Sectam. Cuius originem, ortum & progreſſum; tum doctrinam, vitam & mortem præcipuorum Hæreſiarcham Auctor deſcribit: eorumque errores indicat, ac breuibus refutat.

INDEX CAPITUM LIBRI SECUNDI.

I. *Quæ hoc II. libro continentur, vix fore vt à poſteris vmquam facta fuiſſe credatur.*
II. *Vnitas Eccleſiæ poſt Lutheri aduentum in varias partes ſciſſa.*
III. *Origo Anabaptiſtarum.*
IV. *Muncerus eorum Apoſtolus prodit.*
V. *Saxoniæ Dux ne Muncerum eijceret à Luthero impeditur.*
VI. *Miracula Munceri eiuſque diſcipulorum.*

CAP. II.

I. *Lutheranorum ſchola Anabaptiſtas prodiiſſe.*
II. *Primi Anabaptiſtarum Miniſtri ſeu Prædicantes.*
III. *Lutheraniſmi & Anabaptiſtarum ſectæ Collatio.*
IV. *Lutherani Zuinglianis turbas Anabaptiſticas imputant.*
V. *De Ioanne Matthæo primo Anabaptiſtarum Propheta.*
VI. *De Ioanne Leidenſi primo ipſorum Rege.*
VII. *De eius & aliorum qui ab ipſo exitu.*

CAP. I.

CAP. III.

I. ANabaptista S. scriptura vtuntur more omnium hæreticorum.
II. Ordo qui in ipsorum cœtibus & Pastoribus obseruatur.
III. Fides Anabaptistarum in plerisque nouorum Euangelicorum fidei est conformis.
IV. Forma quam in Cœna sua obseruant.
V. De ipsorum Baptismo & Matrimonijs.
VI. A Lutheranis & Zuinglianis Anabaptistas sola scriptura vinci non posse.

CAP. IV.

I. FIcta Anabaptistarum pietas.
II. Quomodo Muncerus & Leidensis plebem seduxerint.
III. Anabaptista tam Catholicorum quam hæreticorum vitia detestantur.
IV. In morte constantes sunt, & de salute sua certi sibi esse videntur.
V. Vanitate Prophetarum sapius deprehensa in viam tamen redire nolunt.
VI. Facetæ de Anabaptistica muliere Narratio.

CAP. V.

I. DE Melchiore Hofmanno, magni inter Anabaptistas nominis & auctoritatis.
II. De alio Propheta ipsius successore: & de Anabaptistarum simplicitate.
III. Anabaptista arma non ferunt.
IV. Iusiurandum illicitum esse contendunt, & imagines detestantur.

CAP. VI.

I. ANabaptistarum secta in plures factiones diuisa.
II. De ijs qui feminis promiscue vtuntur.
III. Munceriani & diuersi hæretici ex eadem schola.
IV. De odijs Anabaptistarum inter se.
V. De alijs eorum Regibus post Ioannem Leidensem.
VI. De Ioanne VVilhelmi vltimo Anabaptistarum rege, & eius morte.

CAP. VII.

I. PEr Sacramentarios diabolus Christo primum bellum intulit.
II. Andreas Carolstadius primus nostri temporis Sacramentarius.
III. Vnde suam doctrinam, seipso teste hauserit.
IV. Andreas Carolstadius quis & qualis fuerit.
V. Ex amico intimo Lutheri acerrimus eidem sit inimicus.
VI. Carolstadius primus ex sacerdotum ordine, vxorem ducit.

CAP. VIII.

I. HVldericus Zuinglius nouus Euangelista apud Tigurinos.
II. Eius de Cœna Domini doctrina, à Spiritu S. vt aiebat, accepta.
III. Zuinglij fallacia.
IV. De Spiritu qui Zuinglio apparuit.
V. Lutheri Zuinglij & aliorum comparatio.
VI. Zuinglius à Luthero tamquam frater recipi petens, repulsam patitur.
VII. Zuinglius Pelagianorum errorem renouat.
VIII. Initium Zuingliani schismatis in Heluetia.
IX. De Ioanne Oecolampadio Zuinglij symmista.
XII. De eius morte: & quid de vtroque senserit Lutherus.

CAP. IX.

I. DE Philippo Melanchthone, eiusque horoscopo.
II. Melanchthon Augustanæ Confessionis auctor.
III. Quantum Melanchthoni Lutherus tribuerit.
IV. Melanchthon è Scepticorum numero.
V. Post Lutheri mortem sententiam mutat.
VI. Insimulatur quod Lutheri opera deprauârit.
VII. Confessionistarum Fides, cuius Melanchthon fuit auctor.
VIII. Eorundem inconstantia.
X. Vltima Melanchthonis verba, & obitus.

CAP. X.

I. INter erroneas opiniones perpetuæ sunt digladiationes & contentiones.
II. Lutheri in articulo de Ecclesia & Missa contrarietas seu contradictio.
III. Iisque de Sanctorum intercessione, & precibus pro mortuis.
IV. Lutheri in articulo de Eucharistia incertitudo.
V. Item de Transsubstantiatione & adoratione Eucharistiæ.
VI. De communione sub vtraque specie.
VII. Quomodo discipuli Lutheri inconstantiam eius excusent.
VIII. Lutheri aduersus Sacramentarios sententiæ.
IX. Aliæ aliorum de ijsdem opiniones.
X. Vltima Lutheri Confessio.

CAP. XI.

I. DE Martino Bucero.
II. Bucerus concordiam inter Lutherum & Zuinglium tentat, sed frustra.
III. Quomodo Sacramentarij Bucerum retinere voluerint.
IV. Conuentus VVitteberga habitus de concordia inter Lutherum & Bucerum.
V. Buceri fluctuatio, etiam postquam Lutheri partes professus est.
VI Bucerus tertium maritus, in Angliam proficiscitur, ibique moritur.

CAP. XII.

I. IN omni antiquitate exstare multa circa SS. Eucharistiam miracula.
II. Miraculum quod Erasmus narrat suo tempore factum esse, diuinitus quibusdam qui SS. Sacramentum blasphemauerant punitu.
III. Magnum & celeberrimum miraculum quod Laoduni in Veromandua contigit.
IV. Hæreticorum argumenta contra SS. Eucharistiam.
V. Sacramentarij negant Dei omnipotentiam.
VI. Quomodo corpus Iesu Christi sit in Sacramento

CAP. XIII.

I. VNitas, infallibilis est Veritatis nota.
II. Discordia Lutheranorum magnum ipsorum doctrinæ præiudicium affert.
III. Vnitas Ecclesiæ est eius conseruatio.
IV. Quomodo Lutherani & Sacramentarij sese mutuo conficiant.
V. Inter Aduersarios discordes nulla est concordia nisi in oppugnanda Ecclesiæ vnitate.
VI. Comparatio quædam, illi qua Aretius, Clericos porcis comparat, oppositæ.

CAP. XIV.

I. HÆresis vna aliam atque aliam parit.
II. Plus quam ducentas nostro tempore esse hæreses.
III. De Adiaphoristis, quibus omnia sunt indifferentia.
IV. De interimistis & Vbiquitarijs.
V. De Maioristis.
VI. De Osiandrianis.

CAP. XV.

I. DE Augustinianis & Stancarianis.
II. De Adamitis.
III. De Sabbatharijs & Clancularijs.
IV. De Dauidistis, seu Dauidis Georgij sectatoribus.
V. De Mennonistis, Deistis & Trinitarijs.
VI. De Michaele Serueto Hispano.
VII. Dictum Erasmi, & quid Trinitarij de ipso dicant.
VIII. Lutherani & Caluinista mutuo se accusant.

CAP. XVI.

I. DE Antimarianis, & alijs Deipara Virginis hostibus.
II. De stirpe B. Virginis.
III. De Antinomis, Boquinianis, Hutitis, & inuisibilibus.
IV. De Libertinis.
V. De horribili Effrontium secta, & Valentinianis.
VI. De nouis Flaccianis, Manichæis, & Samosatenianis.
VII. Misera imperita plebis stultitia.
VIII. De Svvenckfeldio noua hæreseos auctore.
IX. De Spiritualibus.

CAP. XVII.

I. QVa sit stella illa in Apocalypsi è cœlo delapsa.
II. Ante Lutheri aduentum Fides fuit vniformis.
III. Quid significet fumus qui aerem obscurauit.
IV. Qua sit turma illa locustarum.
V. Qua caput non habent, vt & hæretici.
VI. Itemque regem inuisibilem.

CAP. XVIII.

I. LVtherus tantam nouorum Doctorum multitudinem è schola sua progressam videns, stupore defixus.
II. Vnusquisque noua secta vult haberi Auctor.
IV. Querela Centuriatorum de magistratu populari
V. Quomodo primi Lutherani Catholicos aggressi sint.
VI. Maior pars Catholicorum tum male instructa, ad refutandos aduersarios,

LIB.

LIBRI SECVNDI ARGUMENTUM.

CAPVT I.

I. *Quæ hoc II. libro continentur, vix fore vt à posteris vmquam facta fuisse credantur.*
II. *Vnitas Ecclesiæ post Lutheri aduentum in varias partes scissa.*
III. *Origo Anabaptistarum.*
IV. *Muncerus eorum Apostolus prodit.*
V. *Saxoniæ Dux ne Muncerum eijceret à Luthero impeditur.*
VI. *Miracula Munceri eiusque discipulorum.*

I. HIc ego te appello, chara posteritas. Quid tibi animi erit ista legenti? An cum Democrito incredibilem maiorum tuorũ ridebis stultitiam; an vero cum Heraclito tot ex vna Hæresi in vniuersum Mundum, adeoque super te quoque effusas miserias deplorabis? Inuenientne fidem apud te quæ in hac tamquam tabula ad viuum repræsentata adspicies? Credesne vnum sæculum tot peperisse monstra; vnum Monachum tot apostatas? *Ad cuius tubam aperta abysso,* (a) *tot maligni ac furiosi spiritus exsiluerunt, qui pestilenti suo afflatu vniuersam Christianam rempublicam miserrimum in modum infecerunt, omniaque depopulati sunt.* Mihi quidem funestam hanc turmam intuenti,

——stant horrore coma, & vox faucibus hæret.

Nam quis Apelles aut Protogenes tot monstra ad viuum depingat? Conabor nihilominus: pictorem illum imitans, qui ingentem hominum turbã vel exercitum depicturus, ante signanos tantum & præcipuos duces cum omnibus lineamentis, armis & insignibus, reliquam vero multitudinem confusa quadam vmbra, hic capite, illic pede, ibi aliquo alio membro exstante, expressit. Sic ego quoque præcipuos hæreticorum manipulorum, sub Luthero summo exercitus duce, præfectos, ad viuũ, quoad potero, tibi repræsentabo, cum eorum armis, insignibus & impedimentis; calonum, lixarum & reliquam mediastinam turbam digito tantum velut indicare contentus. Sed quemadmodum peritus belli dux hostiles copias è tumulo contemplans, non primæ tantum sed & postremæ aciei intentionem, iter consiliaq; obseruat: sic prudens Lector exercitum hunc Ecclesiæ hostium aspiciens, non solum qui qualesq; fuerint qui primos ducunt ordines, sed etiam qui agmen claudunt, facile obseruabit. Sed vt dixi, pleramq; eorũ partem confusa tantum vmbra repræsentabo. Nam quis in tanta, hominũ dicam an mõstrorum colluuie, quã etiam summus ipsorum dux detestatur, vllum ordinem seruare? Quis tam multiformem diuersitatem certis lineamentis & coloribus exprimere possit?

Ac velut annosa erumpens ex arbore densum
Vesparum (b) examen, magno cum murmure circum
Hinc atq; inde volat. redit hæc, abit illa. volando
Sese q; impediunt. subtus supraq; feruntur,
Et capita inter se quassant stridentibus alis.

Sic infra videbis confusam hanc & vagabundam diuersissimorum hæreticorum turmam sine ordine, tumultuario inter se prœlio confligentẽ. (c)

II. Eo tempore quo turbæ & confusiones in Germania nasci cœperunt, quod fuit circa annum MDXVIII. vniuersa Christianitas vna fide & religione erat vnita, non nisi vnum Deum agnoscebat, eius Vicario obediebat, eius statuta & decreta amplectebatur; sic vt vna omnium anima, sensus, vox, lingua esset; omnesque in vnius capitis nutu ac sapienti gubernatione acquiescerent. Vna tum erat Ecclesia, Catholica vere appellata, vt quæ sua Vniuersalitate tam omnium dogmatum reuelatorũ, quam hominum tum præsentis, tum præteritorum sæculorum Christianitatem amplectebatur. At postquam Lutherus indiuisibilem hanc vnitatem dissoluit; pars illa auulsa momẽto temporis rursus in infinitas alias diuisa fuit: (d) vnde primus huius diuisionis auctor ita fuit attonitus, vt facti pœnitere, ac remedium velle quærere videretur. Sed facile intelligebat, operam & oleum se perditurum. Sic enim inquit: (e) *Quid hoc esse dicam? Vix vnum os diaboli obturo: & ecce decem ille alia aperit.* Tum enim quisq; inter primos esse volebat. Vnus clamabat: *Ecce hic Christus,* (f) alius contra: *Non ibi est, Sed ecce apud me.* Omnes à Deo excitatos, à Deo missos se dicebant: non aliter quam si Spiritus Sancti assistentia non minus infallibiliter vnicuique singulatim, quam Ecclesiæ generatim esset promissa. (g) Licebat vnicuique de Deo sentire, scribere, & loqui quid & quomodo vellet, nullo antiquæ

a *Apocal. 9 prolixe Lutherus cum sequacibus describitur.* b *Apocal. 9. Locustis assimilantur Lutheri sequaces.* c *idcirco S. Ioan. loco cit. Vocat. Locustas armatas in prælium.* d *Velnec. histor. Aug. conf. fol 15. & 16.* e *colloq. mensal. 158 b fol 273. b. & in præfat. in 1. Tom. Germ. Ien.* f *Matth. 14.* g *Eder. inquisit. Euang. part. 1. fol. 4.*

quæ Fidei respectu. (a) Hic vnum, alius alium articulum conuellebat. Hic doctrinam, ille mores Ecclesiasticorum exagitabat: omnes vero nouis rebus studebant, (b) nec tamen quid agerent sciebant. (c) Numquam inter Babylonicæ turris ædificatores maior fuit confusio & discordia quam inter nouos hos Euangelistas: qui nulla in re congruebant quam in perdendo, si fieri posset, summo Ecclesiæ capite. Synagoga denique diabolorum quædam vberrima exstitit: quemadmodum D. Paulus multis locis fore prædixerat (d) Et quemadmodum Simonis magi omnium hæreticorum primi parentis & antesignani hæresis diuisa fuit in Menandrianos, Basilidianos & Saturninianos, vt Irenæus testatur; Marcionis in Lucianistas, Appellianos, Seuerianos, (e) Montani in Pepuzianos, Artotyritas, & Phrygastas; Arii in Acacianos, Macedonianos & Eunomianos, vt Ruffinus scribit: sic Lutheri hæresis in tres velut præcipuos ramos statim se diffudit, nimirum *Anabaptistas, Sacramentarios* & *Confessionistas*, (f) quos particulatim explicabo: è quibus deinde infinitæ aliæ hæreses velut stolones, enatæ sunt, vt ex sequentibus non sine admiratione videbis. Et has quidem tres sectas non inepte quis tribus Iudæorum sectis, (g) Pharisæis, Sadducæis, & Essæis comparauerit. Horum primi, qui sublato libero arbitrio, ab ineuitabili necessitate dependere omnia asserebant, Confessionistis sunt similes; secundi Sacramentarijs; tertij Anabaptistis, quorum fides, vt ex Iosepho colligi potest, ab Essæorum fide non longe abscedit. Sed ab Anabaptistis exordiamur.

III. Qui superioris sæculi hæreticorum mores, & vitas, & quidem sæpe non sine oscitantia, descripserunt, in eo parum consentiunt quisnam primus maledictæ & infernalis sectæ Anabaptistarum fuerit auctor. Hosius Cardinalis æternum Poloniæ decus, (h) Eccius & Lindanus nescio quem Balthasarem. Hubnerum Pacimontanum siue Fridbergensem auctorem faciunt, qui doctrinam hanc è Lutheri fontibus, vt infra videbitur, hausit. Hic enim postquam ab antiqua Ecclesia defecisset vt nouam sequeretur: iamque eum etiam Lutheranæ modo natæ, tamquam nimis antiquæ, scilicet, religionis pœniteret, nouam inuenit. Quippe, *Quæ noua, grata nimis sunt omnibus.*

Lutheranos ergo reliquit, vt Anabaptistarum sectam conderet, quos Germani **Widertauffer** appellant, eo quod ante plenam seu discretionis ætatem baptizatos, rebaptizent. Hic idem scripta aliquot sectæ suæ stabiliendæ euulgauit: & quamuis Tiguri, vbi in vincula coniectus fuerat, errorem reuocasset, mox tamen ad vomitum redijt, & in Morauia doctrinam suam disseminauit, ac sanguine etiam suo (nam flammis exustus fuit) obsignauit, primum inter sanctissimos, si dijs placet. Anabaptistarum martyres locum sortitus. Bullingerus in libro quem contra Anabaptistas scripsit, (i) Nicolaum Storckium primum huius sectæ auctorem fuisse dicit, vt & Melanchthon: qui tamen alibi, vti & Erasmus Alberus, Carolstadio: Zuinglio verò Anthonius Coruinus hæresin hanc imputant. Omnes tamen tam Lutheri quam Zuinglij partibus addicti, quo magistros suos (vterque enim, si non vt auctores, saltim vt qui ansam dedissent, hæresis huius laborarunt infamia (k) excusent, Thomæ Muncero sacerdoti apostatæ Carolstadij discipulo, præcipuas partes adscribunt. Muncero, inquam, homini cœlitus maledicto inferis benedicto, & infausto terræ portento: qui postquam Lutheri libros *De Libertate Christiana seu Euangelica, & de Captiuitate Babylonica legisset*, primus Germaniæ solum seductorum à se sanguine rigauit. Et hic quidem eodem fere tempore, quo Lutherus Euangelicorum, factus fuit Anabaptistarum antesignanus.

a *Luth. tom. 4. Germ. fol. 319. b. Tom 1. Germ. fol. 537. colloq. mens. fol 4 a. tom. 2. Germ. fol. 119 b. & 225. a.* b *Vide bellum S. Euangel. Andr. Iurgica. Schlusselb. catal. haretic. Admonit Ioh Lengenbrunner quid de Luth. eius doctr. & Prædicantibus reliquis sentiendum.* c *Vlenberg. causa 13. c. 13. & ca. 16.* d *Phil. 3. 7. & 1. Petri. 1.* e *Prateolus lit. 5.* f *Vlenberg. causa 9. c. 9. Anatomia Ecclesia Catholica.* g *Iosephus l. 2. cap. 2. de Bello.* h *lib. 1. de Hæres. nostri temp. fol. 431.* i *de Orig. Anab. l. 1, cap. 1 fol. 1. & cap 6. fol. 12. Lamb. Hortens. lib de Anab. fol. 1. Arnold. Meshouius in Histor. Anabapt. Franck. Chron. part. 3, liter. VV. Cassand. & alij. Mycon. in vita Zuingl. Bucching. Chron. à nat. Chr. fol. 340. Herm. Moded. histor. de prim. Anab. auctor. fol. 63. Sacrament. præfat. in Protocoll. Franckendalense. Vlenb. caus. 9 cap. 9. fol. 307. Bismare. in vita Carlstadij. Seidel. fol. 54. histor. Luth. Crusius par. 3. hist. Sueu. An. 22. Luc. Osiand. cent 16. lib. 1. histor. cap. 36. fol. 98. Seidel. histor. Luth. fol. 16. Pomar. histor. Sax fol. 593. Selnec. hist. Aug. conf. fol. 31. Moded. de auct. Anab. fol 67. cap. 111. Sleid. lib. 4. & 5. fol 99 & seq. Cochl. in Act. Luth. fol. 130. L. Sur. com. hist fol. 140. Spang. Chron. Sax. & Mansfeld fol. 605. ad fol. 618.* k *Eras. Alber. libr. contr. Carlstad.*

nus Sleidanus ait, Muncerum Lutheranæ doctrinæ odio, quam tamen initio professus fuerat, suam publicasse, vt glorioſum Euangeliſtæ nomen acquireret. Quotquot tamen vitam & mortem hominis huius descripserunt, vt Lindanus, Melanchthon, Hortensius, (a) & alij, quos mihi videre contigit, inter Muncerianæ doctrinæ articulos, eum qui est de Anabaptismo non ponunt; nec ille vmquam eos qui in Ecclesia Catholica baptizati fuerant, rebaptizasse legitur. Illud tamen verum est, hunc primum eam doctrinam proposuisse, quam Anabaptistæ postea quibusdam in locis sequuti sunt. (b) Qua verò ratione & quo tempore Lutherus fundamenta Anabaptistici erroris posuerit, Vlenbergius in vita (c) Lutheri hunc in Modum ostendit. Fratres VValdenses, qui in morauia & Bohemia degebant, comperto quod VVittebergæ noua Religio cuderetur, quosdam discipulorum suorum ablegauerant VVittebergam exploratum an cum noua Ecclesia in communionem venire possent. Cum his Lutherus de varijs rebus egerat, imprimis vero de baptismate & S. Eucharistiæ Sacramento. Legati hi asseuerabant puerorum seu infantum baptismum retineri à suis, ea ratione, ut quia in ista ætate nondum crederent, ea conditione tamen baptizarentur ut postmodum per ætatem informarentur de fide. Id Lutherus improbauerat, asserens præstare, vt baptismus plane omitteretur, quam vt puer sine fide propria baptizaretur. De Sacramento Eucharistico professi erant, ijdem quod ea contineretur corpus Christi. Sed quia ancipites animaduertit, Lutherus, rogauit eos, vt edito libello dilucide suam de hoc Sacramento sententiam explicarent, quod paulo post fecerunt, edito libello Bohemicè ac Germanicè scripto, in quo Christum nec esse in Eucharistiæ, nec adorandum censuerunt, facta sunt hæc ante Annũ 1522. nam ipso hoc anno Lutherus librũ edidit de Eucharistia, inquo & VValdensium rationes diluit, & quod Legatis eorum asseuerat, repetit. *Satius esse baptismum omitti quam infantes sine propria fide baptizari.* Id plane est fundamentum Anabaptismi à Luthero infeliciter positi. Vtraque certe tam Lutherana quam Anabaptistica secta in Saxonia originem sumsit, (ipso Bucero teste.) Hic Storckius Munceri magister cyrocinium suum fecit; hic ibidem Muncerus postea dogmata sua spargere cœpit. Illud vero notatu dignum est, quod eodem loco Muncerus cathedram primum conscendit, vbi Lutherus antea latuerat, & primos suos libros, inprimis illum de Captiuitate Babylonica conscripserat, nimirum in Alstatensi oppido, ad Thuringiæ fines, quod Lutherus, vt supra dixi, Pathmon suam appellare solebat. De Storckio Melanhthon sic scribit. *Vidi Nicolaum Storckium, qui primus Anabaptistica secta venenum per Germaniam disseminauit, ac magnas turbas excitauit. Hic aiebat, à Deo quæ scire cuperet, in somno sibi reuelari, & Angelum secum colloqui; atque Deum velle, vt Electi, ipsius ductu, terra imperium accipiant, atque Ecclesiam purgent. Idem Sacramenta despiciebat: atque etiamnum infelix erro circumcursitat, & populum seducit.* Hæc de Storckio Melanchthon, qui vt Sergius Mahumeti, ita ipse in propaganda superstitione Muncero fuit socius. Maubius idem fere scribit, (f) quod nimirum suis persuaserit sibi cum Gabriele Archangelo esse colloquium, atque reformandæ Ecclesiæ & manus imponendi negocium demandatum. Tandem miser hic Monachij in Xenodochio fuit exstinctus. (g)

IV. Muncerus postquam se tamquam nouum Apostolum Mundo ostendisset, tam in sermonibus quam scriptis præ se tulit: *diuinitus sibi inspiratum vt tam Pontificem quam Lutherum oppugnaret,* (h) *quod vtriusque doctrina esset vitiosa & impura. Pontificem nimium duris legibus atque vinculis alligasse hominum mentes: Lutherum soluisse quidem ea vincula, sed in contrariam partem peccare, nimiumque indulgere. Suam vero doctrinam medium tenere. Non plus tribuendum esse Pontificijs Constitutionibus quam Lutheri statutis.* (i) Interim externa quadam sanctitatis specie, vitia detestabatur, etiam quæ leuia videntur, ac docebat castigandum esse corpus ac ieiunijs macerandum: quæ à Luthero nimia sagina distenta sint. *Doctrina Lutheri,* inquit Anabaptistarum Apostolus Menno, (k) *carnalis & dissoluta, populum carnalem & dissolutum in tantam deduxit impietatem, vt inter Turcas & Tartaros maior reperiri non possit:*

M Mun-

a *Libr. de Anab. a. iiij. Mel. in histor. Munceri.* b *Luth. libr. de Missa angul. tom. 7. VVit. latin. fol. 133.* c *cap. 10. num. 5.* d *Tom. 2. Ien. pag. 220.* *Cochlæus in Actis fol. 102. & 3.* e *Tom. 3.* f *Ioach. Curæus in Chron. Silef. pag. 138. Henr. Rotteln. ibid. Manbius in loc. com. tit. de Eccl. fol. 481. Vlenb. cauf. 21. cap. 21. pag. 760.* g *Sleid. lib. 5 fol. 99.* h *Eraſ. Alb. libr. contra. Carlſtad. n. 2. 3. & ſeq.* i *Libr. de Chriſt. fide pag. 234.* k *Bucholtzer in Chronic. Sleid. lib. 5. Oſiand. lib. 1 cap. 36. fol. 98. hiſtor. Eccleſ.* l *Moded de auctor. Anab fol. 67.*

Muncerus porro non solum sermonibus suis, sed habitu etiam ac tota vita mirabilem simplicitatem præ se ferebat, eaque ratione magnam sibi apud vulgus auctoritatem comparabat. (a) Somnia item, ecstasin, reuelationes diuinas, & colloquia cum Deo fingebat. (b) Atque eã ob causam à seipsis serio & libenter, atà Luthero contemptim & per probrum Prophetæ cælestes & nominati sunt & exagitati. Precationem tam ipse quam discipuli, eleuatis ad cœlum oculis, in hæc verba fundebant: *Pater infunde animo meo perfectum desiderium iustitiæ tuæ. Quod nisi feceris; te tuosque Apostolos ad vnum omnes abnegabo.* Ecce tibi miram precationem, quæ & Dei abnegationem habet adiunctam. (c) Quid? putas, non statim momento Spiritum sanctum ad has preces descensurum? O simplices, inquies, qui hoc modo decipi se patiuntur! Id vero mirum videri nemini debet: quum & ante & post Muncerum multi fuerint, qui his artibus populis imposuerunt. Florentinis nihil est acutius, nihil callidius: & tamen his persuasit Sauanarola, se cum Deo colloquia habere, (d) vt Macchiauellus testatur, qui addit: *Vtrum hoc verum sit, nec ne, non satis scio. Sed & de tali homine non nisi honorifice loqui volo. Illud tamen dico, decem hominum millia illud credidisse, quamuis tanta miracula non viderint, vt persuadere sibi hoc deberent. Sola ipsius vita, doctrina, & cathedra veritatis in qua stabat, hanc illis opinionem impresserunt. Quamobrem*, ait idem, *nemo debet eius perficiendi spem abijcere, quod ab alijs perfectum videt.* Hæc Machiauellus. Enimverò, nonne isti suorum temporum Mosiculi, seu Noui Moyses & Prophetastri, in huius Schola educati videri debent, cuius lectionem adeo graphice didicerant? qui familiarem in modum, quasi facie ad faciem cum Deo sermocinantur? Sic Muncerus, suo ipsius delirio, somnijs & reuelationibus deceptus, alios deinde decepit. Quia tamen intelligebat ad stabiliendam doctrinam suam alio fundamento quam somnijs & visionibus opus esse; rerum inter omnes ex Sc. sacra communitatem esse voluit, (e) Agrariæ illos olim legis aut sisachthiæ suasores imitatus. *Fratres*, inquit, *omnes sumus, & filij Adami. Quare æquum non est vt alij intereant fame, dum alij in summis diuitijs ac rerum abundantia deliciantur. Apostoli nihil proprium habuerunt*, (f) *sed omnia erant communia.* Hoc quidem dogma mirum quantam hominum multitudinem breui allexerit, quãras etiam discordias & seditiones pepererit, quæ à Sleidano & alijs describuntur.

V. Saxoniæ Dux vbi de nouo vate Muncero audijsset, Lutherum quid faciendum esset in consilium adhibuit: qui suasit, vt eum toleraret. Quemadmodum enim insignis luxuriæ Imperator Gordianus ex omnibus puellis formosissimas ac maximè deformes in balneas ad se adduci voluit, quod harum comparatione illarum pulcritudo magis appareret; sic Lutherus quotidie noua, præsertim tam deformia monstra enasci non ægre ferebat, sperans hoc modo doctrinam suam multo plausibiliorem redditum iri. (g) Postquam autem vidit tantam ad Munceri partes accessionem fieri, suamque gloriam quodammodo obscurari, vt qui non minus contra ipsum quam Pontificem Romanum passim inveheretur: calamum in eum strinxit, (h) *diabolum incarnatum appellans*; ac ciuibus vbi concionabatur Muncerus & socij, consilium dedit, vt eos eijcerent, nisi doctrinam miraculis confirmarent. Sic enim scribit ad Senatum & magistratum Mulhusinum, *sapienter eos facturos si Muncerum interrogarent à quo prædicandi acceperit potestatem. Si dicat à Deo, id ei probandum, & vocationem suam miraculo aliquo confirmandam. Id si facere non possit, extrudendum. Illud enim Deo proprium esse, vt voluntatem suam per miracula declaret, quoties vsitatum ordinem mutari velit.* Sic Lutherus ab alijs exigi iubet quod præstare ipse numquam potuit. Probe tamen norat Lutherus, has veræ & legitimæ, ac non falsæ aut adulterinæ Ecclesiæ esse notas. Bullingerus quoque (i) cum Anabaptistis de Pastorum vocatione disputans, ab eis extraordinaria signa & miracula exigere non dubitauit. Et Lutherus legem hic eam præscribit, quæ sane omnibus nouam doctrinam afferentibus os occludere debet, nisi vni ipsi, qui tamquam alter Mahumetes priuilegium hoc cœlitus sibi concessum iactat, vt sit *Elnabi*, id est, Dei interpres, etiamsi nulla faciat miracula. *Si quis forte*, inquit, (k) *ad vos venit, & concionandi potestatem petit, quærite an habeat missionis seu vocationis suæ testimo-*

a *Bucholtzer. in Chronic. Sleid lib. 5. Osiand. lib. 1. cap. 36. fol. 98. histor. Eccles.* b *Moded de auctor. Anab. fol. 67.* c *Luth. libr. de celest. proph. Bulling. lib. 1. de orig. Anab. cap. 2. fol. 3.* d *Iou. in elog. vir. Commina. libr. 8. cap. 2. & c. 19. Besold. diss. 1. fol. 27.* e *Lamb. Hortens. hist. Anab. libr. fol 12. b. 2. Bulling. de orig. Anab. lib. 1. cap. 3. fol. 5.* f *Actor. Sleid. lib. 4. & 5.* g *Coll. Mens. fol 153. Sleid. lib. 5. Luth. Tom. 2. fol. 4. 55.* h *Melanchton in hist. Munc. Luth. tom. 2. Ien. fol. 455. 456. ad Senat. Mulhusin. Sleid. lib. 5. fol. 99. & 104.* i *Lib. 3. c. 4. & seq. ad Anabapt.* k *Tom. 5. fol. 491.*

stimonium. Si à Deo se missum dicat, quærite vbi ipsius sint miracula. Gastius qui edito Basileæ An. MDLIV. libro multa notatu digna de Anabaptistis prodidit, inter alia dicit, (a) *rogatos quosdam de vocatione sua & miraculis, noctu in lacum quendam castello vicinum, ingentem vim piscium comportari curasse, quum deinde ipsos quacumque incederent ad Pœnitentiam vitæq; emendationem magno clamore cohortantes, (b) & extremum Iudicis aduentum annunciantes, ingẽs hominum multitudo sequeretur, ac multi ex ijs fame premerentur: vnum istorum præconum in genua prouolutum precari cœpisse, vt Deus populo esurienti prospicere ac bona sua largiri vellet. Deinde, retia & nassus afferri iussisse, ac cum socijs in lacum ingressum, incredibilem piscium copiam extraxisse, eosque assistentibus distribuisse, magno eum omnium, qui hoc adspexerant, stupore, quod antehac vix vllus in eo lacu piscis visus fuisset. Miraculum hoc statim vndiquaque fuit diuulgatum, & pisces etiam ad diuersa loca missi: multis ad hanc famam vndique confluentibus, & ad nouos hos Apostolos quos diuinos homines, & ad perditi Mundi salutem cœlitus missos dicebant, sese aggregantibus.*

Similis fere miraculorũ artifex Mahumetes fuit: qui quum Arabum miraculum aliquod ab ipso flagitantium petitionem diu eluisset, in montis cuiusdam vertice vnas aliquàm multas lacte plenas profunde defodit, populo deinde supra modum famelico, prostratus Deum inuocauit, vt doctrinam ipsius testimonio aliquo corroboraret. Peracta precatione, terram effodi, & cœleste illud donum scilicet, præter omnium spem inuentum, distribui iussit, barbaris illis magno stupore defixis. Menno Anabaptistarum Doctor præcipuus, in libro quem de libero scripsit arbitrio, ait, multos Lutheranos qui doctrinæ ipsius illusissent, subitanea morte perijsse: tum Vincentium nescio quem, Anabaptismum refutare aggressum, subito loquendi vsum amisisse. Ecce quomodo impostor hic Mundi simplicitate abutatur. Lindanus Ruremundensis Episcopus rem plane admitabilem narrat, cui tamen tanti viri auctoritas facile fidem addit. Dicit vero, nouisse se quosdam idiotas & simplices homines, qui quum ante nec vel litteram legere ac scribere possent, factos Anabaptistas, non solum S. Scripturam expedite legerint, verum etiam explicare præsumserint. Eosdem dein quum ad Catholicæ Ecclesiæ gremium redijssent (ô inauditam diaboli astutiam!) non minus quam ante omnium litterarum imperitos rursus fuisse. *Ego*, inquit, *diu existimaui fabulas esse quæ hac de re dicerentur, donec à Catholico quodam mihi noto monitus, vxorem ipsius ad Anabaptistarum concionem abijsse, eodem me contuli. Eò quum venissem, inueni ipsam in Biblijs legentem, iamque accinctam vt Baptismum reciperet. Quum vero eam inde abduxissem, ac librum, vt illum legeret, et exhibuissem, illa ne litteram quidem in eo se noscere confessa est.* Petrus Tyræus in libris suis De Dæmoniacis testatur Anno MDLX. se quoque Coloniæ sutorem veteramentarium, & alterum rusticanum, vtrumque Anabaptistam vidisse atque audijsse Biblia expedite legentes, quamuis eam artem nunquam didicissent. O periculosam ac metuendam maligni spiritus subtilitatem, quum prodesse videtur, maxime nocentis! Sed ad Muncerum redeamus.

VI. Omnia miracula quibus vocationem suam Muncerus probauit, eiusdem sunt farinæ cuius illa quæ primus ipsius magister Lutherus per Christianum orbem diuulgauit. Quanta verò hæc & qualia? *O miseros Euangelicos* (inquit quodam loco Erasmus) (c) *qui precibus suis nec claudicantem vllum equum sanare potuerunt! Miracula ipsorum sunt, ignis, sanguis, cædes & carnificina. Nec ipsorum Deus, Deus pacis est, sed dissensionis.* Hæc certe de Muncero vere dici potuerunt: qui vocationem suam nulla alia re probauit, quam quod omnibus in locis quæcumq; adijt, miserias & calamitates plena manu disseminauit, quibus tandem & ipse fuit absorptus, à Principum exercitu vnà cum copijs suis, profligatus & captus. *Quum impetus factus esset*, inquit Sleidanus, (d) *miseros homines velut attonitos ac mente captos neque se defendisse, neque fugæ salutem quæsijsse, sed carmen populare, quo sancti Spiritus petitur auxilium, cantasse: quod plerique Munceri pollicitationibus confisi (non minus frustra quam olim Baalitici sacerdotes) cœlestem opem exspectarent.* Muncerus è prœlio in oppidum Francusium profugerat, sed captus ibi, pœnas luit. Interrogatus à Georgio Saxoniæ Duce, quid ita miseros homines in fraudem pertraxisset, *Ego*, inquit, *feci quod cœlitus mihi fuit iniunctum. Hoc modo omnes magistratus qui doctrinam Euangelij recipere nolunt, coërcendi ac tractandi sunt.* Nebulo hic dum supplicium apparatur, vultu ac omnibus rebus tamquam Prophetam se ferebat. Quæstioni subiectus, inter ipsa tormenta, po-

a *Vide etiam Nicol. Bleesdick. de sect. Anab*
b *Boland. in histor. monast.* c *In sua Diatriba.* d *Sleid lib. 5. pag 101. Cyriac. Spang. Chron. Mansfeld. Pomar. Chron. Sax. suprà cit. loc.*

puli à se seducti simplicitatem risit: atque intrepido animo tam ludices quam ipsam mortem, cuius apparatum videbat, vltro prouocabat. Ad supplicij locum quum peruenisset, Principes hortatus est, *vt Biblia præsertim libros Regum diligenter legerent, ac verbum Dei discerent.* Hæc vltima ipsius fuerunt verba. Affirmant quidam, eum pœnitentiam egisse, in Catholica religione mortuum. Et Petrus Rebstock Lutheri commensalis, (a) ait magistrum suum post mortem Munceri, pro ipso preces ad Deum fundere solitum. E Munceri, Storckij & Hubingeri cineribus variæ Anabaptistarum sectæ enatæ sunt: è quibus deinde infinitæ aliæ rursus pullularunt. Post Munceri enim mortem ij qui supplicium euaserant, alijque in eius schola educati, Sectam suam & religionem ad eam formam quam hodie in plerisque Christiani Orbis prouincijs videmus, redegerunt, adiunctis ad illius somnia & visiones, multis alijs delirijs. Iidem vt Religioni suæ aliquanto plus gratiæ apud vulgus nouitatis auidum conciliarent, formam baptismi mutarunt, ab omni Christianitate ad illud vsque sæculum obseruatam; & ad nouarum suarum Ecclesiarum defensionem, noua regna erexerunt, vt sequenti capite ostendam.

QVOMODO ANABAPTISTÆ è Lutheranis prodierint. Et sectarum quæ inter eos, compaxatio.

Caput II.

ARGVMENTVM.

I. *E Lutheranorum schola Anabaptistas prodijsse.*
II. *Primi Anabaptistarum Ministri seu Prædicantes.*
III. *Lutheranismi & Anabaptistarum secta Collatio.*
IV. *Lutherani Zuinglianis turbas Anabaptisticas imputant.*
V. *De Ioanne Matthæo primo Anabaptistarum Propheta.*
VI. *De Ioanne Leidensi primo ipsorum rege.*
VII. *De eius & aliorum qui ab ipso exitu.*

I. ADESTE, ô miseri errones, & paulisper mecum considerate quot scholas Sathanas erexerit, postquam vester ille Lutherus ab Ecclesia discessit; Sed bene habet. Ipsi sæculi illius infelicitatem dissimulare non potestis. Sic enim in prima vestra Centuria exclamatis: O *infelix sæculum in quo tot ac tanti errores nasci ac renasci visi sunt!* Sed quæ causa est huius infelicitatis, ô Lutherani? Tundite vos vestra pectora, rigate lachrymis ora, induite cilicium, & conspergite vos cinere, ac patrum vestrorum culpam deplorate, hi enim sunt tantorum malorum auctores. At nisi propius accesseritis, eosque diligenter contemplati fueritis, vix erit vt recte eos cognoscatis; quum hypocrysin miris artibus occultent, & falsa alterius religionis arma præ se ferant. Sed laruam ipsis detrahite: sanguinem in facie, ignem in oculis, audaciam in fronte, & rabiosam spumam in ore ipsorum deprehendetis. Omnis hæc fæx & colluuies, quæ tanto furore ad arma concurrit, apud vos & è vobis nata est. (b) Verum quidem est, quemadmodum flumina non eundem habent saporem quem fontes; sic horum doctrinam ab illa quam Lutherus initio proposuit, aliquantum distare, atque alium velut gustum habere, ab illo tamen principium sortita est. Ad hoc probandum nullis mihi alijs testimonijs opus est, quam quæ ex vestrarum partium scriptoribus, Sleidano, (c) Bullingero, (d) Coruino, Gastio, Henrico Dorpio, (e) & Lamberto Hortensio, (f) citaturus sum: quandoquidem non nescio Hosij, Lindani, Cochlæi, Staphyli, Surij, Pratensis seu Du-preau, aliorumque auctorum Catholicorum testimonia non multum apud vos valitura.

II. Omnes in eo consentiunt, Anno MDXXXII. Bernardum Rotmannum Oecolampadij discipulum ab Hassiæ Landgrauio in Germaniam inferiorem, vt Lutheri ibi Euangelium annunciaret, missum, à ciuibus quibusdam Monasterij (quæ est primaria VVestphaliæ vrbs) in suburbio receptum. Is quum se solum tanto oneri imparem putaret, aliquos adiungi sibi petit quorum opera adiuuaretur. Additi ergo ei collegæ Hermanus Stapreda & Gotofridus Strabenius. Stapreda quamuis Lutheranum se ferret, præceptorem habuerat Henricum Rossium, de quo paullo ante Traiectenses ob Anabaptisticum supplicium sumserant. Quemadmodum vero extraneæ hirundines, in triremi Antoniana eas quæ iam ibi nidificarant ac quasi ius

a *Tom. 1. Coll. pag. 49.* b *Vide inquisit. Euang. Ederi fol. 52. & seq. & Bellum 5. Euang. c. 10.* c *histor. com. libr. 10.* d *Libris 6. de orig. Anab. & lib. 2. cap. 8.* e *In histor. Monast. An. 1536. excusa.* f *Libr. de orig. Anab. fol. 7. a. 4. Sebast. in Chron. par. 3. tit. de Anab.*

ius ciuitatis acquisierant, expulerunt, & expulsarum nidos insederunt: atque vti erinaceus gelu & pluvia contractus in cuniculi latibulum receptus contra pacta hospitem suum aculeis recalescens expulit; sic noui hi homines nescio quibus artibus Catholicis ciuibus profligatis, vrbem in suam potestatem redegerunt. (a) Introducti à dementato populo noui præcones, in priuatorum ædibus conciones habere iubentur, quod templorum fores à Catholicis essent occlusæ, sed ad ipsa sibi vi & ferro aditum recluserunt. Eodem tempore Monasterium venit sarcinator quispiam Hollandus, Leidensis, homo vilis conditionis, sed postea toti Germaniæ formidabilis (b) *Is Catholicorum & Lutheranorum* discordia & contentionibus allectus, occasionem hanc suas opiniones disseminandi valde opportunam sibi non negligendam putabat. Erat vero Anabaptista vehemens, astutus, eloquens, & mediocris lectionis: audax insuper & ad omnia proiectus. Is contracta cum Lutheranis ministris familiaritate, cum ijs initio de parvulorum baptismo contulit, tantumque effecit, vt sicut antea è Catholicis Luthrani, sic è Lutheranis mox Anabaptistæ facti sint: quæres non Monasterienſem tantum vrbem, verum etiam totam VVestphaliam ac vicinas regiones grauissime afflixit, ac pænè pessum dedit. Bullingerus (c) Rotmannum hunc *sacerdotem* vocat; sed addere debebat, *apostatam*, ob summam hominis leuitatem: quamuis Melanchthon in epistola Anno MDXXXII. (d) in Vigilia Natiuitatis ad ipsum scripta, honesto eum ornet elogio vti mulus mulum monens præcipuè ne ingenij sui acrimoniam miseris Zuinglianorum quæstionibus implicari aut fatigari sinat, Vtrum Christus cœlo inclusus & affixus sit, &c. Hic ille fuit Rotmannus, cuius operâ templa deiecta, atque omnia sacra contaminata sunt. Vt enim diabolus semper est diabolus, sic hæretici semper sunt hæretici, ac tam ductori & doctori suo quam sibi inter se similes. Historia Cœnæ Augustanæ huius Rotmanni mentionem facit, vt qui è Lutherano Sacramentarius, & è Sacramentario Anabaptista sit factus nempe iuxta Philosophum: *vnius corruptio, alterius generatio.* Impius hic homo quum aliquando cœnam suo more populo ministraret, in totius cœtus conspectu acceptam hostiam fregit, (e) exclamans: *vbinam ô fratres, est caro & sanguis ille?* Deinde in terram proiecit, ac per illusionem, *si* inquit *hoc sit Iesu Christi corpus, annon putas in altare quam primum se recepturum, & missō cœlitus igne iniuriam hanc vindicaturum?* Hoc eodem argumento hodieque Sacramentarij, Zuingliani & Caluinistæ vtuntur. Sed nihil propterea de fidei constantia & firmitate remittere, sed potius Dei patientiam admirari oportet. Dei prouidentiam quodammodo negare videntur, qui existimant Dei manum ad blasphemos vel cœlesti fulmine percutiendos vel hiatu terræ absorbendos semper armatam esse debere aut miracula patrare, quæ sibi adlibuerint. More eorum qui ipsi Domino dictabant: *Si filius Dei es dic vt lapides isti &c. Et si filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credimus.* Exspecta ait S. Bernardus, nunc patientiam habet Dominus, postea te confutabit. Sic pagani quoque Filij Dei incarnationem negabant, parum eius Maiestati conuenire arbitrantes vt ad vilioris naturæ conditionem se dimittat; ac multo magis passionem eius & mortem, vtpote ignominiam & infamiam plenam. Iniuriæ illæ quas Iesus Christus in proculcata aut confixa hostia accepit (quamuis has nostro (f) quoque non minus quam S. Augustini tempore vlrus sit (g) non solum non ad eius diuinitatem, sed neque ad corpus eius pertingunt, quod immortale est & impassibile; neque vlla hic res malitiam illam hominum patitur quam species exteriores. Sed ad Monasterienses reuertamur. Postquam noui hi Apostoli Rotmanni potissimum ductu, ciuitatem expulsis Catholicis & Lutheranis, suæ potestati subiecerunt, populus vniuersus rebaptizatus fuit, partim vi & metu, partim simplicitate quadam, quod, iram Dei metuerent, quam isti tantopere minabantur, per vrbem discursantes, & alta voce exclamantes: *Pœnitentiam agite, & rebaptizamini, &c.* (h) Quatuor igitur hi Ministri seu Prædicantes, in Lutheri schola primum instituti, memo-

a *Sur. cum hist. an 33. fol. 230. Cochl. in Act. Luth. fol. 287. M. Kerssebrah. hist. furoris Anab. Monast. Methonius in Hist. Anabap. Dorp. hist. monast. b. 1. & c. 11. a. Bulling. de orig. Anab lib. 2. cap. 8. fol. 46. & 47.* b *Modestus de auth Anab. fol. 87. Hortens. lib. 2. de Anab. fol. 25. & seq. Sleidanus lib. 10. c lib. 2. cap. 8.* d *Eam epist. ad Rot. recitat. Selnec. fol.* e *Vide Dorp. an. 33. b. 1. &c.*
f *Leuchtius spec. Exempl. catechis. Historialis &c.* g *Opt. lib. 6. Chrys. ep. 1. ad Inn.* h *Boland. in hist. monast. lib. 3. Bulling. lib. 2. cap. 8. pag. 47. Hortens. fol. 61. Eder. in inquisit. Euang. fol. 52. Prateol. catalog haretic. tit. de Anab. Methonius in hist. Anabapt.*

res è magistro sæpè se audiuisse, Sacramenta sine fide recipi non posse (a) eoque nomine VValdenses ab ipso reprehensos quod infantes baptizarent in eam fidem quam adulti essent habituri (valde enim errant qui Waldenses cum Anabaptistis sentire existimant, quorum illi errorem in Apologia sua aperte detestantur) atque adeo professum esse, melius esse vt infantes sine baptismo relinquantur quam sine fide baptizentur: hanc Propositionem, vt Hosius (b) & Staphylus scribunt, doctrinæ suæ fundamentum constituerunt. Hinc Balthasar ille Hubingerus, de quo supra gloriatus est se habere Lutherum opinionis suæ auctorem atque assertorem: de quo ille postea conquestus, & numquam infantium baptismum à se reprobatum professus est frustra, nam qui asseuerat satius esse infantium baptismum omitti, quam sine propria fide baptizari, certe pædobaptismum improbauerat, cum euidens sit infantes propriam fidem ante baptismū habere non posse. Atqui etiam antequam Balthasar Anabaptisticæ Sectæ vexillum extulisset, iam Roffensis Episcopus & Cochlæus Luthero errorē de pædobaptismo publicis scriptis exprobrarant. (c) Et Lampertus Hortensius, qui integrum librum De Anabaptistis scripsit, quamuis Lutherum à calumnia hac, vt ipse dicit, purgare satagat, fatetur nihilominus eius librum De libertate Christiana in Germanicam linguam conuersum, nonnullam turbis illis occasionem dedisse. Eoque Cochlæus ad Saxoniæ Ducem recte scripsit, *(d) Si Hubingerus iusto ignis supplicio sit affectus, cur Lutherovita permissetur, qui infœlicis illius sectæ primus esset auctor?*

III. Quod si quis duas has Sectas inter se conferat, multis in rebus similes esse deprehendet vt ex vna radice pullulasse non possit negari. Anabaptistæ manuum suarum labore viuunt, nec cuiquam in ipsorum cœtibus ocioso viuere licet. Ideò Prædicans è cathedra in officinam suam se confert, aut etiam in agro stiuam rursus apprehendit, vt infra ostendam. Aiunt enim hoc à Deo ita mandatum esse, dicente: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Eadem imaginatio Lutheri ac Melanchthonis animum initio subierat, adeo vt dicerent, omnes Artes liberales tamquam inutiles & quibus adolescentum ingenia frustrà detineantur ac deterantur, è Republica proscribendas, ac solam agriculturam aliasque ad vitam sustentandam necessarias artes excercendas esse. Atque hanc ob causam Staphylus ait, multos agris colendis & pecori pascendo operam dedisse. (e) Quin ipse Melanchthon pistori operam suam addixit, vt victum sibi compararet: (f) & Carolstadius, vnus ex primis Lutheri discipulis, stiuæ manum admouit, ac ligna vænalia VVitebergam conuexit. (g) Sed Lutherus è Pathmo sua reuersus, ab hoc instituto eos diuertit, vt supra dictum est 2. Anabaptistæ nullum alium librum quam sacra Biblia legere volunt, eoque omnes reliquos libros in ignem conjecerunt. Annon eadem fuit Lutheri opinio, Anno MDXX ad Germaniæ Nobilitatem scribentis? quod nimirum Aristoteles, Plato, & alij eiusmodi libri ex Vniuersitatibus ejiciendi sint; & etiam figulus maiorem habeat rerum naturalium intelligentiam quam omnes illi Philosophi. (h) Ex quo factum est, vt multi libros omnes combusserint, solo Bibliorum codice excepto: in quo aiebant omnes artes, omnes scientias contineri. Immò quibusdam in locis publicæ scholæ clausæ fuerunt, vt supra dixi. Anabaptistæ, inquit Gastius, bonas litteras & Philosophiam contemnunt. Id quod etiam Vadianus ad Bullingerum testatur. Quam quidem illi opinionem etiam S. scripturæ auctoritate tuentur. Idem facit Lutherus, (i) allegans illud D. Paulli ad Colossenses cap. 11. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa Mundi, & non secundum Christum.* quem ille locum, vt supra, insigniter in Germanica versione corrupit. Ab illa vero sententia Lutherus non multo post discessit, vt ex libro eius *De Scholis instituendis* videre est: vti & Melanchthon, edito *De legibus* libro, & alij plerique Lutherani: in qua tamen Anabaptistæ pertinaciter adhuc manent. Quamuis de Lutheranis etiam Vadianus & Gastius [k] scribant. Multos adhuc reperiri Pastores Euangelicos, qui indiscreto quodam zelo abrepti, in ea sint hæresi, Pastoribus ad pascendum gregem Domini, nullis alijs scripturis aut de Philosophia scriptis libris, sed Sancta tantum scriptura vel Biblijs opus esse. 3. Anabaptistæ Magistratum ferre recusant, vsi ad hoc scripturæ testimonijs male detortis. Lutheri libri *De sacu-*

lari

a *Supra cap. 2. ex Vlenberg.* b *Lib. 1. de hæres. nostri tẽp. p. 431. 00. 2.* c *Hos. ib fol. 432. Cochl. in Act. p 101. & 103. Hortens. in princ fol. 8. a. 4.* d *Cochl. ep. ad Georg. D. Sax.* e *L. Osiad. cet 16. lib. 1. c. 23. p. 85. Coch. in Act. p. 72. & 126. a. 25. Sur. cõm. hist. a. 1522. p. 115. Selnec. hist. Conf. Aug. fol. 26. Sleid. lib 3 fol. 60. & seq. Pom. Chron. Sax. a 22. Cythr. Fabr. & aly. Hist. cõf. Aug. a 24. p 38* f *Vid. ipsi Præf. sup Annot & Alb. cõt. Car* g *Bismarc. in Vita Carl.* h *Vid. Staph. de Ger Bibl. vers. & de Luth. cõcor.* i *Luth. lib. 2. ad Nob. Germ. de libert. Christ.* k *De Lut.*

lari Potestate, De Captivitate Babylonica, & Epistolæ contra Caroli V. Cæsaris Edictum, quid aliud loquuntur? Anabaptistæ suos ab armis & eorum vsu abstinere volunt. Annō hæc eadem vna fuit ex primis Lutheri opinionibus? qui etiam ne cōtra Turcam quidem pro Iesu Christi nomine pugnandum esse scripsit, vt suo loco dicam. [a] An non Zuinglius Tigurinos impediuit, quominus cum Galliæ rege, vt alij Heluetiorum pagi, fedus inirent, Equibus patet Anabapistarum doctrinam in multis Lutheranæ esse conformem.

IV. Coruinus in Dialogis suis ait, Anabaptistarum doctrinam è Zuinglij schola prodijsse, qui in libro *De baptismo*, XVIII. Conclusione asserit, parvulos instituendos esse priusquam baptizentur, & vbi discretionis annos attigerint, tum demum esse baptizandos. Et Hubingerus quoque, vt Eccius scribit, Zuinglium opinionis suæ adstipulatorem citauit, adeoque litteras ab ipso huius rei testes, habere se dixit. [b] Et hanc fortasse ob caussam apud Gallium Anabaptista quidam Zuinglio exprobrat quod ab ipsis defecerit. Idem ex Bullingeri libro contra Anabaptistas colligi potest, vbi initio statim Disputationis cuiusdam Tiguri inter Hubingerum & Euangelicos Ministros habitæ, mentionem facit: in qua ait Anabaptistarum quēdam Zuinglium ita aggressum: *Aduro te, Zuingli, per Deum viuum, vt veritatem dicas. Sperabat enim*, inquit Bullinger, *se hanc ab eo confessionem expressurum, parvulorum baptismum diaboli esse inuentum. Zuinglius tum quidem quantum potuit, verbis sese purgare, ac postea Hubingerum scripto refutare conatus est: Anabaptista nihilominus in Apologia sua multos tam ex Zuinglij quam Lutheri libris ad errorum suorum confirmationem textus allegant. Quin ipse Zuinglius Lib de Baptis fatetur se aliquando in eo errore fuisse, vt credideris. melius esse vt parvulorum baptismus vsque ad annos discretionis differatur. Paullo post vero ibidem inquit, Infantium baptismum tanti non esse momenti, vt propterea tanta Tragedia excitanda sint. Ab Ecclesia vel admitti vel tolli posse, prout illa nec essarium aut vtile iudicauerit.* Annon hoc est reipsa Anabaptismū introducere ac stabilire? An calumniatores dicēdi sūt qui affirmāt Lutherum & Zuinglium primos hanc Camarinā mouisse?

V. Stabilito Monasterij & in alijs quibusdā vicinis oppidis Anabaptismo, nouoq; creato magistratu, magna Anabaptistarū multitudo vndiq; eo cōfluxit. Eodem fere tempore VVormatiæ ex eorum numero quidam Iacobus Kautzius nomine, incredibili audacia Electorem Palatinū in publicis concionibus prouocare ac traducere nō dubitauit, inquiens inter alia: *Non me expelles, nec permittam me à te expelli, nisi prius regio hac tota, ac regna insuper aliquot propterea deuastentur. Neque enim à te huc missus aut vocatus sum, sed à Domino destinatus ad docendum.* Sed de hoc monstro qui plura cognoscere cupit, Cochlæum legat (c) inter eos qui Monasteriū concesserant pistor quidam fuit ex Hollandia, Petrus Matthæus nomine, (d) primarij Prophetæ nomine insignis. Hic quam primum eò veniisset, diuinitus mandatum sibi esse dicebat, vt omnes libri, solis exceptis Biblijs, in vnam struem congesti, exurantur: vtque omne aurum & argentum in publicum locum comportatum, æqualiter distribuatur. Difficile erat quidpiam abscondere: quod duarum sagarum seu diuinatricū operâ Prophetæ hic etiamsi secretissimum esset non erueret (e) Post huius mortem (vltrò enim ad Episcopi qui vrbem obsidione cinxerat, castra procurrerat, à milite exceptus & confossus) ipsius locum occupauit Ioannes Leidensis, de quo supra: quo nequiorem vix vlla sæcula tulerunt. Hic rerum potitus, Edictum proponit de polygamia, cuius summa erat, *virum non esse vni deuinctum vxori, sed licere quantumuis multas ducere.* Mox vt suo exemplo alios incitaret, ternas duxit vxores, quibus deinde adhuc XI. superinduxit non aliter quam emissarius equus ex vno iumento in aliud insiliens, quamuis fronte non nisi castitatem præse ferret. Omnis ipsius comitatus breui tempore nihil aliud erat quam canum & olidorum hircorum grex, vt cum Saluiano loquar: qui in tanto scortorum numero, tot feminis commiscebantur, ad quot libido sufficiebat. Exemplum Prophetæ sequuti reliqui quoque alij tres, alij quatuor, alij plures ducunt. Legerat nempe Propheta hic quæ Lutherus, è cuius libris doctrinæ suæ plerosque articulos hauserat, in Genesin scribit, vbi (f) quæstionem illam discutit, An Abraham rectè fecerit, tot vxoribus superductis? Ac tandem ita concludit: Ego, inquiens, *consuetudinem hanc introducere nolim. Sed*

a Luth. tom. 2. Ien fol. 58. b & 435. tō. 6 VVit. fol. 577. b & 779 a. tō. 1. Ien. p 429 a. Tō. 7. VVit. fol. 130. & tō. 2. VVit. p. 539. Cochl in Act. a. 29 p. 200. Surius. Cunr. Andreæ in Christ. Luth. vid. bell. Euang. c. 10 b Mycō. in Vita Zuingl. Bull. lib. 1 c. 4. 5. 6. & 7. c In Act fol. 190. b. 191. a. d Nicol. Bleesdick lib. de Dav. Georg. Boland lib. 3. hist. Monast. e P. Heuter. histor. Belg. lib 10. p 476. an. 34. Hortens lib. de Anab. p 16 b. 4. Kersenbr hist. Anab. Monast. f Dorp. hist. Monast. t. ij. a. Sleid. lib. 10. fol. 230. & seq. Her. à Mēg. in relat. hist. g Expl. In Gen. A. 1525. ed.

Sed nec reprobare auſim, quum ſanctorum Patriarcharum exempla habeamus. Quod ſi gentiles olim crediderunt, Iouem qui tamen ipſemet erat adulter, abſtruſas etiam nemorum cauernas, luxuria contaminatas, fulmine petere: quanto magis verus noſter Deus infamem hanc & publicam luxuriam ſulphure & igne puniet? Interim hircus hic oliditſimus eos, qui ſe ijs quæ à Deo, vt iactabat, ipſi reuelata eſſent, opponere auderent, gladio & alijs modis necabat. Et quemadmodum olim magnus ille tyrannus Attila Hunnorum Rex, vt crudelitatis ſuæ odium in Deum quodammodo deriuaret, Dei flagellum ſe dixit; ſic impius hic, vt ſcheleſtiſſimis ſuis dogmatis & factis colorem aliquem quæreret, Nuncium ſe Dei, & mandatorum eius Exſecutorem ferre non erubuit.

V. Ex Propheta demum Rex factus, publice coronam ſumit, in foro ſolium ſibi panno veſtitum aureo fieri curat, pro regum conſuetudine deligit ſibi proceres aulicumque comitatum, ex ornamentis eccleſiaſticis precioſe amictum. Quoties in publicum prodibat, Caronianam quandam grauitatem vultu præſeferebat. Ante eum equitabant adoleſcentuli bini; quorum dexter Biblia aureis laminis cooperta, alter euaginatum enſem geſtabat. Ibi omnes, niſi ſe ſatis vixiſſe arbitrarentur, in genua & ad pedes eius ſe proſternebant. Ipſe manu aureum orbiculum ferebat, his in ſcriptum litteris: Rex Ivstitiæ In Terra. (*a*) In omnibus verò tanta grauitate atque adeo maieſtate vtebatur, ac ſi rex natus, atque ad regnum educatus fuiſſet. Habeo eius effigiem corona capite, & collo craſſam auream catenam geſtantis, cui appenſus eſt orbiculus duobus gladijs transfixus, qui pectus attingit. Lateri eius adiuncta eſt primaria eius regina, Anna Delphonca nomine, inſigni forma mulier, pallio precioſiſſimis pellibus ſubducto amicta, & ingenti fibula connexo, cui addita eſt aurea lamina, in qua orbiculus itidem viſitur, duobus gladijs transfixus. Sicut olim Romanorum Imperatores, Reges Aſſyriorum. Mauritanorum Seriphij regiam Maieſtatem cum Pontificali dignitate coniunxerunt; ſic nouus hic rex quoque cœnam celebrans, ſacerdotis munus obibat, & panem ipſe ſingulis, Regina vero poculum porrigebat, iiſdem quibus Sacramentarij verbis: *Accipite, comedite, annunciate mortem Domini.* (*b*) Et hoc quidem modo Cœnam ille durante obſidione inſtituerat, in qua ſimul (vt etiam apud Belgas & Scotos fit) omnes, circa quatuor millia diſcubuerunt. Ait Lutherus, *non hanc fuiſſe exercitati alicuius, ſed rudis adhuc cacodæmonis technam; vel ſi ſit exercitatus, certè à Deo catenis ita reuinctum fuiſſe, vt ſubtilius inſidiari non potuerit.* Ita Lutherus de pullo ſui Magiſtri, à quo ipſemet fuerat altius artes edoctus Alſteti, & alibi, ut libro primo inſpeximus, decebat enim, ſi tamen in Sathanæ regno decentia vel ordo tenetur, ne diſcipulus eſſet ſupra magiſtrum. Cauit igitur gloriæ ſuæ his verbis Lutherus, ne alterius hæretici ſpiritus ſuo ſpiritu glorioſior videretur, pariter de ſe Cacodæmonem confeſſus, cũ alienum dæmonẽ ſuo, in excellentiæ certamine ſuccumbentem, inducit. Porro inter cænandum rex idem Anabaptiſtarum ſurrexit, & quendam, quem proditionis tamquam alterum Iudam inſimulabat, ſua manu decollauit, neſcio quem Chriſtum imitatus, niſi forte alium illum, qui antichriſtus ducitur & abinitio homicida fuit. In illa vero cæremonia ſeu actione cænali coronã eximiam capite, multos vero precioſos annulos digitis geſtabat, aureo pallio amictus. Mira res! mira puritas Euangelij à Luthero in orbem ex ſub ſcamno reproducti! In quâ multo ampliorem & veriorem antitheſin, Luthere, habebas, quam in Chriſto & Papa Romano, quam in aula Torgauienſi pinxiſti. Sed pompam hanc ſi vis, latius vide apud Lutherum deſcriptam (*c*). In omnibus vero ſcriptis & libris ad hoc ſe miſſum ferebat, vt Ieſu Chriſti regnum inſtitueret, & ſcripturæ myſteria recte interpretaretur. Ad quam doctrinam denunciandam è ſuorum numero delegit XXVIII, qui, velut Pandora illa fabuloſa, vna manu ſalutem, altera maledictionem Mundo ferant; (*d*) Hos ille ſecum cœnatos emittit, & quò cuique proficiſcendum ſit demonſtrat, dato cuique præter viaticum numo aureo, quem ijs in locis quæ doctrinam ipſorum non admitterent, relinquere iubentur, teſtimonium ſcilicet futuri interitus & exitij ſempiterni. Hi quum egreſſi ad ſuum quiſque locum veniſſent, horribili voce per oppida paſſim illud *Pœnitentiam agite*, ingeminabant; ſeque à Deo & Propheta eius, nouæ Hieroſolymæ rege, ad hoc miſſos dicebant vt Euangelium hactenus numquam recte

a *Vide Hortenſ. libr. de Anab. fol. 33. c. 1. Bulling. lib. 2. c. 9. p. 50. L Oſiand. lib. 2. cap. 33. cent. ibid. fol. 240. b Pont Heuter. lib. 10. fol. 477. & lib. 11. fol. 490 Dorp. & Hortenſ ibid. Alber lib. contra Carlſtad. c Tom. 2. VVitteb. pag. 414. d Sleid lib. 10 an. 1532. Boland lib. 4 hiſt. Monaſt. Daniel Suſat. in confeſs. prad. ſuſ.*

recte intellectum interpretarentur, eosque rebaptizarent: vt qui aliter regnum cælorum adipisci non possent. Multis iam sæculis vniuersum Mundum à Papa fuisse seductum. Sed & Lutherum dum omnia interpolare velit, omnia corrupisse.(a) Vnus eorum, Knipperdolingus nomine, nihil scilicet nisi sapientiam vt sibi videbatur exhalans, (ego stultitiam dicam aut impietatem) obuijs in os insufflauit, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum*. Mira quidem, inquies, res. Sed tamen talis, quam eandem veterem hæreticum Marcum fecisse, Irenæus lib. 1. testatur. Missi isti, noui Apostoli, plerique capite diuersis in locis multati sunt, ac vnus tantum ad regem est reuersus. Idem in Hollandiam postea alios ablegauit, nimirum Iacobum Campesium, & Ioannem Matthiam, quorum opera Anabaptismus ibi valde fuit propagatus, vt & in Frisia, quo Ioannes Galleus missus fuerat. Quocunque illi venerunt, magnæ animorum mutationes ac turbæ exortæ sunt, præsertim Amsterodami, vbi tres de nouis illis Euangelistis, tamquam Spiritu S. correpti, per plateas discurrerunt, primus clamans, *Ciuitas noua est Dei infantium*: secundus, *Pœnitentiam agite, emendate vitam*: tertius, *Maledictio super omnes malos*.(b) Quæ præterea sub nouo huius regis ac Prophetæ regno contigerunt omitto: vt quæ ab Henrico Dorpio, Lamberto Hortensio, Kersenbrochio, Bolando, & Arnoldo Meshouio accurate ac prolixe sunt descripta.

VI. Occupato, vt diximus, ab Anabaptistis Monasterio, Germaniæ Principes, vicini præsertim Episcopo Monasterienſi Francisco Waldeccio, ciuibus que exulantibus auxilia decernunt, ac post inauditam fere famem (nam & infantes à parentibus comestos Coruinus scribit) vrbem in potestatem redigunt, capto inter alios ipso quoq; rege, & augendi supplicij ac terroris cæteris Anabaptistis incutiendi causſa per diuersa loca circumducto.(c) Per hanc occasionem, Landgrauij concionatores cum eo sermonem contulerunt ac disputarunt, de regno Christi, de Magistratu, de Iustificatione de Baptismo, de Cæna, de Incarnatione, de Coniugio; eoque illum tandem redegerunt, si Sleidano credimus, vt in plerisque assentiretur, & quidni assentiretur? quippe ex eodem ouo Luthero prognatis Alias ex domesticis Monasterienſium historijs constat, peruicacem alienumque à Catholica fide Spiritum retinuisse, nam ad Episcopum adductus & rogatus, qua fretus auctoritate regnum sibi in ciuitatem ac populum arrogasset, respondit, se diuinitus eò vocatum, hancque voluntatem vni ex Prophetis suis Deum manifestasse. Merito igitur Coruinus (& ipse Lutheranus æque ac Sleidanus) qui huic disputationi interfuit, Sleidanum imposturæ arguit, scribens eum in plerisque suis erroribus perseuerasse. Sic enim scribit: *Bone Deus, quas nugas ille nobis de regno Christi temporali afferebat, vsus ad hoc testimonijs quibusdam ex Apocalypsi petitis! Quanta obstinatione in errore de paruulorum baptismo persistebat! quem à Papa institutum aiebat. Neque ab hoc errore dimoueri potuit. Et quemadmodum pertinacia vltimum est ignorantium refugium; sic ille mille potius mortes subiturum se dicebat, quam ab hac opinione discedere. De Cœna Domini rogatus, confessus est, initio se cum Zuinglio & Zuinglianis sensisse; sed diuinitus postea sibi reuelatum, Lutheri opinionem esse meliorem. Iudam vero Iesu Christi corpus recepisse ac comedisse, aut quemquam impium id recipere, præfracte negabat.*(d) *Instantibus, Sacramentorum virtutem non à nostris meritis sed verbo Iesu Christi dependere, nihil aliud respondere potuit, quam quum ipsi crederent quod vellent, permitterent sibi quoque credere quod maxime verum videretur. Vnum quemque suo sensu abundare.*(e) *Credere in Sacramento hoc esse Corpus Christi, atqui non in vsum impiorum, sed piorum. Ad humanã Christi naturam quod attinet, eum ex Maria Virgine natum fatebatur, sed eo modo quo Sol per vitrum traducet. Vbi vero scripturæ testimonijs victum se sensit: Lutherani, ait, valde caci sunt atque imprudentes, qui si meam velint amplecti sententiam, omnium argumentorum quibus Zuinglius in disputatione de Cœna vtitur vim euanescere videbunt. De Polygamia fassus est, eam rem esse noui exempli nunc* (f) *Quum vero Deus eam in veteri Lege SS. Patriarchis pro peccato non imputarit, se quoque Electis eam pro peccato non imputaturum. Si tamen à magistratu prohibeatur, ei obediendum esse. In eo enim quod magistratus auctoritatem ac potestatem, siue boni siue mali, in dubium reuocasset, errorem suum fassus est* (g) *hocque vnum caput retractauit, nisi quod de Iustificatione idem fere cum Lutheranis se sentire declarauit, hominem scilicet sola fide iustificari.* Reli-

a Sur. in hist. com. an. 34. fol 235 & seq. Cochl. in Act. pag. 287. Kersebr. histor. Monast. b Hortens. fol. 61. b. 3. Dorp. & Kersebr. hist. Monast. c P. Heut. lib. 11. hist. Belg. p. 491. Sleid. lib. 10. fol. 237. d. cent. 16. Osiand. cap. 31 lib. 2. fol. 235. & seq d Id docet Caluinus. e Hortens. fol 7. & Boland. lib. 3. & 4. f Osiand. cent. 16. cap. 32. lib. 2. fol. 2. 9. g Eder. inquisit. Euang. pag. 52. Bucchinger in Chron. Eccles. fol. 340.

qui enim Anabaptistæ, vt in Oecolampadij disputatione & apud Gastium (a) videre est, docent nec Christi meritis nec Fidei omnia, sed aliquid etiam bonis Operibus tribuendum esse. Maior vero fuit sociorum ipsius Knipperdolingi, & Krechtingi obstinatio, vt qui nec vllum delictum faterentur, & sua ad extremum pertinaciter defenderent.

Quum supplicio constitutus dies venisset (*Anno 1536. mense Ianuario.*) admonitus Rex vt peccata sua fateretur, seque ad mortem pararet, oblato ad id sacerdotis ministerio, non recusauit. (b) Longum vero cum eo sermonem habuit Ioannes Siberus, à quo Coruinus illa de Regis in erroribus, ac potissimū de baptismo & humana natura Christi, perseuerantia, accepisse se scribit. Sed nec Knipperdolingus, nec Krechtingus vllam admonitionem admittere voluerunt; mirabili nihilominus constantia, vel rabiosa potius contumacia in medijs tormentis, ob Christi amorem se mortem oppetere gloriantes. Sic igitur ignitis forcipibus, quæ ad perpetuam scelerum detestationem vncis & plumbo ad columnas Curiæ Monasteriensis ciuitatis affixæ visuntur, lacerati atque excarnificati, infelices tandem animas efflarunt (c) ad altissimæ iuxta forum, in quo multoties peccaueranr, turris peribolum exaltati & ferreis caueis seu clatris ternis inclusi, tanquam feræ intra caueas computruerunt. Hunc progressum & exitū habuit, Monasterio Westphaliæ submissum à Landgrauio Hassiæ Novum de sub scamno & pulvere erutum Euangelium. post cuius experimentum Vrbs eadem altius sapere cæpit, facta domicilium insigne reducis in eam Catholicæ religionis. Sed non cum istorum vita, secta quoque exstincta fuit, vt quam alijs in locis iam altas radices egerat. Rotmannus maximus in ea vrbe hæresis author desperatis rebus, in mediam hostium aciem cum vrbs caperetur incurrens, voluntaria morte supplicium præuenerat alias paria cum Rege supplicia luiturus. Post hæc multi alij quoque è plebe varijs supplicijs absumti sunt, tanta plerorumque peruicacia, vt vix credibile fieret eos qui tam alacriter mortem pro sua fide subibant, tantorum criminū, quæ ipsis imputabantur, reos esse. Sed habent etiā peccatores, cum in profundum venerint, duritiē, constantiæ simulatricem, vt ille latro, cuius ossa cum frangerentur securi, ad carnificem conuersus vultu erecto, aiebat; parum abest vt ea ratione pedes inidoneos reddas. Lutherus (d) vero apud Principes & iudices publico scripto pro ijs vtpote filijs suis interceſſit, *valde hanc miserorum carnificinam sibi displicere inquiens: quum vnicuique quæ velit credere liberum esse debeat. Quod si quis non credat quæ debet, eum satis superque in sempiternis illis flammis supplicij daturum. Frustra ergo temporales pœnas infligi.* Sic Petillanus quoque apud S. Augustinum dicit: *Absit à nobis tanta conscientiæ oblivio, vt quemquam ad nostram religionem velimus cogere.* Et apud eundem Gaudentius itidem hæreticus: *Nos*, inquit, *vi quemquam apud nos retinere nolumus, vt qui didicerimus neminem ad fidem Dei nostri cogendum esse.* Consilium hoc Lutheri de Anabaptistis non vexandis sequuti sunt Brusselius in suis Pandectis, Vrbanus Regius in Locis communibus, & Brentius in prologo qui ex professo ea de re editis libris asseruerunt, eis vitam non modo non adimendam, sed conscientiæ quoque libertatem permittendam esse. Atqui non hæc Lutheri mens fuit, quum amici & patroni sui factum, quo is Iudæum artificiose vt putat, homicidio iniquissimo ad cœlum demiserat, tamquam heroicum & vere Christianum laudauit, qui in impijssimos homines Dei & hominum perduelles reos & euidenter conuictos per magistratū iure procedi reprehendit. tantus fuit ille vertumnus. & qui iam ante manus voluit & iussit in sanguine innoxio Papæ & Cardinalium lauare Imperatores & Reges, is ignibus & rotis dignos iubet liberos dimitti. O pudendū Euangelistam! res vero cum Iudæo gesta & à Luthero laudata eo modo perscribitur.

Franciscus à Sickingen, Landtalli toparcha Lutheri, vt Sleidanus ipse testatur, valde studiosus miles, dū per Mœnum fluuiū Francofurto Moguntiam descendit Iudæum in eadem naui nactus, de religione disputare cœpit. Quum Iudæo verba quædam liberiora quam vtriusq; conditioni conueniret, excidissent, Franciscus, vt erat magnis viribus, hominem medium arreptum de naui in flumen proturbat, manu tamen suspensum tenens, eum inclamabat vt Iesum Christum pro Deo & seruatore suo agnosceret, ac baptizari se pateretur, nisi aquis vellet suffocari. Iudæus mortē præsentem ob oculos videns, misericordiam implorans, Iesu Christi nomen profitetur, ac baptizari petit. Ibi Franciscus haustam cauamanu è fluminea aquam ter capti eius inspergit, addita solenni for-

a *Lib. 1. fol. 248.* b *Heuter. lib. 11. fol. 491.* c *Sleid. lib. 10. fol. 238. Hortens. lib. de Anab. fol. 81. l. 1. Bulling. lib. 2. de orig. Anab. cap. 11.* d *Luth. Tom. 4. Germ. fol. 319. b.*

formula, *Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Baptizatum inde extracturum simulans, miserum hominem in imum detrudit & submergit, aiens: *se hominem hodie Deo lucrifeciſſe, & ad cælum miſiſſe, qui ſi euaſiſſet inde, ac ſpacium colligendi ſe habuiſſet, proculdubio olim* ad Diabolum rectà iturus fuisset. Factum hoc tanquã crudele pleriq; detestati sunt, Lutherus tamen laudauit. Erat enim hic vnus ex ijs qui VVormatiam ipsum deduxerant, & cauſſæ eius imprimis fauebat (*a*). Sed iam ad III. caput transeamus, in quo ordinem & politiam Sathanicæ huius Synagogæ, & singulares quosdam Anabaptisticæ Fidei, è Lutherana & Zuingliana doctrina compositos articulos sum descripturus.

DE SYNAGOGA ANABAPTISTARUM, & præcipuis ipsorum fidei articulis.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

I. *Anabaptiſtæ S. ſcripturam vtuntur more omnium hæreticorum.*
II. *Ordo qui in ipsorum cœtibus & Paſtoribus obſeruatur*
III. *Fides Anabaptiſtarum in pleriſque nouorum Euangelicorum fidei eſt conformis.*
IV. *Forma quam in Cœna ſua obſeruant.*
V. *De ipsorum Baptiſmo & Matrimonijs*
VI. *Lutheranos & Zuinglianos Anabaptiſtas ſolis ſcripturis vincere non poſſe.*

I. OMNES hæretici pro fundamento suarum opinionum hoc axiomate vtuntur, *Nihil credendum neceſſario aut faciendum eſſe, quod non ſit ſcripto Dei verbo expreſſum.* Hoc enim speciosiſſimo pallio diabolus illusiones suas semper velare consueuit, vt Cyrillus iam suo tempore notauit. Et vero nulla vnquam tam absurda fuit religio, quæ S. Scripturam pro se non allegarit? Certe omnes æquè Noui sæculi istius Euangeliſtæ nihil nisi scriptum Dei Verbum admittunt. Hoc verbũ clamant & tonant, sed plebem incautam illo pulchro prætextu mirifice deludunt, (*b*) litterarum tantum corticem lambentes, ac suaipsorum commenta ad id interpretandum afferentes, neglecta interim Ecclesiæ interpretatione, *quam* illi calumniantur *eſſe hominum erroribus obnoxiorum congeriem & conſequenter eandem non eſſe Spiritus S. organum, aut Veritatis ſedem, ſed in doctrina quoque errare poſſe: Traditiones vero & Cæremonias hominum eſſe inuenta, primitiuæ Eccleſiæ incognita.* Et hoc vnum quidem axioma pes est & caput totius Anabapsticæ religionis. Ac quamuis plerique omnes indocti sint & plusquam Arcadica pecora stupidi, tertio tamẽ quoque verbo sententiolam aliquam è scriptura adspergunt; sic vt nonnulli D. Pauli epistolas aut alios S. Scripturæ libros ad vnguem tenere videantur: è quibus formam sui Baptismi, communionem bonorum, & puritatem suæ Ecclesiæ probare contendunt, more cæterorum hæreticorum. Itaque vafricie istâ, qua litteras Sacrarum Scripturarum mirificè laudant & in cælum extollant, sensum verum genuinum à Deo intentum, & Ecclesiæ suæ successiue reuelatum deserunt, eius in locum substituentes sua, quæ ipsi elegerunt sensa & affectus, eo res iam apud ipsos deuenit. Eõn' rem redijsse, vt nullum vlcus tam putidum ac purulentũ sit, cui non è S. scriptura emplastrum quæratur! Vide mihi Lutheranum istum, qui ebrietatem Deo placere è S. scriptura probare voluit, edito Lipsiæ libro cui titulum fecit **Regentenbuch**, & Mansfeldiæ Comitibus dedicauit. (*b*)

Vt vero Anabaptistæ S. scripturæ libros in manibus, ita nomen Christi in ore frequenter habent; eodem modo quo illi de quibus S. Ignatius dicit, quod licet Christiani non essent, Christi tamen nomen vbique etiam in popina prædicent; aut illi de quibus D. Paulus ad Philippenses 1. capite loquitur. In Lauffensi Colloquio Anabaptista quidam Lutherano Ministro eum obiurganti quòd vix legere S Biblia peritus, ea interpretari præsumeret, respondit; *ab eodem Deo qui rudem piscatorem S. Petrum erudiuit, mihi reuelata sunt, quæ ſpectant ad ſalutem. Quæcumque lego, Spiritu S. interprete intelligo; nec vllus in animo meo ſcrupulus reſtat. An falli poſſem ſi textum ſequar à Deo nobis traditi Euangelij? Proximo iniuriam non facio, non blaſphemo, non iuro, non fero arma; cœnã Domini ad eum modum quo à Chriſto inſtituta eſt celebro; Fidem ante baptiſma eſſe debere credo. Annon hoc eſt vere Apoſtolos imitari?* Quam multos homines credulos

a *Selnec. histor. Aug. Con. pag. 17. b V. Myſterium Fraudis prædicantica Colon. excusum authore Hieron. Mulmanno.* c *Lege Fern. lib. 1. cap. 10. de ebriet. Mathenes. &c.* d *Vide I. Munch in colloq. Alber. contra Carolſtad. Luth. lib. de caleſt. proph.*

his & similibus verbis deceptos fuisse & adhuc decipi putas? Legimus in Anabaptistarum libris, Zuinglianos cum feminis Anabaptisticæ religionis, scriptura armatis, disputare ingressos, non sine pudore repulsam passos: econtra ipsos quoque Prædicantes hac occasione ad Anabaptismum transijsse, vt de Iacobo Kautzio VVormatiensi Bullingerus scribit: (a) Videapud Rescium in quàtis angustijs Caluinistæ Poloni versati sint, quũ A. MDLXXXI. cum Anabaptistis disputationẽ suscepissent, qui certe publice pro victoribus se tunc tulerunt. Idem Caluinistæ in Frankendalienſi colloquio experti sunt, qui omnibus vitibus annisi, vt Anabaptistas è sacris literis erroris cõfutarent, sed eo euentu, vt Anabaptistæ sacris literis æquè robustè armati, inuictè persisterent. Itaque Caluinistæ exarmati, vel suis armis implicati, demum Ecclesiæ Catholicæ arma corripuerunt, & Ecclesiæ iudicio anniuersali in explicãdis scripturis consensum Anabaptistarum sensui opponendo, eos hæreticos pertinaces declarare voluerunt, ridicule sane, vt qui illos damnando, se ipsos eadem sententia inuoluerunt. Sed multa nimis hoc de axiomate, quo tam illi quam plerique hæretici sinistre vtuntur. Transeo ad præcipuos ipsorum fidei articulos, quos partim è Catholicis & Lutheranis scriptoribus, partim ex ipsorum libris, quibus tituli sunt, *Restitutio veræ Fidei. Mysteria Scripturæ. Exhortatio ad fidem, & apologiæ*, quos Bullingerus scripto suo contra eos subiunxit, excerpsi (b)

II. Principio aiunt 1. *Nec Catholicorum, multo minus eorum qui Euangelicos se appellant, Ecclesias, vere esse Ecclesias, sed Sathanæ synagogas, ac præcipue ob grauissima peccata & vitia eorum qui eis præsunt. Solam suam Ecclesiam vere esse Ecclesiam, Apostolica conformem, & eadem simplicitate qua prima illius ortum tantopere commendauit insignem. Pompam illam Papisticam ab hac simplicitate, & artes quæ hodie in nouellis Ecclesijs vsitentur, à pristino illo candore & integritate longe abesse. Has enim serere discordias, accersere clades, accendere bella, magisque ad explicanda vexilla quam S. scripturam, & ad relegandam potius quam reducendam ac postliminio restituendam pietatem esse idoneas.* 2. *Porro in eligendis Ministris hac vtuntur ratione, ab Apostolis, vti ipsi credi volunt, petita. Postquam seniorum aliquis ostendit quam necessaria sit noui Ministri electio, tota multitudo coit, ac suffragia confert. Pluribus suffragijs electus promittit se gregem fidei sua commissum bene ac fideliter recturum. Nec vllum ille ex hac dignitate nouum consequitur titulum aut gradum, sed eodem habitu, quo ante vtitur, cum omnibus scilicet communi. Sed nec vllum eis salarium penditur, sed quisque manuum suarum labore victum sibi quærit; & è cathedra descendens, ad pensum redit, ac vel stiuam, vel malleum aut dolabram (sunt enim plerique ad hoc munus delecti opifices) rursus in manus sumit. Hoc vero Apostolorum exemplo se facere dicunt.* 3. *Templa aut ædes sacro cultui destinatas vt Catholici & Lutherani non habent, sed in priuatis tantum ædibus conueniunt, ac fere clanculum, nisi vbi tuto eis & secure habitare licet, Dantiſci, & in plerisque Hollandiæ, Selandiæ & Frisiæ vrbibus & oppidis.* In nulla Catholici Regis ditione, vt nec in superiori Germania tolerantur. Sed in Frisia Orientali, in VVestphalia, Prussia, Silesia, Morauia, Bohemia, ac regionibus ad Poloniæ regnum pertinentibus aliqua libertate gaudent: quamuis Catholici & Lutherani vbique eis præualeant. (c) Franciæ regnum hoc hominum genus vix nouit: nisi quod in Burdigalensem & alios portus non pauci, ac plerique nautæ eò appellant, ac libere negociantur. Memini me nonnumquam medium inter decem aut duodecim horum mortificatorum (sic enim videri volunt) varia de ipsorum religione cum ipsis disputasse, illosque quamuis nautæ essent ac despicabiles homines, ad omnia quæcumque inciderant, Scripturæ aliquem locum innumerato habuisse.

Narrauit mihi Ioannes Spondanus, quum in Germania esset eò à Nauarræ tũc, postea Franciæ, Rege ad excolendum literis, tot donis à natura iam ante ornatum ingenium, missus, cupidinem se incessisse vnius ex Anabaptistarum primarijs, qui vulgo magni fieret, videndi atque alloquendi. Incidisse ergo in eum ex agro suo ab opere reuertentem, tunica cinericij coloris indutum, ac reliquo vestitu à rustico nihil differentem. Latinis verbis à se honorifice, vti mos habet, salutatum, caperata fronte respondisse, non aliter ac quemdam è Veteri stoa resuscitatum Catonem; *Cæterum alio vocor. quos mihi tribuis titulos, nec mihi nec cuiquam vere Christiano conueniunt. Vanitatibus his mundi iamdudum ego valedixi.* Dicente Spondano; *se fama ipsius excitum, visendi eius gratia venisse: Ergo*, inquit, *mecum*

a *Lib. 1. de orig. Anab. cap. 7.* b *Rescius fol. 119. Nicol. Bloesdick. libr. de secta. Dauid Georg. Bulling. lib. 1. cap. 8. Et Apolog. Anab fol. 215. & seq.* c *Vide succeſſ. Anab. Modest. de auctor. Anab. fol 82. & 181. Cranz Chron. Silesiæ par. 2 fol 138. Sebast. Franckij Chron part 3.*

cum prandebit: ac simul cum dicto intra cubiculum eum abducit. Strata mensa, vxor lancem infert cibo elixo plenam. Lotis manibus, quinque aderant pueri, duo patrisfamilias filij; tres, eius commensales. Finita precatione, bonus ille paterfamilias cibum aqualiter in tot quot conuiua erant, portiones diuisum distribuit: quam tamen aqualitatem in potu non seruabat. Ipse enim bonum vinum Rhenanum, (fortasse ad tractandum hospitem) *ceteri cereuisiam bibebant. Post tenue hoc prandium (quod tamen Anabaptista ille laudabat, & sumtuosum nostrorum luxum ridebat.) Spondanus de articulis quibusdam religionis disputare incepit, & inter alia de Baptismo: de quo ille satis prolixe ita disseruit vt in sua religione bene versatus non iniuria videretur. Papista,* aiebat inter alia, *Confirmationem pueris dant quando baptismum dare oportebat, qui pueris nihil prodest fidem non habentibus. Nec Confirmatio, vt ipsa Decreta volunt, nisi iis qui ad discretionis annos peruenerunt dari debet, vt scilicet infans in memoriam susscepti à se Christianismi reducatur. Atque hic est Baptismus,* inquit, ille. Spondano antiquam Ecclesiæ consuetudinem opponente, Ille, *si,* inquit, *antiquitatem volumus, age ad quatuor Euangelistas abeamus. Quod si vos Papistarum more antiquitatem allegare volueritis, Confessio vestra Genevensis* (erat enim tum Spondanus Caluinista) *mox in fumum abibit.* Prolatis deinde Bibliis (erat vero Serueti versio) *loca quædam ex S. Matthæi Euangelio & Actis Apostolorum fuere lecta.* Spondano dicente, *Annon Christus dicit: Sinite paruulos ad me venire.* Sic, ait Anabaptista; *nimirum vt instruantur.* Replicante Spondano: *Qui fieri potest vt in tanta à Christo baptizatorum multitudine, nullus infans fuerit?* Anabaptista, *Annon,* inquit, *fieri potuit, vt nulli ibi infantes fuerint? Vobis succumbit probatio. Neque enim inuenimus à Christo aut Apostolis infantes huius mysterij incapaces, fuisse baptizatos.* Inde ad alia digressus, *omnes vitæ suæ ac familiæ rationes explicabat: quomodo scilicet ipse manus labore ad victum parandum, & animum SS. scripturarum lectione, ad discenda Dei mandata exerceret,* aiens, *hoc modo Apostolos & primitiuos illos Christianos vixisse, manibus victum sibi quærentes, & in honesta sua paupertate Deum glorificantes.* Latine expedite atque eleganter loquebatur, Græcæ etiam linguæ non ignarus, quas linguas Spondanus exacte callebat, Græcam præsertim, vt qui vicesimo ætatis anno in Homerum & Hesiodum Commentatios dederat. Spondanus mihi ipse fassus est, ex hominis sermone, moribus, frugalitate, & tam honesta totius quamuis exiguæ familiæ specie ingenti admiratione se fuisse perculsum. Sed quid mirum Caluinistam, tunc cum adhuc veram sanctitatem ignoraret, admiratione Anabaptisticæ hypocriseos esse delusum, quam postea Catholicus penetrauit & risit!

III. Ad alia igitur religionis Anabaptisticæ capita transeamus. Ea vero pleraque (de Baptismo & paucis alijs exceptis) Lipsiensi & Genevensi Confessionibus sunt conformia. Ciuis quidam noster, Reformatæ, quam vocant, religionis, quo ego interprete cum illis disputans vtebar (omnem enim eorum doctrinam, eiusque fundamenta pernoueram) quum videret nouos hos Doctores, quos ille tamquam pessimos hæreticos apud me traduxerat, in plerisque Genevensem Catechismum sequi; eademque docere, vehementi correptus fuit admiratione. (a) 1. *Nam & Missam tamquam Sathanæ inuentum detestantur. Aiunt eam in nouo D. N. Testamento non reperiri: nec ea opus esse, sed ad diuinum cultum preces & Sermonem satis esse.* 2. *Delirorum esse, Purgatorium credere: eoque nec illi pro defunctis orant.* 3. *Qui sanctos inuocent, Deo facere iniuriam.* 4. *Imagines itidem detestantur, à Cruce abhorrent.* 5. *Nomini* IESV *aut Deiparæ Virginis nullam reuerentiam deferunt.* 6. *Ad fidem neminem cogendum esse aiunt, vt quæ donum Dei sit. Nec Christum nec Apostolos vlla vi vsos, aut contra hæreticos & infideles sæculare brachium implorasse.* Hoc idem Lutherus docuit tunc quum Edictum de conscientiarum libertate promulgauit. (b) Hæ eædem sunt Propositiones, quibus primarius quidam in Francia Minister Catoli Martelli, Frisios, missis prius Doctoribus, ad Christianam fidem compellentis, factum reprehendit magis quam laudat. *Zelus hic,* inquit, (c) *homini bellatori condonari potest. Sed reuera animi armis vinci non possunt, nec religio imperari, sed rationibus & argumentis in corda induci debet. Sic Anabaptista, nemini religionis caussa vim, multo minus quamcunque ob caussam Christiano mortem inferendam esse docent; sed si opus sit, excommunicatione vtendum.* 7. *Papam eodem quo Lutherani, Caluinista, & reliqui hæretici titulo insigniunt, Antichristum appellantes:* 8. *Cum eisdem, solenne sacrificium & sacerdotium tollunt.* 9. *Cum Zuinglianis, realem Iesu Christi in Sacramento præsentiam negant,* (d) *ac Cœnam (sic enim cum alijs Sacramentarijs appellant)*

a *Bulling. lib. 1. cap. 8. Alber. contra Carlstad.* b *Franck. p. rt. 3. tit. M. Cochl. in Act. & alij.* c *Serres in Inuent.* d *Gasti fol. 230. Bullin. lib. 6. cap. 8.*

lant) non aliam ob caussam celebrandam dicunt, quam ad mutuam inter Christianos charitatem confirmandam, & memoriam passionis Dominicæ recolendam. Forma eius celebrandæ tam in Ceremonijs quam fide aut doctrina similis fere est ei quæ apud nouos Euangelicos, quos nonnulli Reformatos, nos Caluinistas appellamus, obseruatur. Hoc ipsum Prædicantes Lutherani Anno MDLXI. Caluinistis à Senatu, quum septennium iam ibi commorati essent, eiectis. exprobarunt, quod scilicet eundem quem Anabaptistæ errorem fouerent. Communione enim corporis & sanguinis Iesu Christi, quam Caluinistæ statuunt fideles quotidie etiam extra Cœnam Domini frui, exceptis tantum signis externis, quæ sunt panis & vinum sanctificatum.

IV. Anabaptistæ Cœnam celebraturi, superintendentes quosdam seu inspectores habent, qui tempus indicunt. Cœtu congregato, vnus Euangelium legit, lingua vulgari. Interim Pastor suggestum conscendit, & Bibliorum codicem ante se pluteo imponit. Psalmos non decantant, vt plerique omnes alij Euangelici. (a) Aiunt enim, id ab Apostolis nuspiam mandatum; nec permissum vt mares & fœminæ permistis vocibus ac sonitu templa implerent. Factis precibus, Pastor locum aliquem scripturæ explicat. Sermone finito, de pane & vino exiguam particulam ad singulos fratres circumfert, qui omnes suis quisque locis stantes, & capitibus nudis conticent. Panis hanc particulam singuli manibus tantisper tenent, dum Pastor ad locum suum reuersus, pro se quoque particulam accipit. Tum ille longa oratione mysterium hoc explicat, ac tandem, Mei fratres, inquit, Accipite, manducate, & annunciate mortem Domini. Sic igitur singuli bucellam deglutiunt, & suum Christum fide accipiunt. Deinde eodem modo vinum circumfert, inquiens, Bibite in nomine Christi ad commemorationem effusi sui sanguinis. Fit sæpenumero vt hæc ratione integrum diem absoluant, Deo gratias agendo, precando, meditando, ac lachrymas precibus miscendo, vt Anabaptistæ ipsi mihi narrarunt. Licet autem cum Zuinglio credant, Nihil in hoc Sacramento esse præter solum panem, nec corpus Christi aliter quam per fidem recipi; in eo tamen differunt, quod Zuingliani Cœnam non nisi in publicis cœtibus celebrant & accipiunt, quam Anabaptistæ etiam ad ægrotos deferunt, vt & Lutherani. Illi transeuntes panem & vinum accipiunt; hi vero suo in loco quiescentes, dum ad se deferatur exspectant.

V. Præcipuus eorum error, quo à reliquis hæreticis discerni solent, circa baptismum versatur, porro apud ipsos baptizandus cœtui se sistit, & in genu procumbens, fidei suæ rationem reddit, & si quo officio aut magistratu functus sit, eo se abdicat. Scribit Budneus, Nobilem quendam, turmæ ductorem, sibi notum, qui hoc modo baptizari petierit, ac si voto potiretur, officium illud numquã amplius se accepturum sit pollicitus. Si mores, & in concionibus frequentandis assiduitas probentur, omnes acclamant, *Fiat, Fiat*: quod si quis se opponat & baptizando vitium aliquod aut ignorantiam fidei exprobret, Pastor tantisper abstinet, dum omnia discutiantur. Si accusator crimen non probauerit, cœtu excommunicatur. Sin nemo contradicat, Pastor sumtam manu aquam capiti baptizandi inspergit, his verbis: *Baptizote in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sine vlla alia cæremonia aut benedictione. Ad erroris vero sui defensionem, aiunt, Pædobaptismum in Ecclesia hactenus vsitatum, (b) expresso Dei verbo repugnare, neque ab Apostolis vsurpatum: sed commentum esse Nicolai, alij dicunt, Eugenij Papæ; ad salutem necessarium esse rebaptizari, quod hoc modo ad nouam vitam regeneremur. Baptismum in infantia acceptum nullius esse virtutis. Secundum Dei verbum, prius credere aliquem debere quam baptizetur: neq; vmquam baptismi mentionem fieri, vbi non etiam fidei mentio fiat. Eunuchum Candacés cubicularium, & Cornelium antequam baptizarentur, in Christiana fide fuisse instructos. (c) Christum dicere: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*. Necesse ergo esse vt fides & Baptismus mutuo se comitentur: necà Seruatore nec ab Apostolis infantes vmquam baptizatos. Hæc ille fere scriptis prodiderunt; quæ profecto notatu digna sunt, vt in quibus cardo nostræ salutis versatur. His non absimilia Anno MCCXXX. in Francia disputauit Petrus quidam Brulius, qui ad fanum S. Ægidij postea fuit crematus. (d) Quod si hoc fundamentum firmum est & inconcussum, omnes controuersias quæ in Ecclesia Dei incidunt, è solo Dei verbo scripto dijudicari posse & debere; sic existimo, quemadmodum Arriani olim, ita iam hac ratione Anabaptistas superiores futuros Id Lutherus ipse fatetur (e) *Concedimus*, inquit, *in S. scriptura nullum textum expressum esse ad refutandum Anabaptistarum errorem, vbi scilicet dictum sit, Bapti-*

a *Hortens. libr. de Anab. Cassand. Bulling. Dorp &c. Bull. c. 10. lib. 6.* b *Bulling lib. 6. c. 1. & seq. fol. 285. b. & cap. 3. fol. 191. bb. iij* c *Act. 8 & 10.* d *Sur. com. hist. fol 402 a. b.* e *Serm. cont Anabap. & Melanch. in loc. comm. titul. de Baptismo parv.*

Baptizandos esse infantes, quia credant. Si quis ipsorum vrgere nos velit vt haec verba ipsi ostendamus, cedimus Contumacium est Anabaptistarum, non verorum Christianorum, tam angustis nos terminis circumscribere. Illud satis cuique esse debet, quod institutionem Apostolorum sequimur, omni tempore in Ecclesia Dei obseruatam, etiamsi scriptura id non praecipiat. Novus Gallorum Apostolus idem dicit, ac confitetur, (a) impossibile esse Prædobaptismum per scripturam probare. *Quare hic,* vt Tertullianus in simili re inquit, *ad Traditionem recurrendum est.* Quam regulam si tam hi quam illi obseruassent, Christianitas ad tam miserabilem statum numquam fuisset redacta. Sed videamus quibus artibus ac modis Euāgelistæ illi è retibus in quæ illos Anabaptistæ non semel adegerant, se explicarint.

VI. Oecolampadius magni nominis inter Zuinglianos Theologus, cum nouem Anabaptistarum doctoribus coram Basileensi Senatu disputationem ingressus, suis suorumque vtpote plumbeis in hoc pugnæ genere, armis repudiatis, alia ex S. Ecclesiæ armamentario petenda sibi iudicauit, (b) *Eia,* inquit, *in nomine Domini ostendite nobis, quando haec noua baptizandi forma in Ecclesia recepta sit. neque enim eam ex vestro vobis capite introducere licet. Nos in hoc totius Ecclesiæ consensum & consuetudinem monstrabimus. S. Cyprianus in epistola ad Fidum ait, paruulorum Baptismi in Carthaginensi Concilio mentionem fuisse factam, non tamen tamquam in dubium vocati, sed quod nonnulli imitatione Iudaeorum, ante diem octauum eos non esse baptizandos dicerent: quae opinio ab Ecclesia fuit damnata. Origenes Commentarijs in epistolam ad Romanos asserit, consuetudinem hanc infantes baptizandi ab Apostolis descendisse. An fieri potest* (inquit noster Prædicans iam Catholicissans) *vt qui Apostolorum temporibus tam propinquus fuit fabulas Christianis narrare voluerit. tum quum Ecclesiæ traditione mendacij conuinci posset? S. Augustinus quoque affirmat morem infantes baptizandi in Ecclesia semper viguisse. Eodem modo Concilium Mileuitanum de Pædobaptismo loquitur non tamquam de re controuersa, sed ad confutandum Pelagianorum de peccato Originali errorem: ceteri qui doctorum hominū, qui tamen infantium baptismū reprobare non ausi sunt.* (c) Hic Anabaptistæ, Lutheranorū more loquentes, (d) *Adquid,* inquiunt, *nobis tot Patres Doctores, Concilia allegas? Homines fuerant, quorum dictis & decretis stare non tenemur, nisi quatenus se sacra scriptura* (ecce tibi clypeum omni hæresi vsitatum) *sunt conformia. Atqui ex hac infantium baptismum probare non potestis: (e) neque nos in eo acquiescere possumus quod fieri consueuit, nisi fieri debere ex Scriptura doceamur. Quod si vsque ad hac tempora in eo erratum est, certe tempus est vt error emendetur, postquam Deus veritatem nobis reuelauit, vtque purum & simplex Christi verbum amplectamur, qui vult vt fides praecedat baptismum. Necesse est vt qui baptizat & qui baptizatur, integram & perfectam habeant fidem; quod si non sit baptismus est potius Sathanae, à Papa inuentus. Quid ergò ô miseri!* excepit Oecolampadius, Catholice loquens. *An tot animarum millia, quae in Ecclesia hoc modo baptizata sunt, & quae talem baptismum rectum esse crediderunt, aeternis flammis adiudicata arbitramini? An credibile est à Deo eos Sathanae tamquam praeda relictos? An vos propterea à tam doctis & sanctis hominibus per schisma discedere oportet?* (f) Illis vero vnicam scripturam obijcientibus, & ex ea Prædobaptismum sibi probari flagitantibus, quum iam Oecolampadio aqua hæreret, alius Prædicans Zuinglianus Thomas nomine subiecit: *Vultis vos vt expresso Dei verbo vobis probetur, Mulieres esse baptizandas.* Sed ipsum hoc argumentum æque premebat authorem eius quam aduersarium ideoque erat invalidum in ipsius manu. Qui primam Disputationem Basileæ Anno MDXXVI. habitam scriptis consignauit, ait, Anabaptistis locum aliquem Scripturæ ad probandum aliquod ipsorum Fidei caput allegantibus Oecolampadium respondisse, *Illa scripturae loca longe alium habere sensum quam quo ipsi acciperent; idque se testimonio omnium Doctorum qui hucusque vixerunt, & vniuersali Ecclesiae consensu probaturum. Verum & genuinum Scripturae sensum eos nequaquam intelligere, vt quam illotis manibus tractent; nec velle sapientissimis illius Patribus credere, quos omnis admirata sit antiquitas. Nos habemus,* inquit Anabaptista *verbū Dei, quod omnino illis debet praeferri. Sacra scriptura pura est, & minime fucata. Eam nos custodiemus, eam sequemur, quamdiu nobis vita supererit; nec alicui, quod in ea scriptum sit, fidem derogabimus. S. Spiritus dux noster est, & per os nostrum loquitur. Ille insidias nobis aperit eorum qui*

a lib. de praescript. b Bulling. lib. 1. de orig. Anab. cap. 7. fol. 14. d. ij c Petr. Canis. in loc. com. Patrum. Tit. de baptismo. Cocc. thesaur. Cath. de baptism. paruus. Bellarm. & d Vlenb. caus. 7 pag. 175. e Oecol. lib. 2. Epist. f Oecol. disp. Basil. an 52. Luth. ep ad Anab. an. 57. Tom. 2. VVit. a. 48 fol. 279. & ep. ad duos pleban. contr. Anab. Tom. 2. fol. 229 Vlenb. caus. 13. cap. 13. fol. 429. Haeretici de sensu scriptura dissentiunt.

Qui humanis traditionibus simplices conantur seducere Deo laus, aiebat qui inter eos præcipuus, *Ego in mea noui conscientia me non peccare: & scio innocentiam quoque nostram & veritatem religionis nostræ animis vestris esse exploratam.* Omitto alia in eandem sententiam, vti & rationes nostrorum Theologorum, ob quas illi teterrimam hanc hæresin condemnarunt. Oecolampadij vero sermones quos cum Anabaptistis habuit, ideo hic recensui, vt ostenderem, nec Zuinglianos nec Lutheranos, filiorum suorum hæreticorum à se progressorum, errores sola scriptura refutare posse, sed necesse eis esse ad Traditiones & Ecclesiæ consensum confugere: quod in ipsomet Bullingero, qui contra eos scripsit, perspicuè cuiuis licet obseruare. Et tamen illi ipsi Anabaptistarum per Traditiones & consensum Ecclesiæ refutatores, non cessant ijsdē armis quibus vinci vident Anabaptistas, pugnare contra Catholicos, & qui indignantur Anabaptistis vt pertinacibus, dum Traditioni & consensui Ecclesiæ cedere nolunt, sibi ipsis non indignantur, quod Catholicis, eadem præferentibus arma, cedere recusent. Cæci: cæci: qui æque ac Anabaptistæ, cum traditione vincuntur, se tamen victos fateri recusant, sed Scriptura, quam pro suo lubitu tractant, tamquam vallo incluſi, omnem impetum excipiunt, ita, vt prostrati & victi pro victoribus se gerant. Sed videamus Geneuenses quoque contra eosdem antagonistas in arenam prodeuntes, & quibus illi armis pugnent. *Si vos*, inquiunt, *Dei estis Ecclesia, sequitur Deum sine Ecclesia fuisse vsq; ad annum M D XXII. quo Nicolaus Storkius & Thomas Muncerus prima ecclesia vestræ fundamenta iecerunt. Excutite omnes Mundi angulos, neminem qui vobiscum vllo tempore senserit, inuenietis. Quum vero Deus sine populo & Ecclesia, & Christus sine regno non sit, sequitur vos non magu populū eius quā Ecclesiam esse posse* (a) O miseri refutatores Anabaptistarum! mutato nomine de Vobis. O Geneuenses, O Heidelbergenses &c. Reformati omnes; ista fabula narratur. Cur vobis ista eadem non dicitis & occinitis, cum à Catholicis sic impugnamini? nisi quia vincere vultis Anabaptistas, & à Catholica veritate vinci recusatis! & vos vestro gladio insipienter iugulatis!

Ad Matrimonium quod attinet, Anabaptistæ illud in eodem habent honore quo noui Euangelici. Contractum enim ciuilem esse aiunt; at Sacramentum esse negant. Singuli vnam tantum habent vxorem, cui in publico suorum cœtu fidem dant. Qui Catholicam, Lutheranam, aut cuicumque alij religioni addictam habet, si ad suam sectam pertrahere eam non possit, eam abdicat; quod si cum ea nihilominus cohabitet, excommunicatur. Neque enim cuiquam Anabaptistarum vxorem habere, quæ alteri, quam ipsorum religioni sit addicta fas est: perinde atque Christiano Iudæam aut Paganam ducere nefas. De ijs vero qui supellectilem hanc mira caritate communem inter se habent, deque alijs eiusdem religionis capitibus, infra dicetur.

DE APOSTOLIS ET PROPHETIS Anabaptistarum.

CAPVT. IV.

ARGVMENTVM.

I. *Ficta Anabaptistarum pietas.*
II. *Quomodo Muncerus & Leidenſis plebem seduxerint.*
III. *Anabaptistæ tam Catholicorum quam hæreticorum vitia detestantur.*
IV. *In morte constantes sunt, & de salute sua certi sibi esse videntur.*
V. *Vanitate Prophetarum sapius deprehensa, in viam tamen redire nolunt.*
VI. *Facetia de Anabaptistica muliere Narratio.*

I. EST hæc diabolo velut innata versutia, vt impietatem pietatis fuco occultet, & vitia virtutis specie tegat. Idem per satellites suos tamquam in vase inaurato, lethale hominibus venenum propinat; id quod in plerisque apparet, qui nouam hanc Anabaptismi doctrinam promulgarunt. Sane vsque hodie secta hæc per Germaniam Superiorem atq; Inferiorem hinc inde sparsa, singularis integritatis & innocentiæ speciem præ se fert. Sed ô Deus! quot perizomatis opus illis est ad pudenda eorum tegenda? Ea cum quantum potuerunt, texere tunc & simplicem populum, & tam praui quam boni tenacem seducunt; interim ipsi in profundam & exsecrabilem vitiorum sentinam demersi exerrabit: *Anabaptista*, inquit Nicolaus

a *Vlenberg. causa 10. cap. 10. fol. 345. y. 5. Heidelberg. in Colloq. Franckenthal. in præfat. b. 1. a. 6.*

laus Amsdorffius Lutheranus, (a) *vita sanctitate modo Germaniam decipere incipiunt, quemadmodum Monachi olim totam Christianitatem deceperunt. Lutherani & Zuingliani*, ait Hosius, (b) *zelo religionis Anabaptistis multum cedunt*. Quum Burdigalam nostram variæ nationes è plaga Septemtrionali negociandi caussa confluere soleant; volupe mihi nonnunquam fuit diversarum religionum homines convenire, ac sermonem cum eis conferre, ac præsertim cum Anabaptistis, ut mysteria ejus religionis perdiscerem. Hic fateor me non semel ingenti perculsum admiratione, quum'viderem eos in mediis negociorum turbis eundem vultum atque eundem animi statum semper servare, nec ulla injuria, ira, aut quocunque alio affectu ab eo dimoveri; eundemque vivendi morem atque institutum inter tot nationum colluviem retinere. Quum Anno MDXCVIII. in horum aliquot incidissem, eo tempore quo tota nostra Aquitania extrema fame laborabat, post multa ultrò citroque verba', unus ex ijs liberrimo vultu'& sermone ita infit: *An vos Catholici, Christiani dici vultis, qui delicijs immersi ante fores fratres vestros iacere sinitis. En plateas vestras languentibus & semimortuis plenas, interea dum mensæ vestræ ciborum & vini delicijs redundant. En laceros illos & cutem nudam ostendentes; dum vos bysso & serico vestiti, superbitis. Non hoc apud nos fieri solet. Nemo nostra religionis panem suum e mendicat. Si cui quid desit, id reliquorum fratrum liberalitate ultro suppletur. Nemo apud nos eleemosynam petit; sed nec quisquam otiosam vitam ducit. Omnes laboramus. Quod si quis naufragium aut iacturam faciat, ea communi omnium contributione ex parte resarcitur*. Replicanti mihi, à Salvatore nobis prædictum, fore ut *semper pauperes nobiscum habeamus* (c) respondit ille: *Sic est, id vero eò fit, ut monstretur imperfectio eorum qui inter Fideles esse volunt, & tamẽ candidam illam vestem, Charitatem scilicet non habent*. Hæc ille mecum. At miseri isti, qui litteris scripturæ mordicus adhærent, non considerãt. Christum Dominum nostrum nequaquam hanc legem suæ Reipublicæ imponere voluisse, *ut nullus in ea pauper inveniatur*. Est id non Christi sed Andreæ Carolstadij inventum, qui An. 1522. 27. Jan. Wittebergæ edidit Tractatum *de abdicatione imaginum, &, Quod nemo in Christianismo debeat esse pauper*. Sed quid ha cruciata quæsierit dæmon per os Garolstadij secutæ grassationes rusticorum documento fuerunt. Si omnes eam perfectionem amplecti & capere possent, quæ Apostolorũ tempore in primitiva fuit Ecclesia', (d) res foret non omnino difficilis. Sed Christus Servator noster, amplitudinem Ecclesiæ & difficultatem eiusmodi perfectionis prævidẽs, consilium hoc tãtum, non præceptũ nobis dare, interim vero pauperes inter nos esse voluit, ut spiritualem eleemosynarum negociationem, cujus fructus & in hac & futura vita percipitur, exercendi Christianis non deesset occasio.

II. Hac igitur ficta morum sanctitate primi Anabaptistarum Apostoli, à Muncero, Leidensi & alijs huc illuc per Germaniam missi, infinitã quasi hominum multitudinem in sua retia attraxerunt. Regionem aliquam peragrantes, ex arboribus, more Druidũ (qui Græco nomine à quercubus ipso Melanchtone approbante sunt dicti eo quod in lucis & sub quercubus sacra peragerent teste Sal. Cæsare, Cicerone, Plinioque (e) olim apud Gallos, & concionabantur, & verbis partim dulcibus, tertio quoque verbo Christum & Salvatorẽ ingeminantes; partim asperis, iram Dei sævissime comminãtes, populum suarum partium faciebant. Jnde ubi ad rivum, fluvium aut fontẽ perveniissent, eos qui vellent baptizabant, magna sæpe velut oviũ multitudine unum aliquem, qui primus id petebat, tãquam gregis ducem sequente. Et quia Salvator Apostolis mandavit, *ut quod velut in secreto audissent, in tectis annunciarent*; fatui hi homines in villis & pagis domos, in sylvis & solitudine rupes & præcipitia conscendebant, (f) atq; inde quam possent altissima voce exclamantes, oculis in cœlum sæpe retortis, omnes ut Pœnitentiam agerent, vitam emendarent, fortunas relinquerent aut in commune conferrent, ac baptizati, se sequerentur, hortabantur. Hanc enim esse Dei voluntatem: quam nisi fecerint, iram ejus & pœnas gravissimas expertu-ros. Quidam Philippus Sarrelanus nomine, Basileæ per omnes plateas discursans clamabat: *Pœnitentiam agite, desistite à peccatis, rebaptizari vos sinite. Ego enim adhoc à Deo missus sum, qui Michaele Archãgelo interprete, populo Pœnitentiam me prædicari iussit. Hi Anabaptistæ*, ut Erasmus in epistola quadam attestatur (g) *non minus Oecolampadianos seu Novos Evangelicos, quos animarum interfectores appellabant, quam Canonicorum vitia detestabantur*. Addit q;, *Sectam*

O

a *Libro. Recta fides de Cœna.* b *Lib. 1. de Hæres. nostri sæc.* c *Matth. 26. 11.* d *Act. 2.* e *Heuter. fol. 490. lib. 11. de rebus Belg.* f *Cæsar. 6. Belli Gall. Cic. l. 1. de divin. Plin. l. 30, c. 1.* g *lib. 23.*

etiam hanc Principibus & Magnatibus valde esse odiosam, non solum quia magistratus tollat, sed etiam bonorum communionem inter omnes esse velit sanciatque. Ceteroqui nec templa habere, nec armis se defendere, nec deesse inter eos qui sanctiorem si sola externa facies expendatur ceteris pleriſque Sectarijs vitam ducant. Tandem subjungit: *Terreri nos corvi alicuius crocitatione aut sinistro volatu, atq; inde malū capere augurium res nostras ex cauta futurorū præsensione adeo fragili ordinare. Attamen in tot tantisque, quæ contingere videmus, morum dogmatūq; torneamentis, ita nos gerere, ac si sensibus esse mus omnino capti.* Ita Erasmus stuporem nostrum in religionis malis præcavendis, & in alijs miram cautelam attentionemque taxat. videns rudem populum Novorum horum Apostolorum ac pœnitentiæ præconum doctrinam, tanquam manna cœlitus delapsum, cupidissimis animis excipere sine examine, sine metu seductionis. quo loco duo Lectori suggero, quæ animo occurrunt, unum est, quod Erasmus in eo quod rectè arguit, impegit, cū nec ipse eruditus adeo, Lutheri initia, pessimos exitus habitura præsenſit, sed fovit: alterum quod illud ipsum dogma Anabaptistarum, de armis ne quidem ad sui defensionem sumendis, merum sit ipsorum figmentum, cum ex Historijs certissimis Monasterij, Amsterodami alijsque in locis patratorum (*a*) longè aliud sentire de Anabaptistis omninò compellamur, nisi forte ex infelici armorum subinde tractatorum eventu, ad tempus aliquod, eorum nausea laboratint.

III. Habeo penes me non ita multarum paginarum Colloquium, Anno M D XXX inter Catholicum, Lutheranum, & Anabaptistam habitum: in quo Anabaptista utrique gravissime & impune exprobrat enormia crimina quibus ipsorum Ecclesiæ sint pollutæ, plane ea libertate ac si uterque attonitus hæsisset. Scripsit etiam Germanus quidam contra Anabaptistas libellum, in quo errores eorum & superstitiosam simplicitatē notat, atque inter alia narrat, Ex eorum numero aliquē in prato concionantem, quum forte mulierem conspexisset, cincinnis calamistratis, auro & gemmis fulgentem, ad eam conversa oratione, sic loquutum: *Nostræ sorores non ita ornatæ sunt. An tu nihil aliud habes quo hominibus placeas, quam superbas has ineptias & mundum immundum? Deme has gemmas, monile ac reliquum ornatum, vende ea, & precium da pauperibus. Molles has & sericas vestes in cilicium muta. Audi quid S. Apostolus Petrus de ornatu mulierum dicat. Simulq; aperto Novo Testamenti libro, locum illum prælegit ex capite III. epistolæ 1. Quarum nō sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, &c.* Hoc eò recensere volui, ut intelligatur, quantopere priscā illi simplicitatē cui similis imago in nostris passim libris occurrit, in omni cultu affectent, & libertate aliter viventes castigent. Itaq; vestitus eorum omnis ex panno est; &, non aliter, quā Eustathiani olim, omnes eos qui sericis vestimentis utuntur, *diaboli filios* appellant.

IV. De eorundem contra omnem vim & tormenta admirabili constantia, vel rabie potius, quid dicam? qua errores suos in medijs flammis & cruciatibus ad extremum usque spiritū & ultimam sanguinis guttam defendunt; ut suo loco ostendam. Habet nimirum & semper habuit diabolus suos quoq; martyres, ad suam scilicet gloriam propagādam. Hosius (*b*) dicit, ex omnibus sectis *nullam prius, ferro & igne vexatam fuisse*, atq; intra ducentos annos nullam maiori constātia, vel pertinacia potius, tormēta omnia ipsamq; mortē sustinuisse; adeo ut in hoc Lutheranos & Zuinglianos multis parasāgis antecedant. Erasmus cōmiseratione dignos esse ait, ut qui magnā partē errore potius quā malitia peccent: quāvis interim de salute sua certissimos se esse glorientur. Hāc lectionē eos docuit primū quidē Lutherus, cosumāte vero Menno (*c*) vnus ex primarijs ipsorū doctoribus, sic scribens: *Falli non possum. Credidi, ô pater cœlestis, Verbo tuo, & per Spiritum S. illud tamquam Verbum veritatis suscepi. Certus sum, me hac mea doctrina, quæ Dei Verbum est, in extremi iudicij die non Mundum solum, sed angelos etiam iudicaturum.* Atque his ijsdem fere verbis Lutherus initio doctrinæ usus fuit, quæ Anabaptistæ expoliuerunt.

V. Sed, Deum immortalem! quam sæpe illi ab hoc spiritu decepti, numquam tamen suo ipsorum malo sapientiores facti sunt? (*d*) Muncerus suis auxiliatrices Angelorum legiones, ac victoriam sine armis policitus, se ac quotquot ipsum sequuti fuerant perdidit. Leidensi imperium totius orbis terrarum promissum fuerat; idemq; carnifici exuvias suas reliquit. Melchior Hofmannus, qui ab Helia missum se videri volebat, ac revelatū sibi dicebat, fore ut magna cū gloria centū quadraginta qua-

a *Arnold. Messhovius in Histor. Anabaptistica libris.*
b *Lib. 1 de haref. nostri sæc. fol. 436 libr. de Vera fide. Hos. lib. 1 de haref. fol. 432.* d *Alber. contra Carolstad. Sleidan. lib. 5. Spangenberg. Chron. Saxon. Pomarius &c.*

quatuor millibus discipulis comitatus Argentorato discederet, in pædore & squallore carceris fuit exstinctus. (a) Complures alij ab eodem spiritu promissiones acceperant, vltimum supplicium effugituros; qui tamen ferro & igne passim sunt absumti. Feminæ cuidam Basileæ captiuæ idem spiritus persuaserat, sine cibo & potu miraculosè victuram: sed post nouem dierum inediam, decimo mortua est. Millies Anabaptistæ extremi iudicij diem prædixerunt, ac Christi velut iam aperto cœlorum fornice egressum parantis, aduentum maxima deuotione exspectarunt; Solem tamen consueto cursu abeuntem & redeuntem hactenus viderunt. Ex ijs Propheta aliquis suorum auditorum animis hanc persuasionem ita impressit, vt vni tantum linteamini incubantes, totam noctem in rupium cauernis exegerint, Christique aduentum exspectarint, albo illo colore innocentiam suam testantes, ac miserabili voce & suspirijs Dei misericordiam implorantes: verum vbi deceptos se viderunt, non sine pudore ad suos quique lares reuersi sunt (b) Sed age, facetam de eodem spiritu narrationem adiungam, vt lectori fastidium è continua historia paullulum detergatur.

VI. Mulier quædam Anabaptistica, excucullatimonachi, eandem religionem profitentis vxor, cum marito in summa paupertate viuebat, sic vt ad victum sæpe panis etiam deesset. Nocte quadam Spiritus ei reuelat, ac iubet vt vicinas ac socias epulo excipiat, policitus nihil rerum necessariarum defuturum. Illa dicto audiens, mane omnes quotquot nouerat, inuitat. Huius conuiuij fama quum percrebuisset, plerique quibus fœminæ paupertas nota erat, mirari, vnde illi ad eam rem sumtus; neque tamen quisquam quidquam suspicari, quod bonæ illa hactenus existimationis fuisset, vt quæ in cœtibus eorum Biblia nonnunquã ipsis prælegeret. Accurrente magna hominum multitudine, vt & conuiuij apparatum & exitum viderent, iubet illa mensas sterni, & conviuarum suo quemque pro dignitate aut ætate loco considere: interim vero in tota domo nec fumus nec flamma conspiciebatur. Omnibus iam prima fercula exspectantibus, ac quum nihil adferretur, mutuo se respicientibus, illa constanti vultu circumiens rogat, vt paulisper adhuc exspectare sustineant. Breui Angelos adfuturos, & omnium ciborum admirabilem copiam allaturos. Hoc enim miraculum præterita nocte à S. spiritu, qui mentiri non possit, sibi reuelatum esse. Moram vero hanc interponi, ad tentandam ipsorum patientiam & fidem. Interim illa oculis ac manibus ad cœlum eleuatis, multis editis suspirijs & gemitibus, vt olim Baalitici illi sacerdotes, Deum obsecrare non cessabat, dicens: Mitte nobis, Pater, de cœlo panẽ, quibus multo maiora, nempe vitam promisisti. Sed hoc mortuo erat næniam cantare. Appetente ergo iam nocte, fames conuiuas domum suam quemque discedere, & ibi latranti stomacho præsentius remedium quærere coegit, multo turpius deceptos, quam illi quos Heliogabalus inuitauit, eisque præter panes, fructus, ac cibos pictos nihil apposuit, quibus si non stomachus, oculi tamen aliquo modo fuere recreati. Sic ergo bona illa à S. spiritu omnium risui exposita, vt stultitiæ, ita ludibrij quoq; vicinas suas socias sibi asciuit.

DE INEPTIS QVIBVSDAM ANAbaptistarum consuetudinibus, in S. Scriptura, vt ipsi aiunt, fundatis.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

I. *De Melchiore Hofmanno, magni inter Anabaptistas nominis & auctoritatis.*

II. *De alio Propheta ipsius successore: & de Anabaptistarum simplicitate.*

III. *Anabaptistæ arma non ferunt.*

IV. *Iusiurandum illicitum esse contendunt, & imagines detestantur.*

I. INTER eos qui Anabaptisticam sectam longe lateque propagarunt, non postremum locum obtinet Melchior quidam Hofmannus, qui & propriæ seu speciali inter eos, & vt ita dicam subalternæ sectæ nomen dedit. Hic Embdam profectus, propalam, Comite qui Lutheranus erat, conniuente, Anabaptismum plantauit, & quamplurimos rebaptizauit. Fuit vero, (vt Vbbo Philippi scribit, (d) qui eiusdẽ sectæ doctor fuit & postea respuit) homo vehemens, & exprompta facundia præditus. Contra Lutherũ & Zuinglium multa

a *Bleesdich. lib. de secta Dauid. Georg.* b *Gast. fol. 130. Cruse p. 3 Chron. Sueu an. 30.* c *lib. Recog. fol. 3. Modest. de auct. Anab. fol. 78. f. 1.*

acerbe scripsit. Edidit etiam Commentarios in Apocalypsin, quibus multa mirabilia atque ab omni ratione aliena continentur; nec non figuras Mosaici Tabernaculi, & Mysteria Incarnationis. Idem Ubbo Deum testatur, quamvis Lutherus vehemens & tumultuosus fuerit, Hofmannum tamen hac in re longe illo superiorem fuisse; ejusq; exemplum se aliosque collegas sequutos, contra Lutheranos, Zuinglianos & Papistas, non minus quam contra omnes diabolos, detonare ac fulminare solitos. Eidem Hofmanno in Frisia Orientali doctrinam suam spargenti, senex quidam apparuisse dicitur, Heliæ Prophetæ specie, ut discipuli ejus narrant, (a) eumque ita esse alloquutus: *Melchior, ab eo qui creavit cœlum ac terram, ad te missus, tibique mandare iussus sum, ut Argentoratum, quæ nova est instar Hierosolymæ, proficiscaris, ibique Verbum Dei annuncies, & populum rebaptizes. In vincula quidem ibi conijcieris, verum sexto post mense cum triumpho inde liberatus discedes, centum & quadraginta quatuor discipulorum millibus comitatus.* Melchior vaticinio huic ceu oraculo fidens, itineri se dat, & Anno M D XXXII. Argentoratum profectus, contra Lutheranos Prædicantes publicam disputationem suscipit, inprimis de Pædopaptismo, quem Sathanæ inventum appellabat. (b) Quum non multo post magistratus jussu custodiæ daretur, nihil territus, sed lætus potius: *Hic*, inquit, *dies ad triumphum mihi à Deo promissum, viam mihi sternet.* Ex carcere discipulos quos in Frisia habebat, frequēter est consolatus, (c) & per litteras in suum locum substituit quendam Joannem Tripenmacher nomine, qui Amsterodami sectam suam valde amplificavit (ubi etiamnum illa maxime viget) ac tandem Hagam-Comitis abductus, sanguine eandem obsignavit, igni exustus. Melchior vero frustra exspectata Heliæ ope, in carceris squallore obijt.

III. Dum in carcere attinetur Hofmannus, in eadem urbe novus quidam propheta exstitit, Leonardus nomine, qui suas visiones editis libris publicavit. Usus hic fuit ope duarum sagarum seu divinatricum, quarum una Ursula dicta, uxor erat ejusdem Leonardi prophetastri; (d) altera Barbara nominabatur. Hæ sæpenumero mirabiles prophetias visionesque socijs detegebant, eoque humanas mentes vanis futurarum rerum præsagijs rapiebant, ut ipsum Melchiorem sumpta à cygno parabola, Verum Eliam; alium utpote Cornelium Holtermannum Enochum esse miro quodam astu permultis à Dæmone seductæ persuaserint. Quos demum ceu luminaria duo magna post medium annum Argentorato cum centum & quadraginta quatuor millibus Prædicantium, Apostolorum & nunciorum Dei in signis virtutibus ac miraculis multis prodituros prædicabant. (e) Deplorat hoc loco supradictus Ubbo simplicitatem ac cœcitatem nostram, qui eiusmodi artibus circumveniri nos patiamur: atque se quosdam ex hypocritis illis, Hofmanni discipulis diu apud se habuisse, qui doctrinam illius, scientiam & pietatem ad cœlum usque laudibus extulerint, atque Anabaptistarum religionem, ob summam quæ ibi ferveat, Charitatem summopere commendarint. *Docent enim, omnes iniurias sine murmure perferendas, nec defensionem licitam esse, sed secundum Evangelium omnia propter Dei honorem sustinenda, bonum pro malo reddendum, inimicis benefaciendum, ei qui nos in dexteram maxillam percusserit, præbendam & alteram, &c.* (f) At non animadvertunt, Salvatorem duplicem protulisse doctrinam, unam præcipientem alteram consulentem solum, & locis in Matthæi 5. 6. ac 7. capite allegatis, utramque misceri, iudicio Ecclesiæ discernendam, si quidem ea omnia ibi ad Apostolos loquitur & alios, qui Christianam perfectionem ut illi amplexuri erant, & quorum arma, verba, & præsidium humilitas futura erant. Quæsivi ego aliquando ex horum aliquo, An iniuria affecti, nullam plane animi sentirent perturbationem? Tum ille, *Immò*, inquit *(nam & nos caro & ossa sumus sicut vos) sed Spiritus Dei statim adest, ac patientiam animis nostris inspirat. Nec dici potest, post motum illum Monasterienſem, quo tempore illi in nostra religione nondum perfectè erant instructi, quemquam fratrem Christianum ab ullo nostrum percussum, læsum aut occisum esse. Et hinc docent illi, non licere Christianis uti gladio, Christus*, inquiunt, *S. Petrum propterea reprehendit, ac divinam hanc sententiam pronunciavit: Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Et hæc quidem etiam una fuit ex Lutheri propositionibus etsi is more & privilegio suo usus eam sæpe mutarit, verbo, calidum frigidumque pro tempore spirans. Facit huc sequens historiola. Quum anno M DXLIII Anabaptista quidam in iudicio accusaretur, qui inter alia illicitū esse armorum usum,

nec

a *Bleesdick. de secta David Georg. in princ.* b *Bulling. lib. 2. cap 13. fol. 57.* c *Ubbo lib. Recog. fol. 4.* d *Ubbo ibid. fol. 7 & 8.* e *Modest fol 79. fol. 11. Bleesdick ibid. in princip.* f *Matthæi 5. &c.*

nec gladio percutiendum aiebat, roganti Iudici, si nocturnus fur fores ipsi effregerit, aut latro in sylua ipsum inuaserit, an illi argentum, huic iugulum quasi vltro esset præbiturus, ac non potius pro vtroque quantum possit pugnaturus? respondit ille: *ad sui defensionem vix ac ne vix quidem arma accepturum, vt qui sciret in Dei se suaque omnia tutela esse, qui omnes capitis sui capillos numeratos habeat, & cuius Voluntatem fieri assiduo precetur.* In Colloquio Lauffensi Anabaptista à Catholico rogatus, *An non cum alijs Christianis ad patriæ defensionem contra Turcas arma sumere velit*, idem quod Lutherus initio sui Euangelij, vt postea dicam, respondit: *Turcam precibus & oratione, non armis profligandum esse. Hunc enim esse Dei flagellum, quo Papistas & nouos Euangelicos castiget.*

III. Flissingæ, & in alijs Hollandiæ & Selandiæ ciuitatibus, Anabaptistæ ad vigilias vocati, comparent quidem, sed sine armis: ijdemque inexcubitorum stationibus tantum locantur, vt scilicet animaduerso hoste clamore eum prodant. Id enim ex religionis suæ decretis facere ipsis licet, at manum armis admouere, ac hostem depellere non licet. Nonnulli quidem arma portant, pluuerem, fomitem, alia tormenta etiam instruunt & onerant; at ignem subijcere, aut gladium educere, religioni habent. Naues eorum (multi enim rei nauticæ, ac præsertim in Belgio, student) facile dignoscuntur; vtpote nullis tormentis, aut alio quocumque armorum genere instructæ. Si in piratas inciderint, velis remisque effugere laborant. Si effugere non possunt, complicatis manibus sese dedunt, ac Deum tum quoque laudant, dicentes: *Benedictus sit Iesus Christus.* Hoc illi nomen frequenter in ore habent, tam certi salutis suæ, vt damnati se non posse, dicant. Nec vero tantum ab omni vi & iniuriæ repulsa abstinent, sed malefactori quoque manus injicere nefas ducunt. Anabaptista quidam quæ huius opinionis argumenta haberet rogatus, *Quem*, inquit, *furem aut latronem Christus D. N. & Apostoli ceperunt? cui maleficio manus iniecerunt? Atqui eorum vitam & facta nos pro virili imitari decet.* In iudicio quoque contendere, aut magistratum gerere Christianis prohibitum esse aiunt (a). Ex ipsorum enim sententia *non opus est vllo alio magistratu quam Pastore ac cæteris Paræstatis*; nec alia sententia quam quæ ab vniuerso cœtu seu ecclesia fertur. *Quid, opus habemus*, inquiunt, *magistratu si Christiani sumus?* Rogati à me, si cui ipsorum facta esset iniuria, quam eius vindicandæ rationem esset ingressurus? *Si* aiebant, *is nostræ religionis non sit, coram ipsius iudice conueniendus; sin eorundem sacrorum sit socius, monendus erit, vt iniuriam agnoscat, ac pro ea satisfacturum se promittat. Quod si promissis non steterit, indicandus est Ecclesiæ, quæ vtroque audito sententiam ferre consueuit.* Ex quibus omnibus manifestum est quam mordicus imperitâ pietate vti dementati hi homines; litteræ S. scripturæ & non spiritui inhæreant, quamque parum ad eiusdem intelligentiam penetrare queant, quæ non è priuatorum hominum sensibus, sed communi Ecclesiæ, tamquam veritatis magistræ & directricis, consensu verissime est hauriendæ.

IV. Ante omnia Iusiurandum omne, etiam quamcumque ob causam, illicitum esse contendunt, vsi ad hoc S. scripturæ testimonio, vbi dicitur, *Sit sermo vester, Est, est, Non, non* adeo vt multi acerbissima potius tormenta sustinere, quam iusiurandum, etiam coram Iudice, præstare maluerint (b). Apud Gastium Anabaptista quidam sic inquit: *Iusiurandum nullum facimus, quia Deus id in suo Euangelio prohibuit.* Etiam hodie vbi illi sunt, in iudicio nullum ab eis iuramentum aut manus eleuatio exigitur, sed simpliciter verum dicere iubentur.

Omnes ab imaginibus abhorrent, nec solum in templis, sed domi etiam: quinetiam easdam ex Biblijs ac libris suis exscindunt aut eradunt. Testatur idem Gastius, vidisse se fœminam Anabaptistica m è domo emigrare, quod S. Virginis imago in vitro ibi depictam conspexisset. *Et ego*, inquit, *si quando ad me venissent, rogabam eos an tabulis quæ frequentes in cœnaculo meo pendebant, offenderentur. Tum illi, Tibi*, inquiunt, *tamquam patrifamilias domi tuæ tuo more viuere licet, sicut etiam nos arbitratu nostro domi nostræ viuimus. Veruntamen nosti, credimus, à Deo picturas, &c. interdictas: statimque illud, Non facies tibi sculptile, decantabant.* Quod ad sepulturam, sine vlla pompa aut cæremonijs efferuntur, & communi cum reliquis sectarijs loco sepeliuntur, qui hanc eis societatem post mortem non negant, vt faciunt Catholici. Vult enim nostra religio, vt quos viuos error à nostra separauit Ecclesia, ijdem mortui à membris eius sint separati.

a *Vide Bulling. lib. 1. cap. 8. & lib. 5. cap. 9. & 10. &c.*
b *Bulling. ibid. cap. 11.*

DE COMPLVRIBVS ANABAPtistarum factionibus seu diuisionibus, earumque auctoribus.

Caput VI.

ARGVMENTVM.

I. *Anabaptistarum secta in plures factiones diuisa.*
II. *De ijs qui seminu promiscue viuntur.*
III. *Munceriani & diuersi hæretici ex eadem schola.*
IV. *De Odijs Anabaptistarum inter se.*
V. *De alijs eorum Regibus post Ioannem Leidensem.*
VI. *D. Ioanne VVilhelmi vltimo Anabaptistarum rege, & eius morte.*

I. QVEMADMODVM reliquæ omnes hæreses ita hæc quoque vix exorta, in plures factiones diuisa fuit. Neque enim in regno diaboli ulla est concordia, uti nequam spiritibus uno solũ modo decepisse nõ satis est, indies noui aliquid comminiscitur, indies noua discipulis suis secreta reuelat. Tanta vero est inter Anabaptistas diuersitas, vt è Sueuia aut Morauia in Hollandiam profecti, non recipiantur, nisi rebaptizati. Sic ergo multi qui infantes in Ecclesia Catholica baptizati sunt, ter baptizantur, vt testatur Schlusselburgius libro x. 1. Verum age præcipuas sectas seu factiones enarremus; omnes enim difficile, aut nobis certe, impossibile est. Sebastianus Francus in Chronicis suis LXX. ponit (a) Quidam *Apostolicos* se appellant, quasi veros Apostolorum imitatores. Hi nudis incedunt pedibus, eosque mutuo sibi lauant, & bona sua relinquunt, seu in commune conferunt. Hanc enim illi veram Christianorum notam esse aiunt. Hoc charitatis esse præceptum, ab ipso Christo & Apostolis vsitatum, Non posse quem diuitem & Christianum esse simul. Etsi autem lex hæc seu consuetudo inter ipsos postea mutata est, tamen hodie etiam in Morauia communem habent dispensatorem seu Oeconomum, qui æqualiter omnibus necessaria distribuit. b) Verum age, vniuersam huius Oeconomiæ rationem & admirabilem ordinem inspiciamus

Iam diu est quum in sola Morauia circiter septuaginta Anabaptistarum millia numerata fuerũt. Omnes enim in vnam matriculam relati sunt, cuius numerus vel crescit vel minuitur, prout plures vel pauciores nascuntur aut moriũtur. Nullas proprias, aut certe exiguas habent possessiones, sed mercede alienos agros colunt. In certas velut præfecturas diuisi sunt, & per diuersorum dominorum ditiones dispersi. Numero suo neminem adscribi patiuntur, qui manuum suarum labore victum sibi non quærat, aut non opificium aliquod factitet: eoque rari inter eos sunt Nobiles. Si qui vero societati eorũ nomina dẽt, pro gladio statim malleũ aut tale aliquod instrumentum sumunt, vt eo sibi suisque more ceterorum victum quærant: qui plerisque honestus & liberalis, quum multam mercedem mereant, sumtum vero faciant perparce. In vnaquaque præfectura omnes in communi viuũt; habentque singulæ Præfectum seu Regentem, cui seniores quidam ceu parastatæ adiuncti sunt. Hi diligentia quadam & industria admirabili singulis necessaria procurant. Præter hos Patrem habent, seu spiritualium rerum præfectum, qui qua publice qua priuatim eos in religione instruit & informat. Hic idem antequam ad opus exeant, quotidie orationem eis præit, quam alta voce pronunciat, ceteri iunctis manibus ac frequentibus suspirijs silentio subsequuntur. Post precationem quisque ad suum opus ac pensum vadit. Alijs concionibus quam precibus his publicis non vtuntur. Habẽt generalem præfectum seu caput suæ Ecclesiæ, sed tam secreto, vt nemini nisi ipsis tantum notũ sit, & alijs non reuelaturos, promittere cogantur. Cœnam celebrant bis quotannis, tumque mares & feminæ promiscue assident, alter alterum inuitantes, sed magna cum modestia: quam non in hac solum, verum alijs omnibus actionibus adeoque tota vita mirum in modum obseruant. Eos si videas cœnaculum reficiendi sui causa intrantes, mensisque assidentes, Religiosorum potius bene ordinatorum quam hominum plebeiorum & mechanicorum Conuentum dixeris. Vbi mensæ assederunt, quadrantem fere horæ taciti sedent vtraque manu ori admota; tumque meditari ac corde precari, adeoque sæpe in ecstasin rapi dicuntur. Idem ab eis fit, sublatis mensis. Inter cœnandum aut prãdendum adstat Archimandrita, (voce à Thebaidis Mo-

a *Franc. 3. part. tit. de Anab. Eder. inquisit. Euang. fol. 52. Vlenb. cauſ. 9. cap. 9. pag. 306.* b *Cure. Chron Sileſ part. 2 pag. 140. Munch. in colloq. Euang. Reform. fol. 4. Christoph. Erardus in histor. de Anab. in Morauia.*

Monachis olim vsurpata, appellatus) singulorum mores obseruans, & castigans. Cibo sumto singuli discedunt, nec salutantes alter alterum, nec salutati. Duo tamen aut tres sæpe vnà spaciantur, nec interim cum alijs sermonem miscent. Opus miro silentio faciunt. Sæpe triginta aut quadraginta rure simul vnà laborant, alij triturantes, alij vanno frumenta purgantes, alij aliud facientes (eiusmodi enim operas dominis in quorum ditionibus habitant, exhibere coguntur) tanto silentio vt vix toto die verbum ex eis audias, & in Pythagoreorum schola educatos credas. Et in oppidis passim in vna officina triginta aut circiter laborant, tanta diligentia, vt vix oculos ad ingredientes aspiciendos, deflectant; ipsi certe vltro neminem salutent aut compellent. Quando noctu laborandum est, omnes in spacioſa quædam conclauia se conferunt, mares à feminis seorsim, multo pensilium lychnorum lumine illustrata, quorum fumus per fistulas quasdam superimpendentes foras exit. Tanta illis munditiei, & præcipue silentij cura. Si loquendum sit, voce vtuntur humili & submissa. Eadem est mulierum quamuis naturâ sexus loquacium, disciplina, quæ supellectilem & cibos curant. Vix credat quisquam, quadringentos aut quingentos pueros ac puellas tanto silentio assidere, vt statuas esse putes. Iràfeminis reguntur, vno & eodem vestitu, eoque simpliciadmodum atque inornato, omnes amicti. Tecta pleraque sunt è stramine: in domibus tamen mira vbique apparet mundities.

Quando surgendi tempus est, vnus per dormitorium circumiens, clara, modesta tamen voce clamat, Auff Brůder/Auff/ id est, Surgite fratres, eaque verba aliquoties repetit. Sacerdotes & Religiosos Catholicos non vt cereri noui Euangelici odio & horrori habent: immo officinas eorum ingressos, nonnumquam munusculo aliquo onustos dimittunt. Sed & erga peregrinos quanta possunt maxima humanitate vtuntur. Diebus Dominicis bini per pagos & villas incedunt, ac facile agnoscuntur, dicentibus passim qui eis occurrunt, Es sind die Brůder/ id est, Fratres sunt. Eo enim nomine quum hic tum alibi indigitantur. (*a*) Nigro ijs diebus vtuntur è lana vestitu, baculosque manibus ferunt, in primo quod occurrit diuersorio mensis assident viatorum, initio magis muti quam pisces. Vbi vero vnà assidentes diligenter adspexerunt, eorumque ingenia & mores paullulum cognouerunt, differere incipiunt de extremo iudicio, de pœnis æternis, de Inferno, de diabolis & eorum crudelitate in excarnificandis damnatorum animabus & corporibus; idque vnice operam dant vt audientibus timorem incutiant (neque enim alios facile quam simplices & indoctos aggrediuntur) Quod vbi animaduertunt, aliò deflexa oratione eos consolantur, ac pollicentur viam se commonstraturos, qua, vitatis omnibus istis cruciatibus & miserijs, ad æterna gaudia perueniatur. Eam vero vnicam esse, vt quisque à malo posthac abstineat, ac se rebaptizari sinat. Et hoc quidem æstu illi ad illiciendam rudem & indoctam plebem vtuntur, dum velut gustum aliquem suæ religionis illi propinant, vt Lutherus iam suo tempore notauit. (*b*) Festos dies nullos obseruant, ac sine vllo intermissione laborant. Ex omnibus hæreticis nulli difficilius conuertuntur, non minus, immo multo minus quam Iudæi. Causa est, quod doctrinæ S. scripturam; moribus, externam quandam innocentiam prætexunt. Ebrios, rixosos, blasphemos, & alijs eiusmodi vitijs contaminatos non ferunt, sed excommunicant ac suis cœtibus excludunt (quod illi appellant in Mundum remittere) nec eos postea recipiunt. Biblijs vtuntur epitomatis, vel truncatis potius, in quibus quæ visa sunt retinuerunt, quodque de suo admistum est (cuius respectu reliquum omne fere nihil est) non minus tenaciter quam ipsum Dei verbum amplectuntur. A disputationibus abhorrent. Quod si qui prouocari certamen detrectare non possint, ita intra septa & cancellos suos se continent, vt assiliri vix possint. Hæc fere est disciplina, qua Anabaptistæ in Morauia Communitates suas regunt, in qua certe nec ordo nec quidquam quod ad religiosam aliquam domum moderandam pertinet, desiderari potest. Sed in primis fortunarum & conditionis æqualitas multos pellicere solet. (*c*)

Sunt etiam inter Anabaptistas qui *Puri* dicuntur quod ab omni peccato immunes se putent: eoque in oratione Dominica verba illa omittunt, *Et remitte nobis debita nostra.* Aiunt enim hominem post acceptum in ipsorum Ecclesia baptismum, peccare amplius non posse. (*d*) Quia enim inquiunt.

a *Munch. in Euang. Reformato.* b *In præfat. Tom. 2.* c *Vide Cura. in Chron. Siles. part. 2.* d *Eder. fol. 53. Hosius. lib. 1. pag. 436. Gast. libr. 2. fol. 23.*

quiunt, *Sanctum Spiritum nobiscum habemus, quidquid faciamus, peccatum esse non potest. Nos sumus electi ac prædestinati ad salutem. Omnes vnum tantum corpus, quemadmodum & vnum Spiritum habemus.* Hoc eodem modo Valentiniani loquuti sunt, vt Epiphanius testatur. Est prætereà alia secta quæ *Tacentium* dicitur, qui rogati de religione sua, nihil respondent, sed oculis tantum cœlum obtuentur. Alij *Separati* appellantur, qui in locis tantum solitarijs viuunt, nec vllo alio religionis exercitio quam meditatione vtuntur; vitia sua, & in primis ignauiam & stuporem solitudine tegentes. Quæ *Precantium* vocatur secta, plena est hypocryseos. Vix finita precatione, incipiunt aliam; cum hominibus numquam loquuntur, nunquam comedunt, nunquam denique quidquam faciunt, nisi prius Deum comprecati. Credo dormientes quoque orare. *Rapti* quidam appellantur, qui ab ecstasi ad se reuersi, mirabilia narrant quæ in Paradiso aut Inferno viderint; tumque ea quæ à Deo iniuncta sibi esse dicunt, sine vlla mora aut metu exsequuntur: vt is qui Anno MDXXXVI. præsente patre atque matre fratri caput abscidit, hoc à Deo mandatum sibi aiens. (a)

II. Sunt etiam qui *Liberos* se nominant, quod vt sibi persuadent, nec tributum nec obedientiam cuiquam Principi aut magistratui debeant. (b) Hi matrimonium rem Spiritualem esse affirmãt, eoq; feminis promiscue vtũtur, existimantes (quod de brutis vix quisquam credat) commistionem illam sine peccato esse; & sic quasi Platonicæ reipublicæ formam sequuti: ex quo facile verum videtur quod à Tertulliano dictum est, E Platonis schola multas hæreses prodijsse. His similes olim fuerunt Gnostici, & qui falso nomine Nicolaitæ dicti sunt, à Nicalao quodam, qui cum S. Stephano vnus fuit è primis Diaconis; vtque Deo liberius seruire posset, vxorem iuuenculam, forma & alijs dotibus insignem, præsentibus Apostolis abdicauit, eoque petulantibus quibusdam iuuenibus calumniandi occasionem præbuit, qui Nicolaitas se appellarunt, ad introducendam fœminarum communionem. Hi apud Germanos appellantur Freygeister id est Libertini Spiritus, docentque quamcumque feminam, à quocumque viro suæ religionis rogatam, sui copiam facere debere, vt si ille dicat: *Spiritus meus concupiscit carnem tuam*, statim illa respondeat: *Veni ergo, & faciamus mirabilia.* Felix Capito historiam recenset de quodam eiusmodi Inpiraco, qui amici domum ingressus ex templo in hæc verbo prorupit: *Spiritus sanctus mandauit mihi vt cum vxore tua cubem. Bene habet*, inquit maritus: & vxori mandat vt morem ei gerat. Interea dum lectus paratur, forte adspicit filiam & ætate & forma magis integram: statimque ad matrem, *Non hoc*, ait, *vult Spiritus vt tecum, sed cum filia tua cubem.* Quid fit? Vtraque Spiritui obedit, & carnem subijcit. Reuersus mane maritus (lecti enim parte nequissimo illi hirco cesserat) hominem inter filiæ amplexus deprehendit: & iratus, *Quid?* ait, *Ergo Spiritus Sanctus mentitus est? Iussit ille te cum meo vxore concumbere, & ecce tu filiam!* (c) *Idem Spiritus mandat mihi vt à te pœnas exigam.* Demersoque in intestina eius cultello, hominem occidit. Sic alius quidam ab eodem Spiritu inspiratus, filium tamquam Isaac immolauit. Hæc tragica sane & cruenta sunt exempla: quod sequitur plus habet leporis. Vetula quædam ad formosum iuuenem venerat, *à Spiritu mandatum sibi dicens vt cum eo cubaret.* At ille, *idem*, inquit, *Spiritus mihi mandauit, vt nonnisi cum bellis & iuuenculis rem habeam.* Contuli ego sermonem cum Anabaptistis quibusdam, qui opiniones suas non minus mordicus quam Lutherani aut Caluinistæ tuebantur. Rogati à me, communionem hanc feminarum inter suos esse pernegabant. Etsi non desunt, qui ante annos non ita multos tales Synagogas in Morauia fuisse asseuerant. (d) Locus vbi monstra ista conueniebant, asseribus vndique constratus erat, quatuor digitos crassis, & tres pedes longis. Post preces peractas, diligenter respiciebant an quis ipsorum sectæ non particeps, cœtui interesset. Mox exstinctis luminibus, quisque quam vellet arripiebat, cumque ea libidinem explebat; vbi sæpe quæ forma cæteris erant præstantiores, in magnis erant angustijs, procis tamquam de Helena inter se contendentibus: & in tanta obscuritate & tenebris congressus fiebant nefarij & incestuosi. Audiui ego è Belga, (qui quum XX. ætatis annum sine vlla religionis cura attigisset, tandem me assistente, sancto baptismi lauacro in Catholica Ecclesia ablutus est) in Hollandia paucos ante annos cœtus eiusmodi fuisse. Addebat idem, Cauponem quendam vni ex suis amicis elegantis vir,

a *Alber. contra Carlstad. m. 5. Sur. com. histor. 160. a.* b *Vide Prateol. catal. hæret. de Anab. Eder. in Inquis. Euang. &c.* c *Simile huius vide apud Alber. contra Carolstadium. m. F. & 7.* d *Cura Chron. Sil. part. 2. Hortens. hist. Anab. Mon. Resor. Euangel.*

virgunculæ neptis suæ copiam obtuliſſe, ſi ei cœtui ſe immiſceret. (a) Tota tamen hæc ſocietas, Fraterculorum dicta, iam perijſſe creditur. Superest tamen etiamnum ſecta eorum qui ab ipſis Anabaptiſtis *Impuri* dicuntur, eò quod præter alia, polygamiam permittunt. Certe Ludouicum Hetſerum celebrem Anabaptiſtam tredecim vxores eodem tempore ſimul viuentes habuiſſe Lindanus auctor eſt. (b) Et Lutherus de alio quodam ſcribit, qui XXIV. habuerit, nec tamen in ijs omnibus libidinem potuerit explere. Multi quidem ab ipſis editi libri doctrinam hanc de polygamia probare videntur; improbe illud interpretantes: *Erunt duo in carne vna.* Et illud Apoſtoli: *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque maritum ſuum*: quibus dictis tamen tamquam tonitru omnis hæc turpis opinio collabaſcit. Fuerunt etiam qui *Deificatos* ſe dixerunt. Amſterodami liber excuſus eſt, hoc titulo: *Homo Deificatus.*

III. In ſuperiori Germania reperiuntur Munceriani: à fatuo illo burdone Muncero ſic dicti, *qui gladium Gedeonis datum ſibi aiebat, ad nouum inſtituendum Chriſti regnum.* (c) Ex hac ſecta aliqui cum Valentinianis dicunt, *Chriſtum ex Maria Virgine non conceptum, ſed per eius vterum tamquam per canalem tranſiiſſe.* Vnde vero hæc? nimirum pater Anabaptiſtarum Lutherus quoque idem dixiſſe cenſetur ſiquidem ait. (d) *Chriſtum corporaliter & ſpiritualiter è S. Virgine Maria natum fuiſſe:* quæ ſententia à Caluiniſtis ei exprobratur. Idem Anabaptiſtæ *peccatum originale pro inani commento habent*: quam opinionem à Zuinglio ſe accepiſſe fatentur, (e) quod nimirum peccatum mortale ſit de remiſſione peccatorum dubitare. *Tum, vniuerſos homines, immo & diabolos, poſtquam ſatis pœnarum dederint, ſaluatum iri:* (f) qui error fuit Origenis in Concilio IV. Conſtantinopolitano à quingentis fere Patribus condemnatus. Ex ipſorum Doctoribus quidam credunt, *Tria eſſe tempora ſeu potius, Tres Mundos. Primum ab Adamo vſque ad Noah, qui purgatus ſit per aquam. Secundum in quo nos ſumus, per ignem purgatum iri. In tertio Iuſtitiam regnaturam, & ante generalem mortuorum reſurrectionem, Ieſum Chriſtum duo annorum millia cum Electis ſuis in hoc Mundo cum gaudio & voluptate victurum, eorumque labores & miſerias remuneraturum. Ad illum vero vſque diem, Animas vnà cum corporibus dormire* (g) Quam illi ſtultitiam à Chiliaſtis hæreticis, qui tempore Sixti I. vixere, didicerunt. Inter has vero ſectas nonnulli ſunt, *qui veteri Teſtamento non aliam quam hiſtoricam fidem deberi aſſerunt, vt quod per Nouum omnino ſit abrogatum.* Hæc Manichæorum fuit doctrina, vt S. Auguſtinus ſcribit. (h) Aiunt illi, Moſen cum Chriſto non eſſe commiſcendum. Sed reſpondet idem S. Doctor, *Eadem in veteri & nouo Teſtamento contineri. In illo vmbras eſſe & figuras; in hoc corpus & res ipſas. Ibi res figuratas, hic manifeſtatas.*

IV. Quamuis autem hæ & aliæ omnes Anabaptiſtarum factiones mutuo ſeſe oderint ac deteſtentur; exemplo tamen omnium hæreticorum, miro conſenſu in perniciem Eccleſiæ conſpirant, mutuaſque operas tradunt. Qui Ioannis Guilielmi vltimi Anabaptiſtarum regis vitam deſcripſit, teſtatur, Antuerpiæ duos è ſe viſos Anabaptiſtas ad mortem damnatos. Quum more vſitato ante ſupplicium ad cibum capiendum conſidere iuſſi eſſent, eorum alterum facere id recuſaſſe, *Nihil hic in terris cum eo ſibi rei fore*, inquiens, *cum quo partem in cœlo habiturus non eſſet.* Vtrumque tamen Anabaptiſmum prædicaſſe & Mennonis ſe diſcipulos fuiſſe. Et hæc quidem diuiſio, omnis hæreſeos ordinaria comes, etiam olim inter Monaſterienſes gliſcere cœpit. Sic enim eorum quidam ipſe ſcribit, (i) *Tot fere opiniones ac ſectas inter ipſos fuiſſe quot Doctores; quodquiſque Prophetam ſe iactaret, & hic cum Deo, ille cum Angelis colloquium ſe habuiſſe ſimularet.* Hæc Vbbo ille, qui ab Anabaptiſmo ad Catholicam Eccleſiam redijt, librumque *Recognitionis* edidit, Hic idem ille eſt, qui Theodoro Philippi Amſterodami, Dauidi Georgio monſtro hominis Delphis, Simoni Mennoni Groningæ, tribus famoſis Anabaptiſtarum doctoribus, ac diuerſarum hæreſeon auctoribus, manus impoſuit, quorum hiſtoria me vocat, vbi prius Anabaptiſticorum regum catalogum, atque eorundem exitum vobis exhibuero, de quibus ſane Satyricum illud potius quam, vti ille de bonis, dici poſſit, *Omnes vni annulo inſcribi poſſe.*

V. De primo eorum rege Ioanne Leidenſi,

a *Similia de Caluiniſtis & Puritanis habet Simon Tit. in Britannomachia pag. 276. lib. 3. cap. 3.* b *Colloq. menſ Germ. fol. 415. b.* c *Eraſ. Alber. contra Carolſtad.* d *Luth Tom. 7. Bullinger. lib. 2. cap. 13. pag. 58.* e *Idem lib. 1. cap 11. fol. 26.* f *Franck Chron part. 3. tit. de Anab. Ioannis Denck. Bulling lib. 2. cap. 15.* g *Idem libr. 4. cap. 10. & cap. 4. 5. 6. 7. & ſeq.* h *Quæſt. 33. in Num.* i *Modett. de auct. Anab. fol. 89. f. 6. Vbbo in præfat. a. b & fol. 26.*

eiusque exitu supra diximus. Post hunc alius quidam Ioannes itidem nomine, reliquias regni colligere, eiusq; sedem in Belgio constituere aggressus, (a) Bruxellis & coronam & caput perdidit. Ei successit Cornelius quidam, sed eadem fortuna Vltraiecti capite plexus. Post hæc interregnum fuit duodecim aut quindecim annis, nemine tam funestũ diadema suscipere ausо, donec diabolus tandẽ spurium quendam suscitauit, Ruræmundani sacerdotis filium, qui Monasterienſis regni ruinam restaurare conaretur. Hic primo Louanium, deinde Vesaliam venit; & sub prætextu controuersa quædam religionis capita discutiendi, cum variarum sectarum doctoribus, quarum mira ibi est copia & summa libertas, sermonem contulit, ac non multo post libellum de impuro eorum qui falso Euangelici dicuntur, matrimonio publicauit: *in quo polygamiam defendit, & cum pregnantibus, ac cum ijs qui per ætatem parere nondum possunt, concumbere, peccatum esse asserit; idque bestiarum more & exemplo probare contendit Scriptura quoque, tamquam Delphico gladio, euincere conabatur, licere id quod vnus plus nimio habet, possidenti eripere eoque alterius paupertatem supplere & subleuare. Biblia vero non vt alij, litterali (hoc hominum ambitiosorum & mundana sapientium esse dictitans) sed mystico quodam sensu, quem scilicet Spiritus S. ipsi suggessit, interpretabatur.*

VI. Hac ille ratione breui tempore multos sectatores attraxit; qui magistri doctrina, inopiæ suæ subuenire cupientes, Nobilium aliquot domos diripuerunt; ac per totam Cliuiam magna incrementa sumserunt. Rege, interim latente, ac nemini nisi suis noto. Erat homo proceræ staturæ, grauitatem admirabilem, comitate tamen quadam temperatam præseferens. Gladium ferebat, quem Gedeonis appellabat. Plures habebat reginas, regali ornatu conspicuas. Cetera quæ nequissimus hic homo docuit & fecit, lubens prætereo. Captus fuit in Ducatu Cliuiensi An. M D LXXIV. vnà cum Elisabetha, primaria vxore, quam Reginam matrem appellabant, & viginti concubinis, è quibus duæ tantum supplicio affectæ sunt, reliquis ob simplicitatem vitæ gratia facta. Non sine admiratione legi potest illa disputatio, quam Elisabetha (quæ vna ex damnatis fuit) cum Hanebergio Prædicante Vesaliensi habuit: in qua tot scripturæ loca & sententias citat, vt aduersarium pænè obruere videatur. Stultas illas persuasiones tam de religione quam de marito suo, ad extremum vsque peruicacissimè retinuit, ac sanguine suo obsignauit.

Post sumtum de duabus reginis & proceribus aliquot supplicium, rex quoque ferreis compedibus onustus, in iudicium producitur. Licet vero quintum iam annum captiuus, in carcere totus esset emaciatus, vt vix incedere posset; magna tamẽ & truculenta voce iudices inclamabat: *Facite de me*, inquiens, *quidquid volueritis. Qui me creauit, quique me fecit vt sim quod sum, miracula sua ostendet vbi opus fuerit, meque è vestris manibus liberabit. Bonus enim est, & in promissis suis verax.* At vanum hoc fuit vaticinium. Postquam enim miser hic homo aliquot annos inter mille miserias ipsa morte cruciabiliores, in carcere exegisset, tandem ad palum alligatus, & lento igne exustus fuit. Nullum delictum fateri omnino voluit: sed durante supplicio, Deum inuocare, ac promissorum admonere non desistebat. Ecce cineres vltimi Anabaptistarum regis: è quibus nullus adhuc nouus phœnix prodijt. An vero futura sæcula aliquem productura sint, experientia docebit. Ipsa certe secta vt è Lutherana velut naufragio enata est, ita in quibusdam tantum Germaniæ, Belgij, & Poloniæ angulis delitescens, & ipsa non naufragium, sed communem cum omnibus hæresibus interitum exspectat.

DE ANDREA CAROLSTADIO, nostri temporis Sacramentariorum antesignano.

Caput VII.

ARGUMENTUM.

I. *Per Sacramentarios diabolus Christo primum bellum intulit.*
II. *Andreas Carolstadius primus nostri temporis Sacramentarius.*
III. *Vnde suam doctrinam, se ipso teste, hauserit.*
IV. *Andreas Carolstadius quis & qualis fuerit.*
V. *Ex amico intimo Lutheri acerrimus eidem fit inimicus.*
VI. *Carolstadius primus ex sacerdotum ordine, vxorem ducit.*

NON minus absurda quam furiosa Anabaptistarum secta plures mihi paginas fecit quã initio

a *Hortens. libr. de Anab. fol. 84. in fine. Nicol. Bleesdick. nar. de secta D. Georg. lit. e. 7.*

initio constitueram. Quia tamen inter hæreses nostri temporis ipsa quoque singularem tenet locum; ac, quod sciam, nemo vnus omnia eius, quæ quidem inuestigari possunt, descripsit: ipsam quoque cum omnibus armis, insignibus, manipulis, & impedimentis in hunc in campum producendam mihi existimaui. Iam ad alias duas eiusdem Lutheri, communis omnium parentis, filias accedo, ortum earum, vel abortum potius, lenocinia, & quidquid ad eas pertinet, descripturus; facto initio ab ea quæ licet pessima sit, & maxime deformis, ceruscâ tamen suâ & fuco plures quam reliquæ procos inuenit. Sacramentariorum sectam intelligo.

Quemadmodum vero magnorum exercituum imperatores, ad regnum aliquod occupandum proficiscentes, quacumque iter faciunt obuia quæque quà vi quà fraude occupant quidem, prosternunt, & ne hostibus vsui sint, ferro & igne corrumpunt: interim tamen suas omnes cogitationes & curas eò conuertunt, vt ipsa regni sede aut eo in quo victoriæ ac rerum summa posita est, potiãtur: sic vetus ille bellator, & bellicosus veterator, varijs strategematis ac multiplici vi ciuitatem Dei oppugnat, statuas confringendo, deijciendo altaria, leges omnes à Vicario Dei in Ecclesia ad eius conseruationem latas contemnendo ac proculcando. Verum hæ leues tantum sunt quædam procursationes & velitationes. Plena acies ad oppugnandam præcipue ac destruendam Sacrosanctam Eucharistiam, præcipuum Christianæ religionis mysterium ac firmissimum fidei fundamentum, directa est. Vix Testamentum suum promiserat Saluator, quum ecce Capharnaitæ mussare incipiunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Vbi Cyrillus ait, *verbum illud Quomodo in Dei operibus vsurpare, Iudaica infidelitatis esse proprium: eosque qui id faciant, omnibus pœnis & tormentis dignos esse.* Hinc S. Augustinus, (*a*) diabolum domui Dei oppugnandæ primum velut arietem per Sacramentarios admouere testatur. Sic quod per Capharnaitas cœperat, per Simonem & Menandrum idem fuit prosequutus, qui diuinitatem atque immortalitatem Christi negabant. Ex horum schola prodierunt. (*b*) Cataphrygæ, Pepusiani, Manichæi, & Ophitæ. Horum alij venerabili huic Sacramento infantium sanguinem, alij semen virile (ô nefariũ atque exsecrabile scelus!) admiscebant. Nec minus strenue postea idem augustum & sacrosanctum Altaris Sacramentum oppugnatũ fuit per eos, qui pro ridiculo spectaculo ac ludo habebant atq; etiamnũ habent, sacerdotem cum ministris adstare ad aram, & super frustillo panis verbis aliquot recitatis, in momento non lunã, sed Dei filium, incantationibus suis, cœlo deducere. Sic enim impij isti de sacerdote loquuntur, *ad cuius preces*, vt S. Hieronymus ait, *corpus & sanguis Iesu Christi in instanti conficiuntur; & panis*, vt eadem de re S. Gregorius Nissen. scribit, *in corpus Iesu Christi mutatur.* O impios, qui incantationes, verba ex ipso Saluatoris ore prolata, nominare audent? Post Simoniacorum & Menandrianorum assultum diabolus aliquãdiu quieuit, sed magis vt vires interea colligeret, quam pugnam omitteret: donec Anno DCCL. circiter Iconomachos excitauit, qui dicebant, in Ecclesia nullam aliam ferendam esse imaginem quam solã Eucharistiam. Ad quam blasphemiam tota contremuit Ecclesia; & animaduersa istorum hominum fraude, definijt ac decreuit, (*d*) SS. Eucharistiam non imaginem Iesu Christi, sed ipsum Iesum Christum esse. Quinquaginta annis post Scotus eandẽ quæstionem mouere voluit, cui tamen mox à Concilio Vercellensi os fuit obturatum. Post ducentos ab eo tempore annos Berengarius Archidiaconus Andegauensis, diaboli instinctu maxima vi firmissimam hanc Ecclesiæ arcem inuasit. (*e*) Ac meo iudicio non errant, qui primum hunc Sacramentariorum auctorẽ & patrem faciũt: cuius error postea à Zuinglio, realem præsentiam negante, & à Luthero quoque, impanationẽ tantũ concedente, fuit renouatus. At Berengarij vox in Francia tantum fuit exaudita, neq; vlterius potuit penetrare. Operæpretium est audire, quid de eodẽ Noui nostri Euangelici in Francia sentiant. Fatentur enim (*f*) Berengarium odio potius aduersus Lanfrancum & Rogerium, & victoriæ ac gloriæ spe, quam veritatis reuelandæ aut defendendæ studio, certamen hoc de Eucharistia suscepisse: immò eundem de Matrimonio & Pædobaptismo minus recte sensisse. Sic ipsi pudenda patris sui reuelant. Leo IX. PP. vt nascenti malo occurre-

a *In Psal. 54. S. Ignat. epist. ad Iren. Theodor. in Dial. Impa. Sept. Synod. Act 6.* b *August. har. 64. de consecr. dist. 2.* c *Epist. 5. ad Euang.* d *2. Syn. Nice Act. 6 Damas. lib. 4. c. 14. Lanfranc. lib. de ver. corp. Christi Genebr. in Chron. Abbas Vrsperg.* e *Petr. Opeemer. in Chron. an. 1099. fol. 368. b. Malmesbur. in Chron. Angl. fol. 113. k iij. Vrsperg. Cario. & alij.* f *Libro de statu Ecclesiæ.*

ret, Berengarium statim ab Ecclesia abscidit; tum etiam hæresin eius per Concilium Romæ celebratum condemnauit. Eius successor Victor Concilium in Turonibus indixit, in quo Berengarius errorem suum abiurauit; deinde relapsus, Romam citatus fuit, præsentibus centum & tredecim Episcopis culpam suam falsus, sua manu eam in rem à se scripta cremauit, vt è Canone cuius initium, *Ego Berengarius*, &c. videre est. Id vero factum fuit Nicolao II. Pontificatum gerente, quem eam ob caussam Sacramentarij tantopere oderunt & detestantur: quamuis Lutherus (*a*) optet vt omnes Pontifices tam Christiane se gerant vt hic erga Berengarium se gessit, ad hanc confessionem eum reducens. Sed tertium relapsus Berengarius, & Gregorio VII. Pontifice erroris conuictus, Archidiaconatu abdicato, ac bonis inter pauperes distributis, in monasterium Cluniacense secessit, vt eius loci Chronicon testatur. (*b*) Morti iam propinquus in lectulo decumbens, exclamasse dicitur, Lethomille mortibus peiori se emori, ob erroris & peccati sui recordationem. (*c*) *Mi Deus*, inquiens (vt Guilielmus Bibliothecarius, qui illo tempore vixit, testatur) *tu hodie mihi, vt spero, apparebis ad meam salutem. Ah! quantopere Inferni metus animam meam affligit, ob prauam meam doctrinam; eo potissimum quod eos, quos seduxeram, ad veram Sacramenti tui cognitionem reducere non potui.* Nec tamen hominis huius pœnitentia culpam ita deleuit, quin memoria eiusdem hodieque sit detestabilis, vt qui primus omnium Sacramentarijs viam strauerit, qui post ea infames huius hæresis reliquias recollegerunt. Scribunt quidam, (*d*) S. Hubertum al. Fulbertum morti proximum, quum monachum hunc in cubiculum suum introëuntem vidisset, exclamâsse; *O Deus, quis iste est! Ecce diabolum video auribus eius nescio quid injusurrantem.* Lambertus Danæus, Sacramentarius Sedanensis, contra eorum, qui præsentes Berengarium morientem aspexerunt, eiusque pœnitentiam & confessionem audierunt testimonia, ait, (*e*) eum doctrinam suam constanter ad extremum vsque defendisse, & in ea animam Deo reddidisse. Chemnitius Lutheranus econtra eum quamquam maledictum hæreticum detestatur (*f*) illud quidem negari non potest, nec conuersione nec morte huius hominis, hæresin eius fuisse exstinctam, *qua, vt Guitmundus scribit*, (*g*) in tres sectas, vt fere hodie etiam Sacramentariorum, fuit diuisa. Quidam enim Eucharistiam vt meram figuram tantum percipiebant. Alij præsentiam corporis fatebantur quidem, sed ita vt dicerent panis & vini substantiam manere. Alij vero panem & vinum in verum corpus & sanguinem mutari, sed non nisi à pijs ac tanto mysterio dignis percipi, in indignis vero ad priorem panis & vini naturam redire asserebant, hoc modo plus creaturæ quam creatori tribuentes, & verbo Dei vim suam adimentes.

II. Post Berengarium nemo contra augustum & venerabile Altaris Sacramentum os palam aperire, & Iesu Christi in eo præsentiam negare ausus est. Petrobusiani enim, Abaillardi, Albigenses, VValdenses, VVicleuistæ & Hussitæ balbutiebant tantum, corporis præsentiam sub & in pane concedentes: donec tandem anno M. D. XXIV. quidam Lutheri discipulus, & primus quem ille ex sacerdotum ordine Ecclesiæ subtraxit, (*h*) Andreas Carolstadius nomine (de quo primo libro aliquid diximus) Omnipotentis omnipotentiam denuo oppugnare non dubitauit, quod imaginari sibi non posset quo modo idem vno & eodem tempore in altari simul & in cœlo esse, & panis caro fieri possit: non memor eius quod Eusebius Emissenus admonet, (*i*) *Non hic anxie inuestigandum quomodo id fieri possit. Res diuinas non esse scrutandas, sed credendas. Creatoris omnipotentiam, & diuini verbi auctoritatem pro lumine & ratione habenda, neque enim in rebus diuinis quidquam pretiosum & admirabile futurum, si scientia nostra comprehendi possent.* Hic igitur magistri gloriæ inuidens, seque præ illo contemni ægre ferens, postquam duos fere annos Lutheri doctrinam professus fuisset, nouam de S. Sacramento doctrinam comminisci atque proponere statuit. (*k*) quam à viro humana statuta maiori, qui sibi apparuerat, accepisse se aiebat. Hunc quidem illic cœlestem Patrem fuisse, Lutherus vero diabolum in Angeli specie fuisse contendit (*l*) Docuit vero, panem in Eucharistia nihil aliud esse quam signum & symbolum fraternæ ac Chri-

a *In magna conf.* b *Bergom. supple. Chron. Gerson* c *Lanfr. de Euchar. Guil. Biblioth. lib* 3. *cap* 58. *de gest. Angl. Sabell. in Ennead. Vincent. part* 2. *spec. lib* 25. *cap* 30. d *Malmesbur. in Chron. Angl. lor. cit. fol.* 113. e *Lib. cont. Selnec. pag* 31. f *Lib. de Cœn. pag.* 325. g *Lib. cont. Bereng.* h *Bismarc in Vita Carlstadij Sur. Cochl. Genebr. in Chron.* i *De Symb. hom* 1. k *Alber. contr. Carlstad. Hunnius libr. de Cœna Dni. cap* 14. l *Tom* 3. *Ien. pag.* 68. *Zuing. in epist. ad quendam.*

Christianæ charitatis: & Salvatorem verba hæc, *Hoc est corpus meum*, pronunciantem, non panem corpus suum appellasse, sed corpus suum quod mēsæ assidebat, commonstrasse, quasi commiserationis in discipulis excitandæ gratia dixisset: Ecce corpus meum in medio vestrûm, quod in cruce pro vobis immolabitur; quod tamen (ut alius hæreticus (*a*) eadem verba interpretatur) mox resuscitatum & ad cœlos sublatum videbitis. Sed quid? an quum Salvator ait, *Hic calix est sanguis meus*, an venas suas ostendit, & non id quod in calice erat? Christus, ipsius opinione, sedet ad dexteram Dei ita affixus, ut inde discedere non possit, nisi ad id demum temporis quando ad iudicium universale mortuos è sepulcris est evocaturus. *At sim Sacramento sit altaris* (*b*) *ait Carolstadius, ut Papista & Lutherani dicunt, necesse est, ut è cœlo descendat, ut sit in Sacramento, & è Sacramento rursus in cœlum ascendat, ut sit in cœlo.* Sic ineptus hic & demens Christi corpus Naturæ legibus, veluti Promethea olim Jupiter caucasiæ rupi, alligat vel inter cœlū & terram instar Mercurij volitare debere fatuè persuadet. Jdem porro alibi inquit, *Sibi tam persuasum esse Christum in pluribus locis esse corporaliter, quam persuasum sit, Sanctam Annam quinque habuisse capita, & innocentem infantem habuisse barbam duodecim cubitos prolixam.* Jdemque dictum hoc, *Hoc est corpus meum*, ait, *plenam ac perfectam esse periodum, qua etiam Christus alibi nulla Sacramenti facta mentione, usus sit: eoque à litera capitali Hincipere, quod genus litterarum novæ periodi initium designet. Sic igitur verba ista per parenthesin, ut Grammatici vocant, inserta esse, sententiâ nihilominus integrâ. Melius facturos fuisse interpretes, si Græcam illam vocem, τοῦτο, Latinis immistam reliquissent, atque ita legissent, τοῦτο Hoc est meum corpus meum: Tum enim facile cognosci potuisse, quid vox ista τοῦτο significet: qua scilicet neutrius sit generis, atque vocem Panis masculini esse generis, eoq; cum illo τοῦτο non coniungi, nec inde eorum opinionem confirmari posse qui dicunt panē esse corpus Christi. Tam Græcam enim quam Latinam Linguam non permittere ut sic dicatur, τοῦτο ἄρτος, aut, Istud panis est corpus meum. Sequidem in ea semper fuisse sententia, Christum corpus suum monstrantem dixisse, Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Neq; enim ibi panem monstrare, neque dicere, Panis hic est corpus meum: sed qui dicunt, Panem esse Christi corpus, mentiri, ac sua figmenta proferre. Verba hæc, Hoc est corpus meum, utrimq; punctis inclusa, eoq; sensum eorum neque à præcedentibus neque subsequentibus pendere, sed ea distincta à reliquis esse & separata. Quocirca omnino fatendum esse, Christum dicentem, Hoc est corpus meum, non panem, sed corpus suum monstrasse* (*c*) Quid? an non homo hic plane delirare tibi videtur? qui ut quæstionem hanc tanti momenti decidat, nihil nisi cerebri sui figmenta, absurda plane & ab omni recto iudicio aliena affert!

III. Credo equidem (nec vana fides) Spiritum hunc à quo ille tam rarum, tam altum ac tam excellens mysterium didicit, spiritum aliquem fuisse familiarem, qui hæc ei commenta in aures atque animum insufflarit, eundem forte quo olim Numa Pompilius sub Ægeriæ Nymphæ nomine familiariter usus est: quemadmodum post Lutherum Cōrardus Kizius scribit, ea occasione Carolstadium diabolum incarnatum appellans. Sed & ipsa veritas hanc confessionem ex ore eius expressit (*d*) Fatetur enim ipse, sibi verborum istorum, *Hoc est corpus meum*, intelligentiam rimanti, quendam apparuisse, ac revelasse, omnes qui credunt Christi corpus in altari esse, idololatriam committere; & universam Eucharistiam nihil esse quam mortis Jesu Christi commemorationem, eoque tam Papistas quam Lutheranos qui aliter credant, esse idololatras. (*e*) Jnitio quidem Carolstadius Lutheri velut alter erat Alexis, & deliciæ domini: quem etiam cæteris omnibus præferebat, adeo ut in Lipsiensi disputatione contra Eccium primas ipsi dederit, vel potius sese ipsi succenturiarit. at nunc, ut superbos inter semper evenit, odia & iurgia inter eosdem. Novam hanc Carolstadij interpretationē & sententiā complures statim eodē ingenio prædicti, amplexi; alij vero tamquam insani hominis deliramentum, aspernati sunt. Eius auctorem seu suggestorem alij Sanctum, alij malignum spiritum esse dicebant: interim vero Carolstadius in sententia persistebat. (*f*) Porro Luthero absente seu latitante adhuc in Alstetensi secessu An. 1521. exeunte (*g*) idem VVitebergæ, ubi Archidiaconus erat, cōgregata temerariorum adolescentium manu, è templis statuas confractas eiecit, & sacrā Eucharistiā profanis manibus contingendam exhibuit, experiri iubens, an ibi quidquam aliud esset præter panem

a Oecolam. in expos. verb. Hoc est. b Carolstad. in dial. de Cœn. cont. Conf. Luth. Lto de ver. & fal. relig. c Vide Bismarcum in vita Carlstadij & Alberum R. 7. d Vid. Lang in vit. Carolstad. e Rud. Schlusselburg de Cœn. dō. Sebast. Frec. orat. histor. confes. Aug. pag. 26 Cochl. fol. 126. g Vlenbergius in vita Luther. cap. 9. n. 2.

nem & vinum; altaria demolitus est, & Christianam Libertatem pleno ore prædicavit, ac præcipue in indifferenti ciborum vsu[a]: neq; quisquã magistratuum tam cordatus erat, vt nefarij hominis conatibus obuiam iret. Id Lutherus è Pathmo sua reuersus An. 1522. 6 Martij ægerrime tulit, eoque nomine in publicis ad populum concionibus ac scriptis etiam valde eum reprehendit, [b] non tam ipsa rei indignitate motus, quam quod talia se vtpote Euangelista & propheta inscio & inconsulto ausus fuisset. Sed audi quid Euangelici in Palatinatu præcones de hac ipsa re scribant & iudicent. Aiunt [c] *postquam Lutherus ad euitanda pericula, VVittebergâ digressus fuerit, Carolstadium noua dogmata quæ ad Christianam pertinent libertatem, proponere ac docere cœpisse; de licito omnium ciborum vsu, de Missæ abolitione, de mutatione cæremoniarum, & Cœnæ Dominicæ restauratione: atque interim imagines omnes è templis eiecisse. Quamuis autem horum nihil malum fuerit, si tamen male cœptas Carolstadij actiones non probare, non solum quod rerum quarundam veritatem falsis & ineptis rationibus obscurarit, verum etiam suo ipsius consilio ac propria auctoritate, cum periculo & scandalo Ecclesiæ tum adhuc nascentis, quædam facere ausus sit, neque Luthero, quem Deus ad hoc peculariter elegisset, earum rerum auctoritatem detulerit.* Ecce quomodo hi in falsa Ecclesia caput agnoscant, in vera reprobent. Lutherum aiunt à Deo fuisse electũ? Sed cur, quæso, huncpotius quã Carolstadium. Erat Lutherus persona Regularis ordinis D. Augustini, nullam habens ordinariam Iurisdictionem Ecclesiasticam, nisi quam ei indulserat suus superior à Pontifice Romano acceptam, cum ea limitatione, qua eam & Generali Ordinis limitauerat Pontifex, & Generalis Prouinciali, & Prouincialis Luthero ipsi. & quam præterea adhuc Episcopus loci vel approbare vel ratam habere debuerat. Adeo Lutherus in foro cæli dependebat à superiore potestate. At Carolstadius erat ab Ordinario suo Episcopo creatus Archidiaconus & Episcopus à Romano Pontifice acceperat ius pascendi animas, proinde hic multo propinquius Ius habebat, quam Lutherus. Siquidẽ Archidiaconi sunt Episcoporum oculi, & dextra manus. Oportebat sane Caluinistas huius potius, vtpote melius fundatum ius habentis, & ipsorum sententiæ magis fauentis, quam Lutheri partes suscipere. Hic enim cum ipsis *Imaginum cultum idololatriam appellat:* non sic Lutherus. Carolstadius cum ipsis *sacerdotum cœlibatum spernit*: Lutherus vero quãuis amore Nonnæ seu Religiosæ à se conspectæ pene insaniret, votum tamen prius violare ausus non est, quam Carolstadius ei exemplo præiuisset. Ille cum Caluinistis *Missam abominationem appellat;* hic vero partem eiusintegram & illæsam reliquit. Ille *corpus Christi non in Eucharistia, sed in cœlo esse asseuerat;* Lutherus econtra sub panis & vini speciebus per omnipotentiam esse dicit. Ergo semi-Caluinistæ Carolstadio potius, missi à Deo legati honorem, quam Luthero Caluinistæ deferre debebant: quorum tamen vtrumque eodem illi ore & quidem ordine peruerso aliquoties, condemnant. Nam, ecce, alia tibia aiunt. *Carolstadium reprehendendum quidem esse, sed multo magis Lutherum. Hunc enim VVittebergam reuersum, ea quam ante probauerat improbasse, & quæ improbauerat approbasse, ex ira quadam & indignatione contra eum à quo se contemtum existimabat. Tanto vero plus reprehensionis mereri, quod hominis huius ætate & ingenio ferocis ac limites transgressi, ardorẽ & feruorem non lenitate & mansuetudine restinxerit; sed voce ac scripto magis inflammarit,* (d) *eum ad certamen prouocans, dato aureo florenotamquam arrhabone. Quod enim ad Imagines & panis eleuationem attinet, confiteri Lutherum illa se abolere voluisse, postea tamen retinuisse, ne à diabolo quidquam didicisse videretur.* Sic quidem Caluinistici Euangelij in Palatinatu præcones de Luthero & Carolstadio loquuntur. Ex quibus omnibus apparet, Carolstadij furorem Lutheri insaniæ velut frænũ quoddam aut remotam iniecisse; vt qui Imagines è templis eijcere, aut Missam abolere noluerit, tantum eo ne discipulum, cui illum honorem forte inuidebat, imitari videretur. Sed & credibile est hoc eum patroni sui Friderici Saxoniæ Ducis voluntati dedisse, qui vt Missã plane aboleret, numquam consentire voluit: (e) nam cum An. superiore circa Octobrem Augustiniani Monachi Wittebergæ, Lutheri spiritu imbuti, ipso absente, abrogassent Missam in suo Conuentu, & Lutherus id datis ad eos literis Kal. Nou. probasset, & authores animasset, (f) Elector autem Fridericus, amanda

a *Vlenbergius in Vit. Lutheri cap. 9 num. 2. Opeemer. in Chron pag. 458. b Seidel in histor. Luth fol. 15. Sur. com. histor. pag. 114. Card Hos. lib. 1. de hæres. pag. 427. Sleidan. lib 3 fol. 60. 61. b Chytræus lib. 10 Chron. Sax. pag. 297. Luth. Tom. 7. VVitteb. edit. Vlenb. loc. cit. exhib. excerptum istius modi concionũ c Hist. de Cœn. Aug. lib. de autũ. Luth. d Peucer narrat. histor. de Melanch. pag. 9. e Vlenb. Vit. Luth cap. 9, num. 2. Hos. lib. 1. de hær. loc. cit. Vlenb. caus. 21. c. 21. Alber contra Carlst. v. 5. 6. Osiand. cẽt. 16 lib. 1. c. 33. pag. 89. m. f Selnec. p. 25. Cochl. p. 72. Matthis. p. 32. Tõ. 7. oper. Luth. VVitt.*

das-

dasset Doctorem Iuris Georgium Pontanum, ad Vniuersitatem vt sibi rationes insolentis facti perscriberent; & ad id delecti fuissent Ionas, Doltzius, Carolstadius, Schurfius, Ambsdorffius & Melanchton. Hi auditis Augustinensium rationibus, quas illi è Lutheri libro de Abroganda Missa, & Lutherus à diabolo se ipso teste, didicerant, eas comprobarunt suo calculo, & Electori rescripserunt, qui tamen rem altius perpendens, istos calculatores grauiter per Doctorem Iuris Christianũ Beyer denuo admonuit, vt in re tanti momenti nihil innovarent pauci, aduersus totam Ecclesiã. Et cum ea ratione in disputationem incidisset cũ hisce Apostatis ipse Elector, & se, vtpote Theologiæ imperitus, nec Theologos alios adhibens, expedire non posset, Mandauit nihilominus, Traditione veteri victus, vt Canonici Collegiatæ Ecclesiæ suæ omnium SS. VVittebergæ, omnino Missæ Sacrificium retinerent, quod & fecerunt, donec Lutherus sensim perfregit, quod Carolstadius & socij eius cum impetu factum voluerunt. (a) Ita factum fuit, vt Lutherus frigidam affundens feruori dixerit: *se sacrificiũ illud, eleuationem, & alia è diuersis rebus pijs & sanctis composita, tollere plane nolle, quãuis multa eis friuola & inepta sint admista; Fridericus verò*, quoad vixit, Lutheri ferociã cohibuerit; cui cũ Ioannes Fridericus filius, Anno MDXXIII. patri successisset, omnia permisit, sic vt ille tamquam novus Pontifex, immò cœlitus missus Legatus abiecto monachali cucullo, quo hactenus vsus fuerat, Laici habitũ sumeret, ac libitu suo omnia in sacris rebus disponeret. Reuersus ergo, vti diximus, VVittebergam Lutherus, ira æstuans, non voce modo & scriptis, verum etiam anathemate Carolstadium ac reliquos iconoclastas insectabatur, Imaginibus tum tam non iniquus, vt etiam Tomo III. Ienensi aperte scripserit, à Mosaica lege nullam aliam q̃ Dei imaginẽ prohiberi, Crucifixi verò Saluatoris aut alterius Sancti imaginẽ, citra vllã impietatẽ, imò cũ fructu aliquo haberi posse. Et sane etiamnũ Lutheranorũ templa varijs imaginibus tam pictis quam sculptis ornata videmus: vt eas propterea Beza *Saxios prædicatores* appellet.

Verum ne quis calumniari nos aut sinistre interpretari Lutheri verba existimet, adscribere ea placet. (b) Ait ergo: *Primum dico, secundum legem Moysis, nullam aliam prohibitam esse imaginem Dei: Crucifixi autem vel alterius Sancti imaginem habere prohibitum non est. Sicut Gallia non curat ius Saxonicum, sic nec ingeratur nobis Moyses. Nos in nouo Testamento Moysen nec videre nec audire volumus*, Idem alibi (b) præcepta de Imaginibus & Sabbatho inter cæremonialia refert, à Christo abolita. Et hoc quidem initium fuit & occasio æmulationis inter Lutherum & Carolstadium, quæ mox in apertas inimicitias erupit. *Scopus diaboli*, inquit Lutherus, (d) *non est Imagines demoliri, sed hoc modo viam sibi ad humanum effundendum sanguinem aperire.* Et post pauca: *Etiamsi verum esset, & me credere oporteret, Doctor ẽ Carolstadiũ non amare neq; cades neq; seditiones: attamen dicere me oportet, eum habere spiritũ seditiosũ atq; auidũ cædis, quamdiu in violenta Imaginum demolitione p r seuerat, temerariumq; vulgus ad se allicit. At dixeris, Nõ erit sic obstinatus, sinet se doceri, & ab huiusmodi cœptis desistet. Quis? Doctor Carolstadius. Verba quidẽ pulcre scit dare, & scriptis euulgare quod velit doceri, ac melioribus acquiescere. Quando vero audiuit, aut cessit vlli? Quoties monuit eũ Philippus VVittebergæ, ne sic tumultuaretur contra Mosen, contra Imagines, contra Missam & Confessionem? Quumque ego reuersus contra iconomachiam & Missam eius prædicarem, cur non destitit, cur non auscultauit?* Hæc de Carolstadio tum Lutherus. Illum quidem Pseudoprophetarum quorundam, apparitiones & colloquia cum Deo simulantium familiaritate vsum ac seductum fuisse constat. (e) Pelargi imprimis seu Storkij, Stubneri & Cellarij, è quibus Stubnerus cum Luthero disputaturus, quum Spiritum Dei se habere dixisset, *Ergo*, Lutherus inquit, *non faciam vt cum Deo contendisse videar*: sicque hominem elusit.

Nullam vero ob rem acerbius reprehendit Carolstadium Lutherus, quam quod S. Eucharistiam profanis manibus tangendam ac tractandam exhibuisset. *Cauete vobis*, inquit (f). *Deus non potest ferre iocum, sicut sancti ferunt.* En miram Latini sermonis elegantiam; sed multo magis miserabilem in tali homine zelum. Carolstadius quamuis ad quotidiana Lutheri conuicia non taceret videns se contemptum præ Luthero tempori cedendum existimans, VVitteberga discessit Orlamundam, à ciuibus eius oppidi vocatus, vt istic Pastoris, verius Lupi, officio fungeretur (g) qui opiniones suas ibi disseminauit, magistri vero sui *Impanationem* impugnaret. *Inter superbos semper iurgia sunt*, inquit Sapiens. (b) Id certe si vmquam, in his

a *Vlenb. in Vit. Luth. cap. 9. num. 2* b *Tom. Ien 3. in 1. part cont. cœlest. Proph.* c *Colloq. mensal. Germ pag. 152. 153. Vlenb caus. 18. cap. 18.* d *Luth. lib 1. de celest. Proph. Hos lib. 1. de hæres. fol. 427.* e *Selnec. fol. 28. Bismarc. in Vita Carolst.* f *Serm. Dom. 1. Quadra. Cochl. Act. Luth. f. 45. Alb. contra Carlst. R. 3. 4* g *Prou. 13.*

in his hominibus verum fuit. Lutherus Carolstadium, quam diu cum ipso senserat, *magnum virum & Dei Spiritu incitatum* esse prædicabat; at quum is novam sectam sibi cudisset, *hominem à diabolo possessum, immo diabolum incarnatum* appellauit. Sed operæ precium est audire, qua illi ratione in mutuas contentiones exarserint. Rem Lauaterus, (a) Zuinglius & Wolfius (f) sic narrant. *Anno* MDXXIV. *die* XXII. *Augusti Lutherum & Carolstadium Ienæ in diuersorio publico, cui pro insigni erat niger Vrsus, è familiari sermone in disputationem de S. Eucharistia delapsos, multis præsentibus inter alios Imperatoris ijs in locis negotiorum gestore, & Marchione Brandeburgensi: quumque Carolstadius realem corporis & sanguinis Iesu Christi presentiam tamquam impossibilem, pernegaret, grauiter à Luthero propterea fuisse reprehensum. At Carolstadio suam opinionẽ mordicus defendente, ac dicente, etiam publico scripto eam defendere se paratum: Lutherum aperta crumena, aureum florenum protulisse, cum his verbis: Accipe, sis, nummũ hunc, & fac quod dixisti. Tum Carolstadium accepto nummo, eo velut auctoramento ad prælium hoc Sacramentarium sese obstrinxisse.* Sic Lutherus sua propria pecunia aduersarios tam sibi, quam posteritati suæ emit, à quibus postea vehementer eius doctrina fuit oppugnata, & adhuc *sine vlla spe (c) reconciliationis*, oppugnatur. Pignerationis huius Schlusselburgius quoque mentionem facit, vbi Melanchthonis de Cœna Domini sententiam explicat. Neque Lutherani factum negant, sed alijs quibusdam coloribus velant. *Ad florenum aureum quod attinet*, inquiunt, *de quo aduersarij tantopere se iactent, non eũ à Luthero propterea Carolstadio datum fuisse (quemadmodum VVolfius diabolus magistrum suum imitans, scribit) vt eo malam caussam sibi emeret; sed quum Carolstadius metuere se diceret, ne libri quem sub prælo habebat, editio à Luthero impediretur; Lutherum, vt ostenderet non modo editionem se non impediturum, verumetiam sua ope qua posset promoturum, de suo aliquid contribuere voluisse. Neq; propterea dissentiones amasse Lutherum existimandum; sed quum intelligeret hominem illum in suo animo aliquid monstri alere, maluisse illud quidquid esset, hoc modo in lucem protrahi, quam in secreto apud alios diffundi. Aureo hoc nummo vulpem illam è latebris suis fuisse extractam; & Carolstadio Lutherum insimulanti quod libri ab ipso conscripti editionem impedire vellet, os occlusum.* Porro ipsum Colloquium coram Gerardo VVestenbergio Coloniensi Doctore & alijs plurimis habitum Tom. 2. Ienensi fol. 462. ad 466. & Tomo 3. VVitteb. fol. 290. ad 312 expressum, exhibet Latine Vlenbergius Vit. Lutheri cap. 13. num 3. quod quisquis legerit, admirabitur. Post illud vero Ienæ habitum 23. Aug. ad 24. Aug. Orlamundam inuitatus à senatu venit Lutherus curru vectus, quem pedites Consul & Senatores deducebant, ibidemque Carolstadium persequi cæpit (d) sed primum à Senatoribus impugnatus Lutherus erroris & mendacij conuictus est, tum denique à Sutore in turba etiã idololatriæ assertæ, idque ex scriptura, magno vtrimque clamore & zelo, donec in os vti convictus ita condemnatus, ad currum suum festinauit, quamuis ad differendum de Eucharistia & Pædobaptismo reuocaretur. Sed ille ad libros suos remittens, excessit, euasit, erupit. nec multum abfuit quin lapidibus & luto obrueretur. Acclamatum ita fugienti est: *Abi in nomine mille damonum. Vtinam præceps corruas fractis ceruicibus, antequam ciuitatem egrediaris.* (e) Et sic ille à suis Absalonibus tractatus VVittebergam redijt, & Carolstadium apud Electorem grauissime accusans, scriptis exagitans, è Saxonia expulit fugauitque, qui Argentoratum tandem exul peruenit, & pactum ex Lutheri aureo dato, impleuit Germanico edito libro, in quo interloquentibus Emsero, Luthero, & Petro Laico, *de Horrendo & Idololatrico abusu Venerabilis Sacramenti* disceptatur. nec multo post idem alios fanaticos libros emisit *de diuina reuelatione, De raptu seu ecstasi spirituali, De abolitione artium*, &c. Basileamq; imprimendos misit, ipse deinde Tigurum, vt Zuinglium videret atque alloqueretur, profectus est: Luthero interim per litteras persuadere voluit, quæ de præsentia corporis Christi alijsque eò pertinentibus quæstionibus scripsisset magis inuestigandæ veritatis studio quam quidquam definiendi proposito à se scripta esse. At Lutherus omnes monuit, vt à Nouitio hoc Diabolo sibi caueren̄t, qui Christi omnipotentiam & in Sacramento altaris præsentiam in dubium vocaret (f) edito libro de cælestibus prophetis: exstat

a *Lauath. histor. Sacram. an. 24. pag. 2. a 2.* b *VVolf. histor. Aug. Confes Vlenberg. Vit. Luth. cap. 13. Peucerus Narrat. hist. de Philip pag. 9.* c *Liber intitulatus. Irreconciliabilis cum Lutheranismo Caluinismus.* d *Tom. 9. VVitteb. p. 214. Tom 1. Ienensi pag. 466. & 2. pag. 266.* e *Vlenberg. Vit. Luth. cap 14. fuse. Cochlaus, Melanchthon. Mathisius. Alb. lib. de Carolstadio. Sleidanus l. 5.* f *Luth. lib. de caelest. prophet. Lauather. histor. Sacram. pag. 3. an. 25.*

stat adhuc eius epistola, eam in rem ad Argentoratenses scripta. Certum tamen est ab ipso Luthero Carolstadio ansam & materiam hæreseos fuisse datam. Quemadmodum enim ab extremo ad extremum sine medio aliquo transiri non potest; sic Carolstadius de Lutheri doctrina ad extremum Sacramentariæ hæreseos est delapsus. Hic Carolstadio fumum ad has tenebras à dæmone ipsius oculis circumfusas, prætulit. Legerat enim quod ab ipso scriptum erat, *Solam fidem, non Sacramenta iustificare.* Eoque Lutherus Transsubstantiationem oppugnans, Sacramentariæ hæresi fenestram aperuisse, Carolstadius vero primus se ingessisse, putatur. Quin affirmant Sacramentarij, Lutherum ante hanc æmulationem, in eadem fuisse cum Carolstadio sententia. (a) Sed pergamus, & quis ac qualis Carolstadius hic fuerit, indicemus.

IV. Andreas Carolstadius in Franconia natus, eo tempore quo Lutherus VVittebergæ publicè docere, atque Ecclesiæ istius regimen affectare cœperat, in Archidiaconum fuit electus: homo præceps, inflatus, inquietus, & turbulentus: quos ille affectus scintillantibus oculis prodebat. Quod si nemo esset, quî cum litigaret, secum ipse litigabat, Prometheo infelicior, cuius iecur aquila tantisper rodere cessabat, dum illud renascceretur. Vt initio Lutherus Carolstadium ad audendum aliquid pro illustrando Euangelio; ita Carolstadius Lutherũ ad cœptũ opus perficiendum animabat. Quũ vero Lutherũ in formanda sua Ecclesia valde occupatũ & anxium videret; auctor ei fuit vt nouam potius institueret, quam veterem restauraret. Corpus Christi in pane esse nec ipse credidit, & Luthero vt ne rem tam horribilem, vt ipse dicebat, crederet, persuadere modis omnibus allaborauit, dicens: *Christum in cælo relinquendum nec in terris Anthropophagorum more à nobis deuorandum esse,* (b) Ad quæ Lutherus, Facile se in eam sententiam concessurum, & Christi corporis in Eucharistia præsentiam negaturum aiebat, vt qui hac ratione tam Papam quam vniuersam eius curiam grauissime perculsum, atque adeo ad insaniam redactum iri sciret; (c) sed quo minus id faciat euidentem rei veritatem obstare, quæ de ea vel cogitanti, frænum injiciat. In epistola ad Senatum Spirensem sic loquitur: *Negare nec volo nec possum, si ante quinquennium Carolstadius vel quisquam alius persuadere mihi potuisset, in Eucharistia Sacramento nihil nisi panem esse & vinum, me non parum ei debiturum fuisse Tum enim in articulo hoc discutiendo valde judabam, non nescius me Papismo ingens vulnus hoc modo infligturum. Sed Euangelici textus verba nimis clara sunt & expressa, quam vt aliam interpretationem admittant.* En tibi integram noui Apostoli conscientiam.

V. Contentio hæc inter Lutherum & Carolstadium in tantum vt diximus exarsit, vt hic contra magistrum suum eiusque discipulos, quos *Lutheros Papistas* appellabat, cornua erigere non dubitarit: in quibus sane iam olim fœnum gerebat. De eo Melanchthon in epistola quadam hoc iudicium fert, *hominem esse barbarum, spiritu, doctrina, atque adeo sensu communi orbatum; in quo nulla S. spiritus aut diuina inspirationis indicia, vel vlla humanitatis officia, sed econtra plures impietates deprehendantur. In tota eum doctrina ἰουδαΐζειν & σατάζειν id est merum Iudaismum & seditiones spirare. Omnes ciuiles Ethnicorum leges contemnere ac proculcare. Principio Anabaptistarum errores à Nicolao Storckio in Germania disseminatos amplexum: deinde Lutheri odio, non vero vllo zelo aut pietate quæstionem de Cœna Domini mouisse. A Luthero enim ob iconoclasiam reprehensum, hanc se vindicandi rationem quæsisse. Id se quum aliis testibus, tum libris ipsius abunde probare posse: in quibus ille sine vllo iudicio aut ratione in obuium quemque incurrat & immanibus conuicijs debacchetur. Hæc vero eo à se scribi, vt vicini à tali monstro sibi caueant. Esse quidem astutum valde & versipellem in captanda hominũ beneuolentia, ingenium tamen celare diu non posse, quod naturâ ipsi sit vehemens & inquietum, eoque propter ambitionem & iracundiam facile excandescere.* His coloribus Melanchthon Carolstadium, primum Zuinglianorum & Caluinistarum patrem nobis depingit, quem illi tamen ad cœlum vsque efferre non verentur. Lutherus testante Sleidano (e) Carolstadium accusabat, quod clandestinis illis doctoribus, qui visiones & colloquia cum Deo simulabant, valde esset familiaris; Anabaptistas intelligens, qui eo tempore quo Carolstadius itidem reuelationes & nescio quæ alia iactabat, in Saxonia nati vel in eam aduenerant. Quin Melanchthon (e) & Erasmus Alberus (f) eundem Anabaptisticæ sectæ primum auctorem fuisse aiunt. Et eiusmodi quidem Lu-

Q theri

a *VVolf. in hist. August.* b *Hos. lib. 1. de hæres. fol. 425. 426.* c *Luth. lib. de capt. bab. & lib. contr. Reg. Angl. in epist. ad Argent Vid. Conr. Andreæ in Constanti Luther. Cochl. & Sur. Eder. in inquisit. Euang. tab 5. de Sacramẽtarijs pag. 55. 56. Melanchthon in epist. ad Frid. Miconiũ. Hosius fol. 427. Lib. 5. pag. 117. Melan. in epist. ad Col. Historia August.*

theri, Melanchthonis, Sleidani, ac multorum aliorum de Carolstadio fuere testimonia: qui tamen (ô stupendam cœcitatem) tantæ amentiæ ac vecordiæ homo, plures quam magister discipulos & sententiæ de Eucharistia socios etiam hodie habet. Bellum vero & pulchrum in primis est quod Lutherus alibi dicit: *Retinebam* inquiens, *elevationem Witebergæ, ut egre facerem diabolo Carolstadio, ad quam tamen omittendam inclinabam propter Papistas.* (a) Ut merito Calvinistæ objiciant: *An non hoc est plus affectibus suis quam Dei gloriæ tribuere.*

Porro Lutherus cœlum ac terram contra Carolstadium armare non cessabat, veritus ne palma sibi præriperetur. Tam grata erat plerisque Carolstadii doctrina, qui in manducatione, corporis Christi nullum percipere gustum nec modum, quo illa fieret, perscrutari poterant. O miseram hominũ mentem cum sibi se permittit, sine lumine à Deo & Ecclesia ejus affulgente, Quam acutis & continuis stimulis fodicantur ea pectora quæ semel occupasti, O præsumptio incredula! Tu scrupulum unum super alium iniicis! Ut vero Lutherus & Melanchthon Papæ, ita Carolstadius Lutheri odio in hanc arenam descendit, novamque sectam instituit, Dei omnipotentiam circumscribere atque intellectus sui decempeda metiri volens, infallibili hoc, ut ajebat, axiomate usus, *Quod unum corpus duobus locis simul esse non possit.* Non sic Chrysostomus (b) qui ait: *O miraculum! ô Dei bonitatem! Ille qui in alto cum Patre sedet, eodem instanti manibus nostris tractatur! Corpus idem suum in cœlũ extulit, & in terra ut à nobis manducaretur, reliquit.* Et Augustinus (c) *Panem hunc carnem Domini appellat, qui in unitate personæ semper, & quantum & quomodo illi placet, in cœlo simul sit & in terra.* Sed Archidiacono VVitebergensi illud occinamus quod Cantabrigiensis Archidiaconus Archidiacono Turonẽsi occinuisse fertur, inquiens: *Si qua tu de Christi corpore dicis, vera sunt, falsum est quod universa per totum terrarum orbem credit Ecclesia. Omnes enim Christiani gloriantur & lætantur, se in Sacramento verã Iesu Christi carnem percipere. Interroga Latinos, Græcos, Armenianos, & omnes tibi idem ducent.* Quod si Ecclesia Catholica falsa est, aut decepta sequitur aut Ecclesiam universalem numquam fuisse, aut interijsse. Sed non ob hanc tantum caussam Carolstadius Luthero bellum fecit, verum etiam eundem & quotquot eum sequebantur, publicis scriptis tamq̃ Papatus adulatores, & nec de Missa, nec de peccatorũ Confessione, nec de Jmaginibus, aliisque compluribus articulis recte sentiẽtes, traduxit (d)

VI. Sicut vero Carolstadius *primus* fuit nostri temporis, qui realem corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento (quod ille cum Judæis *Sakerment*, id est, falsum signum appellabat) præsentiam negavit; sic idem *primus* Missæ solemnia mutavit, *primus* statuas confregit, & *primus* Catechesin conscripsit, ad cuius modulum & formam Calvinus postea suam direxit. Ut vero in omnibus primas obtineret, primus post Bernardum Feldkirchium, (e) Kembergensis Ecclesiæ concionatorem, Velcurionis physici fratrem (qui omnium primus, omnibus Evangelicis Sacerdotibus Apostatis velut paranymphus, connubium non multo ante, Luthero sub scribente) publicâ solenitate è sacerdotũ ordine matrimonium contrarit, & nuptias incredibili omnium apostaticorum sacerdotum gaudio & publica acclamatione celebravit, viam, ad id quod tantopere iam diu desideraraut, apertam sibi gratulantium. Quam impotenter vero ac perdite ipse sponsam suam amarit, ipse fatetur. Quin etiam VVittebergenses sacrilegas has nuptias singulari & ad eas accommodata Missa celebratunt, (f) cuius Epitome hæc est. MISSA NUPTIALIS CAROLSTADII. JNTROITUS.

Dixit Dominus Deus, non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sui. Versus. *Adhærebit homo uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Gloria.

Oratio seu Collecta.

Deus qui post tam longam & impiam sacerdotum tuorũ cæcitatem, Beatum Andream Carolstadium ea gratia donare dignatus es, ut primus nulla habita Papistici iuris ratione, uxorem ducere ausus fuerit: Da quæsumus, ut omnes sacerdotes recepta sana mente, eius vestigia sequẽtes, ejectis concubinis aut eisdem ductis, ad legitimũ consortium thori convertantur. Per Dominum nostrum, &c.

Prosa seu sequentia fit:

Deus in tua virtute Andreas Carolstadius gaudet & lætatur, thalamo copulatus.

Piscanti Episcopo ipse primũ factus piscator est uxorũ.

Sacerdotes Pornolatras diu, ad normam reduxit matrimonij.

Is legibus tui Romanum tuu, Deus victor, strenuus subiugauit.

Consilium Pauli tui sequens, & iam bonum se ostendens coniugem. Mi-

a *Eras. Alber. contra Carolstad T. 6 b Lib. 3. de Sacerd. c Tract. 68. Ioan d Colloq. mens. 126. & 400. d Cythr in Chron. Sax pag 253 an. 21. Bismarc. lib. 1 in vita Bugenhagij. e Cochl. in Act. fol. 126. 127. & seqq. Becan. in titulis Calv. tit. 6 quæst 2.*

Mirantibus inuitisq; Papistis, vxorem quæsitam ædibus nuper suis intulit.

Atq; magno decore Sacerdos inscripsit titulos coniugatus Domino.

Illum sacerdotem vere tuum credimus, Christi filij tui atque fraterculum.

Nos ergo Cõcubinis nostris grauati, te, Deus, poscimus, Vt illius, qui Patres nostros antiquos sectatus, tibi placet, Nos imitatione gaudeamus in æternum.

Secreta.

Sacrificium nostrum, quæsumus, Domine, benignus suscipias, vt quod tua Maiestati in Andreæ Carolstadij nuptialibus primitijs deuote offerimus, eius efficacia à cunctis scortationis defendamur periculis. Per D. N.

Postremo complenda sic:

Sint nobis, Domine, auxilio sancti Sacramenti mysteria. Et sicut Andreæ Carolstadij connubiali celebritate lætamur: ita fac, quæsumus, sacerdotum coniugia toto orbe fe iciter auspicentur, felicius succedant, & quam felicissime finiantur. Per D. N Iesum Christum, &c.

Vides, Lector, quomodo noui isti Luciani, Deũ, sacra & homines ludibrio habeant. (a) Hoc vno Carolstadius maiorem à Luthero gratiam iniuit quam ceteris omnibus quæ fecit, dixit, aut scripsit: nec Lutheri auribus quidquam auditu iucundius accidit. Ex eo enim tẽpore bene sperare cœpit, fore vt aliquando Catharinæ Bornæ suæ, quã deperibat, amore, quem litteris & libellis vltro citroque missicularis hactenus fouerat, potiretur; ac quorum voluntates coniunctæ erant, corpora quoque coniungerentur. (b) Carolstadius quamplurimos stat im amoris socios habuit, cuius nuptias fraterculorum aliquis laudans, ait, *In multis quidem illum antehac lumen ingenij sui ostendisse, sed nihil præclarius ad æternam nominis gloriam ab eo factum, quam quod primus ex eo ordine publica solennitate coniugem ducere ausus fuerit.* O spectabilem & glorioſum triumphũ, fœminam à sacerdote subactam! Ex hoc coniugio pruritus totum fere illis in locis Ecclesiastiorũ ordinem inuasit: nec quidquam propius fuit quã Lutherus sibi ipsi Epithalamium caneret, & in Catharinæ suæ amplexus se daret; sed retinuit ipsum Friderici Ducis reuerentia, qui monachum & monacham sacrilegis nuptijs copulatos numquam videre sustinuisset. Iam sacerdotes cum Luthero consultabant, non vtrum coniugẽ, sed vtrum viduã, & vtrum prima mortua, secundã vxorẽ ducere liceret, quod apud D. Paullũ legissent, (c) Episcopum *vnius vxoris virũ* esse debere. Quod Lutherus interpretabatur, (d) non intelligendũ esse de ijs qui successiue, sed qui simul plures vxores superinduxerint. Immò requirere Paullum, vt Episcopus sit maritus. *Hæc interpretatio si vera sit,* (vt Hieronymus contra Iouinianum eadem de re asserit) *nec ipse Apostolus, nec Diuus Ioannes Episcopi esse potuerunt, quũ neuter fuerit maritus.* Quod ergo Apostolus dicit, Episcopũ vnius vxoris virũ esse debere, hoc vult dicere, eos qui secundas nuptias contraxerint ad sacros Ordines non esse admittendos: quemadmodum Epiphanius quoque testatur, (e) *Qui secundum maritus factus sit, sacerdotem fieri non posse aut debere.* Ecclesia quippe bigamos à suis ministerijs ob causſas semper excluſit, sic vt ne vidua quidem quæ plures maritos habuerit, in sacris quæ aliàs fœminis committi fas est, ministrare possit nempe altariũ velamentis & lotioni &c. eiusmodi quæ res in primitiua Ecclesia semper fuit obseruata. Quia vero olim necessitas cogebat Apostolos ad Ecclesiasticas functiones prouectæ ætatis homines vocare, *eis vxores quidem retinere, non tamen vt cum vxoribus, sed cum sororibus cohabitare licebat,* quam Paulus Apostolus diserte (b) γυναῖκα ἀδελφὴν mulierẽ sororem vocatam suis temporibus testatur. *Ex carnali enim matrimonio, vt S. Leo dicit, fit spirituale connubium.* Et secundum Hieronymum (f) *is Episcopus esse non potest, qui durante suo ministerio liberos genuit. Immò talem* idem ait, *non pro marito habendum, sed vt adulterũ puniendũ esse.* Et Origines ait, *ab illo solo iugẽ illud sacrificiũ offerri posse, qui iugẽ castitatẽ seruarit.* (g) At Carolstadius vt turpitudinẽ suam tegeret, Diui Pauli prophetiã in Ecclesia Romana completam aiebat, dicentis, *venturos extremis diebus seductores, qui matrimonium sint prohibituri.* At, mi Carolstadi, quibus? idoneisne matrimonio? an in idoneis? Si dixeris Apostolũ vẽturos nouissimis diebus qui prohibeãt matrimoniũ, matrimonij incapacibus, vt Eunuchis, pueris, voto Deo obstrictis & huiusmodi Apostolum mẽdacio manifesto oneras; si dicas, venturos ex eius sententia, qui capacibus matrimonio interdicant, verum dicis de Apostolo, sed audacter mentiris subsumendo tetuique similes Deo denuptos per votum castitatis matrimonij absque dispensatione Dei, vel Vicarij illius, esse capaces, præuidens enim Apostolus Te tuique similes errorum magistros dixit

a *In Col. Mens. fol. 6. 8. 526. & 400.* b *Fricius Modrimius lib. 2. de Eccles. Tract. 7. in præf. ad Paulũ Orich.* c *1. Tim. 3.* d *In propos. de bigamia.* e *In compend. doctri.* f *1. corinth. 9.* g *Lib. 1. cont. Iouin. Vide Cocciũ thes. Cath. de calib. Sacerd. & Iacob. Keller. contra Heilbrun. &c.*

non de Romana Ecclesia, quæ matrimonium in debito honore atque pro Sacramento habet, sed de Simone, Marcione, Tatiano, itemque de Encratitis, Heraclitis, Adamianis, Eustathianis & Apostolicis, qui omnes matrimonium tamquam rem pollutam & impuram condemnarunt, Apostolus ibi loquitur.

Postquam vero Sacerdos hic apostaticus & vxoratus doctrinam suam de Sacramento publicasset, nec Lutherum, qui frænum Ecclesiæ confringere eum iam ante docuerat, amplius exauditet, magna laborans inuidia, VVittebergâ Orlamundam abijt, quod est eiusdem Saxoniæ ad Salam oppidum, quo etiam complices eius concesserunt, (a) ibique nouæ Ecclesiæ fundamenta iecerunt. Iudaizabat præterea idem Carolstadius, vt qui diem Sabbathi potius quam Dominicum diuino cultu celebrandum diceret, quod hic ab hominibus, ille à Deo esset institutus. Lutherus aduersarium quasi riualem sibi oboculos ductum ægre ferens, Orlamundam cum fastu profectus, vt eius conatibus obuiam iret, à plebe, cui nouus propheta in delicijs erat, nequaquam amice exceptus fuit, vt ipse in Epistola ad Argentoratenses testatur, (b) inquiens: *At vbi venissem Orlamundam ad Christianos eius* (Carolstadij) *bene expertus sum vim seminis quod ibi ille seminarat, vt gauderem me non lapidibus & stercoribus impetitum & iectum fuisse: Vbi nonnulli tali me omine ac benedictione prosequebantur: Abi in maximam malam crucem, in mille diabolorum nomine. Atque vtinam collum prius frangas quam oppido exieris.* Reuersus ergo VVittebergam Lutherus, multo magis tam voce quam scriptis in Carolstadium & socios debachatus est, edito *Contra cælestes Prophetas lib.* Narratq; inter alia pro eo, quod vere à Sutore Orlamundano fuerat conuictus ex Scriptura, aliam fabellam, veritati substitutam nempe: quum in eo itinere in sutorem quendam Orlamundanum, de Euangelio multa blaterantem incidisset, atque ex eo quæsijsset, quid de statuarum confractione ipsi videretur, & vnde recte id factum esse, probare possent: (c) veteramentarium respondisse, Saluatorem in Euangelio (locum se nescire, at fratres suos scire) præcipere, vt femina cum viro concubitura, albam & mundam induat subuculam; eademque ratione templis statuas esse eijciendas, vt purificentur, & à creatura liberentur. Ita Lutherus de victoria Sutoris, à se Orlamundæ reportata, scurriles iocos facere conatus est; & qui cum risu vrbis fugit, fingit se audita tam profunda & subtili Theologia, cum risu hominem dimisisse. O veracem Prophetam & vere Nouum Euangelistam!

Idem per Ioannem Fridericum iuniorem Principem effecit, vt omnibus Saxoniæ ducum oppidis & finibus Carolstadio fuerit interdictum. (d) Daniel Tossanus diaboli instinctu factum scribit, vt Lutherus quæstionem hanc de Sacramento sine causa Carolstadio intenderit: quod idem Ambrosius VVolfius scribit. (e) In his Angustijs positus Carolstadius, Tigurum se contulit, vbi è Catholicæ olim Ecclesiæ Archidiacono, Zuinglianæ Synagogæ Diaconus factus fuit. Sed quum ne hic quidem ad votum quidquam succederet, cum Anabaptistis clam colludens, Lutherum interim humiliter deprecabatur, (f) vt sua eum gratia subleuaret potius quam deprimeret immerentem. Hunc in finem Carolstadius 2. Tractatus ad Lutherum misit. 1. demonstrat se cum seditiosis rusticis &c. non communicasse. 2. se de Sacramento Euch. inquirendæ veritatis causa scripsisse. His placatus Lutherus vtcunque, eum in Saxoniam redire permisit, præscriptis conditionibus, qui vna cum vxore sua, nobili femina Kembergam concessit in villam quandam vno milliari VVittebergâ distantem, vbi aliquamdiu tamquam pauper rusticus, vitam miserè sustentauit, lignum in oppidum conuehendo & alia rustica opera faciendo; indutus crassa & squalida tunica, acruit eo gladio in lacera vagina condito accinctus. Nec alio titulo, nisi Nachbar Andres id est vicinus noster Andreas appellari volebat: eo sanctæ cuiusdam simplicitatis opinionem affectans. Talem nobis Carolstadium Lutherani ipsi in Augustana historia describunt (g) qui tamen iterum A. 1528. insidijs Lutheri retractus in arenam disceptandi de Sacramento, rursus ad silentium vel exilij sententiã tolerandam à Luthero redactus est, hoc vnicè agente Luthero, vt in Carolstadio posset detriumphare non veritatis sed gloriæ studio Sacramentarios filios veteri sui hæretici (h) sed contrarium ei euenit. Carolstadius autem non multo post miserijs & squallore confectus, & ab omnibus, etiã suæ religionis socijs, desertus obijt. Ferunt quidã eum paullo ante obitum à Basileensibus ad parochiam quan-

a *Alber. contr. Carlstad. R. 3. Laing. in Vita Carlstad. Cochl. in Act. fol. 127.* b *Tom. 2. Ien. Ger. f. 447.* c *Tom. Ien. fol. 44.* d *Cochl. Act. pag. 128.* e *in hist. Conf. August.* f *Vlenb. cap. 16. num. 4.* g *fol. 38. an. 24.* h *Vlenb. Vit. Luth. cap. 19. num. 6.*

quandá Alstetensem vocatũ, non sine omine quodã, vt Lutherani dicunt, quod Muncerus in loco eiusdem nominis concionatus fuerat. Atqui ijdẽ recordari debebant, Lutherum quoque prima Ecclesiæ suæ lineamenta Alsteti duxisse. Basileam inde euocatus, concionatoris munere aliquãdiu ibi functus est: quumq; die quodam concionẽ haberet, vidit magnæ staturæ hominem templum intrantem, & ad latus Consulis considentem (a) Finita concione Carolstadius quærit ex Consule quisnam vir ille esset insolitæ staturæ, qui iuxta ipsũ consedisset. Consule vero respondente, neminem à se visum; totus consternatus vnà cum Consule domũ contẽdit. Aduenienti domesti narrant, magnæ staturæ hominem ædes ingressum, filium ipsius mediũ arripuisse, & in altum eleuatum, sine vlla læsione in terram decidere permisisse, additis his verbis; Patri suo multam salutem diceret, quẽ intra triduum esset visurus (b). Accedente ad reliquas animi & corporis miserias hac quoque consternatione, Carolstadius post triduum extremum vitæ diem clausit. Hunc quidem dæmonem fuisse, à quo, vt Brutus olim à malo suo genio, tamquam vadimonio ad mortem euocatus fuerit, dubiũ non est. Et forrasse idem fuit à quo doctrinam illam accepisse se scribit (Luthero idem attestante) Christum verbis his, *Hoc est corpus meum*, non panem sed corpus suum quod mensæ assistebat, denotasse. Tigurini tamẽ Theologi, vt honori eius consulerẽt, qui primus oculos ipsis aperuit ad cognoscendam veram de Cœna Domini doctrinam, honorifico eum testimonio ornarunt. Confessioni ipsorũ inserto, quo aiunt, *quamdiu apud ipsos fuerit Archidiaconi munere functus honeste se, & vt Christianum decet, gessisse, ac bona cum gratia & venia Basileam inde se contulisse: toto vero eo tempore nihil ipsorum Fidei cõtrarium docuisse. Hoc vero testimonium se ipsius persona non autem libris, qui sibi visi non sint, impertire: credere etiam Basileenses idem de ipso testificaturos.* Vides, opinor, quomodo Sacramentariorũ schola multo ante Geneuensem fundata, suo eum absoluat calculo qui ab omnibus tamquam à maligno spiritu infestus, fuit condemnatus. Lutherani à diabolo eum strangulatum, neque hoc ipsos Caluinistas negare posse asseuerant, tot testium confessionibus, tot bonæ fidei scriptorum testimonijs, adeoq; ipsorũ Basileensium Pastorum litteris confirmatum. Hic exitus fuit Carolstadij, qui omnibus formidabilem Lutherũ primus lacessiuit & aperto bello oppugnauit, qui altissimum Christianæ religionis mysterium conuellere ac proculcare aggressus est, qui statuas confregit, qui sacerdotalis cœlibatus vinculum soluit: neque aliam nominis sui memoriam reliquit, quam quod plerisque nimis diu vixisse visus est. Superstitem habuit filium, Ioannẽ nomine, qui deserta patris hæresi, ad Catholicam Ecclesiã rediit, & quo tempore Concilium celebrabatur, Tridẽti fuit. Sed iam ad alterũ, eumq; multo deteriorẽ eiusdem sectæ conditorem transeo.

DE HVLDERICO ZVINGLIO, Et Ioanne Oecolampadio, Heluetici schismatis auctoribus.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

I. *Huldericus Zuinglius nouus Euangelista apud Tigurinos.*
II. *Eius de Cœna Domini doctrina, à Spiritu S. vt aiebat, accepta.*
III. *Zuinglij fallacia.*
IV. *De Spiritu qui Zuinglio apparuit.*
V. *Lutheri, Zuinglij & aliorum Contentiones Sacramentariæ.*
VI. *Zuinglius à Luthero tamquam frater recipi petens, repulsam patitur.*
VII. *Zuinglius Pelagianorum errorem renouat.*
VIII. *Initium Zuingliani schismatis in Heluetia.*
IX. *De Ioanne Oecolampadio Zuinglij symmysta.*
X. *De eius morte: & quid de vtroque senserit Lutherus.*

I. DVm Lutherus & Carolstadius in Saxonia tumultuantur ac deliria sua spargũt, Hulbricus Zuinglius, è milite Canonicus Constantiensis, in Heluetia somnia sua quoque cæpit proponere. Et initio quidem ab Indulgentijs orsus est, vti Lutherus, sed mox ad peiora cum Carolstadio prolapsus est; à quo tamẽ in Sacramentaria re quoad modum explicandi Verba Christi *Hoc est corpus meum* dissentiebat, etsi in eo conueniebat, quod (c) contra vnanimem totius Christianæ antiquitatis consensum realem corporis Iesu Christi in Cœna præsentiam negaret: ac postea cum eo colloquutus, perlectis eius libris, à sententia Lutheri

a *Alber contra Carlstad. f. 1. b. f. 2. a.* b *Thom. Bozius tom. 2. de signis Ecclesiæ lib 23. cap 3. Lutherani in hist. conf. Aug. pag. 40. Bismarc. in Vita Carlstad. Vid. Eras. Alb. cont. Carolst. Tom. 3. Ien pag 88.* c *Hist. Conf. Aug. f. 41. Alber loc. citato.* d *Gramin us in vita suad. iij. a. Ioan. Sapidus in Epitaph. 8. distich. lit. x. 8. a.*

quam hactenus amplexus fuerat, discessit, suamque ad Carolstadij opinionem proprius aliquanto accommodauit, vt iin libro suo, De Eucharistia ipse fatetur. Annum hunc qui fuit M D XXV. (a) tamquam infortunatum ipsi Lutherani detestantur, vt in quo Sacramentariorum secta ita prodijt, in apertum ut professionis suæ tutum locum & sedem cœperit obtinere, quem in Carolstadio vago non potuerat habere. Iuuerunt ad rem eam Anabaptistarum tumultus, seditiosa rusticorum plebs cæsa, & Iubilæum à Papa promulgatum. Porro Zuinglius ne aliorum sectator potius quam nouæ sectæ conditor videretur, (b) Tigurinis persuasit, nec Lutherum nec Carolstadium veram articuli de Cœna Domini intelligentiam habere, hunc tamen ab ea propius aliquanto abesse: à se autem vno huius tanti mysterij veritatem erutam esse & patefactam. Idem de Carolstadij doctrina sententiam rogatus, auctor fuit vt librorum eius lectione nemini interdiceretur, *vt cui nec animus nec arma, sed dexteritas tantum ijs vtendi defuerit.* (c) *Aliquem veritatis gustum habuisse, sed figuram qua Corporis sui perceptionem Christus inuoluerit, accommodare nescisse.* A Luthero idem initio suorum Operum protestatur nihil se didicisse, sed Euangelium prius etiam quam Lutheri nomen audijsset, prædicasse: hoc modo magistri auctoritatem defugiens, à quo honorifico *Fortis Athletæ Iesu Christi* titulo fuerat ornatus. Tantum ei placebant omnes, qui cum Catholica Ecclesia diuortium fecissent.

Fuit vero Zuinglius, (e) quo tempore contra Ecclesiam rebellare cœpit, Canonicus Constantiensis; sed carnis libidine de qua explenda vnicè, vt ipse fatetur, cogitabat, victus, venditis Ecclesiasticis beneficijs vxorem duxit. Cum aliquot annis diu in fœdissimo concubinatu vixisset. (f) Initio quidem ab omni disputatione contra articulum de Cœna Domini abstinebat, ac figuram illam, (g) pro quâ postea tamquam pro aris & focis pugnauit, occultabat: cœlibatum tantum sacerdotum & Indulgentias oppugnabat, Lutheri exemplo, quâuis Heidelbergenses Zuinglium nondum audito Lutheri nomine, tam voce quam stilo Indulgentias oppugnasse affirment, (h) vt scilicet demonstrent ab eodem spiritu quo in Saxonia Lutherum, Zuinglium in Heluetia fuisse incitatum, cauendo, ut solent Filij superbiæ, ne ab alio didicisse, sed suo ingenio quicquid id demum sit attigisse videantur, Sed siue id ita sit, ut Heidelbergenses asserunt, siue secus, parum refert, opinioni aduersæ certe non deerunt argumenta, uti illud: quod credibile non sit, quæ tum toti Orbi nota fuêre de Lutheri Indulgentiaria lite, solum Zuinglium ignorasse.

II. Zuinglius igitur tam realis, quæ in Catholica docetur Ecclesia, Præsentiæ, per Transubstantiationem id est conuersionem panis & vini; quam Lutheranæ Impanationis & Invinationis, vt ita dicam, oblitus, idem fere quod Carolstadius docere cœpit, nimirum Corpus Christi nec sub speciebus panis, nec cum pane esse posse, (i) sed panem signum esse absentis corporis, nec distribui aliud quam verum panem & naturale vinum. Hæc tota substantia doctrinæ Zvvinglianæ de cœna, de qua merito exclames. O profundam & supernaturalem plenam inauditi mysterij doctrinam! *Panem esse & manere panem; & vinum esse & manere vinum. Panem manducari & vinum bibi* &c. idque cum phantasia quadam, vel memoria, quod Christus Dominus in ultima cœna etiã manducarit ipse dederitq; manducandum panem ac bibendum vinum, ac postea sit mortuus pro hominũ salute. Qua suppositione in suo cerebro facta, sine omni authoritate ab Apostolis acceptâ, pergit & Sacramentum Eucharistiæ &c. definit, *nihil aliud esse quam sanctam & diuinam quandam populi in Ecclesia Dei gratiarum actionem pro passione & morte Iesu Christi*, quæ audientes si interrogent, quomodo Christus id quod tradebat discipulis suis, tradendo panem ac vinum asseuerare potuerit. Hæc esse corpus suum, respõdet Zvvinglius; *Panẽ ideo vocari corpus Domini, quod illum manducãdo in memoriam reducatur passio eius & mors*, perinde ac si manducando pisa, & cogitando de ouis, dicamur mãducare pullos gallinarum. Itaque plurimam in hoc Sacramento, Homo ille effinxit figuram, nescio cuius Rhetoricæ, *panem ideo appellari Corpus Domini, quod passio eius & mors tum in memoriam nobis reducatur.* Hinc vero figuram ille non minus, quam ceteri, fluctuans, quinque aut sex

a *Hist. Confess. Augustana.* b *Zuingl. Tom. 2. fol. 243. in subsidio. de Eucharist. & fol 153. b.* c *Peucer. in Var. histor. de Melancht. fol. 11.* d *Tom. 1. art. 18.* e *Pantaleon. in præfap. Vir. Illustr. in Zuingl.* f *Mycon. in Vita Zuingl.* g *Zuingl. in subsid. Euch. art 15.* h *Adm. Christ fol. 217.* i *Bis. in Vita Carlstad. Lauather. in princ. hist. Sacramentario.*

sex diuersis modis velut iterum transfigurat & explicat. Corpus enim aliquando sumit pro *Natura humana*, dicens: (a) Saluatorem corpus suum verum appellare cibum, non tamen carnem, sed naturam humanam intelligere quæ carnem assumsit. Sed aliam ex eodem libro eiusdem interpretationem accipe. Ait in hac actione *Saluatorem Carnis vocem vti, sed Spiritum intelligere, suam nempe diuinitatem:* hoc modo in Apollinaristarum errorem incidens, humanam animam seu spiritum in Christo negantium, eiusque diuinitatem substituentium in animæ locum. Postea Sacramentalia hæc verba alium in sensum detorquet, *Corpus pro morte & passione Saluatoris interpretans:* quam interpretationem ait sequentibus verbis confirmari, *Quod pro vobis tradetur.* Itaque ad Lutherum quoque scripsit, omnem hunc actum nihil aliud sibi videri quam mortis Saluatoris nostri commemorationē. Quasi si quis alicuius rei memoriā edere possit, id q; animæ & non corporis, cuius est accipere & edere, sit actio (b) Explosa ergo corporali manducatione, dicit *Panem & Carnem*, de quibus Saluator loquitur, *nihil aliud esse quam fidem, nec corpus ore, sed spiritu percipi;* vero interim Iesu Christi corpore ad dexteram Dei Patris in cœlis manente, seque animæ tantum per fidem insinuante. Sic Zuinglius cum figura sua vel potius plurimis in unam rem conuolutis figuris & tropis Rhetoricis, quales nulli hactenus oratores agnouerunt, sed subtilitas Sacramentariorum mundo induxit, ita ut qui induxerāt se quid dicant, ipsi non intelligant. Verbo uno Zvvinglius suo & nouo perceptionis modo delirabat, nō memor eius quod à Cypriano multo meliori auctore dicitur, (b) *Panem quem Dominus discipulis porrexerit, non figurâ, sed naturâ diuini verbi omnipotentia mutatum, carnem factum esse.* Theophylactus hæresin hanc præuidisse videtur, dicens: *Dominus non dixit, Panis quem dabo figura mea carnis est, sed, Caro mea est. Eoque recte credimus, Panem ad prolationem verborum, mystica quadam benedictione & virtute Spiritus Sancti, in carnem Christi transmutari.* Si figura tantum sit; nihilo plus habemus quam Iudæi; sicque ad vmbrarum seu figurarum sæculum relabemur. Deus ergo nos decepit, Corpus suum date se nobis dicens; & tamen nihil dans nisi figuram. Figuras ergo tantum Sacramentarij, quasi Chimæras aut vmbras, manducant. Ideo hæc sententia Luthero quoque tam detestabilis visa est, vt ad Francofurtenses scribat, Vitam potius periculo exponendam, quā sacramentum hoc è Zuingliani cuiusquam manibus accipiendum esse. Audiens vero tot ineptas verborum illorum, *Hoc est corpus meum*, interpretationes, sine bile, quod mirum est, eas ita refutauit: *Illud rogamus Sacramentarios*, inquiens, *vt ne verborum illorum vllam probationem à nobis postulent. Quod si velint, postulent eam ab infantibus, qui septimum ætatis annum attigerunt, & iam legere hæc verba in scholis didicerunt. Extant Biblia Hebraica, Græca & Latina. Monstrent ergo nobis in quibus scriptū sit, Hoc est signum mei corporis. Id si non possunt, taceant igitur, & à scribendo tantisper cessent dum Biblia eiusmodi producantur, aut certis ac solidis rationibus probetur suam illam, veram esse interpretationem: ne toties illud vsurpandum sit, Vbi est scriptura? si verba illa scriptura, Hoc est corpus meum, ipsis reclamare nolunt.* Sic tū Lutherus loquebatur (eamque ob causam fortasse Zuinglius tam insigni falsimonia scripturā depiauare non dubitauit.) Verumtamen Lutherus principia cum suis discipulis posuit, unde Sacramētarij sua dogmata hauserūt & confirmarūt. nam A. 1525. Pomeranus & Melāchthō Theses suas blasphemas cōtra missam edidere & Lutherus 1 Dominica aduentus, quæ fuit 3. Decemb. orationem habuit de summa blasphemia, id est canone Missæ, quæ typis confestim est euulgata. Si igitur ex Lutheri sententia, per consecrationem non fiat conversio panis in Christi corpus; vtiq; panis qui erat subsistit, & is manducatur, si sumitur, non vero corpus Christi, quod ipsum est dogma Sacramentariorum, dicamus igitur Lutherum posuisse antecedens, vnde Sacramentarij deduxerunt consequens.

III. Quis vero credat, in quenquam hominem tantam audaciam cadere atque impudentiam, vt testamentum Saluatoris nostri eo modo quo Zuinglius, corrumpere ausit? Mihi ipsi Lutheranus quidam, in Ducis Mainij comitatu, dum Castellonij muri quatiuntur, Testamentum nouum Germanica lingua in forma octaua Tiguri An. MDXXV. à Christophoro Froschouero impressum monstrauit; in quo textus omnium Euangelistarum vbi de Cœna Dominicæ institutione scribunt, (d) & verba hæc, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, ita Germanicè reddita erant, Daß bedeut

mein

a *In expōs. de Euchar.* b *Lib. 2. Inst. de Cœn.* c *Lib. de Cœna Domini & prima Instit.* d *In 6. cap. Ioan & super Matth.* e *In Defens. de Cœn. Vide Selnec. contra Peuc. de Verb. s. Cœna. & in Padag. Schlusselb. lib. 4 contra Caluinist. Theolog. Alber. l. 4. histor. Carlstad.* f *Becā. Tit. 6. de Sacram. 4. 6. fol 344.*

mein Leib/ Daß bedeut mein Blut/ id est, *Hoc significat corpus, Hic significat sanguinem meum* Quam tu, quæso, audaciam, quam falsitatem huic parem inuenies? Cardinalis Hosius in Tractatu de Hæresibus suitemporis, (a) testatur fuisse quosdam qui pro verbis, *Hoc est corpus meum*, substituerint. *Hic est Panis meus*: itemque alios, qui vinum & panem nihil prodesse dixerint; eoque sufficere vt Eucharistia interiore animi motu percipiatur. Lascus Polonus ita interpretatur, *Hoc*, id est, *Hic actus Cœnæ est meum corpus*. Non minus vero audacter, quem Lutherus, Rotmannus, Menno & Carolstadius, asseuerat Zuinglius, hanc doctrinam à Spiritu Sancto se accepisse. *Certus*, inquit, (b) *sum, Doctrinam meam à Deo venisse, quam Dominus reuelante S. Spiritu à me Mundo voluit annunciari.* At si hoc verum est, Zuingli, vnde fluctuatio illa tua, quæ passim in libris tuis apparet, & quam ipse etiam in libro *De Vera & falsa Religione* fateris? Alium quoque tum Zuinglius librum edidit, *Subsidium de Eucharistia* inscriptum: Scriptaque sua omnia vernaculâ linguâ publicauit, vt nempe omnes Sacramentariam Theologiam addiscere possent. Quia vero non ignorabat opinionem suam à Luthero reprobari, in Præfatione eius libri ait, (c) esse quosdam ita inuidos, obstinatos & malignos, vt si videant veritatem ab alijs, quam ab ipsis annunciari, maledicere, calumniari, & tamquam furiosi insectari non cessent. Sed puteum inspiciamus, vnde nouus hic Democritus veritatem suæ doctrinæ hausit.

IV. Narrat ipse, sibi verborum illorum. *Hoc est corpus meum*, sensum expendenti spiritum apparuisse (ater an albus fuerit, nescire) qui nodum hunc ipsi soluerit, ac verum intellectum monstrarit. Hoc loco Ioachimus VVestphalus Lutheranus Sacramentariorum doctrinæ valde illudit, (d) vtpote tali Monitore seu spiritu innixæ, de quo albus an ater fuerit, nescitur. Schlusselburgius vero, (e) Euentum monstrare ait, doctorem hunc Zuinglij, quem cognoscere non potuerit, cacodæmonem fuisse. Ex hac igitur Zuinglij & maligni spiritus familiaritate ac velut coniugio Caluinismus fuit progeneratus. Et hanc ob caussam fortè Lutherus Zuinglio dæmonis familiaritatem exprobrat, vt Tigurini ipsi non diffitentur. Sed ad confutandam eorum impudentiam qui hoc à Catholicis & Lutheranis in odium Zuinglij confictum esse aiunt, placet ipsius verba adscribere.

Quum vero, inquit, *tredecima Aprilis lux appeteret (vera narro, adeoque vera, vt celare volentem conscientia cogat effundere quod Dominus impertijt, non ignorans quantis me contumelijs risibusque exponam) cum, inquã, tredecima lux Aprilis mensis appeteret, visus sum mihi in somno multo cum tædio denuo contendere cum aduersario scriba, sicque* obmutuisse, *vt quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem: qui me angores, vt solent nonnunquam fallaci illudere nocte (nihil enim altius quam somnium narramus, quod ad nos attinet; tametsi leue non sit quod* per somnium didicimus *gratiâ Dei, in cuius solius gloriâ ista prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ τῆς μηχανῆς visus est monitor adesse* (Ater fuerit an albus, nihil memini, *somnium enim narro) qui diceret*: Quin, *ignaue respondes ei? Exodi* XII. *scribitur*: Est enim Phase, *hoc est*, Transitus Domini. *Protinus vt hoc phantasma visum est, simul expergefio, & è lecto exsilio, locum apud septuaginta vndique primum circumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili edissero.* Vide figuratiuam corporis Christi receptionem, incertum ab angelo an diabolo reuelatam. *Quam bene putas* (inquit VVestphalus in Apologia contra Caluinum) *fundamento hoc fides nostra nitetur? Animarum nostrarum saluti nunquid bene prospectum erit, si somniatori credamus, cui Monitor apparuerit, quem ater an albus fuerit, ipse nescit? Eia vero, fidamus ei, & credamus, verbum Est in S. scriptura accipiendum esse pro significat, & corpus pro symbolo corporis. Abite, abite cum somnijs vestris, & nigris Monitoribus: nos Dei filio auscultamus & credimus, de quo Pater ipse è cœlo clamat, Hunc audite.* (f) Memini me aliquando in horreo quodam vbi Caluinistæ conciones suas habebant, vidisse forte fortuna Zuinglij Opera mensæ imposita: quibus ego apertis, hunc ipsum locum Prædicanti ostendi, vbi diabolus Zuinglio apparuisse, & Corpus Christi in cœna nihil quam figuram esse corporis, reuelasse dicitur: vnde ille ira & pudore vehementer fuit affectus. Ille bonum, ego malum fuisse angelum contendebam. Vbicumque enim & quotiescumque in S. litteris angeli Patriarchis, Propheris & fidelibus apparuisse dicuntur, ea forma semper apparuerunt, vt angelos Domini fuisse facile cognosci posset, neque de ipsis aut ipsorum ma-

a *Hos lib 1. de hæres. ad Reg. Polon fol. 428. lit. n.n. 4.* b *Tom. 2. in Act. disp. Tigur.* c *Contra Luth. in præfat.* d *Apol. contra Caluin.* e *De Spiritu Zuingl. in præfat. Vlenberg. causs 5. cap. 5. & causs. 21. cap. 21. pag. 756. Zuing libr. Subsid. Eucharistic. d. ij b. D. iij. a.* f *Vide Schlusselb. lib. 4. Append. Theol. Caluinist.*

mandatis vllus scrupulus, in piorum animis, vt in Zuinglio, relinqueretur: vt in Geneſi, Exodo, Eſaia, S. Matthæo, & Actis Apoſtolorum videre eſt. Cœleſtes illi nuncij numquam nigro aut triſti aclugubri veſtitu apparuerunt. Habitus hic tenebrarum ſpiritui conuenit, quem Zuinglius procul dubio vidit. Beza vt Zuinglium, qui ſeipſum hoc ſomnio denigrauit, excuſet, ait eum hoc ſcripſiſſe, ſomniumque repræſentaſſe, magis animi quam veritatis defendendæ cauſſa. Ergone per ludum & iocum res tam ſeria tractari debet? Ergo cœleſtes viſiones per iocum & ludibrium fingere oportet? Ipſe quidem Zuinglius ſatis monſtrat quid tam Beza quam alij de iſta re ſenſerint, quum ſcribit propria conſcientia victum celare hoc ſe non potuiſſe, tametſi non ignoret quantis ſe contumelijs riſibuſque ſit expoſiturus. (a) Serpebat nihilominus latè hæreſis Sacramentaria, quantumuis ſeſe Lutherus illi æque ac Catholicis omni conatu opponeret, vocareturque *pernitioſos, & noxios filiolos ſuos tenerrimos, ſuaues fratereulos & aureos amicutos, ſeditioſos ſpiritus & tales, qui nihil ſcirent niſi à ſe didiciſſent, quique ſic à tergo ſe adorirentur uti Catholici à fronte, porcos & canes, qui ſe lacerent, dum Sanctum & Margaritas illu proijcit* &c. Oppoſuerunt etiam ſeſe Sacramentarijs: Anno 1526. Lutherani prædicantes per Sueuiam, edito ſcripto, quod *Syngramma Suevicum* appellarunt, in quo verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum* ex Lutheri ſenſu intelligenda oſtendebant, (b) & Sacramentarij Heluetici duce Zvvinglio illi *Anti Syngramma* Helueticum oppoſuerunt, (c) ei ſucceſſit Liber Lutheri acerbus de verbis Chriſti *Hoc eſt corpus meum*, A. 1527. ineunte, (e) Hoc edito in caſtris Sacramentariorum ad arma conclamatum eſt libro alio amarulento in Lutherum edito, qui breui in agoniam morbumque incidit, ex quo recreatus Anno 1528. *Confeſſionem de Cœna Chriſti* typis emiſit in Sacramentarios, (e) pugnatur acerbe.

V. Porro Landgrauius, qui Lutheri doctrinæ ut cœleſti fauebat, veritusne ea per nouam hanc diſſenſionem detrimentum, aut certe impedimentum acciperet menſe Iun. A. 1528. tam Lutherum quam Melanchthonem per litteras rogauit, vt cũ Zuinglio ſententiam communicare, ac coram conferre non grauarentur, (f) ſed vterque valde dubie reſpondit. Melanchthon quidem *colloquium cum Oecolampadio ſeſe non detrectare* aiebat; *cum Zuinglio vero vt conferat, operæ precium ſibi non videri. Rem hanc non ita leuem eſſe, quum ſententia hæc valde placeat ijs qui diuina myſteria manu tangere, quod aiunt, & in tam altas res curioſe inquirere volunt.* Lutherus quoque datis XXIII. Iunij ad Landgrauium litteris, ait, *Se Lipſienſis diſputationis exitu monitum, facile videre, Colloquium id ſine vllo fructu abiturum, ad quod tam hi quam illi præconceptas opiniones ac præiudicia allaturi ſint, cum firmo nemini cedendi propoſito. Zuinglium errare, ſe certo ſcire; Diaboli has artes eſſe, quibus ille malum multo deterius faciat.* Non tamen prius deſtitit Landgravius quam ad Colloquium Marpurgi eſſet conuentum. (g) Lutherum comitati ſunt Melanchthon & Iuſtus Ionas; Zuinglium Oecolampadius, Bucerus & Hedio; quos duos ille per Argentoratum facto itinere ibique concione habita ſecum inde duxit. Venit quoque eo Oſiander Norinbergâ, Brentius Halâ Sueuorum; Stephanus Agricola Auguſta Vindelicorum. Catholicorum nemo accitus fuit; quanquam Melanchthõ id ſuaderet, ſed apud Landgrauium Lutheri auctoritas valuit, qui vocati eos nolebat. Diſputatio habita fuit inter Lutherum & Oecolampadium, Zuinglium & Melanchthonem An. 1528 Octobri quod metus eſſet, ne è duorum illorum æque ferocium colliſione tonitru aliquod exſiliret. Mira omnium inter ſe fuit in menſa & inter pocula humanitas; quamuis ambitione dogmatis ſui tuendi neutra pars alteri cederet. Zuinglio & ſocijs Lutherus exprobrabat quod Naturas in Chriſto ita ſepararent, vt ex vna perſona duas facerent; quodque fratres Argentoratenſes Iudaizarent. Pelagianiſmi quoque eos accuſabat, vt qui de Peccato Originali, de Baptiſmo, de Iuſtificatione, de Miniſterio, & alijs Fidei articulis minus recte ſentirent ac docerent. Sic VVirtembergenſes quoque Theologi Lutherani in ſcripto quodam ad Proteſtantes Principes aiunt, *à diabolo hominem illum Zuinglium excitatum, vt non vnum ſolum,*

a *Rhenec in libr. de Ortu & prog Calu* b *Tom. 3. Ien pag. 284. 6. Vlenberg Vit. Luth. cap 18 num. 1.* c *Lauather. Hiſt. Sacrament pag. 6.* d *Tom. 3. Ien. p. 316* b *Selnec. p. 34. Cochlæus p 188. Lauath. p. 12. Seidel p. 55. Vlenberg. Vit. Luth cap 18. num. 3.* e *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 19. num. 4. & Auth. ibi.* f *Vlenberg. ibid. cap. 20 num. 2.* g *Selnec. hiſtor. Auguſt. Confeſſ. fol 35.* h *Sur com. hiſtor. an. 29. fol. 170. lit. l. 5. Tom 4. Ien. f 466. Cochl. in Act. Luth. fol. 218. b. 1. Cythr. Chron Sax Pantal. in vita Zuing. Miraus Chron. Eccleſiaſtico polit. fol. 1037. Vlenbergius vit. Luth. cap. 20 num. 2 3 4.*

sed complures Fidei articulos labefactaret. At Zuinglius & Oecolampadius aiebant, ideo se venisse vt solam illam de Cœna Domini controuersiam discerparent; quod & factum est. Quibus vero argumentis Sacramentarij realem Corporis Christi præsentiam, quam Lutherus defendebat, oppugnarint, ex Actis apparet. (*a*) Primum vero sumptum est è vers. 64. Vl. cap. Euangelij S. Ioannis, *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam* vbi Christus dicit, manducationem Corporis sui esse spiritualem. Ergo, inferebant Sacramentarij, non nisi spiritualiter recipi posse. Secundo: Vnum corpus pluribus in locis simul esse non posse. Quum ergo Christi corpus in cœlo sit, ex symbolo Apostolico &c. scripturis, in altari esse non posse. Tertio ab Oecolampadio aliquam multa loca ex S. Augustini scriptis adducta sunt, quibus ille dicit, *Sacramenta signa esse*, vt serpentem illum æneum in deserto, &c. cum igitur Cœna sit Sacramentum Corporis Dominici, signum Corporis Christi sit, oportet. Adhæc respondit Lutherus, quamuis apud S. Ioannem vers. 64. spiritualis manducationis fiat mentio, non tamen id obstare quo minus S. Cœnæ institutio de corporali intelligi possit aut debeat, quæ spirituali nihil deroget, immo ad Cœnam quoque necessaria sit. Sacramentarij in Saluatoris illo dicto, *Caro non prodest quidquam*, magnum victoriæ momentum ponebant: at Lutherus de Carne Christi id intelligendum esse negabat, (*b*) vt de qua ipse dicat, vers 52. &c. *Caro mea viuificat:* immo magnam blasphemiam esse aiebat, dicere, Carnem Christi non prodesse quidquam, utpote qua data pro mundi vitâ, genus humanum redemptum est. Apud eundem Ioannem I. capite dici: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Versum 64 de nostræ tantum naturæ imperfectione, qua caro Christi apprehendebatur à Capharnaitis &c. incredulis manducanda, si ustillatim, uti carnes staurotum & Vitulorum, esse intelligendum, eo enim modo sumptam carnem Christi, non prodesse ad quicquam eximium, à Christo intentum, sed solum ad farciendum ventrem. Sitamen de Christi quoque carne viua totaque simul sumenda etiam aliquo modo intelligendus sit versus ille 64 dicendum esse, Christi carnem Christianis nihil prodesse si absque fide percipiatur: tum enim esse ac si caro sine anima, & quasi mortua farciatur. Nec tamen etiam hoc modo Zuinglij opinioni inde vllum præsidium peti posse, vt qui Corpus Christi in Sacramento esse neget quod in dicto casu nihilominus adsit, sed non prosit. Melanchthon vero ad amicum scribit, *Zuinglianos nihil aliud habere in ore quam hoc, Caro non prodest quidquam. Se vero mortuum sese malle quam hoc vel dicere, quod illi tanta peruicacia asseuerent & defendant.* Ad secundum argumentum Lutherus paucis respondit, non esse è sensibus nostris de diuina omnipotentia iudicandum. Sed inter Zuinglium & Lutherum hac de re acris fuit contentio. Quomodo, aiebat Zuinglius, Deus ea credenda præscripserit quæ comprehendi nullo modo aut ratione possunt? Ingens profecto miraculum fuerit, solo verbo panem carnem fieri. Quis credat impium sacerdotem tantum posse? Lutherus e contra Dei omnipotentiam & Christianam humilitatem his & similibus argumentis opponebat, nostrum esse dicens etiam quæ magis videntur incredibilia credere, vt quod Deus factus sit homo, & quod Deus & verus homo, mortem passus sit. Mirabile hoc mysterium non à sacerdotis dignitate, sed diuini verbi omnipotentia dependere. Donatistarum hunc esse errorem Sacramentorum vim in sacerdotum bonitate fundare. Sane ad hoc responsum obmutuisse Zuinglium, Acta testantur. 3. Ad loca ex Augustini scriptis producta quod attinet, Lutherus respondit, Sacramenta quidem esse signa earum rerum quas significant, verbi gratia, Cœnam Domini (potius Missam dixisset, si Catholicus fuisset Lutherus) significare, D. N. Iesum Christum per mortem suam pro peccatis nostris satisfeciisse; simulque peccatorum remissionem nobis *promittere & obsignare*, (procurare & efficere, Catholicè) non tamen inde sequi Corpus Christi in Cœna non esse. Hoc illi modo Scripturam & SS. Patrum auctoritatem pro sua quisque opinione allegabant; & quamuis longissime inter se dissiderent, in neganda tamen atque explodenda supernaturali illa Transsubstantiatione mirificè congruebant. Sampsonicæ vulpes, quod ea vox in SS. literis non extaret. Sic Arrius vocem illam ὁμοούσιος, siue, Consubstantialis

a *Vide Disput. ipsam an. eod editam. & Synopsin apud Vlenberg. Vit Luth cap. 20. Luc. Osiand. cent. 16. histor. Eccles. cap. 10. libr 2. fol 134. fol. 135. & seq.* b *Luc. Osiand. loc citato. Selnec. loc. cit. supra. Peucer. tractatu. histor. de P. Melanch. fol. 14.*

tialis admittere noluit, tamquam S. Scripturæ & primæuæ Ecclesiæ ignotam. Quem S. Athanasius Catholicorum caussam agens, ita refutat, inquiens: *In quo te vocabulum hoc offendit? An res, aut vox ipsa? Si res significata antiqua est, vocabuli nouitate offendi non debes. Ecclesia enim nouis rebus vsa est, nec tamen res ipsas mutauit.* Idem nos dicere possumus incredulis illis, qui nomē hoc Transsubstantiationis, ab Ecclesia, vt eo Sacramētariorum error conuinceretur, & antiqua fides retineretur, vsu receptum, in SS. litteris monstrari sibi petunt. at quo animo? discendine? non certè, nam in Conuentu VVormatiensi quum Lutherus negaret Transsubstantiationem hanc primitiuæ Ecclesiæ notam aut creditam fuisse, Cochlæus ei ita occurrit: (a) *Quid ais, Luthere? An tu, cum S. Ambrosij librum De Sacramentis legisti?* Tum Lutherus, *Legi*, inquit, *Verum Ambrosius non dicit Panem mutari, sed conuerti.* Ecce animum nolentem discere, sed vincere; ecce effugium non minus ineptum & ridiculum quam falsum! Ambrosius enim verbo *Mutari* etiam vtitur. *Mutat*, inquiens, *quando vult, instituta Naturæ*, & quid est Trāssubstātiatio apud Catholicos aliud quam *mutatio* vel *conuersio* substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, per habentem ad id potestatem? Ita enim definiunt Catholici, profitentes se aliud eo verbo &c. nolle intelligi, nec intelligere solere. Nec Ambrosius tantum, sed Cyrillus quoque, S. Augustinus, Eusebius Emissenus, Gregorius Nyssenus Transsubstantiationem hanc confirmant; quam vocem Lutherus à Thomistis confictam impudenter asseuerabat. Cui mox Cochlæus os obturauit, producto Lateranensi Concilio, sub Innocentio IV. ante D. Thomæ tempora celebrato. Nouorum nihilominus in Francia Euangelicorum Achilles (b) scribere non erubuit, Transsubstantiationem non antiquorum à primis quingentis annis, sed nouorum, atque adeo eorum, quos quotidie videmus, Partū esse filiam, extremis his temporibus, tam doctrina quam moribus in Ecclesia plane corruptis natam. O miram cæcitatem, vel obstinatam potius hæreticorum malitiam! qui si oculos aperirent, hanc eandem Transsubstantiationem in Iustino Martyre, (c) Irenæo, (d) Tertulliano, (e) Origene (f) Basilio, (g) Cyrillo, (h) Chrysostomo (i) & Augustino, (k) facile essent visuri. Sed ad Lutherum redeamus, Transsubstantiationem quidem negantem, sed ita vt realem præsentiam defendat. Sed Zuingliani illud Luthero recte obijcere poterant: *Si Corpus Christi realiter est in Sacramento, necesse est vt id fiat aut per motum localem seu loci mutationem, aut per nouam creationem, aut per conuersionem seu mutationē rei vnius in aliam. At per motum localem id non fit, siquidem Saluator corpus suum discipulis porrigens, locum non mutauit. sed corpus suum suis ipse manibus portauit: iamq; etiam idem in cœlum est, ad dexteram Dei Patris. Sed nec noua creatio hic locum habet. Toties enim quoties ad altare fit consecratio, noua fieret creatio, & sic nullum eorum corporum in altari Crucis fuisset sacrificatum. Ergo necessario, poterat dicere Zuinglianus, ad Papisticam Transsubstantiationem est confugiendum, quam tu, Luthere, ipse negas, vnde tibi nulla relinquitur ratio exhibendi præsentem in cœna Christum.* Post multam disceptationem, animorumque exulcerationem, Luthero vndiq; magnificè se inferente, & quod Zuinglius multis annis ædificasset vno momēto destructurū se mināte, discessum fuit ab hac disputatione, in qua sola Discordia & Ambitio præsidebant (l).

VII. Zuinglius lachrymis etiam (sed forte Crocodili) præsente Landgrauio, vt Schlusselburgius & Brentius testantur, Lutherum & socios obtestatus est, vt tamquam *frater* ab ipsis agnosceretur ac reciperetur, quod cum nemine in hac terra pacem ac concordiam quam cum VVirebergensibus esse sibi mallet. (m) At Lutherus elata frōte ac verbis asperis, *Maledicta*, inquit, *sit talis concordia, qua Dei caussa præiudicium aut damnū affert. Ite, ite. Vos habetis aliū spiritū quam nos.* Quæ verba mirum est quam acerba Zuinglianis visa sint, quibus Lutherus aduersarios vehementer à se exasperatos ipse gloriatur. Et sanè non nisi mera hypocrisis poterat in Sacramentarijs fraternitatem à Lutheranis exigere, cū eorundem in substantiali articulo doctrinā uti impiam damnarent. (n) Hinc Zuinglius postea sæpè conquestus fuit, Lutherum tam noxij schismatis esse caussam. *Diabolus*, ait, *per homines obstinatos nos tentat: qui veritatem Cœnæ Dominicæ ab alijs quam à se productam indignantes, tam-*

a *In Luthero Septicipite.* b *Philip. Morn. de Plessi cap. 7 lib. 4. Instit.* * *libr de cap. babyl.* c *Apol 2.* d *Lib 4. c. 24.* e *Lib. in Marc.* f *Lib. 8 cont Celsum* g *In Liturg.* h *Catech. 3 & 4.* i *Homil. 83 in Matth.* k *Serm 28. de verb. Dom. Lib 3 de Trin. &c. Vide Opus Catechisticum Caniſij. Tabulam Chronolog. Gualtherij &c.* l *Sleidan. lib. 6. fol. 148. Lauather. histor. Sacr. fol. 15. 16. d. 3. Selnec. fol. 36. Schlusselb. lib. 4. App. Theol. Calu. fol. 268. Osiand ibid.* m *In præf. lib de ve. & sal relig.* n *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 20. num. 4.*

quam furiosi multo magis quam ipsi Papistæ vociferantur, & asperius in nos inuehuntur: sed verè utrique æquè nocens fuit, tumido animo in arenam prouecti. Et quamuis ad eos conciliandos Landgrauius nihil intermitteret, frustra tamen id fuit, Deo iustè Conventum hunc & Colloquium, quod ex utraque parte erat *aduersus Dominū & Christum eius,* (a) dissipante. Quum enim nouum morbi genus, quod sudor Anglicus vulgo dicebatur eo tempore Germaniam inuasisset atque eo tempore in oppido gliscere cœpisset, Noui illi Apostoli mortis metu quamprimum inde discesserunt. Consignatum tamen est prius scriptum, quoddam XIV Articulorum, in quos consenserant, utriusque partis subscriptione & nominibus 13. Octob. firmatum & obsignatum. &c. (b) vt Charitas vtrimq; seruaretur, & à conuiciis abstineretur, donec verus verborum Saluatoris de S. Cœnæ mysterio sensus a Spiritu S. reuelaretur. Lutherus nihilominus aperte protestatus est, non *fratrum* sed hæreticorum loco eos se habiturum. Et quamuis Landgrauio promisisset, nihil se contra eos moliturum; quamprimum tamen V. Vitebergam rediit, contra Zuinglianos alioqui Sacramentarios calamum strinxit, ijs quæ de Colloquio illo falsò circumferebantur, offensus. (c) Peucerus Lutherum in sententia sua obstinate perstitisse ait, ne doctrinam suam erroris suspectam redderet. Ioannes à Lasco Polonus ad Regem suum scribens affirmat, Lutherum palmam Zuinglio dare coactum. Sed Lutherus *istorum hominum consuetudinem esse,* ait *calumniari & mentiri, neque hoc mirum sibi in eis videri, vt qui diabolum habeant ductorem ac doctorem.* Imo ipse Anno sequenti 1529. Coburgi agens literis ad Præpositum Bremensem datis Disputationis Marpurgensis seriem suo modo recenset. (d) Nec Lutherus tantum, cuius fides suspecta esse poterat, sed Melanchthon quoque de eo colloquio sparsa à Sacramentarijs scripta inficiatur. Vide summam totius huius Colloquij paucis verbis conceptam, &, IV. Operum Lutheri Tomo insertam, præfationem, vbi dicit: *Lutherum in sententia permansisse, verum Corpus & sanguinem Iesu Christi esse in Cœna; nec aduersarios de sua cedere voluisse. Lutherum rogatum vt pro fratribus eos agnoscere vellet, respondisse. Pro fratribus eos se habere non posse: quorum damnet doctrinam.* (e) Sed & in epistola ad Martinum Gerlicium idem Melanchthon scribit, (f) *Zuinglianorum siue Sacramentariorum doctrinam in Colloquio Marpurgensi Anno* M D XXIX. *sibi satis cognitam, vt qui eam à Christo non habeant. Puerili more eos Philosophari: nec doctrinam istam diu subsistere posse.* Sed ad magnum nostrum Sacramentariorum Atlantem redeamus.

VII. Zuinglius ille præter alios errores Nestorianismi quoque insimulatur. Voluit enim apud Ioannem, non *Verbum caro factum est,* sed *Verbum caro facta est.* legendum esse; eo quod Deus in corpus mutari non possit; vt notat atque exprobrat ei Lutherus in libro De Concilijs. (f) Verumtamen ipse in Nestorij errorem incidit, quum docuit. *Humanam Iesu Christi naturam non esse omnipotentem, neque omnia scisse aut cognouisse.* (g) Zuinglius postea Anno M D XXXV. monitus errorem agnouit, ignorasse se præterens, quod id dogma Nestorium habuisset assertorem. Sed & Ephesini Concilij eam in rem decreta ab eodem aut ignorata, aut minus recte perspecta fuisse, inde apparet. Pelagianorum quoque hæresin Zuinglius sequutus est, (h) dicens; *hominem sola virtute æternam sibi vitam impetrare posse, eaque Catonem & Scipionem cœlum adeptos.* Aiebat idem, *si sui arbitrij res esset, malle se esse in eo loco & statu in quo sunt Socrates & Seneca, quam in eo quo sunt Pontifices Romani, Imperatores, & alij Principes Papistæ. Licet enim boni hi Philosophi neque ex Verbo neque ex Sacramentis Deum cognouerint; omnibus tamen Dominicanis & Franciscanis sanctius ac religiosius vixisse.* Quin idem Franciscum regem Francorum alloquens, ait, *Eum in vita illa æterna Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, & alias eiusmodi illustres animas visurum.* Hinc magnus eius temporis vir exclamabat, vix contineri se quin dicat, *Sancte Socrates, Ora pro nobis.* (i) Zuinglij hunc Atheismum Lutherus acerbe perstrinxit, Ethnicum eum & Paganum appellans; at Gualtherus eius gener, & discipuli, nec non tota Tigurina Ecclesia,

a *Psal. 2. Act. 4. 26.* b *Vlenb. loc. cit. Hosius lib. 1 de Hæres. f. 429 Pomar. Chron. Sax an. 29 Opemerus ibid. Spangenberg. Chron. Mansfeld.* c *Schlusselb. lib. 2. f. 109. Hos. loc. cit fol. 431. 00 2* d *Selnec. li Recit. fol. 241. 242. & Vlenberg. Vit. Lut c. 2 num 4. litteras exhibens.* e *Peucer Tract. histor. de Melä. fol. 13.* f *Lauater. histor. Sacr. fol. 16. l. 4.* g *Lauather fol. 32.* h *Comment. in epist. ad Hebr.* i *Eras. Alber. libr. contra Carlstad. Zuingl. in epist. fol. 29. a. & seq. fol 39. a. Basilie apud Sebast. Henric. Petri. & Exposit. fidei Cath. ad Reg. Gallie.* k *Lauat. in hist. Sacram. fol. 26. an. 36. Bullin. in orthod. Conf.*

cleſia, ac Miniſter quoque Geneuenſis, Daniel Toſſanus(a) nomine, qui contra Marbachium Lutheranum ſcripſit, eius defenſionem ſuſcepe-runt: è quibus poſtremus ille affirmare non eru-buit, *Platonem, Numam, Scipionem & alios Paganorũ virtute excellenti præditos, in numero eſſe electorum.* (b) Hanc Zuinglij tamen ſententiam ipſe Oeco-lampadius reprobauit. Lutheranus vero quidam *à Zuinglij calo vt nobis caueamus*, facete monet, *vt in quo Hercules quoque hoſpitium habeat, terribili ſua clana metuendus.*

VIII. Hoc modo Zuinglius, æque ac Lutherus olim Wormatiæ apud Comitia & alibi, confeſ-ſus, vti putabat, confeſſionẽ bonam, fundauit glo-riosè ſectam ſuam, apud Heluetios, Tigurinos præſertim, exorſam & fortius ex hoc tempore in-troduxit & ſtabiliuit, arrepta eadem, qua Luthe-rus occaſione, indulgentias ſcilicet, quas Francis-canus quidam Mediolanenſis prædicabat, ac de-inde ſacerdotum cœlibatum oppugnando: idem-que ei quod Luthero accidit, vt ſcilicet vno (c) articulo convulſo, paullatim ceteros quoque la-befactare inciperet, ac tandem non minus quam Lutherum ſapere ſe exiſtimans, novam ſuo arbi-tratu ſibi religionem comminiſceretur. Ad quam hæreſin Bertrami veteris hæretici ſcripta magnam ei dederunt occaſionẽ eorũq; miſsâ copiâ Albertũ Brandeburgicũ ad ſuas partes adiungere ſtudebat: (d) ſed maluit hic Lutherũ q̃ Zuingliũ ſequi. Zuin-glio oppoſuit ſeſe ſed cũ primis Ioannes Eckius. is enim An. 1526. viperam quaſi incunabulis aggreſ-ſus 5. Maij Ingolſtadij edidit θεοδολογίαν Zuin-glij Germanicè inſcriptam **Falſche ohnwarhaffti-ge vnd verführiſche lehr Vlrich Zwingel außgezogen auß des Vlrichs Schrifften**/ eamque obtulit qua-tuor Epiſcopis Badenæ 16. die conuenturis in Co-mitium. exſtat libellus is in bibliothecis. Eidem Zuinglio non minus quam Luthero fortiter Do-minicani primi ſe oppoſuerunt. Epiſcopus Con-ſtantienſis vbi de Zuinglij conatibus accepit, miſ-ſo Vicario ſuo Ioanne Fabro, Senatum Tiguri-num monuit, vt ne in religionis negocio quid-quam temere decideret, ſed totius cauſſæ cogni-tionem Concilio quod inſtabat, permitteret (e) Zuinglius nihilominus ſomnia ſua de Sacramen-to aliaque commenta Tigurinis & aliis ita perſua-ſit, vt, quamuis informis tum adhuc, Nouæ Reli-gionis hic fetus pro legitimo fuerit ſuſceptus, & huc vſque non ſine maximis turbis & ſeditioni-bus fotus quamobrem Lutherani Zuinglium & Oecolampadium, vt contumaciter veritati reſi-ſtentes, cenſent biennio poſt horrendo Dei Iudi-cio è medio ſublatos eſſe. ſiquidem ipſe Zuinglius, (f) vt cordatum decet Miniſtrum, haſta inter me-dias cohortes ſtrenue pugnans, quadrageſimo quarto ætatis anno occubuit, vt infra dicetur; & Oecolampadius mærore animum ob repentinum exitium Zuinglij extinctus cum Core & Dathan, cenſetur, ſed de hoc fuſius infra dicetur. Atque hic ille Zuinglius eſt quem Beza *magnum Ieſu Chriſti Apoſtolum*, at Lutherus (g) *Sathanæ diſcipu-lum* appellat: quorum hic præterea ait, quum *tamquam latro & ſeditioſus alios cogere vellet vt erro-rem ipſius ſequerentur, iuſto Dei iudicio occiſum ac damnatum eſſe.* (h) Lutherum tamen pro eo preca-ri ſolitum, commenſalis eius ſcribit. *Vtinam*, di-cebat, *Deus ei* ignoſcat, *eumque in æternæ gaudia ſuſcipiat!* Danæus, *verum Ieſu Chriſti Martyrem, vocat, qui tamquam alter Iudas Machabæus* (Iſcario-tes dicere debebas, aiunt Lutherani) *mortem pro patria oppetierit.*

IX. Zuinglio Ioannem Oecolampadium, ex-cucullatum Ordinis S. Brigitæ monachum, recte ſuccenturiamus. Hic eruditionis Comitis Palatini liberis primo fuerat præpoſitus (i); deinde paren-tibus & amicis vehementer vrgentibus, vt mona-chus fieret, proteſtatus eſt (vt diſcipulus ipſius Capito ſcribit) etiamſi ſexcenta vota fecerit, ſe nullum eorum ſeruaturum, niſi bonum ſibi vi-deatur. Ingreſſum huius monachi videmus, quid exitum miramur? Poſtquam enim annos aliquot in Conuentu degiſſet, abiecto cucullo, vxorem duxit, è qua filium *Euſebium*, & duas filias *Irenen & Alethean* (nota Apoſtolicam progeniem) ſuſce-pit. Ait idem (k) ſe, quum maxime monaſterium relinquere cunctaretur, *à Spiritu S. maxime incita-ri, atque vt exiret moneri ſolitum.* Deſerta religio-ne, ad Zuinglium tranſijt; & vt ille Tiguri, ita hic Baſileæ velut Epiſcopalem ſedem ſibi con-ſtituit, & veteris Eccleſiæ inſtituta ac ritus par-tim abrogauit, partim mutauit. Eam ob cauſſam Eraſmus nouationem hanc ægre ferens, vrbe

a *Toſſa. pag.* 380. b *Conr. Schluſſelb. lib.* 4. *App. Cal. Theol.* c *Oecol. in Iob. cap.* 16. *pag.* 68 *Beza lib. de puni. haret.* d *Schluſſelb. lib.* 2. *Lauat. fol.* 32. e *Sebaſt. Franck. in Chron. part.* 2. *fol.* 702. 703. *anno* 28. f *Vid. Oſual. Myeon.* g *Tom.* 1. *Coll. pag.* 64. h *Sur. Cochl. an.* 31. i *Pantaleon & Capito in vita Oecolamp.* k *Epiſt. ad Melanch.*

discessit(a) qui quid de Oecolampadii libro, quo Eucharistiam explicarat, sentiret à Senatu rogatus, breviter respondit, *Doctum sibi videri, disertum, & bene elaboratum. Pium quoque dicturum fuisse si quidquam pium esse posset, quod Ecclesiæ consensui repugnat, à quo discedere, valde sibi periculosum videri.* sic tum Erasmus; qui tamen non semper ita locutus est. Rogatus ut contra Oecolampadium scriberet (b) se se excusavit; & ad invidiam declinandam, urbem aliquamdiu reliquit. Porro quo ad sententias, idem fere cum Zuinglio sensit Oecolampadius: & ut ille somniis, ita hic coniecturis pro opinionis suæ fundamentis utebatur. Sic enim ad Zuinglium scribit, (c) *quantum ex veterum scriptis coniecturæ assequi possit*, verba illa: *Hoc est corpus meum, per figuram seu tropum intelligenda: simulque Deum comprecari iubet, utrique vt oculos aperiat, ne cum tot hominum periculo incidant in errorem.* Jte iam, si placet, & salutis vestræ anchoram & spem tam incertis opinionum fluctibus credite. Hæccine certitudo est eius doctrinæ quam illi cœlitus habere se ajunt? En tibi Zuinglium abuna, en Oecolampadium ab altera parte, utrumque novi Evangelii præconem & utrumque doctrinæ suæ incertum, illum, hic expressis verbis; alterum supra fassum, se nescire Spiritus suus Doctor, albus an aer fuisset. Sed & ubi eorum Missio? quis mittens? ubi missionis testimonia? ubi miracula quibus suâ illi missionem confirment: (d) Et tamen primus hic Basileensis Episcopus, vel potius, vt à multis Zuinglianis appellatus fuit, tyrannus, (e) ipse docuit (f) *eos qui à Deo missos se dicunt, non recipiendos nisi missionem suam miraculis probent & confirment.* Præcipuus ex Lutheranis Oecolampadio adversatus fuit Melanchthon, qui sententiam eius De Cœna Domini valde impugnavit, (g) missis è conventu Spirensi litteris. Et quamvis Oecolampadius multum deprecaretur, ut inter ipsos privatim controversia hæc discepta retur, res tamen tota emanavit, sic ut varia doctorum tam de hoc quam de illo iudicia circumferrentur. (h) Narrant ipsi quum non vulgari doctrina præditus vir, Lutheri partibus addictus, Buckheimerus nomine, Oecolampadij de Cœna Domini sententiam impugnandam suscepisset, celeberrimi nominis pictorem Albertum Durerum plurimis contra eũdem argumentis usum, ab irato tandem monitum, *ne ultra colores iudicium sibi sumeret. Res has eiusmodi esse ut pingi non possint.* Tum Durerum: *Recte hoc inquis, Sed & quoniu affirmas, nec dici debet, nec comprehendi potest.* Huius disputationis Melanchthonẽ sæpe in familiari sermone mentionem fecisse narrat Peucerus. Vere, vere Lutherus Angelus Apocalypticus, vel stella de cœlo decidua aperuit puteũ abyssi, quo aperto tam late miræ hominum ineptiæ apparuerunt non minus SS. litteris quam penicillo abutentium! Sed ad Oecolampadium revertamur, qui relicto ad stivã primæ suæ opinionis auctore Carolstadio, ambiguum, (i) præsertim in sententia de Cœna Domini, se ferebat, in disputatione Bernensi ad assectatum uno propterea desertus, quod eum ita precantẽ exaudisset: *Mi Deus, si opinio nostra de Cœna Domini vera est, eam defende ac tu propugna.* Hic quidẽ Cellarius fuit, qui particula Si salutem suam periclitari noluit. Sed & in Colloquio Marpurgensi non minus fluctuabat, inter alia Melanchthonem interrogans; Annon in his verbis *Hoc est corpus meum*, figura esse possit, ut in illis, *Ioannes est Helias: Petra erat Christus: Ego sum vitis* &c.? Ex qua hominis inconstantia factum, ut Christiani aliqui cæteroqui non mali ad Christum in Eucharistia his cogitationibus & verbis uterẽtur: *O Christe Iesu si corpus tuũ illic est, ego adoro illud.* Quamvis autem horum duorum, Zuinglij & Oecolampadii Confessio cũ Genevensi in multis non conveniat; Calvini tamen successor (k) utrumque ait Dei omnipotentis manu è faucibus Antichristi (scilicet sua opinione Papæ Rom.) ereptum, ut gladio Evangelii filium perditionis postea cõsauciarent & conficerent. En miserum Romanũ Pontificem, duorum *Helvetiorum* gladio confossum & prostratum! Quam, suaves hi homines, cũ somniis suis & stultis imaginationibus sibi placent! Scilicet is cuius potestas cœlitus accepta ad quatuor Mundi cardines sese extendit, iam prostratus iacet, quando multo plures per infinita terrarum spacia diffusæ gentes indies noviter auctoritatem eius reverentur & potestatẽ agnoscunt, ita ut post Lutherum centies latius regnet quam ante rebellionem eius, ille tamen, in phantasia fatuorum prostratus est, confossus est. nimirum quod in aliqua valle Helvetiorum contemnitur, id ubique sperni autumatur. X. Tan-

a *Oecol. ep ad Farell* 11. *Maij an* 28. b *Opemerus in Chron an.* 28. 29. *& seq.* c *Lib* 3. *ep. ad Zuing.* d *Cur. cõ. hist fol* 214 *an.* 31. e *Er. S. ad Goclen.* f *Oecol. in Esai. cap* 23. g *Schlusselburg. l.* 1. *Theol Calv fol.* 140. h *Luc. Osiand. hist. Eccl. cent.* 16. *lib.* 2. *Peucer. hist. de Melanc. pag.* 13. *& seq.* i *Schlusselb. lib.* 2. *Theol Calv. fol* 68. k *In Iconibus.*

X. Tandem post multas inter bellicosos illos Alpium accolas excitatas seditiones ac cædes, Oecolampadius ex hac vita abijt, coram iusto illo iudice eorum quæ docuit ac fecit rationem redditurus. Valde illum Zuinglij cui vnicum tantum mensem superstes fuit, mors afflixisse putatur (a) quam sæpè deplorabat; quem etiam, quamuis pro patria sanguinem effudisset, longe feliciori morte dignum fuisse aiebat. Paullo ante mortem, *Ego*, aiebat, (b) *totus incertus in fide & fluctuans, abeo, coram Dei tribunali rationem redditurus atque experturus vtrum doctrina mea vera, an falsa fuerit.* Heus tu Oecolampadi, non opus est tam procul iudicium veri petere. Habebas Ecclesiam columnam veritatis &c. cur non audisti eam? Amicitiæ certè, quæ inter ipsum & Zuinglium artissima fuit, plus quam conscientiæ dedisse liquet. Lutherani aiunt, eum Landgravio aliquando in sermone familiari dixisse, *velle se manum sibi abscissam fuisse, prius quam quidquam de hac controuersia esset à se scriptum* (c) quod à Petro Plateano, qui sermoni huic interfuerat, Luthero postea relatum affirmant. De morte eius diuersa sunt iudicia. (e) Lutherus a diabolo noctu eum in lecto strangulatum ait. Beza peste mortuum scribit. Capito, longo & graui morbo confectum obijsse dicit. quumque amicum quendam ad lectum accedentem vidisset, rogasse: Ecquid nouarum rerum afferret? Illo nihil scire se negante, dixisse: Atqui ego scio. Mox enim in Paradisum ego abibo. Alij e contra aiunt, eum exclamasse, iam iam in inferno se futurum. Lindanus in desperatione mortuum auctor est: & alij eiusdem temporis violentas sibi manus inferre conatum esse affirmant.

Ecce tibi tres Sacramentariorum hæreseos, quæ magnam Christianæ Reipublicæ partem infecit, primos Auctores. En tres diuinæ si fas est dicere Veritatis præcones. En tres eius doctrinæ columnas, quæ non toto biennio in octo diuersas Sectas fuit diuisa, vt ipse Lutherus in quodam Sermone notat. (e) Westphalus nullam doctrinam citius fuisse propagatam, nec maiori conatu & hypocrisi defensam scribit, quam Sacramentariorum, non Catholicis modo, sed & Lutheranis tam exsecrabilem, vt reconciliationis ne minima quidem spes sit. Et Sacramentarij quidem in Germania, Principum in Comitijs decretis, eadem conditione & loco haberi iubentur, quo Anabaptistæ, vt è Sleidano passim videre est. Lutherus ipse dicit, (f) *Tres illos doctrinam suam à diabolo accepisse: neque qui alterum pedem iam in sepulchro habeat, hanc ad Dei tribunal gloriam allaturum quod Carolstadium Zuinglium & Oecolampadium, tamquam Sacramenti inimicos condemnarit, neque vllam sibi vel verbo, vel litteris vel quacumque alia re cum eis amicitiam futuram, vti Deus iubet.* At Zuingliani, *Caueat*, inquiunt, *Lutherus, ne cum isthoc tam atroci & implicabili animo omnium se hæreticorum caput & ducem constituerit, vt qui nihil commune cum eo habere velit qui solum Iesum Christum profitentur.* Porro Zuinglius Carolstadij nomen quodammodo oblitteravit, & Oecolampadij opera adiutus, è ruinis ipsius suam sectam ædificauit, quæ Zuinglianorum est appellata. Et Lutherus, Peucero teste, (g) relicto Carolstadio, abdomine magis & fastu quam doctrinâ inflato, omnes suas vires contra Zuinglium & Oecolampadium, multo validiores antagonistas, conuertit. Zuingliani vero, vt Bullingerus notat, in octo factiones fuerunt diuisi: nimirum in Significatiuos, Tropistas, Energicos, Arrhabonarios, Adessenarios, Metamorphistas, Iscariotistas, & Neutrales. Mortuum Oecolampadium primum eius Ciuitatis episcopum (sic enim ipsi appellant) Senatus Basileensis magnis honoribus est prosequutus, (h) erecto, quod adhuc in choro templi primarij conspicitur, epitaphio his verbis conscripto: *D. IOAN. Oecolampadius, professione Theologus, trium linguarum peritissimus, Auctor Euangelicæ Doctrinæ in hac vrbe primus, & templi huius verus Episcopus, vt Doctrina sic vita sanctimonia calendissimus, sub breue saxum hoc reconditus iacet.* Ridiculum sane in multis epitaphion quid enim? Basilea primũ ex Oecolampadio Euangelium audijt & non à B. Pantalo &c. Apostolorum vicinis? & quid illud Templi verus Episcopus? Nugæ, & faniæ.

Lutherus accepto de Oecolãpadij morte nũcio, exclamasse dicitur: *Ah te miserum & infortunatũ Oecolampadiũ! Tu ipse infelicitatis tuæ vates fuisti, quum Deum*

a *Sim. Gryn. de Oecolamp Mycon. Capito. Pantaleon in prosop graph.* b *Luth. tom. 6. fol* 84. c *Selnec fol. 36. Forscheimerus in malleo Caluinist. q 2 3. Schlusselb. Theo. Cal lib. 2 fol. 69. Luth. de miss. priu. Et in defen. de Cœn. Dom. Eras epist. ad Cechl. Lauat. fol. 21. Fran. Cor. lib. 2* d *Serm. sup. Sacram. habito anno 1527. Hageno.* e *Luther ep. ad Brem. Schlusselb. lib. 4. Append. Brem. adu. VVestphal. Beuml. in analy. disp. Iac. And.* f *Histor. de Melanch. fol. 9 seq.* g *Laur. Sur. com. histor. fol. 214. an. 31 Lauath. hist. Sacr. fol. 21. f. 1 Hist. de Cœn. Aug.*

Deum ultorem tibi imprecatus es, ſi doctrina tua falſa eſſet. Deus tibi ignoſcat, ſi in tali ſtatues, ut ignoſcere tibi poſſit. Lutherani etiam aiunt, (a) Martinum ſuum in Marpurgenſi Colloquio tam Zuinglio quam Oecolampadio infelicem hunc exitum prædixiſſe, his fere verbis: *Cavete vobis, domini. Metuendum enim eſt ne priuſquam triennium abeat, res in eum ſtatum deducatur, ut veſtram fortunam ſitis deploraturi.* Sicque eveniſſe, Zuinglio & Oecolampadio ante illud tempus horribili morte ſublatis. Sed hæc ſatis. Ad Confeſſioniſtas iam pergamus. Novum nihilominus Sacramentariorum magiſtrum libro VI. producemus, qui tamquam peritior artifex ſuperiorum illorum laboribus ſua fornace recoctis, aliam formam induxit.

DE PHILIPPO MELANCHTHONE Confeſſioniſtarum Patre & auctore.

Caput IX.

Argumentum.


I. *De Philippo Melanchthone, eiuſque horoſcopo: & iuventute.*
II. *Melanchthon Auguſtanæ Confeſſionis auctor.*
III. *Quantum Melanchthoni Lutherus tribuerit.*
IV. *Melanchthon è Scepticorum numero.*
V. *Poſt Lutheri mortem ſententiam mutat.*
VI. *Inſimulatur quod Lutheri opera depravârit.*
VII. *Confeſſioniſtarum Fides, cuius Melanchthon fuit auctor.*
VIII. *Eorundem inconſtantia.*
IX. *Vltima Melanchthonis verba, & obitus.*

PHILIPPUS Melanchthon, tertiæ in hæreticorum exercitu aciei, Confeſſioniſtarum videlicet dux (ut qui Auguſtanam Confeſſionem conſcripſerit) fidus Lutheri Achates & quaſi Mercurius Germanorum fuit: ingenio vivido & acri, placidiore paulo & modeſtiore præditus, & qui valde caveret, ne exceſſus in ipſo notari poſſet (b) Lutherani Melanchthonem Luthero ſocium à Deo adiunctum ſcribunt (c) ſed diverſis omnino virtutibus ornatum. Non ille tanta quanta Lutherus pugnabat aut diſputabat vehementia, ſed dulci quadam lenitate tam concertationum eiuſmodi aſperitatem mitigabat quam Principum diſſidia componebat. Nec quiſquam ex omnibus qui contra Eccleſiam cornua ſuſtulerant, minus ambitioſus habebatur; eoque diſcipulos ſuos nequaquam Melanchthonianos appellari voluit, quanquam nomine hoc poſt mortem eius non pauci ſe iactarint, qui exſecrabiles poſtea errores pepererunt (d) Vultu virtutis quandam ſpeciem & innatam bonitatem præ ſe ferebat; tanto maiori cum bonorum ac recte ſentientium periculo (e). Quemadmodum enim auro & pulcherrimis coloribus cariosum ſæpe & putridum lignum tegitur: ita hic externa pietatis ſpecie hæreſeos ſuæ ſordes velabat, ut etiam ij teſtantur, qui eum Germaniæ *ſecundum Prophetam* faciunt & appellãt. Philoſophiæ & bonarum litterarum valde peritus exiſtimabatur (e) ut & Græcæ linguę, ad cuius profeſſionem è Thuringia, ubi Anno M D XVIII. docebat, à Friderico Saxoniæ Electore VVitebergam fuit evocatus, eo tempore quo Lutherus contra Indulgentias tonare incipiebat, quamvis ille vix adhuc viginti annos natus eſſet. Tum indiſſolubili duo hi amicitiæ nodo, quem neque mors neque opinionum diverſitas diſſolvit conſtricti ſunt; ſic ut nulla ſine Philippo Martini ſtatua videretur. Duo hi gemini celebrabantur, tamquam felix illud S. Petri & S. Pauli par, *ſcilicet* Germanorum Apoſtoli: atque ut, quos ſibi ipſi tribuunt, titulos eis relinquamus (f) *unus* Lutherus ſcilicet, *Eſaias alter Hieremias*. Sic enim Lutherus ſcribit: *Ego Eſaias ſum, Melanchthon Hieremias*. Hunc enim ſolũ, ut ipſius Lutheri diſcipuli fatentur, opinionũ ſuarum moderatorem & arbitrum Lutherus ferre poterat, ut ex horribili illa contra Eraſmũ de Libero arbitrio diſputatione apparet. Quũ enim Lutherus cũ ipſa recta ratione bellũ ſuſcepiſſe videretur (g) à Melanchthone corrigi ſe & ad meliorem ſenſum reduci paſſus eſt. Illud non immerito alicui mirũ videatur, quomodo animũ humanitatẽ vtcunq; & litterarũ ac Philoſophiæ cognitione imbutum, illa opinio ſubire potuerit, ut *de ijs abdicandis & è Chriſtiana republica proſcribendis cogitarit*. Quum enim, vt alibi quoque dictum eſt, Lutherum magiſtrum de illo S. Pauli Apoſtoli, 1. ad Coloſſenſes loco, *Cavete ne à Philoſophia decipiamini*, &c. diſſerentem audiviſſet, ſtatim Ariſtoteli ac omnibus bonis litteris

a *Selnecc. hiſtor de prog. Aug. Con. fol. 35. 1. 3.* b *Beſold. diſſert. 1. Alberus &c.* c *Schluſſelb theo. Calu. lib. 2. fol. 1001.* d *Bez. in Icon.* e *Sur. hiſt com. an. 1500. fol 340. Ioach. Camerar. in vita Mel. Adamus Sib. Sileſius ibid. Vlenb cauſſ 7. c. 7. pag 180. 181. m. 2. Tom. 2. f. 488. f in libell. Germ. vita Lutheri pag. 13. Vlenb cauſ. 15. pag. 510.*

teris nuncium remisit, nec in gratiam cum eis redijt prius, quã ab illo ipso qui diuortio huic causſam dederat, paranympho perſuaſus, reſumpſiſſet.

Porro (*a*) natus eſt Philippus Melanchthon Brettæ, Electoralis Palatinatus oppido, XVI. Februarij Anno MCDXCVII. hora VII. & VI. minutis poſt meridiem patre Armamentarij Palatini cuſtode, matre Barbara Reutera. Illudque à Iudiciarijs Aſtrologis in Natiuitate eius obſeruatum fuit, (*b*) quum Martem eodem fere gradu in tertia domo, quæ ab Arabibus Religioni tribuitur, cum Ioue coniunctum habuerit, hæreticum & antiquæ Fidei aduerſarium fore. Sed vt curioſo Lectori ſatisfiat, ecce thema eius genethliacum.



II. Sed iam ad res ab eo geſtas tranſeamus. Melanchthon igitur uſus diuerſis Magiſtris & fautoribus imprimis Ioanne Reuchlino, ad Græcarum literarum ſtudium excitante Pfortzemij, Vnde Heidelbergam veniens Anno 1509. Philoſophiam, abſoluit A. 1511. quo loco cum dubitaretur an ea ætate per leges in Magiſtrum promoueri poſſet,

S offenſus

a *VVitteberg. in Vit. Melancht. b. 1. Bulcholzer. in Chron. ad. A. 1597. Henr Pantaleon. profeſſ. p. 3. fol. 191. in Melancht. Vlenberg. in Vit. Melancht. c. 1. num. 1.*

b *Vid Iac. Heerbran. in Orat. Funebri.*

offensus Tubingam profectus, ibi A. 1514. 25. Ian. ætatis 16. anno laurea magistrali donatus est, & ibidem Poesios ac Historiarū professionem suscepit. (a) Excudebatur tunc Tubingæ Chronicon Ioannis Naucleri, cui edendo operam adhibuit Melanchton, eaque occasione illud cum Sacris litteris conferre necessitatem habens, affici cæpit ad Theologiæ studia, ad quæ fælicius prosequenda antea memoratus Reuchlinus ei author fuit, vt ad Græcæ Latinæque linguæ studium, Hebrææ cognitionem adiungeret, addiditque instrumenta libros, methodumque imo suum de verbo mirifico librum ei dedit excudendum, quod occupationis genus maxime acuit ad culturam ingenij. Dum vero ea geruntur Elector Saxoniæ Fridericus Reuchlinum consulit de Græcæ linguæ professione, pro sua nuper Anno 1502. instituta Academia Wittebergensi. Ad hanc igitur capessendam idem Melanchtonem induxit An. 1517. ipso quo Lutherus triste bellum Ecclesiæ Catholicæ movere cæpit de Indulgentijs. Offerebatur quidem tunc Melanchtoni Tubingæ ab Vlrico VVirtebergensium Duce Beneficium Ecclesiasticum, sed ille illud alteri generi vitæ posthabuit & in exitium suum fascinandus à Luthero VVittebergam elegit. quo aduenies 25. Augusti in ipsam Ecclesiastici belli flammam exeunte Anno incidit, & quod miserabilius Luthero comes & socius errorum, imo Hyperaspistes effectus, pro eo calamum stringere cæpit An. 519. 15. Iulij cum annum 22 ætatis explesset Siquidem in Disputatione Lipsiensi præsens eo die epistolam in fauorem Lutheri scripsit multis falsis aspersam, quam D. Eckius Lipsiæ nactus, edito scripto erroneam ostendit, imo imprudentem, vtpote hominis & iuvenis, & rem de qua agebatur non intelligentis; Grammaticæ magis, quam Theologiæ idonei. Ex quo tempore suam imprudentiam volens velare apologeticis operimentis, is grauiores errores scribendo deuenit, SS. PP. errasse turpiter professus, eosque sibi, quam Eckio Aristoteles suus, esse notiores testatus magnâ sane & honorifica de se persuasione in tantilla contra tam senem & peritum Doctorem, ætate Sed Philippus pro se habebat poëtastrorum gregem quem in Eckium concitauit, vt eum petulanter sannis & ronchis scurrilibus exagitarent, atque ita passiones in theatrum prodirent, veritate abacta. Anno deinde 1520. 25. Nov. nuptias celebrauit cum Cos. VVittebergici fil a & sequenti aduersus Parisiensium Theologorum censuram de libris Lutheri Aprili mense editā scribens, scripto suo audacem titulum præfixit, nempe, *Aduersus Parisiensem Theologastrorum decretum Apologia pro Luthero.* Tantum iam sub Luthero homo 25. annorum profecerat nulla audita Theologia solum ex libris & ore Lutheri, spiritu accepto. Vt tamen Theologi nomen assequeretur priuatim quibusdā discipulis Epistolam ad Romanos explicuit, ante cuius explicationem quosdam *Locos Theologicos* dictauit, vsui ad Apostolica scripta intelligenda, vti asserebat, futuros, quos ipso anno quidam typis vulgauit, ipse seq anno 1522. castigatiores & eloquentia maiore donatos iterum emisit. in quibus vti Lutheranam Theologiam complectebatur, ita stili humanitate multos seduxit, alias alienos à Lutheri doctrina & furore. quod intelligens Lutherus, Melanchtonē tam opportunū suis rebus, supra D. Thomam S. Hieronymū & Originē extulit, ipsumq, libriū inter Canonicos Sacræ Scripturæ libros recensendū, eadem cū Propheticis & Apostolicis authoritate habendū iudicauit; cū tamen ipse Melanchton postea eundem librū coquens ac recoquens, augens & mutans, eū deinde loco suo ita mouerit, vt quæ prioribus editionibus fuerant sanctissima, visa, ipsemet demum assertā hæreticā iudicarit, & damnarit. Idem Melanchton vnus fuit ex ijs, qui Missam ab Augustinianis abolitam esse, iure factum, asserere ausus est & dum se abripi sinit à vento Lutheri, etiam à Carolstadiano in Enthusiastarum sententiam deijci passus est: nempe studia litteratum esse abolenda &c. quæ fanatici asserebant siquidem pistoriæ artis se dedit, vt præceptū diuinum, *de labore manuum suarum viuendo* impleret. Sed ex ea dementia per Lutherum reuocatus, cum illo inter errores ambiguus currere & vacillare in reliquæ vitæ sibi solenne fecit. Miser duabus maxime rebus: nempe quod adeo iuuenis VVittebergam vidit, & sui laudibus intumuit (b) Itaque quæ Lutheri sunt acta, eadem & Philippi fuerunt, eo vno excepto, quod discordiam, quæ in Noua, quam primū nata fuit Lutheri ecclesia, statim gliscere cæpit, ægerrime ferens, diuersas Luthen Zuinglij & aliorum, opiniones omnes conciliare modis omnibus satagebat, quamuis de pace Ecclesiarum desperare nonnumquam se diceret,

a *Vlenberg. in Vita Philip. ex AA à se citatis cap. 1. n. 1.* b *præmissa ex Vlenbergio in Vita Melanchtonis ex AA. ab eo citatis sunt excerpta. cap. 1. 2. & 3.*

ret, ac valde metuere, ne aduersarijs crîstas tollentibus, plane tandē dissipar- ntur. Quoties cum Catholicis ei sermo erat, nihil aliud spectare se, nihil aliud opta e aiebat, quā vt emendatis abusibus, & cōciliatis opinionibus, (a) Ecclesia in pristinā concordiā & integritatē rediret. Cochlæus tamē VII. Philippica dicit, eum specie quidem aquā, sed reuc a interim oleū incendio affudisse Fronti quippe nulla fides, & inane est virtutis nomen & ostentatio sine re. Hic ille est, qui rogatu quorundam Germaniæ Principū, qui vt Sturmius scribit, Lutherum ab ea manū abstinere volebant, Augustanā Confessionē conscripsit. (b) q̄ Protestantes in Saxonia, vt Lascus & Osiander aiunt, ipsis libris Canonicis præferunt Id vero opus, ECCLESIÆ CORPVS postea fuit appellatum. Ijdem testantur, Melanchtonis vocem apud Confessionistas plus valere quā Dei Verbū; vt qui in verba eius, Confessionem scilicet, iurare, ac Christum negare cogantur (c) Hunc librū Philippus suā manu scriptum imperatori in comitijs Augustanis exhibuit, vt libro III. dicetur: quæ tamen vrbs di Zuinglij magis Confessionē quam ea quæ ipsius nomen præfert, amplexa est. Hic Quinti Euangelij auctori, quem honorē Lutherani Luthero suo præceptum ægre ferentes, Melanchtonē scribam tantū, ipsam autem doctrinā Pontificali quadam prærogatiua, a Luthero dicta āf isse aiunt. Qui vt ē sua auctoritate & decreto omnia penderet ostenderet, manu sua verba illa, DAMNAMVS SECVS DOCENTES, Confessioni subiunxit, quæ tamen postea abiis ipsis qui singula eius verba pro oraculis habent, fuere expuncta (d) In multis enim duorum horum apostolorum & sequacium doctrina discrepat: sic vt ipsi Lutherani dicant, tantum interesse inter Lutheri & Melanchtonis doctrinam, quantum inter calidissimam æstatem & glacialem hyemem teamq; ob caussam Faccius Illyricus Melanchthonem publico scripto tamquā Lutheri apostatam & desertorem traducit. Ad huius Confessionis defensionem inter Protestantes in Germania facta postea fuerunt federa, vt III. libro explicabitur (e).

III. Non obstante vero opinionum diuersitate, Lutherus Melanchtonem omnibus in toto Mundo hominibus præferebat, illud in ore frequenter habens: *Contemptibilis est anima quæ contemnit Philippum* Huic vni secreta sua reuelabat: hunc à Deo missum dicebat, vt labores ipsius in propagando Christi regno adiuuaret. Librum eius *Loci Communes* inscriptum, assiduo legebat atque relegebat (f) hoc addito elogio, eo vno cælestem doctrinam ad sæculi vsq; consummationem conseruari posse. Immo testantur Heidelbergenses, Lutherum optare solitum, (g) vt ceteris omnibus libris abolitis, solus hic superstes maneret. Sed quid Lutherum dicturum fuisse putamus, si pleraque ea quæ à Melanchthone Anno MD XXX. scripta & edita sunt, postea Anno MD LV. penitus mutata vidisset? si eundem Commentarios in S. Pauli epistolas, quos Lutherus ad cœlum vsque efferebat, & quorum comparatione Hieronymi & Origenis scripta mera deliramenta esse aiebat, suos esse negantem audiuisset? Sed vt Lutherus Philippum honorabat, ita Philippus Lutherum reuerebatur ac tantum non adorabat, Patrem eum suum appellans, & vix vmquam à latere eius discedens. Cum eodem, antequam Monialem lecti sociam adsciuisset, magnam noctis partem transigebat, iam de hoc iam de illo disputans articulo ac tamquam nouæ Fidei lineamenta designans (h). Patrem vero (si Lutheranis credimus) merito Lutherum vocabat, vt qui vnà cum Micronio grauissimè ægrotans & in vltima vitæ linea hærens, precibus Lutheri in vitam reuocatus fuisse a Luthero ipso gloriosè iactatur. Tam artæ amicitiæ respectus Melanchthoni obstitit quominus viuo eo sententiam suam de Cœna Domini aperte proferre auderet (i) Et hanc seruitutē ipsum deplorasse, Caluinista quidam auctor est, Lutheri, nemini cedere, nec à quoquam reprehendi sustinentis, contumaciam ac furor m vehementer detestans P. Gelius tamen Melanchthoni perfamiliaris nequaquam ita timidum fuisse asserit; nec tamen Lutherum quamuis diuersum ab eo de Cœna Domini sentiret, propterea amicitiæ vinculū rumpere, aut contentionem cum eo suscipere voluisse. (k) Quemadmodum vero Lutherus Melanchthonis hac in re libertatē ferebat, sic Melanchton rationes

a *Camer. in Vita Mel. & VVitteb.* b *Cythræus & Greg. Caleſi. in hiſtor. Confeſſ. Aug* c *Sur. hiſt. com. fol.* 442. *an.* 48. *Caleſt. fol* 92 94. *tom.* 4. *de Aug. confeſſ.* d *Schluſſelb lib.* 2. *Theol. Calu Staph. de Luth. concor. Colloq Altemb fol.* 463 e *Sur. loc. citat.* f *Vlenb. cauſ.* 7. *cap.* 7 *fol* 180 g *Vide Petuc. & adm. Chriſt. de lib. Concor, fol.* 205. *Schluſſelb. lib.* 2. *Theol. Calu.*

omnes suas ita instituebat, ne magistri auctoritatem labefactaret. Et sane valde metuebant hæretici, ne si duo hi restituendæ ac reformandæ (sic enim loquuntur) Ecclesiæ principes inter se digladiarentur, tandem illa dissiparetur. Calvinus (a) Melanchthonem magnum Ecclesiarum in Germania ornamentum; Petrus Martyr (b) virum incomparabilem appellat, ac Luthero etiam præfert, utpote omni scientiarum genere excultum. Morlinus vero tanta charitate præditum fuisse scribit, ut si possibile fuisset, totum Mundum humeris suis portare voluerit.

IV. Sed qualis qualis Melanchthon fuerit, in Pyrrhonis certe schola educatus videtur. Adeo continua dubitatio animo ejus insidebat; unice id metuentis, ut ipse dicebat, ne erraret. In scriptis ejus vix quidquam certi apparet. Atque hanc ob caussam Lutherani in Synodo quadam (c) Melanchthonis tergiversationem inquiunt multis de fundamentis veritatis dubitandi occasionem dedisse, atque alios quo minus Augustanæ Confessioni nomina sua dederint, avertisse: eoque à Papistis Doctoris hujus inconstantiam Evangelicis non sine caussa objici, quum is scripta sua toties mutârit. Quotiescumque à disputatione aliqua cum Catholicis habita redijsset, vultu tristitiam & animo consternationem quandam ostendebat. Dicere sæpe solebat, *Vecordes sibi admodum videri qui opiniones suas sine ullo antiquæ Ecclesiæ testimonio proponere auderent:* eoque plures ille Catholicæ Ecclesiæ ritus atque alia retinebat. Quemadmodum enim bestiæ cicuratæ ad innatam ferociam non ita facile redeunt; ita hic antiquæ pietatis Catholicæ, quam cum lacte suxerat, tam cito non potuit obliviscì, (d) ut inprimis è consilio ipsius quod Francisco I. Gallorum Regi dedit, apparet. Omnes ejus cogitationes, curæ & studia in componendis religionum dissidiis consumebantur, adeo ut Lutherum quoque secreto carperet, tamquam ipsa Ecclesiæ fundamenta emoventem, ac præcipuè Papam nimioperè oppugnantem, quem ipse pro omnium Christianorum capite & Dei Vicario agnoscere non abnuebat. (e) Ajunt Heidelbergenses, in familiari sermone aliquando Lutherum à Philippo monitum ut remissius aliquanto ageret, neve caussam vehementia sua deteriorem faceret; eoque consultum sibi videri ut leni aliquo & placido scripto sententiam suam testetur; illum respondisse: *iam quidem hac eadem de re se cogitasse; at si id faceret, vereri ne doctrina sua plerisque suspecta redderetur. Eoque hanc se caussam Deo commendare, ac rogare ut se mortuo, aliquid in eam rem ipse tentet* (f) Hæc ultima fuerunt utriusque inter se verba, ut infra quando Lutheri mortem expositurus sum, dicam. Lutheri verba Alexander Alesius Scotus Calvinista, sed in Germania ipsa educatus, Germanicâ linguâ citat, addens, ijs ad Ecclesiam Bremensem per Echardum Alingen delatis, missum ad Philippum Joannem Schlongiabium, veritatis exquirendæ caussa. Tum Philippum, *Non se hoc posse negare, respondisse: & scripto quoque libenter publicaturũ, si sine Ecclesiæ scandalo & turbatione fieri posset. Id tamẽ testãento suo inserturũ, promisisse*; ac sine dubio facturum fuisse, nisi morte esset præventus. Alij rem aliter narrant, (g) nimirum quum aliquando sententiam suam de Cœna Domini Melanchthon apertius, quam hactenus consueverat, protulisset, Lutherumque rogasset, ut ea in re scripta sua aliquantum moderaretur, is vero valde excanduisset, Philippum abeundi Vitebergâ consilium cepisse, idque Gaspari Crucigero aperuisse. Id quum Lutherus resciviisset, ad Philippum his verbis usum. *Controversia illa, Philippe, de Cœna Domini, mea est, quam hactenus defendi & posthac defendam vel sinete. Tu, si ita videbitur, in contraria sententia persevera Mihi quidem tuo auxilio & opera nihil ad hoc opus est.* An & quid Melanchthon ad hoc responderit, nec Peucerus nec quisquam alius mentionem facit. Id constat, inter eos convenisse, ut posthac ab ea disceptatione abstinerent. Lutherus enim dissensionem hanc, ac de reali corporis Christi in Cœna præsentia dubitationem innotescere nolebat (h) Hinc idem in epistola quadam Anno MD XLIV. sic scribit: *Si quem forte dicentem audias, Philippum & Lutherum Sacramentariorum insania adstipulatos esse, ne tu hoc credas.* Sed hac de re plura vide inferius.

Idem Melanchthon in omnibus suis scriptis ante annum MDXLVII. editis, Zuinglij & aliorum Sacramentariorum doctrinam detestatur, nul-

a *In 3. adm. ad VVestph.* b *Cont. Cardin. de Eucharistia.* c *Colloq. Altemb. f. 103. 520. & Schlusselb. libro 4. App. Th. Calv. & VVigand ibidem pag. 287. Melan. de Cœn. Dom. cont. Anab.* d *Vide epist. lib. à Peuc. editum.* e *Mel. in epist. ad Carlovitium. Schluss. lib. 4 fol. 288.* f *Colloq. Maulbrun. & Peucer. nar. histor. pag. 4. & contra Nic. Selnecc.* g *Peuc. pag. 26.* h *Crellius Tract. de re Sacramentaria.*

aullam satis firmam rationem se reperire, dicens,(a) *qua ab antiqua ea in re dimouere nos debeat. Fieri quidem posse vt ocioſis ingenijs altera illa ſententia magis arrideat, vt humanæ rationi magis congruens: non tamen propterea ab Eccleſia ſententia diſcedendum eſſe. Verba illa, Hoc eſt corpus meum, eſſe inſtar tonitru* (b). *Quid ergo perculſum ijs animum contra ea dicturum, aut quod dictum è ſcriptura ad metaphoricam aſſumendam interpretationem allaturum? ſibi parum peritos eos videri qui nouas hoc modo doctrinas ſpargunt, plus à ſe confictis rationibus quam S. Scriptura verbis tribuentes.* Quumque idem Anno M D XL. in grauiſſimum morbum incidiſſet, teſtamento à ſe condito hæc verba inſeruit: (c) *Quantum ad Cœnam Domini attinet, in eo quod cum Bucero Anno D XXX. VVittebergæ conuenit, acquieſco, & in hac confeſſione mori volo.* Quid vero de alijs religionis articulis ſenſerit, morbi grauitate impeditus tum latius explicare non poterat. De Colloquio vero illo VVittebergenſi infra in vita Buceri agam.

V. Mortuo Luthero, Philippus pleriſque ſententiam mutaſſe, & ad Sacramentarios inclinare videbatur, (d) ſic tamen vt magiſtri memoriam & auctoritatem non læderet. Crilpinum certè librarium Geneuenſem ad imprimenda Oecolampadij ſcripta hortatus eſt: ac literis vltro citroque miſſis cum Caluino & Bullingero amicitiam coluit. (e) Lutheranus quidam Caloander nomine narrat, Melanchthonem aliquando à ſe obſecratum, vt ſuam de Cœna Domini ſententiã ſcripto conſignatam proferret, quo intelligeretur vtrum cum Luthero an cum Sacramentarijs ſentiret. Tum illum indignabundum reſpondiſſe, *ſatis ſuperque ea de re à ſe ſcriptum; at ſi eam controuerſiam attingere rurſus cogatur, facturum vt totus mundus obſtupeſcat.* Rogante dein Caloandro, vt quod eum rogaſſet bonam in partem acciperet, ac tam piæ ac honeſtæ petitioni locum daret: ſe quidem nomen eius defendere paratum contra omnes qui Melanchthonem credere negant panem in Cœna Domini verum eſſe & naturale Chriſti corpus: illum multo magis indignantem, ſcedulam forte repertam in terram proiecisse, additis his verbis: *Heus tu Caloander, ſi verum & naturale Chriſti corpus eſt in pane conſecrato Cœnæ Dominicæ, quid prohibet quominus idem ſit in hac ſcedula?* Hac blaſphemia, ei, quod idem in Confeſſione Auguſtana ſcripſerat, plane contraria, è Philippi ore audita, Caloander non minori triſtitia quam admiratione correptum, ab eo ſe diſceſſiſſe ſcribit.

Alij cuidam Superintendenti, Mordiſio nomine, eadem de re Philippum vrgenti, ille reſpondit: (f) Facite vt hinc abire mihi liceat, nec dubitate me tum ſententiam meam de hac controuerſia libere perſcripturum. Stanislaus Reſcius (g), ſe præſente à Polonis quibuſdam de communione ſub duabus ſpeciebus rogatum, reſpondiſſe ait: *Nihil intereſſe, tam vnam quam alteram ſpeciem ſufficere.* Sic ergo Melanchthon omnes æque quid de Sacramento altaris ſentiret, incertos relinquebat (h). Eam ob cauſſam Caluinus ei exprobraſſe dicitur: *Quid tu, Philippe, non atramento obſignare audes quod alij ſanguine ſuo obſignant?* Nihilominus tamen magna erat apud omnes nationes Philippi fama & exiſtimatio: adeo vt etiam Franciſcus I. Galliæ rex eum ad ſe euocarit. Similiter Henricus VIII. Angliæ rex, poſtquam ab Eccleſia deſciuit, à Germaniæ Principibus Melanchthonem ad ſe mitti petijt, qui nouæ Eccleſiæ iaceret fundamenta. (i) Sed illi, Francofurti tum Anno M D. XXXIX. congregati, molli & timido Philippi animo parum fidentes, huic Regis petitioni nequaquam annuendum cenſuerunt, vt Caluinus ſcribit. Idem poſt eius mortem hanc in eo timiditatem notat, inquiens: O *Philippe Melanchthon, ad te prouoco, qui in altis cum Deo viuis, ibique nos exſpectas* (k). *Centies atque iterum centies tu tot laboribus defatigatus, optaſti vt in ſinu meo quieſcere atque animam redderes tibi liceret: & ego quoque nihil ardentius quam præſentiam tuam deſideraui. Quo voto ſi vterque potitus fuiſſet, tu quidem fortiorem te tam in congreſſibus quam in contemnenda inuidia & odio exhibuiſſes; malitia certe eorum repreſſa fuiſſet, quorum audacia per tuam mollitiam creuit.*

VI. Hic idem Melanchthon Lutheri opera poſt mortem eius caſtigauit, non ſolum ſtiliruditatem & ſcabritiem expoliendo, verum etiam res ipſas mutando, addendo, detrahendo. (l) Eoq; ab Illyrico & Gallo accuſatur, quod veram magiſtri ſui doctrinam corruperit ac deprauarit. Idem ei in Colloquio Altemburgenſi, cui Gulielmus Saxo-

a *Mel. epiſt. ad Rotman. Menaſſ. Ioach VVeſtph. de Mel.* b *Lib. de Ver. corp. Chriſti* c *Hiſt. de Cœn. f. 357. Paucer. habet contrar. fol. 43. vſq; ad fol. 49.* d *Schluſſelburg. lib. 4. fol. 274.* e *Lauat. hiſtor. Sacr. fol. 32. Selnec. in recit.* f *Peuc. ibid fol. 28.* g *Lib. 5.* h *Luc. Oſiand. Centur. 16. lib. 3. c. 40. fol. 703.* i *Camerar. in vita Mel. & Pantaleon. in Proſop. Vir. Illuſt. Nigr. in Chron.* k *Peuc. nar. hiſtor. de Vita Melanchth.*

niæ Dux præſedit, fuit objectum. Et hanc ob'cauſam Witebergenſes Theologi Anno M DXLVIII. Synodum Lipſiæ habuerunt, ut quid hac in re faciendum eſſet, deliberaretur. (a) Pudebat enim Evangeliſtæ ſui libros tot vanitatibus injurijs, nugis, ſcommatis ſtercoribus, merdis (ſit honos auribus) totque diabolorum legionibus videre refertos. Sic ergo de Melanchthonis conſilio ſcripta omnia Lutheri mutarunt, omiſerunt, addiderunt quidquid viſum fuit, ordinem librorum & numerum Tomorum qui vivo Luthero excuſi fuerant, perverterunt, quæ res miram in ijs quæ ex Lutheri ſcriptis citantur locis confuſionem parit: id quod etiam Boquinus Brentio & Schmidelino in Colloquio Maulbruñenſi Anno M DLX V. exprobravit, dicens: *Quomodo de Lutheri doctrina certi eſſe poteſtis, qui de numero Tomorum eius Operum non eſtis certi?* (b) Amsdorffius, Illyricus & Rorarius, Lutheriani, edito libro conqueruntur magnam (ſcilicet) Dei verbo quod Luthero revelatum fuerit, hac cenſura vel caſtratione potius factam eſſe injuriã: ſimulque Melanchthonem probe depectunt, Cothurnum, falſarium, Pelagianum, &c. appellantes. Nonnulli eundem inſimulant quod Arrianiſmo quoque faverit, quem novi hæreſiarchæ tum parturiebant Stancarus (c) certe ait: *qui Melanchthonis epiſtolam ad Ioachimum Marchionem Brandeburgicum ſcriptam legerit, certiſſimas Arrianiſmi notas in ea deprehenſurum, ut qui ijſdem argumentis utatur, quibus Arrius Chriſtum divinitate ſpoliare conatus eſt*; quam idem Philippus in Locis ſuis Communibus Anno M DXLV. impreſſis negare videtur, dum pagina XLIII. (d) Salvatorem noſtrum Patri ſuo ſupplicãtem facit. Idem frequenter his verbis utebatur: *Filium orare, intercedere, rogare, ſupplicare.* Filium appellat Patris Miniſtrum, quem Lutherus (e) quoque cum Arrio, *Patris Organum ſeu inſtrumentum* appellat. Præterea, *Patrem Filio imperare; Filium Patri eſſe ſubiectum.* Qui exactius tam hæc quam alia ſcire deſiderat, legat Stancari librum, (f) in quo Arrij & Melanchthonis doctrina inter ſe comparata hunc *Antichriſtum Septemtrionalem* vocat. Piget me opus hoc meum tam fœdis hæreticorum ſordibus contaminare: quas bona fide auctoribus reddo. Manichæum q. oq; Melanchthonem fuiſſe quidam aſſerunt, ut qui in primis ſuis ſcriptis (g) *Deũ peccati auctorem* faciat, ac dicat, *Davidis adulterium & Iudæ proditionem non minus eſſe Dei opus quam Pauli converſionem.* Verum hunc ille errorem Annotationibus in Epiſtolam ad Romanos inſertum ac denſum, in poſteriori Locorum Communium editione emendavit. Licet vero Calvinus Franciæ hæreſiarcha Melanchthonem ſuæ de Cœna Domini ſententiæ ſubſcripſiſſe affirmet, (h) tamẽ non modo diſcipuli eius, verũ etiam ipſe Melanchthõ id aperte negat, ut ſupra ex ijs quæ de Tigurinis diximus videre eſt.

VII. Quod ad Confeſſioniſtarum Fidem ac religionem attinet neſcio fere quid dicam in ea credi vel negari, adeò & tam ſæpe mutata eſt ut novendecim editiones Auguſtanæ Confeſſionis diverſis locis & annis factæ, inter ſe collatæ non ſolum verbis, ſed ſententijs diſcrepent & repugnent. Eſt in Cancellaria Archiepiſcopi & Electoris Moguntini exemplar Confeſſionis illius, acceptum & allatum An. 1530. ex Comitijs ipſis Auguſtanis, id vero à cæteris editis uti diſcrepat, ita longe mitius (i) ut multis in articulis a Catholica non longe abſit. *Concedunt enim iſtic Liberum Arbitrium; nec Miſſa ſacrificium, nec Confeſſionem plane reijciunt. Docent ijdem prolatis inſtitutionis verbis panem eſſe verum Chriſti corpus, ac Chriſtum in Sacramento corporaliter & realiter eſſe præſentem. Confitemur*, inquiunt in eadem Confeſſione *in Cœna Domini vere & ſubſtantialiter eſſe corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti, eoq; cum rebus illis viſibilibus pane & ſanguine ijs qui hoc Sacramentum accipiunt vere exhiberi.* Id quod Zuingliani plane negant, docentes panem ſignum tantum eſſe corporis abſentis, nec præter panem & vinum quidquam diſtribui. Illud nihilominus verum eſt, articulum hunc, ut & alios quosdã Auguſtanæ Cõfeſſionis, (k) ſæpies eſſe mutatos & adincudẽ revocatos, ut prima eorũ lineamẽta & figura plane periiſſe, & de novo cuſi videãtur. Editio An. M DXXXI. in articulo illo de reali corporis Chriſti in Euchariſtia præſentia nõ idem loquitur quod prior quæ An. M DXXX. prodierat. (l) Ab utraq; etiam diſcrepant quæ poſtea ſunt editæ. Primam aiunt Lutheranizare, ſecundã Philip-

a *Vitus Vinſhem. orat. funebr. Mel. Biſmarc. fol. 52.* b *Vid. Chriſt. VValterum cont. Illyr. c de Trin. d Vide Adam. Kolerum contra VVackerum fol. 22. Bellar. lib. contra Arrian. novos. Mel. in loc. compag. 40. e Luth. ad Latom. tom. 2. p. 252. Tom. 7. Ien. f. 243. f Lib. de Trinit. g Mel. in ep. Pauli ad Rom. h Hoſius lib. 1. de hæreſ. fol. 444. Bez. in vit. Calv. i Eder in Inquiſit. Evang. tab. 9 f. 65. k Staph. in Prodromo. l Nicol. Gall. in libello. Vom vigilum. Colle. Alt. fol. 462. VVolf. de Cœn. Dom.*

Philippizare. Et Martinus Philippum suum sæpe reprehendit, sæpe rogauit vt manum de tabula, quod dicitur, tolleret, & à Confessione toties recudenda abstineret: nonnumquam exclamans: *Quis tibi hoc mandauit Philippe?* Ipsi Confessionistæ in Synodo quadam cui Gulielmus Saxoniæ Dux, nouus è *Laicorum ordine tum Pontifex*, præsedit, conqueruntur, tam frequenti huius Confessionis mutatione multos offensos, & ne nomen ei darent fuisse abiterritos. Omnino reor turpius non posse confundi confessionem illam quam si collatis editionibus diuersis sibi ipsi typo opponeretur. Tunc appareret confusio Babylonica ad pudorem prædicantium & Protestantium & quomodo ne quidem unius sæculi sit Fides Confessionistarum. Sed audi quales adferant excusationes. Aiunt primis illis Euangelij temporibus, nimirum Anno M D XXX. *Spiritum S. secreta sua nondum omnino reuelasse.* Cedo si Spiritus S. tum adhuc in Dei Patris schola ac disciplina lectionem suam didicerit. *Conuentum non ita magnum fuisse.* Atqui hoc præcipuum est duorum istorum Apostolorum Martini & Philippi vel Eliæ & Enochi opus. *Factum esse & oblatam tempore belli* At nullum bellum tum, sed pax erat in vniuersa Germania. *Conscriptam esse festinanter.* Scilicet, quam iamdiu annis coctam elaboratam & perfectam Melanchthon eò apportauit. *Præsentiam Imperatoris & Principum reueritos, multa velinuitos concessisse,* O miseras conscientias, quæ ad humanissimi & benignissimi Imperatoris conspectum ac præsentiam pauent! Sic quidem illi Confessionis suæ metamorphosin excusant. Sunt vero tres Confessionistarum factiones, vt Staphylus notat, (a) quibus nos infra inter reliquas diuersorum hæreticorum cohortes suum tribuemus locum & stationem. Omnes tamen Augustanam iactant Confessionem. Et quemadmodum apud Athenienses olim nauis illa qua Theseus celebrem illam expeditionem, quæ vellus aureum reportauit confecit, refectis antennis, foris, carina, alijsque partibus temporis longinquitate corruptis, idem semper nomen retinuit: sic etiam Augustana Confessio, quamuis multoties mutata, nomen tamen non mutauit. Melanchthon tamen rogatu Prædicantium Anno M D L. VVitebergæ congregatorum, vt ad Tridentinum Concilium mitteretur, diuersam aliquantum formam ei concinnauit, aliumque titulum indidit, nimirum, *Doctrina Ecclesiarum Saxoniæ*; & alibi, *Repetitio Augustanæ Confessionis.* Sed qualisqualis sit, Lutheranorum certe est Euangelium, ad quam illi vesut ad religionis suæ fundamentum prouocant Non imprudenter Clebitius monet, de correctione Confessionis Augustanæ nihil ad populum loquendum esse, ne eius doctrina reddatur suspecta. Horum vero Confessionistarum inconstantiam ab Vlenbergio notatã, (b) apud eundem vide, non tantum in cæremonijs, verum etiam in articulis de Iustificatione, de bonis operibus, de libero Arbitrio, & alijs. (c) Neque enim in hoc postremo articulo Lutherus & Melanchthon vmquam consenserunt, quidquid Sturmius in Antipappo suo dicat. Ipse Melanchthon ad amicum scribit, *Erasmum falli quod existimet sua eum opera, in hac controuersia vti. Sibi eiusmodi altercationes non placere.* Notat etiam hic splendidum VVitakeri mendacium, dicentis, inter Augustanæ Confessioni addictos summum esse de omnibus Fidei articulis consensum.

VIII. Videamus paucis, ac primum de numero Sacramentorum, quam sæpè illi sententiam mutarint; adeo vt quid sentiant plane nescias, vel potius ipsi quoque non sciant. Principio duo, deinde tria, ac tandem quatuor admiserunt. Lutherus diu initio septem cum Ecclesia Catholica Sacramenta agnouit, postea vnum tantum, deinde duo, vtrex locis Communibus Melanchthonis apparet; demum tria, vt epistola ipsius ad VValdenses testatur, nimirum, Baptismum, Pœnitentiam, & Cœnam Domini. Melanchthonis inconstantiam & fluctuationem discipuli eius ipsi detestati sunt, adeo vt dicerent, A Deo ratione & iudicio eum ita orbatum, vt quid sequeretur tandem & in quo acquiesceret, inuenire non potuerit. (d) In libro cui titulus, *Sententia de Cœna Domini*, inquit, Electoris illam sententiam aliquo modo sibi placere, qua silentium ijs qui coram ipso de hac materia disputare vellent, imposuit, ne errores & turbæ in modo nascente Ecclesia spargerentur. Licet vero Melanchthon Lutheri (e) de vera Corporis Christi præsentia opinionem initio amplexus fuerit, postea tamen ad Zuinglij opinionem magis accessit. Pro eo enim quod Zuinglius verba institutionis ita exponit, *Hoc significat*

a *Staph. de Luth. Concor.* b *Causs. 9.* c *Vid. Epist. Camerarij.* d *Vid. Præf. Tigur. ad Eccl. Germ. Theol Cal. lib. 2.* e *De Capt. Bab cap. De Eucha.* f *In assert. cont. Louani.*

significat corpus meum, Melanchthon ait, *Hæc est communio mei corporis.* (a) Hinc Lutherani & VVigandini dicunt, quemadmodum Aaron olim vitulum aureum Israelitis, ita Philippum nouam idololatriam Germanis proposuisse, multisque persuasisse. Quin plures qui antea nomen ipsius tantum non adorabant; doctrinam postea ipsius multis in articulis vellicare non dubitarunt. Accusatur ab Heshusio, ab Ebero defenditur. Prodeunt multæ passim Philippicæ, partim in honorem eius, partim in vituperium. Eundem Zanchius in Miscellaneis reprehendit, & doctrinam in quibusdam articulis refutat: vt & Simlerus in vita Petri Martyris; nec non VVigandus & Gallus, qui Aaroni Philippum comparant, Hierosolymæ VViteberga, dicentes: Inde tenebras ortas & diffusas esse, vnde primum lux emicuerat. Prophetas quidem Hierosolymis progressos: sed & ex eodem loco impostores. Neque hoc ita de VViteberga mirum videri debere, quum Philippo idem ibi euenerit, quod Aaroni Hierosolymis. Sic illi de altero hoc Prophetæ iquuntur. Beza postquam Melanchthonem ad cœlum laudibus extulisset, ait, hoc vnum ipsius deesse laudibus, quod à quibus viuens cultus ac pæne adoratus sit, ab eis iam mortui nomen per summam ingratitudinem lacereturatque conculcetur. Idem Phœnicem alibi appellat, qui postquam ad cœlum euolarit, omnem concordiæ in Dei Ecclesia spem secum abstulerit. Quamuis hic idem Beza cum Vireto in Germaniam, petendi inde rebus & dissidijs suis auxilij caussa, profectus, in VVormatiensi Colloquio Melanchthonis inconstantiam & pusillanimitatem vehementer est admiratus.

IX. Scribunt nonnulli Melanchthoni iam animam agenti matrem grandæuam astitisse, hisque ad eum verbis vsam: (b) *Mi fili, extremùm iam me fortasse tu vides, vtpote iam iam, vt videtur, è mundo discessurus, & coram magno illo judice eorum quæ feci rationem redditurus. Tu scis Catholicam me fuisse, neque à te vt religionem mutauerim, & diuersam ab ea quam maiores mei sequuti fuerunt, amplexa sim, inductam. Nunc te ego per Deum viuum adiuro, vt quænam melior sit, mihi dicas, neque quid hac in re me celes.* Tum Melanchthonem clara voce, vt ab omnibus intelligi posset, dixisse: *Hæc plausibilior, illa securior.* Sic Melanchthon vt in omni sua vita, sic in morte quoque dubitauit. Peucerus narrat, quum paulo ante mortem testamentum conderet, sibi eum dixisse, si vires sibi suppeturæ sint, suam se de Sacramento Eucharistiæ sententiam in vltima sua voluntate scripto consignatam relicturum. Quod si fiat vt supremam manum imponere non possit, è scriptis suis ac præsertim duabus epistolis ad Electorem Palatinum & Ioannem Cratonem Imperatoris Medicum, satis eam intelligi posse. Deinde velut alterum Paulum, suos monuisse, vt earum traditionum memores sint, quas viua voce ipsis tam priuatim quam publice reliquisset Sed de hoc homine satis: de quo etiam nonnulla quando de Franciæ schismate agetur, attingam. Et ille quidem in eo vnice elaborauit, vt immoderatos animi in Lutherо affectus cohiberet; (c) eoque mortem illius minus ægre tulisse putatur, vt qui tyrannide eius, cui, vt ipse fatetur, tamquam mancipium & adulator seruilem in modum seruiebat, liberatum se esse, etiam sibi gratularetur. Cochlæus ad Imperatorem Carolum V. scribens, ait, Lutheri nomen quidem præualuisse, at Melanchthonis non minus ad stabiliendam hæresin, cuius alter auctor fuerat, momentum attulisse. Nam quum esset ingenio vafro & acuto, atque in Grammaticæ Dialecticæ ac Rhetoricæ rudimentis comptioristilo exercitatus, magnam vbique per Germaniam in scholis assequutus est gratiam & fauorem. (d) Vnde etiam factū est vt iuuentutem præsertim ætate incautam, & natura ad malum quam ad bonum propensiorem, immo multos doctos sophisinatum suorum subtilitate ad partes suas adiunxerit Sed quid Melanchthonis inconstantem & dubiam mentem admiramur? quum Lutherus ipse, Carolstadio & Zuinglio rem Sacramentariam turbare ac miscere incipientibus, non minus hæsitarit, vt sequenti capite ostendam.

QVAM IN MVLTIS LVTHERVS sibi ipse aduersetur: & quam ille sententiam contra Sacramentarios pronunciarit.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

I. *Inter erroneas opiniones perpetuæ sunt digladiationes & contentiones.*

II. *Luther*

a *In assert. cont. Louani.* b *Morus lib. 2. de Miss. Franc. Montan. in Ver. def.* c *Bez. in Creophag. Thom. Neogergum. sup. Psal. 26. Melanch. in ep. ad Cerlonit.* d *Cochl. Phil. 7.*

II. *Lutheri in articulo de Ecclesia & Missa cõtrarietas seu contradictio.*
III. *Itemque de Sanctorum intercessione, & precibus pro mortuis.*
IV. *Lutheri in articulo de Eucharistia incertitudo.*
V. *Item de Transsubstantiatione & adoratione Eucharistiæ.*
VI. *De Communione sub vtraque specie.*
VII. *Quomodo discipuli Lutheri inconstantiam eius excusent.*
VIII. *Lutheri aduersus Sacramentarios sententia.*
IX. *Aliæ aliorum de ijsdem opiniones.*
X. *Vltima Lutheri Confessio.*

I. CHAMÆLEONTEM omnes aiunt colores assumere solitum, præterquam album: sic hæresis quoque omnes amplectitur opiniones, præterquam veram. Obliqua hic omnia, nihil rectum. Quid ergo mirum tantam inter hæreticos opinionum esse diuersitatem, eosque tanquam cœcos in tenebris hinc inde errare, & in sese mutuo incursare? Schola quippe hæreseos schola est confusionis & discordiæ, præfigurata in confusione linguarum apud Babylonem. In hac qui sunt, omnibus opinionum ventis circumaguntur, & quauis occasione sententiam mutant. Et quanto quisque diutius à recta via deflectit, tanto difficilius ad eandem redit. Lutherum & discipulos eius videamus. Deum immortalem, quam illi toto cœlo inter se dissident? (a) *Lutherus ait Aquam Baptismi necessariam esse ad salutem*: Bucerus (b) negat. *Lutherus scribit exorcismos & abrenunciationes in baptismo meras esse superstitiones*: Brentius e contra (c) eosdem super creaturis vsurpandos tradit. *Lutherus* (d) *Liberum arbitrium omnino tollit*: Melanchthon vero (e) docet, horribilis mendacij & Manichæorum insaniæ illos se participes facere, qui aiunt hominem omni plane libera voluntate destitutum. *Lutherus* (f) *affirmat bona opera mereri præmium tam in hac quam in futura vita*: at Apologia Augustanæ Confessionis & Bucerus, (g) contrarium docent. *Lutherus* (h) *matrimonium Virginitati*, Melanchthon (i) Virginitatem matrimonio præfert. *Lutherus* (k) *Papam Antichristum esse asserit*; Bucerus e contra (l) scribit, eas notas quæ Antichristo tribuuntur Papæ non conuenire. Sed quid hoc mirum in diuersis hominibus, & ijs quorum quisque nihil præclarius putat quam nouellas opiniones comminisci, quas post permissam sibi quicquid velit credendi ac dicendi licentiam, tamquam simia catulos suos, tenerrime foueat ac tenacissimè amplectatur. Ac quod vnus idemque homo, (m) quouis Proteo mutabilior, mille diuersas & inter se pugnantes opiniones confingat & promulget, id vero quis non prodigiosam inconstantiam, & certissimum fanaticæ ac diabolicæ doctrinæ testimonium esse dicat?

Lutherum solum in aspectum producamus, & è libris eius quasdam (omnes enim vix possibile est) repugnantes inter se opiniones colligamus, vt postea articulum illum de Cœna Domini, quem ille contra totius antiquitatis fidem interpretatus est, & Carolstadio ac Zuinglio sese ipsi opponendi ansam dedit, tanto melius enucleare possimus. Omitto hic octingenta septuaginta & quatuor mendacia ab vno (n) tantum ex vno eius De Votis libro collecta. Et tamen veridicus hic vates gloriatur, à nemine vnquam se in mendacio deprehensum. Murnerus certe non sine multo sale Lutheri hanc iactantiam retundit, eumque in illo ipso libello quinquaginta mendaciorum conuincit. Verum aliquam multas eius contradictiones inspiciamus.

II. Magnus hic Propheta in Confessione Fidei ad Anabaptistas scripsit, *sub Papatu veram fuisse Ecclesiam, veram scripturam Sacr. verum Baptismum, vera Sacramenta, veras Claues Ecclesiæ*: idem vero postea è Papâ Antichristum faciens, omnia corrupta, nihil sani fuisse ad rauim vsque in scriptis suis inculcauit. Vt initio Ecclesiam suam tanto facilius plantaret, *affirmabat eam hactenus nescio quibus in angulis hac illac dispersam, inuisibilem latuisse* (quod etiam Quinto Euangelio, Confessioni scilicet Augustanæ, insertum fuit.) Deinde vero suo se iugulans gladio, (o) fatetur, Ecclesiam semper visibi-

a *In Visit. Saxonica & alibi.* b *Comment. super Matth.* c *In statutis Eccles. Ducatus VVirtenbergici.* d *In Assertionibus suis & lib. de captiu. Babyl.* e *Loc. commun. Anno 1552. editis.* f *In suis Declarationibus.* g *Scripto ad Conc. Trident.* h *In Ep. ad Alb.* B. i *In Apol.* k *Plurimis locis, & picturis.* l *In Paulum ad Philipp.* m *Vide Staphyl. Luth. concord & Conradum Vetter, siue de Cornu. Euangelischer VVetterhan. Catechismum Luthero-Catholicum.* n *Dietemb. lib. De votis Conr. Andreæ in veraci Luthero.* o *Tom. 2. Germ. fol. 467. in Ed. 1552 & alibi.*

lem, & Sacramenta semper visibilia fuisse; quod etiam Melanchthō in postremis Locorum Cōmū editionibus affirmat. Idem Lutherus (a) *Missam pro sacrificio agnoscit*, eamque in libro De Visitatione, vulgari lingua vbi Latina non intelligitur, dici ac recitari iubet. At in Sermone de Nouo Testamento & alibi passim Diabolī appellat inuentum, quamuis formam eius aliquam in sua Ecclesia reseruarit, vt postea dicam. *Lutherus, (b) iam Latina, iam vulgari, iam alta, iam summissa voce eam vult decantari:* idem iam Canonem solum pro Missa, iam pro abominatione habet. Modo ei Missa est Euangelij compendium, mox idololatria Iudaicâ detestabilior. Iam pluribus ea, etiam defunctis prodest: iam nemini nisi celebranti, ac tandem nulli omnino. Coniugium Sacramentum esse Tomo V. scribit: at II. id negat.

III. In Sermone de Lazaro ait è Scriptura probari non posse, pro mortuis orandum esse: at è contrario in sermone de Natiuitate Ioannis Baptistæ & in Resolutionibus, conclusione XIX. dicit, sanctum desiderium quo animæ torquentur, Ecclesiæ precibus leniri, quum Deus velit vt eis subueniatur. Et in sermone de Indulgentijs ait, nihil dubitare se quin Missa pro defunctis celebrata, multo maiorem eis afferat vtilitatem quam Indulgentiæ. Deinde in libro *De abroganda Missa* omnia illa quæ antea dixerat eludit, quamuis diuersis in locis Purgatorium esse fateatur, immo pro certo atq; indubitato asseueret. Idem tamen ad V Valdenses, vt Purgatorium quis esse credat, neminem teneri scribit, quum nihil de eo in scriptura habeatur. Conclusione X. contra Eccium Lutherus ait, Christi merita thesaurum esse Ecclesiæ, ac certum esse nos Sanctorum quoque meritis adiuuari. Idem alibi, se cū tota Christiana Ecclesia statuere dicit, Sanctos honorandos esse & inuocādos. *Quid enim*, inquit, *opponere quis possit ijs miraculis quæ hodie etiam Deus per Sanctorum Reliquias operatur?* Sed audiamus eum alibi loquentem. *Ego*, ait, *pro omnibus S. Petri meritis ne obolum quidem interduim, vt qui seipsum iuuare non potuerit.* In libro de Præparatione ad mortem dicit, Sanctos in auxilium esse vocandos, è contra vero idem in Capite de Fide, editionis de Anno M D XLIV. nec rogandos nec inuocandos esse affirmat. Et hanc quidem opinionem Lutheranæ Missæ fabri amplexi sunt; ac propterea ex ea omnem Sanctorum memoriam sustulerunt, contra totius Ecclesiæ consuetudinem. Omnes enim qui in toto Mundo sunt Christiani, Latini, Græci, Moscouitæ, Armenij, Abyssini, & alij in Missis & Liturgijs suis Sanctorum commemorationem celebrant, Apostolorum in eo traditionem sequentes, cuius S. Dionysius & S. Clemens faciunt mentionem. *Quando sacrificium celebramus*, (id est Missam) inquit Cyrillus, *Sanctorum commemorationem facimus, vt Deus ipsorum precibus & intercessione supplicationes nostras exaudiat.* An putamus eum qui à Theodoreto strenuus Apostolicæ Fidei Defensor appellatur, Christianis falsam doctrinam tradere, aut de vsitatis in prisca Ecclesia ritibus falsum testimonium dare voluisse? Equidem Sanctos nequaquam nos adorare animum vmquam induxerimus, nisi eos inuocando & honorando, Deus etiam simul inuocaretur & honoraretur. Illos nos inuocamus, vt Deum nobiscum inuocent, laudent ac celebrent. *Quod si illi quum in Mundo adhuc essent* (vt Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) *pro nobis orare potuerunt; quanto melius idem iam facere poterunt, glorioſe in cœlis triumphantes? quorum virtus ad ipsas mortuorum corporum tumbas semper rediuiua ac recens apparet.* Idem S. Augustinus & S. Chrysostomus dicunt. Quis vero tam est perfrictæ frontis, vt ât ium horum sententia prouocare ausit? nisi fortassis malignus aliquis spiritus ex Inferno progressus. *Existimandum non est*, vt inquit S Gregorius, *quidquam in Mundo ijs ignotum esse exterius, qui interius diuinæ charitatis sunt participes. In Dei lumine*, ait S Bernardus, *discit quis quod nescit, neque tamen quod scit obliuiscitur.* Verum vt hominis huius inconstantiam tanto melius cognoscamus, alijque ostendamus, non pigebit nos scripta eius, licet præter gustum ac voluntatem, euoluere, atque ex ijs loca quædam producere è quibus tanto Propheta & Doctore nequaquam dignæ contradictiones eluceſcant, quas tamen ipse in se agnouit. In Præfatione enim libris suis præfixa lectorem ante omnia *rogat & per Iesum Christum obsecrat, vti scripta ipsius cum iudicio & quadam commiseratione legat, ac meminerit ipsum olim Monachum fuisse.* Dicamus primo de Eucharistia.

IV. Certum est Lutherum initio de Sacramento altaris idem cum Catholica sensisse Ecclesia. Hinc ad Albertum Marchionem Brandeburgicum scribit, *quum opinio de S. Sacramento in Ecclesia semper fuerit vniformis, eam in dubium reuocare, nihil aliud esse quam dubitare, vtrum Deus Ecclesiam in terra habeat.* Et alibi ait, *Verba Christi nuda esse atque aperta,*

a *Exposit psal.* 109 & *in Resolut.* 26. b *Cochl. in Septicipiti Luthero.*

aperta, neque vlla interpretatione eò deflecti posse, vt panis corpus Christi pro nobis traditum & calix sanguis pro nobis effusus esse negetur. At posteà ab hac sententia ita desciuit, vt quid senserit, vix quisquam certo scire potuerit. Nam in hoc vno de S. Eucharistia articulo, triginta sex Lutheri contrariæ inter se opiniones notantur. Iam enim illud *Hoc* exponebat *In*, iam *Cum hoc*: immo verba hæc centum alijs modis transformabat. Varietatem hanc Gaspar Querhamerus ciuis Hallensis notauit, quam etiam Tigurini Theologi Orthodoxæ suæ Confessioni subiunxerunt. Peucerus vero apud Schlusselburgium (a) affirmat, esse penes se epistolam Lutheri manu scriptam, in qua ille Tigurinam approbet Confessionem. Tot tantasque contradictiones omnes attingere hoc loco piget me ac tædet. Id sane constat, Lutherum mille phantasijs cerebrum suum hoc vno articulo, quid de realitate Corporis Christi in Sacramento sentiendum sit, defatigasse. Carolstadij opinio ineptaipsi videbatur, vti sane erat ineptissima. Quid enim ineptius, quam dicere, Christum dicentem: *Hoc est corpus meum*, Corpus suum & non Panem demonstrasse? Zuinglij opinionem prauam iudicabat & fraudulentam, vt qui pro vero Corpore & Sanguine Iesu Christi nihil aliud quam ventum & fumum, id est mera signa Christianis in Sacramento reliquerit, q amuis Christus non de villa figura aut signo loquatur. Quod Zuinglius ægre ferens, *Lutherum dicebat adeo sibi non constare, vt tertia aut quarta quoque linea diuersum, & modo hoc, modo illud, nihil vero certi vllibi affirmet, ac Dei verbo effronti quadam impudentia abutatur.*

V. Transsubstantiationem Catholicorum, qui post verba consecrationis panis & vini substantiam in verum corpus & sanguinem Iesu Christi cõuerti, ac nihil præter species seu panis & vini accidentia remanere credũt, idem tamquam impossibilem explodit. Sed quid? *An qui ex nihilo id quod nondum erat facere potuit, non verbo suo res quæ sunt in id quod non sunt transmutare posset?* vt B. Ambrosius loquitur (d). *Post verba Consecrationis* Augustinus *non panem sed Corpus Christi in Sacramento esse dicit* (e). Et Ambrosius ait, *benedictionem illam maiores habere vires quam Naturam, quum hac illa mutetur.* Cyrillus inquit (f) *panem Eucharisticum in propriam Christi carnem conuerti. Quemadmodum enim supernaturaliter carnem assumtam deificauit, vt ita loqui liceat; sic eundem res has in corpus suum ineffabili quodam modo transmutare. Et sicut in hoc Sacramento,* vt B. Bernardus loquitur, *species videntur, quarum res vel substantia ibi esse non creduntur; sic vere & substantialiter res hic est, cuius species non videtur.* Ibi enim species seu accidentia panis & vini videntur, at ipsa panis & vini substantia, vt quæ in oculos non incurrat, esse ibi non creditur: hic vero contraria plane ratione substantia corporis & sanguinis Iesu Christi esse creditur, quamuis vtriusque species non videantur. Vt enim cera in ignem imposita, in ignem à quo consumitur, propria amissa substantia, vertitur: sic proposita in hoc Sacramento elementa diuina virtute in aliam naturam, ipsumque corpus & sanguinem Domini nostri mutantur. Lutherus antequam Transsubstantiationem impugnaret, præter ea quæ à SS. Patribus eam in rem scripta sunt, obseruare debuit, iam olim ante filij Dei incarnationem à Fidei nostræ hostibus prodita in eorum archiuis testimonia extare.

Sic vero Rabi Cahana scribit. (f) *Sacrificium quod de vino fiet, non solum in substantiam sanguinis Messiæ commutabitur, verum etiam in substantiam corporis conuertetur. Et in sacrificio quod pane fiet, quamuis ille candidus sit vt lac, eius tamen substantia in substantiam corporis Messiæ conuertetur. Et in sacrificio vini erunt sanguis & caro Messiæ, eademque erunt in pane, quum corpus Messiæ diuidi non possit.* Audiamus & alterum Rabi huius socium, qui ante Saluatoris Natiuitatem vixit, ludam nomine (h) *Panis hic panis Facierum dicitur, eo quod quando sacrificabitur, de panis substantia in substantiam corporis Messiæ, quod de cælo descendit, transmutabitur.* En tibi Transsubstantiationem ab ipsis infensissimis Christianæ religionis hostibus vi veritatis extortam. Sed ne vlterius in Theologiæ abdita penetremus, noui huius Apostoli inconstantiam ostendere nobis saterit, qui libro II. contra Zuinglium ait, (i) *Disputationem hanc, vtrum panis maneat aut mutetur, friuolam sibi & inanem semper visam: quamuis cum VVicleuo credat, panem manere; & contra Sophistas omnesque Logicæ regulas & axiomata, Christi corpus ibi esse. De illo se contendere nolle, vtrum vinum maneat vel non; sed sufficere sibi quod sanguis ibi sit, è vino quo Deus voluerit modo*

a *Lib 2. Theol. Calu fol. 107.* b *Tom. 2 resp. ad Conf. Luth fol. 454 & 458.* c *Lib. 4 de Sacram.* d *Hom 8 de ver. Dom.* e *Epist ad Col.* f *In Demonstratione de Euchr.* g *Sup. 28. cap. Num.* h *2. Tom. in Conf. de Cœn. Dom.*

factus : seque potius cum Papistis purum sanguinem, quam cum Zuinglianis purum vinum malle. At econtra idem plusquam ducentis locis dicit panem manere panem, & vinum manere vinum. In libello de Eucharistiæ adoratione, & alibi quoque, docet Christum in Eucharistia esse adorandum. *Non panem tantum,* inquit cælestes seu fanaticos Prophetas, *sed Corpus Christi in pane habemus.* At ab hac ille sententia post discessit, vt ex Locis Communibus Philippi Melanchthonis & Confessione VVitebergensi apparet, vbi dicit, *Corpus ibi extra manducationem esse non posse. Eoque se nullum diem festum magis odisse, quam eum qui Corporis Domini appellatur.* Quod si panis in Eucharistia maneat, idololatriam committere eos qui adorant. Eadem ratione idololatræ & illi censendi fuerint, qui ad pedes Saluatoris nostri in his terris ad salutis nostræ opus peragendum commorantis sese abiecerunt, vt qui vestem qua humanitas eius amicta erat, adorarint. Hic vero horribilem illam Sebastiani cuiusdam Lutherani notat blasphemiam, dicentis, *qui Christum in Eucharistia adoret, diabolum adorare.*

VI. Odiosa illa de duabus speciebus à Bohemis primùm mota disputatio & contentio Lutheranis mirum in modum initio displicebat. Ait enim, *Communicationem sub duabus speciebus probati quidem esse exempli, si per Concilij decreta aliter statutum non sit ; quia tamen Christus hac in re nihil tamquam necessarium ordinauerit, pacis magis esse habendam rationem vtpote à Deo nobis mandata, quam de speciebus contentionem suscipiendam. Neque probare se posse, vt Sacramentum Laicis sub vna aut altera specie porrigatur, nisi id fiat ex Concilij decreto.* In libro De Captiuitate Babylonica ait, *eos qui Sacramentum sub vna tantum specie percipiant, non peccare:* licet in Sermonibus suis & scriptis quibusdam, ac præcipue in Epistola Consolatoria ad Hallenses contrarium affirmet, scilicet, *sub vna specie Sacramentum hoc bona conscientia percipi non posse, hacque occasione magnam hominum multitudinem in infernum præcipitatam. Immo quum Papa id prohibuerit, in eius contemtum sub duabus speciebus omnino esse communicandum.* Vide nihilominus quomodo idem in libro cui titulus est *Declaratio Eucharistiæ*, &c. loquatur, ac conscientiam suam denudet, vbi dicit, *Numquam hanc suam fuisse sententiam aut intentionem, quod scilicet Episcopi propria auctoritate Communionem sub duabus speciebus attribuere possint, nisi id à Concilio generali ita sit decretum.* Postea vero longe aliam, verè Christianam scilicet, & Antichristi præcursore dignam sententiam amplexus, non iam pacem Ecclesiæ, vt supra præ se ferebat, desiderans, sed meram discordiam & contentiones spirans, scribere non dubitauit, *Si forte Concilium statuerit Eucharistiam sub duabus speciebus accipiendam, non esse quidquam in hoc mũdo ob quod id facere, aut vt à suis fiat permittere velit: sed econtrario in Concilij despectum, vna specie contentos fore; immo potius, quam duabus speciebus vtantur, tam vnam quam alteram dimissuros, & eis qui duabus ex Concilij auctoritate, vsi fuerint, anathema dicturos.* Sic homo ille in Captiuitate sua Babylonica desperabundus loquitur, qui tamen postea in Ecclesia sua Communionem sub vtraque specie instituit, Laicis, vt aiebat, non minus quam sacerdotibus necessariam; quamvis antea sæpe Hussitarum & Calixtinorum in eo errorem reprehenderit. Sed non ei in mentem venit quod contra Emserum & alibi scripserat, *Qui in materia religionis sibi ipse aduersetur, & vel in vno tantum articulo mentiatur, à Deo eum non esse.* De coniugio sacerdotum similia fere sensit ac scripsit. Quum enim ferre non posset articuli huius seu controuersiæ decisionem ad Concilium remitti, in epistola ad Nobilitatem Germanicam impudentissime ait, *si de Sacerdotum coniugio Concilium aliquid statuere atque indulgere voluerit, se sacerdotibus permissurum vt potius tria scorta habeant quam vnam vxorem ducant.*

VII Lutherani vero vt Magistri sui inconstantiam colore aliquo velent, aiunt *ecclesiam ab eo non simul & semel, sed sensim ac pedetentim ædificatam; neque Deum ab initio statim ei omnia reuelasse. Et ipse Lutherus alibi orat, vt si quando erret, sibi ignoscatur, vt qui solus sit, ac tanto oneri ferendo impar.* Quasi Spiritus S. ei cui gratiam suam præstare vult, ex dimidia tantum parte veritatem & dimidia falsitatem reuelet. Atqui, vt Ambrosius dicit, (a) *momenta gratiæ Spiritus S. nequaquam tarda sunt: Dei opera perfecta sunt: & vt, inquit scriptura, Deus numquam è dimidio conuertit* (b) Sed occurrunt, mirum videri non debere quod Lutherus paullatim à Spiritu S. illustratus sit, quum etiam Christus Saluator noster in dies profecerit, nec omnia cæle-

a *In Lucam.* b *Deut.* 23.

cœlestia secreta ei simul sint relevata. Hic est unus ex Lutheri atheismis, (a) quem etiam in discipulos suos transfudit, quemque etiam Zuinglius (b) Bucerus & Calvinus (c) amplexi sunt, qui omnes affirmant, *Christum non statim initio omnem scientiæ ac sapientiæ perfectionem, ut Papistæ somniant, habuisse, sed paullatim & per gradus quosdam accepisse.* Atrox hæc blasphemia est, quæ ignorantiam Deo attribuit, contra S. Scripturæ & omnium SS. Patrum qui umquam scripserunt, auctoritatem. Sed quia Lutherus dicit se solum esse, ac tot tantasque res assequi sufficienter non posse, cur non eandem excusationem admisit, misero Carolstadio spiritus sui imbecillitatem allegante, ut qui tum in veritate nondum plene fuerit instructus? *Carolstadius*, inquit Lutherus, (d) *eo se excusat, quod initio spiritum non satis fortem habuerit. At Dei spiritus hac excusatione non utitur. O dæmon, iam scio quis sis. D. Paulo post conversionem cœlestis scientia statim fuit infusa: & postquam Spiritus S. descendit super Apostolos, omnis error ab eis fugatus fuit & exclusus.* Sed agite, Numquid Lutherus postquam ab Ecclesia defecit, iam magna hominum multitudine ad se attracta, diu incertis opinionum ventis fuit agitatus, dum iam hoc iam illo modo tam doctrinâ quâ Ecclesiam suam format ac reformat? At quid miseris illis animabus factum est? quò illæ pervenerunt, quæ ipsum sequutæ, interea dum ille credit quod postea negavit, & dum improbat quod postea probavit, decesserunt? Hæc Lutheri inconstantia Sacramentarijs occasionem & animum dedit, Impanationem quam ille tanto labore sectæ suæ persuaserat, ex ipsis Lutheri scriptis impugnandi ac refutandi. Etsi vero Beza fatetur (e) Lutherum sæpius errasse, ejus tamen auctoritate Calvinismum passim defendit. Sed quid de hoc Schlusselburgius? (f) Bezam ait more omnium Sacramentariorum, veritatem corrumpere. Meridiano enim sole clarius esse, post Renatam Evangelij doctrinam, Sacramentariorum opinionem à nemine maiori zelo, ardore & vehemētia quam à Luthero fuisse impugnatam. Verum audiamus ipsius contra Sacramentarios, tā varijs modis in sanctissimum Sacramentum grassantes, sententiam, & quomodo ille in libro De Verbis Cœnæ Domini loquatur id unice permoleste ferens, quod, ut alij, præsentiam Christi in Sacramento negare, etsi velit, non possit.

VIII. *Doctor Carolstadius*, inquit Lutherus, *in verbis illis Hoc est corpus meum, pronomen Hoc misere detorquet. Zuinglius verbum substantivum Est. Oecolampadius nomen Corpus. Alij totum textum pervertunt, & pronomen Hoc omnino delent, sic interpretantes: Accipite, manducate corpus quod pro vobis traditum est, quod hoc est. Alij alteram textus partem interpositis verbis, misere crucifigunt dicentes: Accipite, manducate quod pro vobis traditum est, Hoc est corpus meum, in mei commemorationem, id est. Corpus meum non hic est realiter, sed tantum commemoratio mei corporis, ut textus intelligatur. Accipite manducate, hæc est commemoratio mei corporis, quod pro vobis traditum est. Præter hos alij sunt (ut septenarius numerus compleatur) qui dicunt, non agi hic de articulo aliquo Fidei, eoque non tanta vehementia hic disputandum esse aut pugnandum, sed liberum esse cuique credere quod videatur. Hi quidem omnia destruunt ac proculcant; & tamen eorum quilibet Spiritum S. habet, scilicet, neque in tam diversis & contrarijs probationibus ac textus allegationibus quisquam erroris vult insimulari; quamvis necessario veritas tantum una sit. Vide quæso, quam aperte diabolus nobis illudat.* Hactenus Lutherus, qui septicipitem illam Sacramentariorum hydram repræsentans, in se ipsum capitalem sententiam pronunciat. *Ad quid*, inquit in Sermone de Eucharistia, *ego verba illa, Hoc est corpus meum, lubens volēs obscurem, & nescio quas subtilitates confingendo, errorum labyrintho me involvam? An in tam simplicibus & claris verbis ulla potest esse ambiguitas aut obscuritas? Accipere panem, gratias agere, dare ad manducandum & bibendum. Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei. Et miseri Sacramentarij ad fudorem usque, verba hæc eò detorquere laborant, ut significent id quod eorum aliquis somniavit aut deliravit. Quid hoc est?* inquit in eodem libro. *Quis umquam legit in scriptura Corpus idem dici aut esse quod signum corporis? Et verbum hoc est, esse idem quod significat? Quæ umquam lingua taliphrasi aut modo loquendi usa est: Ego certe nihil aliud persuadere mihi possum quam hunc ipsum esse diabolum, qui per superbam suam malitiam in re tanta nobis illudat. Est alius*, ait alio in loco (g) *S. Spiritus, (nimirum diabolus) qui opinionem hanc auribus quorundam insusurrat & cerebro imprimit: disputationem hanc non esse de re magni momenti, non tanta vehementia disputandum esse de eo, ubi*

a *Luth. in Conc. de Natal. Dom.* b *Ad cap. 2. Luc.* c *ad ca. 24. Luc.* d *in Harm. Evang. ad c. 3. Matt. & in Ioan. 6. 18. 21. Coloss. 1. & 8.* e *Tom. 2. f. 35. cont. sceles. Prophet. Lib. cont. Salu.* f *Lib. 2. Theol. Calvin.* g *Tom. 2. Germ. f. 257.*

quisque credere possit quod voluerit. Sic P. *Martyr*, ut Josias Simlerus in eius Vita testatur, *Saxones quavis diversum de Cœna Domini sentientes, pro fratribus suscipere non recusabat, quod hæc de Sacramento quæstio* (vide, quæso, quanti homines hi altissimum nostræ religionis mysterium faciant) *tanti momenti non sit, ut propterea communio & Charitas Christiana inter fideles rumpi debeat.* Et Musculus aperte dicit, (a) *se lubenter pro fratribus habiturum quamcumque quis in controversia de Sacramento, modo non Papistarum, opinionem sequatur.*

IX. Nolo bonas horas male perdere, alias Sacramentariorum tam diversas quam ineptas & detestabiles de hoc uno articulo opiniones colligendo: breviter tamen quasdam attingam. Alij *corpus D. N. in Cœna assistere*, alij *exsistere*, alij *subsistere* dicunt; item *In, Cum, Sub, Supra, Infra, Subter, Penes panem esse*: *panem tantum manducari Vere, sed corpus opinione seu fide*: *vinum non esse sanguinem Christi, qui*, si Thomæ Erasto Calvinistæ credimus, (b) *an se mille & quingentos annos effusus, computruit, nec amplius est in rerum natura.* Multas alias absurdas phantasticorum hominum opiniones omitto. Ab ipso Luthero in ultima sua Confessione, octo Zuinglianorum contrariæ opiniones notantur. Econtra Melanchthon magistro se opponens, quinque Lutheranorum de eodem articulo diversas atque inter se repugnantes sententias producit. Quã pulchre vero Lascus, qui primus Zuinglianũ Evangelium in Polonia annunciavit, in hoc articulo sibi constet, Lutherani è scriptis ipsius docent. (c) Aliquando enim verba illa sic interpretatur: *Hoc est corpus meum*, id est, *hic est usus in corpore & sanguine meo.* Aut: *Hoc est meritum & gloria Passionis, Mortis & Resurrectionis Corporis mei.* Vel: *Hoc est qualitas propria mei corporis*: Vel: *In hoc Sacramento mysterium mei corporis designatur.* Vel. *Hæc est forma, ceremonia & actio externa meæ Cœnæ.* Vel: *Est panis & poculi impetrata participatio.* Vel: *Hæc est communio, ius & societas mei corporis.* Vel: *Hæc est extrema voluntatis meæ contestatio.* Quis unquam quidquam audivit insulsius aut ineptius? His non dissimilis est Campani Prædicantis interpretatio, dicentis, *Hoc est corpus meum*, id est, *Hic panis est corpus, quod ego creavi.* Sic nempe ijs solet evenire qui à Catholica desciscunt Ecclesia, ut nihil tam ridiculum atque absurdum à magistris suis proficiscatur, quod non tamquam Palladium amplectantur. Porro dici non potest quantopere Lutherus hoc suo iudicio & sententia universam Sacramentariorum cohortem exacerbarit, adeo ut nomen eius certatim lacerare ac infamare contenderint, hæreticum Antichristum, diabolum appellantes. *Deus*, inquit, Conradus Resçius Sacramentarius, (d) *ad castigandam Lutheri, quæ in omnibus eius scriptis elucet, ambitionem & superbiam, Spiritum suum ab eo abstulit, eumque spiritui erroris & mendacij tradidit, qui etiam opiniones eius sequentes semper possidebit, donec ab eis discesserint.* Hinc Luthero quasi condolens Erasmus, *Antea*, inquit, *Lutherus ipsis tantum non Deus erat: idem vero tam deliravit, tam insanit, eo quod novo illi de Eucharistia dogmati assentiri nolit. Sed non edentulus est Lutherus*, (e) *iniurias & convicia plena manu refundens, & Zuinglianos ad omnes diabolos & in maximam malam crucem ablegans.*

Quem vero fructum Christianitati concertationes eæ attulerint, è Bullingero discę, (f) qui dicit, *implacabili hoc Lutheranorum & Zuinglianorum dissidio Mundum ita turbatum, ut plurimi quid aut quẽ sequi debeant ignari, aperte præseferant nihil se credituros quam quod ipsis videatur.* Quis non videt latissimam ad omnem impietatem hoc modo fenestrã patefactã? Et tamen famosus vel fumosus potius ille Vulcanus seu Faberculus, aquã igni & lumen tenebris conciliare aggressus, inter Lutheranismũ & Zuinglianam sectã nihil aut parũ interesse scribit. Lavater[a] Zuinglianus in Præfatione quadã ajt, *utrumque, tam Lutherum quam Zuinglium electos à Deo fuisse, ut multis cũ laboribus vitaque periculis multos ad Iesu Christi servitium adducerent, sed dissidium inter hos duos maxime esse deplorandum ut quod obstiterit quominus coniunctis viribus Antichristum prostraverint & confecerint.* Sed quid ais mi homo? An Deus diversarum religionum auctor est? Quid restat nisi ut dicatis ab hoc æque Mahumetem ac Jesum Christum missum fuisse? Atqui nihil in Deo contrarium sibi est, ut qui unus & solus ipsa sit Veritas.

X. Quoniam vero complures Sacramentarij Lutheri auctoritate suas partes munire conati sunt; & Ambrosius Wolfius asseverat, Lutherum quod tanto impetu libros quosdam protrusisset, pœnitentia ductum, in Conventu quodam in gratiam cum

a *In Loc.* 350. b *Vid. Ioan. Iesrel.* c *Vide Westphal. Farrag confus. & inter se dissid. Schlusselb. lib.* 3. d *Cont. Hesshus. de Cœna Lib. de Pseudoevangel.* e *Tom* 7. *de verb. Cœn. f.* 381. *& epist. ad Albert. Brandeburg.* f *In fund fid con. Brent. cap.* 1.

cum Zuinglianis se rediturum promisisse : vltimam eius non quidem de omnibus Fidei articulis, sed de Eucharistia, tamquam de præcipuo Christianismi fundamento, Confessionem, quantum ad Corporis Christi in ea præsentiam, hoc loco allegare volui. *Animaduertens*, inquit Lutherus, *hæresin vnam super aliam pullulare, & diabolum nullum grassandi ac furendi modum facere, vt post mortem meam scriptis meis ad suorum errorum defensionem vtatur, quemadmodum iam quoque ab insanis nonnullis Cœnæ Dominicæ & Baptismi corruptoribus factum est : coram Deo & hominibus Confessionem meam edere volui, in qua etiam, diuina auxiliante gratia, vsque ad finem vitæ perseuerare, & cum ea coram Iesu Christi tribunali comparere constitui : nimirum si quis dixerit, Lutherum si adhuc viueret, de hoc vel illo articulo aliter sensurum, vt quem non penitus excusserit ac perpenderit, valde illum errare, quum eadem tum futura sit, mea sententia qua iam est aut olim fuit. Ego articulos omnes diligenter expendi, & per scripturam iterum atque iterum examinaui : eosque non minus acriter omnes defendere paratus sum quam illum de Cœna Domini. Ebrius non sum, neque inconsiderate hæc tracto. Scio quid dicam, scio etiam quod mihi iudicium in aduentu Domini subeundum sit. Nemo ergo putet me in re tam seria ludere. Noui ego per Dei gratiam Sathanam, quis sit. Et quid ille in scriptis meis facere non audebit, qui diuinam scripturam corrumpere audet?* Explicata inde de quibusdam Fidei articulis sententia, *Idem*, inquit, *dico de Cœna Domini, nimirum quod verum Corpus & sanguis in pane & vino manducetur & bibatur etiamsi ij qui vel administrant vel percipiunt hoc Sacramentum, fide destituantur aut eo abutantur. Hæc mea fides est. Hoc omnes veri Christiani credunt, & hoc etiam sacra docet Scriptura. Quod hoc loco minus clare expositum, in alijs meis libris intra quatuor aut quinque annos publicatis perspicue explicatur. Rogo ergo bonos & pios, vt huius meæ Confessionis testes sint, ac Deum pro me orent vt in ea perseuerandi & vitam finiendi gratiam mihi largiatur. Quod si in extremo illo agone tentatio forte verbum aliquod huic Confessioni contrarium mihi expresserit, iam illud reuocatum volo & per hanc Confessionem protestor, id aliunde quam à Sathana procedere non posse. Sic me Deus adiuuet Amen.* Idem alibi duobus circiter ante obitum annis(a) sic scripsit: *Quicunque non vult credere panem in Cœna esse verum & naturale Corpus Christi, quod Iudas & mali omnes non minus quam S. Petrus & alij pij perceperint, à me procul abeat, & nec per litteras aliaue scripta aut sermonem mecum communicet, nec vnquam speret se partem aliquam mecum habiturum. Hunc enim laborem frustra sumet. Nec quidquam ad rem attinet quod hi phrenetici de spirituali communione tam multa blaterant, quodque in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum credere se dicunt, quum blasphemo ore hunc Fidei articulum nobis ex ipsius Dei Filij ore hu verbis. Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur, prolatum negent.* Quid iam, Sacramentarij? An quidquam hac de re clarius adferri vobis vultis quam hanc Lutheri Confessionem? itaque caput hoc concludam, sequenti Martini Buceri de quo non semel supra facta est mentio, ingenium, vitam & doctrinam persequuturus.

DE MARTINO BVCERO, NON vulgari hæreseos Aristarcho.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

I. *De Martino Bucero.*
II. *Bucerus concordiam inter Lutherum & Zuinglium tentat, sed frustra.*
III. *Quomodo Sacramentarij Bucerum retinere voluerint.*
IV. *Conuentus VVitteberga habitus de concordia inter Lutherum & Bucerum.*
V. *Buceri fluctuatio, etiam postquam Lutheri partes professus est.*
VI. *Bucerus tertium maritus, in Angliam proficiscitur, ibique moritur.*

I. MARTINVS Bucerus natus fuit Argentorati, patre Iudæo : quo mortuo, Dominicanorum cœnobio admodum adolescens inclusus, magnos in studijs breui progressus fecit : sed cum Ecclesiæ detrimento qui enim infideli patre natus in clerum cooptari, & ad sacros Ordines promoueri, iuxta Canones non debuerat, virus, quod in eiusmodi hominibus Ecclesia semper reformidauit, luculenter aduersus eam euomuit factis, verbis & scriptis. Siquidem è Dominicana familia profugit, & non solum ipse, sed & Virginem Deo dicatam, è Monasterio profugam, sibi coniunxit, & Lutherum

æmu-

a *In Lib. quod verb. Chr. sint.*

æmulatus incestu Apostasium cumulavit (a) benignissimæque matri suæ Ecclesiæ à qua è Judaismo extractus nutritus & educatus fuerat, cum cæteris Apostatis, nefarium bellum indixit. Ac primo quidem sub Lutheri signis militans, non longe post ab eo una cum Musculo ad Sacramentariorum castra profugit: Sic tamen ut utrique sectæ se medium interponeret, unam ex utraque conflaturus si posset.

II. Patuit hoc eius studium in diversis colloquijs Lutheranorum ac Zvvinglianorum, quibus tamen nihil est effectum eorum quæ Bucerus intendit, etiamsi unus esset ex præcipuis hæresum fautoribus & propugnatoribus, propter linguarum plurium peritiam, & singularem, tam in Lutheranæ, quam Zvvinglianæ religionis mysterijs explicandis, sollertiam, quæ tamen tota Catholicæ doctrinæ opposita, ita evanescebat, ut candor margaritarum ex oriente allaturum sub radio solis disparet. Idem Anno 1528. adfuit colloquio, quod Bernates in Helvetijs de Religione indixerât (b) suasu eius & aliorũ apostatarũ Monachorũ inter Catholicos & Zvvinglianos habendo, specie quidem veritatis indagandæ, sed intento pervertendi Catholicos, Itaque nullus Catholicus Doctor ei adesse voluit, præter unum Conradum Trigarium Provincialem Augustinianorum. Itaque quod intenderant Apostatæ pertinde egerunt, ac si victoriam de comparere nolentibus reportassent, Sacra Catholica abrogarunt, fecerunt fæda (c) Cum igitur eodem Anno in Comitijs Spiræ ad Februarium indicta haberentur, deprehensumque esset in ijs, quam graviter ipsi Status Novi Evangelij titulo amicti inter se dissiderent, sectis maxime Lutheranismo hinc, inde Zvvinglianismo, & hoc dissidium Philippus Landgravius Hassiæ sopitum vellet concordiæ quadam lege, effecit is, quanquã ægre, hoc ipso Anno 1528. tam colloquijs, tum litteris (d) ut ad finem Septembris colloquium de Concordia inter Zvvinglianam & Lutheranam factionem haberetur, quo potentius contra Catholicos uniti grassarentur. Accesserunt igitur Marpurgum cum Luthero, Melanchton, Jonas, Osiander, Brentius, Agricola, & cum Zuinglio, Oecolampadius, Bucerus, Hedio. Sed hi neque privatim, neque publica disputatione conciliari potuerunt, & uti Lutherus prædixerat fædior dissidia evasit, cum utraque pars de altera spargeret, & mentiretur esse convictam erroris (e) & se se mutuo scriptis acerbe idcirco impeterent. Ab eo tempore Martinus Bucerus vafro ingenio præditus sese medium utrique parti litiganti ingessit, ut utriusque imperium occuparet, quæ tamen etiam illum spes demum fefellit. aliquot tamen annis proposito suo institit. Nam comitijs Augustæ Vindelicorum Anno M D XXX sed quibus Confessio Augustana Jmperatori fuit exhibita, interfuit, subscribere eidem noluit, Principibus interim & Theologis persuadere conatus, controversias, quæ inter illos agitabantur, meram esse logomachiam, à quibus tamen si non desistant, brevi fore ut à regia via plane deflectant, & in inexplicabilem errorum incidant labyrinthum. His ille verbis plerumque utebatur, de concordia tam inter Lutheranos & Zuinglianos, quam ipsos Zuinglianos inter se dissidenteis tractans. In ijsdem Comitijs acriter Bucerus, Capito & alij Sacramentarij institerunt, ut à Lutheranis in Societatẽ offerendæ Confessionis admitterentur, idemque vehementer urgebat Philippus Landgravius, sed nec illi, nec hi quicquam omni opera & collationibus effecerũt, adeo ut Landgravius offensus eâ discordia è Comitijs discesserit, & ex eo tempore in Sacramentariorum partes inclinarit, cum hi Lutheranos pro Fratribus agnoscerentur, Lutherani vero fraternitatem aspernarentur. E comitijs ijsdem Augustanis Bucerus, Principes novam Confessionem amplexos alloquutus, sententiam suam de ea scripto consignatam ad Lutherum misit, cuius Melanchthon in epistolis facit mentionem. (f) *Bucerum nempe confiteri Corpus Christi esse cumpane.* At Lutherus Bucero referibere dignatus non est, Sacramentariorum astutiam ac malitiam satis superque sibi perspectam dicens (g) quibuscum nihil commune sibi esse velit.

Neminem tamen æque ac Bucerum Lutherus reformidabat, præsertim post Colloquium Marpurgense. Neque ille Luthero errores, ac potissimum quos in Bibliorum versione commiserat, ostendere dubitabat: ac Luthero id ægre ferente. *Quid?* inquit, *An Lutherus sibi contradici non vult? Probet ergo se Deum esse.* Neque quidquam Lutheri indaga-

a *Vlenberg in Vit. Melancht. c. 16.* b *Surius in Commentario An. 1538.* c *Idem Surius ibidem.* d *Vlenberg. vita Lutheri cap. 20. num. 2. ex Tom. 4. sen pag. 465 & Tomo 9. VVitteb p. 288.* e *Vlenberg. vit. Luth. cap 20. num. 3 & 4. ex Authoribus ibi citatis fuse.* f *Vlenberg. vit. Luth. cap. 25. 22. 23. ex Auth. ibi cit.* g *Tom. 1. ep fol. 24. incip. Per Cyriacũ.* h *Luth. Epist. Vtinam vos brevi.*

indignationem moratus, Ducis, Saxoniæ & Argentoratensium rogatu Augustâ Coburgum, vbi Lutherus iussu ducis Saxoniæ tempore Augustani Comitij, veluti proscriptus nuper hærebat (a) ad eum profectus est. Qua de re Lutherani in sua de Cœna Domini Apologia (b) pulcram & notabilem historiam recitant.

Paulo ante Buceri aduentum, inquiunt, *Lutherus vespertilionem in cubiculo suo captum, muro affigi iussit, sumtoque animi gratia arcu, sagitta medium confixit, sic vt cor sagittam extractam sequeretur. Inde ad Vitum quitam memorabili, (venatore potius quam Propheta) digna actioni interfuerat, conuersus, Ne tu, inquit, hoc sine omine & lato præsagio factum puta. Mihi crede, breue videbis vespertilionis alicuius cor à me tactum & confossum. Quum vero eodem die Bucerus aduenisset, Lutherus conspecto homine, subridens ad Vitum ait: Ecce vespertilionem, cui ego mox cor tangam.* Quod & factum esse, idem historicus dicit; nec tamen formidabilem illum Achillis & Hectoris congressum eiusque euentum exponit. quare verò? quoniam longo Colloquio Lutherus Bucerum & hic illum circumvenire studuerun, simulando, fallendoque. Perstitit tamen Bucerus in spe concordiæ sanciendæ, quæ eius spes in hoc Lutheri congressu mirifice aucta fuisse videtur. Siquidem à Luthero ad Zuinglium & Oecolampadium confestim profectus fuit (c) & sex secutis annis vehementer telam suam pertexere laborauit.

III. Aiunt quidam, Lutherum cognita Buceri ad Zuinglianismum inclinantis opinione, ne aduersario suo optionem, seu auxiliatorem non minori, quam se laterum acrenum vi præditum, sua pertinacia adiungeret, Buceri opinioni initio non multum contradixisse. Hoc quidem testatur Ambrosius Wolfius. Quamuis autem in hoc congressu, interea dum Augustana Confessio sub incude est, concordia aliqua inter Lutherum & Bucerum facta sit, Bucerus tamen eam miro studio celabat: deinde ad Zuinglium in Heluetiam profectus, eum non minus quam Lutherum ab omni conciliatione alienum offendit, dicentem: *Notum sibi esse quam magno corde sit iste monachus, qui à prima sua opinione numquam sit discessurus. In hac tentanda concordia oleum atque operam perdi.* Idem egit Bucerus cum Oecolampadio, quorum in Epistolarum libris responsa exstant. Interea Annus 1531. inchoatus est, quo decurrente XI. Octobris Huldricus Zuinglius in prælio Tigurinorum cum 5. cantonibus percussus interijt, quem breui dolore confectus Oecolampadius assecla suus insecutus est, magno Lutheri gaudio & pene triumpho qui Oecolampadium ignitis diaboli sagittis confossum dixit. Post quorum mortem cum anxij essent Sacramentarij, ne à Bucero desererentur, eo quod is ad Bullingerum & Leonem Iudam Zuinglij in Tigurina Ecclesia successores scripsisset, *Lutheri opinionem magis esse probabilem.* Hinc vterque eum obsecrabat, ne hanc quoque ad reliquas Ecclesiæ è Zuinglij & Oecolampadij morte acceptas calamitates accedere pateretur, vt causam eorum deseruisse videretur. Tentabant interim Sacramentarij maiorum quoque vt Alberti Brandeburgici Borussiæ Ducis animum, vt eum, qui iam à Teutonico ordine, & fide Catholica defecerat, suæ opinioni adiungerent, sed is à Luthero admonitus est, per litteras, vt sibi caueret, argumento ab Vniuersali Ecclesiæ consensu petito, quæ semper crediderit verè præsentem esse Christum in Eucharistia, ita Vertumnus ille Saxonicus armis Catholicorum contra aduersarias sibi hæreses, & armis hæreticorum contra Catholicos grassari perinde habebat, modo vinceret ex animi sui proposito. hac ratione insidijs mutuis hæretici confligentes in annũ 1534 deuenere, quo An. mense Decembri Constantiæ ad Lacum Brigantinum Conciliabulum conflauerunt Zuingliani, & Buceriani ad rationem aliquam inter Lutheranos & Sacramentarios concordiæ tentandam, in dogmate de Cœna, cui Bucerus omnem operam impendebat (c) Itaq; Bucero perplexis verbis nitente, & sperante quod eorum ambiguitate partes in vnam sectam contraheret, An. sequenti 1535. vehementer per Germaniam scribendo & cursitando de concordia actum est sub patrocinio Landgrauij Philippi, qui iam fœdus pepigerat cũ Tigurinis & alijs, aliquot Heluetijs Sacramentariæ sectæ addictis. Hoc igitur euocante Melanchtonem in Hassiam, item Bucerum ex ipso Constantiensi conciliabulo ad se accersente protinus vterque accurrit, & initio Anni vnius 1535. laboratum est in Sampsonicarum vulpecularum vnione. Dederat autem Lutherus in mandatis Melanchtoni abeunti in Hassiam, vt Buceri mentem & num Zuinglia-

a *Fol. 175. Vlenberg. Vit. Luth. cap. 33. num. 2.*
b *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 33. num. 2.* c *Bzou. An. Christi 1534. num. XI. Tom. XX. & Vlenberg. Vit. Melancht. cap. 11. num. 1.*

ni ab opinione sua discessuri forent, certissime exploraret. Fecitque id Melanchthon, ut ejus ad Urbanū Regium Symmystam Lutheranum testatur, quibus indicat Bucerum cum socijs suis paratum esse ad Augustanæ Confessionis normam de Eucharistia docere & profiteri publice, nempe quod Christi Corpus substantialiter vereque sit præsens ac porrigatur sumentibus, cum in Cœna Domini panis ac Vinum accipiuntur. (a) Accessit eodē studiū Augustanæ civitatis, quæ cū consiliū mutandæ religionis coqueret legatos miserat ad Lutherum duos, nempe Gereonem & Huberinū, iussos concordiæ studium quantum possent promovere. Itaque Lutherus datis ad Senatum Augusti. literis mense Julio admodum benigne respondit se cum suis allaboraturum deinceps, ut animi dissidentium sincero nexu conjungantur, & non modo pax sanciretur, sed & suspicionum causæ tollerentur. (b) Senatus Augustanus acceptas literas & consilium alijs civitatibus communicavit, conventumque est ut Jsenaci Thuringiæ in civitate Anno sequenti 1536. ad 14 Maij Synodus Luthero-Zvvingliana celebraretur, non Saxonis, nec aliorum sed Lutheri authoritate indicta, quæ tamen ob Lutheri invalitudinem postea VVittebergam est translata. (c) Venerunt ex Helvetijs missi Bucerus & Capito, qui 21 Maij VVittebergam sponte venerunt, una cum Myconio Gothano prædicante, ubi aliquot dierum tractatu, demum in simulatam concordiam Conventum est, à mutuo fallentibus & falsis. Prolixe hæc Acta exhibet Ulenbergius (d) Sed partes singulæ aliter & aliter pro suo libitu narrant Sacramentarij aiunt, Bucerum ad Lutherum reversum ab eo impetrasse ut Confessioni cuidam subscripserit, ad ipsorum Confessionem proxime accedenti, adeoque ut Bucero & Capitoni sub animæ salute promiserit, eam inviolabiliter se servaturum: actum eundem vaticinatum, nisi pax ab una & altera parte tam corde quam ore conservetur, res omnes in deterius prolapsuras. Hoc idem in epistola ad Helvetios minatur. Sed hæc omnia Anno MDXLIV. à Luthero revocata & infracta ijdem Sacramentarij testantur.

VI. Porro Bucerum cum formula concordiæ VVittebergæ initæ Tigurini, maxime Bullingerus & Leo Juda rogarunt, ut ad Ecclesiæ utilitatem Tigurum veniret. Eo profectus Bucerus invenit nec illos nec alios suæ VVittebergensi Concordiæ assentientes, Itaque homo vafer inter incudem & malleum vehementer Tigurinos obsecrat ne Lutherum irritarent, ipse pollicitus in eorum Confessione se permansurum. Deinde Declarationem quandam conscribit aliter verbis aliter sensu formatam cui Basileenses, Schafusiani, & Sangallenses subscripserunt; a Bernatibus vero ut eam approbarent impetrare non potuit. Sic homo ille serpentem imitatus fraude doliisque utramque partem subjugum suum mittere conabatur, ea arte grassatus, ut aliud verbis præ se ferant, aliud sensu absconditum gerant, quam Buceri artem deinde Calviniani avide amplexi, in præsens tempus studiose conservant. Bucerus igitur VVittebergæ Lutheranus, in Helvetia palam se Zvvinglianum esse, ferebat, imo, quod Pellicanus in epistola quadam exprobrat, Lutherum eiusdem secum esse sententiæ asseverabat. Hunc exitum habuit, VVittebergæ indicta Synodus à Luthero in qua ipse ridiculus Papa præsedit, & magis ridicule Bucerus, Capito, Bugenhugius, seu Pomeranus, Jonas, Cruciger, Melanchthon, Menius, Miconius Ex-Monachi & miserabiles apostatæ, tanquam Patres, universæ Ecclesiæ corpus repræsentantes, consederunt, & hæreticorum more se mutuo fefellerunt. imo sibi fidem nullatenus adhibuerunt. (e) Porro Summa Conciliabuli illius VVittebergici hæc fere est. (f) *Lutherus cum Bucero quod quibusdam Zuinglij & Oecolampadij opusculis epistolam præfixisset, acerrime expostulavit; verum ille rejecta in typographum culpa, se excusavit. Aliquot ibi sessionibus de Cœna Domini magna contentione disputatum fuit. Tandem omnes in Lutheri concesserunt sententiam, nempe vere, realiter & re ipsa verum corpus & sanguinem Jesu Christi in Cœna esse sine ulla specierum mutatione.* (Sed quomodo hæc cum Wittebergensis Ecclesiæ confessione omnium Lutheranarum ecclesiarum matris conveniunt? ubi folio 144. ita dicitur: *Credimus tantam esse Dei potentiam, ut panis & vinum in Eucharistia substantiam annihilare, aut in corpus & sanguinem suum mutare possit.*) Jbidem concluſum fuit, *corpus & sanguinem Christi tam à malis quam à bonis recipi, nec mysterij huius veritatem à personarum dependere meritis sed à bonis sumi ad salutem, à malis vero ad judicium.* Ac quo-

a *Vlenberg. Vit. Melanch. cap. 11. num. 1.* b *Vlenberg. Vit. Lutheri cap. 27. num. 1.* c *Vlenberg. locis citatis.* d *Vita Luth. cap. cap. 27.* e *Vlenberg. loc. citatis.* f *Vlenberg. loc. citatis.*

quomodo hoc iterum cohæret cum alibi assertis? *modo illi fidem habeant. Turcam enim, Iudæum aut paganum, etiamsi panem accipiat corpus tamen Christi non accipere, non magis quam mus aut aliquod aliud animal quod panem illum devorarit.* Bucerus autem & Capito Argentoratum reversi Acta Conventus Saxonici Basileam miserunt, à quibus Carolstadius & Simon Grynæus Argentoratum ablegati, Bucerum Basileam adduxerunt.

Verum acutissimi hi Theologi turpiter hallucinantur. Corpus enim Christi loco substantiæ panis, est sub panis accidentibus, ac propterea integrũ ibi manet quam diu substantia panis ibi permaneret! At panis substantia eousque permaneret quoad accidentia & dispositiones ad conservationem dictæ substantiæ necessariæ, alteratæ sunt & destructæ per accidentia & dispositiones contrarias panis substantiæ: quemadmodum chili in stomoacho qualitates paullatim in materiam panis introductæ, ac panis qualitates aliaque accidentia destruentes, tandem panem omnino corrumpunt & ex eo chilum faciunt. Vel sicut qualitates ignis lignum amplexæ: paullatim ligni qualitates destruunt, quibus destructis, iam non amplius lignum est, sed lignum in ignem est mutatum. Sic corpus Jesu Christi sub panis accidentibus aut speciebus integrum permanet quamdiu accidentia illa non alterãntur, & sufficientia sunt ad panis, si is adesset, conservandam substantiam; sed quamprimum accidentia à contrarijs, paullatim in hostiæ quantitatem *quæ pro subiecto est*, introductis, v. g. à calore stomachi aut alio naturali agente, ita alterata sunt, ut nec capta nec sufficientia sint ad conservandam panis naturam, corpus Christi ibi esse desinit, eiusque loco natura quædam novis illis accidentibus conveniens producitur. Sed non minus veram quam profundam hanc Theologicam contemplationem, in quam me novorum Evangelicorum error deduxit, omitto, illud hic docuisse contentus ad receptionẽ corporis Christi nihil interesse utrũ fidẽ quis habeat vel non; imo idem tã à Turca pagano, imo à quocumque animali, quam ab homine Christia recipi.

Idem hic Bucerus diu se vehementer torsit, dicens, *Se quidem non negare corpus Christi in Eucharistia præsens esse; at ab impijs recipi, id vero horribile dictu sibi videri.* quid igitur Bucerum dicturum putamus si Christi Corpus à diabolo tractatum & protatum legat apud Matthæum & Lucam ? & venisse in manus peccatorum &c. utique ista horribiliora videbuntur Bucero, & credi proinde non poterunt à pijssimo illius animo. Tandem nihilominus Luthero facte assensus est. Scribit Miconius in epistola quadam ad Vitum Norimbergensem Prædicantem, *Bucerum & Capitonem ubertim tum flevisse, se vero omnes oculu ad cœlum elevatis gratias, Deo egisse, ac post fraternos complexus & gratulationes, ad ecclesias suas unumquemque reversos, ut unanimi voce doctrinam illam prædicarent. Ante discessum vero ipsorum Lutherum vespertinam concionem habuisse, ex illo S. Marci: Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Addit sibi quidem Lutherum sæpius auditum: sed tum vocem eius quasi tonitru è cœlo veniens sibi visam* (a) Vide quomodo illi Martinum suum, tamquam novum Christum deificent, Apostolos suos ad annunciandum Evangelium per universum terrarum orbem dimittentem. Sed horum Apostolorum concordia non diu duravit, quo uno mittentis stultitia & vanitas convincitur: & sane Mundus ille in quem Lutherus eos misit, pauca nimis terræ iugera complectitur. Hoc in conventu, uti supra dictum est, Bucerus Lutheri partibus se palam adiunxit, atque etiam velut ad culpam eluendam, in Annotationibus ad VI. caput Joannis, peccatum suum aperte fassus, ac veniam tam sibi quam alijs precatus est. cum Bucerus apud Helvetios luctatur, & subscriptionem in formam Concordiæ VVitteberga allatæ, impetrare nequir, eo quod tam leviter in Lutheri gratiam discessisset à Confessione, quam Helvetij veram se habere gloriabantur, ad subdola consilia sæpe converso accidit aliquid opportunum, quo subscriptionem aliquam expressit, nempe hæc. dicebat ille concordiæ formulam ita esse conceptam ut ipsi verbis concordiæ à sua sententia discedere non compellantur, posse ergo suum sensum de cæna tenere, & nihilominus subscribere, eo quod Lutherani Smalcaldicæ conventum agentes, Helveticas civitates non essent fœderi ascripturi, nisi qui concordiæ de cæna subscripsissent. Hoc demum stratagema Bucero successit, & Anno 1537. literas ab Helvetijs impetravit quibus ad Lutherum datis significa-

V 2 rent,

a *Vid. Ludou. Rab. Vlmens. Superintend. Hosi. de Heresibus. Vlenberg. Vit. Luth. cap. 27. num. 2, & Vit. Melanch. cap. 11. Steph. Vinton.*

ret, sibi placere ut annorũ superiorum offensiones oblivione aboleantur & pax inter eos vigeat &c. (a) Atque id est, quod Lavaterus ait, *Bucerum postquam se diu multumque torsisset, nec tamen id quod cupiebat posset assequi, ad Lutheri quidem partes se adiunxisse sed non aliam ob caussam quam ut Argentoratum, ubi Pastoris munere fungebatur, in fœdus Smalcaldicũ posset recipi, à quo ij qui cum Luthero & Lutheranis non sentiebant, erant exclusi.* missus fuit hâc secunda expeditione iterum Bucerus ad Lutherum, at non cum Capitone sed Lycosthene socio, à quibus acceptis literis Helveticis, Lutherus Calendis Decembris benigne respondit Placere sibi studium concordiæ, sed ominari non duraturum nisi compescant turbulentos &c. ita larvata concordia, irreconciliabiles animos tunc obtexit. (b) Bucerus deinde Argentoratum reversus est.

V. Quãvis autẽ Bucerus cum Saxonicis Ecclesiis, se sentire palã profiteretur, suas tamen quasdã opiniones habebat medias, modo causã agens Lutheri quem nequaquam irritandum esse semper dictabat, modo Zuinglij favens opinioni, quæ meditatio Buceriana in hoc posita erat, quod diceret Lutheri & Zvvinglij opiniones verbis tantum inter se dissidere. Ad hunc quum Petrus Martyr insignis Calvinista Argentoratum venisset, ac concionem ad populum esset habiturus, vehementer à Bucero rogatus fuit, ut de Cœna Domini controversiam non attingeret, aut saltim obscuris verbis de tanto mysterio loqueretur, nec certi quidquam pro vel contra hanc aut illam sententiam pronunciaret. Cui tamen Martyr dicto audiens non fuit, sed aperte & palam ut Simlerus testatur, Zuinglij sententiam defendit. Bucerus certe nihil minus ferre poterat quam controversiam hanc coram populo disceptari, eoque conscientijs hac in re quod vellent credendi libertatem permittendam aiebat. Bullingerum vero in Commentarijs super Matthæum (c) scribere non puduit, *se quidem semper suasisse, & etiamnum optare, ut quæstiones hæ de reali corporis Christi in Cœna Domini præsentia in extrema abyssso fuissent sepultæ, atque omnibus pro arbitratu suo quod vellet quisque credendi facta potestas.* Et hæc ipsa fere verba, hoc idem votum memini è Verbi quodam in Francia nostra Ministro à me auditum. Bucerus porro summum conciliandarum partium studium semper præ se tulit, eoque in nova Ecclesia exorta quæstione, statim se interponere solebat, inter partes ambiguus, & iam huic iam illi favens. Sic postquam Ulricus Dux VVirtembergicus Hassiæ Landgravij opibus & armis ditionem suam recuperasset, & religionem mutare vellet, Snepsiusque a Luthero tô missus Lutheranismum, Blaurerus vero Constantiâ veniens Zuinglianismum inculcare studeret; ad rem coram Principe disceptandam vocatus Bucerus se tamquam mediatorem interposuit, dicens: *Corpus Christi in Cœna vere dari seu porrigi, nimirum in substantia, & essentialiter, non vero in quantitate aut qualitate totaliter, id est, ita, ut locum occupet* quo dicto, quisquis tandem eius sensus fuerit utrique parti, aliquid dare conatus simul Lutheranismum ac Zuinglianismum inducere tentavit tanto peior singulis quanto duo mali iuncti peiores sunt unoquoque seorsim. Dux nihilominus pro Augustana Confessione pronunciavit, utque eam subditi sui sequerentur imperavit. Lutherum hominis hujus inconstantia pæne ad insaniam redegit, quẽ summo & feroci ingenio præditum noverat, eoque nihil magis metuebat, quam ne sua auctoritate, quam quantopere ipse hactenus defenderat opinionem convelleret, aut certe magis dubiã redderet & suspectam. Veruntamẽ non adeo diu Lutherus se tenere potuit, quin contra Sacramentarios caute agentes, excandescere & furere iterum inciperet, nam cum Anno 1543. Tigurini Biblia in Germanicam linguam transtulissent Froschoverus bibliopola exemplarcorum VVittebergam velut munus amico Luthero misit, qui irritatus eo munere rescripsit ne sibi eiusmodi dona deinceps mitteret, nolle se participem esse Zvvinglianorum conatuum; utpote damnatorum hominum, & alios in damnationem præcipitantium. Tigurini igitur etiam versionem Lutheri aspernantes, opera Zvvinglij in Tomos redacta ediderunt, idcirco Lutherus efferatus bellum cum Sacramentarijs, adeo per Bucerum conciliatis, instauravit Anno 1544. edens ultimam suam contra eos Confessionem de Cœna, qua omnes Sacramentarios Carolstadium, Zvvingliũ, Oecolampadium &c. Et pariter damnavit, Zvvingliani tacti vehementer exacerbati sunt. Bucerus eos volens iterum componere nihil effecit, sed illi seq. Anno 1545. Apologiam contra Lutherum ediderunt,

Cer-

a *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 27. num. 4.* b *Vlenberg. Vit. Luth. ibid. & cap. 28. num. 3.* c *pag. 235.*

Certum est, inquit Historia Cœnæ, (a) *Lutherum* tum (loquitur de Anno M D XLIII.) *in magnis difficultatibus esse versatum, ut qui circlum undique se inimicis & ab ijs quibus fidebat, desertum se videret. De Buceri præcipue inconstantia & instabilitate querebatur.* is enim Anno 1542. deficiente a fide Catholica Hermanno de VVeda Archiepiscopo Coloniensi, evocatus Bonnam, reformationem illius diœcesios conscripserat edideratque, quæ extat, sed quod in ea *de vera & reali corporis Christi in Cœna præsentia doctrinam non palam proposuisset, sed quodammodo celasset id alte senserat Lutherus & querebatur.* Ad hanc reformationem Philippus initio vocatus fuerat, sed is in Bucerum onus hoc reiecit. Eoque ad amicum scribens Lutherus ait, *Bucerum nihil aliud agere, quam reconciliationes tractare: expertum tamen has artes nihil apud se valere. Se quidem ipsum nihil scripturũ sed per Philippũ, ut quam ipsi iratus sit intelligat, effecturum.* Advolarunt tunc Bonnam undique Apostatæ Monachi, ut vultures ad prædam, etiam ipse Melanchthon Anno 1543. sed Cleri ac Coloniensis Senatus & Civium zelo hi fugitivi ex claustris & ab Ecclesia apostatæ brevi tota diœcesi fugere cum deposito Archiepiscopo coacti sunt. refutavit enim clerus & universitas Coloniensis turpem illam Buceri & sociorum Reformationem, scripto quo incestus crimen Bucero typis est exprobatum, quod inani opera Melanchthon matrimonij falso nomine conatus est obvelare. Sed uti dictum est tenebriones sole Catholicæ doctrinæ & zelo se exerente fugerunt primum doctrina deinde armorũ ostẽtatione perstricti. (b)

VI. Bucerus, mortuum excucullatis monachis usitato, Capitonis Symmystæ olim sui viduam in matrimonium duxit; qua mortua, ad secundas, de in ad tertias nuptias convolavit, illustri monachalis continentiæ exemplo. De matrimonio facile magistro suo assensum præbuit, ut scilicet à morosa uxore se expedire posset. *Quia Iudæi*, aiebat, *permissum fuit, facto cum prioribus divortio, alias ducere, ob cordis duritiem: idem Christianis licitum esse debere si pacifice inter se coniuges vivere non possint.* (c) Porro videns Lutherum in Germania Zuinglianos & Bullingerum in Helvetia, & Calvinum a se aliqua ex parte Argentorati nutritum atque educatum in Francia novo Evangelio propagando esse occupatos, valde florere, se pene, ob inconstantiam & conatum conciliandi, quæ conciliari non possunt, contemptum, in Angliam abijt, metu etiam ne ab Imperatore devictis Protestantibus victorioso, manus sibi inijcerentur. Duxit secum Paullum Fagium, eodem metu correptum, & Hebraicæ linguæ peritum: qui vix appulsus, Cantabrigiam petens, diem obijt XII. Novembris Anno M D XLIV. Sic Bucerus deserto suo grege, Angliam sibi turbandam suscepit. in qua post multa damna Catholicæ religioni illata, exacto triennio mortuus est Anno M D LI. ætatis anno LXI. In extremo constitutus agone acerrimos conscientiæ morsus sensit, nec minus ut in tota vita, de ijs in quibus cardo salutis nostræ vertitur, immo de adventu Christi dubitare visus est, ut Anglicani scribunt, & Lindanus Episcopus Ruræmundanus. (d) Liberinus ait, paullo ante mortem Sacramentariorum eum doctrinã professum, nec mirum ut qui eam semper cum Lutheranismo coniunxit, & velut Eutyches Christi naturas, inter se confudit. Nicolaus Sanderus lib. II. de Anglicano schismate narrat, Bucerum aliquando à Duce Northũbriæ (Barone Pageto reginæ Consiliario interprete) rogatum quid de præsentia Corporis Christi in Eucharistia crederet, respondisse: de ea se dubitare non posse, nisi de Evangelistarum Fide dubitare velit, *Sibi tamen non omnia quæ in N. T. de Iesu Christo scripta sunt, certa atque indubitata videri, quamvis hactenus id aperte dicere noluerit.* Et hac quidem dicendi libertate homo hic utebatur, quod Ducem illum parum religiosum esse sciret. At Apologia de Cœna Augustana ait, iam libere eum quid de hoc articulo sentiret, scribere cœpisse, *sed morte prævent ũ, absolvere opus non potuisse.* Sic ut vivum, ita mortuum Bucerum pars utraque sibi vindicabat.

DE MIRACULIS ALIQUOT PER Eucharistiæ Sacramentum à Deo factis eodem tempore quo à Sacramentarijs maxime impugnabatur.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

I. *In omni antiquitate exstare multa circa SS. Eucharistiam miracula.*

II. *Mira-*

a *fol.* 379. b *Vlenberg. Vita Melanchton cap.* 16. *num.* 1. *Arnold. Meshovius lib. de schismate Hermanni VVedani. Surius &c.* b *In Matth. cap.* 10. d *In Syntag. pag.* 53.

II. *Miraculum quod Erasmus narrat suo tempore factum esse, diuinitus quibusdam qui SS. Sacramentum blasphemauerant punitis.*
III. *Magnum & celeberrimum miraculum quod Laodunj in Veromanduis contigit.*
IV. *Hæreticorum argumenta contra SS. Eucharistiam.*
V. *Sacramentarij negant Dei omnipotentiam.*
VI. *Quomodo corpus Iesu Christi sit in Sacramento.*

I. EODEM tempore quo noui Heluetiorum Apostoli, Zuinglius & Oecolampadius Christianorum animis hunc de Eucharistia scrupulum injiciunt, & à filijs Lutheri in dubium vocata est cœlestis omnipotentia, contra ipsius Lutheri sententiam, loco corporis Christi, panem supponendo, Deus Sacramenti huius veritatem per miracula testatus est, quæ tamen ipsa apud incredulos parum valuerunt, vt qui pœnis à Deo, ijs qui impuro suo ore sanctissimam hanc communionem, tamquam alteri Iudæ, profanauerant, inflictis, nec ad fidem nec ad pœnitentiam moueri se passi sint. Nihilominus veluti Iudas Sacramento hoc indigne accepto, à dæmone statim fuit infessus, & *abiens laqueo suspendit se*: sic etiam omni tempore multi qui panem hunc Carnem factum aut irreuerenter aut sine recta fide sumpserunt, miserabili morte perierunt. Exemplo sit hæreticus ille Macedonianus apud Sozomenum *(a)* & Nicephorum, *(b)* qui communionem è S. Chrysostomi manibus indigne accepit. Sed & dum hæc ipsa scribo, ille ipse locus (in quo, peste Burdigalam Aquitaniæ nostræ metropolim infestante, iam versor) recens diuinæ vltionis in eiusmodi contemptores exemplum, infinita spectante hominum multitudine editum, mihi suppeditauit.

Iuueni cuidam, Paschatis tempore communicantium turbæ immisto, Sacerdos hostiam ore accipiendam porrigebat: quod tamen ille, etiam manu admota aperire non poterat. Sacerdos attonitus interrogat hominem vtrum peccata sua prius confessus esset? Tum ille vbertim lachrymari incipiens, id abse factum negauit, eoque mirabili Dei vltione à sacra hac communione merito arceri. Exemplum hoc simile est ei quod à Gregorio Turonensi de quodam, qui peccata sua Confessarium celauerat, refertur. *(c)* S. Cyprianus *(d)* Optatus Mileuitanus *(e)* & alij *(f)* infinita eiusmodi producunt exempla, quibus realis Corporis Christi in Eucharistia præsentia, contra Sacramentarios confirmatur. Sed omissis alijs, vnum vel alterum eius temporis quo primum infelix hoc schisma exortum est, recensemus.

II. Erasmus, testis hac in re minime dubiæ fidei, libro XX. Epistolarum *(g)* narrat quid Anno M D XXVIII. post, quindecim fere sæculis, de vera corporis Iesu Christi in Sacramento altaris præsentia, receptum & approbatum dogma, ante tũc contentione discussum & à Sacramentarijs conuulsum fuit, acciderit. Æditauum ait, pixidem quãdam secum gestasse, in qua erant hostiæ aliquot quarum in S. communione vsus est. Cauponam cum socio, qui itidem æditauus olim fuerat, ingressum, ab eo rogatum fuisse vt aliquam earum hostiarum exprometet. Quo recusante, ipsum suis manibus aperta pixide vnam sumpsisse, & per ludibrium sacerdotes imitatum, consecrasse. Altero eam reprehendente, & vt verba illa quibus panis in corpus & sanguinem Iesu Christi transmutetur, non ita profanaret monente, impium hominem dixisse: *Sine me. Abitu quouis, quid ad te attinet?* Ac simul hospitam inclamasse, vt vinum ferret. Verum statim ibi diuinam adfuisse vltionem. Vix enim miserum illum cantharum ori admouisse, & Ecce trementem concidisse, & exspirasse. Fabulam hanc non esse, ait Erasmus, testes multos adfuisse, nec locum, cui vetus ciuitas, seu vulgo Altenstatt nomen, ignotum esse. Quin etiam plura eadem de re circumferri; se vero explorata tantum scribere voluisse.

Non absimilis huic ea est historia quæ in Geldrensi ditione Anno M D LXI. accidisse dicitur. Vbi duo iuuenes, Nouiomagensis vnus, alter Vltraiectensis, Paschatis tempore depositio pignore inter se certabant vter sua oua citius exsorbuisset. Interea sacerdos Antonius Vorstilius nomine Sacramentum ad ægram fœminam deportans, ædes in quibus illi erant, forte præteribat. Tum Vltraiectensis audito nolæ sonitu, ouum manu arripuit, &, *Ego, ouum hoc citius*, inquit, *deglutiam, quam æger ille quisquis est, Deum suum triticeum* (sein Semel Göttgen.) Sed res longe aliter cecidit. Vix enim ouum ori immiserat, quum ecce misero fauces simul

a *Lib. 8 cap. 5.* b *Lib. 13. cap. 7.* c *Lib. 1. de glor. Mart. cap. 89.* d *Sermon. de Lags.* e *Lib. 4. cont. Donat.* f *August. de Ciuit. lib. 22. cap. 8. Prosper. Aquit. lib. 3. de Sacerd. Gul. in vit. Ber. lib 1. cap. 10 Greg. Mag. lib. 4. dial. cap. 57. Bed. lib. 4. cap. 27. Aug. Hist.* g *Epist. ad Episc. Leodiens.* h *Bredenbach. Collat sacr. lib. 7. cap. 90.*

mul & spiritus præclusus fuit. In his ille angustijs candelam forte videt ex vnco pendentem: eaque arrepta, bolum in faucibus hærentem detrudere conatur: sed concidens, toruis & in cœlum fixis oculis, præsente qui interea accurrerat, illo ipso sacerdote, & multis hominibus inspectantibus, fuit præfocatus, omnibus diuinæ hoc iustitiæ exemplum admirantibus, & cantu quoque passim celebrantibus. En eadem Dei manus impiam & sacrilegam manum, quæ diabolica quadam imitatione (est enim diabolus Dei simia) diuinam illam, quæ in altari fit oblationem, repræsentare ausa fuit, puniuit.

Aliud exemplum ponit Bredembachius lib. VIII. cap. LX. his verbis. Contigit prope ciuitatem Harderuicum Catholicum quendam in die Cinerum agere in diuersorio inter hæreticos: qui quum ieiunium sumerent, & Catholicum inuitarent, vt cum ipsis ieiunaret, isque antiqua ieiunij religione ductus renueret; illi hominem dicterijs & contumelijs exceperunt, dictitantes, si sacrum audijsset, iam faciliorem fore ad ieiunandum & his similia. Dictum factũ: Vestigio quidam ex illis prosiliens: *Ego*, inquit, *operam hanc illi facile præstitero: arreptumque mensarium orbem, eleuauit in despectum tremendi sacrificij SS Eucharistiæ. Sed mox in altum eleuata brachia obriguere, vt ad se reducere non posset, paulloque post in eodem loco exspirauit.* Hæc à viris integerrimis & fide dignissimis, inquit Bredenbachius, ad nos perlata sunt. Idem aliud diuinæ vltionis Anno M D LXXVIII in alium qui SS. Sacramentum itidem blasphemauerat, in Brabantia editum exemplum ponit. Sed & in Polonia & alibi passim eadem sacrilega impietas varijs pœnis à Deo vindicata fuit, vt infra dicetur. Neque enim vnius loci duntaxat Deus est, aut vno loco impij egent correctione.

III. Quoniam vero Sacramentariorum erroris confutandi studium etiam ad ea miracula quã nostro tẽpore acciderunt, nos deduxit; hoc loco non possum nõ illud ponere quod meis ipse oculis vidi, & cuius beneficio à profundo hæreseos luto fui extractus. Et licet illud meo de Antichristo libro inseruerim, nihil tamen prohibet quo minus idem quoque hoc loco alia veluti inducta forma, proponam. Miraculum hoc inter pauca celeberrimum, factum est Laoduni Anno M D LXVI. in iuuencula quadam. Veruini non procul Laoduno nata, Nicolaa Obry nomine. Quamuis autẽ initio illa à pluribus diabolis obsessa fuerit, omnes tamen ante meum & sociorum qui comitati me fuerant, aduentum ab ea expulsi fuerant, præter eorum Principem Beelzebub. Misera hæc & infortunata fœmina, infinita spectante hominum multitudine in templum deducta, tam miseris modis à diabolo habita ac torta fuit, vt ossium fragor ac dentium stridor audiretur, totumque eius corpus nullam fere humanam speciem præ se ferret. Inflabatur ei venter ad instar dolij, ingluuiem ita aperiebat vt stomachi fundus à prope adstantibus posset inspici, linguam pedis longitudine exserebat, oculisque crassis & rutilantibus ita scintillabat vt eius adspectum vix quisquam ferre posset: tumque ita se in aerem efferebat, vt a duodecim aut quindecim hominibus non posset retineri. Laodunensi Episcopo super caput eius hostiam tenente, & ijsdem quibus S. Bernardus (a) olim in simili casu vsus legitur, armis malignum spiritum oppugnante, ac dicente: *Ecce, ô infelix spiritus, iudicem tuum: ecce cœlorum virtutem; resiste si potes, et qui dixit: Nunc Princeps huius Mundi ejicitur foras. Hoc corpus est, natum ex Maria Virgine, quod in arbore Crucis expansum fuit, quod in sepulcro quieuit, & resuscitatum, in cœlos ascendit. Adiuro te in virtute cœlestis huius maiestatis, vt ex eius ancilla corpore egrediaris.* His, inquam, & similibus exorcismis Episcopo malignũ spiritum oppugnante, dæmoniaca illa horrendum in modum se eleuabat & auersis à S. hostia oculis, mille blasphemias euomebat. Deinde defixis in templi fornicem truculentis & minacibus oculis, ventum tamquã fumũ ex ore & naribus emittebat. Tũ tremens ac pauens, cõcidebat, & magna totius corporis deformitate, velut erinaceus in se cõuoluebatur. Quũ rogaretur vero, cur ad S. hostiæ cõspectũ tanto horrore corriperetur, diabolus respõdit, ob illud, *Hoc est. Hoc est*; vim Sacramentaliũ horum verborum, *Hoc est corpus meum*, eo innuens.

Omitto multa stuporis plena verba, per diabolũ ex ore huius dæmoniacæ prolata. Tandem victus præsentia sacratissimi Iesu Christi corporis Beelzebub ex hospitio suo discessit, edito prius velut ingenti fumo, quẽ horribiles fragores seu tonitrua insequuta sunt, adeo vt totum templum vnà cum adiunctis turribus insonuerit, cum magno omniũ adstantium stupore. Est sane miraculum hoc maxime sæculo celeberrimis quæ vnquam visa sunt, annumerandum, quod nec ipsi diaboli supprimere aut obscurare potuerunt; de quo etiam pro rei dignitate numquam satis dici potest. Sed ne longius

a *Vita S. Bern.*

gius à proposito digrediar, finem hic facio. Quid in Polonia factum sit, alio loco videbis. Pagani Philosophi ex miraculis communem Naturæ ordinem supergressis, Naturæ rectorem omnium rerum effectorem cognouerunt quodammodo & admirati sunt: at illi qui à Deo omniponenti se missos gloriantur, interim vero nihil, nisi quod vident, credere volunt, Dei in his verbis, ex Dei ipsius ore prolatis, *Hoc est corpus meum*, omnipotentiam agnoscere non possunt aut non volunt; atque ita Deū non pro creatore & domino, sed pro ministro Naturæ habent: quum tamen illis, teste S. Hilario, Saluator noster Iesus Christus omnem de veritate corporis & sanguinis sui dubitandi occasionem nobis eripere voluerit.

IV. Verum enimuero, vt in tam graui re, in qua omnis præsentium controuersiarum cardo vertitur, Lectorem antidoto quodam contra hæreticorum virus muniam, paucis præcipua eorum argumenta confutabo. Aiunt, *Annon Christus apud Ioannem sæpius dicit, se Mundum relinquere, neq; discipulos eum amplius ante extremi diem iudicij visuros? Et in Actis, Angelus discipulus testatur, sic venturum in terrā quemadmodum eum viderint euntem in cœlum. Et S. Petrus dicit, Cœlis eum contineri, donec venturus inde sit ad restaurationem omnium rerū quæ prædictæ sunt.* Addunt: *Annon sedet ille iam ad dexteram Dei patris in cœlis, vnde venturus est iudicare viuos & mortuos? Quomodo ergo eodem tempore in Eucharistia, & quidem tam diuersis locis esse possit? Id quidem nulla ratione fieri posse*, inquiunt Sacramentarij. Sed cœci non animaduertunt, hoc modo Christum ab ijs cœlo affigi non aliter quam à Iudæis olim cruci fuit affixus: quasi eius in paradiso quies, vtpote certa sede & loco cōclusi, pœna potius sit, quam gloria. Sed facile potest intelligi, quanta sit differentia inter hanc eius corporalem & inuisibilem sub speciebus visibilibus præsentiam, & vltimam illam ac visibilem quæ plena erit cœlestis gloriæ ac maiestatis, quando scilicet ab ipsa morte rationem reposcet, & totum Mundum ad tribunal suum euocabit. Ascendit ad cœlos, id est, parem cum Patre potestatem accepit. Dextra vero Dei, vt S. Augustinus inquit, suprema est eius beatitudo. Mundum reliquit, non tamē vt nos relinqueret. Quin e contrario alibi dicit, *Et ego vobiscū sum vsq; ad consummationem sæculi* (a). Alio modo hic in terris est, alio in cœlis. Quin ipse Sacramentariorum Patriarcha (b) ait: *non esse in cœlo locum aliquem certum fingendum aut imaginandum, in quem humana Christi natura ascenderit aut recepta sit.*

Aiunt præterea, *Corpus nullum sine dimensionibus, neque etiam eodem tempore pluribus in locis esse posse.* O subtiles Philosophos, qui infinitam Dei maiestatem & potentiam Physicis axiomatis, id est, Naturæ alligant & subijciunt! Atqui, inquiunt, *Aristotelicum hoc principium plane est immotum & irrefragabile:* πᾶν σῶμα ἐν τόπῳ, *Omne corpus in loco est.* Quin illi Lutherum potius audiunt, rectius de hac ipsa re iudicantem, & dicentem, (c) Aristotelem eiusmodi mysteria, quæ nequaquam ad Naturæ leges examinanda sunt, nullo modo percipere aut intelligere potuisse: & loquente Theologia, Philosophiæ tacendum esse. Contra ac præter omnem Naturæ ordinem ac Physica axiomata ab admirabili illo architecto omnia ex nihilo facta sunt; contra eadem axiomata tres personæ eâdem comprehenduntur substantia; contra Naturam Virgo peperit; contra Naturam humanum corpus saxum & ianuis clausis pertransijt, & cœlo receptum, nullum tamē certum occupat locum. Subsiste hic tu, miser Philosophe; & perpetuo silentio doctam tuam ignorantiam testare, quando de Dei operibus sermo est: tu vero quisquis es qui diuinam potentiam Naturæ cācellis audes includere, æternam gehennam tuæ huic audaci curiositati præparatam esse scito. Recte Cyrillus Alexandrinus *maxima quæuis supplicia & tormenta eos manere*, dicit, *qui Dei cauillantes opera, illud quærunt, An & quomodo hoc vel illud fieri possit:* (d) quum *Dei voluntas*, vt Clemens Alexandrinus testatur, *ad omnia operanda sufficiat.* Est hæc infallibilis consequentia: Potest Deus quidquid vult. At hoc vult, siquidem apertis verbis id dixit is qui ipsa est veritas. Quare nec de voluntate nec de potentia eius vllo modo est dubitandum, quamuis impossibilitatis quædam species animo nostro & oculis se se obijciat. Quin illa certa apud Christianos Maxima, siue Regula esse debet, eo ipso, quòd parum credibile aliquid sit, credendum esse, si authoritas diuina accedat.

V. Qui Sacramentariorum hac de re editos libros perlegerit, animaduertet nihil magis ab ipsis oppugnari quam Dei omnipotentiam, & quidem eiusmodi verbis, quæ vix ipsi diaboli ausint pronunciare: (e) eorumque fidei fundamentum in eo vno

a *Matth.* 28. b *Calu. in Mar. cap.* 16. & 19. c *Bened. Talman. in assert. pag.* 97. d *Vid. S. August. lib.* 21. *de Ciuit.* e *Martyr. in dial. contra Brent. Danæus in Elench. Hæret. pag.* 167. *Beza passim.*

vno consistere, quod Luthero teste, *non credunt id Deum posse facere quod Iesus Christus dixit.* Mirum ergo non est Catholicam doctrinam ab eis comprehendi non posse, quæ docet panem Corpus Christi fieri eo quod ipse Christus id dixerit, verum quidem corpus, non tamen vllis Mathematicis dimensionibus, longitudini, latitudini aut profunditati subiectum. Potest enim Deus qualitatem & quantitatem, potest idem quando voluerit, accidentia omnia à substantia separare, quemadmodum idem calorem & vim vrendi aliquando igni adimit (quamuis illa inhærens sit qualitas, & à subiecto suo naturaliter inseparabilis) tum scilicet quum tres adolescentes in medio igneæ fornacis illæsos conseruauit. *Corpus hoc*, dicit S. Chrysostomus, *(a) eodem tempore in excelsis ad Patris sedere dexteram, & hic infra manibus nostris tractari.* Et quemadmodum corpus Iesu Christi, quamuis verum & naturale, spiritualiter tamen & miraculose fuit conceptum: sic idem non diuisum sed totum, non mortuum, sed viuum Sacramentaliter & miraculose à nobis manducatur. Quod autem sub speciebus panis & vini Christus id manducandum dedit, in eo se infirmitati nostræ se accommodauit. Theophylactus quidem (*b*) *Panem videri, sed reuera carnem esse affirmat*, de quo Ecclesia ita canit:

A sumente non concisus, non confractus non diuisus, integer accipitur.
Sumit vnus, sumunt mille, quantum isti tantum ille; nec sumptus consumitur.
Fracto demum Sacramento, ne vacilles sed memento, tantum esse sub fragmento; quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, nec status nec statura, signati minuitur.
Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorũ, vere panis filiorum, non mittendus canibus, &c.

VI. Sed quærunt, quomodo sub tam exiguo pane seu hostia corpus viri comprehendi possit? Respondemus. 1. Quis à te, O Christiane, exigit scientiam modi, quo Deus aliquid facit aut fecit? rem tibi reuelauit, cum panem haberet in manibus, dicendo *Hoc est corpus meum.* Hoc crede & sufficit. Vt tamen nemo suspicetur grandem hic latere contradictionem, Respondemus 2. Curiosis: Corpus Christi in Eucharistia non esse modo cæterorum passibilium corporum, quæ partem vnam in vno loco, alteram in altero habent commensuratam & coextensam, sed eo modo quo Angeli & animæ hominum sunt in loco aliquo, nempe *toti in toto & toti in qualibet parte.* Manifeste hoc experiuntur & vident Sacramentarij indies in homine, cuius anima vna eademque numero manens sine augmento & decremento sui, modo est in infantili corpusculo, postea in grandi staturâ viri. Et hoc est quod Saluator innuere voluit, tunc cum apud S. Ioannem. Quomodo itis primis apud Capharnaum respondit pro Catholicis: *Verba quæ ego loquor vobis spiritus & vita sunt.* Nimirum, non dabo vobis carnem meam, ad sex pedes extensam in longum & vnum amplius pedem in latum, vt eam sic deglutiatis, hoc enim modo ora vestra & guttur carnem meam non caperent, sed existentem sub speciebus panis, ad modum spirituum siue Angelorum, *qui toti sunt in toto & toti in qualibet parte*: Sed neque dabo mortuam, vt piscium & vitulorum & arietum caro datur manducanda de macello & culina; sed *viuam*, siue *vitam ipsam*, eroque in vobis ita vt possitis pariter dicere *Spiritus oris nostri Christus*, & *Vita nostra Christus.* Sed perguntargutari, dicentes, Christum alibi quoque dicere, *Ego sum vitis, ego sum ostium, ego sum petra*, &c neque tamẽ vere ac realiter horum aliquid eum esse. Sic quoque panem non esse ipsum corpus Christi, sed figuram tantum. Sed an nescitis improbi quæ ibi à Christo dicuntur, per parabolam tantum & similitudinem dici? Cum nullam ibi aliam adiunxerit actionem, unde aliter quam hominum mos est talia, quam tropice accipi debere, constaret, dicimus enim hodieque de stupidis; *Truncus est*: *Asinus est* &c. de gratiosis verò *flos est*, est *anima mea* &c. quæ dicentes cum neque hunc truncum, neque istum Asinum & cæterorum aliquod monstremus, tropo nos vti manifeste indicamus. An tu Sacramentarie ostendere potes quod Saluator vitem, ostium aut petram manu tenebat, & se hoc monstrando esse dicebat? quid igitur ista de Vite &c. affers incongrua ad rem alienam? non dixit ille: Hæc vitis, hæc petra meum est corpus, quemadmodum in Cœnæ suæ institutione fecit, benedicendo panem gratias agendo &c. adhibendo apparatum, sed vos, ô pleni dolo, qui non cessatis subuertere vias Domini rectas. An vobis Christus non est *vera vitis? Ostium verum? vera petra* &c. quæ se esse dixit? certe est teste S Augustino & alijs Catholicis Doctoribus qui aiunt. *Quid ergo*

a *Lib. de Sacerd.* b *In 26. cap. Matth.*

est vitis vera? nunquid addens vera hoc ad eam retulit vitem, vndè ista similitudo translata est? nequaquam: sic enim vitis dicitur per similitudinem, non per proprietatem sed cum dicit vitis vera, ab illa vtique se discernit, quæ expectata ut faceret vnas, fecit labruscas. Si igitur vim discretionis attendimus Christus & vitis vera est, & per similitudinem est. Si Dominum cum vite quæ est in vinea Engaddi comparas, vtique non est ista vitis & sic nec Christus est panis pistoris ex farina & aqua permixtis coalitus, nec ostium ex lignis & cardinibus coagmentatum, quæ in foro emuntur & venduntur &c. Vere ista Christus non est, & tamen vere est panis, quia ingressu suo reali in hominem, vt panis, eum confortat & vivificat in anima sua, vt panis pistorius in corpore confortat corpus. quid ad hæc habetis Sacramentarij stupidi?

Verum eplicant illi: Annon Christus discipulis mysterium illud de manducanda ipsius carne non capientibus, dixit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, Spiritus est qui viuificat; caro non prodest quidquam?* Vere ita dicit, neque tamen inde efficitur panem non esse corpus Christi. Sicuti enim ex eo quod Christum dicimus Deum, Catholicus non debet negare esse & hominem; & dicendo esse carnem factum non negat semper fuisse Deum: ita simul vere est caro & est spiritus. Deus enim spiritus est, & anima eius spiritus est, & caro eius in loco existendo spiritum imitari potest, & in Sacramento semper imitatur: sicuti & tunc imitatus est cum ianuis clausis ad discipulos intrauit. Hoc igitur Christus voluit dicere: *Cogitatis vos, carnem quam ego vobis manducandam daturus sum, carnem esse sine anima, sine spiritu, carnem denique mortuam & mere humanam, id est, à diuino spiritu & diuinitate separatam. Erratis: Non ita vt vos cogitatis dabo carnē meam. Ego carnem meam daturus sum, cum anima mea humana & diuinitate coniunctam; quibus illa destituta, parum & quasi nihil prodesset, & æternam vobis dare vitam non posset. Et sic spiritus ero in ore vestro stomacho vestro: eroque ipsa vita, & secunda Trinitatis persona, quæ vitam per hoc carnis sua instrumentum præsens vobis largietur, in qua carne illa, tamquam in ara, vestram salutem operata est suamque vobis gratiam communicauit. Et vitam ijs infundit & largitur qui nec vitam nec spiritum antea habuerant. Hoc opus est Sancti Spiritus & Dei vita auctoris. Spiritus Sanctus accedit ad Elementa, eisque vitam seu gratiam suam inspirat, vt quæ antea sine anima & vita fuerant, iam viua sint & animata. Caro, id est, merus homo seu sola virtus & operatio hominis, vtpote nimis ad tantum capiendum vel efficiendum mysterium infirmi. non prodest quidquam mea vero caro vtpote diuinitati vnita mundi pretium est, datque vitam mundo,* &c. Et sane vox hæc *Caro*, quoties in S. Scriptura sola ponitur, (a) significat, subinde partem illam hominis irrationalem, subinde purum hominum. Quasi dicere voluerit Saluator? Sensus carnalis in tam altis & sublimibus cogitationibus nihil valet, nihil potest, nisi Spiritus S. gratiâ adiuuetur. Quando vero Saluator de sva carne loquitur, statim subiungit, *Caro mea, Corpus meum, Corpus Filij hominis.* Sic ergo hoc loco carnem absolute nominans, non de sua Carne, sed de nostra in tanto mysterio sine Spiritus S. gratia perscrutando imbecillitate loqui clare intelligitur. Sed hæc nimis alta sunt, Sacramentariorum subtilium ingenijs, quæ Catholici vel simpliciter credunt, vel docte intelligunt. Itaque descendamus paululum de monte ad turbam, neque arcana Dei vlterius coram indoctis inquiramus; (b) *credamusque Iesum Christum in sancta esse hostia, non solum fidei nostræ auxilio, ut Sacramentarij, verum etiam vt Catholica semper credidit Ecclesia, Spiritus S. operatione,* qui id quod aberat Christi Corpus ad vocem sacerdotum rite ordinatorum, Sacramentaliter, realiter, corporaliter, & spiritualiter præsens facit. Et hæc de Sacramentariorum contra Deum & Ecclesiam super venerabili SS. Eucharistiæ mysterio, tam imperite, quam impie excogitatis iniurijs & blasphemijs dicta sunto. Vtinam vero recte viuendi potius quam disputandi nobis esset desiderium! & loco istorum verborum, *Hoc est* (quæ tanto constiterunt sanguine, nec minores turbas quam illud ὁμοούσιον olim contra Arrianos, & Θεοτόκος contra Eutychianos excitarunt) Concionatores nihil aliud quam amorem Dei & proximi in ore haberent, & auditores ad peccatum detestandum ac virtutum ardenti studio colendam atque exercendam vnice adhortarentur, ac tam illius pœnam quam huius gloriam & cœleste præmium inculcarent. Hæc enim duo veluti momenta sunt & pondera, quibus actionum nostrarum horologium facile in quamcumque partem mouetur.

DE

a *Matth. 16. Ad Rom 3. & 8. Ad Gal. 1. Aug. in Psal 98. Hesych in 22. cap. Leuitici.* b *Vide per singula sæcula id ostendentem Gualterij Tabulam Chronologicam, & Garetium, & Canisij opus Catechisticum & Coturium, &c.*

DE VNITATE ECCLESIÆ ET Aduersariorum discordia.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM.

I. *Vnitas, infallibilis est Veritatis nota.*
II. *Discordia Lutheranorum magnum ipsorum doctrinæ praiudicium affert.*
III. *Vnitas Ecclesiæ est eius conseruatio.*
IV. *Quomodo Lutherani & Sacramentarij sese mutuo conficiant.*
V. *Inter Aduersarios discordes nulla est concordia nisi in oppugnanda Ecclesiæ vnitate.*
VI. *Comparatio quædam, illi qua Aretius Clericos porcis comparat, opposita, & Acatholicis aptissime applicata.*

I. QVEMADMODVM Vnitas & concordia secundum Gregorium Nazianzenum, Veritatis, vt pote indiuisa eius comes; sic diuersitas ac discordia est mendacij nota infallibilis. *Mendacij natura est*, teste Lactantio, *(a) vt in nullo sibi constet, nihil certum habeat; veritas econtra semper est vniformis.* Eadem instar palmæ, quanto magis premitur, tanto magis contra malignitatem obnititur. Veritas Dei est filia & cœlorum ciuis; at mendacium diaboli & inferni illa quidem in Catholica semper reperitur Ecclesia, læto & sereno vultu cœlum suspiciens, & vnam vocem ac linguam habens. Et *vere euidens est veritatis in doctrina signum*, vt Athanasius ait, *(b) si omnes idem sentiant, credant & loquantur.* Mendacium vero triste ac morosum, depressis in terram oculis, luto affixum hæret, centum linguas ac centum voces habet, Hydra multorum capitum, Chimæra diuersarum naturarū, vtriusq; sexus Hyæna, inferni denique ostiaria, non triceps vt Cerberus, sed innumeris capitibus, nec minus vario ac dissono latratu terribilis. Veritas pacem, mendacium bellum perpetuum in se habet & affert. Illa in Ecclesia Catholica domicilium sibi elegit; hoc in Nouorum Euangelicorum fornicibus & synagogis stabulatur, quibus nulla est concordia, nisi ad male faciendum aut male dicendum. *Non est pax impijs*, inquit Esaias vates, *(c) Diabolus*, vt ipse Lutherus fatetur, *pater est dissensionis*; Deus vero est Deus vnionis & concordiæ, *(d)* in eodem fine suos conseruans. Ac velut fluctus mutuo sese excipiunt ac frangunt; ita hæreses inuicem se perimunt, vt Hilarius inquit. *(e)* Neque vnquam vlla fuit secta quæ non eam à qua originem ipsa suam habuerat, condemnarit.

II. Videamus quomodo Lutheranorum cohortes, postquam à Catholicæ discesserunt signis Ecclesiæ, mutuis lanienis, diffamationibus & iniurijs in se grassatæ sint. Vt enim recens conglutinata facile statim dissoluuntur, at difficillime quæ multis iam annis velut callum & duritiem obduxerūt sic vincula illa, si quæ inter Nouos illos Christianos, facile rumpūtur, certo Dei consilio & permissu, vt sic diuisi, propositum sibi finem de exstirpanda penitus Ecclesia non assequantur, *(f)* nō magis quam audaces illi incredibilis operis inceptores, qui montes montibus imponere conati sunt, vt immensæ altitudinis turrim exædificarent. *Quæ mala, quæ miseria, quam horribilia scandala*, inquiunt Tigurini, *(g) ex miserabili illa Ecclesiarum, quæ relictis superstitionibus Papisticis, puram Euangelij doctrinam amplexæ fuerant, exstiterunt!* Et Bodinus tum Caluinista ait, *(h) si Germani in religionis mutatione constantiam aliquam præstitissent, multo maiorem hominum ad ipsos futurum fuisse concursum. Neq; enim Hussitas aut Martinistas tantum, sed mox Anabaptistas, Leidenses, Zuinglianos, Carolstadianos, Osiandristas, VVestphalistas, Dauidistas, VValdenses, interimistas, & alias sectas innumerabiles erupisse constat.* Sed paucæ hæ sunt, Lector; tu si paululū patienter exspectaueris, sub finē libri multo plures, in conspectum à nobis productas videbis. Ipse quidem Lutherus sectæ suæ interitum ab hac causa fore hariolatur; *(i) non ignarus nullas re facilius hæreticos quam suis ipsorum dissensionibus victos fuisse: nec Deum alijs contra eos armis vti, quam spiritu dissensionis, vti contra Babylonicæ olim turris machinatores. Hoc modo Arrianos, Donatistas, Pelagianos fuisse destructos; immo ipsos Iudæos non nisi sua ipsorum discordia periisse. Vt recte Sanctus Hilarius glorietur*, (k) *hæreticorum dissidia,*

a *Lib. 9. cap. 3. 3. Esdr. 4.* b *In Apologia* c *Lib. 2 cont. Zuing. & Oecolamp.* d *S. Cyprianus de simplicitate* e *Lib 7 de Trinit.* f *Hier. in 8. Ezech.* g *In Præf. Apol ad resor. Eccl. Germ.* h *Meth. cap. 2.* i k *Lib. 7. De Trinit.*

pacem esse Ecclesiæ. Hæc ipse Lutherus, tam multiplices sectæ suæ diuisiones seu factiones ante mortem suam videns. quamuis ipse Lutherus in quo alios castigat, multo magis sit reprehendendus vti ostendit Cochlæus & Conradus de Cornu. (a) Et Lauaterus (b) valde illud deplorat, quod multi Papistæ, Euangelium iam amplexi, tot tantisque animaduersis dissidijs & dissensionibus, ad priores suas superstitiones redierint; alij vero adiungere prius ipsis noluerint, quam dissidia illa viderent sublata. Initio quidem Zuingliani, veriti ne auctoritate Lutheri plerique abriperentur, de Conciliationis modis deliberarunt, ac præcipue in Conuentu Bernensi Anno M D XXXV. vbi Tigurinorum nomine adfuerunt Leo Iudæ, Conradus Pellicanus, & Theodorus Bibliander, Basileensium vero Osualdus Myconius & Simon Grynæus. Sed æque parum inter hos, quam inter ipsos & Lutherum concordia iniri potuit: tumque illis accidit quod *furibus*, vt Hilarius scribit, *accidere sæpe solet, vt nimirum seipsi mutuis accusationibus prodant.* Idem de illis hæreticis dici potest qui Poloniam & vicinas regiones teterrimis opinionibus infecerunt Farnouius enim Arrianus Samosatenianos Lituaniæ appellat Antichristos & Mahumetis satellites. Ebioniſtæ qui sunt in Lithuania, quorum antesignanus Budneus est, Arrianos Lubliuenses vnà cum Checovicio eorum apostolo, Inferno addicunt (c)

III. Hæc sectariorum discordia mirum est quantopere Ecclesiæ concordiam & vnionem stabiliat; qua Ecclesia seipsam in seipsa continet ac constringit, non aliter quam vniuersi huius amicitia & concordia iusta contrariorum inter se Elementorum attemperatione conseruatur. Hac vnione & fidei ac doctrinæ conformitate Ecclesiæ structura ad hunc vsque diem integra stetit, & inuiolata Hoc regius Propheta Dauid significare voluit, dicens: *Custodies eam à contradictione linguæ.* (d) Ad quem locum Augustinus monet, *hanc linguæ vnitatem in sola reperiri Catholica Ecclesia, in qua sub diuersis carnis linguis vna tantum sit lingua fidei & cordis.* Et hanc ob causſam in Christianis Ecclesijs populus vnius tantum & quidem maioris campanæ sonitu ad audiendum Dei verbum & Christianæ fidei discendæ mysteria conuocatur, quamuis alias sæpe alijs temporibus, quando alia sacra fiunt ministeria, seu mane seu vesperi plures simul pulsentur.

Fides Catholicæ Ecclesiæ vniformis est; at hæreticorum synagoga sedes est diuisionis. Eadem fides in Iapone est, eadem doctrina, quæ Romæ. Neminiab eo quod Catholica Ecclesia statuerit, prouocare fas est. Frustra vero aduersarij diuersas Thomistarum, Scotistarum & aliorum factiones scholasticas nobis obijciunt: siquidem scholasticorum eiusmodi concertationes de ijs tantum rebus sunt de quibus ab Ecclesia nihil certi decretum est; qui tamen omnes arma ad Ecclesiæ pedes deponere, & eius arbitrio in omnibus stare parati sunt. In his non de articulis fidei disceptatur, vt inter Lutheranos, Carolstadianos, & Zuinglij discipulos; sed ingenia tantum varijs quæstionibus ad decreta fidei certa iam & promulgata, per disputationes suas nihil dirimentes exercentur atque a uuntur. Catholici omnes fratres se post eas mutuo agnoscunt, eisdē vtuntur Sacramentis, vnà diuinis rebus & sacris intersunt, vnius Ecclesiæ membra se ferunt, & sub vno capite nimirum Pontifice Romano, omnes militant. At vos Zuingliani in Saxoniam ite, vos Lutherani Tigurum concedite; videbitis, credo, quæ inter vos sit fraternitas, & sanctæ illius vnionis quæ inter vos, *scilicet*, est, fructus reipsa percipietis. Annon illis ipsis in locis vbi vel rebellionis vel fortunæ vos societas coniunxit, vt Antuerpiæ superioribus annis, templa tamen vestra & sacra disiuncta vidimus? adeo vt alij aliorum templa vix sine horrore aspicere possint, vt Stapletonus testatur (e) & ipse Flaccius Illyricus in Confessione Antuerpiensi, atque optime notarunt omnes qui eas regiones perlustrarunt.

Quidam nostri sæculi scriptor (f) ad Catholicorum ostendendas dissensiones inter alia ait, *Papistas inter se controuertere vtrum monachus cum cuculio sepeliri debeat: vtrum Franciscanis liceat pecuniam tractare: vtrum Diaconus præsente Episcopo alta voce Epistolam legere debeat: quin etiam de locorum ac sedu prærogatiua inter se contendere.* Ex quo facete infert, inter Papistas graues esse de religione controuersias. Et Schmidelinus scribit, inter Papistas monachos alios album, alios nigrum ferre habitum; alios carnibus, alios piscibus vesci; alios pecuniam tractare, alios ab ea penitus

a *Cochlæus in Septicipite Luthero Conradus in Luthero constante. item* Euangelischer wetterhan. b *in Historia.* c *Vide VVilkouiana Conuersionis causſas* d *Psal. 30.* e *Lib de Calu. cap. 13.* f *Domi. Michalo. in resp. ad Ministromach.*

tus abstinere. *Ecce*, ait, *quomodo Papistæ consentiant!* Sed ô ineptissimum hominem! An hoc est de Baptismo, de Sacramentis, de Iustificatione, de Libero arbitrio, de Eucharistia, &c. & quidem iniuriosis verbis digladiari, vt vos hæretici facitis? pudeat obsecro vos huiusmodi effugiorum.

IV. Audiamus saltim quid Tresuiri illi Euangelici de quibus in præcedentibus loquuti sumus de se inuicem sentiant & loquantur, & tum Quanti illius Euangelij charitas facile elucebit. Deum immortalem! quibus non conuicijs in sola quatuor illorum verborum Christi explicatione se mutuo conscindunt? Alias enim ipsorum concertationes recensere, infinitum sit. Lutherus inquit? (a) *infelicem & pessimum Zuinglium constituisse noua sua interpretatione Christianam Rempublicam pessumdare*: monetque omnes, vt Sacramentarios, *veluti diabolos sub humana specie fugiant*. Idem *Carolstadium furiosum & insanum* appellat: *Omnes vero Sacramentarios ipso diabolo peiores esse* dicit Econtra Zuinglius (b) *Lutherum sacrum Prophetam* vocat, *scurram, siue fœdiorem, pessimum hæreticum, impostorem, Marcione peiorem*. De eodem Zuinglio Brentij iudicium audiamus. Ait, *Zuinglij Maximas siue regulas, diaboli esse regulas: quas si locum habeant, breui non Nestorij tantum hæresin, sed Iudaismum quoque ac tandem Mahumetismum introductum iri* Econtra Campanius Zuinglium defendens, *Quam certum est*, inquit, *Deum esse Deum, tam certum est Lutherum doctorem esse à diabolo obsessum*. Schutzius Lutheranus, *Sacramentarios* ait *corporum atque animarum esse homicidas, pacis osores ac perturbatores*. Sed pulcre inprimis Germaniæ Prophetæ Regij illius Prophetæ eantum suis affectibus accommodat, dum ad Iacobum Brentij Doctorem ita scribit. *Senex, decrepitus, piger, fractus, ac semimortuus quietem meam exspecto. Intelligo enim ex litteris tuis Heluetios me detestari atque exsecrari. Certe id mihi perplacet. Vis tu scire, in quo iam ego hominum miserrimus, beatum me putem? Beatus vir qui non abyt in consilio Sacramentariorum, & in via Zuinglianorum non stetit, & in cathedra Tigurina non sedit. Habes mei animi sensum. Ora Deum pro me, vt ego pro te. Et si prior abiero, quod opto, traham te post me; si tu prior abieris, trahes me post te* (c) Sexcenta alia hic mihi occurrunt in ijsdem officinis cusa elogia, dum alter alterum hæreticum, Antichristum, diabolum, archidiabolum appellat. Sed si quis plura hanc in sententiam scripta legere cupit libellum videat à nostri temporis scriptore confectum, in quo ille multis argumentis probat, doctrina nouorum istorum Euangelistarum è diaboli schola profectam esse: idque ipsorum confessione confirmat. Quid ergo de Geneuensibus Ministris dicemus? qui in Apologia sua asseuerare non dubitauit. *Eos qui Lutherani & Zuingliani appellantur, vere Christianos esse & fratres. Nullam nisi de vna, & quidem non magni momenti re inter eos esse contentionem*. Ex quo intelligi potest quanti grauissimam illam de Cœna Domini controuersiam faciant. Sic Caluinus (e) venerabilis Geneuensium Apostolus suis persuadere conatur, sanctos illos Tresviros, (quamuis alterum ab altero hæreticum appellari non ignoret) in propagando Christi regno sancta quadã coniuratione conspirasse. *Quamdiu* inquit, *hic Lutherus, illic Oecolampadius, ab alia parte Zuinglius in restituendo Christi regno laborabant, consensus eorum fuit admirabilis. Vno ore omnes verum Dei cultum docebant*. Idem dicit auctor Historiæ Ecclesiasticæ. (f) Et in libro Harmoniæ impudentissime scribitur, *Tigurinam Confessionẽ Anno MDXXXVI. editam, à Bucero in conuentu Smalcaldico Anno MD XXXVII fuisse exhibitam & à Principibus ac Theologis præsentibus, atque etiam ipso Luthero approbatam* (g) Apage cum his mendacijs ad extremos Garamantas, vbi periculum non est ne nostri homines ea expiscentur. Quid vero frustra vestræ tam discordi doctrinæ concordiæ laruam inducitis? Quasi ignota nobis sit Lutheri sententia, (h) præsente Zuinglio, *maledictam eiusmodi concordiam esse pronunciantis*: itemque eiusdem paulo ante mortem protestatio: *Nihil sibi cum Sacramentarijs in æternum fore*. Annon Conradus Schlusselburgius Superintendens Lutheranus *tot esse Sacramentariorũ hæreses* testatur *quot sint articuli Fidei?* concludens, inter vtrosque πόλεμον esse ἄσπονδον. Et Gallus Superintendens Ratisponensis, qui Lutheri tempore vixit, *non de leui aliqua re, sed de præcipuis Fidei articulis controuersiam esse dicit, nec eius componenda spem vllam esse* En tibi Nouorum Euangelistarum harmoniam & consensum. Sed quos magis idoneos

a *Lib. de Cœn. Christ. Lib. cont. Sacrã. ad Alb. Pruss. Ducem Tom. 4.* b *Tom. 2. Epist. ad Esling. in Recogproph. & Apost. in fine* c *In serpent. antiq. cap. 33. Quinque lapides Puteani Basile. Vid. lib. de Ministr. mach. Calu. resp. ad Pigh. de lib. arb. lib. 1. & lib. de Scand. pag. 134.* e *Gaspar Hedio* f *V. de supra cap. 11. hoc libro Bucer. acta* g *Vid. Selnecc. in Psal. 132. Tom. 1. Vlenberg. in Vita Lutheri Melanchton. &c.*

Euangelicæ concordiæ testes queamus producere quam ipsos Germaniæ Typographos, quorum præsia sub libellis polemicis, acerbissimorum conuiciorum plenis gemere nunquam cessant: vt è Francofurtensium Nundinarum Catalogis videre est. Obseruarunt nonnulli inter proximos aliquot annos ex ipsorum officinis plura scripta Euangelicorum contra Euangelicos (tales enim haberi omnes volunt) quam contra Catholicos prodijsse (a) Cui enim ignota sunt Lutheri & Zuinglij discipulorum, Caluini & Westphali, Bezæ & Hesshusij, Brentij & Bullingeri, Flaccianorum & Melanchthonianorum, Heidelbergensium & Tubingensium certamina? Sed de hoc Lutheranorum & Caluinistarum dissidio infra vbi de Franciæ schismate agetur, opportunior erit dicendi locus.

V. Nullum est aduersarijs nostris nec magis commune nec magis noxium bellum quam quod ipsi inter se gerunt. In omnibus ipsorum conuentibus Eridis illud pomum iactum videmus. Quēadmodum enim venenū aliud venenum ferre non potest, sed vnum alterum pellit: sic *hæresis nullibi quam in propria sua domo minus quietus habet.* Ac veluti vectores ad diuersa loca tendentes, & diuersas ob causas & negotia eandem nauim ingressi, nunquam idem spectant, aut societatem inter se contrahunt; at ventis increbrescētibus, & mari fluctibus tumente, omnes ad commune periculum propulsandum, consociatis animis & viribus occurrunt: Sic ij qui relicta S. Petri nauicula diuersarū hæreseon se fluctibus commiserunt, nullam inter se societatem aut amicitiam colunt, nisi quando ab excommunicationibus aut censuris Ecclesiasticis commune sibi periculum imminere animaduertunt. Tunc enim discordes in concordiam coeunt, vt licet disiuncti opinionibus, coniunctis tamen viribus, Ecclesiæ vnioni tanto melius possint resistere: tunc castra coniungunt, tunc eadem symbola accipiunt, & sub ijsdem signis in aciem prodeunt, nulla in re concordes, nisi in edendo, bibendo, crescendo & genus humanum multiplicando, Papæ denique bellum faciendo.

VI. Quemadmodum sues, (fœdum & morosum animal) nullum inter se societatem colunt, sed petulci rostris & morsibus se mutuo impetunt; nihilominus tamen quamprimum grunnientem aliquam audiunt, turmatim surrectis pilis, laboranti auxilio accurrunt: sic qui ab Ecclesia desciuerunt, quamuis non minus se inuicem quam ipsam Ecclesiam capitali odio persequantur, quamprimum tamen vel Ecclesiæ arma contra se, vnius criminis reos, expedita, aut occasionem assiliendi Ecclesiæ valū, seu Pontificē oppugnandi viden, positis in speciē inimicitijs, auxilia coniungunt, & mire cōspirant. Hic mihi in mentem venit quod Plinius scribit. Quamuis inter Coruum & vulpem nulla sit amicitia vel familiaritas, quoties tamen ille vulpem videt ab accipitre impeti, statim aduolat, & pedibus, rostro & alis insidentem hostem percutit, donec prædam dimittat: sic quoque Corui illi & Vulpes (hæreticos intelligo) quamuis parum inter se conueniant, contra Ecclesiam tamen arctissima faciunt fœdera: quæ deinde discusso periculo, mox soluunt. Sic Aristides & Themistocles ad bellum contra hostem proficiscentes, inimicitias deponere, sed ex eodem reuersi, rursus sumere solebant. Ac veluti, vt est apud Plinium, in Nili ostio ingens agger ex hirundinum nidis inter se mira arte constructis conspicitur, res quidē per se fragilis, structura tamen & coagmentatione tam firma vt Nili inundationem facile sustineat; sic hominum istorum illuminatorum cohortes, per se infirmæ, vbi mutuis foederibus in vnum coierunt, vim omnem eludere conantur. Hanc ad rē Brissonius apposite, *Mihi*, inquit, *iniuria & conuicia non placent. Venenum non habeo Et quamuis è continua librorum ab Ecclesia aduersarijs scriptorum lectione fellis aliquid fortasse hauserim, conuicijs tamen non certabo.* (b) Sic nec ego. Quia tamē Euangelistæ illi nos porcorum gregi comparant (id facit Aretius Bernensis Ecclesiæ minister) nemo, spero, mihi vitio vertet, quod eâdem, melioris tamen notæ, moneta, hoc eis debitum persoluerim. Sed iam velites lustremus, qui leuibus armis suis procursantes, dum Lutheranorum, Sacramentariorum & Confessionistarum acies in procinctu stat, Ecclesiam lacessunt.

DE INFINITA HÆRESEON INfelicis huius nostri sæculi multitudine.

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

I. *Hæresis vna aliam atque aliam parit.*

II. *Plus*

a *Vid. Bellum Quinti Euangelij Hulsemanni Caluinismum irreconciliabilem Acta in Hassia inter Lutheranos & Caluinianos.* b *Comment. in Apocal.*

II. *Plus quam ducentas nostro tempore esse hæreses.*
III. *De Adiaphoristis, quibus omnia sunt indifferentia.*
IV. *De Interimistis & Vquitarijs.*
V. *De Maioristu.*
VI. *De Osiandrinis.*

I. QVEMADMODVM in magnis calamitatibus malum fere malo addi, & primum secundo aggrauari sole; sic in Schismate Ecclesiæ ex vna hæresi alia, atque ex hac rursum aliæ pullulant; eo quod erroris cursus nullis finibus sit circumscriptus. Ac veluti ab vno vitio ad alia transitur; sic ab hæresi vna in aliã deuenitur. Similiter *vt hæreses cito nascuntur, ita quoq; citò pereunt*, vt in signis hæreseomastix S. Augustinus scribit. (a) Et quemadmodum Arrius ille prius fe e ad calcem peruenit, quam è carceribus fuit egressus: sic nostri quoque temporis complures hæresiarchas prius curriculũ suũ absoluisse, quam cœpisse vidimus. Alius enim alium sequitur, caudis inter se, vt Samsonis vulpeculæ, colligati: capitibus vero quã maxime disiunctim: similes illis auibus quæ ex vna regione in aliam auolant, prout hæc vel illa est calidior. Vt denique res omnes Naturæ gremio comprehẽsæ oriũtur atq; aboriuntur quotidie, sic hæreses in corde Ecclesiæ, vti fidelibus remedio surguntq; cadũtq;. Sic enim Diuus Paulus scribit, *oportere esse hæreses, vt electi cognoscantur*. Et bonus ille Lutherus Comment. in Psalmum xv. idem testatur, inquiens: *quamuis hæreses & secta multa apportent damna, id tamen boni adferre quod S. scripturæ cognitionem nobis aperiunt*. Hoc igitur viperarum, matrem suam necare conantium, genimine nullum sæculum a nato & passo nostro Saluatore ad hæc vsque tempora immune fuit (b). Primo sæculo exstiterunt Simon & Cerinthus. Secundo Gnostici, Marcionistæ, tertio Nouatiani & Samosateniani. Quarto Arriani, Donatistæ, Eustathiani, Eunomiani, Ardeani, Luceferiani, Seleuciani, Iouiniani, Heluidiani. Quinto Manichæi, Pelagiani, Nestoriani & Eutychiani. Sexto Iacobitæ. Septimo Armeniani & Mahumetani. Octauo Iconomachi. Nono Pauliniani. Decimo Græci. Vndecimo nescio quæ quisquiliæ, sub quodam Bogomillo, & altero nescio quo Taudemo. Duodecimo Abeillardi & VValdenses. Decimotertio Albigenses. Decimoquarto Fraticelli, Beguardi, Lollardi, Flagellantes, & VVicleuistæ. Decimoquinto Hussitæ. Decimosexto Lutherani, Anabaptistæ, Sacramentarij: & qui non? de quibus postea dicemus. Quamuis autem totum curriculũ hæreseos, quacumque oculos flectas, nihil nisi tam auctorum quam sequacium stragẽ & exitia ostendat, (c) vt qui pleriq; omnes è curru tanquã temerarij Phaethontes seu solis rectores (d) præcipitatis ceruicẽ fregerunt? nihilo tamen segnior ille mendacij pater, hoc ipso plures ad idẽ decurrendum stadiũ allicere studuit, simulans, hanc colluuiẽ esse Ecclesiam Militantẽ; suos milites, Dei esse milites; suosque martyres, Dei esse martyres. Sed qui viderit ex vna parte exercitum veteranorum bene instructum, præeunte supremo duce, galeâ caput tecto, manibus hastam gestante; sequentibus deinde grauis & leuis armaturæ ferentarijs, & hastatis, in quorum medio vexillũ explicatum volat, sonantibus vndique tympanis, postremo denique agmine clausum: ex altera vero imbellem puerorum turbam, in arundine per plateas equitantium, ligneis gladijs præcinctorum, fustes pro hasta humeris gestantium, sudariũ perticæ alligatum pro vexillo præferentium, & olẽ lam pro tympano pulsantium, nullo certo ordine, omnibus imperantibus, nemine parente, hinc inde inter se circumcursantium & conclamantium: is viuam veluti imaginem veræ & adulterinæ Ecclesiæ cernet. Sed non duces tantum, vti superioribus capitibus factum est, videamus, verumetiam ipsas vulgarium militum copias lustremus.

Triceps illa hæresis, siue tres illæ factiones, de quibus in præcedentibus capitibus egimus nempe Anabaptistarũ, Confessinistarum seu Lutheranorũ, ac deniq; Sacramentariorũ in multas alias imo infinitas fere dissicisse sunt, dum hi illum, alij alium antesignanum noui alicuius dogmatis inuentorẽ sequuntur; & singuli nouam tam suæ quam aliorũ infelicitatis telam exordiuntur. Et quis omnes recensere possit? quum soli Eustathiani olim teste Nicephoro, (e) in duodecim factiones fuerint diuisi. Vix hoc proximum credere poterit sæculum, quãdo hæresis videbit interitũ illudq; Lactantij (f) verũ esse deprehendet, *Multitudinẽ religionũ irreligionẽ producere*. Omnes illi qui abantiqua discesserũt Ecclesia, in Theatro Christiãitatis sese ostẽtarũt, verba sua pro dei verbis vẽditates, (g) & vt plus

quam

a *Tom 9. ser. de Cataclysmo* b *Tabula chronologica Galteri item Anatomia Ecclesiæ Catholicæ* c *Vide Reusnerum in opere Genealogico, vbi familiæ illustres hæresis introductæ authores extincta cernuntur plurima* d *Ouid. lib. 2. metamorph. initio.* e *Lib. 18. cap. 45.* f *Lact. lib. 1.* g *Vide fusè in Mysterio fraudis prædicantica austo. Hieron. Mulmanno.*

quam alij sapere videntur, singuli novam aliquam opinionem comminiscentes. Hæc enim vis est vocis αἵρεσις, quæ Latina lingua idem significat quod *electio*: sic ut hæreticus is dicatur, *qui novum aliquod & singulare doctrinæ genus, communi Ecclesiæ sententiæ seu consensui contrarium, eligit, idque deinde tanta defendit pertinacia, ut totam Christianitatem caecitatis condemnare quam errorem suum agnoscere malit.* Hoc quidem fecerunt ac faciunt omnes nostri tēporis hæretici, prædecessorum suorum vestigia sequentes. Quod si horum aliquot enumerauero, cū omnes non possim, id eo fit, ut quemadmodum ab Heliogabalo olim octo calvi, octo gibbosi, octo claudi, octo podagrici, octo surdi, octo crassi, octo macilenti, octo breves, octo longi convivio fuerunt adhibiti, ut tam male inter se convenientium hominum diversitate ac dissimilitudine risum spectantibus moveret; sic hic quoque lectores tantam hæreseon licet à se invicem enatarum difformitatem ac monstrosam discrepantiam videant, quæ tanta est, ut diabolus ipse Mundi stultitiam ridere ac ludibrio habere, vel potius Germania in tot sectas divisa, in prædam ei data videatur.

II. In quovis fere angulo novam nasci videmus ecclesiam, quæ tamen ipsa etiam cum Luna subinde & cito quidem suam faciem mutat: ut Georgius Saxoniæ Dux non minus vere, quam facetè dixerit: (a) *Quamvis forte VVitebergenses vicini sui sciant quid hodie credant; se tamen certò scire, ne scire illos quid cras sint credituri.* Et eorum quidem qui Lutherani dici & haberi volunt, quique Lutherum doctrinæ suæ auctorem & patronum faciunt, triginta quatuor sectæ à quibusdam notatæ sunt. Neque hoc à Catholicis solum, sed ipsis quoque Novis Evangelicis factum est: *qui plusquam ducentas una serie factiones recensent* ut è Pantaleonis, Funcij, Lavateri, Lindani & aliorum scriptis apparet. (b) Mihi quidem sentinam hanc vel potius cloacam diaboli fœdissimam aggredienti, religio quædam objicitur, tot execrabiles blasphemias, quas tangere me oportet, exhorrescenti: eoque breviter tantum hæreses ceteris magis notabiles recensebo. Et velut in parvo annulo ingentis colossi imago sculpi potest; sic tribus aut quatuor capitibus ingentem eorum repræsentabo multitudinem, quæ cœlo bellum inferre ausa fuit; non tamen gigantibus illis, sed Pygmæis magis similes, sagittis armati, & in decutiendis segetum aristis non minus quā alij in celsissimis arboribus deijciendis laboris sumentes. Veniam mihi dabitis, spero, Christiani Catholici, tot tantasque blasphemias coacervanti. Videbitis quemadmodum cicadæ ijsdem locis nascuntur, vivunt & occidunt; sic magnam istarum sectarum partem ibi sepulchrum, ubi prima earum fuêre cunabula, inveniſſe. Harum ego singulas nullo certo ordine, sed prout quæque sub manum venerit, recensebo: nec ortum cuiusque in tanta confusione anxiè investigabo. Quis enim in tanta confusione ordo à me posci queat? Tanto vero magis nullum mihi hic servandum ordinem puto, quod fidus hæreticorum Advocatus & malus historicus Sleidanus plerisque velum obducit, pudore, credo, suffusus, Prophetam suum tam multiplicis, difformis ac monstrosæ prolis parentem evasisse videns; atque alij etiam, qui tam in Gallia quam Anglia de restauratione Ecclesiæ scripserunt, pleraque ne nomine quidem sibi notas esse simulant.

III. Vix Lutherus cucullum abjecerat, vix primum in Ecclesiam assultum fecerat; quum ecce ingens rerum perturbatio per totum Christianum Orbem sequuta est, plerisque horribili illa voce Lutheri intoxicatis: *Maledicti omnes qui aures suas doctrinæ meæ non aperiunt* vel potius fumo putei Apocalyptici, quem Lutherus clavi Doctorali sua aperuerat, dum omnes homines Sacræ paginæ creavit Doctores, interpretes & Pastores &c. Nec mora. Plurimi gustata Evangelicæ libertatis dulcedine carni grata, & ipsi tentare aliquid voluerunt, aientes, tam sibi quam Luthero licitum esse veritatem investigare, & scripturæ secreta aperire. Honorem ex tunc quisque & gloriam ambiebat. quisque primus esse cupiebat. Unde recte à S. Augustino dictum est, *Mundanæ gloriæ cupiditatem omnium hæreseon esse matrem. Quisque Spiritum sanctum sibi datum dicebat.* Christum hic, alius alibi monstrabat; plane ut Salvator noster eventurum prædixit. (c) Novam sibi quisque religionem formabat; omnes tamen interea nullam habebant. Recte Hieronymus, (d) *Hæreticos suum quemque Deum habere*, ait, talem scilicet qualem ipsi sibi formarint. Nihil antea tam certum in Fide atque immotum fuerat, de quo non dubitabatur. (e) Nulla iam pax erat

a *In Edicto suo.* b *Omnes has ad 212. nominatas Vide in Anatomia Eccl. Catholicæ Francof. 1653. cusa in 4.* c *Matth. 24.* d *In c. 11. Oseæ.* e *Vid. And. Fabr. in Hermo. Evang.*

erat conſcientijs, nulla animis tranquillitas, qui antea in gremio Eccleſiæ ſecurè & ſuauiter quieſcebant: diabolo omnem Fidem & religionem ex hominum cordibus paſsim eripiente, & diuerſarum opinionum turbis omnia miſcente. *Quot capita tot ſenſus, quot cerebra tot religiones, quot Doctores tot erant fides.* Atque vt omittam ſat multum (*a*) commemoratos *Anabaptiſtas*, qui ſunt prima fœtura Lutheri, & in Rotmanniſtas, Münzerianos, Adamitas, Srebleros, Sabbatarios, Clancularios, Manifeſtarios, Dæmoni ſaluos, communia omnia habentes, Condormientes, Eutantes, Georgio-Dauidicos, Mennoniſtas Polygamiſtas 41. ſectas (*o*) diuiſi ſunt: Vtque etiam omittam *Sacramentarios*, de quibus etiam ſupra (*c*) actum eſt, & minimũ in 35. ſectas diuiſi ſunt (*d*) ipſi Lutherani ſeu confeſſionis Augſtatim exordio ſuo in tria genera diſciſsi ſunt, nempe Molles Rigidos & Mistos (*e*) *Rigidi* ſeu Stoici, qui adhuc in pleraque Saxonia, Magdeburgi, Brunſuici, Lubecæ, Hamburgi, Lunæburgi, & alibi primas tenent. Horum præcipui erant Matthias Flaccius Illyricus, Nicolaus Gallus, Merlinus, Amsdorffius, alijq;. At Molles, per Miſniam, Franconiam, Norimbergæ, Vlmæ, & in parte aliqua Sueuiæ, vt & per VVirtembergiam. Horum deinde medij ſiue Miſti in Semitransſubſtantiatores, Extravagantes, & Confeſsioniſtas recalcitrantes diuiſi ſunt ſub quibus Oſiandrini Stancariani, Antiſtancariani & Schvvenckfeldenſes comprehenduntur (*f*) Adiaphoriſtæ inter Molles reputati à Melanchthone & Ebero Adiaphoriſtis progreſsi ſunt: (ſic enim eos appellat capitalis ipſorum hoſtis Flaccius Illyricus) quorum etiamnum hic illic in Germania magnus eſt numerus, neque etiam Wittebergæ primaria Lutheri ſede, & in alijs Saxoniæ oppidis, ad Electoris ditionem ſpectantibus deſunt. Contra Melanchthonem certe modo dictus Flaccius hanc pronunciat ſententiam. (*g*) *Quandoquidem*, inquit, *Philippus & eius complices in ſuis opinionibus contumaciter perſiſtũt, ſuadeo ego vt pro Ethnicis & Paganis habeantur, nec quiſquam bonus cum eis communicet. Qui ſecus fecerit, et ego iam iram Dei denuncio. Vult enim Deus vt vel calidi vel frigidi ſimus. Tepidos idem ex ore ſuo euomit; neque vera Eccleſia eos ferre poteſt, qui noua quadam & numquam viſa coniunctione, calidum cum frigido confundunt.* Et illi quidem, vt veros & genuinos Lutheri decet diſcipulos, ne vnius quidem litteræ gratiam, aut vel latum vnguem cedere ſuſtinent: *ſeueri & crudeles homines*, vt inquit Sturmius, *quibus omnia perdendi eſt libido.* At reliqui faciliores aliquãto, concedunt, non ita pertinaciter in omnibus tuendam eſſe Lutheri ſententiam, vt qui interdum affectibus ſuis plus æquo indulſerit.

Quod ad Adiaphoriſtas attinet, ij Conſtitutiones & Ceremonias Catholicæ Eccleſiæ indifferẽtes exiſtimant, quibus pro arbitrio quiſq; vti poſſit vel minus, ſine vllo ſcrupulo, aut diſquiſitione. His illi vel addunt vel detrahunt, eã denique formã inducunt, quæ Theologis videtur: vt ex Theologorum VVitebergenſium & Lipſienſium Anno MDXLIV & MDXLV. editis decretis conſtat. Ipſe quoque Zuinglius ait, (*h*) *in rebus externis, quæ expreſſo Dei verbo non continentur, licere cuique facere atque vſurpare id quod viſum fuerit.* Sed hoc nihil aliud fuit quam emplaſtrum ſeu ceruſſa, tegendis interioribus animi vlceribus accomodata. *Omnia in peius eunt*, inquit Amsdorfius, *Omnes clamant Euangelium inter nos perire, non alim ob cauſſam quam quod quiſque ſuum ſenſum ſequitur. Brentius & Adiaphoriſta in Colloquio VVormatienſi Zuinglium & Oſiandrum damnare noluerunt: noſtri vero in congreſsũ venire recuſarunt, niſi illi excluderentur. Adiaphoriſta dicunt & fingunt quidquid volunt, Imperatoris voluntati ſeſe ſuamque doctrinam accommodantes & quamuis Papiſticam Miſſam probent & amplectantur, pro Lutheranis tamen haberi volunt.* Habes Lutherani Prædicantis de Adiaphoriſtis iudicium.

IV. Recenſui Lutheranorum tria genera, præter hæc ex eodem patre orti ſunt Semi-Lutherani, quorũ alij ſua propria dogmata Lutheri doctrinæ attexerunt, & horum ſunt minimum 18. ſectæ, (*i*) inter quos reperiuntur *Interimiſta*, quorum religio duobus ante Lutheri mortẽ annis cuſa fuit, vt ſuo loco oſtendam. Hi rurſum in duas aut tres claſſes diſtinguuntur. Alij enim *Interim* (*k*) Imperatorij ſequuntur, nec multum à Catholica Eccleſia abſunt, exceptis articulis de Communione ſub vtraque ſpecie, & Coniugio Sacerdotum: in ceteris omnibus Catholicæ Eccleſiæ conſentientes dicunturq; *Interimiſta Cæſarij*, At *Lipſienſes Interimiſta*

a *Supra capitibus primis.* b *Anatomia Eccl. Catholica initio.* c *cap. 7. &c.* d *Anatomia Eccl. Catholica.* e *ibidem & Genealogia Lutheri quinti Euangeliſt.* f *Anatomia citata initio* g *Hoſius in Actis Elbingen & Vlenberg in Vita Flaccij & Melanchthonis.* h *Zuing. De Eccleſ fol. 85. & 89. Amsdorff. pub. Conf pur. doctri* i *Vlenberg. in Vita Flaccij.* k *Anatomia ex Vlenberg. loc. cit.*

quædam ex Lutheri doctrina admiscent, (a) cum Catholicis tamen opera ad iustificationem necessaria esse docent. Concedunt etiam septem esse Sacramenta: & Episcopis suis obediunt, denique alij sunt Interimistæ Francici, qui interim Lipsiense aliquantum mutarunt. Breuiter, mistura hæc quædam est antiquæ & nouæ religionis. Omnia eorum dogmata perstringere, nimis longum esset & fastidiosum: quare summatim hic attigisse sat est. Ex eodem genere semi Lutheranorum sunt (b) Vbiquitarij magno numero, Hi credunt tam humanitatem quam diuinitatem Christi vbique esse, tam in Baptismo, quam in Cœna Domini, imo in ipso quoque Inferno. Hic idem error fuit Eutychis, vt ex Theodoreto discimus (c). Sectæ huius auctor Brentius putatur, qui Homilia III. in Acta Apostolorum, inquit, *ex S. scriptura haberi Christum ad cælos ascendisse, non tamen ita, vt certum in visibili cœlo locum occupauerit, quo contineatur; sed ipsum cœlos penetrasse, vt epistola ad Hebræos loquitur & eleuatum esse supra omne id quod in cælo est & in terra*, siue vt adimpleret omnia. Idem in Colloquio Wormatiensi cum Ioanne Lasco, (d) præsente Duce VVittembergico, sermonem conferens, libere dixit. *Christum non vere & naturaliter fuisse hominē, sed spiritum duntaxat; neque vere mortuum, aut passum esse; sed humanam naturam totam à diuina esse absorptam.* Huic non dissimilis fuit Seleucianorum Eutychianorum, Acephalorum, Monophysitarum & Monothelitarum doctrina, qui omnes diuinæ & humanæ Naturæ in Christo, & vtriusque proprietatum distinctionem, tam perspicuè à SS. Patribus explicatam comprehendere vel intelligere nequiuerunt. (e) *Docent ergo Vbiquitarij Christum vbique præsentem esse. non in homine tantum sed etiam omnibus alijs in rebus. Esse eum in Sacramento, esse etiā vbiq;.* Sed quomodo homines ab Ecclesia refugi in eam opinionem iuciderunt? non sane alio duce quam Luthero, quicum Christum Dominum nollet fieri præsentē in Sacramento altaris per transubstantiationem contra Catholicos, & tamen vellet esse præsentem, contra Zuinglianos alia ratio quam per Vbiquitatem eum sistendi non occurrit. Verum enimuero Christi corpus non ideo vbique est, vt sit in Sacramento, quemadmodū nec ipsum Sacramentum vbique est. Modus enim essendi quem Sacramentalem cum scholasticis Doctoribus appellamus, nec definitiuus est, nec conscriptiuus, nec repletiuus, sed singularis & specialis, talis scilicet quo corpus Christi in Sacramento est præsens. Doctrinam hanc à Luthero quoque suo assertam hausisse Brentius existimatur, dicente, *Vbi Deus sit, ibi quoque Christi esse carnem.* (f) Atqui Deus est vbique. Ergo & Christi caro. Verum consequentiæ huiusmodi crassam sapiunt ignorantiam; vtpote ex Antecedentibus tam falsis, quam male intellectis exstructæ, vt dixi, ipse Lutherus ad probandā realem Christi in Cœna præsentiam, Christum vbique esse asserit, vt qui ad dexteram Patris sedeat, quæ sane vbiq; est. *Christus vt h mo.* inquit Illyricus Vbiquitarius, *non est in cœlo tamquam in loco; sed cœlum potius est in Christo quum Christus vbique sit.* At, si caro Christi vbique est, ergo in supremi illius Iudicij die è cœlo non descendet, vt qui iam in terra sit; neque in cœlos ascendisse dici poterit, quum ibi fuerit. Resuscitatum eundem nemo recte dicere poterit, vt qui intra atque extra sepulcrum fuerit; neque ad inferos descenderit, quum semper ibi fuerit. Ex quibus apparet quomodo Vbiquitarij omnes pene Fidei articulos hoc suo dogmate penitus conuellant. Neq; enim Christus vbiq; esse dici potest, quū ipse dicat, *se non adfuisse quum Lazarus moreretur.* (g) Et Angelus fœminis testetur, *ipsum in sepulcro non esse.* (h) S. Lucas ait, (i) quod *nubes eum susceperit ab oculis Apostolorum, in cœlum eum ascendere videntium.* Deus qui semper vbique est, de loco in locum non transit, vt dicit S. Ambrosius? (k) sed in quantum homo, iam abit, iam venit, ac dicit: *Surgite, eamus hinc!* (l) Recte S. Augustinus *non necesse*, inquit (m) *esse vt quod in Deo est, etiam vbique sit:* quum S. Scriptura, quæ verissima est, *nos in ipso viuere, moueri & esse* dicat, (n) nequaquam tamē, vt ipse, vbiq; simus; sed alio modo homo in Deo est, siquidem Deus alio modo in homine est, nimirum modo quodam proprio & singulari. Melanchthon qui viuo Luthero Vbiquitatis patrocinium quodammodo susce-

a *Vid. Amsdorfium. Rigidum,* b *Anatomia loc. cit. Myconius resp. ad VVestphal. Beza resp. ad quæst. Dan. Hofman.* c *Vid. ep Flauij ad Leonem. Bellar. lib. 3. cap. 4. Aug. har. 59* d *Schlusselb. Tom. 2. Theol. Calu fol. 3.* e *Leo. epist. 9 10. 52. 79. Theodor. lib. 4. Suid. de Eutyche. Euagr lib. 3 c. 34 & lib. 4 c. 4 Damas. de hæres Niceph. lib. 18. c. 45. Ioan 1. Mar. 19. Luc 2. & 24. Clem. lib. 7. Apost. Const. c. 37 Ign. epist. ad Epise. Dionys. Areopag. de diuin nomin Iustinus Martyr. in Expos. fidei. Mar. vlt.* f *Luth. Tom 3 lib. de assumpt Dom ten. pag. 283.* g *Ioan. 11. 15.* h *Mar. 16. 6.* i *Act. 1.* k *Lib. 2 de fide cap. 4.* l *Epist 57 ad Dardanum.* m *Act. 17. 28.*

susceperat, (a) eo mortuo eandem irrisit. *Corpus* Christi inquit, alibi, *in cœlo est; sed cum divina eius Natura ubiq; est.* Et in Synodo Dresdensi Anno MDLXXI. unanimi Superintendentium Saxoniæ, & VVitebergensium ac Lipsiensium consensu *Vbiquitas haec condemnata fuit, tamquam Sathanæ inventum*: ac multo atrocius a Zuinglianis & Calvinistis.

V. Georgius Maior natus Norimbergæ Anno 1502. 25. Aprilis, positis primis literarum fundamentis VVittebergam profectus, factus est Lutheri discipulus; & ipso adhuc vivente professor Theologiæ Novæ, ad Philippum deflexit in quibus ille Lutheri rusticam austeritatem castigabat. Idem Anno 1545. ad Colloquium Ratisbonense suasu Lutheri missus est, detecto domi Philippo, adeo ille fidebat Maiori, quāvis nec ipsi plene fideret, ob sacramentariæ hæresis favores. Cū autem Maior 21. Januarij Ratisbonam Anno 1546. ingressus, ut cæteri Lutherani tricando de religione tergiversaretur, accidit Lutherum 18. Februarij Islebij mori, quo sublato oppressæ hactenus metu linguæ Luthericolarum in plurimas hæreses decesserunt, (a) inter quos etiam Maior in Ecclesia VVitebergensi successor, ab eodem nutritus & educatus, post mortem magistri, novum & ipse signum sustulit, & exercitum conscripsit eorum qui *Maioristæ* dicti sunt. VVitebergæ potissimum ac Lipsiæ sese iactantes, quamvis è diametro Luthero repugnantes. vt enim Lutherus docuit, Fidem solam (quam ille vocem magistrali sua auctoritate sacr. literis adiunxit) *ad salutem sufficere*, sic è contrario Maior scripturis convictus asseruit, *neminem sine bonis operibus, (immo ne ipsos quidem infantes) salvari posse* (b) ut Staphylus scribit (c) Quin etiam *omnibus qui aliter docerent, etiamsi Angelus fuerit è cœlo, anathema dicit* quo anathemate præcipuè suū Magistrum Lutherum fulminavit. Nec vero alijs pepercit. Flaccius Illyricus illi est *diaboli organum*, alij aliud visi esse contra Flaccius cum suis Maiorem eiusque adhærentes idēidem *Luthero-papistas* vocitabat, quod ceremonias Ecclesiæ Catholicæ plurimas, bonaque opera nec non Spem, Caritatem præter Fidem necessaria esse docerent, Imo *Vertiginosos* eosdē vocitabant, quod dicerent se Lutherum per omnia sequi & tamē bona opera requirerent. Adhæserunt autē Maiori illi schismatico Eberus, Menius, Matthesius, Ferinacius, Cruciger Junior, Crellius alijque. Sed profecto æque omnes hæreticam suam pravitatem ostendunt. Lutherus in eo, quod S. Scripturæ verbis, quibus bonis operibus merces promittitur, ijsque destituta fides mortua dicitur, vim infert; Maior vero, quod infantibus bona opera tribuit, ut qui ob organorū indispositionem & humoris in tenellis membris abundantiam, nec ratione uti possunt. Porro Maioristas quidem (d) Mollibus Lutheranis adnumerant, qui etiam in alijs quibusdam articulis à veris Lutheranis dissentiunt. VVigandus rigidus Lutheranus, ait, *inter suos & Maioristas non esse de re levi contentionem, sed de ipsis Fidei articulis. Ac veluti diabolus, Mahumetes, omnesq; hostes Ecclesiæ nonnunquam S. scripturæ auctoritatem impietati & errori bes suis obtendunt; sic multos hæreticos ad novas suas stabiliendas opiniones, Lutheri auctoritate abuti.* Certe Georgius Maior suæ huic de Justificatione sententiæ ex Lutheri libro, de bonis operibus, præsidium quærit: Illyricus vero ex eiusdem in epistolam ad Galatas Commentarijs contrariam plane sententiam defēdit. Idem scribūt Gallus, VVigandus, Merlinus, & alij, qui contra Maioristas stilum strinxerunt. Sic horum ipsorum confessione, Lutherus, ut carbonarius ille Satyri in antro, ex eodem ore calidum & frigidum efflavit: (e) nec eius spiritus alius fuit quam spiritus contradictionis, qui nihil verū ferre poterat quod non proculcaret aut depravaret, nihil falsum, cui non centum induceret colores. Rationes autem Maioristicæ sectæ Fundamentales erant hæ: (f) 1. Ut Antinomorum sectam opprimerent, Bona opera esse asserenda. 2. quod populus Luthericus sola fide nitens ad Epicuræismum devolveretur. 3. quod spes & caritas à Lutheranis multis ludibrio haberentur, easque virtutes vocarent mortem in olla, **versalzen Muß.** 4. Mandatum Cæsareum Interim. Maiori primum Antagonistam sese obtulit publico scripto edito Amsdorffius, primus ille & ultimus à Luthero creatus Episcopus, tunc Magdeburgi exulans, depulsus per Cæsarē Naumburgensi Episcopatu. secūdi adversarij Flacciani cū A. 1551.

a *In cap. 3. ad Coloss. Matt. 1. lib. de corp. Christi loc. citat. Bulling. de tract. manss. patr.* b *Vlenberg. prolixe in vita Maioris, Philippi, Lutheri.* c *Serm. de convers. Pauli & lib. contra Amsdorff.* c *Item Anatomia Eccl. Cathol. Vlenb. in vita Maioris c. 1. n. 3 ex Actis synodi & Schlusselburg. de Maioristis pag. 28.* d *Illyr. cont. Maior f. 336. in lib de err. Maior. Item Genealogia Lutheri. & Anatomia Eccl. Catholica.* f *Æsopus in Fabulis.* f *Vlenberg. Vita Maioris cap. 1. num. 3.*

Comitatus Mansfeldici Superintendens constitueretur Maior, hi enim ægrè ferentes contrariæ sectæ hominem sibi proponi, protestati sunt, & cum ad purgandum sese contra Amsdorfij librum compulerunt ille eam purgationem adhibuit ut iniuriam factã ostenderet ab Amsdorfio sibi, quippe docenti, id quod Lutherus de bonis operibus docuisset. Amsdorffius econtra cum Flaccianis contra Maiorẽ responsum edidit tale: *Dico ego Nic. Amsdorffius: Quisquis docet quod bona opera sint necessaria ad salutem is Pelagianus est, & apostata & abnegator Christi &c. Itaque Compater meus Doctor Georg. Maier, Spiritum habet papisticum, sensum & animum &c.* (a) Nihilominus Maior imperterritus Bonorum operum necessitatem porrexit urgere, & irritatus adversarios bonorum operum in Concionibus appellavit *Indoctos, imperitos, indignos ministerio ecclesiastico* dignos vero agazonum officio *& qui tabulis asinorum mulorumque Romani Pontificis expurgandis desti narentur.* Monitus hanc ob bilem mansuete respondit se revocaturum, sed ab Illustribus personis confirmatus in proposito, nihil præstitit, quin librum de Conversione Pauli scribens in eum omnia præsidia sui dogmatis congesserit, qui mox Lipsiæ excusus est invitissimis Flaccianis Anno 1552. exeunte, & sequente ineunte, quo cum Albertus Mansfeldensis exul restitueretur, is Maiorem in exilium factione Flaccianorum ejecit, qui VVittebergam confugit, & Erasmus Sarcerius ei in officio Islebij successit, sub quo An. 1554. Synodus coacta, in quo Maioristæ oppressi sunt, inter quos Stephanus Agricola vir eruditus cum esset, videns iniquitatem Lutherici spiritus, caput turbatum in Ecclesiæ Catholicæ sinum humillime factus reclinavit, opera Michaelis Sidonij & Julij Pflugij Episcopi Naumburgensis. At inter Apostaticos viros bellum magis magisque incruduit famosis scriptis adversum se confligentibus, donec Maior An. 1558. aliquantum cedens importunitati verbalem palinodiam conscripsit, qua animum de bonorum operum necessitate & iustificatione Catholicis fere parem retinuit. Verum ille Adiaphoristis & Melanchthonicis mollibusque Lutheranis satisfecit quidem illa sua palinodia, Flaccianis vero qui eum hypocriseos crimine suspectum habebant, non satisfecit quod cum Maior adverteret rel quum bilis contentæ hactenus in eos effudit, tanta vehementia, ut Mancelius, eum instar rabidi canis irruere & mordere dicat. Sane Flaccium vocat *Maior Facem, tubam, Ducem capitis & horribilis distractionis inter Lutheranos, Sinonẽ Græcarum fraudum artificem, hominem sceleratum, ambitiosum &c. Similes vero ei esse, qui eum sequantur* Hoc vẽto perflati Flaccianis in bellum iterum consurrexerunt An. 1566. quod neque cum morte Maioris extingui potuit. Maioris causam tuebantur VVittebergenses, & Lipsienses, & Augusti Ducis subditi prædicantes; Flaccianos vero Saxonis Vinariensis subditi & Civitates multæ per Germaniam; qui omnes lanceis & telis, è scriptura & Lutheri scriptis, assumptis confligebant, & se configebant, & stercoribus se impetebant ex fimeto Lutheri copiose arrepto. Demum etiam Ducum Saxoniæ Consilio ad Colloquium aliquod publicum, lis relata fuit. Jd Altenburgum Misniæ Urbem indictũ est. Jstic Juris Consulti ex utraque parte tres, & sex utrimque Theologi evocati adfuerũt, qui præsidente instar Pontificis Joanne Guilielmo Duce Saxoniæ 21. Octobris Colloquium id orsi sunt, & per menses aliquot in seq. annum 1569. protraxerunt, eo successu, quo solent hæreticorum acephalæ Synodi devenire, nempe ut pro futura peior fieret scissura. Itaque Maior senio laboribus, & calũnijs fatiscens An. 1570 titulo Testamenti librum emittens, suam de Justificatione sententiam expressit & non multo post Anno 1574 VVittebergæ decessit vivus mortuusq; a Flaccianis vexatus. (a)

VI. Andreas Osiander Lutheri itidem discipulus, Guntzenhusij non procul Norimberga patre fabro ferrario natus An. 1496 (b) novam & ipse sectam è Lutherana, suam sub incudem revocatam procudit, quæ ab eo *Osiandriana* appellata fuit. Hic alter Enoch videri ac haberi voluit, ut Lindanus scribit; & in suggestu ense lateri accincto Thrasonicè se ostentabat. Tribus A A A. pro symbolo fere utebatur, quibus ille triplicium hæreticorum, Lutheranorum, Zuinglianorum & Anabaptistarũ oppugnationem designabat. Primum A. Deum designabat, qui Germanica lingua Allmächtiger dicitur. Secundum, famosum illum Ducem Albertum, de quo sequenti libro. Tertium, Carnificem eius Adamum nomine. Nonnulli, teste Schlusserburgio, (c) Judæum fuisse dicunt. Homo fuit vultu distorto & truculento ingenio tamen valido, Latinè Græcè & Hebraicè doctus, ad famam aliquã. Corruptus est Lutheri hæresibus VVittebergæ inter primos Norimbergæ An. 1522 mense Febr. ad D. Laurentij eloquentiam Lutheranam iussus profiteri

a *Vlenberg in Vita Maioris &c.* b *Vlenberg. in Vita Osiandri.* c *Lib. de hæres.*

teri concionibus Dominica Sexagesimæ zizania prima 23. Februarij cæpit seminare pro tritico quo & seq. Anno ibidem Albertum Brandeburgicum Ordinis Teutonici per Borussiam Magistrum, ob comitia præsentem Noribergæ corrupit. denique & Anno 1524. Urbem ad mutandam religionem veterem impulit. (a) In eo exquirendo omnes ingenij nervos intendit, *utrum Corpus Christi, quod in communione accipitur, ut corruptibile sumatur. Aiebat enim victimam ibi esse sacrificio oblatam. Necesse ergo esse ut patiatur, & corpus illud quod passurum erat manducetur.* Sed, quum mors Christi corpus non amplius attingat, quid, quæso, attinet disputare utrum sit corruptibile? Cui quum in Cruce nullum os fractum aut comminutum sit, ut Mosaico illi simile esset Paschali agno; quanto magis in sacrificio altaris idem manebit integrum, quippe quod Eucharistia est seu gratiarum actio, in memoriam mortis eius, sub speciebus non cruentis. Corpus Christi in Eucharistia tale omnino est quale extra eam, excepto loco eiusque circumstantijs. Quod ut ante passionem fuit impassibile, ita quoque in Eucharistia tunc fuit impassibile &c. Si tribus illis diebus quibus anima Christi ad inferum descendit, sacerdos aliquis consecrasset, corpus examine sub speciebus panis fuisse repertum ita uti erat a Judæis male habitum & laceratum, atque etiam ex sangue. suppositorio quod eo sepultum corpus denudatum fuit: & eadem stante suppositione, sub vini speciebus solus fuisset sanguis, sine ulla corporis concomitantia. At post gloriosam corporis resurrectionem, tale idem corpus est in sacra Eucharistia, plenum suo sanguine, ab anima vivificatum, & divinitate sustentatum: quemadmodum etiam sanguis in calice talis est, preciosus scilicet, corpore & sanguine consociatis, impassibilis, incorruptibilis: immortalis, nec in hoc sacrificio victima illa quidquam patitur, ut impius ille homo delirat. Cum igitur eatenus esset & ille Sacramentarius novus, merito An. 1529. ad Colloquium Marpurgense à Landgravio Philippo fuit evocatus (b) & seq. Anno Comitijs Augustanis adfuit, uti & Anno Smalcaldiæ Lutheranorum Synodo, tum Colloquijs Hagenoæ Anno 1539. & seq. Anno Vormatiæ, ac 1541. Ratisbonæ celebratis, in quibus omnibus aliud est professus in hominum gratiam, quam mens & conscientia ei dictabat in articulo de Justificatione nec tamen ita se palliare valuit, quin sensa proderet, quæ ipse Lutherus Marpurgi ex fastu eius notavit. (c) Itaque (d) præcipua ei de hominis Justificatione fuit controversia, qua vix ulla inter omnes maioris est ponderis, quam ille à Luthero discussam, ab Augustana tamen Confessione non satis clare explicatam aiebat, quindecim diversas opiniones sibi invicem repugnantes, a Lutheri tamen ac Melanchthonis discipulis defensas adducens; quas si explicare omnes velim, rem plenam fastidij sim aggressurus, ac vix disputationi exitum reperturus. Verbo Lutheri scripta velut Pandoræ fuerunt pyxis, è quatot tamque diversæ & contrariæ inter se sententiæ evolarunt. Ex ijsdē Joachimus VVestphalus & Joannes VVigandus inter alios hunc errorem suxerunt, *Non posse nos iustificari sanguine Christi qui in Cruce effusus & in terra corruptus fuit.* In quo illi quum stoliditatem tum impietatem suam produnt, ac verissime à sapiente dictū ostendunt, *Spiritum ignorantem se ipsum decipere, & in cogitationibus suis perire.* Neque enim illud considerant, precium redemptionis esse preciosum sanguinem Filij Dei, qui certe alius esse non potest quā is quem in passione ex omnibus membris sui corporis pro nobis effudit ipso Domino attestante in cœna; *Calix sanguinis mei qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* (e). Sed ô te impium, qui dicis, pretiosum illum sanguinem in cruce effusum, in terra computruisse! An ignoras, sanguinem hunc cum Verbo hypostaticè fuisse unitum, & omnis utpote *sanctum* per excellentiam (f) *corruptionis expertem? Unio enim ista*, ut S. Cyrillus dicit, *nihil aliud est quam quod Filius Dei nobiscum communicavit in carne & sanguine; & quia sanguis ille divinitati hypostaticè fuit unitus, Christus una cum corpore & sanguine resuscitatus fuit, nec ullam sensit corruptionem* (g). Hinc sanguis ille in S. Scriptura passim vocatur *Sanguis Filij Dei, caro Dei*, &c. quæ integra unà cum suis ossibus, nervis & sanguine, est resuscitata. At si sanguis in terra computruit, sequitur profecto carnem ipsius non fuisse integram & perfectam resuscitatam. Et hoc illud est quod S. Athanasius dicit, (h) *Iesum Christum in suo proprio sanguine, quem pro nobis in cruce effudit, in cœlos portatum fuisse.* Idem dicunt S. Hieronymus (h), & Angelicus Catholicæ Ecclesiæ Doctor, (i) S. Thomas

a *Vlenberg. in Vit. Osiandri cap.* 1. b *Vlenberg. ibid.* c *Vlenberg. in Vit Osiandri cap.* 1. *num.* 1. *Schlusselburg. de Hæres. Osiand pag.* 243. d *Vid. lib. de Inducto Osiandrismo, an.* 1586 *Et Func. de reb. Osiand.* e *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22 *Ioan.* 6. *Cor.* 11. *Act.* 20. 28. f *Act.* 2. *v.* 11. *& psal.* 15. 10. g *S Thom.* 5. *q.* 2. *art.* 5. *In cap.* 9 *ad Hebr.* h *Ad Pammach.* i *Tho. in* 3. *part. Sum. q.* 54. *art.* 2. *Innoc. & b.* 4 *demyst. Miss cap.* 20.

Aquinas. Contra irrationalem ergo & tetertimam hanc hæresin, (cuius tamen defensionem vnus ex primarijs huius vrbis Caluinistis suscipere voluit) sic docet Catholica Ecclesia: *Christum D. N. & Saluatorem in resurrectione rursus assumpsisse omnem illum sanguinem, quem pro nobis à primo agone quo in horto sanguinem sudauit, vsque ad vltimum ictum quo latus eius in cruce perforatum fuit, effuderat: quo quidem sanguine Iesus Christus verus Deus & homo, nos redemit, lauit, iustificauit & saluauit.*

Docebat Osiander, *hominem iustificari non sola fide*, vt Lutherus vult, *multo minus per fidem cum bonis operibus coniunctam*, vt ex Catholicis furatus Maior; *sed per iustitiam essentialem Iesu Christi, in nobis habitantis*, (a) quam ille doctrinam, Sleidano teste, à Luthero habere se dicebat. Et à quibusdam sic exponitur, nempe: *Deum ipsum vel Christum, iuxta diuinam naturam essentialiter in nobis habitantem & impellentem ad bene operandum, esse iustitiam nostram. Et, errare eos, qui tantum in Christo quærunt Iustitiam, cū ea nihil aliud sit quam vnius æterniq; Dei, Patris & Filij & Spiritus S. essentia, habitantis quidem in nobis & ad bonum impellentis, verum ita tamē vt essentialis Dei Iustitia nobis propter Christum imputetur, doneturq; quasi nostra ipsorum esset, & ex nobis orta.* (b) Itaque Christum incarnatum, obedientem & passum facit meritoriam imputationis istius à se confictæ causam, quâ Iustitia Dei æternà nos iusti esse cēsemur, perinde ac si ipse Deus essemus. Hanc summam Iustitiæ Osiandrianæ putant esse, qui Osiandri mentem conati sunt penetrare. Mihi verò dogma hoc, Callimachi somnio videtur esse obscurius. Quid enim quæso hæreticus hic intelligit per essentialē Christi iustitiam in nobis habitantis? Sed profecto facile credo, ipsum ne seipsum quidem intelligere. Quomodo enim essentialis Iesu Christi iustitia in nobis habitare potest, nisi illa vel à Iesu Christo separata sit & in nos transmigrauerit, aut nisi ipse Iesus Christus in habitum quendam quo animus noster informetur, sit commutatus? quo utroque nihil est absurdius. Proprium est illud hæreticorum, vt suis se ipsi induant laqueis. At Catholici, Spiritus Sancti, qui Ecclesiam suam numquam deserit, adiuti gratia, illud firmiter tenent, *Iustificari nos non per stultas eiusmodi imaginationes, sed per gratiam inhærentem, quæ abundanter nobis infusa à Deo, cooperatione nostra secundum eiusdem voluntatem interueniente, sola nos Deo gratos facere potest.*

Idem hic nouus Enoch, si dijs placet, Lutherum & Melanchthonem accusabat quod ipsi Mundanæ cuiusdam seu Aristotelicæ doctrinæ essent auctores, carnem & non spiritum sapientis quem in finem, ille quædam, quasi secreta cunctisque abscondita, sensa proferebat, inter quæ etiam illud fuit; *Verbum Dei esse duplex. Externum seu prædicatum & hoc in scriptura contineri, aliud Internum, nempe ipsum Dei Filium, & hoc in mentibus nostris seminari*, nempe vt supra dictum est, esse nostram Veritatem iustitiam & cætera, quæ in nobis apparent bona. *Externum verò verbum Dei, paruiesse momenti, & simile, vetustis calceis in angulum proiectis*, (c) *Homines cæteros præter Christum existentes esse imagines vel similitudines Christi Dei & Hominis, Christum autem solum esse imaginem Dei sine quo nemo potuisset esse vel fieri imago Dei: homines quosdam esse conditos ad imaginem Christi, qui nempe ipsius iustitia essentiali informantur, alios ad similitudinem eiusdem, qui nempe eius essentiali iustitia carent, sed ad laruam seu meram Christi figuram quæ ante incarnationem Dominicam Patriarchis apparuit, effigiati sunt.* Hæc sua secreta dogmata eruebat ille ex Hebræo textu, *Zelem*, imago, & *Demuth* similitudo. Et hanc doctrinam a tempore Apostolorum asserebat rectè à nemine esse explicatam, Lutherum vidisse quidem aliquid, sed animum non intendisse seriò, aliaque huiusmodi fanda atque infanda spiritu arrogantiæ congesta, in quibus potissimum nouam inauditamque iustificationem effinxit. Ob quæ Lutheranis & Augustanæ Confessionis professoribus factus est inimicissimus, & ipse vicissim eos exagitauit. *Augustanam Confessionem vocando carnalem, phantasticam philosophicam, idololatricam, quæ Christum pictum & fictum doceat in regno diaboli &c.* (d) Ita Osiander lutum Lutheri quod in Catholicos sæpe proiecerat, vicissim in ora Lutheri sectatorum, Dei iusto iudicio, regessit. Fecit tamen mutuus metus Osiandri ac Lutheri, vt viuo Luthero & Osiander se ab illo, & hic ab Osiandro publice carpendo abstineret, etsi causas sibi graues dedissent. Mortuo vero Luthero, prædicantes cæteros vti vulpes & lepores Osiander contempsit, & suum virus pervicaciter effudit, qua propter cum is Anno 1548 *Interim Cæsarium*

a *Vid. Gasp. Vlenberg. caus. 9. & Vita Osiandri cap. 1. num. 3.* b *Ita exponit Vlenberg loc. cit.* c *Vid. Staph fol 364.* d *Schlusselburg in hæresi Osiander. pfal. 46. Vlenberg. Vita Osiandri cap. 1. n. 4.* e *Schlusselburg. pag. 94. l cit. Kemnitius pag. 101. Vlenberg. eius Vita cap. 1. n. 4.*

Cæsarium in Comitijs Augustanis approbatum aspernaretur Norimberga fugatus in Borussiam ad Ducem Albertum, cui iamante virus Luthericum Norimbergæ afflarat, confugit, & Regiomonte Professor Theologiæ ac pastor constitutus est, vbi inter alios Ioannem Funcium Chronologum eruditum & alios in suas partes, demum per hos & principem traduxit; ac Fridericum Staphylum tunc Lutheranum & principis Consiliarium, aduersarium nactus, ei occasionem dedit ad Catholicæ Ecclesiæ sinum reuertendi. Hic enim se Osiandro cum alijs aliquot Viris opposuit. (a) Atque hunc in modum infelix Noui huius Prophetæ doctrinam Albertus Prussiæ Dux approbauit, adeoque omnes qui ei contradicerent, finibus eiecit. Initio quidem concordia tentata fuit, sed frustra, quod priuatam quisque sententiam afferret, nec in iustitiæ diffinitione conuenirent Melanchthonem & cæt. VViteebergenses cum Osiandro in arenam quidem traxit Staphylus, sed Melanchthon languide & veluti declinans congressus est, Osiander ferociter. Vnde Zelotis Lutheranis non parum displicuitis, & quidam etiam ad Osiandrum defecerunt. Nam Brentius &c. Sententiam eius de iustificatione quodam modo probare videbatur, (b) dicens, *non sine caussa ab Osiandro statui, essentialem iustitiam Dei habitantis in nobis, & nos ad bonum excitantis, nostram esse iustificationem.* Nec ab hac sententia Schmidelinus abhorrere visus est, quamuis VViteebergenses Theologi pronunciassent: *Nihil in S. scriptura à se reperiri quod cum Osiandri doctrina conueniat.* Magnas sane turbas in Lutherana Ecclesia excitauit Osiander; quem etiam nonnulli ferunt sermonis cum diabolo habuisse commercium, adeo vero ab initio propalatæ hæresis suæ timidus euasit, aut ferocire visus est, vt nunquam in publicum prodiret, quin sub veste armatus gestaret, tam in Scholæ quam Ecclesiæ Cathedra. Cæterum in medio cursu, dum cum aduersarijs luctatur, & recens natam hæresin stabilit ac propagat Anno 1552. mense Octobri tactus apoplexia repente concidit, & post durum agonem 17. Octobris animam luctantem exhalauit, sine vllo pœnitentiæ signo natus annos 55. sepultus in alieno Sepulchro, ex quo tamen rursus extractus obscuro loco & qui ex memoria hominũ abijt, est defossus. (c) Palladius miserabiliter mortuum scribit, & à Deo loquendi facultate ante mortem priuatum. Sed reliquos nunc persequamur, breuiter tamen, ac leui, quod dicitur, brachio, nisi forte adeo insignis alicuius vel stultitia vel prauitas occurrat, vt longiorem aliquanto explicationem requirere videatur. Vt enim in virtute laudis & honoris; sic infamiæ in vitijs certi sunt gradus.

DE PLVRIBVS NEFANDIS HÆreticis, qui regiones Septemtrionales multiplici veneno infecerunt.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

I. *De Augustinianis Stancarianis, & Musculanis.*
II. *De Adamitis & Orebitis.*
III. *De Sabbatharijs & Clancularijs.*
IV. *De Dauidistis, seu Dauidis Georgij sectatoribus.*
V. *De Mennonistis, Deistis, & Antitrinitarijs.*
VI. *De Michaele Seruceto Hispano.*
VII. *Dictum Erasmi, & quid Trinitarij de ipso dicant.*
VIII. *Lutherani & Caluinista mutuo se accusant.*

I. INTEREA dum pleræque regiones Septemtrionibus obiectæ, religionum diuersitate fluctuant, & plerique noua audacia, quasi Ecclesia sub ferulam ad ipsos alphabetarios remissa, nouas interpretationes ac nouas doctrinæ formulas comminiscuntur, & non minus Prophetam, non minus Spiritus Sancti, quam Lutherum, Melanchthonem, &c. quisque participem, & ad Mundum noua Euangelij luce collustrandum missum se iactat; complures aliæ hæreses non minus nouæ, sed multo magis ineptæ ac ridiculæ passim emerserunt. Inter alias, *Augustinianorum secta* in Bohemia exorta, vel potius renouata fuit; quæ ab Augustino Boemo dicta, (d) præterquam quod cum veteribus Hussitis & recentibus Anabaptistis dogmata quædam communia habet, *asserit cœlum & infernum ad*

a *Act. 13.* b *Vid. Epist. Bren. anno 1591. VViteberga impressam. Smidel. in lib. cont. long. Catal. Vil. Hostum fol. 537. & Martin. Chemnitij iudicium de Osiandro.* c *Vlenberg in fine Vitæ eius.* d *Anatomia Eccl. Cathol. in Catal. Sectarum. Lindanus, Rescius.*

ad extremi vsque iudicij diem clausa esse: animas interea magnum illud iudicium exspectantes, omnis doloris expertes dormire: Christum quantum ad humanam naturam, nondum in cœlo esse. eoque frustra pro animabus in loco quietis existentibus, preces fundi. Ecce paucis verbis quatuor absurdos errores. Primus est, *cœlum & infernum clausa esse, ad extremum vsque iudicium*: quod S. scripturæ è diametro repugnat, Heb. 4. & multis locis inculcanti, (a) Deum post mortem vnicuique secundum opera sua redditurum; tum paradisum eis qui bene vixerint, à morte statim præparatam. Quid ergo Saluator bono latroni promisit, dicens, *Hodie mecum eris in Paradiso*, si ante extremum iudicium eò peruenire non possit? Quid in cœlum triumphator ascendens secum duxit, si non animas illas beatas? Non ita Gregorius Nyssenus loquitur, quum ait, (b) *Anima ipsius requiescit in cœlestibus tabernaculis, vbi sunt ordines Angelorum, vbi sunt populi Patriarcharum, vbi chori Prophetarum, vbi sedes Apostolorum, vbi gaudia Martyrum, vbi deliciæ sunt Bonorum, vbi splendor est Doctorum.* Secunda hæresis est, quod dicunt, Animas iudicium exspectantes dormire. Non fidem tantum, verum mentem quoque omnem isti amisisse videntur, dum ex animabus glires faciunt, qui tota dormiant hyeme. Quorum opinio si vera est, certe Sanctus Stephanus valde errauit, sub lapidum ictibus inuocans atque exclamans, *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* (c) Et Sanctus Ioannes delirauit, quando illos *albis stolis indutos Dei throno vidit adstantes.* (d) Et fabulæ sunt quæ *de Lazaro & diuite* epulone in Euangelio Saluator dixit. (e) *Beatam animam exclamat* Sanctus Augustinus (f) *quæ ex corpore hoc terrestri in cœlum euolat; quæ nec hostem timet, nec mortem, eo quod oculis suis eum videt cui ipsa seruiit, & quem amauit.* Tertia hæresis est, quod Christum aiunt, quantum ad humanam naturam, nondum etiam in cœlo esse. Quid vero contra Apostolicum symbolum, contraque omne id quod vel SS. Patres scriptum nobis reliquerũt, vel credidit hactenus antiquitas, magis hæreticum aut absurdum confingi possit? Quartam omitto, nimirum precationes defunctis nihil prodesse; de qua alibi disputamus. Atque hæc Hæresis etiam ex Lutheri sinu emanauit, vti patet ex 4. Tomo operum eius edit. Ienens. fol. 43. cuius etiam vltimis verbis obsignata sint, ex Enarratione super Genesin cap. 29. omnium eius operum postremo, quod Melanchthon *Cœnæam cantionem* appellat. Ibi enim inter alia docet, tam animas quam corpora in sepulcris quiescere & dormire vsque ad consummationem sæculi? *qua doctrina*, si Sleidano credimus, (g) *Lutherus Papisticum Purgatorium plane exstinxit*, è S. scriptura probans, animas vsque ad extremum iudicium in pace quiescere. Opinionem hanc scribit Polonus quidam Episcopus (h) se à magnate quodam audijsse, sic à Prædicante suo edocto, eo potissimum argumento, quod mors in Sacra scriptura *somnus* appelletur. Quin eundem Prædicantem iactasse hanc doctrinam diuinitus sibi reuelatam, vt homines eo terrore liberaret, quem Papistæ ipsis incutiunt, dum docent, animas resurrectionem exspectantes, pro delictorum grauitate puniri atque purgari. Exclames merito: O præclaros terroris domitores, imo Liberatores! qui furibus & latronibus audent mentiri, furcas & gladios esse abolitos. Vere vos estis de numero prophetarum, qui dicebant *pax* & non erat pax, consuentes pulvillos &c.

Porro inter Nouos Euangelicos numerandi quoque sunt Stancariani, (i) a Francisco Stancaro Mantuano sic dicti, qui relicta Italia, tamquam terra hæresibus ferendis minus idonea, in Germaniam venit, ibique doctrinam suam sparsit. Hic, vti Feuardentius scribit in Lib. 1. Irenæi, cap. 7. primum in Germania mox Polonia, æque ac Seruetus Geneuæ & Illyricus in Germania, Gnosticorum virus sparsit æternam Filij Dei personam obscurare aggressus dicens non esse patris personæ coæternam, & per metaphoram quandam dici Verbum Dei, quod tamen non subsistat, siue, vt Staphylus & Schlusselburgius scribunt, Nestorij errores renouauit. Si quidem duas Christum sustinere personas docebat, vnam Mediatoris, & aliam collargitoris; vnum à Trinitate hominem missum, alterum mittentem &c aduersus Paulum Clamantem 1. Tim. 2. *Vnus est hominum mediator Dei & Hominum homo, Christus Iesus.* Et Conc. Ephesinum ac Constantinopolit. Idem contra Osiandrum

a 2. Cor. 5. Luc. 23. Eph. 4. b *Orat in s. Ephes.* c *Act.* 7. d *Apoc.* 7. & 14. e *Luc.* 16 f *Lib. Medit. cap.* 22. *Gregorius, & alij PP. quos refert Ioannes de Neapoli quæst. disput.* 41. *de Visione beata animarum, Benedictus XII. & Concil. Florentinum.* g *Lib.* 9. h *Martin. Bialobrzescius Episcopus Camenecien-sis.* i *Vide Oricouium Roxolan. in Chimæra: & Collati n. Nestorij cum Stancaro. & Anatomiam. Eccles. Cathol. parte 1.*

drum docuit, Christum secundum humanam naturam tantum, nostrum esse Iustificatorem seu Mediatorem, non minus, quam ille, pernicioso & manifesto errore, docuerat eum esse Iustitiam nostram secundum naturam solum Diuinam, uti cap. præcedente ostensum. Nostri enim redemptio opus est Iesu Christi, tamquam vnius Personæ, non vnius Naturæ Et insania est, dicere vel existimare, Iesum Christum esse solum personam diuinam, aut solum humanam naturam: quum vna sit persona ex diuina & humana natura. Idem porro Stancarus in Cœna non Corpus Christi, cum panis substantia, vt Lutherus, nec sine Corpore Christi signa eius percipi cum Zvvinglianis voluit, sed memoriam quandam Christi solum in sumendis pane & vino debere fieri, & id esse cænam Christi genuinam & eius sensum Porro Stancarus, cum infamaretur, quod obedientiam Regibus derogaret, nisi ad libitum plebis imperaret, aduersus S. Petri & Pauli effata (a) nuper è Germania in Poloniam progressus inde in Russiam perueniens contra Lutheranos acerbe scripsit, (b) *indoctos eos appellans, vt qui præter Theologiam VVitebergensem nihil didicerint: suamque opinionem tam contra Saxones quam Tigurinos multis S. scripturæ testimonijs confirmans. Melanchthonem Antichristum nominat, ac dicit, vnum de sua schola Doctorem pluris esse quam centum Lutheros, ducentos Melanchthonas, trecentos Bullingeros, & quadringentos Martyres: quos omnes si quis in mortario contuderit, vix vnam veræ Theologiæ vnciam sit expressurus. Lutheranorum Christum impanatum monstrum vocat; Transubstantiationem Papisticam, meram ait esse stultitiam; figuram Zuinglij, somnium; suam vero Cœnam, qua memoria sit mortis Iesu Christi, veram esse cœnam: vsus ad hoc nescio quibus Grammaticationibus. Cœna Papistica mala; Lutherana multo peior: Caluini omnium pessima. Cœna Stancari diuina.*

Tam huic, quam Osiandro, quod ad doctrinam de Iustificatione attinet, opposuit se Andreas Musculus, à quo Musculani denominati sunt. *Hi docent, humanam & diuinam naturam in Christo simul opus redemptionis nostræ peregisse, & eo quidem modo, vt ipsa diuina natura in cruce passa sit: quum sola humana natura opus redemtionis nostræ peragere non potuerit.* Sed ô crassam ignorantiam! quæ persuadere nobis conatur Deum ex carne esse, qui pati possit; quasi diuina essentia non ipsa sit essentialiter diuina impassibilitas, aut Deus patiens à sua essentia separari possit. Rectè Athanasius aduersus hos Theopaschitas, ne diutius lectorem morer, *rem*, ait, *esse mirabilem, quod idem fuerit patiens & non patiens; patiens corpore, in quantum homo; non patiens, inquantum Deus, naturâ impassibilis.*

II. Sed aliam vide diaboli astutiam. Dum passim, in Germania præsertim ac Bohemia (de qua libro sequenti) maleferiati homines diuersas hæreses commiscuntur; rudis quidam homo Adamus nomine, cognomento Pastor, circa Annum 1535. Adamitarum sectam instituit, hominum, vt ipse dicebat, sanctificatorum, sed reuera non pudore tantum, verum etiam omni mente ac ratione destitutorum. *Hi ad primorum parentum imitationem, in synagogis suis plane nudi conueniunt, & hyeme quidem in hypocaustis calefactis.* Sed quid quæso, alio calore ad libidinem accendendam opus, quam nudorum illo corporum adspectu? O peruersos homines! Demophontis illius Alexandrini similes, qui sub vmbra calebat, & ad solem frigebat. (d) Turpem horum nuditatem illi imitari videntur, qui Christianam religionem omnibus ceremonijs, spoliarunt. Neque enim minus deformis mihi videtur religio sine ceremonijs, quam corpus sine veste. Et ista quidem hæresis etiam S. Athanasij tempore gliscere cœpit; sed plurimis sæculis sepulta, tandem primo sub Zisca, deinde Anno M D XXXV. in Hollandia, Amsterodami præcipue, Vltraiecti & Emdæ, rursus emersit. Chemnitius ait conuenticula eorum se vidisse Antuerpiæ Anno M D LXXXI. quo tempore regiones illæ Catholico regi rebellabant. Neminem vero admittunt, nisi nudum, (quis credere possit, tantam diabolum in eos, qui Christiani esse volunt, habere potestatem) quique integram horam tam viris quam feminis sic spectandum se præbere possit. Is si digrediens affirmet nullam carnalis concupiscentiæ titillationem se sensisse, pro fratre recipitur, vt qui donum perfectionis iam habeat; si vero pruritum libidinis & motum aliquem spiritui repugnantem sensisse se dicat, reijcitur, donec omni pudore cum vestibus ex to, aspectum illum ferre discat. Alanus dialogo VI. scribit Amsterodami pulcram admodum iuuenculam, ministerij officio in eorum synagoga fungentem, sic nudam in publicum prodijsse: quumque pallium ei aliquis

a *In Apolog. cont. VVitebergenses, & Tigurin.* b 1. *Pet* 3. *Rom.* 13. c *Epist. ad Epictet* d *Vid. Theo. Fab. lib.* 1. *Epiph. lib* 2. *Hæres.* 52. *Anatomia Eccles. Cathol. part.* 1. *Catal. Sectarum.*

quis inijcere vellet, eo reiecto, dixisse, *Nulla se alia veste opus habere quam ea quæ à Christo sponso suo sibi data sit.* Refcius nuptias celebratas refert in quibus sponsus & sponsa nullo alio vestitu vsi sint quam arborum folijs, ipsos vero ne ad veram Paradisi effigiem nihil, scilicet, deesset, ita nudos ad arborem quæ in medio erat synagogæ, serpente circumdata, astitisse Cassander in Commentarijs suis de duabus naturis in Christo, testatur, *Adamitas præter alios errores, docuisse, in Christo vnam tantum fuisse naturam, vt personam.* O stolidos homines, qui in tanta rerum omnium ignorantia, tam profunda religionis mysteria perscrutari, & cæci de coloribus iudicare audent!

Gemini fere his sunt *Orebitæ*, qui videntur esse montanorum & pastoritiam hominum genus, indoctum & rerum humanarum inexpertum, *hi æternam Iesu Christi Filiationem negant, ac Scripturam vniuersam reijciunt*, vniuersum legis suæ thesaurum libello quodam incluſum ostentantes, cui titulus est, Die Hütte Mosis, quo tamen nihil nisi ænigmata quædam Sibyllæ foliis obscuriora continentur: quæ vt ipsi non intelligunt, ita interpretari quoque eas nefas esse dicunt, vt quæ ipsa Cœli sint secreta. *Idem Mosis reditum exspectant, quem aiunt cœlestem illud Manna denuo apportarum; quod illi Thesaurum Patris per manum Angeli sui distributum appellant. Ab omnibus etiam cæremonijs, ac potissimum sacrarum imaginum vsu adhorrent, & precantes nulla verba fundunt, sed oculis tantum eleuatis cœlum obstiti intuentur, atque vbi aliquamdiu in isto obtutu defixi hæserint, terram osculantur, sacris suis hoc modo rite operati.*

III. His *Sabbatharios* subiungemus (*a*) quorum secta Anno M D XXXIX nata est, inde dicti, quod *spreto die Dominico quo Christus resurrexit Sabbathum obseruant. Idem Deum Patrem solum inuocant*, vt legitur in libello Lutheri contra eos scripto. Sed quid? An tu sine caussa & ratione insanire hos putas Luthere? Quod si omnes leges, regulæ & decreta nostræ religionis è sola S. Scriptura seu scripto Dei verbo petenda sunt vt tu vis, nec quidquam credendum aut amplectendum sit, quod eo non contineatur, cur, quæso, diem Dominicum potius quam Sabbathum obseruemus, quum non illum, sed hunc sanctificare nos Deus iusserit? Hûc Christus ipse obseruauit; hunc Dei populus tam sacrum habuit, vt eo ne vitæ quidem necessaria procurare fas fuerit. An ergo dies hic ab ipso Deo quietis destinatus, ab hominibus mutari potuit, sine expresso Dei verbo? Recte ergo Carolstadius contra te discipulis suis & auditoribus consuluit, vt Sabbathum potius quam diem Dominicum obseruarent, quod ille a Deo, hic ab hominibus sit institutus. Quid vos, noui Euangelici, Sabbatharijs his respondebitis, nisi a Scriptura ad Traditiones velitis nobiscum confugere? Quis vos docebit, Ecclesiam in honorem Resurrectionis Saluatoris nostri pro sabbatho diem Dominicum feriandum ac sanctificandum instituisse? Quid ergo mirum, sectam quamuis absurdam, complures tamen sectatores inuenisse; inter quos, vt Refcius testatur, femina quoque fuit inter Polonos primaria, quæ deserta prioris a religione, Sabbathariorum opinioni accessit.

Eodem fere tempore *Clancularij* exstiterunt, quorum Staphylus facit mentionem. *Hi religionem suam ore non profitentur, sed satis esse putant, si eam in corde habeant.* similes aliqua ex parte ijs qui in Frãcia Anno M D XLV. fuerunt à Caluinistica historia *Nicodemitæ* appellati, (*b*) *ex stimantes posse aliquem illæsa conscientia Missam audire, dummodo cor non consentiat*: quamadmodum etiam multos videmus Catholicos persuasum habere, non esse peccatum hæreticorum sermonibus & precibus interesse, dummodo animus longe absit: parum memores, neminem duobus seruire posse dominis. *Idem Clancularij lucem & templa fugientes, domi tantum orant, ac sacra sua peragunt.* Cubiculum illis pro templo, mensa pro altari est: Ecclesiam insuarum ædium vmbra quærentibus. Ah misera Francia! quam multos tu hodieque alis & educas, qui sine Missa, sine Concione, sine sacris vitam transigunt, ad focum Deo sacrificantes, non aliter ac si via ad cœlum per camini pateret fauces. Eadem viuendi ratione veteres illi hæretici vtebantur, de quibus Basilius loquitur, (*c*) conquerens templa & altaria cultu diuino esse vacua, quod Clancularij illi, quorum dux erat Eustachius, domi priuatim communicarent. Surdas vero has & clancularias preces etiam Persius Satyricus irridet: ac publice potius omnibus audientibus faciendas esse censet. S. Chrysostomus ait, (*d*) *quamuis domi orare permissum sit, impossibile tamen esse, vt quis eo ardore ac deuotione id faciat qua in Ecclesia, vbi voces nostræ & gemitus*

a *Lindanus Dial. cap 9 Anatomia Eccl. Cathol. parte.1.* b *Tom 1. hist. Eccles. Geneu.* c *Epist.73.* d *Tomo 3. Edit. Paris. p. 123. A. B.*

mittus cum alijs consociati. ad Dei thronum tanto citius atque efficacius perferuntur. Et Tertullianus(a) *eum in finem publicos illos cœtus fieri scribit, vt velut coniunctis armis & viribus precum nostrarum exauditionem Deo extorqueamus: qua vis Deo est gratissima.* Videntur horum Clanculariorum & Manifestariorum Anabaptistarum medij esse HORTENSES qui in hortis conuenire soliti fuerunt (b)

IV. Ad *Dauidistas*, siue & Dauid Georgianos iam transeo, quorum secta Anno M D XLIV. in Frisia cœpit, auctore Dauide Georgio, Fabro Vitriario Gandauensi, dicto alias Ioes Brück (c) is siue origine siue incolatu Hollandus, fuit homo plus quam furiosus, filius histrionis cuiusdam, Georgij ab Amersfort nomine, & Gandaui artem vitra pingendi aliquamdiu factitauit; vultu admodum rubicundo, è frequenti, credo, carbonum sufflatione. Eo insaniæ putidissimus hic Propheta progressus fuit, *vt Messiam se diceret, à S. Spiritu productum ac missum ad restaurationem domus Israel non per mortem, sed per gratiam Mosis, Prophetarum adeoque Iesu Christi & Apostolorum doctrinam imperfectam esse aiebat*, hoc argumento. Si inquit, *Apostolorum doctrina fuisset perfecta, Ecclesia nunquam perijsset, vt de qua dictum est, quod portæ inferi aduersus eam non præualebunt. At sub Antichristo Romano Ecclesia periit. Ergo Apostolorum doctrina non fuit perfecta.* Hæc aliaque non minus absurda leguntur in eius historia, Antuerpiæ Anno M D LX. impressa: vbi inter alia iactat, *S. Spiritum super se effusum, vt veram Mundo legem & doctrinam adferret: se charum esse Dei filium, quem ille resuscitaturus sit ad iudicandam vniuersam Adami posteritatem. 2. Matrimonium damnauit, & mulieres voluit esse communes* aduersus Veteris & Noui Test. doctrinam (d). Lindanus Ruræmundensis Episcopus testatur, Delphis Hollandiæ oppido sibi oblata quædam ipsius manuscripta, quibus oracula cœlitus ipsi reuelata, vti iactabat, consignata fuerint. Inter dogmata eius hoc fuit. 3. *Animam omnis peccati esse expertem, solam vero carnem in vitio esse & culpa; eoque omnia corpora damnatum, animas verò saluatum iri.* An vero, miser, nesciebas tibi Ezechielem 18. cap. & sap. 16. aduersari? Nesciebas ex naturæ lumine animam cum corpore à Deo tam arcte esse colligatam, vt difficile iudicatu sit, vtrum anima corpori, an corpus animæ obediat? quamuis magis verisimile est, penes animam imperium esse, vt quæ diuinæ naturæ sit propior; ita tamen vt anima pulcritudinem & perfectionem aliquam accipiat à communione quam habet cum carne. *Caro lauatur, vt anima emaculetur, Caro vngitur, vt anima sanctificetur. Caro cruce signatur, vt anima muniatur. Caro per manus impositionem obumbratur, vt anima per Spir. S. illuminetur. Caro corpore & sanguine Iesu Christi pascitur, vt anima in Deo saginetur.* Quomodo ergo in remuneratione separabuntur quæ in operatione tam sunt coniuncta? Fieri certe hoc nullo modo potest, nisi Deum iniustum facere velimus. Anima est quæ incitat, mouet & impellit corpus, vt corpori nihil nisi obedientia relictum esse videatur. Et quemadmodum Deus iniustus foret, si corpus animæ, in faciendis bonis operibus socium, eorum meritis ac mercede priuaret: sic quoque non minus futurus esset iniustus, si animam quæ corpori in peccatis & malis operibus fuit socia, à pœna vellet eximere. Sed ad refellendam hominis huius vel monstri potius, non stultitiam sed insaniam Tertulliani mihi Philosophia & doctrina opus esset. Porro, vt Anabaptistæ mille potius mortes subeundas quam vel latum vnguem ab vllo religionis articulo discedendum esse docent, sic è contrario hic aduersum S. Pauli doctrinam (e) imo ipsius Christi Domini assertionem (f) aiebat. 4 *peccatum non esse, aliquando Christum coram hominibus negare, modo in corde quis eum coram Deo confiteatur. Immo Apostolos stultitiæ insimulat, quod eam ob caussam crucifigi se atque excarnificari passi sint. Præterea hominis libertate indignum esse dicit, vt vni soli femina sit alligatus; eoque plures feminas vni viro licere ducere, vt tam Mundus hic quam Paradisus repleatur.* Et sicut Lutherus libros quosdam Biblijs subtraxit; sic pari audacia Dauid omnes libros Mosis è S. Scriptura extermiandos censuit, quod forte apud Lutherum legisset. *si quis Christiano Mosen eiusque præcepta obiecerit, ei dicendum esse: Apage ad Iudæos cum tuo Mose, Ego Iudæus non sum: nec quidquam mihi rei est cum Mose.* Itaque Lutherus etiam huic dementi facem prætulisse dici potest

Metuens vero Dauid Georgius, ne in Imperio deprehensus, meritas lueret pœnas, cum familia sua & quibusdam discipulis Basileam commigrauit

a *In Apolo. ad Gentes.* b *Anatom. Eccl. Cathol. par* 1. c *Vid. Schlusselburg. lib.* 12. *& Rese. de Atheis. fol.* 16. *rati.* 8. *Anatomia Eccl. Catholica part.* 1. d *Gen.* 2. *Eph.* 5. e *Rom.* 10. f *Marc.* 8.

grauit, ibique sub nomine Ioannis à Bruel aliquãdiu latens An. 1556. moriturus prædixit, *se post triennium resurrecturum, suisque sectatoribus amplissima munera largiturum.* Quod dictum mirabile, non euenit quidem resurgendo; sed alio modo quàm ipse præsciuit. Siquidem post mortem eius agniti ossa sepulcro extracta, & à carnifice vna cum ipsius libris cremata sunt, & discipuli eius aliquot publice errorem abiurare sunt coacti. Nec tamen vnà cum ipso impia hæc hæresis fuit exstincta, quum etiamnum in Belgio & Trans-Isalania Dauidistæ reperiantur, tantæ cæcitatis, vt magistri sui aduentum etiamnum præstolentur. Vanus tam in vno quam in altero propheta nec resurrexit; nec suis mirabilia manifestauit. Apoplexia enim correptus, vsu linguæ amisso, obijt, ossibus & reliquijs, vti diximus, combustis.

V. Circa idem tempus nempe An. 1545. *Mennonistarum secta* prodijt, auctore quodam Mennone Simonis Frisio (a) qui Anabaptistarum deliria in methodum redegit. Hi (b) *negant Iesum Christum esse Dei Filium, è Maria Virginis substantia natum, sed dicunt eum substantiam suam è cœlo attulisse.* Hominem hunc notum sibi fuisse Lindanus scribit (c) qui per Frisiam, Hollandiam & Selandiam magnam animarum stragem dedit. Initio Lutherani Prædicantis officio in Dithmarsia fungebatur. A discipulis eius etiam armis res tentata fuit, direptis nonnullis oppidis, sed magna ex parte cæsi fuerunt; quamuis hodieque multi in Hollandia & vtraque Frisia reperiantur. Et sicut Lutherus seipsum Angelorum iudicem constituit, sic Menno & Angelorum & omnium terræ Principum iudicem se fore dicebat, vt Hosius scribit. Idem alio nomine *Maliapi*, & in Frisia *Tibba* à Tibba quodam Mennonis coniurato vocari consueuerunt.

Ex alia parte in Polonia circa An. 1564. *Deistæ alias Trinitarij & Tritheistæ dicti*, exorti sunt à Georgio Paulo Cracouiensi præd. cante Pauli Valentini Gentilis discipulo (d) qui & librum de controuersijs nostri temporis edidit & dicto anno Schema huiusmodi proposuit, quo se suamque hæresin luculenter depinxit. Templum repræsentabat, in cuius tecto Lutherus sedens tegulas deijciebat, Caluinus ad parietes collocatus eos concutiebat vi & machinis, ipse ad fundamenta consistens ea subuebat, dicens, *non omnia Luthero Deum dedisse, plura Caluino sibi vero & suis maiora esse reuelata*, illiquippe in Ecclesia & sacris eius conuellendis reformando occupati fuerunt, hic in fundamento ipso Deo reformando laborauit. Hic & sui sectatores *tres Deos diuersis gradibus statuunt: Deum Patrem verum Deum; Filium Dei, non vnicum, Patre minorem; Spiritum S. & ipsum Deum, sed Filio minorem.* Idem per summam contumeliam Symbolum S. Athanasij vocant *Symbolum Sathanasij.* Stanislaus Baro Polonus, & Matthias Staduitius scribunt, Deistas opinionem suam Caluini, Martyris, Musculi & Bullingeri auctoritate defendere. (e) Certe Testamenti Noui exstat liber Anno M D XXX VIII. Tiguri impressus, in quo pro verbis illis, *Et hi tres vnum sunt*, legitur, *Et hi tres seruiunt in vnum.* Quo loco etiam consimiles hæretici in Colloquio Franckenthalensi vsi sunt. Ex quo patet, quam de religione Christiana Lutherus bene sit meritus aperiendo puteum abyssi, & scriptis suis arma furiosis ac desperatis hominibus subministrando, de quibus illi omnia subuertant, & tandem ad omnium hæreseon culmen & fastigium, nempe ad Atheismum, & ipsi perueniant, & alios perducant. Inter hos quidam tanta fuerunt stultitia, vt Mundi tempora singulis Trinitatis personis attribuerint. *Deum Patrem aiebant Veteri præsedisse Testamento; sed postea sub Nouo omnem suam potestatem in Filij manus consignasse, qui legem suam siue Euangelium promulgârit, & Sacramenta instituerit; eaque ad tertium vsque Spiritus S. regnum duratura, in quo nullius quam tertiæ personæ futura sit notitia.* Habeo librum scriptum manu Ioannis Brocardi, celebris illius è Geneuensi schola progressi nugatoris, & Angliæ Reginæ dedicatum, hoc titulo, *De Secundo Iesu Christi Aduentu*, in quo pleraque similem fatuitatem vel insaniam potius redolent. Et tamen hominem hunc quem nos vidimus, & de quo etiam aliquid in libris nostris De Antichristo diximus, multi tamquam eximium Prophetam, sunt venerati. Historia nouæ in Francia Ecclesiæ, (f) Deistarum sectæ auctorem facit Gulielmum Postellum sed sine vlla auctoritate, probatione aut testimonio, idem nobis persuadere conatur. Sed quia magno huic, immo maximo omnium quos sæculum nostrum produxit viro iniuriam fieri, & Atheismi crimen falso impingi certo sci-

a *Anatomia Eccl. Cathol. part. 1. Praleol. Rese. Cudsem Gault. Genebrard. An. 1554.* b *Symb. Apost. Matth. 1. Rom. 1.* c *in dubit. & Tabul. Analyt.* d *Anatomia Eccl. Catholica part. 1. Vid. Epist. Polonorũ ad Senatum Genuensem Camis. de corrupt. Verbi Dei. Epist. Deistarum ad Tigurinos.* f *Lib. 2. Hist. Eccles.*

scimus, famam eius hoc loco à calumnijs vindicare, remque omnem vti se habet, vere enarrare constituimus.

Natus est Gulielmus Postellus in Normaniæ præfectura Barentonien si, missusque ad litterarũ studia Lutetiam, breui perfectam Latinæ, Græcæ & Hæbraicæ linguarum cognitionem est adeptus; tanta discendi celeritate, vt libros non legere, sed deuorare videretur, & vno die tantum proficeret quantum alij vix toto mense. Mundum deinde lustrandi & multorum hominum tam vrbes, quam mores videndi desiderio, in Italiam profectus, Venetijs in fœminæ cuiusdam notitiã (nonnulli Monialem fuisse aiunt; frequentia per domos hospitaliter pauperibus ministeria exhibere solitam) peruenit, & ab eius liberalitate necessaria ad absoluendum studiorum cursum, vt & institutã peregrinationem subsidia accepit. Hanc ille semper post a in summa habuit veneratione, numquam aliter quam matrem suam appellans. Cæperat tum suma illa omnium religionum confusio, quæ hominis arrogãs sua sponte, vt verum fateamur, & curiosum ingenium ita perturbauit, vt diu quid crederet, aut q̃ potissimum sequeretur religionẽ, incertus hæreret. Quare omnia Turcarũ, Iudæorum, & Christianorum tam in Græcia quam in Germania & alibi habitantium mysteria excutiebat, ac libros quibus ea continentur, summa cura & attentione legebat. Tandem Romam reuersus, in eam Societatem, quæ tum primum coibat (de qua in sequentibus libris) fuit admissus. Sed quẽadmodum admirabilis ingenij magnitudo, & omnium fere linguarum, & scientiarum cognitio facile ei aditum aperuerunt; sic nimia etiam, quæ longe supra nos sunt perueſtigandi, adeoque cœlũ penetrandi audacia fecit, vt breui inde sit dimissus. Neq; enim vlla alia coercitio aut animaduersio in hac Societate vsurpatur. Certe si in vllo alio, in hoc homine verum esse apparuit illud Aristotelis, *nullum ingenium magnum esse quod non ambitioni aliquid & arrogantiæ in se habeat.* Ex hac Societate egressus dum Venetias redit, capitur, & Romam mittitur, vbi ab Inquisitione ad perpetuum carcerem fuit damnatus. Sed quia Deus perire illum nolebat in quem plena manu dona sua effuderat, factum est, vt in quodam tumultu proturbatis carceris custodibus ac lictoribus euaserit. Hinc relicta Italia, vbi, loquendi quod vellet, licentia ei ademta erat, Geneuam primum, deinde Basileam concessit, tandem vero diligenter excussis Zuinglianorum & Caluinistarum tum dogmatis tum moribus, in Franciam reuersus est, à Francisco Rege, summo litteratorum Patrono inter Regios Professores receptus: quod ille munus magna cũ auditorum admiratione atque vtilitate administrauit. Non multo post libellus ab ipso editus, matris ipsius Ioannæ, & Italica lingua Venetæ Virginis (*La Vergine Venetia*) nomen præferens, famæ occasionem dedit vel suspiciosis vel timidis aliterue affectis, *vti Dauid Georgius se nouum Christum ad redemptionem humani generu missum iactabat, sic Postellum sibi imaginari feminas per matrem suam redimendas.* Sed quis credat in tantum tamq; exactum ingenium tam insignem cadere potuisse fatuitatem, vel potius insaniam? Scripta certe eius omnia quæ videre nobis contigit, nihil tale præferunt; & à personis honestis & fide dignis, qui familiariter ipso vtebantur, accepimus, ipsum Postellum Mundi stultitiam ridere solitum, tam absurdam opinionem de matre ipsius Ioanna concipientis, quum tamen totus ille libellus Venetæ illius fœminæ, quam velut alteram matrem colebat, laudibus esset dedicatus, vt hæc quasi nutritia ipsi persolueret, nomenque eius immortalitati consecraret. Neq; enim minus ei debere quam matri suæ Ioannæ existimabat, quod huius quidem lacte esset enutritus, illius vero ope & subsidio tot tantasq; peregrinationes confeciſſet, & ad eã doctrinam peruenisset, qua Mundum veluti restaurare potuisset, si consilio illius voluisset vti. Senem hunc multi Principes & docti viri, ad S. Martinum in Campo tunc habitantem, inuisere solebant: vbi senex canus & barba ad vmbilicum vsque promissa venerabilis, tum omnibus tam factis quam dictis admirabilem quandã maiestatem præferens, è cathedra tot tamq; graues sententias fundebat, vt num quã ab vllo visus atq; auditus sit, qui non summo illius rursus videndi atque audiẽdi, & continuo ab ore eius pendendi desiderio teneretur. Aiunt si quando ita poscente rei materia, vehemẽtius disserere inciperet, oculorũ eius veluti igne scintillantium ardorem neminem ferre potuisse. Eius certe sermonibus Carolus IX. Rex vnice fuit delectatus, eoque Philosophum suum appellabat. Hoc interprete idem vsus est quum à rege Ormusio Legati (quorum princeps erat pecuniosus ille Aluarus Mendesius) litteræ & munera, Bezoardici nempe lapides, venissent. Ferunt tum Postellum ad Regem dixisse, posse se è Galliarum regno ad vltimos vsque Sinas sine vllo inter-

prete, profiscisci quod omniũ interjectorũ tanto terrarum spacio populorũ linguas calleret. Porro multis ante obitum suum annis Catholicam religionem unicè fuit amplexus, abjectis omnibus quas admirabilis ingenij magnitudo cerebro eius olim forte impresserat, opinionibus totũ se Ecclesiæ permittens iudicio. Missæ sacrificium singulari devotione peragebat: sic ut in vigilijs Nativitatis Christi media nocte, intenso admodum frigore sacrificanti, caput fumare videretur. Quoties vero ad verba Consecrationis perveniisset, extra se positus quodammodo videbatur. Ex hæreticis nullos magis oderat quam Sacramentarios Calvinistas: qui etiã eam ob caussam famam tanti hominis turpiter eam ob caussam famam tanti hominis turpiter traducere ac denegare ausi sunt. (a) De ijs audi quid sentiat, quid loquatur. *Vos*, inquit, *qui mille contra Deum blasphemias effunditis; qui omnem Ecclesiæ contemnitis auctoritatem; qui velut bestiæ sine ullo sacrificio, sine ullis Christiana religionis mysterijs vivitis; qui modum hunc loquendi Trinitas unus solus Deus, barbarum esse existimatis; qui denique præter formam nihil hominis habetis, &c.* Eius sunt libri *De Orbis Concordia* quibus omnes hæretici, Judæi, Mahumetani, Pagani, facile refutari possunt, è quibus etiam auctor libri *De Veritate religionis Christianæ*, tum etiam è Lud. Vivis, Savonarolæ & Snecani scriptis, quidquid fere in eo probum est & laudabile, hausit. Singulari vero Dei benignitate ei contigit, ut in Catholica Ecclesia extrema sua vota redderet, animamque Deo consignaret, XC. fere annos natus; ultimis verbis testatum faciens quantũ ab omnibus hæresibus pravisque opinionibus sui sæculi, abhorreret. Sed hæc de Postello satis. Jam ad alias sectas transeamus, nempe Novorum Ebionitarum (b) qui per Adamum quendam pastorem Anabaptistam in Lithuania suscitati sunt circa An. 1568. Hi Christum non Deum, sed merum hominem professi adversus scripturas, (c) & symbolũ ipsum Apostolicum, legalia cum Evangelio servanda esse opinabatur.

VI Inter has maximè detestabilis est eorũ secta qui *Antitrinitarij* dicuntur, in Polonia, Lithuania, Moravia & Transilvania admodum frequens: cuius auctor fuit Michael Servetus Hispanus, qui è Lutherano Calvinista Antitrinitarius factus est, supplicio famosus: adjunctis sibi Georgio Paullo, & Luca Steinbergero Prædicante in Moravia. Ex horum schola prodierunt infelices illi & exsecrabiles hæretici, Blandratus, Alciatus, Socinus, Gentilis, Gribaldus, Lilmannus, Paulus Niger, Budneus, Glinanus, Silnisçus, & alij, qui pestilentis suæ contagione Sarmaticos præcipue populos infecerunt. Sed quid horum originem longius quærimus? Lutherus hos omnes excitavit, scribens, (d) *Trinitatis nomen in S. Scriptura non exstare, sed ab hominibus esse inventum.* Circa idem vero tempus quo Confessio Augustana sub incude erat, nimirum Anno MDXXX. Servetus hæresis suæ fundamenta iecit, ex Arrij & Samosateni stercoribus exstructæ. E Mahumetismo etiam aliquid admiscuit; quod Hispanus Mahumetanorum in Africa consuetudine familiariter esset usus. Lutetiam deinde ad capiendum ingenij cultum profectus, Lutheranæ doctrinæ, cuius sequaces in Academia illa passim delitescebant, venenum hausit: quod cum spargere & ipse cœpisset, in Delphinatum proficiscens comprehensus est, sed mox partim negata, partim eiurata Lutherana hæresi, dimissus. Lugduni postea operam suam typographo in corrigendis vel corrumpendis potius Biblijs locavit: inde in Germaniam profectus, libros suos de Trinitate, & Dialogos de Regeneratione, nec non Epistolas & Apologias quasdam publicavit: qui quidem omnes quamvis detestabili hæresi infecti, in Comitijs Ratisbonensibus Anno MDXXXV. publice venierunt. Inter discipulos seu asseclas eius Bernardus Ochinus quoque numeratur, ut Schlusselburgius libro XI. testatur Genevam tandem abijt, ut cum Calvino sententiam conferret: minus sibi iniquum fore sperans: quod ab eo scriptum legisset, verba illa *Sancta Trinitas Vnus Deus*, tamquam barbariem spirantia, minus sibi placere, (e) Sed & intellexerat Calvinum Lausannæ tribus illis symbolis subscribere noluisse, ideo præcipue quod in Niceno Filius *Deus* appellatur, ut Galenus in Farelli defensione scribit: eundemque negare ex verbis illis *Ioannis* 10. *Ego & Pater unum sumus*, evinci posse, Filium esse eiusdem cum Patre Substantiæ; valdeque erasse antiquos illos Patres qui dicto hoc ad probandam personarum Trinitatis consubstantialitatem abusi sint. Sed Servetum ipes multum fefellit. Neque enim Genevæ eam li-

ber-

a *Vide Iordan. in Respons. ad Danæum.* b *Anatomia Eccl. Cath. Coccius &c. c. Ioan. 1. Act. 15. Gal. 5.* d *In serm. Evang. Dom. Trin.* e *Vid. Epist. Calvini ad Polonos f. 63. & Tigu. da Geneu. enter Calv. epist. 159.*

bertatem inuenit quã in Polonia reliquerat, sibique rem cum duro & inclementi tetrarcha esse nimis sero intellexit, à quo vt paucis dicam, igni fuit addictus, Anno MDLV Volebat nempe Caluinus miseri hominis supplicio Arrianismi de se conceptam in animis multorum suspicionem amoliri: sed nihilo tamen segnius post mortem Serueti reliqui complices Trinitatem oppugnabant, & pro illo quo hactenus Ecclesia canere consueuit, *O veneranda Trinitas*, suis in conuenticulis cani voluerunt, *O veneranda Bonitas*. Sed & voci illi ὁμοούσιος siue *Consubstantiatis*, primã ab Arrio motam, iterum post duodecim fere sæcula rursus intentarunt quod in Sacra Scriptura non extaret. Idem Iesum Christum pro Propheta tantum habent, quem aiunt tunc quum in Iordane baptizatus, & è cœlo vox illa audita esset (*b*), *Hic est filius meus dilectus*, in filium à Deo adoptatum fuisse. Annon hic idem Cerinthi & Ebionis fuit error, Hieronimo teste? (*c*) Et quia Trinitatis mysterium hi homines comprehendere non possunt, vnum tantum Deum sine vlla personarum distinctione esse volunt. Econtrario Deistæ de quibus supra dictum est *Deos tres faciunt* in qua secta antesignanus nostro tempore fuit quidam Petrus Gomesius & alius quidam Farnouius nomine Ex illis & pessimus apostata Steinbergetus Melanchthonis discipulus, qui Anno MDLXI religionem in Polonia vehementer turbauit, *malle se* ait *ad monasterium suum redire quam in Spiritum S. credere, quum Spiritus S. diuinitas neque ex nouo Testamento, vti nec ipsa Trinitas probari possit. Se quidem adigi non posse, vt quidquam credat quod non in Verbo Dei expressis verbis contineatur. Quoties Trinitatis nomen audiat: nomen id fœmina cuiusdam sibi videri qua tres habuerit maritos.* Non opus est vt ad eiusmodi blasphemiarum pernestigandam originem longius abeamus. (*d*) Lutheri schola Duraræus ille equus fuit, è quo omnes isti Sinones ad veterem illam Troiam vt sic loquamur, nempe Ecclesiam euastandam prodierunt. Budneus vnus ex Serueti discipulis, è S. Scriptura xx. loca seu auctoritates collegit, quibus probare nititur Spiritum S. Deum non esse. Rescius vero narrat, Lithuanum quendam Equitem mortis iam victum quum symbolum recitaret Apostolicum, & verba illa, *Credo in Spiritum S.* iam protulisset statim subiecisse male à se dictum. neque enim in Spiritum S se credere ac mox infelicem animam efflasse.

VII. Erasmus tantam sectarum ac diuersarum opinionum multitudinem quotidie pullulare videns atque audiens, Atheismum quam proxime instare facile coniecit, iuxta illud quod in Apocalypsi S. Ioannis de Lutheri seu stellæ de cœlo cadentis tempore est præfiguratum dum prædicatibus ex eo exortis, seu locustis dicitur præesse Angelus dictus *Exterminans* Hinc in epistola quadam ad Belgas suos scribit, *Nouos illos Christianos nihilo melius esse Iudæis & Turcis, vt qui Iesum Christum Prophetam quidem, aut etiam Deum aliquando appellent, eiusmodi tamen Deum qui Mose & Prophetis maior non sit.* (*e*) Et tamen Antitrinitarij hunc eundem erroris sui patronum facere non dubitant. (*f*) Aiunt enim, *à Luthero & Melanchthone tamquam Mose & Aarone, crassiores errores esse detectos & profligatos. Post hos Zuingliũm, Caluinum & Martyrem, velut Esaiam, Hieremiam & Ezechielem, subtiliores in lucem protraxisse ac confutasse. Tandem vero Seruetum & Erasmum, destructo in primis Trinitatis ac Deitatis Christi & spiritus Sancti commento, velut Christum & Sanctum Ioannem, Euangelicæ legis perfectionem attigisse.* A Lutheranis idem aiunt Papatus rectum detectum, à Caluinistis muros subrutos, a se vero ipsa fundamenta esse euersa. Sed de his latior erit dicendi campus quando de Polonia nobis sermo erit. In Erasmi quidem libris nihil omnino occurrit quod ad ipsorum erroris patrocinium faciat, nisi forte quum ait in Præfatione S. Hilarij Operibus præfixa, *A nobis spiritum Sanctum Deum appellari, quod antiqui numquam facere ausi sint* In quo valde errat Erasmus. Iustinus enim Martyr ait, *Spiritum S. eiusdem esse cum Patre & Filio naturæ atq; essentiæ* (g) Clemens Alexandrinus idem aiunt Papatus rectum dicit, (h) *Spiritum S. vnitate esse omnia, ad quem & per quem sint res omnes.* Eusebius Alexandrinus *Patri & Filio consubstantialem appellat.* (*i*) S Athanasius dicit, *Spir. S. Patris esse substantiam, eandem cum Patre & Filio Deitatem* Idem S. Basilius aduersus Eunomium (i) S. Chrysostomus (k) & S. Augustinus mille locis testantur. Sed de Erasmo, & quomodo is initio diuersarum opinionum quæ tum inundauerant, torrente abreptus, ad Catholicæ Ecclesiæ sententiam

a *Vid. Pisan. in Concil. Nicen.* b *Luc. 3. 22.* c *In Cath. Test. Script. Eccles.* d *Vid. Staph. de Luth. concor.* e *In Præf. lib. 5. Basil. de Spir. S.* f *lib. de ver. & falsi vn. Dei Pat & fil. cap.* 1. g *In Expos. fid.* h *Lib 5 Paed. c. 12.* i *In Nic. Conc. disp. cont. Arria* k *De Spir. S. lib. 3.*

tiam tandem se totum conformarit, alibi dicam. Ex Antitrinitarijs illis vix quisquam maiori contentione pestiferam hanc doctrinam propagauit, quam Georgius Paulus, de quo supra aliqua mentio fuit facta, *homo ambitiosus, impudens, impius, blasphemus*, vti à Schlusselburgio Lutherano appellatur, eam ob causam præcipue, quod scribere ausus est Lutherum scintillam tantum aliquam veritatis habuisse, sibi vero ac socijs plenam victoriam & triumphum deberi.

VIII. Sed & Petrus Stator & Georgius Blandratus in eodem stadio vehementer desudarunt. (a) Et hic quidem Albæ cum Lutheranis disputans, aperte fassus est à Luthero sibi primùm ad pr[illegible]videndam veritatem, quam coram Senatu Genevensi confessus, & quam etiam ad extremum usque spiritum defendere paratus sit, oculos esse apertos. Id vero ills negantibus, Commentarios Lutheri in primum Caput Geneseos protulit: Sane Lutherum ad Arrianismum sensim delapsum, quum alia tum illud suspicionem facit, quod non multo ante mortem è Litania verba illa tolli iussit, Sancta Trinitas, vnus Deus, miserere nobis. (b) Deinde etiam Lutherani per Austriam Prædicantes, ex Colloquij seu Conuentus inter ipsos habiti decreto, solẽnem illam omnium precationum, quæ in Ecclesia fiunt clausulam, *per Christũ Dominum nostrũ*, immutarunt, substituẽtes illa verba, *Per Christũ seruum tuum fidelem*. Sed Lutherani culpam blasphemiæ huius doctrinæ non magistro suo, sed Zuinglio & Caluino imputandam esse cõtendunt. Illa certè ad SS. Trinitatem directa precatio Caluino numquam placuit, quod barbariem saperet. Idem aperte scribit, *Filium non esse è substantia Patris genitum. Personas Trinitatis nihil aliud esse quam proprietates*. Quinetiam voces illas, *Persona, substantia*, plane abolitas atque oblitteratas cupiebat. Deum immortalem! in quas tenebras incidunt qui clarum intueri solem non dignantur! Sed, meo iudicio non errauerit quis, si vtrique tam Luthero quam Caluino blasphemam hanc doctrinam acceptam ferendam putet. Blandratus certe cum Lutheranis disputans, Lutherum; cum Caluinianis, Caluinum auctorem producebat. Cum Prædicante quodam Caluiniano aliquãdo colloquens, eum rogauit ut quæ à Calvino *cap. iii. & xv. Institutionum* de Iesu Christo scripta essent, inspiceret: quod ille facere plane recusabat. Stancarus, (c) *Tua*, inquit, *ô Caluine, de Filio Dei doctrina, tota Arriana est*. Sed & in omnibus Catechismis nullũ de Trinitate verbum; & in omnibus Precationũ formulis nullã ad Dei Filium aut Spiritum Sanctum videas, legas audias. Hinc Schlusselbergius Lutheranus, *Negare* inquit, *non potestis, vestras omnes Ecclesias quas Reformatas dicitis, Arrianismum sapere. Magister noster Lutherus hanc pronunciauit sententiam, omnes Sacramentarios Arrianos esse*. Sed & operæ precium est audire quomodo de nouis his Arrianis in Catalogo suo hæreseon loquatur. *Doctrina Caluini*, inquit, *pessimam Arrianorum hæresin produxit, vt ipsi fatentur*. Sed & quantum à doctrina illa absint, exemplis demonstrari potest: quorum vnum hoc loco allegare sufficiet, nimirum Adami Neuseri, Prædicantis olim Heidelbergensis primarij; qui è Zuingliano Arrianus, ex Arriano denique Mahumetista factus, Constantinopoli cum multis alijs Caluinistis circumcisus fuit. (d) Idem non multo post, An. scilicet MDXXIV. die 11. Iulij. ad Stephanum Gerlachium sua manu scriptam epistolam misit, qua testatur, *nullum sibi Arrianum notum esse qui non Caluinista fuerit. Tales fuisse Seruetum, Blandratum, Paulum, Alciatum, Dauidem, Gentilem, Gribaldum, Siluanum, & alios eoque qui Arrianismum vitare velit, ei Caluinismum fugiendum esse*. Has noui huius Musulmani litteras idem Gerlachius Tubingæ hoensto ac mihi noto viro inspiciendas dedit, qui suis oculis eas vidisse ac legisse se mihi testatus est. Ite Geneuenses, si placeat, & inspicite quæ Ioannes Matthæus in libro suo *De cauendo Caluinistarũ fermento* de vobis scribat. Negari certe non potest, & quidem ipse Beza in vita Caluini fatetur, omnes illas hæreseon sordes quas Italia euomuit, Geneuæ fuisse collectas. Initio more in scholis vsitato quæstiones eiusmodi proponebantur: tandem vero aperte in Senatu quoq; cui Caluinus interat, asserebantur. Sed cum Caluino Dictatore cuncta ibidem gererentur, ipsius Confessioni Fidei plerique quidem subscribere coacti sunt; sed penna sola persæpe, cor vero procul erat ab eâ. Nec mora, vbi apostatæ illi vident merces has eo loco, vnde primum eiusmodi hæreticas merces pangendi exemplum luculentum erat acceptum, parum gratas esse, alius alió dilabi cœperunt, vt venales eas alibi proponerent ita factum est

a *Vid. Symler. in præf. lib. de ater. Dei filio.* b *Staph. in epist. ad Episc. Agrienſem. Crom. lib. 2. Hosi. in epist. ad Ducem Pruſſiæ Caluin. cont. Val. Gentil. & 2. epist. ad Polonos. Inst. lib. 1. cap. 13. sect. 19. & 23. ibi sect. 25. c cont. Geneu. f. 118. d Georg. Eder. in 2 part. Inq. Euang.*

est vt Geneua fieret sentina, in quam Italia Galliaque sordes vniuersas apostatantium sineret ĩmanare, sed eiusmodi sentina ex qua tanquam saturigine collectitia rursus peiore admistione Caluiniani Spiritus emanarent in reliquum orbem, maximè septentrionem. sæpius quidem Caluinus eiusque sectarij cum huius farinæ hominibus congressi ac colloquuti sunt, sed nullo cum fructu, vt Sendomirienſis An. 1568. cum Trideitis (a) & ibid. An. 1570. cum Ministris quarumlibet sectarum (b) & Cracouiensis An. 1573. iterum cum Ministris cuiusuis sectæ (c) & Vilnensis An. 1577. (d) & alterius cuiusdam Anno MD LXXXI. celebratæ Synodi exitus testantur. Vos enim, siue Lutherani siue Caluinistæ, vel inuiti fateamini necesse est, si ex vna scriptura res agatur, Nouis his Arrianis &c. cedere vos coactum iri, non minus quam Patres olim Veteribus Arianis, nisi ad vnanimem Ecclesiæ consensum & Traditionem, illorum exemplo, confugiatis. Hæc enim illos docuit, *tres personas consubstantiales esse, seu eiusdem naturæ & essentiæ, quas nos adoramus vnum Deum in plenitudine Trinitatis, & æqualitate Trinitatis, in vna sola Deitate: sic vt substantiæ singularitas non confundat personarum pluralitatem, & Trinitatis distinctio Deitatem non separet, quæ Vna tantum est; sed maneat vna Trinitas, & trina Vnitas. Itemque in Iesu Christo duas quidem & perfectas esse substantias, sed vnam tantum esse Personam; vt nec naturarum distinctio personæ vnitatem separet, nec substantiarũ distinctionẽ confundat vna persona. In Deo vnam tantũ esse substantiã, sed tres personas: in Iesu Christo, duas substantias, sed vnam personam.* Dic sodes quisquis es, qui nihil nisi S. Scripturam, nihil nisi expressum Dei Verbum audire vel recipere vis, quibus armis contra hos pugnabis? qua ratione te ab infinitis quæ ab ipsis afferuntur argumentis extricabis; nisi Traditionem & Ecclesiæ consensum velut pro sacra habeas anchora? Sed infelices hos relinquamus; & ad alios eorum socios ac similium hæreseon Architectos transeamus, at præcipuos tantum. Omnes enim quis recenseat? De illis quidem vbi de rerum, in Polonia & vicinis locis mutatione agetur, nouus dicendi campus aperietur.

De Georgio Blandrato Italo illud hoc loco tantum addam, ab eo in Transiluaniam transgresso, Ioannem Secusium, Principis medicum imo principem ipsum Lutheranum, inde Caluinianum, ac tandem Arrianum factum. Principis huius casus multos alios quoque impulit secumque traxit. Biblia vero tum misere admodum corrupta sunt, quæ Blandratus à Iacobo Palæologo in Græcam, & à Polono quodam Matthæo nomine vtroque Antitrinitario, in Hebraicam linguam verti curauit, vt nouis substitutis vocibus & phrasibus, sensum euerterent, suisque opinionibus accommodarent. Porro Blandradistarum hæresis fuit, præter alia infanda, ab Apostolis solum Deum Patrem & vnum hominem Iesum Christum fuisse prædicatum, sed postea à Catholicis esse excogitatam Trinitatem, & duos in mundum inuectos Christos. Ab Apostolis fuisse prædicatum, illico post Ascensionem Domini aduturum Antichristum & Ecclesiam abolituram, idque iam pridem factum esse, ac Christi regnum interijsse funditus. Ijdem coniunctis sibi Caluinianis & Bezanis Ministris in Polonia & Transiluania, asseruerunt tres personas esse tres Deos & huius doctrinæ testes Caluinum, Bezam &c. Caluinianos primores citabant. (d) Hinc Beza Statorium Blandratæ sociũ acriter suis epistolis perstrinxit. (e) Porro Blandrato aiunt à nepote pecuniæ eius inhiante vel alia causa mortem acceleratam præfocatione: de quo vide plura infra in Hungariæ & Transyluaniæ historiâ.

DE MVLTIS SECTIS TAM ABsurdis quam impijs.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

I. *De Anti Marianis, & alijs Deiparæ Virginis hostibus.*
II. *De stirpe B. Virginis.*
III. *De Antinomis, Boquinianis, Hutistis, & Inuistibilibus.*
IV. *De Libertinis.*
V. *De horribili Effrontium secta, & Valentinianis.*
VI. *De nouis Flaccianis, Manichæis, & Samosatenis.*
VII. *Misera imperitæ plebis stultitia.*

a *Anatomia Eccles. Cathol. Tract. 2. pag. 113. Bzouius in M.S. Tomo XXI. Annalium.* b *ibid. pag. 115. Anatom.* c *ibid. ead. pag. Anatomiæ.* d *pag. 116. Anatomiæ cit.* e *Anatomia Eccl. Cathol. Tract. 1. ex AA. ibi citatis pag. 21. & 22.* f *Epist. 16.*

VIII. *De Suuenckfeldio novæ hæreseos auctore.*
IX. *De Spiritualibus.*

1. SEd nec tu, ó Sancta Dei Genitrix, hæreticorum nostri sæculi morsus effugere potuisti: nec quisquam fere Ecclesiam oppugnavit, quin te simul oppugnarit. O scelus! Etiam Antimarianorum nomine quidam gloriantur; & ut Antitrinitarij illi filio tuo nostro Redemptori divinitatem; sic illi Virginitatis laudem tibi ereptum eunt. Tam in te quam in illum iniurij, dum Θεοτόκον te, id est, *Deiparam*, appellari non ferunt. Aiunt infernales linguæ, serpentis illius, cuius caput illa contrivit, progenies Mariam alios quoque liberos habuisse, quod ipsum olim Cerinthus dixit, teste Irenæo (*a*) nempe, Mariam non solius Jesu Christi fuisse matrem. Jdque Sacram Scripturam celare non potuisse, dum fratrum Christi mentionem facit. (*b*) Sed errant, ad litteram non ad rem attendentes. Si enim hæc sit vis eius vocis ut *Frater* solum notet eos qui ex eodem patre vel matre corporaliter prognati sunt dicendum quoq; erit ex Gen 14.14 Loth Abrahæ fuisse *fratrem*, qui tamen ex Gen. 14. 12. manifeste fuit *filius fratris* Abrahæ. Et Laban eadem ratione *frater* fuerit *Iacobi*, qui tamen avunculus fuit. Gen. 29. Nec hac iniuria contenti, *ceteris feminis similem vel æqualem eam faciunt*, (*c*) *sexus illius vitijs obnoxiam, & in peccatis conceptam.* Sed quodnam vitium, quod peccatum esse potuit vel in corpore vel in anima eius quæ sacrarium fuit divinitatis? (*d*) An divina maiestate dignum erat, è corpore sordibus infecto nasci? Sed hanc nobis doctrinam novorum Evangelicorum schola peperit; illa vetus Nestorij fuit hæresis ab infelici homine Steinbergero, Prædicante in Moravia, renovata. Melanchthon *Mariam non pluris quam quamvis aliam feminam peccatricem sibi esse dicit* (*e*) Alius *non minus eam peccato & damnationi quam Adamum & quemvis alium hominem obnoxiam fuisse contendit* (*f*) *Peccatum æterno supplicio dignum ab ea commissum* scribit Spangenbergius. (*g*) *Æternam meruisse damnationem prodidit* Brentius (*h*) *Ambitionis & vanæ gloriæ accusat* Oecolampadius. Audi quid Centuriatores dicant. (*i*) Aiunt, *omnes Patres errasse in eo, quod dicunt, Mariam Virginem singulari privilegio à peccato fuisse exemptam, nec quidquam vitiosum aut inquinatum in anima eius fuisse. Relicto enim Iesu in templo, non minus peccasse, quam ipsam Evam, humanum genus perdendo. Unum & solum Iesum Christum à peccato esse immunem.* Sed quis Catholicorum hoc negat, inepti? Solus Christus sine peccato est per naturam, tam ratione hypostaticæ unionis, quam quod divina voluntas suppositum regebatur. B. Virgo per gratiam: *Maculam in ea non esse*, dicit Sapientia. *Virgine hac nihil post Deum integrius, purius, ac mundius cogitari posse*, testatur S. Athanasius. Diabolus ipse per Mahumetis os fateri coactus est, *in hanc unam Virginem nihil sibi iuris aut potestatis fuisse.* Virgo ante partum, & post partum Verbi increati, quod creavit cælum & terram. Et vos qui veri Christiani videri vultis, nō solum in dubium ista revocatis, verum etiam ludibrio habetis. Scribit Calvinus, (*k*) *eam si virginitatis servandæ votum fecerit, Deo illusisse.* Et alibi ait, *ex malitia quadam potentiam Dei ab ipsa circumscribi ac contrahi; uti antea à Zacharia quoque.* additque *operam ludere, qui ab omnibus eam vitijs eximere velint.* Petrus Martyr (*l*) *Non oportet credere inquit, eam perpetuo fuisse virginem.* Et Beza in Colloquio Possiacensi, (*m*) *Quid hoc refert?* ait. *Cur hoc credam, quū S. Scriptura nihil de hoc certi asserat?* Quod ille responsum in suis ad Condæum Principem literis repetit probatque. Sic quoque Copronymus Jconomachus loquutus est, *Christum scilicet natum esse ex matre sua.* O indignum facinus! Hascene eam quæ salutem mundo peperit, contumelias pati? de qua pessimi non aliter loquuntur quam de vilissimo Mundi rejectamento, ut Lutheri, (*n*) & Brentij (*o*) scripta testantur. *Incertis prognatam parentibus*, Centuriatores (*p*) scribunt, quamvis Scriptura aperte dicat eam de tribu Juda, & è regia stirpe Davidis fuisse ortam.

Sed quid horum improbitatem miramur? quū & olim Manichæi sic locuti sint, Augustino teste.

(*q*) &

a *Iren. l. 1. cap. 25.* b *De Antimarianis Vid. lib. Hieron. ab Hamgeste ad Carol. Dux. Borbō. Cassand. de duab. natur. in Christo. Coccius lib. 8. Thes. Cath. 14. & 19.* c *Calvin in Har. d Matth. 29.* e *An. in cap. 12. Ioan. f in expos. Evan. de conception. Christi.* g *Postill. in Dom. post Epiphan. Ann. in cap. 2. Ioan.* i *Cent. 11. cap. 4. Cent. 9. 1. lib. 1. Cent. 2 & 4. De Concept. Virg. c. 18. Gregor. de Valent. lib. 2. de Euchar. cap. 2. Marlor. in cap. 1. Luc.* k *Cal. Harm. in cap. 1. Luc. ver. 34. In cap. 4. ad Rom.* m *Bez. in præf. N. T. Const. Mag. Ann. pag. 114.* n *Luth. Postil. Evang. de Ann.* o *Brent. in Evang.* p *Centuria 1. cap 10.*

(q) & Celsus Apostata, vt Origenes (r) ait, ignobilem eam & rusticam appellarit. Sic nuper vnus, Evangelicorũ in Francia numero, S. cœlorũ Reginæ genealogiã carpere ac vellicare aggressus est, contra diuina S. Matthæi & S. Lucæ testimonia: quorum ille ab Abraham vsque descendendo, alter ad primum parentem Adamum ascendendo, Ioseph putatiij Saluatoris nostri parentis genealogiam deducit. An vero vlla certior aut vetustior genealogia, quam illa Matthæi ac Lucæ Euangelistarum dari possit? non credo. Voluit enim Deus vt omnium tribuum & familiarum registra à Synagoga, in qua Dei erat Spiritus, qui est *Spiritus veritatis* infallibilis, diligenter asseruarentur, eum in finem præcipue, vt veritas promissionum ipsius de Messia Abrahamo factarum, qui è tribu Iuda & familia Dauidis nasci debebat, liquido cognosceretur. Sic etiam æterna Sapientia omnia quæ ad Messiam seu Vnctum Domini pertinent, certis quibusdam signis notauit, ne quis deciperetur. Hinc videmus tempus & locum Natiuitatis à Prophetis prædicta. tum circumstantias vitæ, passionis & mortis ipsius; nec non qualitates eius quæ fructum hunc benedictum in ventre suo portatura erat expressas. Et quanquam ex Græcis ac Latinis Patribus possem ostendere à B. Luca Genealogiam B. V. recenseri vti à S. Matthæo genus Ioseph, tamen si quis hoc vellet negare, illum ego Beati Hieronymi ratiocinatione conuenirem dicendo, quod quamuis Sanctus Ioseph Saluatoris nostri pater non fuerit; quia tamen eum ab infantia educauit, Virginemque Mariam antea sibi desponsauerat, ob eam causam ipsius Ioseph Genealogiam esse ab Euangelista contextam, vt ex ea B. M. V. genealogia intelligeretur. (s) Illa enim lex in lib. Numer. cap. 36. & vlt. expressa legitur, *ne femina alijs viris quam qui de ipsarum tribu, nubant, itemque vt omnes viri ducant vxores de tribu & cognatione sua, quo hereditas permaneret in familijs, nec sibi miscerentur tribus.* Et hoc quidem petentibus Ioseph posteris, ita fuit decretum. Sic igitur Spiritus S. Ioseph genealogiam describens, & ab Adamo, per Abraham, Iudam & Dauid deducens, satis indicat Mariam Virginem Ioseph desponsatam, ex eadem fuisse stirpe. Huic rationi si Antimarianus se opponat, dicendo ex Tribu Leui licuisse ducere & duci de alia familia, & sic Mariam posse ex Leui tribu assumptam videri, huic respondebitur illud: licet tribui Leui, cui nulla certi fundi erant assignati, cum alijs tribus, vt cum tribu Iuda &c. contrahere nuptias liceret, ac præsertim cum filiabus quæ hæredes non essent: Mariæ tamen Virgini tamquam vnicæ familiæ suæ & hæredi nulli nisi qui de tribu sua esset, nubere licebat. Sed & ad præcidendam omnem dubitationem, Euangelistæ, dictante Spiritu Sancto, veram Saluatoris nostri genealogiam ex linea masculina Abrahæ, Iudæ, Dauidis, &c. describere intendunt, è qua Saluator secundum promissiones Patriarchis illis factas, nasci debebat. Quod sane fieri non potuit, nisi Sancta Maria Virgo, è qua sola Christus carnem assumpsit, ex eadem tribu, & familia, nimirum, Abrahæ, Iudæ & Dauidis fuerit, ex qua eius sponsus. Hæc ad os impuris illis hominibus occludendum sufficiunt, ac præsertim exsecrabili illi *Simoni Budnæo*, qui doctrinam hanc Antimarianorum præter alios Ebionitarum Nouorum de Christo in Lithuania disseminauit. Nos cum Sancto Ambrosio dicamus (t) *Claudat os calumnia, taceat hæresis, nec vllum contra Dei matrem contumeliosum verbum proloquitur.* Bredembachius in Historia Liuonica narrat, feminam quandam huius sectæ in Festo Assumptionis Diuæ Virginis ancillæ mandasse vt balneum calefaceret; excusantem se vero, & diei illius atque ipsius D. Virginis reuerentiam obtendentem, his verbis increpuisse: Abi superstitiosa, & fac quod te iussi. Maria femina fuit vt ego, & nihilo plus. Quid fit? Injiciuntur in fornacem ligna, subijcitur ignis, nec tamen illa ignem concipiunt: mox vero delapsus è cœlo ignis vniuersam domum corripit, & in cineres redigit.

III. Ad alios iam venio. Ac primum ad *Antinomos*, id est, Legis aduersarios: quorum auctor fertur Ioannes Islebius Agricola & Iacobus Schenkius Lutherani Anno 1538. (u) Aiunt quidem hunc à Luthero persuasum, errorem agnouisse ac reuocasse: sed Luthero mortuo ad vomitũ redijsse, testãtur Theologi Islebienses. Hi noua sua Theologia, quã Schlusselburgius in LXV. redigit articu-

a *Lib. 13. contra Faust. cap. 9.* b *lib. 1. & 2. contra Celsum.* c *in cap. 15. Matthæi.* d *Epist. 7.* e *Vlenberg. Vita Melancht. cap. 12. num. 3. & Vit. Luth. c. 29. Anatomia Eccl. Cathol. Trac. 1.* f *Lib. 40.*

culos, (a) latissimam omnibus vitijs & flagitijs fenestram patefaciunt, uti Lutherus quoque in libro de Concilijs. *Quamvis scortator sis, latro, fur, &c. crede & salvaberis. Quisquis Evangelij promissis crediderit, salvus erit. Quicquid libet, licet, modo in Christū credas.* (b) Annon hæc eadem initio fuit Lutheri doctrina? Nullum iustitiæ Antinomi, sed misericordiæ tantum locum concedunt. Nullos esse diabolos credunt; ut Athei, nullum Deum.

Ex his prodierunt qui *Infernales* ac *Inferiales* dicuntur, (c) qui Infernum nihil aliud esse dicunt quam sepulcrum, ut ita descensus Christi ad Inferos, de sepulchro eius tantum sit intelligendus. Hunc intellectum articulo huic Lutherus primus affinxit, quem Bucerus, Beza & alij sequuti sunt. Et hic idem bonus Doctor, ut Inferni metu Mundum liberaret: quæ de eo dicuntur risui habet; & fabulas esse dicit: quum etiam ipsi diaboli nondum sint in inferno (vide Commentarios in II. caput Jonæ) neque animæ in Paradiso; quæ extremum illud Judicium exspectantes, tum demum ad suum quæque locum profecturæ sint. Sunt alij qui *Boquiniani* vocantur, (d) à Boquino eorum magistro, qui docuit; Christum non pro malis & improbis, sed pro fidelibus tantum esse mortuum; eoque frustra malos ad mensam Domini accedere. Post hos exstiterunt *Hutistæ* al *Hutitæ* (e) qui ad certum & præfixum tempus extremi Judicij diem continuo exspectant; & quamvis toties hactenus deceptos se viderint, illum tamen non minus pertinaciter quam Judæi Messiæ sui adventum, exspectant. Filiorum Israel nomen sibi vindicant.

Porro Hutistæ à Joanne quodam Hut appellati, qui in carcere mori quam ab errore discedere maluit. *Invisibiles*, (f) ut Staphylus scribit, docebant Ecclesiam visibilem esse non posse, ut quæ in cordibus Electorum sita, soli Deo nota sit. Hunc errorem Calvinistæ quoque amplexi sunt, qui quum Ecclesiæ suæ originem demonstrare non possint, invisibilitatis ei separium seu velum obduxerunt. Sed frustra. Si enim invisibilis esset Ecclesia, is qui prima eius fundamenta iecit, frustra nobis mandasset *ut fratrem incorrigibilem Ecclesiæ indicaremus.* (g) Quomodo ergo verba faciemus ad eum qui à nobis videri non potest? Annon vanum hoc & ridiculum fuerit fratrem corrigendi remedium? Et S. Paulus Apostolus Episcopis & Presbyteris Ephesinis mandans, *ut attendant sibi & universo gregi, in quos Spiritus S. ipsos posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo,* (h) annon, inquam, rem impossibilem illis mandat, si Ecclesia videri non potest? Annon pulchrum sit spectaculum videre Pastorē cum pecore per campos hinc inde errantem, & voce ac fistula oves, quæ tamen nullæ usquam apparent, vocantem ac ducentem? Quomodo vero illud intelligendum est quod S. *Paulus & Barnabas Antiochiæ Ecclesiam congregasse dicuntur* (i) si Ecclesia est invisibilis? Quid ergo congregarunt? an phantasmata; aut Democriti atomos? Idem S. Paulus in Actis *Ecclesiam non semel salutat.* (k) Quamergo? an Chimæram, quam nunquam quisquam viderit? Non ita est. Sed *Ecclesia ab Oriente usque ad Occidentem splendoris sui radios iacit* ut Origines ait. (l) Chrysostomus dicit *facilius esse obscurare solem quam Ecclesiam.* (m) Et Cyprianus, *Ecclesiam lumine Salvatoris circumdatam, radios suos undique spargere ait.* (n) Augustinus vero *cæcos esse eos affirmat qui magnum & excelsum hunc montem, Ecclesiam nempe, videre nequeunt.* his aliisque innumeris argumentis territi Invisibiles eo se, duce Molinæo & alijs mendaciorum fabris, converterunt, ut duplicem faciant Ecclesiam Christi, unam Visibilē comprehendentem & malos & bonos & reprobos & electos, aliam Invisibilem solos bonos, solos electos & salvandos complexam. Sed, ô iterum cæci, frustra vobis talia consuitis perizomata filij Adæ, *Vna est Christi Ecclesia* uti & vir unius uxoris caput, non duarum. Itaque scyllam fugientes incidistis in charybdim & declinantes malleum, impingitis in incudem, revertimini ad metam potius, & nolite diligere vanitatem & quærere mendacium.

V. De *Quintinistis* porro agamus qui à Quintino sartore natione Picardo etiam *Picarditæ sunt* nominati, orti Anno MDXXV. tum quum quisque novam sibi fabricaret hæresin, in Brabantia alij A. 1518. assignant. Iste Quintinus una cum Copino Insulano (o) Caput horum fuit & dux magnæ illius *Libertinorum* cohortis, omnes religiones amplecten-

a *Lib.* 40 b *Tom.* 1 *Coll Mensal. Alber. in præfat. de lib. in Carolst ad. Chytræus. Schlusselburg. Tom.* 7. c *Vide Staphil. Confess. Mansfel. T. de Antinom. fol.* 89. *Luth. tō.* 4. *Jen fol.* 43. *Luth de Conc. In cap* 27. *Matth Beza in c.* 2. *Act.* d *Anato. Eccl. Cathol* e *Anatomia Ecl. Cath. Tr.* 1 f *Anato. loc. cit.* g *Matth* 18. h *Act.* 20. i *Act* 14. & 15. k *Act.* 18. l *Orig. hom* 30. *in Matth.* m *Chrys. hom.* 4. *in cap.* 6. *Isa.* n *lib.* 3. *cont. Parm.* o *Anatom. Eccl. Cathol.*

plectentis, nec ullam tamen habentis *Deo aiunt perinde esse quomodo quisque ipsi serviat. Nullum esse peccatum nisi eorum opinionem, qui se peccare putant: Infernus illis est Timor Dei: Paradisus conscientia divini iudicij timorē contemnens: Ex his, si qui Deum esse credunt, eum tamen in throno suo minime fatigandum censent. Quid enim, inquiunt, isthæc minuta ad ipsum?* Hæc illi à Luthero didicerunt, qui in Captivitate sua Babylonica ait, *Deum nihil curare quid nos faciamus.* Jidem dicunt, *quemadmodum homines diversis ferculis & cibis, sic Deum diverso cultu delectari.* Hæc eadem Themistij Philosophi fuit sententia, dicentis, Divinæ essentiæ eam esse magnitudinem & sublimitatem, ut tamen diversis modis, ad eius cognitionem pervenire queamus. Jacobus Curio in Chronologia sua testatur, (a) in Palatinatu Anno MDLVI. miram eiusmodi hominum fuisse frequentiam, quodque ibidem *Lucianistæ* dicti sint, eo quod omnes religiones irrideant, sacrosque, & in primis magni illius legislatoris Mosis libros pro nugis & fabulis habeant. Præivit etiam his Lutherus Tomo 3. fol. 40. 41. relatis, quæ hic appono: *Moysen neque audire volumus, neque videre, nam Moyses Iudaico populo datus est, neque quicquam ad nos pertinet, qui ex gentibus facti sunt Christiani. Sit igitur Iudæis sicut Speculum Saxonicum, neque nos gentes inquietat, quemadmodum Gallia Speculum Saxonum non curat &c.* Et infra: *Cum quisquā Moysen tibi proponit cum suis præceptis, teque cogere vult ut ea observes tum dic. Abi ad Iudæos cum tuo Moyse. Ego Iudæus non sum. Ne me cum Moyse, involvas. Ille Magister est omnium carnificum, nec quisquam eum terrendo, minando, angustiando tyranni dem exercendo, increpando & fulminando superat. Moysen cum sua lege ego nolo habere, est enim Christi Domini hostis &c.* Ad hanc tibiam saltitare cæperunt Libertini & Lucianistæ illi, ex quorum officina prodijt nefandus iste libellus, in Germania, quamvis alibi excusus, invalescente passim hæresi, non infrequens, horribili titulo, *De tribus impostoribus &c.* inscriptus, quo tres præcipue religiones, quæ unum & verum Deum, qui creavit cœlum & terram, quamvis diversa ratione agnoscunt, Christiana nimirum, Judaica & Mahumetana, irridentur. Sed ex ipsis Inferni faucibus libellum hunc eructatum, non argumentum solum, sed vel solus titulus ostendit. In summa, libellus est sæculo isto dignus. Hunc ego infamem partum lubens æterno suppressissem silentio, nisi ante me Hosius & Genebrardus eius feciſſent mentionem. Memini me puerum in Collegio Prelano exemplar vidisse apud Petrum Ramum, hominem excellenti doctrina præditum; nisi in perveſtigandis religionis secretis multum operæ ac studij ponens, ea ad Philosophiæ leges expendisset. Dici non potest quam interim cupide libellus iste nefandus fuerit exceptus, & per multorum manus vagatus. O cæca curiositas, quot tu animas *in puteum illum infernalem* (b) per Lutherum reseratum præcipitâsti! Sed quid? Annon superioribus annis, nimirum Anno M D LXVIII. Theses Cracoviæ impressas vidimus, quibus hæc inter alias fuit inserta. *Dicimus nos, post mortem animam non superesse. Figmenta hæc sunt Antichristi, ac potissimum Purgatorium & sanctorum invocatio ad quæstum excogitata: quibus animæ immortalitatem Mundo persuadere voluit.* Alius huic non absimilis, immo multo perniciosior libellus Cracoviæ Anno MDLXXXVIII. excusus fuit, hoc titulo, *Religio Simonis:* qui Cœlum patrem, ac Terram matrem nostram facit, alius Deus ibi nullus. Staphilus testatur, Anno MDLVI. (c) in Bohemia sectam esse exortam eorum, *qui omnia quæ de Deo aut divino cultu dicantur, pro nugis & fabulis habuerint, statuerintque animas unà cum corporibus interire.* Sunt hi ipsi illi Picarditæ Genevæ Italus quidam in publica concione confirmavit eandem impietatem ut Vetus scribit. (e) Eandem opinionem infelix quidam nostri sæculi Episcopus, homo multæ lectionis, feminæ amore postea perditus, tam doctrina quam exemplo suo subditis iam ante ab antiqua religione demotis, impressit, nimirum, Religiones omnes, modo in Deum ferantur, & Naturæ legibus consentaneæ sint, bonas esse. Quinetiam in conventibus aliquot bonorum istorum hominum deliberatum fuit, de una ex Judaica, Turcica & Christiana religione conflanda.

Sed quid? Quam amabilis tibi videtur eorum hæreticorum societas, quæ *Amoris familia* appellatur? Item *Fratres Amoris:* Auctor Cypriæ huius familiæ

a Pag 151. b *Apoc. 9.* c *In epist. ad Episc. Agr. Vid. Lib. Tiguri impressum An. 1587. B. Iob. fides & confessio de resurrectione mortuorum.*

miliæ fuit Henricus Nicolai, Hollandus, Sandero atteſtante (a) in Anglia potiſſimũ frequens eſt; hominũ eſt perditorum, qui *ſine Baptiſmo ac ceteris Sacramentis viuunt ac moriuntur: neque liberos vlla Dei aut ſacrorum cognitione, ſed ciuiliter tantum quibuſdam viuendi præceptis inſtruunt. In precationibus quotidianis tres tantum priores orationis Dominicæ petitiones recitant, neque peccatorum remiſſionem flagitant, vt qui ex Deo natos ſe ferunt, & patrem cæleſtem ſcire quod contentis in 4. poſtremis partibus orationis indigeant filij eius. Hoc ſufficere. Aiunt præterea Ieſum Chriſtum imaginem tantum eſſe eſſentiæ dextræ Patris. Patrem ſecum ipſis ſecundum hominem inferiorem humanificare; & ſecundum hominem interiorem in vno cum ipſo ſpiritu ipſos ædificare. Inde concludunt, Animam creaturam non eſſe, ſed increatam Dei particulam.* (b) *Secta ſuæ conditorem diuinum appellabant hominem, in Dei eſſentiam (ſic enim de ſeipſo ſupradictus Nicolaus loquitur) transformatum.* Ex hac hominum colluuie tamen Caluiniſtæ hominem flammis devoverunt Anno 1588. eo quod Chriſtum negaret vnquam in rerum natura fuiſſe.

V. Sed quid, putas, dicet poſteritas, ſi *Effrontium* nomen audierit? (ſic enim vel *Frontones* ab Eraſmo (c) vocantur.) *qui frontem ſibi eouſque radunt dum ſanguis effluat, ac dein oleo inungunt: ſicque pro Chriſtianis, nullo alio baptiſmo vſi, haberi volunt.* Hos idem teſtatur Anno M D XXXIV. vnà cum Prædicantibus Transſiluaniæ doctrinam ſuam ſparſiſſe. Dicunt præterea, *Spiritum Sanctum eſſe tantum mentis quandam eleuationem, & animi motum à Deo inſpiratum. Spiritus S. adorationem, idololatriam eſſe: quum Spiritum S. adorandum eſſe in ſcriptura nuſpiam habeatur.* Sed ô inepti! Annon Sacra ſcriptura Spiritum Sanctum Deum eſſe docet? Si Deus, ergo adorandus eſt. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*, inquit Apoſtolus. (d) Quem Deum? (inquit, S. Auguſtinus) niſi Spiritum S. cuius templum corpus noſtrum eſſe dixerat.

Fuerunt etiam eodem fere tempore *Valentiniſtæ*, à Valentino Gentili Conſentino Pædagogo orti & dicti qui Serueti errorem tam in Germania quam Polonia auſus fuit renouare, aſſerentes, *non tres eſſe perſonas in eadem eſſentia, ſed eſſentiam eſſe ſolius Patris, qui ſolus verus ſit Deus: Filium vero Patri eſſe conſubſtantialem, quaſi gratis aut ex mutuo: eundem nihilominus à Patre ſubſtantialiter differre.* Impurus hic homo ex Italia profugus, Tiguri primum, deinde Geneuæ virus ſuum ſparſit; lenius tamen tractatus quam Seruetus. Eiuratis enim erroribus, in vrbe manere iuſſus fuit; ſed metuens ne Serueto ſecundus adderetur, in Sabaudiam clam aufugit: vnde à Blandrato & Alciato ſimiliter Geneua profugis euocatus, in Poloniam cum eiſdem conceſſit. Ex horum inter ſe confuſis opinionibus nouum doctrinæ genus natum eſt, quod non exiguam Europæ Sarmatiæ partem infecit. Huius opera Georgius Paulus è Caluiniſta Arrianus factus, & ipſe venenum ſuum multis in locis diſſeminauit. Lutherani & Caluiniſtæ quum ad hos oppugnandos alia arma non haberent, vim verbo Dei fieri dicentes, Concilia, Symbola Nicenum & S. Athanaſij antiquitatem denique eis obijciebant. & de ijs quæ ſuperbe antea contemnere & faſtidire ſolebant, honorifice tum loquebantur, antiquitatis auctoritate velut veteribus vtentes veſtimentis. Contra hos Sigiſmundo Auguſto rege iubente, Anno M D LXVI. inſignis Cõuentus in Polonia celebratus fuit, vt alibi dicam. Porro inter nouos hos Apoſtolos d ſenſione orta (Blandratus enim ex toto Arrianum ſe ferebat. Alciatus ad Mahumetiſmum propendebat) Gentilis à Rege proſcriptus ac ditione ſua excedere iuſſus fuit. Ante abitum Regi librum exhiberi curauit, in cuius Præfatione, folio ſexto, vehementer conqueritur, quod voces illæ monſtroſæ & abſurdæ (ſic enim loquitur) *Perſona, Eſſentia, Vnitas, Trinitas*, ab Eccleſia receptæ ſint. Quis verò inde non extremam hominis malitiam animaduertat? Quum enim Eccleſiam penitus euertere conſtituiſſet, fundamenta eius primum ſuffodienda, & voces iſtas quæ veluti ſpeculæ ſunt, vnde hoſtilis aſſultus proſpiciatur, emouendas ſibi putauit. At Catholici qui Iudaizare neſciunt, vocibus iſtis *Perſona & Trinitate*, vtuntur, & infelices Tritheiſtas deteſtãtur. Iidem à vocibus *Eſſentia & Vnitate* quas noui Arriani deletas cuperent, nequaquam abhorrent. Sed ad Gentilem redeamus: qui Polonia eiectus in Moraviam, inde in Auſtriam, ac tandem Bernam Heluetiorum conceſſit, vbi eodem A. M D LXVI. vti Seruetus antea Geneuæ, fato functus eſt in igne eo quod Caluini nomen laceraſſet, in ipſo proteſtatus ſupplicio, ſe mortem hanc ob diuini nominis

a *Vide Reſcium fol. 343. Anatomia Eccleſ. Cathol. Tr. 1.* b *Acoſto de orig. hæreſ.* c *Epiſt.* d *1. Cor. 6.*

nominis & gloriæ defensionem subire. Hic finis fuit Valentini Gentilis, à quo tot animæ seductæ & in exitium præcipitatæ sunt: qui vti in propaganda sua doctrina quamdiu vixit, audacissimus; ita in eadem defendenda ad mortem vsque fuit pertinax desinens blasphemare, cum desijt spirare.

Sed & aliud sectariorum genus in illis locis, per quæ noui Apostoli Geneua egressi, vagati sunt, reperitur, eorum scilicet qui *Hofmannistæ*. Vel Melchioritæ dicuntur. Iste enim Hofmannus Anno 1535. exortus in publicum Argentinæ concionatores ad disputandum prouocauit super articulis suis. Nempe Deum ex se, non Virgine carnem factum, vnam habere naturam: & hominem in gratiam receptum, & sua culpa in peccatum relapsum, saluari non posse. Cogitet quisque quomodo ille ad hanc sententiam defendendam Scriptura vsus sit, quæ frequentissime illud inculcat, *Deum peccatorem quotiescumque pœnitentiam egerit, recipere paratum esse*: & quam bene ille *S.* Ioannis Baptistæ, Apostolorum, & ipsius Dei Filij & Saluatoris nostri, ad pœnitentiam nos inuitantium, & salutem promittentium, verba intellexerit.

VI. *Manichæorum* similiter *Nouorum* hæresin eodem tempore à Flacianis renouatam circa Anno 1542. vidimus, denominatis: quamuis pro Lutheranis haberi velint. Certe Schlusselburgius in libro De noua Manichæorum secta primas dedit. Matthiæ Flaccio Illyrico quos ille è Lutheranis & Sacramentarijs quasi conflatos, Manis errores sequi scribit. Id hominum genus in Austriam quoque penetrauit. Post Flaccium vero præcipui fuerunt, eius hæresis assecłæ, Cyriacus Spangenbergius, Christophorus Irenæus Saxoniæ Ducis Concionator, Martinus VVolfius Prædicans Orlamundanus, Matthæus Schneiderus Prædicans in Thuringia, & alij. Quemadmodum vero Flaccius Manichæos errores resuscitauit; sic alij Samosatenicos, vt Staphylus scribit. Qui horum libros, & inprimis Socini Samosateniani contra Lutheranum Volanum legerit, deprehendet vix huncalijs quam a Catholicorum armis atque argumentas vti, vtpote traditionibus & Patrum atque antiquitatis auctoritate eleuata; hacque vna ratione illorum ictus declinare. *Patres sunt*, inquit Socinus. *Sed quid? Et ipsi homines sunt. Num quid Deus non minus nos quam ipsos illuminare potest? In terra quidem iudex nullus est penes quem sit religionis controuersias decidendi potestas, quam solum Dei verbum.* Hæc diuerticula atque effugia sunt omnium hæreticorum. Miraris, Lector, tantam hæreticorum ac tam diuersorum colorum, tantam in schola Sathanæ classium, tantam Euangelicorum, scilicet, multitudinem: qui omnes se Iesu Christi filios dicunt, qui omnes etiam cum vitæ periculo opiniones in suo cerebro natas mordicus tuentur, tam de salute quam de morte sua certi.

Sed nondum ad tragœdiæ huius catastrophen peruentum est. In scena adhuc versatur diabolus, & tamquam choragus, alias subinde atque alias nouas personas producit: vt sunt *Vncti*, (c) *Puritani*, (d) & alij de quibus agemus infra vbi de Anglia sermo erit. Sed & alios hic omitto, *Hussitas*, *Taboritas*, *Vtraquistas*, *Calixtinos*, in IV. librum ad Bohemiæ historiam reiectos; itemque, *Veteres VValdenses* in Gallia (de quibus etiam alibi) & infinitos alios, nulla re quam ignorantia & pertinacia inter se conuenientes, vt qui veluti fluctus maris reciproco quodam opinionum æstu inter se colliduntur, erroresque fouent incompatibiles. Hos velut in stadio cum dæmonibus decurrere, ac de brabeo cum ipsis contendere, merito dixeris. Iidem nihilominus cum primitiua Ecclesiæ nati videri volunt. Mirum quod non ante eam, quemadmodum Arcades ante Lunam, natos se dicunt. Imo vero inventus est eiusmodi qui pro Lutheranis triumpharet hoc versu. *Constans nostræ Fides annorum millia quinque, vltra sexcentos inuariata lucet.* Cum Catholicus religioni sanctæ accinuisset, *Mille & sexcentis micat inuariabilis annis.*

Sunt quoque *Fratricelli*, qui Iesu Christi infantes se iactant. Infames hæretici, qui brutorum more in synagogis suis, exstinctis candelis, promiscue concumbunt. Horum secta quantum ad fidem, ex Lutheranorum & Picardorum confusis inter se opinionibus est composita Auctor eorum fuit quidam Herzog nomine præter recensitos, hactenus sunt quoque Semilutherani, Antilutherani, Luther-Osiandriani, Luthero Zuingliani, Luthero-Caluiniani, Luthero-Papistæ: & in vniuersum tam fertilis est tamque multiplex Lutheranorum secta, vt vndecim eorum factionis Anno M D LIX. Principum iudicio hæreseos fuerint cõdemnatæ, vt Stapletonus scribit (e) Silentio etiam præ-

a *Anatomia Eccl. Cathol. Tr.* 1. b *Socin. lib. de Christi Natu* c *Anatomia Eccl. Cathol.* d *ibid.* e *Lib. 4. Controu.* 1. *cap.* 13.

prætereo *Mansfeldianos, Hesshusianos, Lopsenses, Macedonianos*, de quibus Hosius in Anti Brentio, & alij: qui omnes ad reformandam Ecclesiã se natos dicunt. Quamuis autem plerique harum sectarum, quas in præcedentibus capitibus enumerauimus, Auctores in suo, vt ita dicam, fumario suffocati sint, non paucos tamen successores reliquerunt, qui populis Septemtrionalibus opinionum suarum fumos vendiderunt: quorum memoria æterna potius obliuione oblitteranda, quam nostris scriptis posteris tradenda est. Quamuis horum quoque memoriam non aliter, quam Perilli taurum conseruari operæ precium videtur, vt quoties eorum nomen vsurpatur, toties maledictiones & exsecrationes in auctorum capita iaciantur.

VII. Ab his miseri & vecordes homines excantati, iam hunc iam alium nouorum istorum vatum sectabantur. Vidistis supra eos qui montes Apocellanos, ductu Prophetæ sui, conscenderunt, vt inde ad cœlum ascenderẽt: hic nouum audi prophetam, Lutheri discipulum, certum diem extremo iudicio & cœlorum apertioni constituentem; de quo Hanardus Gamerius scribit. (a) Hic Michael Stifelius Arithmeticæ aliquantum gnarus fuit: qui vidente fere atque audiente Luthero in pago VVitebergæ vicino, Holtzdorff dicto, auditoribus suis, ad quos docendos à Luthero fuerat appositus, persuasit, III. die Octob. A. M D XXXIII. Mundi fore finem. Hac fama diuulgata, plerique in Saxonia & Misnia relicta agricultura, & omni negociorum cura abiecta, totos se orationibus dediderunt. Forte illo ipso die post horam decimam, quã ille vltimam cõstituerat, atrox tẽpestas exorta, vaticinio fidem pæne fecit: cuius tamẽ vanitatẽ cœlum non multo post rursus serenatum & multo magis quam antea sudum, prætefecit. Tũ Stifelius vates captiuus VVitebergam abductus, sed Lutheri opera liberatus, & ad Ecclesiam suam fuit remissus. Hac de re elegantes exstant Poetæ cuiusdam versus, quos hoc loco apponere visum est.

Eheu Fauste (precor) nunc, quod me perdidit audi.
Est in Saxonia, quæ me nutriuit alumnum,
Patria, de lignis Holtzdorffia dicta vocatur.
Hæc cùm susciperet falsis de vatibus vnum,
Se simul & miseros nos perdidit ipsa colonos
Funditus: & miserè stricto velut ense peremit.
Namque Michaelem quendam pro vate recepit
Nomine Stifelium, socium comitemq; Lutheri,
Cùm coleret monachos, & cùm turbaret eosdem.
Is se sacra putans mysteria scire deorum,
Quadrati numeri secum ratione putata,
Dixit in hoc ipso, quem nos memorauimus anno,
Quòd foret Octobris decimam lux circiter horam
Tertia supremi perituri terminus æui.
Credita sub tanto res tanquam vera magistro,
Agricolas ruri, sed & intra mania ciues
Luminibus claris obducta nube fefellit.
Quem non deciperet? credebat idipse Lutherus
Vaticinatoru, subscribebatq; Melanchthon.
Hi qui Misniacam subigebant vomere terram,
Et qui Saxonici cultores ruris eramus:
Incultos agros, incultaq; tecta domorum,
Et patiebamur sine frugibus arua perire,
Hoc satis esse rati, si tantum venter haberet,
Quantum sufficeret dictas ad temporis horas.
Nos igitur socij, summis pro viribus omnes
Pergræcabamur sic, vt nihil esset inare,
Nil itidem pecoru, cùm tempora dicta venirent.
Cùm tamen ille dies Octobris tertius esset,
Conueniunt omnes, quorum stultissimus ipse
Consistit medius, fausturnq; precatur; & orat:
Agricolis etiam frustra metuentibus, inquit
Stifelius clamans: surgendi tempus adesse,
Supremum que diem nostra venisse salutis.
Nam quo quisque modo vestitus staret ibidem,
Hoc debere statim cœlo super æthera ferri.
At cùm iudicij iamdudum tempus abisset
Vt dubitans secum præsagia falsa putaret,
Fortuita quidam veniens ab origine ventus,
Eludit subito mendacem turbine vatem,
Qui simul ac perijt, nos pænè perijimus vnà,
Quòd non adfuerit iudex cum turbine Christus.
Nam propter pecudes, propter bona perdita, mœstis
Grata dies nobis toties promissa fuisset.
Ergo Stifelium manibus post terga reuinctis
Atq; manus pedibus per mutua vincula nexis,
In curru positum nunc huc raptamus, & illuc,
Donec ad eximiam fessi deuenimus vrbem,
Candida quæ niuei sortitur nomina montis.
Hic nos iudicio damnandum sistimus æquo,
Parua petituri magno solatia damno.
Sed frustra petimus, frustra culpamus iniquum,
Frustra carceribus clausum detrudimus hostem:
Quo duce communis sortis fortuna periisset:
Nam (quia de corio fuit ipse Lutherus eodem,
E quo Stifelio factum dedit ocrea nomen)
De manibus nostris, & certa morte redemptum
Excellens magica turpissimus arte Lutherus

Stifelium

Stifelium nota præfectum reddidit Adi.
Nos vero miseros, miseros nos ille reliquit
Elusos miserè; quorum pars tabe periuit:
Pars sua crudeli confodit pectora ferro.
Pars, quorum numerum fugiens mœstissimus auxi,
Diuersas adijt patrijs à sedibus oras.
O vtinam vero contingeret infimus ordo,
In quo seruitij mihi ponderа ferre liceret.

Alius quidam recordiâ Stifelio nihil cedens, è nostra schola egressus, (a) Ioannes Campanus nomine, in Cliuiensi ditione populo similibus deliramentis illusit. Omnes vero hi, quos in hæresis hoc theatro diuerso habitu à nobis productos vidisti, quamuis ipse Orcus nihil euomere potuisset exsecrabilius, impijs suis erroribus *Sacram Scripturam prætexebant, hanc cynosuram suam & regulam esse iactabant; nec quidquam in ore ipsorum erat frequentius quam Euangelium:* à quo etiam, more omnium hæreticorum superbum sibi, ad Catholicis insultandum sumentes titulum, EVANGELICI appellari voluerunt. Et hunc quidem titulum non Lutherani tantum, sed & Zuingliani, Caluinistæ, Anabaptistæ, & alij omnes ex æquo sibi vendicant.

VIII. Horum vnus equestris ordinis, solus facere tentauit quod ipse diabolus tentare vix ausit. Contra enim quam alij fecerant, Sacram Scripturam penitus abolere conatus est, Lycurgi credo, exemplo, qui leges suas scripto consignari noluit. Hanc enim omnium controuersiarum, & litium aiebat esse subiectum. Gaspar Schvvenckfeld ei nomen fuit, quem Lutherus per ludibrium Stinckfeld appellare solebat. Licet vero doctrina huius hominis omnium fere reliquorum dogmatis aduersaretur, non paucos tamen nacta fuit sectatores. Fuit vero Schwenckfeld natione Silesius, nobili loconatus, disertus admodum, qui sectam quandam inter Romanum Antichristum & Lutherum hæresiarcham, vt VVigandus scribit, & ipse in libro *De triplice vita* fatetur, intermediam cudere instituit; petitis ex Apocalypsi præcipue argumentis vel deliramentis potius, & in omnibus non litterali, sed mystico seu spirituali quæsito sensu. Inter alios ipsius sectatores quos eloquentia & doctrina sibi adiunxerat, fuit Sigismundus quidam Pastor Lignicensis, qui vnà cum Schuuenckeldio Silesiæ populos multis erroribus implicauit. A Friderico Palatino Comite eiectus Schuuenckfeldius in Saxoniam abijt, vbi cum Luthero de aliquot Fidei articulis disputauit, persuaderi tamen non potuit, vt ad Lutheranam Ecclesiam, cum qua diuortium fecerat, rediret. E Saxonia Augustam Vindelicorum, atque inde Vlmam & Argentoratum peruenit, nouam suam religionem, totam spiritualem, & nihil carnale, vti dicebat, redolentem, vbique disseminans, ac plures passim tam eloquētia quam externa vitæ sanctitate siquidem in se ipsum valde fuit rigidus, & hominum iudicio agebat vitam valde alienam à vitijs, quæ apud Lutheranos vigebant, à quibus suos strenue auocabat, & priuatim in domibus habens concionesad se alliciebat. Suos sectatores *Confessores gloriæ Christi* appellari voluit. Lutherus vero hunc hominem acerbe oderat & quamuis, ex Lutheri scriptis dogma de Deificatione Christi hominis hausisse se profiteretur. nihilominus tam ipse quam omnes cum ipso sentientes in Conuentu Anno MDXXXVII. Smalcaldiæ habito, hæreseos fuerunt condemnati. Eius de Cœna Domini sententiæ siue Explicationi VVolfgangus Capito magni nominis Prædicans applaudit, præfatione libris eius præfixa.

Præcipua erratici huius Equitis dogmata fuerunt: (b) Ad salutem consequendam nec lege nec scriptura opus esse: oportere hominem diuina inspiratione doceri, & Dei opera in magno huius Vniuersi libro proposita contemplari, atque ex eis Dei cognitionem haurire. Scripturam S. meram esse creaturam & occidentem literam: Iesum Christum non contineri sub littera; sed diuino spiritu, qui se hominibus communicet, cognoscendum esse. Ad hæc probanda, S. Scripturæ vtebatur testimonijs (c) Ac primo, *annon*, inquit, *apud S. Matthæum ipse Saluator dicit, Nos vnum tantum magistrum in cœlis habere, neque alium esse qui docere nos possit aut debeat? Et apud S. Ioannem, solus Christus Verbum esse dicitur. Et D. Paulus, Littera*, inquit, *occidit: spiritus autem viuificat* &c. Hic vero mi Lector vide quæso, quam turpiter homines S. Scripturam abutantur, & insignem hominis improbitatem, Scripturam ipsa Scriptura impugnare atque euertere conantis! vt legere est in libris ab ipso editis. *De abusu Euangelij, & De Verbo Dei.* Simili ratione Ambro-

a *Lindanus lib. 1. cap. 9. de fug. Ido.* b *Vid. Confess. Mansfeld. & Lauren. Hartenr. Illyr. in Præf. super Epistola Postelli. Vlenberg. Vit. Luth cap 32. n. 2. Schlusselb. in Catal. Haret. de Schvvenck. Curæus in Chron. Silesiæ Anatom. Eccl. Catholicæ Tract. 1.* c *Esa. 18. Iere. 29. 1. Thessal. 2. 2. Pet. 1. &c.*

sius, nescio quis, vtrumque Testamentum reijcere non dubitauit, vt Eccius in Refutatione Zuingliana Confessionis testatur, & alius nostri temporis scriptor, Otho Braunfelsius no. [illegible]e, Euangelia ab Apostolis scripta esse negauit: adeoque hos sæpius errasse, & vt Magistrum suum ornarent pluribus fictis narrationibus historiam suam referssisse, summa cum impietate asseuerauit. Schvvenckfeldius præterea renouatis veterum Manichæorum & Valentinianorum erroribus, docuit, Iesum Christum non in vtero Mariæ virginis virtute Spiritus Sancti fuisse conceptum, sed, quod hominem à Deo ad nos redimendos expresse creatum, sibi coniunxerit: hunc{que} ipsum hominem post ipsius ascensum ad cœlos Deum, factum esse. (a) Personam Filij esse quoque personam Patris. Non à Deo Patre verba hæc è cœlo prolata, *Hic est filius meus dilectus*; sed vocem tantum fuisse è nubibus expressam. Fidem nihil aliud esse quam essentiam & naturam Dei. Omnes Christianos naturales esse Dei filios, ex natura & essentia diuina ab ipso procreatos; Christum vero omnium esse sanctissimũ, primogenitum & hæredem. O horribiles blasphemias! Recte ergo Hosius ait, Sathanæ Euangeliũ à Luthero initium cepisse: idem{que} per Schuuenckfeldium fuisse consummatum, tanta discipulorum & sectatorũ frequentia, vt multis in locis Germaniæ & Heluetiæ plures Schuuenckfeldiani quam Lutherani reperti fuerint. Georgius quidem Häsfeldius Caluinista Schuuenckfeldium vitæ probitate atq; integritate Luthero superiorem fuisse testatur, sed Melanchthon longe aliter sentiebat, dicens, Schuuenckfeldium centum habere manus, & armatas vndique circa se copias, quibus nefaria passim scripta spargat, & turbas atque seditiones excitet. Viginti octo annis quibus hinc inde vagatus est, quinquaginta libri ab ipso scripti feruntur, à Schlusselburgio libro X. recensiti: quos ille plerosque vix dum natos ad Lutherum mittere solebat, vt eum tanto magis vreret. Vide hic etiam Lector amice, qua ratione Lutherum Deus per suos punierit, & quamuis Lutherus implicitus fuerit malis ex suo abyssi puteo aperto: siquidem missis ad Lutherum libris suis, cum nuncius Schvvenckfeldij censuram urgeret; in hunc modum Lutherus nuncio eius rescripsit: *Minuncie, Domino tuo Casparo Schvvenckfeldio renuntiabis, quod à te litteras ipsius acceperim & libellos. Atq; vtinam ille cessaret. Namignem accendit in Silesia de Sacramento qui nondum extinctus est sed ardebit in ipsum perpetuo. Praterea nunc progre-[illegible]etur Eutychianismum renouans & Ecclesiam pertur-bat cuius rei mandatum non accepit, nec vocatus est. Insanus morio per dæmonem obsessus nihil intelligit nec scit, quid garriat. Quod si non vult quiescere, nõ est quod me post hac obtundat . . . . .* (Omitto spurcissimum verbum à Luthero positum) *libellis mittendis, quos diabolus ex ipso euomit, & ter posteriora emittit. Atq; hoc extremum à me iudicium habeat & responsum: increpet Dominus in te Satan, sit spiritus tuus, qui te vocauit & cursus tuus, quo curras & omnes qui participant tibi Sacramentarij & Eutychiani tecum in perditionem, quia scriptum est: currebant & ego non mittebam &c.* Anno 1545. Ita Lutherus sub finem vitæ valde munde.

Docuit idem Schuuenckfeldius, *stultum esse cogitare, Christi corpus in Sacramento præsens esse. Hominem sine Sacramentorum mysterijs saluari posse, neque ea ad salutem esse necessaria. Corpus Christi è cœlo assumtum, modo quodam aereo pani circumfundi. Ex quo sequitur, corpus Christi iam glorificatum omnia replere.* Vides Vbiquistarum originem, atqui Saluator corpus suũ ante glorificationẽ discipulis manducandũ dedit; & corpus post glorificationem demum, vt dicit Schvvenckfeldius deificauit. Non minus ergo inepta quam impia est Schuuenckfeldij opinio, quæ olim etiam fuit Appollinaris, Marcionis, & Valentini existimantium, Christum corpus suũ è cœlo attulisse. Qui plures Schuuenckfeldij errores cognoscere cupit, Confessionem Mansfeldensem legat. Lutherus summus nouorum Euangelicorum Pontifex Schuuenckfeldium reprehendit quod docendi munus vsurparet, nec tamen vocationem suam probare posset. Sed festucam in oculo alterius vidit, qui trabem in suo videre non poterat.

Furiosi huius hæretici non minus furiosus hæreticus Lutherus (b) passim mentionem facit, ac præsertim vbi diuersas de Cœna Domini opiniones recenset. Schuuenckfeldius enim dicebat, verba hæc, *Hoc est corpus meum*, plane esse obliterãda vt quæ spirituali intellectu, obstẽt. Sic verò intelligenda: *Hoc est corpus meum* id est, *Corpus meum est hoc*, nimirum spirituale quiddam. Zuinglius, vt scribit VVolfgangus Capito, *Est*, interpretatur pro *significat*: Oecolampadius *Corpus* pro *figura Corporis*. Schuuenckfeldius, *Hoc*, pro signo quodam spirituali, quo animus ad panem illum cœlestem

a *Cochl. cap. 3 & 4. de scrip. & Eccle. auctoritate.* b *Tom. 12. VVitt. p. 210. Tom. 8 p. 173. Schlusselburg. de Schvv. p. 42.* c *Luth. Tom. 2. Germ. fol. 259 & in 17. cap. Ioan. & in Breui Conf. Tom. 8.*

ſtem, qui ipſe eſt Chriſtus, eleuetur. Nolo confutandis his ineptijs immorari: non poſſum tamen non mirari extremam eorum amentiam qui tam abſurdis, non dicam SS. litterarum Doctore, ſed ne homine quidem dignis, opinionibus aſſentiuntur. O cœcas hominum mentes, ô pectora cœca! O mitam diaboli aſtutiam, & quiduis ſuis perſuadendi artem! Contra nobilem hunc Doctorem, cuius ſecta poſt mortem Lutheri præcipue inualuit, circa Annum M D LIV. Lutherani quamuis diuerſarum factionum Naumburgi ſynodum celebrarunt, cui interfuerunt Amsdorffius, Ionas, Pomeranus, Cruciger, Melanchthon, Coruinus, Bucerus, & alij; ac poſt multam diſceptationem ac diſſenſionem, Schuuenckfeldianorum ſectam cõdemnarunt, ac præcipue errores duobus libris Schuuenckfeldij *De duplici ſtatu Chriſti*, & *De vero Euangelij vſu*, comprehenſos.

IX. Schuuenckfeldianorum ſectæ affinis eſt illa quæ *Spiritualium* dicitur, qui & ipſi Scripturam nihili ferè faciunt. Vt enim Schuuenckfeldius paſſim, ac præcipue in libello *Valete* inſcripto, docet, ſcripturam duos habere ſenſus, vnum literalem, qui ſit inutilis; alterum myſticum & ſpiritualem, ad quem ſola à Deo rapta anima penetrare poſſit: ſic Spirituales ſolis ſibi veram rerum ad religionẽ pertinentium cognitionem datam eſſe aſſerũt. nec opus eſſe Sacramentis aut vllis alijs ſubſidijs quam deuota meditatione Saluatorem in Cruce verbis illis *Conſummatum eſt*, pronunciatis, ſatis oſtendiſſe; omnia ad ſalutẽ peracta, nec vllo amplius opus eſſe ſacrificio, lege, aut Sacramento. Sed & ex his eiſdem vltimis Saluatoris noſtri verbis, omnes noui iſti Euangelici omnium ceremoniarum & ſacrificiorum abolitionem euincere ac probare conantur, non conſiderantes, Dominum & Saluatorem noſtrum illis verbis tantum oſtendere voluiſſe, opus Redemtionis noſtræ iam à ſe eſſe perfectum ac conſummatum; & veteri Legi finem impoſitum; ac vetus illud ſacerdotale officium in longe excellentius eſſe commutatum, vt Sanctus Paulus in Epiſtola ad Hebræos teſtatur.

Omitto plures minorum gentium, vt ita dicam, hæreticos: quorum memoriam & ſtultam doctrinam ſilentio obrui quam poſteris tradi ſatius eſt. Quotquot vero exſtiterunt, à Luthero omnes progreſſi ſunt: qui primus enſes gigantibus his ad cœlum oppugnandum, vel potius, tamquam alter Epeus Troianum illum equum, è quo tot armatorũ cohortes ad euertendam Eccleſiam prodierunt, fabricauit. O cœli opprobrium, ac terræ odium hæretici! qui omnes nulla in re niſi in peſſumdanda Eccleſia conſpiratis. Sed agite prout lubet, omnes veſtras vires contra eam conuertite: ſtabit illa nihilominus, & tamquam firmiſſima incus, veſtros omnes ictus reſpuet atque eludet. Cyclopas hos & gigantes infernalis Vulcani miniſtros, (quorum omnem vim Eccleſia non minus fortiter quam rupes fluctuum impetum excipit ac frangit) merito dixerimus: videamus tamen an *ijdem locuſtæ illæ ſint, quarum in Apocalypſi ex ore infernalis putei egreſſarum ſit mentio.*

HAERESEON QVAEDAM FIGVIÆ, ex Apocalypſi petitæ.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

I. *Quæ ſit ſtella illa in Apocalypſi è cœlo delapſa.*
II. *Ante Lutheri aduentum Fides fuit vniformis.*
III. *Quid ſignificet fumus qui aerem obſcurauit.*
IV. *Quæ ſit turma illa locuſtarum.*
V. *Modus quo locuſtæ progreſſæ ſunt.*
VI. *Regem non habent viſibilem hæretici vt Locuſtæ ſed inuiſibilem.*

I. MIHI innumerabilem illam hactenus confuſo quodam ordine à nobis repræſentatam ſectarum multitudinem non ſine ſtupore intuenti, illud D. Ioannis de locuſtis ex abyſſi puteo egreſſis vaticinium (*a*) itemque alia nonnulla ibidem prodita, impleta videntur. Per ſtellam illam è cœlo delapſam quid aliud intelligas quam Lutherum Monachum, hominem è terra quaſi ad cœlum eleuatum, puritate & ſplendore quodam Eccleſiaſtici ordinis coruſcantem primò, deinde vero Mundi huius cœno immerſum, inceſtuoſis innexum nuptijs, & in carnis & ſanguinis voluptatibus ſeſe volutantem, (*b*) qui vt prius Dei amore parentes, & fortunarum ac dignitatum ſpem omnem à ſe abdicarat: ſic earundem rerum ſpe ac dignitate, omnem rurſus pietatem ac religionem abiecit ac proculcauit. Et ſicut à Saluatore noſtro D. Petro Apoſtolo cœlorum claues datæ ſunt; ſic ei qui per ſtellam hanc deſignatur, à Sathana clauis infernalis putei tradita à S. Ioanne ſcribitur: è quo aperto, fumus tamquam ex magna fornace exierit, ſolemque obſcurarit.

a *Vide Bellar. in Reſponſ. contra Chytraum: & P. Cotton. in Apologia.* b *Apocal. 9.*

II. Ante stellæ huius casum omnes ad Occidentem regiones, adeoque vniuersa Latina Ecclesia vnam religionem colebat. Eadem erat vbique fides, eadem Sacramenta, eadem iejunia, ijdem dies festi, eædem cæremoniæ, idem cultus. Nondum erat vllum contra prisca illa altare erectum. Vnum ab omnibus sacrificium quotidie frequentabatur, vnus Pastor, summus Pontifex, vnum ouile eiusdem matris lacte educatum agnoscebatur. vt libro primo cap. prioribus ostendi. Postquam vero stellæ illius de cælo Lutheri ex Ecclesia Catholica casus accidit, & puteus inferni per eum apertus fuit, siue per *clauem Gradus Doctoralis* in Theologia Luthero per Academiam Wittebergensem concessam, & à Carolstadio promotore eius ipsi traditã; siue per Staupitium Prouincialem Augustiniani ordinis concessam contra Indulgentias à Dominicanis promulgaras An. 1517. prædicandi & scribendi *licentiam*, siue per *suggestionem* ambitionis & inuidiæ à dæmonio inspiratæ, seu quouis alio modo inordinato datam facultatem ab authore non habente legitimam authoritatem tam densus hæreseon, schismatum & sectarum fumus omnia ita obscurauit, vt non dicam vna in prouincia aut vna vrbe, sed in eadem domo vicini, amici ac cognati sese internoscere non potuerint vt libro 2. satis demonstraui. Vide hic, quæso, quam mirabiliter Deus amicos, & Israelitas ab Ægyptijs separarit. Nos enim qui Dei gratia fumum istum infernalem euasimus. Catholicos omnes non in Hispania tantum, Italia, Anglia, Gallia, verum etiam alio sub sole iacentibus & obuersis climati nostro regionibus pro fratribus agnoscimus & habemus: at miseri illi Septemtrionales populi, quorum terras plusquam Ægyptiæ tenebræ occuparunt, in eadem domo, vti diximus, vix sese internoscunt.

III. Tam solem quam aërem è fumo hoc obscuratum Apocalypsis loc citato testatur. Per solem Christum D.N. intelligi tam Catholici quam hæretici aiunt interpretes, vt qui de se ipso dicat: *Ego sum lux mundi*(a). Per aerem vero verbum diuinum intelligendum est, per quod viuimus veluti & spiramus. An vero vmquam sol hic iustitiæ magis fuit obtenebratus, quam quum nigri illi & palpabiles errores ingruerunt? nimirum doceri cœpit per Lutheri progeniem: *Christum Iesum Deum non esse, non esse adorandum, de salute eum sua desperasse, pœnam damnatorum tulisse, &c.* Quam multis vero tenebris ijdem Verbum Dei inuolverunt! primò Traditione acceptum Verbum Dei abrogarunt, & sola Scriptura propagatum reliquerunt. deinde sacram Scripturam relictam quã horribilibus non tenebris inuoluerunt? quã multis contrarijs expositionibus eandem obscurarunt? Omni enim verbo non scripto, ab hæreticis reiecto ac proculcato, Deus bone, quot interpretationes contrarias, quot Commentarios sibi inuicem repugnantes, quot toto cœlo distantes sententias natas vidimus! & quidem ijs de rebus quæ olim quum Ecclesiæ adhuc omnes starent iudicio, nihil omnino habebant dubitationis. Vel sola illa quatuor verba, *Hoc est Corpus meum*, quibus olim nihil erat lucidius, iam Sibyllæ folijs & quouis ænigmate obscuriora videntur, vt ad ea explicanda Delio natatore, vt Socrates apud Platonem loquitur, opus sit.

IV. *Locustas illas ex infernalis putei ore egressas quas* S. Ioannes Commemorat, perspicue videmus indicari Prædicantes Lutheranos, & qui ab his docti manum & cerebrum apposuerunt ad Biblia sine authoritate legitima, nam Locusta est animal ventricosum adeo, vt præter ventrem vix quidquam habeat: & quamuis alas habeat, volare tamen vix potest; sed vbi parum sese in altum dedit, statim ad terram, ventris pondere depressum, relabitur. Similes plane his sunt hæretici nostri ventri toti addicti, ieiunij omnisque continentiæ hostes *Hic venter Deus est*, vt Tertullianus ait, *focus altare, cocus sacerdos; quorum fides in culina calet, charitas in libete bullit, & spes omnis in catino & disco posita est*: quibus illi rebus impediti, per viam mandatorum Domini gradi, aut contemplationis alis animum eleuare nequeunt, sed quamprimum erigere aliquantulum se conantur, statim locustarum more, in terram vel potius è cœlo ad infernum, Fidei omnia, bonis operibus nihil tribuentes, relabuntur. Locustæ etiam ducem nullum habent, sed turmatim huc illuc circumvolitant, vt sapientissimus quoque Rex notauit. Sic hæretici ducem nullum aut caput cui obediant, agnoscunt. Superbiores enim sunt quam vt cuiusquam ferant imperium: nec quidquam in Catholicis magis reprehendunt quam quod omnes vni obedire sustinent. Locustæ quoque mirum in modum fæcundæ sunt ac breui longe latequę omnia obsident. Eodem modo hæretici

cier-

a *Ioan. 8.* 12.

cito admodum crescunt ac multiplicantur, sicut paucis annis ingentem hæreticorũ, ad instar fungorum vna nocte enatorum, productam copiam vidimus

V. *Locustæ hæ dicuntur à S. Ioanne exijsse in terrãm, & datam illis esse potestatem sicuti potestatem habent Scorpiones terræ.* Quid verò est aliud exijsse, quam prædicantes sponte sua, non vocatos à Deo, vt Aaron, nec missos, vt Apostoli, officium docendi, & populum seducendi, in suas partes, occepisse? ideo enim & Iudas exiuisse narratur, qui ad sui arbitrij placita se conferebat; & falsi Prophetæ sic exierunt, qui *currebant* Deo conquerente, *& ego non mittebam eos, loquebantur & non mandaui.* Hic exitus prædicantium ex arbitrio suo, sine legitima vocatione Dei vel sedis Apostolicæ, est adeo perspicuus character locustarum, vt nemo hactenus prædicantium repertus sit, qui eius rationem dare pro se potuerit, sed omnino ibi *Conticuere omnes.* Porro potestas scorpionum non est obscura, nempe cauda venenum infligere. Hoc qui ignorat à Nouis Euangelicis, maximis illis Consolatoribus, & Paracletis, ingeri, legat peruideatque singulorum Hæresiarcharum Vitam ac Historiam, maxime Lutheri, & potestatem Scorpionum in eo clare tenebit. Hinc *Vultus humanus* quem S. Ioannes locustis tribuit, initium denotat hæreticarum concionum, quæ blandæ sunt & singularem pietatis ac sanctitatis speciem præ se ferunt, nihil hic audias nisi Christum, nisi æternum Deum, nisi Dominum & Saluatorem nostrum. At, at Scorpionis cauda fructus hæreseos significat venenatos & pestiferos, tristemque exitum: vt quæ Dei verbum falsis interpretationibus corrumpit, & ad varios defendendos errores detorquet; adeoque cauda sua venenata ictos auditorum animos, lethali inficit veneno sic vt ad odia, rebelliones, bella & crudelitates infandas perducantur.

Per coronas in locustarum capitibus arrogantiã & superbia hæreseos designatur. Similes auro sunt: quia hæretici splendidos sibi sumunt titulos vt qui Euangelistæ, Prophetæ, secundi Eliæ, Enochi, Mundi denique Reformatores & nescio quomodo non à complicibus suis vocantur. Ferrea lorica obstinationem eorum & pertinaciam significat, vt qui victi etiam pro victoribus se gerant. Hæresis enim proprium est rumpere potius omnia quam flecti. Similitudo equorum paratorum in prœlium, audaciam eorum & temeritatem denotat, qua nec Goliatho nec vllis terræ filijs cedunt. Per currus equorum volantium celeritas significatur, qua hæreses in diuersis ad Septemtriones regionibus propagatæ sunt. Omitto plures acutioresque singulorum symbolorum in locustis expressorum expositionem, quam Interpretibus scripturæ vel alteri loco reseruo, inter quæ est fœnum terræ & viride & arbores quæ Locustæ illæ lædere non potuerunt. Adhæc menses quinque, quibus cruciabunt eos quos subigere non potuerunt, & similitudo equorum & capillorum muliebrium, & dentium Leoninorum.

VI. Solum id adhuc addam quod *Locustæ illæ habent super se Regem inuisibilem, nempe angelum abyssi*, cui etiam inuiti parere coguntur. Hic idem est quem Iobus Regem appellat filiorum superbiæ & qui Luthero apparuit in arce Wartbergensi Exterminator Sacrificij & Sacerdotij in Lege Noua. Et bene ei Nomen est, *exterminans*: eo quod vnà cum locustis nihil magis quam exterminare Ecclesiam omniaque perdere conetur. Ascende in cœlum, obi terrarum orbem, descende in Infernum, lustra Purgatorium; nihil omnino occurret quod non hæresis insaserit. Hæc Trinitatem oppugnauit; hæc Christum tam humana, quam diuina natura spoliare, hæc eundem cælo includere, hæc Sanctis beatitudinem, angelis omnem venerationem, Ecclesiæ Sacramenta auferre: hæc eadem sacerdotium, sacrificia, Vota, Ieiunia, dies Festos, Altaria, Cruces, Reliquias, omnia denique pietatis ac religionis signa atque ornamenta auferre & abolere aggressa est. Sic igitur multo meliori ratione vaticinium hoc Apocalypticum B. Ioannis, de stella è Cœlo lapsa, & aperiente puteum abyssi &c. Luthero eiusque complicibus accommodari potest, quam B. Gregorio Papæ tam re quam cognomento Magno, ad quem illud ipsimet hæretici detorquere conati sunt, veluti Chytræus, qui insipide nullam habens vel ex tempore vel ex conditione hominis, vel alia re analogiam, inculcare contendit, *Stellam illam è cælo delapsam, Papam esse Gregorium, qui pro Paradisi, quas habebat clauibus, abyssi, id est, Inferni claues arripuerit. Fumum putei, doctrina Papistica esse contradictiones, locustas Monachos esse & Sacerdotes, quorum sin-*

singularis ille fuerit protector. Sed hæc ego pluribus hoc loco ventilare nolo, utpote in Antichristo meo satis superque discussa qui si quibusdam forte ignotus sit, is vel ex his paucis Chytræi deliramentis nænias animadvertet. 1. quod Beatus Gregorius de nullo statu Ecclesiastico deciderit, sed per minora Ecclesiæ officia & Gradus evectus ad supremum apicem in eo permanens constantissimè, obierit: Lutherus econtra ascriptus in ordinem & Doctorem Theologiæ & ab ordine suo in sæcularem vitam & à Theologia Veteri desciverit in novam à se excogitatam. Secundo quod Beatus Gregorius claves habuerit, ipso adversario confitente, nempe Scientiæ, & Jurisdictonis Lutherus autem clavem Solius Scientiæ, sine omni Jurisdictione. Tertio quod Beatus Gregorius claves quas semel acceperat, non mutaverit, Lutherus vero quod acceperat traditum mutaverit, ut ex utriusque vita & actis collatis elucet. 4. Quod Fumus nullus ex S. Gregorij doctrina vel actus secutus sit, quo obscuratus sit splendor gloriæ Christi vel Ecclesiæ, quia per illum etiam Anglia ad Fidem Christi accessit. At per Lutherum ut ex 100 hæresibus ex eo natis supraliquet & gloria Christi per septentrionem imminuta est & Ecclesia excisa. Locustas vero esse monachos & sacerdotes, id pro ea parte, qua illi uti Lutherus, Calvinusque, Zwingliusque defecerunt ab ordine suo verum dicit Chytræus, qua vero parte Monachi & sacerdotes propositum Fidei & professionis suæ tenuerunt, non Locustæ sane fuerunt sed messores in agro Domini, è quo manipulos Gentium, ex Anglia, Scotia, Jndiaque tota, in horreum Domini, ad stuporem comportarunt. Quod vero hunc, omnium qui post Apostolos fuerunt maximum & sanctissimum Pontificem hæretici venenatis calumniarum telis potissimum impetant, causa est quod ordo & ceremoniæ Ecclesiasticæ, quæ Jtalia à Gothis & Vvandalis vastata, nonnihil labefactatæ fuerant, ab eo sint restauratæ. Ea enim tempestate nostris temporibus simillima, omnes libri Ecclesiastici quos nãcisci illi poterant, ab hæreticis combusti, & altaria destructa erant & in pulverem redacta: quæ omnia optimus & sanctissimus ille Pontifex restauravit, atque Ecclesiam pristino nitori restituit, fidemque longe in Jnsulas propagavit, gentiles convertit: Jpsi Centuriatores (a) fatentur, *ab hoc divini Verbi doctrinam, adeoque ipsam Christianitatem, quæ hæresi iam iam manus datura videbatur, fuisse conservatam.* Tanta scilicet tamque admirabilis veritatis vis est, ut vel ab invitis, quam cupit, confessionem extorqueat.

QUOMODO QUISQUE NOVAM sibi religionem fabricare instituerit: & quam miseris modis Catholici oppressi sint & decepti.

Caput XVIII.

ARGUMENTUM.

I. *Lutherus tantam novorum Doctorum multitudinem è schola sua progressam videns, stupore defixus.*
II. *Vnusquisque novæ sectæ vult haberi auctor.*
III. *Laici Concilia indicunt.*
IV. *Querela Centuriatorum de magistratu popolari.*
V. *Quomodo primi Lutherani Catholicos aggressi sint.*
VI. *Maior pars Catholicorum tum male instructa ad refutandos aduersarios.*

I. LVTHERVS tot novas quotidie emergentes opiniones, tot novas sectas nascentes, & Sacramentariorum præsertim sectam mirum in modum auctam, ac quotidie è sua schola Novum Novæ Doctrinæ Auctorem prodeuntem videns, valde animo angebatur, immo de rebus suis pæne desperare incipiebat. Præter enim eas sectas quas veluti digito supra indicauimus, vna ipsius proprijssima secta triginta quatuor diuersis opinionibus erat distracta & velut *Triginta capitum fatus enixa iacebat*, vt Bredembachius scribit vel vt alij multo plures, nempe ducentæ, quæ singulæ suos habuerunt assertores atque asseclas. Siquidem *Nonaginta solum hæreses* reperit D. Augustinus à Christi tempore ad tuam ætatem, annis 400, & Nicolaus

(a) Cent. 6. cap. 10. pag. 979. & 680.

laus Sanderus (a) ab ætate Augustini *centum octoginta & vnam*, at à Lutheri apostasia An. 1517. cæpta ad Annum 1595 Stanislaus Rescius (b) & alij (b) ec. impletumq; est iterum exactissime quod scripsit Epiphanius (c) *Sicuti porta olim centimanum Briareum, aut Argum centum oculos habentem confinxerunt; sic omnes huius temporis hæretici in corpus centum capita habens se ipsos efformarunt, & quælibet horum cupiens sibi ipsi principatum constituere, caput nominauit se ipsum, aliam ac furiosam introducens doctrinam, præter Præceptorum suorum vanum laborem.* qui omnes tamen, vti de Gnosticis scripsit Irenæus (d) *suam doctrinam Veritatis vocitant Euangelium. Neque enim* Plinio teste, *vllum tam impudens est mendacium, quod non assertorem aliquem; neque tam absurdum deliramentum*, vt apud Varronem est, *quod non defensorem inueniat.* Totus igitur non in stuporem tantum, sed furorem quoque versus, quod vix à se cœpti ædificij ruinas iam & rudera videret Lutherus apud intimos amicos hanc suam infelicitatem non semel deplorauit. Ad Norimbergenses scribens, (e) *Rem* ait, *mirandam esse ac lachrymis dignam, quod multa vrbes tantum Euangelij desiderium præseferant, vt deuoratura illud videantur, eidem tamen portas atque aditus omnes occludant.* Quantopere vero nouarum indies nascentium opinionum multitudo animum eius perturbauerit, scripta eius passim testantur. *Sathanas*, inquit quodam loco, (f) *hanc prærogatiuam habet, vt tam ineptæ vel absurdæ doctrinæ excogitari non possit, quæ non statim à multis arripiatur ac mordicus defendatur nec vllus tam crassus est error, quin nugatoris aut excrebrati alicuius calculo comprobetur; immo quanto quidque ineptius est atque absurdius, tanto facilius tantoque à pluribus recipitur atque approbatur. Hoc nobis Germanis vitium innatum est, vt nouis rebus semper inhiemus: quibus si quis interdicere nobis velit, ad insaniam nos & furorem redigat; at eadem si libere nobis permittantur, mox fastiditis prioribus, magis aliquid nouum optabimus. Ego etiamsi centum annos vixero, nullum tamen quietis in Christiana Republica constituendæ spem video. Adeo diabolus vinculis solutus vbique tumultuatur. Nihil aliud cupio, quam ex sæculo quamprimum exire.* nimirum videns sua culpa puteum abyssi apertum exhalare tam tetros fumos, vt ipsi authori oculi dolerent. Inde dignum hoc, eius qui tantorum omnium malorum auctor fuit, votum, quidni verò ita voueret conscientia vulnerata traditione tam copiosi Sanguinis in perditionem delecti? iam tum enim Lutherus Euangelij sui ruinam facile prospiciebat. Hanc ipse sibi prædixit: vt in Commentarijs super Genesin, postremo ipsius, Anno M D XLIV. edito fœtu, legere est, vbi vaticinatur, *postquam decesserit, doctrina sua eam fore conditionem, vt ad eam conseruandam vix vlla satis futura sint auxilia.* Caluinus sane gloriatur, (f) se plusquam ter centum animarum millia à Luthero abstraxisse. quid non alij, si per singulos iceatur ratio, sectarum principes, Lutherum secuti, sed supplantatores patris sui! Idem Lutherus Commentarijs super Epistolam ad Galatas (quæ verba tamquam oraculum discipuli eius notarunt) inquit, *Multos ambitionis studio sese eleuaturos, ac sub pietatis prætextu peruersam doctrinam allaturos, & intra breue tempus omne id quod tam longo tempore ac tantis laboribus ab ipso ædificatum sit, euersuros.* O vatem iam non vanum, & suæ ipsius ruinæ verum prophetam! Veruntamen idem propheta non videtur fuisse magnæ memoriæ, vtpote qui Tom. II. editionis Anno M D XLVIII. antea scripserat: *Quod doceo & quod scribo, in æternum manebit, etiamsi tota Mundi dissoluatur ac dissipetur machina.* Sed nihil peius eum habuit quam quod se qui initio tamquam Germaniæ Apostolus primum inter omnes locum habuit, postea multis alijs posthabitum & ad infima fere subsellia redactum vidit. *Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, Bucerus, Melanchthon, & Martyr,* (aiunt illi qui contra Lutheranam Concordiam scripserunt) *multo meliores Theologi fuerunt quam Lutherus.* Centuriatores quidem Lutherum strenue defendunt; sed is ab alijs multo acrius oppugnatur. Xylander Prædicans, eiurato Lutheranismo, *Non dubium esse*, inquit, *quin si Gamalielis consilio, ad quod Lutherus iam olim cum doctrina sua prouocauerat, obtemperetur, breui apparituru sit, Lutherū doctri-*

a *lib. de Visibili monarchia.* b *in Centurijs* c *Anatomia Eccl. Cathol. Tr.* 1. d *lib.* 1. *Hæres.* 36. e *libr* 3. *contra Hæres. cap.* 11. f *Super Psalm.* 67. g *Lib. quod hæc verba Christi, & lib. de Cœna aduersus Zuinglium* h *Calu. in vlt admon. ad VVestph. pag.* 194. *&* 233. *Hist. de Cœn. Aug. fol.* 380. i *Fol.* 69. *Xylander à Lutheranismo conuersus.*

doctrinam non è Dei spiritu sed ex hominibus esse. Eoque sperandum, doctrinam hanc in hominum natam cerebris, brevi rursus interituram; præsertim quum intestino schismate & dissensionibus vires huius sectæ adeo debilitatæ sint, vt nihil quam propinqua eius ruina exspectari possit. Et hunc quidem metum etiam Centuriatores omnibus fere paginis ostendunt: nec mirum, ita enim B. Joannes Apostolus in Apocalypsi sua cap. 9. in Prophetia de Locustis prædixit, quod nempe eos in quos potestatem non acceperunt seducendo & inficiendo, cruciabunt mensibus quinque, quos menses si ad Lunares referamus cursus aut solares, iam pridem absolutos videmus, cum vero adhuc dum crucient fideles, tempus id utique Maiora spatia nempe Saturnia erit referendum, ut singuli de mensibus quinis 30. ferre annorum spatium concernant, quo posito cum quinies 30. periodi Saturnij sideris sint CL. annorum decursus, & Lutherus Anno 1517. exeunte occupent Catholicos cruciare, opinari licebit non absque aliqua ratione adiectis ad eum anni numerum annis prædictis, CL interitum Luthericæ sectæ ad Annum 1667. instare.

II. Nec mirũ tane est, singulos novorũ istorum Evangelistarũ suis veluti classicum cecinisse Post primarij enim ipsorum Magistri apostasiam unusquisque è Saturniano & melancholico suo ingenio sectam sibi formabat; quisque in sua officina ad suum modulum Deum sibi fingebat, ut merito exclamare possimus: vel cum Scriptura (a) *secundũ numerum civitatum tuarum, O Septentrio, erant Dij tui.* Et *unaquaque gens fabricata est Deum suum.* vel cum poëta; *Heu mihi, quot Fidibus, luditur una fides.* vel.

Hei mihi, quam varia dæmon mortalibus arte
Illudit, cæco mentes agit atq; furore!
Nullus ut in toto tam detestabilis error
Orbe siet, quẽ non hominũ pars magna sequatur.

Rationem huius calamitatis bene Lutherus ipse vidit, inquiens (b) *Violata Ecclesiæ concordia atque unitate, dissensionum nullus est finis. Sacramentarij primum à nobis exierunt, deinde Anabaptistæ, qui tamen longe inter se dissident. Sic una secta provocat alteram, & una alteram eendemnat. Cessante unitate, in infinitũ progredi numerum Mathematici dicunt; sic disturbata Ecclesia unitate, erroribus aditum præcludere impossibile est* O quovis alio quam hæretico, & quidem hæresiarcha Luthero dignam sententiam! An quisquam putet hanc in eodem pectore in quo tot absurdæ opiniones, natam; & ab eodem ore quo tot blasphemiæ, prolatam? Circumferuntur versus aliquot; Lutheri fortunam suam lamentantis personam repræsentantes; quos ut lectu dignos & intellectu faciles adscribo. Sic vero in eis loquitur Lutherus:

Si qua mihi iustas expressit causa querelas,
Heu nunc præ cunctis digna querela venit.
Ille ego qui quondam famâ super æthera notus,
Nunc me vix aliquâ gloria parte manet.
Omnia Calvinus rapuit, totumque per orbem
Illita vipereo dogmata felle serit
Tu quoque dilectos inter pars prima Melanchthon,
Qui mihi præ cunctis fidus amicus eras,
Diceris extremâ liquisse in morte Lutherum,
In nova Calvini dogmata falsa ruens:
Hic ubi pallentes pervenit rumor ad umbras,
Heu mea concussit quàm gravis ossa dolor:
Hinc Anabaptistæ, Smidelinus, Brentius, & qui
Musculus exigui nomina muris habet,
Gallus, & Illyricus, nuper quoque missus ad Orcum
Zuinglius, & reliqui tuba profana vigent.
Ast ego, qui quondam doctor, primusque magister,
Quique hus discipulis semina prima dedi:
Heu miser ignotas profugus compellor ad oras,
Vixque aliquâ nomen parte Lutherus habet.
Quamq; ego venabar laudem, famamq; decusq;,
Hei modo discipuli cuncta tulêre mei.
Quos genui, quos hac peperit mihi lingua, manusque,
Quorum præcipuus fautor, & author eram.
Hæc promissa fides? pietas hæc debita patri;
Heu mihi! quam pretium triste magister habet.
Degeneres animi! genus execrabile mundo,
Tempore percipies præmia digna tuo.
Hæc ego vaticinor: Vates quoque vanus habebor,
Ni te, perfida gens, pœna parata manet.

III. Alia & prædictæ causæ proxima in infinitum multiplicandi hæreses fuit immanis licentia interpretandi scripturas sacras, à Luthero inchoata pro arbitrio, & alijs omnibus communicata. Et hoc potissimum videtur indicari *per apertionem putei abyssalis* in Apocalypsi. Siquidem sacra scriptura vere est abyssus, in qua à diebus Moysis usque modo quatuor annorũ millibus ingenium humanum eminentissimorũ ingeniorum laborat, fodit & mendicat, & nondum fundum pervidere potest. Placuit valde iudi populo, quod ipsi sine scholarũ impensa & labore à Luthero crearentur Doctores Sacro Sanctæ Theologiæ ac Scripturarum, & usus est potestate docendi accepta à Luthero, & inter-

pre-

a *Ierem. 2. & 4; Reg. 17.* b *Luth. Tom 5. cap. 5. ad Cal.*

pretandi, & iudicandi, & hæc scripturam interpretandi & ad quemvis sensum detorquendi licentia multis civitatibus ansam dedit. Conventus agendi, religioni quam vellent formam inducendi, & qui placerent Pastores vocandi, falsa illa divini verbi moneta turpiter deceptis. Neque enim lupos à canibus discernere sciebant; quum utrique eosdem fere pilos, eandem magnitudinem, multaque alia similia, sed diversas admodum naturas habeant & mores. Hinc scite Epictetus *multos ait, rapacibus lupis aditum ad se dare, eo quod fidis canibus similes videantur.* In conventibus vero illis nemo postremus esse volebat, (a) sed suam quisque prænunciabat sententiam: ut recte Lutherus dixerit, *eò rem rediisse ut Prædicantibus nihil amplius opus sit.* (b) *Vnumquemque enim sibi ipsi legem præscribere. Ac licet porci sint, vivant ut porci, & ut porci moriantur; omnes tamen magis quam ipse Christus Evangelicos videri velle.* Sic ille de suæ sectæ hominibus loquitur. Et Centuriatores, *ô miseros,* exclamant (c) *qui quam hodie pro vera receperunt doctrinam, cras tamquam falsam reprobant; & hæresin appellant quod paulo ante tamquam ipsam Veritatem fuerant amplexi.* Sed, quæso te, Luthere: annon in mentem tibi venit quod tuos auditores ac discipulos ipse docuisti, inquiens, (d) *Magistratum impedire non debere quominus unusquisque credat & doceat quod bonum ipsi videtur, & vel veritatem vel mendacium amplectatur. Christum Episcopis, Doctoribus & Concilijs de religione iudicandi potestatem abstulisse, & omnibus dedisse Christianis, nempe Ioannis X. capite.* Hanc eandem Lutheri doctrinam discipuli quoque eius professi sunt. Ex horum numero quidam non postremus, (e) *Concilium,* ait, *ad decidendas religionis controversias exspectandum non esse. Posse unumquemque de doctrina iudicare, falsam damnare, & veram amplecti. Potestatem hanc omnibus sive doctis sive indoctis, sive laicis sive Sacerdotibus, sive Theologis sive politicis, ab ipso Deo esse concessam, ita tamen ut id fiat iuxta infallibilem divini Verbi normam.* Sed dic mihi, mi homo, quis illud dijudicabit & tibi indicabit, ô homo natura cæce, utrum norma illa recte adhibeatur? & utrum ad perpendiculum exacte directa sit, vel minus? imo unde scies hoc quod adhibes uti normâ, verè esse normam illam sive verbum Dei genuinum? & deinde, te eius germanum sensum tenere? Si cum Luthero dixeris: *certus sum, clarum est:* dic etiam cum eodem, *Ego iudicium Dei super doctrina mea portare nolo; spero quod sit bona.* Et quid faciesin Judicio Dei si non sit bona, tute enim Judicem te feciste? & Doctorem constituisti, Ducem cæcorum, ad quos ducendos non es missus legatus.

VI. Huius porro novitiæ Ecclesiæ Prælati (paucis exceptis apostatis) fuerunt aut equites, aut mercatores, aut opifices, aut alterius è plebe conditionis: qui tamen certis distincti gradibus & titulis, ad Synodos vocantur. Mos enim hæreticis semper fuit, inanibus dignitatis & gloriæ cuiusdam titulis eos qui se ipsis adiunxerint, ornare, ut ceteros ambitione alliciant, quos veritate ad se pertrahere nō possunt: Recte Tertullianus, *In rebellium castris esse, idem est,* inquit, *ac merere.* In his vero Lutheranorū conventibus ipsi Principes aliquādo præsederunt, quorum plures summorum Pontificum in suâ ditione auctoritatem vindicabant sibi atque usurpabant. Saxoniæ Dux tot tamque diversas religiones in regionibus suis pullulare videns, quatuor Visitatores constituit, qui Ecclesias passim inspicerēt, & religionem ordinarent. Ex his duo erant equestri ordine, tertius Legum erat Doctor, Hieronymus Schurffius, & quartus artium Magister, Philippus Melanchthon, qui tum in Theologiæ studio parum adhuc profecerat. Facta enim hæc est visitatio An. MDXXVI. Hi oppidatim ac villatim circumeuntes, ridicule satis Pastores alioſque ecclesiarum ministros examinabant, novam doctrinam & formam quam ipsi nesciebant præscribebant: & novi passim ab ipsis Doctores constituti novas quoque doctrinas proponebant. Et quemadmodum primi Mahumetismi auctores (quæ hæresis apud Christianos nata est) religionem quandam comminisci voluerunt quæ inter Judaicam & Christianam esset intermedia? sic etiam Visitatores hi novam quandam Dei colendi ac credendi formam Saxonibus proscripserunt, retētis quibusdam Catholicæ religionis dogmatis, & cerimonijs, & quibusdam è Lutherana admistis. Tum etiam Catholici qui in maiorum suorum religione perstabant, expulsi: Lutherani vero ceteroqui admodum pertinaces, formam hanc religionis intermediam sequi coacti sunt. De Visitatione hac Melanchthon librum publicavit, & Christianæ

a *Vide Historias Colloquiorum, Synodorum, Conventuum &c. in Vlenbergio Vita Lutheri, Melancht. Maioris, Osiandri. Anatomiam Ecl. Cathol. Tract. 2.* b *In Enarr. in cap. 15. Corinth. Tom. 5. in Matth. cap. 8.* c *Cent. 9. in Præfat.* d *Tom. 3. fol. 115.* e *Scluſſelb. de Synod. cog. lib. 2. art. 15.*

Fidei articulos xx præscripsit, addito mandato ut populus in ijs instrueretur. His postea Lutherus quoque manum admovit, pro lubitu suo addens, detrahens, mutans quod visum fuerat, ut legere est apud Cochlæum. Hic tum quidem in Germania religionis erat status, quum Novi isti homines magistratus auctoritate abusi, & conscientias suis regulis astringebant, & novam passim Ecclesiarum formam introducebant, Catechismis Lutheri præscriptis. Id quod Centuriatores (a) & Zuinglius (b) multis in locis testantur. *Magistratus*, inquiunt, *politici, aut etiam eorum ministri censorio quodam supercilio novam religionis formam præscribunt, & non minus imperiose quam Romanus Pontifex obtrudunt.* Extant multorum hac de re querelæ, ac præcipue Melanchthonis, qui in Præfatione quæ Corpori doctrinæ præfixa est, *Nos*, inquit, *Romani iugum Pontificis, quod de ligno fuit, abiecimus; econtra vero istorum hominum iugo quod de ferro est, collum subdidimus. Vt vero politici magistratus sua auctoritate Prædicantes passim constituebant; ita eosdem quoque pro lubitu exauctorabant.* Sic non ita pridem Christophorus Budnerus à senatu Ratisbonensi res suas habere iussus fuit, quod de usuris aliter quam ipsis placebat, sentiret, ac doceret. Et Concionatores Magdeburgenses & Augustani, quamvis alias ob causas, simili modo tractati sunt. Omnia Episcopis & Theologis è laicorum ordine plena erant: qui absoluta quadam auctoritate de religionis controversijs pronunciabant. Vulgus interea Biblia in vernaculam linguam versa circumferebat: omnibus abacis ac mensis imposita ea videre erat. Biblia opifices in officinis suis, Bibilia feminæ genibus suis imposita. Totus Mundus Bibliorum lectione detinebatur. Lutherani, Zuingliani, Anabaptistæ, Antitrinitarij non magis sine Biblijs quam sine indusio erant. Ex indoctissimis repente eruditi ac quasi θεοδίδακτοι fiebant: si pro eruditione illud habendum est, quod quis plurima S. scripturæ ac loca memoriâ comprehensa allegare potest: Eius, inquam, Scripturæ, quæ Lycophronis Cassandrâ intellectu est difficiliori: in cuius vero sensu investigando quilibet fuit occupatus, adeo ut coci quoque hoc sibi muneris sumerent, immo fures & latrones: ut fuit Joannes quidam Stolzius qui An. MDLIV. Argentorati furti convictus, (c) & abscissis auriculis relegatus, non procul à Spira deinde Lutheranam religionem docuit, ex mutilatis auriculis tandem quis esset agnitus. didicerat enim in catasta Lutherice concionari, nempe sine bonis operibus sola fide hominem iustificari.

D. Hieronymus non minus exquisita eruditione quam vitæ sanctitate præstantissimus, Persij Satyrici Poetæ scripta non intelligere se fatetur: & hi nostri homines, ut plurimum vitijs totiediti, tamq; crassæ ignorantiæ & involuti, ut ne minimæ quidem ex profano auctore petitæ rei, possint rationem reddere, omni linguarū cognitione destituti, ac ne suam quidem recte intelligentes, secretorum divino verbo revelatorum cognitionem sibi arrogant, & de gravissimis quæstionibus (quas divina sapientia interdum aliis & magnificis, interdum simplicibus & quasi frigidis verbis, quorū intellectus tamen arduus est, & à vulgaribus ingenijs non minus quā cœlum à terra remotus est, in scriptura nobis proponit) iudicandi partes sibi sumant? Digni scilicet hi sunt divini verbi præcones atq; interpretes, digni SS. Theologiæ Doctores, omnium scientiarum maxime admirabilis, supernaturalis, & neminī nisi cuius animus omnibus cupiditatibus & affectibus purgatus ac totus contēplationi deditus sit, comprehensibilis. Sic igitur singuli ex novis Evāgelistis cum Biblijs quod quisque vellet credēdi licentiam circumferebat. Omnia miscere ac confundere ludus illis erat ac iocus. *Fuerunt*, Erasmo teste, *& quidem è primarijs, qui Paschatis tempore de Christi nativitate, & vicissim die Natali Domini de Resurrectione ad populum verba facerent.* Omnes Spiritu sanctò seu paracleto gloriabantur, omnes, etiam opifices ad ipsa Theologiæ adyta penetrare, omniaque eius mysteria explicari posse credebant. Quasi vero luscitiosi vel cæci potius vulgi oculi, divini splendoris radios ferre possint, qui etiam aquilas talpa cæciores reddit.

V. His libris animati sectarij, si quando in sacerdotem aut Ecclesiastici ordinis hominem incidissent, statim cum eis expostulabant: alius Missam in sacra Scriptura, alius Purgatorium, alius Pædobaptismum, alius Trinitatem sibi monstrari, omnes deniq; religionis articulos expressis verbis probari volebat, posthabitis Verbo Dei non scripto, & Apostolicis Traditionibus per tot sæcula à maioribꝰ ad nos derivatis, & cōmuni Christianorū consensu receptis hactenus atque approbatis. Hæresiarcha enim Lutherus docuerat, *solam scripturam cuius*

a *Cent. 7. in Præfa.* b *Zuingl. in Eccleſ.* c *Reſcius de Atheiſ. Sac. erat.*

cuius explicationem omnibus permittebat, omnium controuersiarum religionis esse iudicem: quod axioma, reuera Eridis pomum, ab omnibus hæreticis qui vnquam fuerunt, assertum fuit ac propugnatum. Sed errorem suum Lutherus postea agnouit, ac sero, sed sero cũ Phrygibus deplorauit; adeo vt S. Scripturæ auctoritatem ab omnibus etiam stolidis & fungis vsurpari atque inculcari videns, sæpe dixerit, eo rem redijsse, vt Euangelium seu S. Scriptura *Hæreticorum Liber* merito appellari debeat. *Quid hoc?* inquit sexennio postquam sectam suam condiderat. *Agricolæ qui olim in simplicitate viuere solebant, iam scripturam ipsi legere præsumunt, adeoque concionatoribus nihil opus se habere dicunt: quippe qui scripturam suo marte sine interprete facile possint intelligere.* Idem Waldenses olim fecisse proditum est, inter quos etiam feminæ scripturas tractabant; immo suggestu conscenso, docendi ac publicas theses disputandi munus vsurpabant. A scriptoribus nonnullis Vrsulæ cuiusdam è Lutheri schola progressæ nomen celebrabatur, quæ eò temeritatis ac dementiæ peruenit, vt pauperibus rusticanis hominibus non concionaretur tantum, verum etiam Sacramenta administraret vt Manlius in Locis communibus testatur. Et alia quædam femina Zellin nomine, Argentoratensis, contra Vlmensem Prædicantem librum scripsit, in quo Lutherum, Philippum & Capitonem *Antiquos Patres* appellat. Sed quidni fœminæ ita agerent, cum ipse Lutherus (*u*) qui sexui huic tantopere à se amato vbicumque potuit semper gratificatus fuerat, nec cucullum tantum, sed animam quoque immolauerat, posthabita D. Pauli auctoritate, feminis hanc potestatem concedit, inquiens quodam loco, *In locis vbi feminæ tantum habitent, vt in Monacharum seu Deo dicatarum Virginum Conuentibus, vnam eligi posse quæ ceteris concionetur; & per consequens etiã*, vt diem alibi dicit, *quæ baptizet, Confessiones audiat, & absoluat*, &c. Ecce Nouas vobis, ô Christiani, sacerdotes cum Nouo Euangelio. Hic non dubito quin lectori in mentem veniat illud quod Tertullianus sui sæculi hæreticis exprobrat, inquiens: *In vera religione non esse permissum feminis loqui in Ecclesia, vt nec offerre, aut vllũ sibi virile, nedum sacerdotale munus vindicare.* Et cum quidem, ac semper etiam postea noui isti Euangelici in omni quæstione simplicium aures istis verbis obuerberabant: *vbi hoc scriptum est? vbi expressum Dei hac de re extat mandatum?* ne minimum quidem verbo Dei non scripto, antiquorum Ecclesiæ Doctorum interpretationibus comprehenso & conseruato, tribuentes quod si Catholicus in scripturis non adeo exercitatus, his Nouis Euangelistis, & *Vbi scriptum*, quærentibus occurrere non audebat. Videbas illico leonum instar ferocire Biblistas, & lacerare papam, Episcopos, sacerdotes, & vsque in abyssum omnes præcipitare; si vero cordatus & in Lege exercitatus apparebat, qui, *Vbi scriptum sit*, norat & ostendebat, ex. gr. de Missa Apostolorum tempore vsurpata ex Act. 13. citaretque pro ea Græcum textum λειτουργούντων δὲ αὐτῶν καὶ νηστευόντων, & omissa versione vulgata, & Patrum, apponeret versionem amicissimi ipsorum Erasmi Roterodami talem: *Cum autem illi sacrificarent Domino ieiunarentque*, & ex Luthero Germaniam adijceret translationem (Da sie dem Herrn dieneten vnd fasteten (siquidem apud Germanos hodie dum *Liturgia*, Græc. est *Missa* Latinorum ipsis nominatur Der Gottesdienst) tum confusio operiebat Nouos Euangelistas, si nondum satis in schola impudentiæ erant exercitati, aiebantque se sophisticen auersarij, velle se cum simplicibus conuersari &c. Aut si effrontes erant, alium seosum illis verbis subesse fingebant, dicentes *illud Ministrare, sacrificare, Liturgiamque esse orare, concionari* insigni iterum fraude, doloque, nisi Catholicus hic iterum esset cautus, aduersus dolos, sciretque replicare, dicendo: *Vtique Apostolorum illud sacrificare erat orare & concionari: bene dicis, Noue Euangelista, nam Missam facere omnino est præstantissima oratio, vti altissimi montes sunt montes Dei, & erat vtique etiam concionari, nam Missa est annuntiatio exhibitioque totius vitæ & passionis Domini, in publico fidelium Conuentu. Hoc vere dixisti. Sed in hoc fallaciter egisti, quod me ostendente speciem orationis & concionis summæ, me voluisti vocare ad genus quasi assertæ speciei, non asseruissem genus; In hoc malum genium egisti Simili modo in cæteris controuersijs procedendo fieri contingebat, maiore minoreve strage animarum, prout in peritum aut imperitum Catholicum Noui Doctores incidissent, in quibus vniuersim perpendendum: omnes hæreses inde ortas, quod quisque Scripturæ*

Cc 2 *litte-*

t *De abrog. Miss Tom. 5. in 1. Pet. fol. 445.*
u *Nasc. cent. 2. Ref. de Atheis. Luth. de inst. mini. Eccles. fol. 369.*

stram excutiendi licentiam sibi sumebat, veri interim sensus, inuestigatione neglecta, qui non nisi in Ecclesia reperiri potest, quique ab ijs peti debet quibus diuinitus datum est religionis mysteria interpretari. Hinc Rabini dicunt, tabulas illas in quibus Deus legem Mosi dedit, vno contextu ita fuisse perscriptas vt nulla distinctio, nulla syllabarum separatio appareret; forte etiã ita transparentes, vt ab vnoquoque à dexteris, à sinistris supernè, infernè, recto atque inuerso ordine legi potuerint: quarum tamen intellectum Deus soli Mosi tamquam fideli suo interpreti & Secretario reseruauit atque reuelauit.

VI. Dum ita Noui Christiani, Nouam fidem mordicus amplexi, Scripturam legunt ac relegunt, & ad suum sensum interpretantur Catholici multi Deum prisco ritu colentes & in primitiua illa viuentes simplicitate, importunis illis Nouatoribus antiquam fidem in dubium vocantibus, vix quod responderent habebant; nisi quod eos ad Pastores & Sacerdotes suos ablegabant, vt quibus docendi munus diuinitus esset commissum (x) cum mandato vt fideles ipsos tamquam diuinorum oraculorum interpretes audiant ac reuereantur, eorumque præceptis obediant. Hoc vero perincommode Catholicæ religioni accidebat, quod ex hoc ipso ordine Ecclesiastico, in Germania præsertim plerique Christianæ fidei articulos obiter tantum scire contenti, ingenia sua spinosis & extra hæresum tempora, non necessarijs quæstionibus haud fatigabant: *vt quomodo in Trinitate alius esset atque alius & non aliud atque aliud; in Iesu Christo vero aliud atque aliud, & non alius atque alius. (Alia enim res est essentia diuinitatis, & alia humanitatis; ipsa tamen deitas atque humanitas alius atque alius non est, sed vnus solus idemque Iesus Christus, seu vna sola eademque persona) Item, quomodo Spiritus Sanctus procedens à Patre & Filio, Filius non sit, vt qui Patri vnum substantia & natura precedat, & quem ille atque ac filius repræsentat. Quomodo corpus Iesu Christi vbique non sit, quum tamen diuina natura, quæ vbique est inseparabiliter coniunctum sit. Quomodo solus Filius incarnari potuerit, qui tamen inseparabiliter cum Patre vnitus est, & cum eo vnus idemque est Deus. Quomodo realis communicatio idiomatum respectu duarum Naturarum in Christo, non sit origo vnionis hypostatica. Quomodo vnio hypostatica non consistat tantum in communicatione diuinarum proprietatum cum humanitate, si Natura diuina humanam non assumpsisset, sua subsistentia nudatam. Quomodo Praedestinatio cum libero Arbitrio possit conciliari. Quomodo in Eucharistia accidentia esse possint sine subiecto, materia panis & vini in nihilum redacta, aut in Christi corpus per conuersionem mutata. Vtrum corpus Christi in substantiam eius qui id recipit mutetur; aut vtrum species illæ vim habeant corpus nostrum sustentandi & alendi.* Hæc inquam, & similia tum inter scholasticos disceptabantur, sed ad importunas Arrianorum, Antitrinitariorum, Samosatenianorum, Lutheranorum & Zuinglianorum, omnia hinc inde tentantium, quæstiones pauci expeditè & sufficienter poterant respondere. Quin plerique etiam opibus quas longa pax Ecclesiæ attulerat, quasi indormiebant, suisque officijs segniter fungebantur. Tum vaticinium illud Prophetæ Amos impletũ fuit, *Famem non panis & vini, sed diuini verbi Mundo minantis.* Imo tempus illud erat de quo Esaias dicit, *Sacerdotes æque ac simplicem populum rudes fore atque ignorantes.* Eadem tum quæ antiquæ illi Sion, apud Ieremiam Prophetam ruina Ecclesiæ impendebat. Plerique in Germania Christiani & Catholici erant tantum imitatione quadam, non scientia aut humilitate. Et quemadmodum ij qui ducentis aut trecentis annis sine impetitione Titulorum à maioribus acceptorum tranquilla possessione vsi sunt, tam longi temporis præscriptionem ad ius suum probandum satis esse putant, nec prisca & rubiginosa monumenta excutere quidquam pensi habent; sic magna pars Prælatorum & Ecclesiæ præsulum, antiqua sua possessione contenti, suam vitam ducebant, parum interim delegendis sacris libris solliciti, donec improuiso super eos venit Tempestas & turbo vti in diebus Noæ diluvium. O infortunati Archimedes, qui interea dum ciuitas vestra diripitur, figuris in puluere describendis occupamini. O canes culinæ potius quam custodiendo gregi intenti, qui dum muti estis, ac mille & quadringentorum annorum possessioni ac præscriptioni nimium fiditis, & oues lupo & vestram ipsorum causſam hostibus ferme prodidistis! Quid enim de ignorantia, luxu & vitijs temporum illorum dicam? quibus plerique immersi nihil aliud quam otium spectabant, & cuticulam suam tantum curabant. Nam quemadmodum corpora pulueri ac soli exposita multisque laboribus exercitata omnes aeris iniurias facilius ferunt; delicate vero habita & molliter educata etiam leuibus rebus,

quum

x Matth. 28. Heb. 13. Luc. 10.

quum facile, tum grauiter, offenduntur: sic longa illa quies & felicitas in Ecclesiæ corpore multos prauos ac vitiosos humores peperit, è quibus deinde grauissimi morbi, symptomata, Febres & cõuulsiones exstiterunt, à quibus etiamnum Ecclesia nondum conualuit, quamuis à cælesti illo medico diuersis remedijs aliqua ex parte subleuata sit, & paullatim pristinæ sanitati restituta & restituenda speretur elapsis 5. illis à Ioanne prædictis mensibus. Tantum tamen abest, vt populus nouo illo Euangelio melior fuerit redditus, ut etiam indies magis magisque frænum vitiis permiserit. Audi ipsius Lutheri testimonium. *Mundus*, inquit, *(y) quotidie peior fit ac deterior. Homines hodie magis auari, minus misericordes, minus modesti, magis incorrigibiles, in summa multo peiores quam olim in Papatu fuerunt.* Eundem dicere solitum Aurifaber testatur, *reuelato Euangelio virtutem fuisse exstinctam, oppressam iustitiam, profligatam temperantiam, veritatem à canibus quasi dilaceratam fidem concussam, omnemque religionem ac deuotionem ex hominum animis eiectam.* Quis fructus huius reformationis melius scire ac depingere nobis potuisset, quàm hic ipse Mundi, si dijs placet, Reformator? sine caussæ quam hoc loco tracto præiudicio, illud silentio præterire non possum quod hac ipsa de re ab Erasmo scriptum est (z) graphice nobis Noui Euangelij fructus depingente. *Multos*, inquit, *Lutheranos video; paucos Euangelicos. Aspice, quaso, hos homines, & tecum perpende, annon luxus, auaritia, & scortatio magis inter illos vigeant quam apud eos quos illi detestantur. Vnum mihi commonstra qui Euangelio hoc melior factus sit. Atqui plures ego tibi monstrabo qui facti sint deteriores. Illud fortasse singulari quodam meo malo factum est, vt nullos ego viderim qui non per Euangelium hoc peiores euaserint.* Audi etiam quid Iacobus Andreæ Smidelinus illæ Concordiæ (de qua libro V. dicam) Lutheranæ faber, eandem in sententiam scribat. *(a) Nostri*, ait, *homines, ne pro Papistis habeantur, omnia bona opera contemnunt. Loco jejunij, dies noctesque pergracantur. Pauperes non vestiunt, sed spoliant. Precationes in blasphemias vertunt. Nec inter Turcas quidem tanta reperitur impietas. Superbia humilitatis locum obtinet, nihil nisi ambitionem & fastum videre est. Quod si quis eos reprehendat, Euangelij statim reformationem obijciunt.*

Librum hunc prodigiosa Lutheranæ cuiusdam feminæ Lipsiensis historia concludam, quam Manlius in Locis communibus, & Rescius XXXIV. Miscellanea recensent. Hæc in Lutheri schola ac doctrina educata, clam cum filio incestus consuetudinem habuit, adeoque filiam ex ipso concepit, & clam ipso educari curauit: quam grandiusculam, filius amore eius perditus, vxorem accepit, atque ita eiusdem pater, frater & maritus factus est. Mater quæ sola id sciebat, iam morti vicina Luthero rem omnem aperit; Lutherus ad Theologos suos Wittebergenses refert: à quibus conclusum fuit, matrimonium hoc disturbandum non esse, nec vllam peccatrici illi pænam imponendam, sed fidem tantum, cuius alis in cœlum euolare possit, inculcandam esse. Vides, opinor, beneuole Lector, quum ex hoc tum ex alijs, quæ istorum, qui Euangelicos se iactant, vita sit, vtpote ex doctrina propria æstimanda. Sed operæ precium videtur, vt ad communem omnium quos hoc secundo libro recensuimus, hæreticorum parentem redeamus, atque ostendamus quibus ille modis, ferro nimirum atque igne, Euangelium suum introduxerit atq; propagarit.

y *In Postil. sup. 1. Dom. Aduent.* Aurifaber. *fol. 523.*
z *Eras. in spongia ad Huttenum. & Epist. ad Vulturinum Anno 1529.* a *Concord. 4. in cap. 22. Luc.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

FLORIMVNDI RAEMVNDI DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA HÆRESEON SVPERIORIS SÆCVLI *HISTORIÆ*

LIBER III.

ARGUMENTVM TERTII LIBRI.

Hoc tertio libro motus & turbæ in Germania & Heluetia à Lutheri insania, Munceri furore & Zuinglij somnijs exortæ, explicantur: tum Protestantium confœderationes: Lutheri cum Monacha nuptiæ, illo ipso tempore quo innumeræ cædes ipsius caussa perpetrabantur, celebratæ, eiusdem mors: aduersum protestantium prælium: victoriæ Imperatoris; Mauritij Saxonis & Alberti Brandeburgici defectio, clades, mors; cum multis alijs rebus particulariter enarratis.

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII.

CAP. I

I. *Vomodo Lutherus primis septem annis iniurijs & contumelijs tam Ecclesiam quam optimum quemque vexarit.*

II. *Lutherani Principes bona Ecclesiastica inuolant.*

III. *Adriani & Clementis summorum Pontificum in exstinguendo schismate cura.*

IV. *Lutherus bellu intestinis & turbis Christiana Reipublica ad suos conatus abutitur.*

V. *Principes contumeliose tractat, populumque ad seditiones instigat.*

VI. *Primi Christiani quibus modis populos ac homines ad Christianam fidem adduxerint.*

CAP. II.

I. *Initium turbarum in Germania.*

II. *Rusticani duce Lutherano quodam, tumultuantur.*

III. *Idque sub pratextu Euangelij.*

IV. *Lutherus ignem à se accensum exstinguere conatur.*

V. *Nobilitas rusticanos cædit.*

VI. *Prodigia quædam, ac miseria inde orta.*

CAP.

CAP. III.

I. ZVinglius somniator Heluetiam turbat.
II. Eius conatibus Episcopus Constantiensis sese opponit.
III. Tigurini nouam Zuinglij doctrinam recipiunt.
IV. Celebris conuentus Basileæ habitus, cui Zuinglius interesse recusat.
V. Zuinglij doctrina condemnatur.
VI. Conuentus Zuinglianorum Bernæ habitus, in quo Zuinglij doctrina recepta fuit & approbata.

CAP. IV.

I. ZVinglianires Basileæ turbant.
II. Heluetiæ populorum natura belliceosa.
III. Basileenses & Tigurini sese armant.
IV. Zuingliani victi ac profligati.
V. Zuinglij mors in bello interfecti.
VI. Catholicorum victoriæ.
VII. Heluetij post primas Catholicorum victorias in pace viuunt.
VIII. De Rhætorum (qui Grisones vulgo) statu & religione.

CAP. V.

I. DE Henrico Bullingero Zuinglij successore.
II. De Petro Vermilio, qui Martyr postea dici voluit.
III. De Neapolitana Ecclesia inuisibili.
IV. De Bernardo Ochino.
V. P. Martyr in Angliam proficiscitur.
VI. Mortua vxore, quæ Monacha fuerat, aliam ducit, & moritur.

CAP. VI.

I. IN mediis Germaniæ turbis & miseriis Lutherus nuptias celebrat.
II. Epistola Regis Angliæ ad Lutherum.
III. Lutherus Monachos & Monachas vt ipsius imitentur exemplum inuitat.
IV. Lutheri proles.
V. Lutherus ieiunij osor.
VI. Ridicula Lutheri comparatio.

CAP. VII.

I. LVtherani conspirare incipiunt.
II. Vnde protestantium nomen ortum.
III. Imperator Augustæ comitia celebrat: eò inuitatus Lutherus ire recusat.
IV. Saxoniæ Dux Missæ interest.
V. Protestantium Confessio Imperatori exhibita.
VI. Zuingliani Lutheranorum societatem seu fraternitatem ambiunt.
VII. E Catholicis & Lutheranis quidam ad Colloquium deputantur.
VIII. Lutherus durantibus Augustanis comitijs, suis rebus prospicit.

CAP. VIII.

I. FInitis Augustanis comitijs, Protestantes Smalcaldiæ conuentus agunt.
II. Imperator Carolus fratrem Ferdinandum in Romanorum Regem eligi curat.
III. Clemens Papa legatus ad Protestantes mittit.
IV. Paulus Papa Concilium indicit & promulgat.
V. Inter Imperatorem & Galliæ Regem pacem facit.
VI. Lutheri scurrilitas.

CAP.

I. COlloquium Hagenoæ abruptum, ob morbum Melanchthonis.
II. VVormatiæ rursus cœptum, iterum sine fructu, ob morbum Eccij.
III. Hungari Germanorum opem contra Turcas implorant.
IV. Dux Saxoniæ & Hassiæ Landgrauius Henricum Ducem Brunsuicensem bello persequuntur. Archiepiscopus Colonienſis ad nouationem spectat.
V. Comitia Spiræ habita. Lutherus Pontificis personam agit & Episcopos consecrat.
VI. Nouus conuentus Ratisbonæ habitus iterum sine fructu: multaq; prodigia in cœlo visa.

CAP. X.

I. LVtherus Turcam Christianis Principibus præfert.
II. A faciendo ei bello dehortatur.
III. Vt etiam alij hæretici.
IV. Solimanus Lutherum videre expetit.
V. Lutheri culpâ Hungaria & Transyluania amissæ.

VI. Pro

VI. Protestantes Christianis laborantibus sepe auxilium denegarunt.

CAP. XI.

I. LVtherus Concilium impedire tentat.
II. In Patriam proficiscitur, & subitanea morte opprimitur.
III. Eius sepultura.
IV. Eius fastus.
V. Lutherus nullum vnquam fecit miraculum: facere vero conantem quomodo diabolus tractarit.
VI. Eius contumelia in SS. Patres seu Doctores.
VII. Quomodo veteres Scriptores corrupti.
VIII. Laudes Luthero à discipulis ipsius adscripta.

CAP. XII.

I. LVtherus Antichristi præcursor, cum totius Mundi stupore.
II. De prodigijs quæ tum apparuerunt.
III. Tres soles in cœlo visi.
IV. Itemque tres Lunæ.
V. Plurimæ Eclipses Lutheri tempore conspectæ.
VI. Astrologorum de ijs iudicia.

CAP. XIII.

I. TOta Germania ad bellum se parat.
II. Franciscus Galliarum Rex Protestantium conatus Carolo Imperatori aperit.
III. Sleidani mendacium & in Regem Galliæ calumnia.
IV. Imperator & Protestantes exercitus conscribunt.
V. Protestantes Imperatori titulum imperialem denegant.
VI. Bellum etiam indicunt.

CAP. XIV.

I. PApa Imperatori auxilia mittit.
II. Magnus Protestantium error; & ruinæ ipsorum initium.
III. Protestantes ab Imperatore profligantur.
IV. Ipsi seipsos conficiunt.
V. Mauricius Saxoniam inuadit & occupat.
VI. Sed ea à Ioanne Friderico recuperatur.

CAP. XV.

I. BElli istius gloria cui post Deum debeatur.
II. Palatinus Elector & Dux VVirtembergicus Cæsari reconciliantur.
III. Eius potestati multæ magnæ ac validæ vrbes sese permittunt.
IV. Imperator in Saxoniam exercitum ducit.
V. Albim fluuium magno animo traijcit.
VI. Saxoniæ Ducem vincit & capit.

CAP. XVI.

I DIuersa prodigia quæ illo die apparuerunt.
II. Miraculum circa Solem.
III. Ludouici Auilæ de illo testimonium.
IV. Aliud nobilis Itali.
V. Sleidanus Auilam mendacij accusat.
VI. Imperatoris victoria potiti dictum, & quanti ea momenti fuerit.

CAP. XVII.

I. ERror Imperatoris.
II. Eius in sedandis religionis controuersijs studium.
III. Saxone capto, Landgrauius suis rebus diffidere incipit.
IV. Hala ad Imperatoris pedes se abijcit, & deprecatur.
V. Imperatoris responsum.
VI. Landgrauij impudentia.

CAP. XVIII.

I. COncilium Pauli IV. Pontificis morte retardatur.
II. Mauricij & aliorum artes ad disturbandum Concilium.
III. Legatorum tergiuersatio.
IV. Mauricius Imperatori se opponit.
V. Henricus II. Galliæ Rex, Germaniæ Protector dicēs.
VI. Alberti Brandeburgici crudelitas, clades & mors, vt & Mauritij.

LI-

LIBRI TERTII

CAPVT I.

ARGVMENTVM.

I. *Quomodo Lutherus primis septem annis iniurijs & contumelijs tam Ecclesiam quam optimum quemque vexarit.*
II. *Lutherani Principes in bona Ecclesiastica inuolant.*
III. *Adriani & Clementis summorum Pontificum in exstinguendo schismate cura.*
IV. *Lutherus bellis intestinis & turbis Christianæ Reipublicæ ad suos conatus abutitur.*
V. *Principes contumeliosè tractat, populumque ad seditiones instigat.*
VI. *Primi Christiani quibus modis populos ac homines ad Christianam fidem adduxerint.*

I. PRIMAM rabiei suæ spumam Lutherus in Leonem X Pontificem euomuit, à quo tamquam putridum membrum ab Ecclesia abscissus fuerat: adeoque primis illis septem aut octo annis vix quidquam aliud egit, quam quod continuo quodam furore, inauditis conuicijs, insolitis calumnijs, picturis abominandis, & blasphemijs contra Romanam Sedem est debacchatus. Recte Augustinus, (a) *Hæreticorum, inquit, artes & machinas esse conuicia & maledictiones, vbi se perfidia conuictos senserint.* Et quidem laudi sibi ducebat singulari Lutherus bilem suam in eminentissima & maxima quæque euomere; inferiora vero minime ira sua digna iudicabat. Hinc dicere solebat, etiam post mortem cineres suos bellum Papali turbæ irreconciliabile facturos. Siue ut alij referunt: *Pestis eram viuens, moriens ero mors tua Papa.* Quamuis autem primos impetus in Pontifices tantum & Cardinales, tamquam Cæsaris ita dignos, fecisset: postea tamen à capite ad membra minora descendit nulli religiosorum, ac ne simplicibus quidē & minimis pepercit, *adeo vt præsentiam eorum,* vt etiam Donatistæ olim, Augustino teste, (b) *ferre non posset, quorum adspectus pristinum statum ei in memoriam reuocabat.* Antiquum semper obtinent hæretici; qui nullum hominum genus semper magis oderunt ac persequuti sunt quam Religiosos ac Monachos; quod scirent, vt Sozomenus (c) & Ruffinus dicunt, religionem facilius subuerti non posse quam per ruinam religiosorum. Omnes quidem Christianos, vt sanctus quidam vir ait, diabolus, sed præcipuo odio Monachos persequitur. Hos Lutherus appellat *Sathanæ ministros, porcos infernales, Molochi adoratores:* sed eosdem S. Augustinus & S. Chrysostomus *Dei milites, & Iesu Christi exercitum nominant.* Idem scurra Monachos *diaboli perdices* vocat: aitq; *inferni palatia rasis eiusmodi capitibus pauimentata esse; ipsos inferos animabus eorum è corpore excedentibus, præ gaudio exsilire.* Centuriatores vero, *Quis,* inquiunt, (d) *ab eiusmodi monstris, humanæ societatis hostibus non abhorreat?* Sic ille sanctos homines, solitudinis decora, Ecclesiæ ornamenta & miracula, fortissimos contra inferni rabiem athletas, qui nullo quam diuino adiuti auxilio Sathanæ caput contriuerunt, & Mundum ac carnem, contemtis omnibus, quas ad insaniam plerique omnes mortales concupiscunt, voluptatibus & delicijs, subiugarunt, appellat. *Absit,* inquit S. Hieronymus, (e) *vt male de illis loquar qui sacro suo ore Iesu Christi corpus faciunt.* Quid Lutherus? *Absit,* inquit, *vt eum furciferis istis vmquam pacem vel iudicias faciam. Ego ipsorum flagellum ero & carnifex. In sanguine illorum manus nos lauare oportet.* Nolo alijs fœdis ac turpioribus eiusdem Stercorei Prophetæ & V. Euangelista verbis scripta mea conspurcare. Illud certe constat, tanta Lutherum maledicentia, tanta verborum obscœnitate, tanta calumniandi impudentia vti solitum, vt vix quidquam tale ab vllo alio dictum aut scriptum reperiatur. (f) Et quemadmodum numquam ei contra eosdem omnesque Ecclesiasticos odij occasio, ita quoque numquam calumniandi, & vulgi odio exponendi defuit materia. Nec difficile sane est canem percutere volenti, fustem reperire. Quippe vt est apud Virgilium: *Furor arma ministrat.*

Sic quoque *hæreticorum proprium est,* vt S. Athanasius dicit, *calumniari & mentiri.* Neque enim alias habent machinas quibus eorum existimationem oppugnent, qui vt Deo propinquiores sint, Mundo sese subducunt. Sic Arrius eiusque satellites Monachos & Religiosos Catholicos sicarijs cædendos obiecit; (h) quorum tum tanta fuit multi-

a *Apol. 3. ad Ruff.* b *In Psal. 132.* c *Lib. 6. cap. 10.* d *Lib. 11. cap. 3.* e *Cent. 10. cap. 4.* f *Epist. 1. ad Heliod.* g *Videatur Conradus Vetter in Porco Luthero, Item mundo ac miti.* h *Niceph. lib. 11 cap. 18.*

titudo, vt in sola Ægypto ac Thebaide ter mille numerati sint. (*i*) Hunericus vero rex Arrianus simul ac semel quater mille nongentos septuaginta sex in deserta loca omni humano auxilio destitutos relegauit. Non minor in eosdem fuit Gothorum, Hunnorum & VVandalorum crudelitas. Impius ille & nefandus Imperator ne nominari quidem dignus, per ludum & iocum quadraginta duobus Religiosis nates desecari, deinde barbam & capillos pice oblini, ac tandem corpora eorum in clibano assari iussit. Non vlla eo tempore scripta exstat historia, quæ non Religiosorum sanguine rubeat, id est, qua non innumeræ eorum cædes & supplicia prodita sint, vt videre est apud Paullum Diaconum, Victorem Vticensem, Sidonium, Apollinarem, Nicephorum, Zonaram, Glycam & alios. Sed historiam nostram persequamur.

II. Persuaserat sibi Imperator Edicto illo VVormatiensi non Lutherum tantum, sed hæresin quoque eius è Germania proscriptam ac profligatam, vel certe cursum eius ita esse impeditum, vt magnos progressus facere non posset. Sed Lutherus qui tempori paullulum cesserat, vbi ab exilio reuersus, nomen suum multo maiori in honore quam vnquam sperauerat, haberi intellexit: mirum in modum ad cœptam telam perrexendam fuit animatus. Vsus est Lutherus delicatis ad Dominos terrarum decipiendos bolis nempe Bonis Ecclesiasticis expositis eorum cupiditati. Nec mora, amplectuntur causam eius Saxoniæ Dux & alij Principes ac domini: subque noui prætextu Euangelij nescio quam nouam libertatem sibi vindicant, bona Ecclesiastica passim inuolant, & in profanos vsus conuertunt. Et sicut olim crudelis ille Valens Imperator publico Edicto omnes Religiosos monasterijs excedere, (*k*) & vel castra vel quodcunque aliud vitæ genus sequi recusantes, gladio feriri iussit: sic Lutherani quidam Principes non solum Monachos monasterijs expulerunt, verum etiam ipsa monasteria funditus euerterunt, vt spem omnem restitutionis eis præciderent: Ossis interim, quod vt medullam exsugerent ipsi fregerant, particulam aliquam nouis pastoribus & pauperibus obijcientes. In summa, in bona illi Ecclesiastica supremum ius sibi vindicabant; sub prætextu ea se inter pauperes & Scholarum ac Ecclesiarum ministros distributuros, de Lutheri consilio, qui librum De Fisco edidit, in quo vniuersum Mundum hortatur, vt omnibus machinis non monasteria tantum, sed vniuersam Ecclesiam euertant. Illos, in libro quem scripsit contra statum Ecclesiasticum, veros Dei appellat filios, qui omnes suas vires ad Episcoporum subuertendum imperium, conferunt. Mirum non est quod multi nouæ huic Ecclesiæ nomina dederint, vt prædæ, veteri illi Ecclesiæ detractæ, fierent participes. Sic falco vinciendum se aucupi præbet, vt cibum consequatur: & bestiæ etiam maxime feræ facile cicurantur ab ijs qui partem prædæ in venatione captæ ipsis obijciunt. Suauis hic & delicatus bonorum Ecclesiasticorum bolus magnam hominum, præsertim laicorum multitudinem ad Lutheri partes attraxit: nec vero paucos Ecclesiasticos permissi matrimonij illecebræ, vt quod hactenus cum ipsorum dignitatibus & reditibus incompatibile, vt loquuntur, creditum fuerat, iam facile eisdem adiunxerunt. Apud Lutheranos enim Episcopus etiamsi vxorem duxerit, manet nihilominus Episcopus; & qui Abbas fuerit, etiam maritus, Abbas manet. Valde enim ipsis placet mitra capiti imposita, & femina simul lateri addita: vt ita Plutone dignus concinnetur ornatus. Hinc innumerabiles exstiterunt confusiones; dum aliorum modestia cum immoderatis aliorum cupiditatibus cerrat.

III. Interea Pontifice Leone mortuo, Adrianus Papa qui ei successit, modis omnibus schismati quo Christiana Respublica plurimum affligebatur, remedium afferre conatus est: sed immatura morte subtractus, & ad cœlum euocatus, quod instituerat perficere non potuit. Optimus hic Pontifex dicere solebat, *Magnam dignitatem, magnam esse seruitutem.* In huius locum surrogatus Clemens VII. in exstinguendo quo Germania conflagrabat incendio, & restituenda pace Ecclesiæ, æque ac gentilis suus Leo frustra laborauit. Omnis spes enim in Concilio erat posita: cuius ipso Pontifice cogendi nulla fuit facultas, Principibus de priuato rerum suarum statu & imperio omni vi inter se contendentibus. Eadem nihilominus qua prædecessores sui susceptam curam, Legatos in Germaniam misit, qui cum Principibus Lutheranis agerent, sed optimi Pontificis conatus Lutheri feritatem tanto magis accendit. Intelligebat quippe facile, alijs armis sibi quam scriptura opus esse. Nimis enim debilis erat calamus ad id quod animo conceperat perficiendum; iamque longius proserpserat hæresis & ex ea nata seditio, quam vt tam

i Cassi. lib. 7. cap. 39. August. cont. Petil. cap. 40. & S. Hier. in Chron.

tam debilibus instrumentis solum sustentari possent. Ad manus veniendum erat, & gladius lateri accingendus, vt nouum ipsius fulciretur Euangelium, & inprimis Euangelica illa Libertate animos Principum alliciendos sibi atque inescandos putabat. Lutherus igitur omnia turbare intentus, tantum effecit vt Principes ad religionis mutationem propendentes, Norimbergæ conuentum egerint, vel Senatum Imperij istic à Cæsare absente constitutum corruperint potius, vt de religionis caussa aliquid sine Cæsare cognosceretur, & VVormatiense decretum quo Lutherus eiusque caussa condemnata fuerat, aboleretur. Imperator tamen qui tum in Hispania erat, hæc ad auctoritatis suæ præiudiciũ pertinere interpretatus, postea Edicto vetuit, ne in religione quidquã mutaretur, sed re integra ad Concilium vsque, de quo multus erat sermo, dilata, VVormatiense interea decretum obseruaretur.

IV. Is tum erat rerum in Christiana Republica status, qui Lutheri promouendis conatibus maxime inseruiebat. Plerique enim Principes contentioni ac bello, quod tum inter Hispaniæ & Galliæ reges gerebatur, illigari erant. Franciscus Galliæ rex, capto Mediolano, toti Italiæ metũ incusserat. Solimanus profligato Hungarorum exercitu, eocumque rege cæso, Germaniæ finibus imminebat. His tot tantisque difficultatibus impediti, & prius longinquis & transmarinis expeditionibus sæpe distenti, Imperator & frater Ferdinãdus foris Turcis assilientibus, intus Gallis vim facientibus, ac Lutheranis minantibus, vix vllas consilia sua explicãdi rationes inueniebant. O quanti constas mundana dignitas! Ecce tibi supremus Ecclesiæ præsul, qui nec vtrisque æquum & neutrum quasi se exhibere, nec auctoritate sua dissidẽtes in concordiam redigere poterat, momento & se & vrbem rerum dominam & caput Imperij captam, & exteræ gentis potestati ac libidini subiectam vidit, ductu Caroli Borbonij, qui in ipsa oppugnatione bombardæ ictu percussus, nullum aliud ex capta vrbe trophæum retulit, quam æternum dedecus, quod & Ecclesiæ simul & Regi suo arma inferre sit ausus. Tam ante, quam post hanc vrbis cladem plura acciderũt memoratu digna. Paullo ante homo quidam ignotus, prouectæ ætatis, ex agro Senensi, squalida lacerna indutus per vrbis plateas cursitans, magna voce omnes hortatus fuerat, vt vitam emendarent, pœnitentiamque agerent: alioquin enim fore vt grauissimas propediem pœnas luant. Nec vnquam ille, quamuis à multis increpatus, clamare eademque verba ingeminare cessabat; ad exemplum Cassandræ, aut eius qui Hierosolymitanis simili clamore exitium prædixisse fertur: immo quanto magis prohibebatur, tãto magis clamabat, vt intra quatuor muros eum concludi necesse fuerit, è qua custodia ab illis ipsis quorum aduentum prædixerat, fuit liberatus. Quibus ille dixisse fertur: Vos virga estis & flagellum quo Deus populum hunc impœnitentem castigat, & ad voluntatem suam implendam vtitur: at vbi virga hac satis vsus fuerit, eam in ignem cõijciet, & ipsos castigatores castigabit. Cui vaticinio in vtrisque exitus fidem fecit. Omnes enim sacrilegi paullo post miserabili morte perierũt, magna parte morbo contagioso absumti, reliqui vero ab ijs quos vicerant, ac deprædati fuerant, sublati. (*l*) Lutheranus quidam, historiam hanc captæ vrbis, in qua nullum nõ sceleris, flagitij ac sacrilegij genus perpetratum fuit, describens, affirmat, militem quendam generosum dixisse, voto se Luthero Prophetæ suo obstrictum, frustum de corpore Papæ sese deuoraturum; & quidem nihil se magis cupere quam votum hoc implere. Ait idem, milites è Pontificio sacello stabulũ equorum fecisse; tum Lutherum, quem Ecclesiasticis vestibus atq; ornamentis indutus, miles quidam gregarius (**ein Landts knecht**) repræsentabat, per ludibrium Papam creasse, omnibus manus in altum tollentibus atq; acclamantibus: *Lutherus Papa, Lutherus Papa.* Sed ad hunc ipsum nouum Pontificem absentem coronatum redeamus. Quemadmodum araneæ non sereno sed pluuioso atque obscuro cœlo telas suas contexunt atque explicant: sic Lutherus in tantis turbis ac nouis dissensionibus consilia sua ita moderabatur, vt Euangelicæ illius Libertatis, quam velut vænalem proposuerat, cassibus multos Principes irretiret, & ad fœdus cum Saxoniæ Duce de Lutherana propugnanda doctrina feriendum, permoueret. Ex his præcipui erant Georgius Marchio Brandeburgicus, Ernestus Dux Luneburgensis, Princeps Anhaldinus, & Philippus Hassiæ Langrauius: quorum hic magnas patriæ suæ attulit calamitates. Est vero Landgrauius apud Germanos dignitatis nomen, significans Prouincialem Comitem. Horum quatuor sunt in Imperio, nempe Thuringiæ, Alsatiæ, Leuchtembergæ, & Hassiæ: quorũ huius magna est potentia, imperiũ Franconiæ finitimũ. Erat vero is tũ magni

l *Vid. Cochl. de Act. Luth. Pont. lib. 2. rer. mem.*

animi homo, ad audendum quidvis promptus: eoque Lutherus ad suas eum partes adiungere modis omnibus studuit, tam felici successu, ut benevolentiorem quam ipsum Saxoniæ Ducem eum semper deinde sit expertus. Duo hi præcipua fuerunt Lutheranæ conspirationis firmamenta. A nobilitate idem factionum studium in vulgus proserpsit, qui & ipsi, ad Evangelij, ut aiebant, defensionem, fraternitates & confœderationes instituerunt, & ad arma se præparaturunt. Erat vero tum ea vulgi de Lutheri doctrina opinio, ut multi quotidie, à prisca fide paullatim deficientes, ad novam sine iudicio, arbitratu suo transirent. Quamvis autem Imperator iam pridem VVormatiensi An. 1521. 8. Maij edicto interdicto id vetuisset. Infelici tamen sorte evenit, ut illud edictum Cæsaris ratũ ac sanctum quodammodo fuerit obolitum. Nam cum Cæsar abesset à Germania ad sedandos motus in Hispania & alibi exortos constituissetque Vicarium Imperij Electorem Palatinum Fridericum & quendam ei veluti senatum Norimbergæ collectos addidisset. Hi Anno 1522. bono zelo incipientes tractare negotium religionis, proditione Georgij Spalatini Secretarij in aula Electoris Palatini, & VVolfgangi Capitonis in aula Archi-Episcopi Moguntini qui Lutheri & Saxonis erant exploratores, (a) à proposito delapsi sunt non quidem statim ad pessima, sed gradũ zeli inferiorẽ eo quem iuxta Cæsaris edictum VVormatiense tenere debuissent. Siquidem Anno 1523. conventu illo Norimbergensi soluto mense Martio decretum in caussa Religionis promulgarunt Senatores Imperij cum Vicario Cæsario; *Vt Evangelium populo proponatur iuxta S. S. Patrũ interpretationes ab Ecclesia probatas, ut Archiepiscopi & Episcopi quosdam constituant scientia divinarum literarum sufficienter instructos, qui curam habeant huius rei, & exorbitantes benigne moneant, in Refractarios vero pœnis inflictis animadvertant: ut cum Imperatore agatur, quo quamprimum Concilium in Germania, non extra eam celebretur: Interea temporis dum Concilium convocatur, nullibi Libri typis expressi distrahantur, nisi probati calculo virorum prudentium, quibus curam illius rei Magistratus demandabit Vt sacerdotes & monachi apostatæ, qui sub matrimonij nomine sibi mulieres copularint iuxta præscriptum Iuris Canonici puniantur* (a) Fuit inter Senatores hosce Albertus Brandeburgicus Borussiæ Dux, Mag. Ord. Teutonici, qui hoc Vicariatus Imperialis tempore Norimbergæ præsens seductus est per Andream Osiandrum apostatam Norimbergæ concionantem. (e) Hoc decretum, post favorem nimium Friderici Saxonis in Lutherum, alter fuit gradus Germaniæ infelici ad multitudinem Novarum Religionum, quo Lutherus proscriptionem sui censuit esse suspensam. (d) Et una secta Intermistarum cæpit enasci.

Accessit deinde tertius Gradus Anno 1524. cum iterum Norimbergæ conventus Imperij habitus est, Cæsaris absentis Vicarium agente Ferdinando Austriaco fratre, decretumq; est post multam deliberationem 18. Aprilis *Agẽdum cum Pontifice* (tunc Clemens VII. erat Anno superiore creatus) *Cæsaris & Ordinum communi nomine ut, quamprimum fieri possit, in Germania liberum & Generale Concilium indicat, cuius authoritate definiantur orta de Religione controversia, & motus sopiantur Interim vero Novum Spiræ habendum esse Conventum, ad XI. Novembris in quo maturè deliberandum sit & constituendum quomodo se quilibet in hac distractione debeat, interea temporis, dum vesper Concilium definiantur, habere.* (e) *Repetita sunt etiam superioris Anni conventu sancita, prohibitique libelli Famosi & pictura contumeliosa. Iussumque ut viri Docti & prudentes in Vniversitatibus constituerentur per Principes & Ordines Imperij, qui Lutheri libros expenderẽt, & quæ retineri aut aboleri deberẽt dijudicarẽt.* Gravamina quoq; *Nationis Germanicæ expenderẽt & moderarentur. Denig; VVormatiense decretum in suis quique provincijs, quantum quidem posset fieri, pro temporum conditione fideliter exequerentur.* (f) quibus decretis etsi revera conscientiarum libertas permittebatur, Lutherus tamen acquiescere detrectavit, sed acerbissimè scripsit in Cæsarem & Principes, (g) quæ pudor est referre, & pudor, fuisse à Principibus in Ardelione Sacrilego tolerata. Videns igitur Legatus Pontificis Cardinalis Cãpegius ruinam Germaniæ & Septentrionis imminentem, ut eam sustentaret quomodocunque, collatis cum Ferdinando Austriaco Consilijs sub finem Junij alium conventum ex solis Catholicis instituerunt Ratisbonæ, nempe Archiepiscopo Salisburgensi, Ducibus Bavariæ, & Episcopis Ratisbonensi ac Tridentino nec non legatis Episcoporum Bambergæ, Spiræ, Argentinæ, Augustæ,

a *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 10 num 4.* b *Vlenberg. Vit. Lutheri cap. 10. num. 5.* c *Vlenberg. Vita Osiandri cap. 1. num. 2.* d *Vlenberg. Vit. Luth cap. 10. fine.* e *Vlenbergius Vit. Lutheri cap. 12.* f. *ibid. Vide Vlenbergium Vit. Luth. cap. 12. num. 1.*

ſtæ, Conſtantiæ, Baſileæ, Etiſingæ, Paſſaviæ, & Brixiniæ, convocatis, in quo Decretum VVormaciense in Lutherum eiuſq; hæreſin confirmatum fuit & alia iuxta Eccleſiæ *Catholicæ decreta*. (a) Id ægre ferentes Lutherani Principes & Civitates Spiræ rurſus convenerunt, fœderis & religionis tuendæ cauſſa; ad quod magna ambitione pleræque per Germaniam urbes fuerunt ſollicitatę; quæ menſe Julio Spiræ decreverunt, ut Civitates Viros bonos & peritos conſtituerent, qui capita religionis controverſa expenderent, & de ijs Senatui ſuarum urbium referrent. Ingens tunc ſcripturientiũ vis, inſtar locuſtarum exijt. Sed irrito, nam Cæſar accepto decreto Norimbergæ facto illud Brugis in Hiſpania 15. Julij reſcidit, & conventum Spirã ad Novemb. indictum fieri vetuit, expoſtulãs cum Imperij Principibus de deſerta Religionis ſacra defenſione. (b) His diſſenſionum iactis undique ſeminibus, arma tandem moveri cœpta ſunt; quibus Lutheri propagandi opiniones pleroſque libido inceſſerat.

V. Quemadmodum ergo Lutherus non paucos populos, obedientiæ Paſtorum, continuæ ſucceſſionis, poſt adductam ad Chriſtianiſmum Germaniam, iure nitentium, ſubtraxit; ita idem ut civilis quoque magiſtratus contemneretur auctoritas, modis omnibus efficiendum ſibi ſtatuit. Poſt Papam ergo Imperatorem, & poſt ſacrum Romæ Conſiſtorium, Imperij Cameram oppugnandam ſibi ſumpſit, tanta inſania ac rabie, ut etiam, quæ ſacroſancta hominibus eſſe debent, atrociſſimis convicijs inſectaretur: Principes appellans (c) *Carnifices, Ieſu Chriſti interfectores, Herodes impios, intolerabiles tyrannos, Turcis multo peiores. Turca hic baptizatus* (inquit quodam loco, de Imperatore loquẽs) *peior eſt Turca illo non baptizato*. (d) Elogijs eiuſmodi Principum omnia eius ſcripta ſcatent, ut etiam epiſtolæ, quas ad ipſos Principes, Georgium Saxoniæ, & Henricum Brunſuicenſem Duces miſit, quorum illum Sathanæ Apoſtolum appellat. Angliæ Regem quo modo tractarit, poſtea videbimus. *Principes* (ait alibi (e) *de Mundo ſunt; Mundus vero Dei hoſtis eſt. Rarum eſt videre Principem qui ſapiens ſit, ſed multo rarius, qui ſit vir bonus. Aut fatui ſunt plerique aut mali. Non iam Mundus talis eſt qualis olim fuit. Principum malitia & tyrannis ferri amplius non poſſunt. Actum cum ipſis eſt, ſi eque potentes ac Turcæ evaſerint* Unus ipſius liber de Libertate Chriſtiana, qui manibus omnium tum terebatur, univerſalis potuit eſſe fomes rebellionis. In eo ille dicit, die Fürſten ſeyen Wilprat im Himmel/ id eſt, *Principem rem rarã eſſe in cœlo. Deus*, inquit, *magnus eſt Dominus; eoq; neceſſe eſt ut carnifices habeat, qui nobiles ſint & illuſtres magnates*. Quin Mundum quaſi novum facturus, in libro ſuo de Captivitate Babylonica dicere non veretur, *non ullam eſſe ſpem reſtaurandæ Evangelicæ libertatis, niſi humanæ leges penitus abolean-tur: ut nos, ait, de omnibus iudicare atq; omnia regere poſſimus. Addit, non poſſe ullum magiſtratum, immo ne Angelum quidem de cœlo Chriſtianis ullam legem præſcribere, niſi quam ipſi voluerint, ut qui omni ex parte ſint liberi*. Deinde quaſi ab ipſo Sathana incitatus, *ſe effecturum*, inquit, *ut nec Eccleſia Chriſtiana neq; Evangeliũ ullum agnoſcat magiſtratum, immo ut neſciat quid magiſtratus ſit. Hæc enim hominum eſſe inventa, & meram tyrannidem, ad miſeros Chriſtianos vexandos ac ſervitute premendos*. Rurſus in eodem de Babylonica Captivitate libro ait, *Id ſibi compertum eſſe nullã Rẽpublicam legibus bene ac feliciter poſſe adminiſtrari. Si prudens ſit magiſtratus, felicius ab eo ex naturalis legis ductu Rempublicam, quam ex civilium legum præſcripto gubernatum iri, ut ex quibus nihil niſi malũ proveniat*. (f) Ad hanc vero ſuam opinionem, tam prompte ab Anabaptiſtis receptam & approbatam, confirmandam, loca S. ſcripturæ allegabat, ut illa quæ ſcripſit *D. Paulus ad Philippenſes 3. S. Petrus Epiſtolã ſua cap. 5. Lucas Evangeliſta cap. 14.* ubi humilitas Chriſtianis præcipitur. Vides opinor, quæ fuerit Lutheri de magiſtratu doctrina: qui ut primus igne hunc ſeditionis in Germaniã, ita diſcipuli eius eundẽ in vicinas Chriſtiani orbis regiões intulerũt. Sed operæ precium eſt paucis indicare, quam reverenter ille Angliæ Regem tractarit: quem appellat *ſtultum, rabioſum, Cyclopem furioſum, porcum immundum, exterebratum, vipertam progeniem*: ac tandem poſt ſexcenta ciuſmodi convicia; velut è plauſtro ſparſa, *Iuſtus mihi erit*, inquit, *Maieſtatem Angelicam luto & ſtercore conſpergere, & coronam iſtam pedibus conculcare*. Sic ille de Regibus, Principibus & magiſtratibus ſentiebat, ſic ſcribebat, ſic loquebatur. Nec melius magiſtrum imitati diſcipuli, eoſdem tractabant: ut videre eſt è Melanchthonis libro ad Bohemos & Sileſios: Georgij Maioris, De præſcriptione cœleſti contra Imperatorem Carolum V. Juſti Menij epiſtola ad Magdeburgenſes, & aliorum. (g) Quis

a *Vlenberg. Vit. Luth. cap.* b *Vlenberg. Vit. Luth.* c. 12. c *Lib. de ſac. poteſt.* d *Dont. Ambro. Cath.* e *Con. duo Caſmand. In ſermone cum venerit.* f *Vid. Eder. in 2. part. Evang. Inquiſ.* g *Vid. Gaſp. Crucig. in Pſal.* 20.

ergo neget, Lutherum tamquam novum gigantē ac terræ filium caput suum non cælo, sed medio inferno intulisse, ad terrestres deos oppugnandos.

VI. Atqui ô Evangelici, Mundi, si dijs placet, Restauratores, non hanc semitam ingressi, non his rationibus olim usi sunt Apostoli, qui populos omnes ad unius Jesu Christi cognitionē adduxerunt. Non ita olim fecit Bonifacius, quādo prima Christianæ religionis semina in Germania sparsit. (a) Non ita primi illi Christiani, fortissimi illi Jesu Christi athletæ, loquuti sunt. *Celimus*, inquit Tertullianus, (b) *Imperatorem, ut hominem à Deo secundū, & quidquid est à Deo consequutum, solo Deo minorem. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.* Legati illi Jesu Christi non ignem, ferrum & sanguinem spirabant, uti Lutherus (c) *Principes*, divinum illud oraculum S. Paulus Apostolus, ait *à Deo missos, à Deo constitutos, ac Dei proreges esse.* In epistolæ ad Romanos capite XIII. eisdē verbis illud nō semel repetit, *Non esse potestatem nisi à Deo.* Sed quē admodū idē nihil auditoribus suis magis inculcavit quam erga magistratus obedientiam; sic contra Lutherus plusquam Stētorea voce contra eosdem conclamavit, ac naturalem illam Principibus obediendi ac debitum honorem præstandi inclinationem modis omnibus è subditorum animis evellere conatus est; ut scilicet populi rebus novis semper studentis, favorem ac studia sibi conciliaret. Jd ergo unum reliquum erat, ut inverso, vel inchlamydem potius mutato cucullo monachus nudum gladium manu tenens, velut alter Zisca aut Zuinglius, exercitum antecederet, & pugnæ signū daret. Multorum sermonibus celebratur vox illa Zuinglij dicentis, *incendium hoc religionis sanguine exstinguendum esse*: sed non minus Lutheri illud apophthegma memorabile est, qui, ut Erasmus in epistola ad Belgas fratres scribit, dicere solebat. *Evangelij naturam esse, turbas & seditiones excitare* nempe Lutherani. Jdem in libello contra Ducem Brunsuicensem, inquit, A risu se abstinere non posse, populos ita inter se commissos ac digladiantes intuentem: Quam diversa est vox illa Salvatoris, dicentis (d) *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.* Jdem apud Evangelistam Marcum (e) discipulos alloquens ait: *Pacem habete inter vos.* Et apud S. Joannem: *Pacem meam relinquo vobis.* (f) Quid Lutherus? *Ego* inquit, *scio doctrinam meam bellum pariturum. Papa illa mancipia omni armorum genere oppugnanda sunt.* Et certe Salius hic sive Martis sacerdos, quod scripserat ac dixerat, VVormatiæ præsente Jmperatore verum esse demonstravit, in hæc verba erumpens: *Non veni ut pacem adferrem, sed gladiū.* Quæ verba ei, quæ Christianitatis spolia cum Luthero postea divisit, tantopere placuerunt, ut eis pro symbolo usus sit. Cuius socius & assecla ad æternam rei memoriam scribere non erubuit, (g) *Evangelij sui sementem in cruento illo ad Druydarum urbem prælio primum iactam fuisse.* Sed quæso, domini Evangelici in quo Euangelio reperistis, gladium à Salvatore ordinatum esse, ut eo Ecclesia plantetur ac propagetur? Nulla profecto alia ille instrumenta ædificandæ Ecclesiæ Apostolis dedit, nulla illi alia successoribus reliquerunt: quam doctrinam & disciplinam: quin etiam eosdem monuit, ut persequutiones æquo animo perferrent, atque animas suas in patientia possiderent. Sic moriendo, non occidendo, plusquam trecentis annis primi Christiani Ecclesiam propagaverunt: hacque una ratione populos vicerunt, reges domuerunt, & tyrannos captivos abduxerunt.

DE BELLO RUSTICORUM LUtherani Evangelij defendendi causa excitato: deque miserabili eorundem strage.

Caput II.

ARGUMENTUM.

I. *Initium turbarum uti hæreseos in Germania.*
II. *Rusticani duce Lutherano quodam, tumultuantur.*
III. *Idq; sub prætextu Evangelij.*
IV. *Lutherus ignem à se accensum exstinguere conatur.*
V. *Nobilitas Rusticanos cœdit.*
VI. *Prodigia quædam, ac miseria inde orta.*

I. *Vsquando in spacium sese effudere quadriga.*
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas:

Sic ubi vulgi animis semel licentia permissa fuerit, ilicet quocumque quis impulerit, præcipites feruntur, avideque quamcunque res novandi omniaque miscendi arripiunt occasionem. Germani locustarum Apocalypticarum veneno iam ebrij, olim & summa hactenus observātia Principes & Ma-

a *Vita eius in Moguntia Serarij, Surio, Sideribus Brouveri &c.* Epistola eiusdem. b *V. Conradi Andreæ seu Vetteri Lutherum Pacificum.* c *Matth.* 5. d *Marc.* 9. f *Ioan.* 14 g *Bez. ad Angl. Reginam.*

& Magistratus suos prosequi soliti lecto illo furiosi Lutheri libello, quem Captiuitatis Babylonicæ Prodromum inscripserat, statim cristas erigere, obedientiamque detrectare cœperunt. In eo quippe nouus hic Propheta (cuius doctrinæ fundamenta iam ante in libro de sæculari potestate iecerat) docebat: *inter Christianos nullam esse, vt ita dicam, superioritatem, nullam potestatem, nullum magistratum.* Huius & illa sunt: *Nullam spem esse salutis, quam diu secundum leges humanas seu ciuiles respublica administretur. Regandum esse Deum, ne subditi magistratibus obediant, &c.* Huius tubæ sonitu exciti subditi contra Principes, clientes contra patronos, ciues contra magistratus, serui contra dominos per omnem fere Germaniam armare se cœperunt; ac dulcissima pax in lugubre bellum subito fuit commutatum. Incendiumque hoc inde à Thuringiæ & Saxoniæ finibus, Lutheri latibulis, progressum, ad Alpes vsque penetrauit, *ac magnam deinde Germaniæ partem*, vt Sleidanus fatetur, *peruasit*, adeo vt An. 1525. in sola Bambergensi & Herbipolensi diœcesibus Franconiæ, CXXX III. nominatæ Arces Nobilium & Illustrium euersæ in Catalogo meo recensentur. Taceo de alijs & de innumerabilibus cœnobijs. Et quidem diuina prouidentia Nobilitas Franconiæ sensit prophetæ sui falsi fructuum primitias, quæ eius audaciam oblatis armis antea confirmauerat. Nihil tum audiebatur præter coniurationes, seditiones, direptiones vrbium prouinciarum deuastationes, Iliadem denique omnium malorum & miseriarum, rectèque de illo tempore Virgilianum illud vsurpari poterat: *Pallor vbique, pauor, & plurima mortis imago.*

Harum vero turbarum complices, quandoquidem de Euangelica Libertate ageretur, sibi persuaserant eam esse caussæ suæ bonitatem ac iustitiam, vt nihil omnino illicitum putarent quod ad eam defendendam pertineret. Necmora. Vix pauci obedientiæ iugum abiecerant, quum ecce omnis fere multitudo passim sese commouit, ac contra Principes ac Magistratus consurrexit. Equidem malo exemplo nulla pernicioſior est doctrina, præsertim apud vulgus indesertum, quodquæ ab alijs fieri & tolerari videt, quantumcumque mala sint & turpia, licita tamen atque etiam honesta putat: eoque fit, vt alter alterum ad idem audendum animet atque accendat. Est enim nefariorum eiusmodi consiliorum ea natura, vt qui semel assenserint, peiora ac flagitiosiora indies aggrediantur, nec prius conquiescant quam ad extremam malitiæ & crudelitatis lineam sit peruentum. Reformationem quidem seditiosi hi rustici verbo flagitabant, interim vero nihil nisi turbas & horribilem confusionem machinabantur. Sed nõ magis ab hac hominũ colluuione boni aliquid, quam a terra ex eluuione aquarum concreta vlla fertilitas aut frugum copia exspectari possit.

II. Eorum qui primi arma contra magistratus arripuerunt, dux fuit Lutheranus quidam, Christophorus Schaplerus nomine: qui breui è simplici illa, & quæ velut mobile lignum alienis neruis ducitur, plebe magnum satis confecit exercitum, non armis tantum, verum machinis etiam ac tormentis instructum. Prodeunt in aciem infelices, ponunt castra, obuia quæque, monasteria, arces, domos diripiunt atque incendunt, cædibusque grassantur. Et quemadmodum in rebus malis nullus modus aut mensura est, sic pessima hæc fæx hominum tanto furore ac rabie vsa est, vt in sola Franconia vltra trecenta monasteria & arces incenderit ac deuastarit, vt Claudius Conradus Vimpina (a) scribit. Multi sane Comites, Barones ac Nobiles inauditam horum rabiem & crudelitatem effugere non potuerunt: inter quos Comes quidam Maximiliani Imp. gener, crudelissimo supplicij genere, interemptus, & protentis hastis ab ipsis confossus fuit; coniuge ad ipsorum pedes proiecta, & marito multis cum lachrymis vitam deprecante, summa cum iniuria reiecta. Nec mirum hoc in iis hominibus, qui nobilitati, virtuti, honestati & religioni bellum induxerant, & in quibus illorum quidquam esset, suspendio omnes dignos existimabant.

III. His vero omnibus, vti dicere cœperamus, caussa obducebatur, quasi & Euangelij tueri doctrinam, & seruitutem à se profligare vellent. In literis ad Principes, inquiunt, *Nos congregati sumus, vt Iesu Christi nomen libere profiteamur, eiusque diuinam iustitiam conseruemus.* Eandem illi vocem, idem vorum, quod auribus nostris toties postea insonuit, ingeminabant, nempe: *Viuat Euangelium.* Imo Lutherum scripturiendo & edendo libellos imitati sunt, & primo omnium XII. articulos edidere, ad imitationem Symboli Apostolorum, qui erant postulata talia quæ nisi sibi concederentur ostendebant media sibi non defutura

a *Claud. Conr. Vimpina & Erasm. Alb. cont. Zuingl.*

12. *b Ex postulatis erat, vt ipsis liceret ministros Ecclesiæ eligere, qui verbum Dei pure doceant, nullis admistis hominum decretis* (vnicum Lutheri scutum) *2. Nolle se posthac vllas dare decumas, nisi quæ in Pastores & egenos distribuerentur. 3. rem indignam esse, quod huc vsque velut conditione serui sint habiti: quum tamen Christi sanguine omnes in libertatem sint asserti. Seruitutem illam deinceps se nolle ferre, nisi Scriptura sacra testimonio demonstretur, aquũ esse, vt ferant.* Vt paucis dicam, omnes pares esse, vel potius, conscientiam soli sacræ Scripturæ, quam assidue in ore ac manu ferebant, si dijs placet, accommodando, ijs à quibus hactenus acceperant, leges præscribere volebant. Interea Lutherus omnium ferè sententijs, vt qui nihil hactenus ad populum maiori contentione quam Euangelicam libertatem iactauerat, velut harum turbarum auctor atque incentor designabatur. Nec abnuet, quisquam qui libros eius legerit, aut quintam essentiam eorum in Conradi Andreæ libro de pacifico & miti Luthero, quinimo Lutherus hos XII. Art. Rebelliũ cũ Auctario in Saxonia recudi curauit. In quo Auctario ait culpam esse in Magistratibus Ecclesiasticis, & Deum per rusticos desæuire, quod contra suam doctrinam insaniant, & quod orbis stupere posset, iubet principes ab his rebellibus rusticis veniã petere; & asserit Magistratũ nec posse nec debere impedire, quo minus vnusquisque doceat, credatque quod collibitum sit? siue Euangelium sit siue mendacium. *(c)* Sed etsi id nesciretur de Luthero, aliunde constat eius Sanguinarius animus.

Si quis te cogere velit (inquit in quingentis à se promulgatis Articulis *(d) vt Papa in decretu suis fecit, ne tempore Aduentus aut Quadragesimæ carnem edas, ne patere eam libertatem tibi eripi. Qua te Deus donauit; sed potius in contemptum ipsius, fac contrarium, dicens: Quandoquidem carnis esu mihi interdicu, & ex oppressione mea libertatis legem facere vis, vel inuito te carnem manducabo.* Neque hoc in ventris tantum cibis, sed etiam alijs in rebus quæ liberæ esse debent, facere iubet. *(e) Quis est inquiens, Papa? quis est ille dominus qui te voluntatis suæ & imperij mancipium reddere possit? Natura te libertate donauit, quam vel cum vitæ periculo tueri ac conseruare debes.* Et quidem si Guicciardino credimus, Lutheri rebus multum illud obstitit, quod subditis rebellionem contra Principes excitandi viam monstrauit, similis illius apud Homerum,

Cui iocus & ludus fuerat miscere supremis
Ima; veci quos fuit dare; deijcere omnia, cœli
Denique, aquæ, & terræ compagem soluere totam.

IV. Vbi vero animaduertit ita incensam plebis insaniam, vt ad summas miserias nulla fieri posset accessio; omniaque iam sanguine redundarent, voce & stilo contra rusticos conuersis, incendium à se excitatum exstinguere quodammodo conatus fuit, cuius tamen auctorem non minus impudenter se negabat, quam audacter antea seditiosas voces & scripta sparserat. Sed quid tu verbis frustra id negas quod actiones tuæ omnes loquuntur? Hanc præposteram Lutheri diligentiam, vel malitiam potius, Erasmus libellos populari lingua contra Rusticos ab eo scriptos videns, falsè ridet, *(f)* eumque suis illis prioribus de Euangelica contra humanam tyrannidem Libertate scriptis rebellioni ac tumultibus illis occasionem dedisse, aperte testatur. O summam hominis malitiam! Lutherus bello iam cui fomitem ipse subiecerat, flagrante, pacem seruandam esse clamat: interim Principes hortatur, vt miseros in frustra secent. Quinetiam Principem quendam libro II. contra Rusticos appellans, ait *eorum cade facilius ac melius cœlum, quam alios precibus, promeriturum.*

Dum ita Lutherus receptui canit, & turbas illas iam lenitate iam rebellium sanguine sedari suadet; Muncerus oleum igni affundit, & seditiosorũ animos multo magis inflammat, doctrinam suam pulcre itidem, è S. scriptura demonstrans, nec minus Spiritu sancto quam Lutherus præditum se iactans. Docebat vero, Euangelij libertatem armis esse propugnandam. Non vno Scripturæ loco *Deum promittere, adfuturum se miseris, & oppressurum esse impios. Eam promissionem proprie ad se pertinere, vt qui regnum Dei vnice propagare studeant. Principes quidem illos vocari, sed reuera tyrannos esse. Deum olim Regibus mandasse, vt volumen legum quas ipse tulisset diligenter inspicerent; quod quidem illi minime faciant. Sicut ergo è templo quondam Christus eiecerit emtores ac venditores; ita nunc etiam sacrificulos eorumque patrones ac socios eliminaturum. Moriendum ergo potius quam Euangelij doctrinam sibi eripi patiendum. A Deo victoriam sibi certo certius promissam. Notum esse quid Gedeon, quid Ionathas, quid Dauid diuino subnixi auxilio fecerint. Idem se facturum, &c.* Hæc quidem tum Noui huius Propheræ (de quo libro

II.

b *Vlenberg. Vita Lutheri cap. 15. num. 1.* c *Vlenberg. fuse Vita Luth. cap. 15.* d *Art. 39.* e *In serm. fer. 4. post Inuocauit.* f *Eras. in Hyperasp.*

II. plura diximus) fuit oratio, ex aliorum scriptis à nobis excerpta. Sic vero credulum vulgus Muncerus dementaverat, ut quo vellet, eos facile inclinaret, ut qui ab ipsis pro vate cœlitus ad depellendam ab ipsorum cervicibus servitutem misso, à plerisque haberetur.

V. Dum ita Muncerus cum suis secure agit, Nobilitas arma capit, & seditiosos passim invadit, vario rerum successu; qui iam plerique tandem victi ac profligati, aut in prœlio occubuerunt, aut carnificis manu interempti sunt. Horribilis tum admodum primo Munceriano rum, deinde reliquorum passim tumultuantiũ strages fuit edita. Quidam ad ducenta fere istorum hominum, nec pedibus ad fugiendum, nec manibus ad pugnandum instructorum, millia variis cladibus absumpta prodiderunt, victorum tandem quoque ira in misericordiam vertente. Et profecto excors sit qui aut de vulgo constantiam, aut ab effeminatis & imbellibus victoriam sibi promittat. Seditionis huius scintillæ ad Franciæ usque limites evolarunt, sed à Lotharingiæ Duce non sine multorum cæde nempe 18000. rusticorum mature exstinctæ sunt. Ecce tibi primos Lutheranæ doctrinæ fructus, à Petro Godalio quinque libris prolixe descriptos: Ecce Apocalypticas Locustas similes equis paratis in prœlium, & super capita earum coronas libertatis & independentiæ &c. quæ breviter tantum attingere volui, instituti mei memor. Neque, opinor, ægre feret Lector, in alium locum eadem à me differri. His enim si hoc loco recensendis diutius immorari velim, neque citra horrorem illud facturus, & libri prolixitate Lectori fastidium sim allaturus. Quare ad ea quæ plurima mihi dicenda restant, me accingo; quanto plus, & quidem difficilis admodum itineris, reliquum est, tanto incitatiori passu progressurus.

VI. Ad horum malorum cumulum complures deinde aliæ miseriæ & calamitates accesserunt. O quanta Dei est potentia! quam gravis ipsius est manus! Felix ille, qui sub divinæ & æternæ providentiæ alas se recipiens, spei suæ anchoram ibi iacit quò nulla rerũ mundanarum tempestas aut calamitas pertingere potest! Misera quidem Germania, quam primum schismati favere cœpit, præsentem statim divini numinis ultionem sensit. Primo enim toris septem annis acerbissima eam fames afflixit: deinde novum morbi hactenus incogniti genus eam invasit, & brevissimo temporis spacio incredibilem hominum multitudinem absumpsit. Vulgo, nescio quam ob caussam, sudor Anglicus morbus hic dicebatur, eò fortassis quod primus schismatis auctor ex Anglia prodierit, quod deinde scriptis eius in Bohemiam illatis valde fuit auctum; ac tandem à Luthero per universam Germaniam propagatum, qui Saxonum auxilio Ecclesiã oppugnare tanto facilius sibi putabat, quod ab Hussitis & viribus & numero inferioribus iam oppugnata esset, ac contagio, quæ pene quod reliquum erat mortalium depasta fuit. Itaque omnia elementa in hominum perniciem coniurasse videbantur. Cœlum enim multa ac crebra lugubria signa ac prodigia ostenderat: & Mare limites à Natura sibi positos egressum, & vicina longe lateque inundans, ingentem hominum dederat stragem. Illud à nonullis observatum, & à sancto quodam homine dictum est, nullam umquam eluvionem aut terræ motum exstitisse quin singulare aliquid portenderint. Illo vero tempore quo prima coniurationis ac seditionis, quæque eas consequuta sunt malorum semina spargi cœperunt, quod fuit Anno M.D.XXIV. & sequenti, admirabiles plane atque inusitati à Mathematicis notati sunt Planetarum positus atque aspectus, & impendentes miseriæ ac calamitates prædictæ. Viginti illæ coniunctiones, de quibus dixi capite secundo mense Februario factæ sunt: de quibus sedecim in signo Aqueo contigerunt, omnibus Planetis cum Sole in signo bicorporeo coniunctis: ex quibus proculdubio (si modo quidquam Astrologorum prædictionibus tribuendum est) religionis mutatio, ut post omnes Astrologos ego quoque supra notavi, fuit præsignificata. Tanto vero coniunctiones illæ viginti magis sunt admirabiles, quod numquam eodem mense contigisse reperiantur. Planetarum enim periodi tam inter se diversæ sunt, (quum unus triginta, alius duodecim, alius uno anno, alius etiam viginti octo diebus cursum suum absolvat,) ut tam multæ unum in mensem coincidentes coniunctiones summa admiratione dignæ merito videantur, quas quidem Luthero & reliquis schismaticis cœlum terræ miscentibus, contigisse iam diximus. Sed & alia non minus mira prodigia, certissimi divinæ iræ contra nos præcones ac nuncij, in cœlis passim conspecti sunt; quibus Lutherus quoque in libello contra duodecim articulos rusticorum Principes terret, & quamvis pacis studium præ se ferat, crudelissimũ eis bellum comminatur. *Is*, inquit, *est hodie rerum*

status, ut tyrannidem vestram amplius ferre homines nec velint, nec possint. Transformari vos oportet, & verbo Dei (suo scilicet) cedere quod si plebs hoc tempore non perficiat, alij succedent, à Deo ad hoc excitati. Quod si inter tot cædes, latrocinia & strages infelix fuit Germania, ut certe fuit, eo quod Lutheri doctrinæ aures præbuit, non sane infelicior fuit Helvetia, à Zuinglio, qui doctrinam suam, ut ipse narrat, stertens in somno, a bono vel malo genio incertum, acceperat, miserè discissa & omni calamitatum genere vexata: de quo in sequentibus. Luthero interim nuptialem sibi cum Vestali sacrilegum thorũ apparante, & diem illum ex omnibus quos umquã in vita vidit, (sic enim in familiaribus dicere solebat) iucundissimum summo cum desiderio exspectante, aliquid dicemus.

DE SCHISMATIS INTER HELvetios origine: deque ijs quæ postea acciderunt.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

I. *Zuinglius somniator Helvetiam turbat.*
II. *Eius conatibus Episcopus Constantiensis sese opponit*
III. *Tigurini novam Zuinglij doctrinam recipiunt:*
IV. *Celebris conventus Basilea habitus, cui Zuinglius interesse recusat.*
V. *Zuinglij doctrina condemnatur.*
VI. *Conventus Zuinglianorum Bernæ habitus, in quo Zuinglij doctrina recepta fuit & approbata.*

1. HELVETIORUM gens, non minus corporis robore quam imperterriti animi magnitudine præstans, concorditer hactenus in pagis suis, quamvis separatas iurisdictiones habentibus, arctissimo tamen inter se fœdere connexis vixerat, & quamvis exteris & adversis inter se partibus militaret, pacem tamen domi colebat. Tandem vero mala quædam Erynnis orco progressa, civili excitato bello, Rempublicã hanc, cui unitæ cæteroqui nulla exteri hostis vis est formidabilis, vehementer concussit, populosque in ea comprehensos ita commisit, ut sociorũ a populatiõ cruore terra passim irrigata, & cæsorum cadaveribus pinguefacta fuerit: idque ob unius tantum, & quidem obscuri hominis somnium Hulderici scilicet Zuinglij, de quo libro secundo aliquid diximus, qui ab albo vel atro genio (colorem enim ipse intern. tescere non poterat) edoctus atque inductus, Lutheri æmulatione populis illis Novum annunciavit Evangelium, longe diversum illud quidem ab eo quod vel Divus Beatus vel (*a*) alij Ss. ac Gallus primi apud Helvetios Christianæ fidei doctores & Apostolici viri maiorib⁹ ipsorũ tradiderat. Fuit vero Zuinglius Canõicus Constantiensis, homo tum vehementis & fervidi animi, tum indomitæ libidinis, ut qui ob pruritum carnis, cœlibarum, ut ipse fatetur, nullo modo ferre posset. Cœperat tum per Saxoniam & vicinas regiones spargi Lutheri doctrina, cuius veritatem scilicet, Zuinglius inter collegas primum, deinde palam iactabat, adiutus ad hoc scriptis quibusdam quæ ad eas Regiones iam pervenerant. Per id tempus in Helveriam veniunt Indulgentiarum a Leone X. publicatarum præcones, ad pecuniam ex ijs colligendam pro Sacro in Turcas Bello, nec non Sancti P tri Basilica perficienda, ut alibi. Eadem igitu occasione Zuinglius qua Lutherus ante triennium usus, eis sese audacter opposuit, multa contra Indulgentiarum abusus & prauorum malitiam deblaterans, & Junioribus ex Ecclesiastico ordine, quorum mores suis congruere noverat, iugi illius quod Papam voto castitatis ipsis imposuisse dicebat excutiendi, & amplectendæ libertatis auctor fuit supponens turpi ignorantia id iugi suavis, quod Papa ab Apostolorum temporibus acceptum conservatum erat, ab ipsomet Papa esse fabrefactum. nam cur Apostolus Paulus mulieres in ecclesia voluerit esse velatas, propter Angelos (*b*) nempe clericos castitatis Angelicæ legi adstrictos, ne ex earum intuitu concupiscentia veneris inficerentur. Non tamen prius quisquam deserta Ecclesia & cœlibatu fœminis, sive coniugio se mancipare ausus fuit, quam Carolstadius sacrilegis suis nuptijs, glaciem, quod dicitur, fregisset, & viam quasi reliquis apparuisset. Zuinglius vero quum aliquamdiu Glaronæ & in Eremo D. Virginius docuisset, ita tamen ut hæreseos virus, quoad poterat, celaret; Tigurum tandẽ concessit, quorum aures iam ante ipsius, contra Indulgentiarum abusus, clamores implerant. In doctrina de Cœna Domini diversum a Luthero do-

a Helvetia Sancta . . . . Rerum Almanicarum Tomi. b 1. Corinth. 11. 10. &c.

docuit. Vt enim *hic nescio quam Impanationem*, id est corporis Christi in pane perceptionem; ita *Zuinglius figuram & tropum commentus est, quem sibi nec vigilanti nec dormienti, ab angelo candidi an atri coloris incertum, per somnium reuelatum, ipse narrat*, vt supra vidimus. Zuinglij hoc commentum posteriores Sacramentarij varijs coloribus exornarunt; suo quisque modo illud explicantes, omnes tamen eò tendentes, vt diuinæ in Eucharistiæ Sacramento omnipotentiæ compedes quasi injiciant ac leges ponant.

II. De Zuinglij indies magis magisque quod animo hactenus occultauerat, effundentis conatibus edoctus Hugo Constantiensis Episcopus, apud Senatum Tigurinum ex omni hominum atq artificum genere conscriptum, grauiter conquestus fuit, quod *homo ille non legitime missus aut vocatus, ad Nouam doctrinam, eam tamen ouibus suæ curæ commissis annuntiaret*. Ad hos vocatus Zuinglius, causam suam facile defendit, & hominibus de agrorũ bonitate & armorũ vsu, quam iudicandũ de Theologicis rebus magis idoneis persuasit, vt secundum se pronunciaretur, quod cum Doctor Ioannes Faber, istuc ab Episcopo missus animaduerteret plebeios iudices eosque iam seductos male iudicaturos, disputationẽ quam cum Zuinglio, coram Senatu instituturus fuerat iure deseruit, contentus ostendisse, esse argumenta aduersus Zuinglium, si iudices æqui nõ deessent(c). Quis vero non eiusmodi conciliũ rideret in quo, vt ille de Atheniensium dixit comitijs, *Sapientes ac docti proponant, indocti vero & stulti iudicent & decernant*? Sic ergo à rudi hoc populo sententia lata fuit, *qua Zuinglius doceat, Verbo Dei consentire* Hoc simili que astu antiquus ille serpens vtitur, vt nimirum pestiferæ cuicumq; doctrinæ pietatis velũ prætexat, & dogmata amarissimi fellis plena aut verbi diuini aut frequenti Domini Dei ac Christi Saluatoris mentione, tamquã sesamo & papauere, condiat atque incrustet Non pauci tamen in antiqua perstiterunt religione, & impostorẽ, quamuis sub Catholicæ religionis specie adhuc latitantẽ, in lucem protraxerunt, clamore ac conuicijs insectati: & ipsum Zuingliũ & Leonẽ Iudã, cuius operâ Zuinglius plurimum vsus est, vt qui pleraq; ex ore ipsius exceperit, ac propterea Euangelistes ipsius dictus fuerit. Hic ille est qui de nouo Biblia in Teutonicam linguã transfudit; quã versionem Lutherani postea, vtpote ab ipsorum magistro & Doctore passim disidentem falsitatis condemnarunt.

III. Porro ad has controuersias decidendas Senatus Tigurinus suprema quadam auctoritate Ecclesiasticorum conuentũ indixit, & Constantiensem quoq; Episcopũ per litteras inuitauit. Et hic quidẽ misso Vicario suo grauiter eos monuit, certamẽ hoc nõ esse eius loci, neq; in re tanti momẽti sic procedendũ, verum ad Concilij tamquã supremi iudicis notionẽ pertinere At Zuinglius eiusq; cõplices regerebant, in re quæ ad omniũ & singulorum salutẽ pertineat, omnibus quoq; & singulis disquisitionem esse permittendã: Itaque plerique de plebe clamabant. *tandem aliquando vincula perrumpenda & Romanæ Ecclesiæ tyrannidem coercendam esse* ijsdem planè verbis quibus Propheta Dauid, prænuntiauit(d) Impios aduersus Dominũ & Christum eius vsuros, q æ ipsum quoq; in Lutheri assectis permisit Deus, quorum princeps Vlricus initio schismatis Lutherici, librum emisit cui præfixit quasi verbum Dei, idem, quod Zuingliani iactabant nempe: *Dirumpamus Vincula eorum* (Papæ & Episcoporum) *& proijciamus à nobis iugum ipsorum*.(e) Idque tum Tiguri quidem ita factum, vlterius prorepsit. Siquidem Anno 1523. dimisso conuentu, publico senatus Edicto Zuinglij doctrina LXVII. articulis comprehensa, recepta fuit, sic tamen vt templis atque altaribus adhuc inuiolatis, Catholicis in pace viuere liceret. Mox vero Zuinglius, qui priuatim cũ primo nostri temporis iconoclasta, vti & Sacramentario Carolstadio conspirabat, Senatum modis omnibus sollicitare atque vrgere cœpit, vt tam sanctum, scilicet, opus tandem aliquando perficeret, & tam statuas è templis amoueret, quam Missam abrogaret.

Harum rerum fama ad ceteros Heluetiorum pagos perlatâ, Lucernæ An. 1524. habitus fuit conuentus. (f) de retinenda Catholica fide & missi ad Tigurinos legati, qui demonstrarent *quam male in eo agerent, quod à temerarijs aliquot hominibus pulcherrimum ocium & quietem tum Ecclesiæ tum Reipublicæ turbari, & discordia semina spargi paterentur*. Ad ea vero Senatus Tigurinus respondit 11. Martij: *Eam nunc lucẽ esse in multorũ animis excitatam, vt pleriq; omnes in sua ciuitate Biblica scripta diligenter euoluant; nec verendũ esse ne Ministri Scripturam detorqueant, qua sic in manibus omnium versetur*. Se nolle porro hominũ placitis, sed Dei verbo stare,

c *Anatom. Eccl. Cathol. Tr. 2. Disput. Tigur. d psal. 2. e ibidem Extat authenticus is liber Huttени. f Anatom. Eccl. Cathol. Tr. 2 Conuentus Lucernenses.*

id quod ex eo discant, credere &c.(g) Non multo post vero idem Senatus statuas omnes quam late ipsorum patet ditio aufferri iussit, sicut iam ante Carolstadius Wittebergæ, inuito ac repugnante Luthero eas abolenerat.

IV. Circa idem tempus Oecolampadius quoque Apostata Monachus Basileæ, Catholicæ Ecclesiæ repugnantia docere cœpit vti Zuinglius Tiguri. Et hic quidem tantum effecit vt Tiguri Missa tandem fuerit abrogata: ille vero paullatim Iacobi Maieri Consulis opera adiutus, eo vsque progressus est, vt Episcopalem sibi auctoritatem arrogarit. Eodem œstro perciti Schafusani & quidam alij pagi, religionem & ipsi mutauere. Eadem re ij pagi qui Catholicã adhuc sequebatur religionem, tam per legatos quam per litteras grauiter cum eis expostularunt. Tandem vero ex communi omnium decreto multum quoque sollicitantibus Constantiensi, Basileensi, Curiensi & Lausannensi Episcopis, Badenæ instituta fuit An. 15. 26. disputatio: quò à Catholicis primi nominis venerunt Theologi, Iacobus Faber Ferdinandi Consiliarius, Thomas Murnerus, & Ioannes Eckius, ille tot iam ante cum Luthero habitis congressibus notus. Hugo Constantiensis Episcopus eo Vicarium suum siue suffraganeum miserat Melchiorem, celebrem Theologum, Othmarum Lucinum disertum hominem, & Antonium Concionatorem suum aulicum, cum alijs nonnullis Ecclesiastici ordinis: Christophorus Basileensis Episcopus, Augustinum Maierum, Iacobum Lempium, & alios exquisita doctrina præstantes viros: Sebastianus Lausannensis Episcopus, Conradum Tregerum Augustiniani ordinis Prouincialem, & Ludouicum Lubly Bernensem. A Curiensi adfuerunt Petrus Speiserus, & quidam eius Ecclesiæ Canonici: quorum omnium doctrina tam ad hoc quam ad quoduis aliud sufficiens, iam ante multis experimentis erat perspecta. Multis ad tam celebrem conuentum affluentibus, Zuinglius tamen aberat, & quamuis velut præcipuus diuortij illius cum Ecclesia auctor multorum litteris & sermonibus inuitatus, numquam tamen induci potuit vt eo veniret: quantumuis ei publica fide saluus conductus esset oblatus sed vt Luthetus Pontificali quadam auctoritate oracula consulentibus è Musæo suo seu cubiculò tamquam è tripode reddebat, ita Zuinglius non sine fastu Badenã venire recusauit, periculum excusans, vt qui Lucernatibus, Vranis, Suicijs, Vnterualdijs & Tugianis, qui summo ipsum persequerẽtur, odio, vitam suam credere non posset. Quamuis autem non saluoconductu modo, verũ etiam obsidibus oblatis, conuicijs pæne ad certamen euocaretur, in sentẽtia tamen persistebat: lepus seu cuniculus, & Tigurum, quasi ex ipsius arbitrio res agenda esset, vel Bernam vel Sangallum corrupta à se loca disputationi designabat vt ibi populi multitudine quasi iudicibus vinceret, qui eruditis illis se parem esse intus diffidebat. O mirabilem noui huius Heluetiorum Apostoli zelum, capiti suo tantopere timentis! Non ita primi illi fecerunt Christiani, qui vbi maximum ingruebat periculum, ibi potissimum ad dimicationem sese offerebant, & Christi nomen intrepide vbique profesi, per medios ignes & flamas ad martyrij coronam erumpebant. Sed terruit illum sacerdotis cuiusdam apostatæ, Constantiensis Episcopi postulatione nõ multo ante cremati exemplum. Sic ergo Zuinglius viribus suis diffusus, & intra Tigurinæ ciuitatis muros post principia latens, ne à tot tamque strenuis Catholicæ Fidei militibus, quos Badenam veniße non ignorabat, male acceptus existimationem suã perderet, Oecolampadium tamen eo ablegauit, additis velut optionibus Huldrico Studero & Brechtholdo Hallero, Canonico Bernensi apostata, vt scilicet ijs victis, nihilominus sibi res integra maneret.

V. Non obstitit tamen Zuinglij absentia quominus ad disputationem fuerit peruentum. Ac primo Catholici Theologi themata quædam quibus Catholicæ doctrinæ veritas adstruebatur, & Zuinglianæ demonstrabatur falsitas, proposuerunt: inprimis vero Eckius continuis aliquot diebus excellentis suæ eruditionis mirifica dedit specimina. *Felix, sancta & immortalis est & erit viri huius memoria, qui in primis semper stans ordinibus, multiceps hæreseon monstrum & immanes illos ac feroces Goliathos fortissime assiliit ac cominus oppugnauit.* Penes quos vero victoria fuerit, exitus disputationis à Notarijs ad hoc deputatis scriptus monstrat. Cõmuni enim decreto septem illa themata, de quibus inter Eckium & Oecolampadium disputatum fuerat, tamquã S. scripturæ consentientia, recepta fuere atque approbata, quamuis multum reclamante Oecolampadio: nimirum Hæc: primo *Verum Christi corpus atque sanguinem vere adesse in cœna Domini (contra Zuinglij opinionem, qui id vanissime asseruerit nullis S. scripturæ testimonijs probari posse) ideoque Corpus Christi in Cœna Domini realiter &*

corpo-

poraliter percipi. Secundo, Christi corpus atque sanguinem in Missa sacrificia pro viuis atque mortuis offerri. Tertio, virginem Mariam & reliquos sanctos pro intercessoribus esse inuocandos. Quarto de Sacramentorum numero, &c. vera hactenus docuisse Ecclesiam & adhuc docere. Quinto, post hanc vitam locum esse, in quo anima nondum omni contagione libera antequam cœlestis gaudij fiant participes, purgentur. Sexto, infantes fidelium in peccata mortali nasci. Septimo, non S. Ioannis, sed Iesu Christi baptismo peccatum originale deleri. Hoc modo tam Lutheri quam Zuinglij doctrina in hoc conuentu præclarè damnata fuit, ac statutum vt nihil tam in doctrina quam cultu diuino hactenus vsitatis innouaretur: pœna etiam decreta sunt in eos qui contra fecissent, ac lecti iudices, promisso inuicem facto, quod ab vno pago statutum fuerit, id à reliquis ratum habitum iri. Hactenus bene illi sanciuere illa quidem, sed & oportebat decreto huic insistere, & Tigurinos, qui soli viribus erant impares, ad decreta facienda cogere. Sane Zuinglius ictu hoc attonitus, quo se reciperet habiturus non erat, qui soluto enerui in exequendo Conuentu, resumtis viribus suos posteà rursus excitare; & tam voce quam scriptis animare non cessabat Faber qui Zuinglium prouocauerat, vbi eum in latibulo suo continere se vidit, scriptis rem egit; quæ adhuc exstant, in quibus enormes Zuinglij contradictiones, & Oecolampadij in solo articulo de Sacramento altaris, centum & quinquaginta falsitates seu mendacia demonstrat. Huius exemplo Roffensis quoque in Anglia Episcopus, cuius memoriam nulla vmquam delebit oblivio, vtriusque errores duobus doctissimis libris editis, refutauit.

VI. Promulgato hoc apud Heluetios decreto, quod factum fuit Anno M. D XXVI. Zuingliani priuatim rebus suis intenti, publice nihil ausi sunt, donec Anno M. D. XXVII. Bernates, quorum præcipua est in Heluetijs potentia, eo proculcato, aliam sua in vrbe disputationem decreuerunt, (g) Zuinglio potissimum instigante; qui velut è longo animi deliquio recollectis viribus, ad pristinam ferociam redierat. Causam apud reliquos pagos prætexebant Bernates, *quod religionis dissidia indies augescerent, nec eadem esset etiam eorum qui Zuinglio adhærebant doctrina, & noua secta passim gliscerent. Per id enim tempus sacerdos quidam eò progressus est insania, vt publicis in concionibus diceret, iam id tempus adesse quo Iesu Christi Euangelium finem habiturum, & noua lex sit introducenda. Nam vt Mosaica lex mille tantum & quingentis annis duraverit, sic Christi quoque legem non diutius duraturam, sed iam periodum suam absoluisse. Anabaptistæ præterea & alij hæretici è Morauia & aliunde irrepentes, simplicem plebem seducere, & mirum in modum ludificari cœperant; sic vt trecenti circiter (quemadmodum eius temporis historici testantur) à phreneticis eiusmodi doctoribus persuasi & à diabolo excæcati, in montis cuiusdam iugum consenderint, exspectantes ibi dum vnà cum anima & corpore in apertum cœlum susciperentur.* Sed ad Bernates redeo, qui, vti dicere cœpimus, edito scripto futuræ in sua vrbe disputationi diem constituerunt, ad eamque finitimos conuocarunt Episcopos, monitos, vt si venire ipsi nollent, suos mitterent Theologos. *Deinde leges etiam perscribunt, & vt in decidendis controuersijs sola S. scriptura pondus & auctoritatem habeat, edicunt, & omnibus vndecumque eò venturis, publica fide cauent; simulque themata, de quibus disputandum esset promulgant.* Acceptis litteris, Lucernates, Vrani, Suicij Vnterualdij, Tugiani, Galreani, Friburgenses, Soloturij, *prolixo scripto grauissimisque verbis hortantur vt ab instituto desistant, vt quod decreto Badensi maxime aduersetur, & ad initi fœderis ac pacti violationem pertineat. Addunt, non licere vlli populo aut prouincia formam religionis aut doctrinam mutare, & quæ ab Ecclesia recepta sunt, in dubium vocare, sed hoc ad totius orbis pertinere Concilium. Quod si turbulentus aliquis nouum adferat doctrinæ genus, eum statim comprehendendum & secundum leges puniendum esse,* &c. Nihil his omnibus comoti Bernates, pergunt, & actionem ad constitutũ diem inchoant. Eo Basileenses, Schafusiani, Tigurini, Abbecellenses, Sangalliani suos miserunt. E Germania quoque nonnulli ab eiusdem religionis socijs, velut auxilii ferendi causa summissi sunt. Fuerunt ibi Zuinglius, Oecolãpadius, Volfgangus Musculus, Capito, Blaurerus & Hallerus: Episcoporũ vero nemo venit, vt qui eiusmodi profanorum & à Deo derelictorum hominum conciliabulis præsentia sua auctoritatẽ aliquam addere nollent. In quo tamen petnicioſe ab eis peccatum fuisse, postea deprehensũ est, eo fere modo quo à Iudæis olim, qui ne Sabbatũ violarent, Romanis, quorum dux Pompeius erat, prędę potius fieri, quã arma ad sui defensionem expedire maluerunt. Theologorũ enim, quos doctissimos habebant, operâ facile Zuinglianis q̃ sibi sumpserant, prærogatiuã extorquere, & hæreseos cursũ, quæ magnas inde vires accepit, sistere potuissent. Vnus Reli-

g *Anatomia Eccl. Cathol. Tr. 2. Disp. Bern. p. 93.*

gioſus Auguſtinianus in aciem prodijt: cui perpetuum Catholicæ religionis à ſæculo in ſæculum ſine vlla interruptione conſenſum alleganti ac demonſtranti, Iudices ſeu præfecti diſputationis, quod lege cautum dicerent, ne quidquam præter S Scripturam adferretur, ſilentium impoſuerunt: *quaſi Scriptura ſui ipſius interpres, & eorum quæ ipſa parit dubiorum iudex eſſe poſſit; quum ſciamus omnes in religione controuerſias è diuerſo S Scripturæ intellectu ſeu interpretatione eſſe exortas, ipſam verò ſine anima quaſi eſſe, nec ex ſeipſa oſtendere poſſe quænam pars verum ſub verborum corticibus latentem pro ſe habeat intellectum, vt alioloco quando de Francis noſtris Euangelicis ſermo erit, amplius docebo.* Et Catholicus quidem ille Monachus, *Quandoquidem*, aiebat, *antiquos Patres & Eccleſiæ Doctores harum controuerſiarum iudices admittere recuſatis, & è priuato veſtro, quem Scripturæ adfingitis, ſenſu omnia diiudicari vultis, arena non inuitus excedo, & in pace vos relinquo, ſi modo pax vlla inter vos eſſe poteſt.* Sic igitur noui illi Prædicantes ſine vllo antagoniſta, ſine vulnere ac puluere triumpharunt. Quòd ſi Iudæi ijs Chriſti Saluatoris noſtri verbis offenſi ſuerunt, quibus affirmaſſe videbatur, ſe templum illud Hieroſolymitarum, in quo ædificãdo tot anni fuere conſumti, ab ipſis deſtructurum, & triduo reædificaturum: quid ijs facere debemus, qui non totis viginti diebus Catholicam religionem, mille & quingentorum annorum ſpacio ab infinitis quaſi operarijs exædificatam, penitus aboleuerunt, eiuſque loco nouam quandam ex ſui cerebri modulo adſtruxerunt? Sic ergo Bernates, Tigurinorum exemplo, Catholicæ Eccleſiæ valedixerunt, & Miſſis, aris atque ſtatuis vbique ſublatis, Pontifici eius capiti, obedientiam renunciarunt. In hac ciuitate ſedem poſtea ſibi delegit VVolfgangus Muſculus Lotharingus natione: qui relicta monaſtica profeſſione, ceu trinam aliquamdiu fecerat, ſed ad litterarum ſtudia reuerſus, & apud Bucerum educatus, quum conſcientiæ metu Argentina profugiſſet, Bernam commigrauit, & diu ibi Superintendentis munere fuit perfunctus: quod munus primum Bertholdus Hallerus Canonicus apoſtata, deinde Franciſcus Colcus excucullatus monachus vſurparant. Quo verò tantæ rei conſeruaretur memoria, Senatus Bernenſis rei geſtæ hiſtoriã auratis litteris columnæ inſcribi iuſſit. Bernatum veſtigia mox ſequuti ſunt Geneuenſes; de quibus in Caluiniſmi explicando origine, dicendi locus erit. Conſtat certe, Bernatum Confeſſionem à Geneuenſi multum initio diſcrepaſſe: quod inter alia impreſſa quædam folia, Simonis Coludri nomine inſcripta, ſed reuera Caroli Molinæi opus, qui paucis ante obitum annis Caluiniſmum deſeruerat teſtantur, *Caluinum nempe Bernam veniſſe, vt hæreſeos crimẽ, cuius à miniſtris quibuſdam inſimulatus fuerat, à ſe amoliretur: quinetiam Senatus decreto prohibitum fuiſſe, ne quis Caluini Inſtitutionum librum venalem haberet.* Porro illud Acatholicum Decretum Bernatum Eckius ſcripto oppugnauit, non tamen eo ſucceſſu qui ſperari poterat, ſi præſens cũ Zuinglianis ante factum illud decretum fuiſſet cõgreſſus. Lutherus verò contra eoſdem ac reliquos Sacramentarios non minus acriter tonabat ac fulminabat, vt libro II. diximus. Eodem tempore Ambroſius Blaurerus monaſticæ vitæ deſertor, Thomæ Blaureri fratris, cuius vtpote conſulis magna erat in vrbe auctoritas, fauore Zuinglij, Euangelium Lutheri Conſtantiam inferre conatus, vnà cũm fratre non multo poſt eiectus fuit vt Beza pene defleuit, iſta verſificando ſcribens:

O nimis inconſtans Conſtantia! quis furor ille,
Membra ſacris vt cœtus detruncet ipſa, tuumq;
Seruitio collum ſubdas!

Vane verſificator, quia Conſtantia in Fide 1500 annorum eſt Conſtans, tibi Homini religionis nouæ, à ſpiritu ignoto excitatæ, profeſſori eſt Inconſtans! & Schiſmaticos ſacrilegosque eijciendo, tibi ſacrilego ſacris erecit. Et libertatem veram retinendo in Chriſto tuo vili iugo ſe nolens ſubdere, debet videri ſeruitium induiſſe, Agape profane.

DE CIVILI HELVETIORVM bello & metua laniena: ac de Zuinglii morte.

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

I. *Zuinglianires Baſileæ turbant.*
II. *Heluetiæ populorum natura belliçoſa.*
III. *Baſileenſes & Tigurini ſeſe armant.*
IV. *Zuingliani victi ac profligati.*
V. *Zuinglij mors in bello interfecti.*
VI. *Catholicorum victoria.*
VII. *Heluetij poſt primas Catholicorum victorias in pace viuunt.*
VIII. *De Rhatorum (qui Griſones vulgo) ſtatu & religione.*

I. FIER

I. Fieri certe non potuit, quin post tot fulgura ac tonitrua, Zuinglianæ doctrinæ fulmen præcelsam aliquam arcem ferret: id quod non multo post Basileæ factum fuit, è qua literatorum le Erasmus arrogantem Nouorum illorum Zuinglizantium Christianorum ignorantiam ferre non sustinens, Friburgum se receperat. Grues enim Zuinglij somnia sequentes, die constituto arreptis armis, tur es portas ac præcipua vrbis loca à se occupata, præsidijs firmarant, & excubias agebant non secus atque si hostis vicinus esset. Catholici econtra a conciuibus suis præuorsi atque oppressi, leges aduersas accipere cogebantur, quibus hactenus dare consueuerant ipsique cedere quorum violentiæ resistere non poterant. Primum vero illi furoris impetum in templa effuderunt, conuulsis ac deiectis statuis, Martyrum aliorumque sanctorum virorum construendæ memoriæ & honori, ante tot sæcula positis. Postha ec Senatum nouum ex suo creauerunt arbitrio promulgato tamen decreto, ne Senatus quidquam in ijs, quæ vel ad Rempublicam vel religionem pertineat, agendi potestas esset, nisi ex ducento virum quos ipsi elegerant, virorum consensu. Tum Tigurini Bernates, Solodurij, hac de re certiores facti, cum Basileensibus reliqui vero pagi Catholicæ religioni adhæsi, cum Ferdinando Austriaco, mutui auxilij caussa, fœdus iniere.

II. Quia vero Heluetij natura bellicosi sunt, non multo post ad arma fuit deuentum. Nec mirũ in ea natione, in qua ipsi quoque pueri vix è cunabulis prorepentes, iam arma circumspicere, paullo vero adulciores, tractare atque exercere solent. Quin apud eos ẽ consuetudine atq; etiam lege receptum est, vt bubulci gladium ad latus non minus quam vomerem ad aratrum præsto habeant, nec sine eo vel ad opus accedat quisquam, vel ab opere discedat. Hinc quam primum tympanũ ab extera aliqua plaga sonuerit, statim ad arma prosiliunt, vitamque suam stipendio oppignorant; adeo vt natio hæc integros exercitus vna fere nocte quasi parat, & sub signis producat. Quamobrem etiam pacis tempore ab exteris Regibus ac Principibus stipendia accipere consueuerunt. Ludouicus quidem XI. Franciæ rex primus eos annua pensione, tamquam perpetuo militiæ auctoramento, Gallicæ coronæ adstrinxit & obnoxios fecit. Zuinglius ergo quum animaduertisset religionis mutationem quam meditabatur, non sine vulneribus & sanguine (hæreseos enim symbolum est Bibliorum codex in vna, & gladius in altera manu) abituram, Heluetijs modis omnib. persuadere conatus est, ne vllos a peregrinis delectus haberi paterentur; indignum atque adeo impium esse dictitans, sanguinem vitamque suam vænalem habere, ac pluris ici eam tibus prostituere, atque ita pro aliorum contentionibus, quæ ad ipsos nihil attinerent, mactandos sese præbere. Quin multo melius esse agriculturam ac rem pecuariam, maiorum exemplo tractare, viresque contra eos qui domesticam ipsorum quietem interrumpere vellent, integras reseruare. Et Tigurinis Zuinglius persuasit, ne Franciæ regi suis in finibus militem conscribere permitterent, in speciem quidem vt sua defenderent, reuera autem vt vicinos inuaderent, atque oppugnarent.

III. Post Basileensem tumultum rebus potius aliquantum sopitis, quam compositis. Tigurini & Bernates animati etiam copias educunt contra Catholicos pagos, scriptoque edito, caussam cur ita faciant, exponunt, inter alia recensentes, quod illi ciuitatum suarum insignia ad patibulum fuli ẽderint, & fœdus cum Ferdinando capitali ipsorum hoste fecerint. Nec minus impigre Catholici suas producunt copias, ac castra ponunt, acceptis à Ferdinando auxilijs. Quum omnia ad pacem spectarent, interuentu finitimorum, & Argentinæ ciuitatis cum Tigurinis paullo ante confœderatæ, compositæ res fuit, hoc inter alia pacto, *vt religio cuiq; libera esset, quum omnes pagi supremum in suis finibus imperium habeant; ne eius causa cuiquam vis fieret, Factum hoc Anno* 1529. Hoc modo inter Catholicos & Zuinglianos bellum tum fuit compositũ, non item inter Zuinglianos & Lutheranos; qui scriptis & libris, vt illi armis, mutuo sese oppugnare ac lacerare nõ cessabant. Et Lutherus quidem ac Zuinglius vtriusque partis antesignani toto triennio acerrime inter se digladiati sunt, sic vt neque pax neque indutiæ, quamuis plurimum annitente Landgrauio, qui Marpurgum vtrumque ad colloquium euocarat, fieri potuerint, vt libro II. est demonstratum. Quinetiam bellum hoc immortale illi posteris siue successoribus tradidisse videntur. Et si enim Zuingliani Heluetiorum pagi vehementer instarent vt in Smalcaldicum fœdus reciperentur, à Saxoniæ tamen Duce impetrare id non potuerunt. Adeo Protestantes à Zuinglianorum secta abhorrebant. Landgrauius econtra summo Imperatoris odio cum Heluetijs Euangelizantibus priuatum fœdus percussit.

IV. Ve-

IV. Verum tamen pace vt dictum est inita, plusquam Vatinianum Zuinglianorum erga Catholicos odium animis contineri non potuit, quin tandem erumperet, & pacem quamuis iuramento vtrimque firmatam turbaret ac dissolueret. Et sane Spiritus ille, qui per os Zuinglij, nihil quam ignem & flammas, vomebat, sanguinem ac carnem humanam pro suauissimo cibo ac delicijs habet. Tigurini ergo ac Bernates, quum contra pacta & promissa Catholicorum subiectos seducere instituissent, vt ad imperata facienda eos cogerent, locis idoneis ac claustris viarum occupatis, ne quid ad illos deueheretur alimoniæ, prohibebant. Sed quemadmodum fames, vt est in prouerbio, lupum sylua expellit, & cibum vndecumque quærere cogit: sic Catholici rerum necessariarum inopia pressi, contractis magna celeritate copijs, signa protulerunt, & opinione citius ad Tigurinorum fines peruenerunt, bello tamen his verbis prius indicto, quæ vti à Simone Fontano in Historia Catholica descripta sunt, appono.

Quandoquidem iam sæpe omnes & singuli ex æquo & bono satisfacturos vobis obtulimus: vos vero contra fœdera & pacta iuramento confirmata, contra pacem publicam, contra disciplinam & concordiam Christianam, contra fidem, charitatem, & quæ inter confœderatos esse debet amicitiam, atque adeo contra ius naturale, & contra omnem æquitatem, subditos nostros ad rebellionem excitatis, sic vt iam dudum fidem nobis datam violauerint, periuriumque commiserint, dum Capitaneatus Sangallensis & præfectura Vallis Rhenanæ, & aliorum locorum subditi, imperium nostrum detrectant, à vobis instigati, vestruque artibus & dolis ad inimicitias nobiscum exercendas inducti, eum in finem, vt hac ratione nos ab antiqua nostra & certa Fide Catholica dimoueatis, quos vos dicitis nolle Dei verbum audire, nec permittere vt subditi nostræ ditionis. Veteris ac Noui Testamenti libros legant; immo velut homines omnis religionis expertes, malignos, proditores & pacis perturbatores traducitis: tum etiam, cam tantum ob caussam quod erroneam vestram & laruatam religionem amplecti noluimus, annonam nobis intercluditis, vt non nos tantum, verum etiam liberos nostros, qui adhuc in vtero matris sunt, fame enecetis ac perdatis: quoniam denique ius omne nobis denegatum videmus, nec vllius ope ad iustitiam & rationem vos adigere possumus; ac iam tanto tempore tot tantasque vestras iniurias, vim & insolentiam pertulimus, quarum nec adhuc vllum facitis finem, coacti sumus coram Deo omnipotente, S. Virgine Deipara, tota curia cœlesti, atque omnibus ijs qui iustitiæ & iuris aliquam curam habent, de his rebus conqueri; simulque eo consilia nostra & vires conferre, vt diuina adiuuante gratia, iniurias nobis illatas vlciscamur. Quod præsentibus literis vobis vestriique adiutoribus & adhærentibus significare, & honori nostro consulere voluimus. In quorum fidem & testimonium, confœderatorum nostrorum Tugianorum sigillum, nostro omnium nomine his appendimus, Datis Anno M. D XXXI. die VI. Octobris.

His acceptis literis, Tigurini quoque copias vnà cum tormentis quibusdam educunt, vnà cum Zuinglio tamquam altero Gedeone, cuius præsentiam hoc modo excusat vafer ille tinctor colorum falsorum, Sleidanus: *Tigurinorum*, inquit, *ita fert consuetudo, quum in hostem exitur, vt Ecclesiæ minister primarius vnà prodeat. Zuinglius etiam vir fortis alioquin & animosus, quum secum reputaret, quod si domi resideret, ac prælium forte fieret aduersum, fore vt magnam ipse sustineret inuidiam, quasi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipso autem discrimine remolesceret, voluit omnino communem subire martem.* Nec iniuria profecto aliorum reprehensiones metuebat, si tam cruentæ tragœdiæ auctor in ipsa actione velut è scena se subduceret, aut post fiparium se absconderet, nulla omnino persona repræsentata; aut sine suo periculo instar tubæ, *ære cieret viros martemque accenderet cantu*, pergeret, & sic homines ad mutuam lanienam excitare, ipse interim post principia loco tuto sibi cauere videretur. Zuinglius ergo vnà in hostem exiens, non seduli tantum Prædicantis, verum etiam boni militis, atque adeo ducis officium implere voluit, in prima acie consistens, & suos ad fortiter pugnandum cohortans. *Deum exercituum*, inquiens, *numquam tam pia ac iusta caussa defuturum, contra eos qui ad tuendam Papistarum idololatriam arma cepissent.* Sed mox & ipse graui vulnere accepto prostratus, & vniuersus Zuinglianorum exercitus aut cæsus fuit, aut in hostium potestatem venit.

V. Zuinglium pseudoprophetam quidam semianimem iacentem conspicatus, rogauit, vtrum sacerdotis copiam sibi fieri vellet cui peccata confiteretur. Nihil vero respondentem, sed terram mordentem, alter hasta transfixit. Sleidanus patronus impietatis huic quoque prælio non defuit calamo pictorio, suo. Nam ait, *in corpus Zuinglij exanime valde sæuitum esse, & vix etiam illius morte potuisse odij acerbitatem exsaturari. Certe cadauer eius carnifici traditum & igne crematum fuit.* Chronicon Basileense testatur, *antequam crematum fuerit, in*

quatuor

quatuor partes fuisse dissectum? quin eviscerato etiam adipem detractum (erat enim Zuinglius corpulentus admodum & obesus) eoque ocreas militum inunctas. Lutherani aiunt. (a) *Tragicum hoc quidem & horribile esse facinus, in eò tamen admirabilia Dei iudicia notare vnumquemque, ac merito cum Dauide dicere posse: Iustus es Domine, & iustum iudicium tuum.* Aut cum Domino & Saluatore nostro: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Zuinglius certe homo fuit præferuidus, nihil nisi ignem spirans, & inter omnes qui contra Ecclesiam insurrexerunt, vno Caluino excepto, maxime metuendus; adeo vt *tuba seditionis ac fomes rebellionis* merito dici possit, vt etiam ex ipsius scriptis, & inprimis libro IV Epistolarum liquet, qui igitur vivus vt apostata & sacrilegus exuri promeruit, ei in morte vltio Dei non defuit de quo contribulis fui, Theodori Bezæ suspiria & lacrymas, ita canentis vt nos è Gallico vertimus, habe nempe muli de mulo elogium

Vir bonus & fortis, supremi incensus amore
Numinis & patriæ, hostili se Zuinglius ensi
Obiecit, & casus post in cineresq; redactus,
Præstitit officium extremum patriæq; Deoq;.

Et hoc illud est quod vulgari versu a discipulis ipsius iactatum fuit:

Occubuit patrio bellator Zuinglius ense,
Et pressa est armis gens populosa suis.

Cum eo vna occubuerunt quatuor sacerdotes apostatæ, quum prius fortiter pro sua religione, aut multo potius, pro vxoribus ac liberis, pugnassent. Horum vnus fuit Abbas Eremi excucullatus, necnon eiusdem Conuentus Prior, tum Antonius Valderius Canonicus Tigurinus & Henricus Vtingerus eiusdem Ecclesiæ Thesaurarius & Canonicus. Qui verò è prœlio euaserunt, Tigurum se receperunt, amissis viginti sex machinis tormentariis, quas secum eduxerant. Accepto huius cladis nuncio, Bernates iubent Tigurinos bono esse animo, & auxilia ad causam hanc communem pollicentur. Idem faciunt Basileenses, Schafusani, Sangallenses & Mulhusini. Sic igitur exercitu, in quo triginta armatorum fuisse millia nonnulli prodiderunt, coacto, Tigurini rursus egrediuntur. Nec moram faciunt pagi Catholici, quorum tamen vniuersæ copiæ vix octodecim armatorum millibus constabant. Qui domi interim remanserant totos se oratione & precibus dediderunt. Ex viduarum numero octodecim lectæ fuerunt, è quibus senæ alternatim in Eremi sacello Deum ac Deiparam Virginem Mariam pro suorum victoria deprecarentur.

IV. Sleidanus, erubescens, credo, tot tantisque Zuinglianorum suorum clades describere, quatuor aut quinque prœlia a totidem ferè verbis absoluit: quorum ego hoc loco è Catholicis scriptoribus petitam, aut ex eorum qui interfuerunt ore acceptam historiam subiungam. *Quum bipartitus esset Zuinglianorum exercitus, nec Bernates adhuc copias cum Tigurinis coniunxissent, Catholici celeriter promotis copijs, Bernates inopinantes oppressérunt, & in fugam coniecerunt, octingentis circiter occisis, & totidem fere in proximo flumine submersis. Sed multo maior fuit ea clades quam non multo post, nimirum XXIV. Octobris M. D. LII. Zuingliani acceperunt. Noctem enim conatibus suis magis commodam ac propitiam fore existimantes, quum diem bis aduersum atque infelicem experti essent, copias producunt, vt hostibus somno oppressis, somnum cum nocte continuarent. At subodorati id Catholici, in armis parati stabant, lineis interulis, vt mutuo se per tenebras cognoscerent, super arma inductis. Magna hic cædes fuit, vtrisque aut mori aut vincere cupientibus: tandem vero,*

Post pugnam ancipitem, dubiaq; & momenta Gradiui,

victoria penes Catholicos fuit, sex millibus circiter Zuinglianorum in prælio occisis. Nec sic tamen fracti Zuingliani rursus contractis tam profligati exercitus reliquijs quam nouis copijs, vigilia Omnium Sanctorum fortunam rursus tentarunt, eodem quo prius euentu, quinque millibus iterum desideratis. Solebant vero Catholici pro victoria non vota tantum facere, verum etiam gratias Deo agere in sacello quodam, quod D. Virginis in Eremo dicitur, loco non religione tantum, verum etiam multis miraculis claro. Id aegrè ferentes Zuingliani, miro insuper tam frequentes suorum clades vlciscendi studio incensi, contractis quantas poterant copijs, dictum sacellum funditus euertere statuerunt. Eare cognita, Catholici in armis parati sic eos exceperunt vt circiter quinque millia rursus ceciderint, multis Tigurinorum, Basileensium, Schafusiorum & Mulhusinorum signis captis. Hæc quinta fuit clades Heluetiorum. In diuersis his conflictibus sedecim Ministri seu Prædicantes bellatores, gladijs & hastis ad extremum vsque spiritum fortiter pugnantes, simili quo antecessor ipsorum & Apostolus Zuinglius fato functi sunt. Tot tantisque cladibus fracti Zuingliani, posthac mœnibus sese continuerunt, & Imperialium quarundem vrbium intercessione, tan-

a *Hist. August fol. 198. Psal. 118. Luc. 12.*

dem pacem à Catholicis impetrarunt. Pleraque enim per Germaniam ciuitates aegrè ferebant, bellicosam hanc nationem mutuis cladibus sic atteri, ac suis viribus ad intestinam perniciem armari. O plusquam belluinam hominum crudelitatem. Quis vmquam audiuit, lupum à lupo, aut leonem à leone, quantumuis extrema fame agitatis, deuoratum? At solus homo hominem occidere nihil pensi habet.

Tantum religio potuit suadere malorum
Diuersa, & soissam studia in contraria vulgus.

O aureum illud sæculum! quo non dico hominem, sed innoxium quodcumque animal occidere piaculare habebatur. Ferreum vero nostrum hoc merito dici potest, quo homines tamquam Eumenidum seu Furiarum ministri, nihil aliud quam alior m perniciem quærunt & mohuntur. Post quam ergo tantum Christiani sanguinis effusum fuit, tandem pax inter vtriusque religionis pagos facta est, hac conditione, quam nos è Gallicis verbis sic Latinè expressimus: *Nos Tigurini & Bernates, debemus velle & volumus vt fideles nostri confederati quinque pagorum, & ipsorum ciues, vnà cum Vallensibus & omnibus ipsorum socijs & adhærentibus, tam Ecclesiasticis quam laicis, in ipsorum ciuitatibus, territorijs, præfecturis & dominijs, pace fruantur; idque sine vlla reprehensione, disputatione aut quacumque alia maligna adiunctione, exceptione, & circumuentione, exclusa omni fraude. Similiter nos Quinque pagi volumus, vt Tigurini & Bernates ipsorumque adhærentes, in pace viuant, neque etiam ob eam quam sequuntur religionem vlla eis molestia aut turbatio inferatur.* Porro inter pacis huius conditiones & illa fuit, vt vtrique, Catholici scilicet cum Ferdinando rege, & Zuingliani cum Langauio & Argentinensibus factum fœdus rescindant.

VII. Secundum hæc Heluetiæ populi pacem inter se sancte coluerunt Zuinglianis tanta cladiũ frequentia & magnitudine attonitis. Porro Helvetiorum pagi dicti Lucernates, Vrij, Suitij, Vnterualdij, Glaronenses, Tugiani, Friburgenses, Solodurij, Abbecellenses in Catholicæ Ecclesiæ obedientia constanter permanserunt: quamuis duo posteriores ex his pagi vtramque tolerent religionem. At alij præter hos pagi nimirum Tigurini, Basileenses, Bernates, Schafusiani, Zuinglij opinionem pertinacissime hactenus defenderunt, quamquam nonnihil iam ad Caluinismum deflexerint. Antea enim Heluetica Confessio seu religio a Geneuensi, & quantum ad ipsam fidem, & quantum ad ceremonias seu sacrorum ritus, aliquantulum discrepabat: verum intra proximos retro viginti annos aliqua concordiæ ratio facta fuit inita. Hodieque tamen disciplina Ecclesiastica non tam stricte apud Heluetios quam Geneuenses obseruatur. Heluetij etiam in Cœna sua hostijs Catholicorum more paratis, Geneuenses vero ea panis forma modoque parata qua in mensa indies communi seu vulgari plebs utitur. Altaria etiam illi saxea habent & Basileæ quidem marmoreum hodieque integrum visitur, quod olim in Ecclesia Cathedrali diuino officio inseruijt. Cumque cœna apud Heluetiorum ciuitates celebratur, duo Prædicantes (sic enim Ministros appellant) ad altare consistunt, quorum vnus panem, alter vinum communicantibus porrigit. At in vicis & villis, Prædicans panem, laicus vero seu rusticorum vnus vinum dat. Apud Heluetios in sepultura defunctorum funebris haberi solet oratio: Geneuæ nequaquam Basileæ quidem, Schafusiæ & alibi multa Epitaphia & alia funebria ornamenta adhuc extant; non vero Tiguri aut Bernæ, Basileæ Erasmi Epitaphium in Cathedrali Ecclesia, Oecolampadij vero in cœmiterio videtur. Geneuæ mortuis nihil, præter terram, datur. Quin idololatriam esse, aiunt, honores illos qui defunctis habentur. Existimant quippe, satis esse cœlum pro vrna habere. Basileenses quidem & Schafusij post Oecolampadij mortem diu Lutheranam religionem sequuti sunt, à Sulcero quodam Lutherano Prædicante persuasi; quo defuncto, Grynæus illius (de quo in B. æ Iconibus extat elogium, filius) primum à Lutheri, deinde à Zuinglij opinionibus paulatim eos ad Caluinismum abduxit, miro æstu ad hoc vsus. Primo enim Lutheranum se simulabat; postea vero amicis quos plurimos singularimorum tam grauitate quam comitate sibi comparauerat, confisus, Geneuensem Confessionem populo aperte laudauit vtque eam amplecterentur auctor fuit: quamuis Lutheranismi etiamnum fauillæ quædam veluti sub cineribus vtrobique lateant. Ita religio pro hominum arbitrio tota gubernatur apud eos, qui nihil nisi diuino verbo expressum in Religione tolerandum susceperunt. quidlibet enim sub verbo diuino ingenium humanum inuenire potest, si à Regula Ecclesiæ dictantis veritatem recedit.

VIII. Eadem discordia ab Heluetijs ad Rhætos finitimos, quos Grisones vulgo vocant, propagata est: qui & ipsi, Heluetiorum exemplo, legitimi domini, Episcopi nempe Curiensis imperio sese sub-

subduxerunt. Apud hos vero religio vtraque in vsu est. Quidam enim etiamnum in antiqua persistunt religione, alij vero Zuinglij delitia amplexi sunt, partim à ministris quos Tigurini ipsis submiserunt, partim à suæ nationis hominibus, ad Lutheranas, aut Caluinianas Academias ablegatis, ac domum cum noua doctrina reuersis, persuasi. Quamuis autem eandem, quam Tigurini fidei formulam profiteantur, non tamen disciplinam Ecclesiasticam obseruant In eo vero illis prudentiores aliquo modo videntur, quod quendam veluti summum habent Pontificem. Sic enim merito appellari potest is penes quem ceteros Prædicantes eligendi atque abdicandi seu deponendi, officia distribuendi, & vitia seu crimina suo arbitratu puniendi ac corrigendi est potestas. Et hoc quidem officio ille quoad viuit fungitur; mortuo vero statim alius surrogatur. Vulgo Minister Synodalis nominatur. Ad Rhætos pertinet vallis Bartholina, qua vix in Europa reperitur altera amœnior fertiliorve eo tantum nomine infelix quod hæresi etiam sit infecta: quamuis pauci ab hinc annis magnum illa ibi ac ferè lethale vulnus acceperit, sex viris è nobili Parauicinorum familia simul ad Catholicam fidem conuersis, quorum exemplum non parua populi multitudo sequuta fuit. Audiui ego quendam noui Euangelij in Gallia (quamuis Gallus non esset) Ministrum, Franciscanæ posteà familiæ adscriptum, narrantem, se quum anno M. D. XCIIX. ad Rhætos peruenisset, à Pontifice ipsorum seu synodali Ministro, Marco nomine, in valle Anegdina domicilium habente veniam concionespublice ad populum habendi petijsse, ac facile impetrasse. Reperisse vero se ibi complures Italos è religiosorum Conuentibus profugos, Prædicantium munere fungentes, qui omnes cum vxoribus, liberis ac tota familia nihil habuerint, vnde viuerent, quam tenue quo vel ad conciones habendas, vel scholas regendas conducti erant, stipendium. Hic vero de quo loquor, conscientiæ aculeis, eo quod schismate irretitum se animaduerteret, agitatus, vt quietem reperiret, omnes fere Christiani orbis prouincias peragrauit, cum doctissimis cuiuscumque religionis viris colloquutus. Quanto vero plures conuenit, tanto magis in erroris ac damnationis via se esse cognouit. Ad Rhætos ergo tandem profectus, ad ministerium, eo quod Italicæ linguæ peritus esset, receptus fuit. Ibi dum esset, paullatim collegis quibusdam animi sui dubia, sed obscure, proponere cœpit. Deprehendit vero plerosque omnes eisdem scrupulis vrgeri; sed vel pœnæ metu, vel vxorum ac liberorum amore, ne scilicet ipsis ad monasteria remissis, illis tamquam illegitime vel nuptis vel natis infamia inureretur, detineri. Miseros! apud quos plus Mundi quam Dei potest amor, & quibus maior corporis est, quam animæ cura. Eousque vero hæc res processit, vt septem ministri chirographis & sigillis suis promiserint, se hæresin relicturos, modo ille à summo Pontifice veniam, & in Gallia vitæ sustentandæ (in Italiam enim commissi criminis pudor redire eos vetabat) præsidia impetraret. Et hic quidem anno Iubilæo M. DC. Romam profectus, Clementem VIII. Pontificem, & Cardinalem Borromæum, sancti illius & venerabilis Mediolanensis quondam Archiepiscopi neporem, satis fauentes habuit; verum Cardinales inquisitionis præsides censuerunt, nequaquam prius absolutionem eis impertiendam, quam Romæ ad causam dicendam comparuissent. Vt enim Ecclesia portas nemini occludit, ita eadem in ijs aperiendis fatua festinatione non vult vti. Ex quo factum est, vt moræ ille pertæsus, in Galliam concesserit, ac Franciscani ordinis monasterio sese incluserit. O quam multi passim reperiuntur, qui iuuentæ calore ex monasterijs profugientes, vbi deinde ad sese redierint, nihil magis in votis habent quam cum Ecclesia reconciliari, modo ne secundum legum rigorem in eos ageretur. Atque tales arundines sunt fulcra & columnæ Ecclesiarum Reformatarum, & quidem potissima, per Regiones hasce. nam qui à pueris hæresin docti sunt & minus fere scientiæ habent, & multo minus in dicendo vigoris, si cum his componantur, qui fugitiuorum more Catholicæ Ecclesiæ castra deseruerunt, vti hodieque in Hollandia apparet.

DE PETRI MARTYRIS ET BERnardi Ochini apostasia, vita, & morte.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

I. *De Henrico Bullingero Zuinglij successore.*
II. *De Petro Vermilio, qui Martyr postea dici voluit.*
III. *De Neapolitana Ecclesia inuisibili.*
IV. *De Bernardo Ochino.*

V. *P. Martyr in Angliam proficiſcitur.*
VI. *Mortua uxore, qua Monacha fuerat, aliam ducit, & moritur.*

I. AD novitiam Tigurinorũ Eccleſiam, Zuinglij morte paſtore viduatam, vocatus fuit, per Laicos homines Henricus Bullingerus, qui à Zuinglio quaſi miſſus, ſex aut ſeptem annis iam per vicos paſſim & pagos novum Evangelium prædicaverat, tanta cum exiſtimatione, ut inter omnes eius ſectæ concionatores præſtantiſſimus haberetur. Is vero quadraginta tribus annis, quibus Tigurinæ eccleſiæ præfuit, uſus fuit inprimis opera hominis omnium qui noſtro tempore Catholicæ Eccleſiæ ſeſe ſubduxerunt, ſubtiliſſimi atque ingenioſiſſimi, qui nemini quam ipſi Calvino, etiam aliorum iudicio, cedebat; *Martyr* vel arroganti, vel deſpicabili titulo inſigniri voluit. Apud Germanos enim alterutro modo uſurpatur, ut & SS. Teſtium Chriſti, maxime qui ſanguinem ſuum in confeſſione fuderunt, denotet nomen Deorum, & eorum qui ægre ſuis in negotijs eluctantur, & cum miſerijs conflictantur, quam ego notionem ei viro competere & competiſſe, nihil dubito, qui enim Apoſtatæ melius eſſe queat? Porro Bullingerus vivere deſijt an. M.D.LXXV. ætatis ſeptuageſimo primo: quem Bezæ poetica adulatione, non vera deſcriptione, ita depingit, ut etiam ſuæ religioni & univerſæ Bonitati irroget probrum, ut Epithaphium ipſius teſtatur quo ait *ſcientiam, pietatem, innocentiam & candorem eodem, quo Bullingerum, ſepulchro condi.* nihil igitur ſibi ipſi vel reliquo mundo ſcientiæ, pietatiſve, aut alterius virtutis reliquit, qui ea bona cum Bullingero ſepelivit. Nihil minus hic dixero, veruntamen levius merito, Si dicam muli mutuum ſcabunt Quia vero Bullingerum à Petro Martyre, omni ſcientiarum genere nullum æqualem inter collegas ac ſocios habente, plurimum adiutum fuiſſe diximus, non abs re erit eiuſdem ac Bernardi Ochini vitam (uterque enim eodem tempore cum ſummo ſcandalo, à Deo & Eccleſia defecit) deſcribere ut tanto melius appareat poſteris, à quibus hæreſis concepta, in lucem producta, educata & fota ſit; ſimul ut eorum vanitas oſtendatur, qui in hiſce ſchiſmatis auctoribus ac propagatoribus, ſi quid laudabile forte deprehendant, laudandi nec finem nec modum faciunt, interim vero vitia quæ plurima & maxime inſignia in iſdem occurrunt, alto ſilentio tegunt.

II. Petrus Vermilius (hoc enim verum & genuinum hominis nomen fuit; Martyris vero ſibi ipſe inani quadam ambitione tribuit) Florentiæ natus fuit honeſta familia. Puer cum lacte Latinæ linguæ notitiam imbibit, ſola matre, eius peritiſſima, ad hanc diſcendam magiſtra uſus. Ubi annum decimum ſextum ætatis attigiſſet, Faſulas miſſus eſt, ad Conventum Regularium Sancti Auguſtini alij Carthuſienſium familiæ adſcriptum fuiſſe dicunt. Inde non multo poſt, ſingularis ingenij indicijs ſeſe prodentibus, & fructum non vulgarem promittentibus, à Conventus eius Priore Patavium ac Bononiam ad Græcas & Hebraicas diſcendas litteras ablegatus, brevi mirum in modum profecit. Nondum viginti natus annos, concionãdi ſuſcepit munus, ac per multas celeberrimas Italiæ urbes obijt, magno hominum concurſu ac ſua cum laude. Quæ res ſtatim animum eius mira quadam arrogantia inflare cœpit. Tandem Neapolin Joannem Valdeſium Hiſpanum hominem incidit qui nuper è Germania redierat, multis ſecum tam Lutheranorum & Zuinglianorum, quam Anabaptiſtarum quoque, allatis ſcriptis ac libris. Eos quum Martyr, fidei nondum certus, inſpexiſſet, primò de Purgatorio dubitare, & locum illum D. Pauli in I. Epiſtola ad Corinthios (*a*) ubi dicit, *Vniuscuiuſque opus quale ſit ignis probabit* quo inter alia argumenta purgatorius ignis probari ſolet, aliter explicare cœpit, quam Catholici Doctores, qui omnes hactenus de igne illo quo animæ antequam ad æterna gaudia perveniant, ſordibus expurgendæ veniunt, intelligendum eſſe cenſuerũt. Graſſante dein ulterius hac de re receptis ab Eccleſia articulis dubitandi licentia, poſt hunc alios, acrurſus alios, convellere, & tandem quidquid hactenus Antiquitas firmiter credendum eſſe ſtatuit, in dubium revocare cœpit.

Nam quem pecandi faciat finemve modumve
Qui ſemel excuſſit de fronte & mente pudorem?

Hoc igitur modo Vermelius paullatim ad ſui exitium progreſſus, primo ea quæ à Luthero, deinde quæ à Zuinglio de religione ſcripta ſunt, deguſtavit atque evolvit. Hæc ſcala fuit Hominis illius Peccatoris.

III. Sed audiamus, quæſo, quidoã Beza, Apoſtatarum eiumodi paranymphus, Martyri teſtimonium præbeat. Ait vero, *poſtquam etiam in medio Inferni* (conventus religioſorum intelligit) *ſingularem*

ani-

a Cap. 3.

animi pietatem semper in omnibus ostendisset, tandem cum Valdesio vnanimi consensu (Nota amplum & mirificum duorum apostatarum concilium!) *Deo Ecclesiam Neapoli colligere decreuisse, cui complures è nobilitate tam viri quam feminæ nomen dederint.* Sed quæso te, Beza, vbi est Neapolitana illa Domini Ecclesia? Quæ si vmquam fuit, inuisibilis certe, aut prius fere denata, quam nata fuit. Hæccine firma illa sunt & solida & perpetua veræ Ecclesiæ monumenta? Super arena quidem illam ædificatam fuisse, præpropera eius ruina demonstrat. Si enim petram illam pro fundamento habuisset, certe ne inferorum quidem portæ vmquam contra eam erant præualituræ. Nihil vero magis metuebat Martyr quam ne Romam ad dicendam causam mitteretur, vt qui nôsset quam turpiter mitissimæ matris Ecclesiæ lenitate iam ante esset abusus; à qua ob eandē causam euocatus, quum non tam innocentiā suam probasset quam meliotis frugis imposterum spem fecisset, absolutus, & *Lucam remissus* fuerat, *vbi prima*, si Bezæ credimus, *Christianissimi fundamenta iecit*, cum iam Luca 1400. antea annis Christianam Fidem esset amplexa. Hic ego satis mirari non possum scriptorculorum eiusmodi insciriam atq; stultitiā, qui ex *Apostatis Inuisibilium ecclesiarum Apostolos* faciunt. Quales & cuius isti sint apostoli, vel ex eo in Martyre videre est, quod Religiosis quibusdam Neapoli degentibus auctor fuisse dicitur, vt è monasteriis exsilerunt, ac foris sibi maritos quærerent. In hac enim vna vetere regia vrbe, vltra quatuor & viginti Deo dicatarū virginū, vt quidā supputant, sunt Conventus. Qua quidem in re Martyr boni illius & casti, scilicet (a) Lutheri exemplum sequutus est, qui non secus ac famelicus aper vincā alquam vuis grauidam, sic ipse monasteria deuastare atque euertere conatus fuerat. Idem sane facturus erit Martyr, si aditum reperire potuisset, vt cuius omnia vota & desideria ad Moniales eiusmodi tendebant, cucullo interim alijs, qui aspera delectarentur vita, relicto. Quid multis? nullas magis suspirabat, nullas magis ardebat puellas Martyr, quam inclusas illas virgines, quæ sub velo illo sacro natiuum colorem ac formæ gratiā multo facilius, quam ceteræ, conseruant. Ergo etiā ex his primā sibi vxorē duxit, eaq; defuncta, alterā. Nihil enim inspirāte diabolo, magis cupiunt Apostatæ, q̄ vt quamplurimos perfidiæ suæ socios sibi adsciscant, quin etiā ijsdē persuadet, eiusmodi feminarū consuetudinē plus quā ceteraz̄ delectationis habere: eo nempe, quia plus habet peccati, dum sacrum Deo domicilium violatur.

IV. Martyr ergo noster (nomine non re, vt qui nihil minus quam verus esse Martyr cuperet) iam dudum ignem quod dicitur, in calcibus sentiens, è monasterio aufugit; perq; Florentiā iter faciens, Bernardinum Ochinum Capuciniani ordinis monachum alloquutus esse dicitur, qui Romam paullo ante citatus fuerat, quod pro concione quædā secus dicta effudisset. Tantus enim tunc paupertatis amator erat Ochinus, vt publicè dicere nō vereretur, diuitias partem esse diaboli, nec licere Christiano quidquā habere propriū: quæ opinio specie pietatis velata iam dudū ab Anabaptistis alibi iactata fuerat. In tanta vero tū erat existimatione, vt vnus optimus totius Italiæ cōcionator haberetur, vt qui admirabili quadam quū actione tum linguæ facundia auditorum animos quocumque vellet raperet: ac tanto magis, quod vita doctrinæ consonaret. Duo igitur hi monachi, in eadē naui versari se animaduertentes, ne Romam perlati naufragium ibi facerent, in quemcumque alium portum apellere statuerunt. Tutissimum vero visum fuit in Heluetiam vel Geneuam, omnium eiusmodi hominū asylum, vel vt sentinam Italicam, se recipere. Intellexi è Monacho eiusdem ordinis, à Ferrariæ Ducissa Ochini fugam adiuuam, eique vestes & alia necessaria suppeditata. Tigurini quidē & Basileenses eorum aduentum init o suspectum habuerunt. Vt qui satis mirari non possent, quod concionatores totius Italiæ celeberrimi tam vili statu, in exilio veluti, apud se viderent: eoq; suspicabantur eos tamquam Sinones summissos: qui proditionem aliquam machinarentur, aut animas quas in viam ipsi (scilicet) reduxissent, clam seducerent. De Ochino tamen omnem tollebat suspicionem quod puellæ iuvenculæ, quam spe matrimonii inescatam secum abduxerat, comitatus veniisset, tum quod militarem vestitum, quem cum Capuciniamis illis centonibus cōmutārat, assumpsisset. Hic igitur ut indissolubilem cum hæresi cōtractum faceret, cum puella illa matrimonium cōtraxit, quo viso nihil de Ochino dubij, quin sincere Apostatam ageret remansit. Hic enim est Gordius ille nodus, quo ij, quos superbiæ & libidinis fervor monasterijs evomit quasi, atque expellit, hæresi quam arctissime devinciuntur.

IV. Ochinus cum uxore aliquamdiu Genevæ commoratus ad tantam paupertatem fuit redactus, ut servilibus illa & abiectis ministerijs vitam

a *Vide Conradi Andreæ Lutherum castum, per proprios colores suamet manu depictum.*

miſere ſuſtentarit, vulgo *Madame d'Ochina la lingiere*, id eſt, nectrix vel lotrix; dicta Parum quippe rei ex Italia ſecum aſportarat ille tam paupertatis amans, ut proprium quid habere Chriſtiano nefas putaret, niſi mulierem. Porro Ochinus cum Calvino, à quo unicè amabatur & magnificbat, ſæpius colloquutus, ac Serveti ſecreta de Trinitate expiſcatus, quum animum ſuum contrarijs opinionibus diſtrahi ſentiret, Tigurum ſe recepit, non multo poſt inde ejectus, uti etiam Baſilea. De quo Dudithius Quinqueccleſienſis ille Pſeudoepiſcopus in epiſtola ad Bezam doleater conqueritur, ac ſummam illis exprobat crudelitatem, qui aſperrima hyeme, vijs omnibus nive & glacie impeditis miſerum hominem, non cognita prius cauſſa, unà cũ uxore & liberis expulerint; nequaquã Chriſtianis hæc digna eſſe aiens. Cui reſpondit, ſibi quoq; permoleſtum fuiſſe quod Ochini uxor fuerit expulſa: quæ tum, paullo ante, horribili Dei iudicio, miſera collum ſibi fregerat, apoſtatarum non inſolito poſt Judam exemplo, vel pœna.

Ochinus Baſilea diſcedens quũ accepiſſet magnum illum Franciæ Prælatum Carolum Cardinalẽ Lotharingum, Roma redeuntem, illac iter facere, eum acceſſit, & ad pedes ipſius abiectus, ut pro ſe ac ſui reconciliatione apud S. Sedem intercederet, ſupplex rogavit, pollicitus, ſe plus quam centum damnabiles hæreticorum, quos longa apud ipſos converſatione cognoverat, errores demonſtraturum. Sic Beza ipſe ſcribit. (*a*) At optimus ille Princeps monſtrum hoc ſine errore aſpicere non potuit, nec prius verbis illius aut promiſſis auſcultandum cenſuit. Quam dignam malefactis ſuis pœnitentiam egiſſet. Repulſam ergo hic paſſus, in Germaniam abijt, inde in Poloniam, ex Calviniſta paullo poſt Arrianus factus, ut libro quarto quando de hæreſibus populorum Septentrionalium nobis ſermo erit, latius oſtendam. Inter alia vero ſcripta librum ibi compoſuit *De Poligamia*, Sigiſmundo II. Poloniæ regi dedicatum; in quo Veteris Teſtamenti auctoritate demonſtrare nititur, licere Chriſtianis plures habere uxores. Jdem dogma ab eodem Cracoviæ pro concione publice iactatum, Reſcius ſcribit (*b*) Quid quæris? Non minor femininum ibi ſexum pavor ac conſternatio invaſerat, quá Romanas olim matronas, à Papyrio Prætexato deceptas: ſic ut miſer Ochinus, cui feminæ exprobrabant, quod uxorem Genevæ reliquiſſet, etſi caſu illa perierat: urbe non multo poſt cedere & in Tranſylvaniam aufugere

ſit coactus. Jbi Dialogos quoſdam ſcripſit, qui poſtea in varias linguas, à Caſtalione vero in Latinẽ translati ſunt: in quibus purum putum Diagoræ ſe diſcipulum demonſtrat. Ait vero diabolicus hic apoſtata, (*c*) *Dialogos de materia tam ſublimi ideo à ſe compoſitos, quod intelligat diverſas in Reformatis eccleſijs de Trinitate ac divina Chriſti natura eſſe opiniones.* Jdem infelix homo ait, *nullibi ſe reperire vel Spiritum ſanctum vel Servatorem noſtrum, Deum appellari; ſeque ad monaſterium redire, quam iſtorum ſententiam comprobare malle.* Quarto vero dialogo Philoſophum introducit contra Spiritum S. diſputantem, ubi inter alia dicit, *Chriſtum Deum non eſſe, ſed tantum Filium Dei: quia vero idem ſupra cæteros homines à Deo amatus & honoratus ſit, humana quadam adulatione & Monachorum inventione Deum appellatũ. Vt enim Maria ab eiſdem cœlorum Regina, Maris ſtella, Angelorum domina per adulationem vocetur; ita Chriſtum ab illis Patri coæternum, æqualem, conſubſtantialem, &c.* Talibus infinitis atheiſmis infamis ipſius Cathechiſmus, anno MD XCI. recuſus ſcatet. Vide quò miſer hic redactus fuerit: qui quamdiu in Eccleſiæ obedientia manſit, inſtar lucidiſſimæ ſtellæ ordini ſuo præluxit; ſed quamprimum in lacum Genevenſem præcipitavit, lucem amiſit, æternis tenebris iam damnatus. Et quemadmodum lampas quamdiu ardet, gratum de ſe lumen ſpargit: extincta vero teterrimum fœtorem emittit; ſic Ochinus quamdiu ſanctas ordinis ſui leges ac regulas cuſtodivit, fidem integram animo conſervavit; ea vero hæreſibus obſcurata atque extincta, factus eſt horribilium impietatum atque atheiſmorum cloaca, quibus ille Eccleſiam Dei non mediocriter afflixit. Eſt enim ita comparatum, ut nemo plus mali facere poſſit, quam qui plus boni facere potuiſſet. Sed quid horum duorum caſum miramur, quum primitiva Eccleſia magni illius Tertulliani lapſum viderit? qui & ipſe univerſam Eccleſiam graviter perculit atque afflixit. Quis hoc fuit doctior? quis magis in divinis ac humanis rebus verſatus? Jlle, inquam, qui nihil unquam aggreſſus eſt quod vel ingenij vigore vel auctoritatis ſuæ pondere (ut Lirinenſis noſter teſtatur) non perfecerit: quippe ſcriptis ſuis omnes Marcionis, Praxeæ, Judæorũ ac Gentilium errores in abyſſum depreſſit. Hic tamen tam doctus, tam ſapiens, tam gravis Afer, à Catholica religione ad Montani hæreſin tranſijt. Cur ego, iterum dico, Martyris & Ochini

a *Epiſt.* 1. b *In Atheiſ. Martyrii.* c *In Præfat. Dial.* 2.

chini apostasiam miremur, quum post Tertullianum Origenes quoque tam miserabiliter lapsus sit? cuius nobilitatem, sapientiam, temperantiam, vitæ sanctitatem, raram eloquentiam, & scientiam incomparabilem & præterita & præsentia atque etiam futura sæcula nunquam potuerunt, possunt aut potuerunt satis admirari. Sed nimirum Tertullianum iracundia, Originem fastus & arrogantia, duos vero hos de quibus loquor, Martyrem & Ochinum, libido perdidit.

Porro apud Caluinistas Ochini scripta etiam nunc in precio habentur. Noui ego nobilem in Aquitania nostra feminam, quæ ex Ministri sui seu Prædicanti consilio nullos fere alios libros in sinu & manu gestaba quam qui ab Ochino scripti essent. Eadem vero vehementer obstupuit, quum quod de illo Caluini primi Geneuensis Pontificis, tum etiam eius in eodem munere successoris fuisset iudicium ad oculum ipsi demonstrassem. Ille enim in Præfatione eius libri qui de perfidia Gentilis euulgatus est, Ochinum aperte dicit Arrianum fuisse & Antitrinitarium. Et alibi de Martyre loquens ait (f) *Ex Italia descendens fortuna comitem habuit Bernardinum Ochinum, Monachum inter Italos valde celebrem, & ordinis Capucinorum auctorem, qui tandem pessimus hypocrita fuit deprehensus.* Beza verò ad Dudithium scribens, *sceleratum se vtatorem, fautorē Arrianorum, Iesu Christi & Ecclesiæ irrisorem nominat.* Nimirum sic vlciscī se Beza volens, existimans se ab Ochino in Dialogo contra sectam deorum terrestrium, designatum vbi ait: *Esse quoddam hominum genus, qui quidquid ex ipsorum cerebro natum sit, pro Fidei articulo habere velint: eos vero qui sequi ipsos nolint, hæreos statim condemnent. Quod per somnium ipsis in mentem venerit* (de Zuinglio loquitur) *scriptis consignari, imprimi, & pro oraculo teneri. Neque vero exspectandum vt à sententia vnquam illi discedant. Tantumque abesse vt Ecclesiæ obedire velint, vt ab Ecclesia potius ipsis obedire cogatur. Hoc quid aliud sit quam Papam, quam Deum in terris se profiteri, quam hominum conscientias tyrannicè opprimere?* Sic Ochinus de Geneuensibus & Tigurinis loquitur. Quo vero ex hominis huius ad suas partes accessione tanto illustrius ac magnificentius statuerent tropæum, cum Capuciniani ordinis per vniuersum Christianum orbem hodieque longè celebratissimi, auctorem fuisse prodiderunt. Sed falluntur. Capucinorum, qui sunt Religiosi seu monachi, secundum primam S. Patris Francisci institutionem reformati, Congregatio initium cepit anno MD XXV. Ochinus vero demum anno MD XXX. V. eum ordinem est ingressus, & octennium in eo commoratus anno MDXLII. eundem reliquit. Verius est F. Matthæum Bascium, Clemente VII. Pontificatum administrante, primam huic ordini auspicia dedisse: qui vitæ secundum primam S. Francisci tam regulam quam exemplum instituendæ cupidus, lacernam ex multis centonibus consutam & cucullum acuminatum sumsit, & à Pontifice petijt, vt hoc vestitus genere, ad S. Francisci exemplum, vti sibi liceret (g) Impetrata a Pontifice venia, duodecim primo socios sibi adsciuit sed eius instituti sectatorum numerus mox mirum in modum fuit multiplicatus, Deo sic disponente, vt hæreseos audacia & impuritas, sancti huius ordinis probitate ac simplicitate retunderetur. Sed vt ad Ochinum redeam: est penes me libellus Italica lingua scriptus, cuius titulus hunc sesumpsæfert: *Narratio, in qua fideliter exponitur quomodo reformatio Fratrum Capucinorum ordinis S. Francisci initium ceperit. Composita à Reuerendo admodum P. F. Mario de Mercato.* In, hac inter alia narratur, non multo post Ochini apostasiam sancto cuidam homini Patri Ioanni, Hispano natione, Conuentus in Calabria Religioso, Deum in sylua Bellimontensi deprecanti, atque inter alia Ochini peccatum & apostasiam deploranti, feruore orationis extra se rapto, Iesum Christum per vocem in aere apparuisse, sic dicentem: *Dic Generali tuo vt bono sit animo, neque enim me vnquam congregationem hanc deserturum quantisper illa se intra regulas ad seruitium meum ordinatas continebit. Casum vero Senensis illius à me ideo permissum, ne reliquum gregem inficeret.* Eadem visio eidem in sylua ad Fossam Sempronij sese obtulit, vt idem ille sanctus homo narrat, qui in hoc mundo martyrij coronam adeptus iam æterna illa & immarcessibili æterni gaudij corona à Deo est coronatus. Post hanc enim visionem, incredibili domini & magistri sui ipsum inuisere dignati incensus amore, ex Generalis sui consensu in Indiam nauigauit, vbi prædicans Iesu Christi Euangelium, ad ipsius exemplum, vna cum socio cruci fuit affixus.

V. Porro Martyr ille falsus nō rei malæ martyrem velis intelligere Tigurinorum pertæsus, Argentoratum abijt, vt Bucerum videret: ibique primas contraxit nuptias cum pulcerrima quadam monali Catharina nomine. Iuuenculæ huius amo-

f *Cal. ad Polonos.* g *Vid. Moris. Hist. Relig. cap.* 55.

amore captæ irretitus, integros sex menses ibi substitit, Buceri permissu, interim quod ab amoribus vacuum dabatur temporis, lectionibus ac concionibus publicè habendis transigens, donec Henrico rege defuncto, in Angliam vocatus fuit, ad exsequendum id sub puero rege de quo ne cogitationem quidem Henricus suscipere ausus fuisset, nimirum ad mutandam religionem. Commoda hæc vocatio non Martyri tantum, verum etiam Bucero & Paullo Fagio accidit, victricia Caroli Imperatoris, qui præcipuos Protestantium duces captiuos habebat, arma atque vltionem metuentibus. Hinc Beza dicit, *ijsdem fluctibus quibus penè submersa sit in Germania ecclesia, eos in Angliam vsque expulsos.* Sanderus ait *Ochinum Martyri in hoc stinere fuisse comitem* vt & is qui Augustanæ Confessionis scripsit Historiam, dicens: *Bernardinum Ochinum Italum, qui Genevæ aliquamdiu commoratus fuerat, & Augustæ conciones aliquot habuerat, è monacho Zuinglianum factum, postea ad Anabaptistas transisse, tandem vero Arrianum & capitalem Christianæ religionis hostem euasisse, multorum aliorum Sacramentariorum exemplo, qui etiam Mahumetanas superstitiones amplexi sint.* Et sane fieri potest, vt inde Ochinus in Poloniam abierit, vbi Antritinitariorum sectam vigere sciebat.

Martyr in Anglia quum esset, in quæstione de S. Sacramento summam inconstantiam animique perplexitatem ostendebat, sicque se inuoluebat, vt Lutheranus & Zuinglianus ac Caluinista simul videretur. Qui vel sermones eius vel lectiones audiuerunt, aiunt eum hac de re materia quidquam dicere ingressum, quum perorasset, auditores æque incertos ac initio fuerant, quid credendum sit, reliquisse. Exspectabat nimirum cuiusnam tandem infelix ille Cantuariensis Archiepiscopus & Eduardus Seimerus Anglici regni Protector, Lutherine, Zuinglij, an Caluini sententiam, iam diu in Anglia iactatam amplexuri essent. Sic enim de eo Sanderus:

Petrus Martyr magis molliter & seruiliter in secta & doctrina sua accommodatione se gessit. Nam Lutheri hæresin quam in Germania imbiberat, & illinc secum in Angliam aduexerat, non aliter nec diutius defendendam vel retinendam statuit, quam id Cantuariensi & Protectori visum esset. Nosque ipsi qui hæc scribimus eum docentem audiuimus, quum impium quendam de Eucharistia ac corporis Christi præsentia Tractatum ex Historia Cœnæ Dominicæ, & maxime ex 1. capite ad Corinthios adornaturus, in eam tractationem ita est ingressus, vt anxius ac pendulus prorsus hæreret, vtrumne Protestantium an nouorum Sacramentariorum sibi esset dogma defendendum.

VI. Duxerat vero Martyr secum monialem suam, non tantum vt iucundam viæ comitem, verum etiam vigiliarum ac laborum oblectatricem. Neque enim Ochini exemplum sequi voluit, qui lotricis suæ pertæsus, ab ea sese liberauit. Nam etsi Beza dicat, eam collum sibi casu fregisse, & ad hanc grauissimo scilicet, vt atur teste, Alciato nēpe illo Antitrinitario, qui tot animarum in Polonia stragem dedit: suspicantur tamen non pauci exitium hoc ab ipso Ochino vxori fuisse structū, sed ab accuratiori inquisitione cessatum, quod ille nondum Arrianum se professus, bonum in Christo fratrem se adhuc simularet. Obijt vero in Anglia Martyris socia in S. Fridisindis, cuius celebris & sancta in eo regno est memoria, sepulcrum illata. sed Maria regnante rursus inde tamquam indigna tam sacro loco, extracta; tandem vero Elisabetha rerum potiente. Anno MDLXI. multo cum honore in eundem locum reposita vt videre est ex historia quæ de excucullata hac moniali scripta extat, in qua illa non aliter tamquam sancta aliqua virgo laudatur, eiusque pudicitia posterisad imitandum velut in speculo proponitur, Sicolim in templo Apollinis Delphici Phrynæ meretrici ex auro statua inter deas collocata fuit. Et quemadmodum Crates Philosophus illam Græcorum luxuriæ trophæum nominauit: sic nos iure dicere possumus, omnibus illis scriptis & monumentis æternam Petri Martyris incontinentiæ & sacrilegij memoriam esse impressam. Extant litteræ desolati huius & calamitosi mariti XXII. Aprilis Anno MDLII. ad Conradum Hubertum Argentoratensis ecclesiæ ministrum scriptæ, quibus æternum suum luctum ob amissam vxorem testatur, dicens inter alia, se ea ætate tam inopinatam iacturam perferre non posse; ac quanto magis ætate prouehatur, tanto maiorem, atque adeo intolerabilem dolorem sentire. Miser tamen homo paullo post sibi ipse remedium quæsiuit & inuenit. Vt enim pruna prunam accendit; sic in Martyris animo amor amorem inflammauit, eiusdem quasi ligni, & eiusdem nominis Tantum moniales & Catharinas Martyr supra ceteras amabat! Postobitum vero Eduardi, Martyr sta im detraijciendo mari cogitauit, metuens ne Maria rerum potita, hæreticorum Martyrum catalogum face-

faceret auctiorem, & tantam animarum, quam dederat stragem suo supplicio lueret. Quocirca navi conscensa, Antverpiam traiecit: inde Argentinam profectus, non leves turbas statim inter Prædicantes collegas conscivit, quod de Sacramento altaris aliter doceret, quam antequam in Angliam abijsset. Petebant Prædicantes Theologi à Senatu ut cum nova sua doctrina facessere iuberetur; Philosophi, ut retineretur. Præterea urgebatur, ut Concordiæ VVitebergæ paulo ante factæ subscriberet. Quod quum facere recusasset, tandem relicta Argentina, Tigurum migrare fuit coactus, accepto de Conradi Pellicani obitu nuncio, quem Beza dicit è fœtida Basileensium Franciscanorum cloaca fuisse extractum. (a) Quanquam autem ætate iam gravis esset, quum tamen nec tum quidem carnem domare posset, Genevam profectus, ut monialem quandam Catharinam Merandam nomine, ob eandem caussam è Conuentu profugam, matrimonio sibi copularet. Neque enim alijs quam Monasteriorum exuuijs ornare se voluit Martyr noster. Tiguri vero in statione sua mansit, quoad in Franciam ad Colloquium Possiacense euocatus fuit: in quo summo stupore defixum aiunt, quum Bezam audiret de SS. altaris Sacramento inaudito, Brentiano scilicet seu Ubiquitariorum modo perorantem. Hinc arrepta occasione, Tigurum reversus, Dialogum illum de duabus Naturis in Christo composuit: qui mox valde acerbo responso à Brentio fuit exceptus. Dum vero Martyr Brentij à quo parum humaniter tractatus fuerat, audacia provocatus, defensionem meditatur, ecce tot cum novella, credo, uxore congressibus exhaustus, in morbum incidit, eoque vitam finit Tiguri Anno M D L X I I. Novembris XII. Bullingerum relinquens superstitem, qui ex illo tempore usque ad Annum M. D. L X X V. perniciosam suam doctrinam ijs in locis disseminavit. Habes, Lector, qui & quales Martyr & Ochinus fuerint, quibus historici & hæreseos prætanymphi tantum passim tribuunt. Quia vero mihi de Helvetijs eorumque novis Apostolis aliquid dicenti Lutheri historia interrumpenda fuit, iam ad eum revertar, eidemex Religiosarum numero, & quidem eiusdem quo duæ Martyris illæ Catharinæ, nominis sponsam daturus.

QUOMODO LUTHERUS IN Magna rerum omnium perturbatione à se excitata, uxorem duxerit: & quam fœde de omnire carnali excucullatus ille Monachus senserit.

Caput VI.

ARGUMENTUM.

I. *In medijs Germaniæ turbis & miserijs Lutherus nuptias celebrat.*
II. *Epistola regis Angliæ ad Lutherum.*
III. *Lutherus Monachos & monachas ut ipsius imitentur exemplum, invitat.*
IV. *Lutheri proles.*
V. *Lutherus ieiunij osor.*
VI. *Ridicula Lutheri comparatio.*

1. DUM sic fatali quadam rabie an. 1525. ex unâ parte Germani, ex altera Helvetij mutuis, & quidem gratuitis cædibus in se grassantur, dum ferro atque igne pagi atque oppida evastantur, dũ campi cæsorum cadaveribus turgidi, teterrimum odorem exhaiant, dum denique omnia in luctu & squalore iacent; solus Lutherus animo suo indulgebat, velut alter Nero è thalamo, quem tum sibi maxime apparabat, patriæ incendium ac ruinam prospectans, citharamque pulsans (a) Postquam enim Catharinam de Born, quam unà cum octo alijs nobili familia natis puellis è Monasterio Nimicensi rapi curaverat, diu multum solicitasset, ac tandem effecisset, ut quemadmodum ipse cucullum iam ante ad sepem suspenderat, sic ipsa sacrum velum ventis ad ultima terrarum aspottandum dederit; non contentus tanto scelere, etiam venerabili hoc exemplo doctrinam suam obsignare voluit, ut Monachus cum Moniali publice copulari cerneretur. Celebrantur nuptiæ, accinnuntur epithalamia, ignem, quo ita urebatur ut ad insaniam pæne se redactũ ipse in Colloquijs suis Mẽsalibus (b) fateatur, mox exstincturus. Quia vero Lutherum discipuli Davidi comparaverunt; non inscitè quispiam hanc similitudinem sequenti districho expressit

Quam Luther est similis Davidi? hic carmina lusit
In citharâ, ... Nonna lusit at ille suâ.

a *Vid. Eras. in Epist. b Fol. 522.*

Toti mundo tam novæ atque inusitatæ antea copulæ spectaculum ruborem incutiebat. Ipse etiam Carolstadius è Monasterio uxorem ducere ausus non fuerat. At Lutherus hoc suo facto gloriari, & impudenter iactare non verebatur, virginem hanc è medijs Sathanæ faucibus à se ereptam. Sic ergo hoc Hominũ pari per tam sanctam, scilicet, copulam inter se composito, Lutherus intra sacrilegos Monialis suæ complexus, voluptati indulgebat, dũ miseri Germani furore ac rabie perciti, mutuis vulneribus concidunt, & oppida ac pagi civibus exhauriuntur. Qui genethliacum Lutheri thema prodiderunt (quod cap. IV. libri I. prolixè descripsimus) notarunt, Venerem & Jovem in domo tertia sibi occurrentes, iuxta Astrologiæ regulas illud significare, futurum ut is Religiosam monialem uxorem ducat. Sic enim Julius Firmicus libro III. scribit, illum qui Venerem cum Jove coniunctam aut bono aliquo aspectu oppositam habeat, è Templo feminam, quæ vel sacerdos sit, vel sacerdotis filia, ducturum. De quo etsi latiorẽ campum dicendi mihi aperiri video: quia tamen tota hæc disputatio à Catholica Fide aliena quodammodo est, ad alia transeo.

Celebre hoc matrimonium, quod mille postea tam corpore quam animo apostatas nobis peperit, Friderico demum Saxoniæ Duce defuncto confectum fuit: quo vivo Lutherus, quamvis libidinis flamma, ut ipse de se scribit, medullas ei excedebat, nec leviter Carolstadij exemplum eum incitabat, nihil tale moliri, vel certe operi iam ante forsan à se designato, extremam manum imponere numquam ausus fuisset. Quanquam enim in ceteris Principem haberet nimis dicto audientem, quoties tamen de matrimonio suo sermonem injiceret, consilium hoc nequaquam Principi probari facile animadvertebat; uti nec illud, quod monialium illius raptoris, itemque Florentinæ cuiusdam Virginis, quæ ad Lutherum tamquam castitatis patronum confugerat, quamquam obvijs illis ulnis exceperat è Conventu Islebiensi profugæ publicis scriptis defensionem suscepisset. Quid multis? Toti Christiano orbi mirum hoc atque inusitatum facinus visum fuit (quod nec ipse Sleidanus dissimulat) & monstruosi cuiusdam eventus præsagium. Lutherus sane non furere modo, verũ etiam data opera contumeliam Jesu Christo facere voluisse videbatur, dum sacram sibi virginem despondit: quod qui facit, Jesu Christi thorum (ut S. Basilius de persona simili huic Moniali loquitur) commaculat. Ad eiusmodi quidem incestuosas flamas exstinguẽdas, alius SS. Patrũ, inferni glaciẽ præparatã esse scribit. Cyprian[a] vero digna eiusmodi scelere tormenta excogitari posse negat.

II. Sed videamus etiam, quomodo de his nuptijs rex Angliæ in quadam epistola loquatur: quam ita uti Latina lingua edita est hoc loco inseruimus. *Ego* (inquit Rex *c*) *non paullo magis admiror, quod te non puduit serio levare palpebras, vel in Deum vel in hominem quemquam probum oculos intendere, qui te passus sis instigante diabolo, in eam ingenij levitatem cadere, ut ob carnis ineptas & obscœnas libidines, quum frater Augustinianus esses, monacham Deo dicatam scelerato compressu violaris. Quid, quod non compressisti solum (quale flagitium si designasses olim apud Romanos Ethnicos, & illa terram viva subijsset, & tu ad morẽ usq; verberibus esses mulctatus) verum etiam (quod nimio est exsecrabilius) publice pro uxore incestissimis nuptijs traduxisti, atque palam summo cum totius Mundi stupore, summo per orbem totum opprobrio vestro, summo cum sacrosancti coniugij contemptu, summa cum sanctissimorum votorũ contumelia per nefas abuteris in quotidianum prostibulum. Deniq; quod omnium maxime detestandum, te quũ deberent tam execrandi facinoris pudor & dolor obruere, pœnitentia loco prætefers miser impudentẽ gloriã, tã longe fugiẽs implorationẽ veniæ, ut etiã in sceleris tui exemplũ passim pseudo religiosos alios litteris ac libris provoces.*

III. Hoc tum iudicium de Lutheri nuptijs Angliæ rex tulit, is qui Defensor Fidei appellari meruit, quem tamẽ titulũ diu conservare non potuit, dum Pontificiã potestatẽ involat, & Angelicanæ Ecclesiæ Caput vult dici, ut libri IV. cõtextus ostẽdet. Nihilomin[o] tamẽ Lutherũ semper oderat, nec Episcopis matrimoniũ permittere volebat, ægre id admodũ ferente Cranmero Cantuariensi Archiepiscopo, qui concubinã clã apud se habebat, ac discedens, cista artificiosẽ facta inclusam efferri secũ curabat, metu regis.

Consummata Lutheri & Catharinæ copula, undique statim Cupidinis classicum insonuit. Tunc scalæ monasteriorum muris sunt admotæ, tunc eorundem fundamenta fuere subruta. Complures monachi iuvenes saltu monasteriorum septa transilientes, summo fervore feminas persequebantur, præsertim eas, qui eodem Lutheri classico excitæ, abiecto velo, in eadem castra transfugerãt, solis vetulis quasi pro habitationis precio relictis. Hoc enim consilium bonus noster Lutherus in libro suo de Votis monasticis ipse dat, ut nimirum quæ sexagesimum ætatis annũ attigerint moniales

c *Epistola Regis Angliæ ad Lutherum.*

les in monasterijs maneant, vt & monachi iam LXXX. ætatis annum egressi. His ille limitibus vtriusque sexus concupiscentiam circumscribit. Erasmus noui huius Euangelij præcones irridens, ait, (d) eos ex infusione scilicet S Sancti, duas tantum res expetere, argentum & feminas. Cetera enim ipsum Euangelium abunde suppeditare. Et licet in varias sectas distrahantur, omnes tamen Bacchum & Venerem ex æquo colere, & ieiunijs ac castitati bellum indixisse: Idem dicit, vidisse se monachum apostatam, qui tres feminas habuerit. Itemque Sacerdotem apostatam, qui matrimonium cum alterius vxore contraxerit. Plura idem ait eiusmodi Monachorum & Monialium passim exstare exempla, quæ quam facile nubunt, tam facile repudientur. Videre sane est, quam cupide totum hoc excucullatum hominum genus ad matrimonium conuolet rati nimirum incestus suos sub huius Sacramenti (Sacramentum enim esse etsi non omnes complures tamen ex ipsis credunt) velo latere posse, non secus atque Elisa illa apud Virgilium, quæ amores suos illicitos cum Aenea simili consilio ingenioq; *Coniugium vocat. Hoc prætexit nomine culpam*, (e) Sicut enim qui Officium aliquod maius in Ecclesia desiderant, consequi aliter id non possunt, quam si per continentiæ portam ingrediantur, & perpetuæ castitatis voto sese obstringent: sic plerique qui à Catholica defecerunt Ecclesia, per carnalis concupiscentiæ, velut posticum sese ex eadem propipuerunt. nō aliter quam si Incontinentia sit porta lata Hæreseos & perditionis, sicuti continentia est via & porta arcta ad Ecclesia & Fidem Christi. O perditos homines! qui virginea illa pudicitia ac honestate proculcata, tamquam sues in immundo libidinum cœno volutantur; vitamque tam puram, tam gloriosam atque adeo penè Angelicam infamibus ac turpissimis voluptatibus postponunt; & nutriti in croceis amplexati sunt stercora. Ex omnibus ijs vix vllus monasticæ vitæ desertor reperitur, qui non vel ante vel statim postea feminarum fuerit implicitus amoribus. patris & magistri sui Lutheri exemplum in hoc imitatus, apud quem castitas eodem loco fuit, quo Nympharum pudicitia inter impudicos Satyros & Silenos. Sed quā multorum etiam animos acerbissima non multo post pœnitudo subijt, grauiterque afflixit! pari cum Lutheri paroxismis, angoribus ac pressura, quam illi illatam per diabolum Ionas & Pomeranus affirmant, qui oculati testes angoris eius fuerunt. Incessit semel eum terror ille A. 1527. sabbato post Visitat. B Virg. Festum mane, adeo vt ipse ad extrema se venire arbitratus, Pomerano confessionem fecerit peccatorum & absolutionē rogauerit &c. quæ in eius Tomis (f) reperiuntur descripta. Quemadmodum enim gulones delicato alicui cibo auidissime inhiant, saturi vero eundem fastidiunt; sic vbi ardor ille iuuentutis à puericia fere monasteriorum claustris cohibitus, deferbuit, illi vero iudissolubili matrimonij nodo illigatos se, atque in eo plures spinas quam rosas reperire se vident, Deum immortalem, quæ tum non suspiria, quæ prioris vitæ desideria ac præsentis detestationes non audiuntur! vtpote à quibus non sanctum modo illud vinculum votorum, verum etiam ipsæmet, de coniugio & affinitate ab Ecclesia latæ leges perinde vti Iudæorum renouatæ leges, insuper habeantur ac sine vlla verecundia violentur. Vt enim olim Iudæi ob adulterium facta diuortia & noua ab innocēti parte contracta coniugia tamquam licita approbarunt; sic Lutherani quoque eadem permittunt, contra expressam S. Scripturæ auctoritatem, quæ vult, *vt quod Deus coniunxit, homo non separet*: quarum rerum conscientia non potest non grauissime hominem affligere. Quæ vero hac de re Lutheranorum sit sententia, vide apud Melanchthonem in Locis communibus, & passim in libris Lutheri.

IV. Porro ex monstroso Monachi & Monialis matrimonio tres fetus masculi sunt procreati; quorum natu maior Ioannes nomine, Medicinam professus est atque exercuit, anno M D XCIV. etiamnū superstes. Intellexi ego ex viris honestis & fide dignis, qui aiebant vidisse se Hamburgi hominem hunc tantis honoribus à tota fere ciuitate exceptum quanti vix Principi haberi solent: ac quia tum forte nuptiæ locupletioris alicuius celebrabantur, ei primum locum, vt scilicet sponsæ assideret, fuisse datum. In tanto honore populi isti nomen, memoriam ac posteritatem seu sobolem Prophetæ sui habent. Secundum nos vidimus, patri cognominē, inter equitum turmas quæ primo nostro domestico bello Franciam depopulatum è Germania venerant, militantem, ad quem tamquam Germanici Prophetæ filium, multi curiosi-

d *Ad frat. inf. Germ.* e *Virgil Aen. 3.* f *Tom. 3. Ien. f. 401. Matthis conc de Luth fol. 50. & 69. & Tō. 2. Luth. epist pag. 325. & Tom 9. VVitteb. p. 238. 239. Selnec. ad A. 1526 fol. 32. &c. Vlenberg. Vit. Luth. cap. 19. num. 1. compendio extraxit.*

tate quadam concurrebant, nulla fere alia re quam strenua perpotatione ac luxu insignem. Quod illi paternum sanè fuit (g). Quam enim dissolutus ac mundanus homo pater fuerit, non vita tantum, verum etiam scripta ipsius testantur. Qui ipsum Lutherum viderunt, aiunt, ad ipsum iter facientem etiam tum quum ad Imperatorem Wormatiam proficisceretur, magnos hominum concursus fieri solitos, in monachali habitu quo tunc vtebatur, non solum genio largiter indulgentem, verum etiam tamquam nouum quendam Orphea fidibus suauiter canentem admirantium. Narrauit mihi vir honestus, in aula Saxonica tum versatus, Lutherum die quodam Sibyllam Ducis coniugem salutandi caussa in gynæceum ingressum, quum præ ceteris eleganti forma virginem conspexisset, leuiter permulso eius mento, velut alludentem, ad Ducissam conuersum dixisse: O pulchrum diabolum! Equidem si tales in inferno essent diaboli, eò venire non recusem. Hisque verbis Ducissam vehementer fuisse offensam, Ducem vero Prophetæ sui amore fascinatum, dixisse, Lutheri corpus carne & ossibus constare, vt ceterorum hominum: sed animam eius plane diuinam esse ac cælestem. Tertius Lutheri filius fuit Paullus nomine, de quo mihil fere nobis constat.

V. Porro Lutherum quum ieiunij tum castitatis iuratum ac capitalem fuisse hostem, scripta ipsius demonstrant. Atque hinc est quod idem *nihil magis se odisse dicat quam S. Hieronymum; eo quod nihil fere ille quam abstinentiam & castitatem inculcet.* O D. Hieronyme. Huic quidem si dicto simus audientes, te vnà cum aspero tuo habitu, cum deserto, cũ Bethlehem tua, tamquam insanum, ad Anticyras relegemus. Scribit quidam Lutheri discipulus, (h) *Ex omnibus SS. Patribus Hieronymum maximè Lutherò magistro suo non odio tantum, verum etiam ludibrio fuisse habitum, vt in cuius libris nihil fere aliud nisi de seruando ieiunijs, de castitate custodienda, de carne maceranda legere sit.* Quid, quod idem diuinum hunc virum, cuius sanctitatem & eruditionem, tam præterita quam futura sæcula admirata sunt & admirabuntur, diaboli viridem ipsius ætatem tentantis assultus, & remedia contra eosdem à se adhibita narrantem scurriliter irridet? Sic vero sanctus ille vir loquitur, sic carnem suam domat. *Vah pessime asine! (corpus intelligit multu verberibus pane excoriatum) Ego te vt meritus es, accipiam sicque tractabone lasciuias: Sic fame, siti, laboribus te excarnificabo, vt turpium amorum facile obliuiscaris.* Sed quid opus è discipulorum libris petere testimonia, quum ipsius magistri auctoritas ad hoc probandum nobis sufficiat? Audi quæso, quomodo ille paucis verbis sanctos illos viros omnes, qui per vitæ austeritatem & carnis mortificationem animas suas ad cælestia eleuare, & endo cælo, vt Ennius loquitur, locare studuerunt, irrideat. (i) *Omnis horum sanctitas* (inquit excucullatus hic) *in eo posita est, quod multum ieiunarunt, multum orarunt, duriter cubuerunt, multa denique, sacco & lacerna induti, passi sunt: quam sanctitatem etiam canes aut sues quotidie exercere possunt.* O verba talis libertatis patrono & patinatio Mõnacho digna! De Epiphanio item adeoque tota Ecclesia quæ olim Arrianorum hæreticorum in sancta hebdomadà, Catholicis carnem macerantibus, genio tum potissimum indulgentium peruersitatem atque ingluuiem grauissimis verbis perstrinxit, non melius loquuntur Centuriatores Magdeburgenses (k) Quin aiunt, *magis hæreticum esse ac S. scriptura contrarium superstitiones illas obseruare, quam Christiana libertate vti.* Audiuimus eundem illum prophetam, de Niceno Concilio, in quo lex cœlibatus renouata fuit, loquentem. *Quasi vero*, inquit, *S. Spiritus nihil aliud agendũ habuerit quam vt ministros ad res periculosas, easdemq; non necessarias, immo impossibiles obligaret.* Addit, *femina vsum homini non minus quam ipsius cibi necessarium esse.* Ne quis vero à Luthero hæc scripta esse negare possit, ipsius verba adscribam. Sed prius veniam ore à Catholico & casto, imo quouis honesto animo, vt pace eius & salua castitate mihi scurram loquentem liceat introducere, vt ipsemet audiatur. (l) *Quam non est in meis viribus situm*, inquit, *vt vir sim, tam non est mei iuris vt absque muliere sim. Rursus vt in tua manu non est vt femina non sis, sic nec in te est vt absque viro degas. non enim libera est electio, aut consilium, sed res est necessaria vt marem femina, feminam mari sociari oporteat. Verbum enim hoc quod Deus ait,* Crescite & multiplicamini, *est præceptum diuinum, puta opus quod non est nostrarum virium, vel vt impediatur vel omittatur, sed tam est necessarium quam edere, bibere purgare aluũ, mucum emungere, dormire & vigilare. Est implantata natura, haud secus ac membra ad eam rem pertinentia.* Ecce aurea noui Patriarchæ verba

g *Simon Fontã. in Historia.* h *Comment Genes. 22. ca.* *Aurifaber fol. 377.* i *Luth. de seruo arbit.* k *Cent. 4. l. 5. pag. 401. Tom. 5. fol. 119. Tom. 2. ad fals. Epist. orat. fol. 326.* l *Serm. de matrimonio.*

verba, digni primæuo illo sæculo, quo hominum genus nondum ad eam quam iam videmus infinitatem quasi erat multiplicatum. At nostro quis nisi impudens negare ausit, id potius optandum vt multi ad alteram illam vitam Deo lucrifiant, quam in hanc generentur? Hanc tamen diuinam scilicet magistri sententiam discipuli non magno tantum applausu exceperunt, verum etiam populo tradiderunt, nimirum, (m) *Tam esse necessarium Veneris vsum quam est necesse vt mures simus, & magis necessarium quam edere, bibere, purgare aluum.* Hanc doctrinam Lutherus Epicuri de grege porcus, Ecclesiæ suæ tam verbo quam scriptis inculcauit, *vnicuique vxorem non minus assiduè quam Heluetij enses lateri accinctos gestare solent, circumducendam.* (n) Idem *homines* ait *ad nihil aliud natos esse, quam vt genus suum multiplicent ac terram repleant.* Hoc ille stimulo sacerdotem quendam Lunæburgensem, vt vxore ducta Euangelium Lutheranum amplecteretur, impulit, iubens eum suauiter vxoris complexibus frui, nec stultum illud castitatis votum tanti facere, vt propterea hac se voluptate priuare velit; qua nihil in hac vita iucundius homini contingere possit. In quam sententiam (diuinus si fas est) eiusdem vernacula lingua circumfertur versiculus: **Nichts Liebers ist auff erden Als Frawen Lieb dem sie mag werden.** quem ipse in ore sæpe habere auditus est, & ne quis dubitare posset de Lenone, sua manu ad cap. 30 prou. in biblia Germ. retulit, & sanciuit. quem versiculum Latine reddiderunt sic: *Nil quantus quantus sit, habet, me iudice, Mundus Dulcius igniculis, diue Cupido tuis.*

Et in hoc quidem dicendi genere nouæ isti libertatis præcones facundiam suam plurimum exercuerunt. Asserit VVigandus, audisse se pro concione Prædicantem quendam quamplurimos versus ex Ouidij libello *De arte amandi* allegantem (o) Idem *duorum corporum in matrimonio coniunctionem appellat spiritualem, diuinam, & cœlestem copulam:* ex quo illud facile potest intelligi magistrum ipsius Lutherum huic spirituali, cœlesti ac diuinæ meditationi velut trabali clauo fuisse affixum, vt qui ab vxoris complexibus adhuc calens, ad aram processerit; multo minus religiosus quam illi *qui thus olim colligentes, à feminis abstinebant,* (p) *quod illud deorum sacrificijs adhiberetur.* Nec tantum *viris ille auctor fuit, vt vxori renuenti ancillam substituerent*; verum etiam *vxoribus fuasit* (id quod Georgius Saxoniæ Dux in epistola quadam ipsi exprobrat) *vt viris pensum non persolventibus famulos succenturiarent.* Audiamus ipsa noviistius Euangelistæ verba. *Reperiuntur interdum uxores adeo pertinaces, ut si decies in libidinem prolaberetur maritus, præ sua duritia non curarent. Hic opportunum est, ut maritus dicat: si tu nolueris, alia volet. Si non vult uxor, veniat ancilla, ita tamen, ut antea iterũ & tertio uxorem admoneat maritus, & coram alijs pertinaciam eius detegat, & ante conspectum Ecclesiæ duritiã eius agnoscatur & reprehendatur; si tum renuat, repudiet eam.* Ex quo ita argumentari videtur. Uxorem potestatem corporis sui non habere, sed maritum. Quando ergo alter alteri corporis sui potestatem negat, matrimonij vinculum dissolvi.

Quid? an non digna tibi hæc verba videntur eo qui *Prophetam se atque Euangelij* (sed pro Euangelio turpem libertatem Mundo annunciantis) *præconem se ferre ausit?* Jacobus Andreæ Smidelinus his de verbis cum Staphylo decretans, (q) ad extremum ad hoc pactum descendit. *Demonstra*, inquit, *nobis Lutherum verba hæc Latina lingua protulisse;* Si non velit uxor, ancillam venire debere ac oportere, *Nos D. Lutheri nomen diris devovebimus* At Staphilus facete rogat: Ecquodnam, inquiens, hoc effugium est ad tegendam magistri tui spurcitiem? sive ille dixerit, *Ancilla veniat*, sive *Ancillam venire debere.* Quorum utrumque sane idem ac geminum est. Annon ille scripsit: *Si non vult uxor, veniat ancilla?* Sed si cui minus hæc sufficiunt, audiamus quod alio loco in eandẽ sententiam dixerit ac scripserit. *Hæc vis genitalis*, ait, *& feruentis naturæ inclinatio in mulierẽ, in corpore masculo sic creatur & conseruatur, vt nullis votis tradi possit; ideo qui sine muliere manere statuit nomẽ hominis à se deponat, planũ faciens se esse angelũ aut spiritum.* Quã doctrinam sequuti Lutheri discipuli, in Polonia passim, vt Vitonensis scribit, ad exsatiandã ex eiusdẽ præscripto libidinẽ plures vxores duxerunt. Quin ipse Lutherus in Cõmentarijs super Genesin anno MDXXV. impressis, polygamiæ consuetudinẽ introducere se quidẽ nolle ait, nec tamẽ candẽ, primorũ illorũ Patriarchatũ respectu, dãnare posse. Eodẽ auctore, aiunt illũ celeberrimi nominis Iureconsultũ Oldendorpium priori coniugi adhuc viventi alterã superinduxisse. Quia vero mihi iã rem esse video cum eiusmodi homine, qui vt libidines suas explẽdi haberet prætextũ, primo vota Deo fa-

m *Arcibal. Hamilton. Demonst. Calu Confu. l. 2. c. 19. f. 230.* n *In Colleq. Mensal. fol. 406.* o *In lib. de bon. & mal. Ger.* p *Plin. lib. 13. c. 14.* q *Staph de Bib. translat.*

fregit sacrilege, prætextu matrimonij, & illo nondum saturatus, etiam ipsam matrimonij legem proculcare, & latissimam impudicitiæ fenestram aperire ausus fuit, facere non possum quin præclara aliquot eiusdem in eandem sententiam dicta subiungam; ac præcipue illud quod ait in sermone quodam anno M D XXII. habito, qui VI. Tomo Operum ipsius VVitebergæ Anno M D LIII. excusorum insertus legitur, (r) ne quis suppositicium hunc fetum existimet. *Si femina* (inquit sanctus hic castitatis auctor) *marito impotenti nupserit, nequetamen cum alio aperte matrimonium contrahere, aut quid honestati contrarium admittere velit* quandoquidem in eiusmodi caussis Pontifex plures testes, atque alia multa requirit) *ei ego auctor sum vt maritum ita alloquatur: Vides, mi marite, te mihi debitum reddere non posse, tequeita tam ætati quam corpori meo illusisse, adeoque non in honoris tantum, verum etiam salutis meæ discrimen me coniecisse. Quia ergo vides hanc ob caussam matrimonium inter nos constare non posse, permitte mihi vt fratri tuo aut vni ex proximis agnatis nubere mihi liceat. Sic enim & tu tam mariti nomen obtinebis, quam cauebis ne bona mea alio aut in extraneorum hæredum manus deuoluantur. Quemadmodum ergo à te inuita decepta sum; sic permitte mihi vt hac in re consciumte ac volentem fallam. Atque hic ego dico, maritum consentire debere, ac procurare, vt vxor matrimonij fructu non careat, & ex ipsius genere liberos acquirat. Quod si ille facere hoc recusset, vxori suadeo vt ab illo in aliam regionem fugiat, ibique alij nubat.* Quin vlterius homo impudentissimus progreditur, nec iam excusationem, sed laudem etiam tam turpi diuortio quærit, inquiens: *Olim Consilium tantum dederam, quod tum adhuc essem timidiusculus; at iam longe aliter sentio, ac talem maritum qui vxorem, aut vxorem quæ maritum (licet hoc rarius euenire soleat) hoc modo deceperit, durius tractari volo. Neque enim parum est in re tanti momenti, & quæ non corpus tantum & fortunas sed animæ etiam salutem concernit, per fraudem aliquem circumuenire. Æqua ab illo exigenda compensatio est.* Quod quid aliud est, quam dicere: Talis femina aut maritus egregiè itidem scortari debet?

O diuinam Noui Euangelistæ, non carne modo & ossibus constantis, verum etiam in libidinis cœno ad aures vsque demersi sententiam! Quod si hanc legem recipimus, Deum immortalem, quam multa adulteria quam multa diuortia, & falsæ accusationes nouas ambientium nuptias veluti momento exundabunt? Quæ inter viros & vxores querelæ non nascentur? Doctrinæ huius incommoda demonstrantibus, ac remedium ea præcidendi rogantibus, bonus ille Apostolus respondisse dicitur: (s) *Quid faciam? Perpetrato adulterio, vter coniugum innocens fuerit, matrimonium rursus ineundi potestatem habet. At si me roges, vbi altera illa pars quæ in culpa est, manebit, si forte continere se nequeat? Respondeo, eum qui culpam commiserit, à magistratu morte afficiendum, aut ei in aliam regionem abeundum, ac si donum continentiæ non habeat, aliam vxorem ducendam. Si quis dicat, me tam viru quam feminis in longinquas regiones emigrandi, & vt alibi contrahere liceat, dissoluendi matrimonium fenestram aperire: respondeo: Quidnam ego hac in re possim statuere? Ex duobus malis minus eligendum est & ne in longinquis locis scortentur, matrimonij potius contrahendi ipsis permittenda est potestas.* Sed non ob commissum tantum durante matrimonio adulterium, verum *etiam ob antegressam, (t) nondum contracto coniugio, scortationem; ob fugam aut longam separationem alterius coniugum: ob mariti asperitatem, amborum pertinaciam, hæresin, debiti maritalis recusationem, morbum denique contagiosum, Novus hic Apostolus suis diuortij potestatem facit, non minus quam ob easdem caussas seruos & ancillas dimittere, nouosque conducere solemus.* (u)

Testatur Rescius, quum iussu Poloniæ Regis ad Papam Sixtum V. Romam proficisceretur, se Augustæ Vindelicorum, qua iter faciebat, Lutheranum vidisse Prædicantem, qui alterius Prædicantis, Francofurti tum adhuc viuentis ac consentientis, vxorem in matrimonium duxerit. Idem ille Prædicans, ad religionem Catholicam postea conuersus, ait, collegas vxorum permutationem secum voluisse instituere: quodque genus mercandi inter id hominum genus sæpe ipse viderit. Ecce tibi Libertatis edictum! ecce castitatis votis, quæ tam multi ac sancti homines fecerunt, non medium ostensum digitum tantum, verum etiam nigrum theta appositum, ab eo qui illud frequentissime in ore habebat. *Impossibilem esse continentiam. Vota vero illa Virginitatis diabolo, & contra morum ac vitæ honestatem fieri,* Melanchthon in Apologia Augustanæ Confessionis auctor est. At non meminit hic quod Zacharias Papa octingentis ante Lutherum

r *Tom. 1 Ger. fol. 121. Refert. Cochlæus de caussis matrimoni.* s *Serm. de matrim. fol. 121.* t *In cap. 7. Epist. ad Corithios impress anno 523. & comoendio eius modi plurima loca è Lutheri operibus collecta Vide in Cõradi Andreæ Luthero Caesto. mundoq; pag. 231. &c.*

therum annis ad Bonifacium Germaniæ Apostolum scripserat. *Sacerdotes postquam Sacros ordines acceperint, ab vxorum cõsuetudine abstinere, & vitæ socias abdicare debere.* Quod accipiendum est de maritis, qui in nouella illa adhuc Ecclesia diuinis seruitijs sese mancipabant. Sed quam apta ac pulchra similitudine Lutherus hanc impossibilitatem probet atque ostendat, audire operæ precium mihi videtur.

VI. *Quemadmodum*, ait, *mater puero signum manu dat, vt ad se veniat, aut etiam voce eundem ad se vocat, quamuis certa sit eum ire non posse: sic Deus quædam nobis præcepit, quamuis certò sciat nos facere ea non posse.* Sed quæso te, qui sic loquitur, annon Deo illudit, vel potius illud dicit, Deum nobis illudere? dum scilicet facere nos ea vult quæ plane sunt impossibilia. *Deus*, inquit S. Augustinus, (u) *nihil præcipit quod factu sit impossibile; sed præcipiens admonet te vt facias quod potes, ac cupias etiam, quod non potes.* Sic quamuis votum castitatis, omnium maximum & nobilissimum, valde sit difficile, vtpote quod a furiosis hostibus tam sæpe oppugnatur; impossibile tamen non est. Notum est illud ex ipsis Gentilibus *Difficilia quæ pulcra.*

Et illud —— serpens sitis, ardor arena,
Dulcia virtuti gaudet patientia duris.
Quin mihi nec placeat virtus, nisi parta labore.

Et ex sacris literis tantopere iactatis apud Euangelicos quid non legimus & audimus fortius: At quanto plus in tam arduo opere est laboris ac difficultatis, tanto maiorem etiam laudem & gratiam apud Deum meretur. Nondum vitijs totus ita occupatus est mundus, vt non quotidie in sanctis quibusdam hominibus admirabiles diuinæ gratiæ radios elucere videamus, quibus illustrati, ab omnibus turpium voluptarum sordibus mundos sese conseruant. & terrenis his rebus planè se subducunt; nihil obstante commentitia illa Lutheri impossibilitate Apostolus enim aduersus eam ait, (x) *Fructus Spiritus est. caritas &c. modestia, continentia, castitas.* Et *Razias ille Machabaicus* (y) *multis temporibus continentiæ propositũ tenuit in Iudaismo*, &c. Et si enim spiritus præcepta atque exercitia, cui caro semper reluctatur, prima facie grauia admodum & intolerabilia videntur, non plus tamen ea habent oneris, quam quale in nauigatione contra ventos ac fluctus huius Mundi opus est: etenim onus aliquod tam nobis necessarium est, quam nauri necessaria est saburra, vt tanto contra omnem tempestatem tutiores in hoc mundi pelago inter medios tentationum fluctus enauigemus.

His qui cum Luthero per diuina præcepta ambulantibus viam spinis ac vepribus obsitam, constratam muricibus, & præcitijs vndique obsessam imaginantur, bene & appositè respondit S. Ambrosius, inquiens: *Si quis periculis absterreri se sinat, et ab omni quoque labore cessandum esse, ne opprimatur; ab omni pugna desistendum, ne vincatur; et qui concupiscentiam metuat, oculos claudendos; qui ambulare formidet, considendum.* Et D. Gregorius: *In flagellorum*, inquit, *ictibus, & in vitiorum pugnis non solum nos infirmitatem nostram, sed etiam in virtutibus progressum cognoscere.* Nemo enim virium suarum in pace facit periculum. Nemo scire potest quantum profecerit, nisi in rebus dubijs & aduersis. *Omnia in eo possum*, inquit S. Apostolus, *qui me confortat.* Velle hic, posse est. *Quæ à necessitate cœperunt*, vt recte ait Seneca, *faciliter exeunt.* Et sicut homines vino diditi quanto plus eius inuergunt, tanto calorem corporis magis incendunt, nec prius cessant quam ab ebrietatem peruenerint: sic casta & sancta anima, vbi semel futuræ vitæ cogitationibus & curis occupata fuerit, cœlestia illa bona sitire ac desiderare numquam cessat, & impletur quidem illa nũquam tamen satiatur. Immo quanto vberior rerum spiritualium fuerit cibus, tanto magis earundem erescit fames. *Nullum est in Mundo bonum, nulla omnino virtus tam heroica & sublimis, quam non vel ab ipsa natura insitam habeamus, vel consuetudine, vel necessitate acquirire possimus*, vt Tertullianus docet. Hæc vero necessitas ita comparata est, vt etiam voluntaria esse queat. Et quamuis in duabus his vocibus oppositio quædam seu contrarietas esse videatur: hanc tamen voluntariam necessitatem Cassianus vnus ex illis eremi cultoribus vtilibus quibusdam regulis explicat, quum ait: *Nihil omnium rerum tam durum esse atque asperum, quod non animæ in Deum abrepta mente fiat ac leue.* Omnis illa asperitas ijs qui eiusmodi eleuationes, omnem fere sensum corpori auferentes, sentiunt, in summam dulcedinem commutatur. Talis animæ ecstasis, corporis functiones ac sensus ita interficit, vt omnibus alijs rebus exclusis, omnes cogitationes ac sensus in vnum Deum ferantur, atque in eo totã quantiquanti sunt, occupentur.

Falsa ergo est Lutheri Theologia, & illis Alcæi apud Plutarchum potius, quam Christianæ Fidei dogma-

u *Lib. de natu & gratia.* x *Gal.* 5. 23. y 2. *Machab.* 14. 38.

dogmatibus conformis. Etenim, vt bene paganus quidam dixit, (z) *neque ad virtutem neque ad vitium necessitate trahimur, sed voluntate inducimur.* Hoc vero animi pusilli est vitium, vt etiam non tentata formidet. Votum seruare Luthero fuit impossibile, at idem non modo tantæ Religiosorum atque eremitarum, solo pane & aqua vitam sustentantium multitudini, sed & Venetiarum Duci (cuius mentionem facit Volaterranus) (a) Boleslao Regi Poloniæ, Henrico Imperatori & Kunigundi ipsius vxori, non possibile modo, sed facile etiam fuit. Felix hoc pariam nuptijs copulatum, prima nocte vnanimi consensu perpetuam castitatem Deo vouerat, quam etiam ad finem vsque vitæ illibatam seruauit. Et hoc quidem votum in regali lecto factum, omnes illorum temporum scriptores laudant atque admirantur: quamuis id Luthero omnis continentiæ hosti nequaquam placeat, vt qui in Epithalamio suo scriptum reliquit, *eos qui castitatem Deo voueant, Molochidolo sacrificare* (b) At longe aliter S Augustinus, inquiens, (c) *eum qui voluntatem faciendi votum dederit perficiendi quoque facultatem largiturum.* Et S. Bernardus, *Velle modonos, iubet, ac posse statim præstofore.*

Sed quorsum me impudicus ille Monachi & Monialis concubitus abripuit? Ad propositum ergo redeo, monstraturus deinceps, quomodo Lutherus post horrendam rusticorum, quibus ille antea classicum ad seditionem contra Principes & magistratus cecinerat, stragem, postea ipsos quoque Principes contra Imperatorem, supremum ipsorum magistratum, armarit. Licet vero tanti bellici apparatus, & quæ inde enatæ sunt infinitæ miseriæ & calamitates, vix multis voluminibus comprehendi possint; ego tamen summam illorum omnium paucis capitibus includam, hoc ordine, vt si non temporis vbique, rerum tamen ipsarum seriem ac connexionem sequar. in quo sane nihil aut parum interesse puto. Vt tamen etiam curiosis aliquo modo satisfaciam, res maxime memorabiles, vt & annorum tempus, breuiter adscribam, vt plena horum omnium cognitio ex Historiarum & Annalium libris, vbi prolixè illa descripta extant, ad nostrum vero Hæreseon nostri sæculi historiam modo persequendum institutum, non valde faciunt, repeti possit.

DE FEDERE PROTESTANtium, & Augustana Confessione Carolo V. Imperatori exhibita.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

I. *Lutherani conspirare incipiunt.*
II. *Vnde protestantium nomen ortum.*
III. *Imperator Augustæ comitia celebrat: eò inuitatus Lutherus tre recusat.*
IV. *Saxoniæ Dux Missæ interest.*
V. *Protestantium Confessio Imperatori exhibita.*
VI. *Zuinghani Lutheranorum societatem seu fraternitatem ambiunt.*
VII. *E Catholicis & Lutheranis quidam ad Colloquium deputantur.*
VIII. *Lutherus durantibus Augustanis comitijs, suis rebus prospicit.*

I. VT Lector limpidius peruideat Rebellionum in Germanica authorem esse Lutherum eiusque doctrinam breuiter repeto ex ipsis Lutheri Actis quæ *Protestantium nomen vel Natalem* præcesserunt, tanquam dispositiones quædam, vti Philosophi loqui solent, ad introducendam formam. Igitur Lutherum ipsum non permouit alia res ad Schisma suum quam inimicus animus Augustinensium aduersus Dominicanos vt lib. 1. cap 8 (a) enarratum fuit. Cui inimicitiæ accessit deinde eiusdem Lutheri acerbum odium aduersus omnes illos expressum verbis & factis, qui Dominicanis, etiam vbi iustissimè Ecclesiæ Catholicæ causa propugnabatur, accesserunt, vt Papa, Cardinales & Episcopi, Academiæ & Doctores Catholici, (b) imo ipsi libri Iuris Canonici, in quibus exurendis (c) palam Anno 1529 mense Decembri ostendit, quid facturus fuerit de cæteris, si illi in suam potestatem venire potuissent. Huc pertinet odium ab eodem excitatum Anno 1521. Erphordiæ in Canonicos linguæ suæ flabello, quo vna nocte

z *Arist in Ethicis.* a *Lib 4 Crantz. lib. 3. cap. 11. Eauariæ Sancta Raderi &c* b *Luth in cap. 7. 1. ad Cor.* c *Augustinus in Ps. 37.* a *Vlenb Vit. Luth. cap 2.* b *Vlenber ibid cap. 1. diuersis, & supra hic lib. 1.* c *Vlenb. cap. 15 n. 16.*

nocte 50. Canonicorum ædes à plebe direptæ sunt & 7. funditus exustæ (d) 3. ab Ecclesiasticarum personarum, veritatem propugnantium, odio progressus est ad sæculares Principes ac Dominos terrarum Imperatorem, Regem Angliæ, Georgium Ducem Saxoniæ &c. in quos contumelios a eius scripta typis vulgata hodieque supersunt, vti malevolentiæ ipsius quædam Tropæa constituta in Bibliothecis & publicis Actis. Itaque eodem Anno 1521. in Comitijs imperij profitendo *Cedo nemini; nec Papæ nec Concilio nisi per scripturam sacram edoctus acquiesco*, puteum abyssi aperuit miseris mortalibus, quo statim Nobilitas, Franconiæ potissimum, ei ipse bonorum Ecclesiasticorum, & reformandi status publici ad suum votum adhæsit, quæ etiam noctu valuis prætorij in comitijs ijsdem affixit minacem Schedam, qua 400 equites bellum Moguntino Archiep. indicebant. Ex quorum numero fuit Vlricus Huttenus vel ab Hutten dictus, qui librum edidit, cui oraculum præfixit tale, vt nisi cæci fuissent Germani, ex ipsa fronte agnoscere potuissent, ex cuius spiritus officina liber ille prodiret: nempe illud psalmi 2 *Dirumpamus vincula eorum* (nempe primo Episcoporum, postea cæterorum) *& proijciamus à nobis iugum ipsorum.* Et miser scripturista non aduertens quid subiungat melior spiritus dicens: *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, Tunc loquetur*, &c. Ita turpiter se sequentib. s sæculis denundatum risui obiecit Verumtamen ex scriptura à Luthero aperta. 4. Idem Lutherus absente in Hispania Imperatore Carolo V. qui eum proscripserat toto Imperio, per suos emissarios Plavvinterum, Spalatinum &c. Fautores maximos medioximos Imperatoris proscriptionem quodammodo irritam fecit in Norimbergensi Conventu Cæsarei Senatus, qui Anno 1522. & 3. contraria Proscriptioni Sacræ sanciuit; quibus visis Lutherus & proscriptionem Cæsariam & Senatus Cæsarei in absentia eius factam typis vulgauit, & scurriliter vtrosque commisit & illusit. Ita vt apud subditos authoritatem eorum omnem subneruauerit. nam in exordio scripti sui de potestate sæculari, ait *Germaniæ principes ad insaniam à Deo redactos esse, esse hypocritas, qui aiant se Cæsaris mandata exequi vt Christianos, & hoc non agant serio sed ita fucate vt eorum nequitiam nemo non deprehendat. Olim id genus hominum dictos fuisse Nebulones, nunc vero Christianos & obedientes. Atque hos esse principes quos Cæsar ad Imperij clauum in Germania collocarit. Cum igitur insania morionum istorum ad exterminium fidei Christianæ desauiat, sibi committendum non fuisse, quin saltem verbo eis resisteret, squamis illis seu bullis, vt potè qui iam Romanũ idolum papam ipsum non reformidaret.* Deinde pergit, dicere similitono, & sono: *Christi gregem non egere gladij civilis aut Iuris ministerio, vel politico magistratu, neminem in eius populo esse superiorem, præter Christum ipsum & solum quidem: Quisquis litiget in iudicio siue de bonis siue de honore, non esse Christianum, sed sub Christi nomine gentilem vel infidelem.* Denique *Deus*, inquit, *dedit eos* (principes nempe de quibus illi sermo est eo loco) *in sensum reprobum, & ad finem cum illis festinat, sicuti cum Ecclesiasticis illis Magnatibus. Itaque præpostere agunt, vt Dei omniumque hominum odio grauati pereant cum Episcopis cum Sacerdotibus, cum Monachis.* VNVS NEBVLO CVM ALIO. *Ab initio mundi rara fuit avis in terris princeps prudens, multo rarior probus princeps. Vt plurimum maximi sunt Moriones, vel Nebulones omnium qui sub sole vivunt pessimi. Lictores Dei sunt, & carnifices. Nimirum Deus noster magnus est, Dominus, itaque necesse est vt tales, adeoque nobiles, Illustres & diuites habeat. Estque hoc ipsius beneplacitum vt hos carnifices, Clementissimos Dominos appellemus &c.* quæ turpiora eo libro continentur (e) aliaq; infanda quæ secuta sunt in conciliabulis cogendis & coniurando. Nam eiusmodi concionibus & scriptis, è Lutheri pectore, tanquam scrinio diuini verbi depromptis, defixi Germani, Anno 1624. ineunte Norimbergæ absente Cæsare conventum celebrarunt, in quo inter Decretum Cæsaris Pontificisque, ac Lutherico larum sententias media sententia lata est, ad 18 Aprilis, *vt quamprimum in Germaniam liberum & Generale Concilium indicat Cæsar, cuius aut horitate controversiæ religionis sopiantur. Et interim Nouus Conventus Spiræ celebretur ad* XI. *Novemb. ad discernendum quomodo se se tantisper quisque gerat, dum Concilium celebretur.* Quasi Lutherus & assectæ eius essent Concilij sententia quieturi, qui iam palam professi erant se nulli concilio credere nisi scripturæ. Cæce tamen hæc acta sunt, sed mox Catholici videntes se deludi eodem Anno 1524. mense Iunio soli Ratisbonæ Conuentum habuere legitimum, de Decreto Cæsaris & proscriptione Lutheri retinendis. Hoc audientes Acatholici atque eorum patroni mox mense Iulio Vrbium Imperij conciliabulum Spiram contraxerunt, vbi decretum factum est de Lutheri libris examinandis, & Magi-

d *Idem cap. 6. n. 2.* e *Vlenberg. cap. 10. n. 4.*

stratum vrbium per probos viros ad id constitutos, debere informari de controversiarum in Religione statu. Cæsar vero auditis Norimbergæ decretis ea protinus abrogauit 15. Iulij Brugis in Hispania datis ad Principes literis, vetuitque Spiræ indictum conuentum celebrari. Hoc tempus fuit in quo Rusticorum seditio per Germaniam spiritu Lutheri concitata exoriens ad 300. fere millia hominum in sequentem annum absumpsit, nuptias celebrante Luthero Monacho cum Moniali. Celebrata sunt post eam Tempestatem Comitia Spiræ Anno 1526. 1. Maij, vbi de VVormatiensis Decreti executione litigatum fuit. Rursus Anno 1528. vbi Decretum factum authoritate Ferdinandi Regis, Vicarij Imperatoris, vt Decretum VVormatiense Cæsaris, vbi seruatum esset, porro seruaretur. & alia quædam, contra quæ Saxo Elector & Landgrauius Protestati, in Aprili, *Protestantium*, nomini initium dederunt, post quod tempus tu Germania magis magisque iudicia & voluntates sunt, divulsæ. (*f*) Omitto cætera, vtpote prædictæ radicis germina, & ad annos quibus publica rebellio Principum apparuit pergo. Ea vero ita se habet. Catholici Principes & Episcopi, quibus constitutum erat intra veteris Ecclesiæ cancellos sese continere, quum animaduerterent Lutheranos tam aperte quam clanculum multa contra se indies moliri, ac Treuirensem inprimis Archiepiscopum contra leges & Constitutiones Imperij armis inuadi atque oppugnari, adeoque Lutheranismum longè lateque propagari; Imperatorem omnem scripto exponunt, & non solum Maiestatem ipsius proculcari, verum etiam metuni esse ne hæresis inualescens, totum tandem Imperium opprimat, demonstrant. Quamuis autem Imperator tum abesset, & bellis in Gallia atque Italia distineretur; statim tamen Legatos in Germaniam misit, & scriptis ad plerosque Principes litteris, grauissimè omnes ad pacem est exhortatus. Interim in deterius omnia labebantur, augescente mirum in modum Lutheranismo, & Catholicorum numero decrescente. Tum Lutherani *coire, federa inire, protestari, iurare, se pro Euangelio, id est, pro Lutheri opinionibus, mortem oppetituros.* Quin etiam primi arma arripiunt, falso quodam indicio & rumore perterriti, quem de federe in ipsorum exitium icto, maleuoli nonnulli & vani homines divulgarant Anno 1529. Quo sane commento præcipuas fere Imperij ciuitates ad idem fedus pertraxerunt, Argentoratum scilicet, Norimbergam, Constantiam, Vlmam, Magdeburgum, & alias, viginti quatuor numero: quarum exemplum deinde multæ aliæ quoque sequutæ sunt. Sed parum abfuit quin fedus hoc in ipso sui ortu rescissũ fuerit. Quum enim eius causa Norimbergæ conuenissent, vt sicut ante in protestatione, sic iam in religione quoque concordiam aliquam & vnionem inirent; statim ingens inter ipsos dissidium glisscere cœpit, dum alius hanc, alius illam Confessionem amplecti se dicit, nec vllus dissensionum exitus apparet. Tandem prudentioribus hoc vnum commodissimum remedium visum est, *ne quidquam boni vel mali de Deo assereretur: Christi Corporis in Eucharistia præsentiam qui vellet, crederet; qui non vellet, non crederet. Parum enim interesse credat quis hoc, vel non, modò fœderi contra Ecclesiam & Imperatorem nomen daret.* Hæc Landgrauij fuit sententia, quam tamen Saxoniæ Dux euertit, effecitque vt Sacramentarij ab eo federe tum fuerint excluſi.

II. Ab hac protestatione & confederatione, quæ Spiræ primum nata Anno 1528. deinde Anno 1530. Augustæ per Exhibitionem Confessionis educata, denique Smalcaldiæ honeste vestita fuerat, nomen sortiti sunt Protestantes. In Spirensi quidem conuentu ijdem quinque has litteras V. D M. I. Æ. id est *Verbum Domini manet in æternum*, Phrygio opere etiam pedissequorum & Stabulariorum manicis intextas ostentabant. Petierant ijdem à Ferdinando, vt publicas ipsis in templis conciones habere liceret: quod cum obtinere non potuissent, apertis ædium vbi diuersabantur foribus, magna hominum accurrente multitudine, conciones habebant, quæ magnam partem conuicijs & calumnijs omnium Ecclesiæ Ordinum consumebantur: dum interim etiam sexta & septima feriis verua strident, & gratum lurconibus carnium odorem culinæ spirant. Hoc ipso tempore Lutherus librum suum de Hierosolymitanæ vrbis excidio emisit.

Post multos passim habitos conuentus, protestantes vt Imperatori, quem iratum sibi non ignorabant, fucum facerent: (*g*) *magnificam ad eum decernunt legationem, & verbis humilitatu & obsequij plenis petunt, vt quod ad religionem attinet, res integrè relinqueretur, & vsque ad generale in Germania futurum Concilium conscientiæ libertas sibi permitteretur.*

Hano

f Vlenberg. fusè prædicta in Vita Lutheri recenset ex AA. g *Natalis Comes lib. 1.*

Hanc rem ad salutem animæ spectare: cuius rationem soli Deo qui eam creauit, omnes & singuli reddituri sint. Horum Legatorum vnus Michael Cadenus ad sacrum euunti Cæsari libellum porrexerat, eleganter adornatum, quo summa doctrinæ Protestantium continebatur.(h) At Cæsar 12. Septemb. Placentiæ auditis post deliberationem multam 13. Octobris respondit, *vt qui nosset moram hanc & dilationem eò tantum spectare, vt partes illi interea suas magis magisque confirmarent, omnino que voluit vt factum VVormatiæ superioribus annis decretum, seruaretur: eum vero qui librum illum attulerat, captiuum iussit detinere;* sed is clam conscenso equo euasit. Hanc repulsam passi Protestantes, alium rursus Conuentum indicunt, Smalcaldiæ ad finem Nouembris, Anno 1528. futurum ac mox Anno sequenti sub initium Ianuarij alium, (i) & de Lutheri caussa ac religione defendenda, ac modis belli gerendi deliberant, nec cessabat eos hortari Lutherus, *vt in commune fœdus coirent, & quæ bello gerendo necessaria præpararent*: cuius Consilium non Principes modo, sed complures etiam Imperij vrbes amplexæ sunt, Argentinensium exemplo, qui contra expressas Imperij leges, cum Tigurinis, Bernatibus & Basileensibus fœdus contraxerunt. Vidisses tum Vulcanias officinas passim armis fabricandis calere, molettrinas conficiendo puluere feruere, ex armamentarijs machinas ad vsum instrui, omnia denique ad Lutheri votum ferri, qui iam diu nihil magis quam insignem aliquam stragem optarat.

III. Imperator sperans omnes hos motus præsentia sua se discussurum, indictis Augustam comitijs in Annum 1530. ad 8. Aprilis Bononia, vbi à M. Clemente VII. V. Cal. mart. coronatus est, serius in Germaniam proficiscitur, (quo etiam nonnulli Protestantes Principes, hoc enim nomen sibi iam sumserant, venerunt.) Saxoniæ Elector quamprimum domi de Cæsaris instituto cognouit, Torgam euocauit Lutherum, Melanchthonem, Pomeranum & Iustum Ionam admonuit, quid fieri vellet, (k) communi opera & studio centunculum consuerunt, & non multo post Saxo Torga, Coburgum & porro Augustam proficiscitur, cum Ioanne Friderico filio. Venerunt etiam eò Ernestus & Franciscus Duces Lunæburgici, & VVolfgangus Princeps Anhaldinus. Saxonem aliquo vsque comitatus fuerat Lutherus: & ille quidem apud Cæsarem & Ferdinandum egerat, vt in vrbe aliqua Imperiali Luthero interim commorandi fieret facultas; verum nihil impetrare potuit, quod Cæsar, hoc ad existimationem suam pertinere arbitratus, proscriptionis contra eundem sententiam reuocare nollet. Nihilominus interim in Saxonis ditione Coburgi (l) (nescire se simulans quod omnes sciebant) commorari eum patiebatur. In quo quam pernicioſe erratum fuerit res ipsa docuit. Sed & quæ tua hæc fuit timiditas, ô Luthere, qui quum Apostolum & os Dei te iactares, in publico tamen apparere, atque elata fronte, etiam cum vitæ periculo, vt veri illi Apostoli, religionis tuæ veritatem defendere non es ausus? (m) Huic ergo timido Prophetæ Coburgi tuto subsistenti, Saxo Melanchthonem & alios quosdam vilioris monetæ Theologos succenturiauit: qui vnà cum reliquis omnibus qui ad Conuentum illum venerant eiusdem religionis Theologis communicata sententia, Confessionis quandam formulam adornarant Torgæ. Licet vero Saxo ad Lutherum omnia referret, vt is suo suffragio singula vel approbaret vel improbaret, (n) bonus tamen ille homo decretum suum interponere noluit, sed ad Saxonem 15. Maij, in hanc rescripsit sententiam: (o) *Legisse se Confessionem sed ad eam adiungere aut quidquam adimere non posse. Sed & corrigere eam non facile sibi futurum, vt qui tanta lenitate tractare ista nequaquam posset.* Articulo tamen decimo hæc verba ob Sacramentarios adiecit *Damnamus secus sentientes.* Multis vndique ad comitia confluentibus, vrbs intra paucos dies plena fuit concionatorum omnis generis, Lutheranorum, Zuinglianorum, Carolstadianorum &c. ad quorum, *veluti Nouorum Christianorum*, sermones audiendos, vti fieri solet in nouarum rerum occursu, magna accurrebat hominum frequentia, quum interim circa eos, qui veterem religionem docebant, solitudo fere esset. Verum post Imperatoris aduentum edictum fuit vt vtriusque partis concionatores desisterent, donec de religione decidatur.

IV. Initio horum comitiorum accidit quiddam notatu dignum. Imperator sacrum aditurus Saxonem adesse iusserat, ac sibi præferre gladium

h *Vlenberg. in Vita Lutheri cap. 20. num. 5.* i *Vlenbergius Vit. Luth. cap. 20. n. 5.* k *Vlenberg. ibid. cap. 21.* l *Vlenberg. ibid.* m *Vid. Confess. Snepfij, Anno 1555.* n *Vlenberg. Vita Luth. cap. 23 num. 1.* o *Hist. de Cœn. fol. 137. & Vlenberg. Vit. Luth. cap. 21. num. 1.*

quod Saxonicæ domus in eiusmodi pompis est officium. Jlle re deliberata, quum theologi dicerent, *licere adesse, quod ad suum officium esset evocatus, non ad Missam velut ad cultum divinum, accessit.* Quod Sleidanus ridicule insigni cuidam Saxonis pietati tribuit. Dignum profecto talibus auctoribus consilium! Quasi vero ante Baal (sic enim Missæ sacrificium appellare non dubitant) genua quis flectere possit, nec tamen idolatriæ participem se facere. Atqui scitum hoc est sive decretum omnium recte sentientium Theologorum, eum qui voluntarie Missæ assistat, Missam interim pro idololatria habeat externam saltim idololatriam committere. Eapropter peccat etiam [illegible] quod Missæ assistit (quæ bona & sancta est actio) sed quod contra conscientiam facit id, quod Deo displicere credit: quum certum sit, quidquid contra conscientiam quis facit, peccatum esse, quamvis per se peccatum non sit. Sed cæci tunc cæcos ductabant.

V. Cœptis comitijs (quibus etiam Pontificis Legatus, & complures Catholici Principes ac status interfuerunt) primo ingentia illa pericula & necessitates, quæ toti Christianæ Reipublicæ, Germaniæ præsertim imminebant; deinde religionis negotium fuit propositum. Protestantes audiri se postulabant; sed Jmperator iussit, *ut sententiam suam, scripto comprehensam proponerent.* Quod quidem illi, licet inviti quodammodo fecerunt, ac Confessionem fidei dei suæ Cæsari exhibuerunt: quæ deinde à loco ubi fuit exhibita, *Augustana Confessio* semper fuit appellata: de qua plura libro secundo ubi de Philippo Melanchthone nobis sermo fuit, dicta sunt. Hic enim sua manu scriptam eam Jmperatori exhibuit, *per omnia sacra adeoque spem æternæ vitæ quam haberet, deierans, eam Catholicæ Ecclesiæ fidei esse conformem.* (p) Erat vero illa à Luthero his verbis subsignata: *Damnamus secus docentes:* quod Schlusselburgius in odium Zuinglianorum ab eo additum fuisse asserit. Melanchthon certe, quum illa post mortem Lutheri recuderetur, verba illa omisit: credo, quo Lutheri testimonio atque auctoritate se non indigere iudicaret, vel quod Zuinglianis iam esset amicior: Mirum vero est quod Lutherani non primigeniam hanc veluti, sed alias post hanc cusas ac recusas Confessiones, Evangelio quod à Luthero hauserant, multis in locis contrarias, tam facile sint amplexi. Jam illè librum suum, scilicet posthabitum illud cum diabolo colloquium *de Missa abolenda* in publicum emiserat: & tamen Protestantes nostri Confessionistæ in articulo quodam eiusdem Confessionis protestantur, *Iniuriam sibi fieri in eo, quod in Ecclesijs suis Missam dicantur abolevisse, quæ adhuc in eis quotidie magna veneratione, omnibus antiquis adhibitis ceremonijs celebretur, nisi quod Latinis precationibus quædam vulgari lingua concepta intermisceantur.* Jdem in Saxonicarum ecclesiarum Confessione, anno MDLIII. ut in Tridentino exhiberetur Concilio scriptâ, habetur. Et Melanchthon in Apologia (q) quam pro Augustana scripsit Confessione, aperte testatur, *Missam non modo à se ac suis non aboleri, sed religiose etiam defendi; ut quæ singulis Dominicis aliisque festis diebus celebretur, in quibus etiam Sacramentum Eucharistiæ communicare volentibus exhibeatur. Tum usitatas ceremonias, lectionum & precationum ordinem, vestes sacras, & quidquid eius sit generis, apud se adhuc in usu esse* verum hæc alio sensu, quam verba ferunt illi asserebant. Hinc Germani Confessionem hanc sua lingua probro iusto Bundschuch, id est, *calceum omnibus pedibus aptum* (qualis olim Theramenis fuit cothurnus) nominant: ut qua omnes pro suo arbitratu & alio atq; alio sensu ac modo, uti nempe placet utuntur. Hinc illæ Saxoniæ Electoris Augusti, Wolfgangi Anhaldini Principis, Ducum Luneburgicorum Henrici & Gulielmi protestationes, quæ eiusdem Confessionis Apologiæ insertæ leguntur. Porro in hoc conventu Argentinenses etiam, Constantienses, Memingani & Lindavij doctrinæ suæ confessionem per Gasparum Hedionem, & ipsi scriptam Cæsari tradiderunt: sed ea plerisque parvi momenti visa est, & neglecta.

VI. Magna spes tenuerat Zuinglianos, impetraturos sese in hoc conventu, ut à Lutheranis in societatem & commune fœdus reciperetur, quod putarent Melanchthonem & Brentium minus hac in re quam Lutherum difficiles futuros: (r) quorũ tamen vterque scriptis XI. Iunij Anno MDXXX. ad Landgravium litteris (quæ etiamnum exstant) spem omnem tantopere desideratæ Fraternitatis eis præciderunt. hi enim *post dogmatum, quæ illi docerent confutationem, Landgravii, vehementer se occupantem in connectendis duabus contradictoriè dissidentibus hæresibus, vehementer orant ne ab eis seduci se patiatur.*

p *Lib. 2. art. 2 pag. 114.* q *Fol. 550.* r *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 23.*

iſatur. Eos qui Auguſtæſint, nempe Zuinglianos, *apertè iactare, vires, argentum, & exterorum auxilia ſe in promptu habere; ſeque Epiſcopatus pro lubitu ſuo diſtributuros*, Addunt: *ſatis ſe mirari non poſſe, quomodo illi qui Chriſtianam charitatem tantopere iactant, minas eiuſmodi iacere, & ad Chriſtianam perturbandam rempublicam conſilia & conatus ſuos dirigere auſint. Tam mala principia non poſſe non niſi in peſſimo exitu terminari. Diabolum horribilem in Eccleſia tragœdiam machinari.* Sic Melanchthon tum, ſic Brentius ariolabatur: in quorum utroque plus quam in Luthero ſemper fuit moderationis, ſed tamen hæreſi ſemper inquinatæ, & contra Eccleſiam cuniculos fodientis.

Landgravius e contra in reſponſione ſua (quam tōtam huc lubenter appoſuiſſem, niſi lectori prolixitate faſtidium parituram exiſtimaſſem) *de Lutheranis vehementer queritur, qui Sacramentarios tam rigide atque acerbe tractent: ſimulque intercedit, ut liberam illis fidei ſuæ, qua cogi nec poſſit nec debeat, confeſſionem reliquant, interim vero pro fratribus eos recipiant. Sed nec precibus, nec omnibus alijs, quas adhibuerat, Landgravius hac in re artibus quidquam potuit impetrare* (s) Quin Melanchthon ipſe aperte profeſſus eſt, *Catholicorum ſe potius quam Sacramentariorum partibus acceſſurum.* Idem ad Ægidium Imperatoris concionatorem ſcribens, Deum deſtatur, *ſe nullam aliam ob cauſam cum Catholicis reconciliari cupiviſſe, quam quod vereretur ne alij Sacramentarijs ſeſe coniungerent. Quod ſi evenerit, de religione actum eſſe.* Non tamen interim ceſſabat Zuinglius, ſed & ipſe fidei ſuæ confeſſionem ad Principum conventum miſit, non minus liberum ſibi quam Melanchthoni aut cuivis alij aditum deberi aiens, ea re comperta, Melanchthon ad Lutherum (ut minutas quaſdam circumſtantias ab alijs omiſſas notem) in hanc ſententiam ſcripſit: *Zuinglius Confeſſionem ſuam impreſſam huc miſit. Vno verbo dico, hominem phreneticum eſſe. De peccato originis & Sacramentariorum uſu antiquos errores renovat; de ceremonijs Eccleſiaſticis Helvetico (id eſt barbaro) more loquitur, quas plane vult abolitas. Opinionem ſuam de Cœna Domini ſtrenue defendit: Epiſcopos vero omnes exterminare cupit. Mittam tibi exemplum: quod enim habui, in magnatum iam manibus verſatur.* Bucerus tunc intermedium ſe gerens, iam hos, iam illos Principes alloquebatur, *conquerens ſimultata illa inter Lutheranos & Zuinglianos, qua tamen mera ſit logomachia omnia peſſumdatum iri.* (t) At Pomeranus Saxoniæ Ducis Cancellarius ei demonſtrabat, *tam longe Lutheri ſententiam à Zuinglij opinione diſtare quam cœlum à terra.*

Hac de cauſſa Bucerus, qui Zuinglij opinionem hactenus propugnarat, paullulum de pertinacia remiſit, ſcripta ad Lutherum epiſtola, ad quam veluti hominis contemptibilis Lutherus ne verbum reſpondit. Itaque ipſemet aſſumpta humilis perſonæ larua Coburgū profectus, vti veſpertilio eſt tractatus contemptim, veruntamen à Luthero non deſperans de pace reuerſus eſt ad Zuinglium (u) quæ omnia Apologiæ Auguſtanæ Confeſſionis inſerta ſunt. Porro omnes iſtæ Auguſtam apportatæ Cōfeſsiones duobus eruditiſsimis Theologis, Eccio & Fabro examinandæ datæ ſunt, qui præcipuos earum articulos, de Iuſtificatione, de Satisfactione, de Interceſſione Sanctorum &c. ſolide refutarunt, vti exſtant in Archiuo Electoris Moguntini manuſcripta. Quantumenim ad Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam attinet, Lutherani ſententiam ſuam his verbis erant complexi: *De Cœna Domini docent, quod Corpus & Sanguis Chriſti vere adſint, & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini: & improbant ſecus docentes.* (x) Sic vt Melanchthoniana hæc Confeſſio, quæ Auguſtana poſtea dicta eſt, Helueticam, & viciſſim hæc illam; Catholici vero tam hanc quam illam erroris & hæreſeos damnent. Quod de Auguſtana Confeſſione Ioannis Caſimiri Palatini theologi iudicium fecerint, apparet ex libro ab ipſis edito. Quid vero Geneuenſes de eadem ſenſerint, ex his manifeſtum eſt quæ publice ſcribere auſi ſunt, nimirum. *Eam initio non ex omnium Germaniæ Principum conſenſu fuiſſe conſcriptam, ſed à ſeptem tantum Principibus & duabus ciuitatibus ſubſignatam. Ac propterea nequaquam pro regula & norma fidei Eccleſijs obtrudendam, ſed potius vniuerſalis Eccleſiæ iudicio ſubijciendam, & ex diuini verbi præſcripto examinandam eſſe ac iudicandam.* Sed ô ſuaues homines! Vbi iſta eſt veſtra vniuerſalis Eccleſia? In quo Mundi angulo ſupremus ille omnium inter cœlum & infernum controuerſiarum Iudex latet? præſertim cum vera Chriſti Eccleſia evanuerit ex oculis vt Gyges ille annulo ſuæ inuiſibilitatis, Caluinus tamen in epiſtolis ad VVeſtphalum & Ioannem

s *Vid. Reſponſum fol. 145. De Cœn. Aug.* t *ſupra libro 2. cap. 11.* u *ibid.* x *Vid. Dan. Hofman. in quæſt. & reſponſ. fol. 8. cap. 4. adu. Com. Berg. Vlenberg. Vita Luth. cap. 23.*

Lascum, vti & Sacramentarij Heidelbergenses, *suo calculo probare eam videntur* sed suo sensu explicatam, ac castram vel castratam. At Beza in Possiacensi Colloquio oblatæ sibi subscribere recusauit, *se in istorum Magistrorum verba minime iuratum esse dicens.* Petrus Martyr a Galliæ Regum matre, quid de Augustana illa Confessione, quam plerique non secus atque ipsum Euangelium amplecterentur, sentiret rogatus, respondit : *Sufficere nobis debet ô regina, quod verbum Dei habemus quo omnia ad salutem nostram necessaria continentur.* Sed de his latius quando de Gallicanæ Ecclesiæ schismate nobis sermo erit.(y)

Sic se nouum illud habebat Euangelium, ab his receptum, ab illis reprobatum: vti hæc omnia fusius Schlusselbergius in Theologia sua Caluinistica persequitur. Hinc *Molles illi Lutherani* à quibusdam Christiani *Politici* appellati sunt(z) vt qui Ferdinando Imperatori Anno M D LXI. aliam *Confessionem* a priore illa valde diuersam, Francofurti exhibuerunt. Hanc merito *Castratam* quidã vocant, vt & alias quæ sub Augustanæ Confessionis titulo varijs coloribus & mira varietate prodierunt, vt *Ratisbonensis, Spirensis &c.*

Sed ad comitia redeamus in quibus post multas vltro citroq; refutationes ac replicas factas, cum Confessio à Catholicis non approbaretur Philippus Landgrauius ceteris obstinatior primus omnium, sine Imperatoris venia, immo ne salutato quidem eo, discessit; quod facile videret tantam Confessionum potius multitudinem nihil boni apportaturam: eoque domum reuersus suoque sensu abundans(a) magis de instruendo armario quam de Scriptura enucleanda cogitauit: ac non multo post cum Heluetijs & Argentinensibus fedus percusit, primus principum Germaniæ, qui se Sacramentarijs coniunxit.(b)

VII. In his omnibus Imperator, prudens & cautus Princeps, nimia forte dissimulatione & patientia vsus est, illius præcepti memor, *qua corrigi statim non possint ferenda potius esse quam rem in summum discrimen deuocandam.* Vt vero omnem conquerendi Protestantibus ansam præcideret, Religionis controuersias inter Theologos vtriusque partis disceptari iussit, adiunctis ab vtraque parte vno & altero Principe. E Catholicorum numero lecti sunt Eccius & Cochlæus; è Protestantium, Melanchthon & Brentius. Disputationis is fuit exitus, vt de quibusdam articulis conuenerit, de alijs vero non: quin etiam in illo maximi momenti de Iustificatione hominis dogmate aliquo modo consensum, & ab vtrisque impudens Lutheri audacia damnata fuit, qui D. Apostoli in epistola ad Romanos verbis vocem *Solam*, contra omnium exemplarium fidem adiungere ausus fuit: Eccio facete inferente, *Soleam* illam Lutheri (Germani quoque sic appellant) calceatoribus esse relinquendum. Cochlæus in VII. Philippica scribit, *se cum Melanchthone priuatim de Missa sacrificio habuisse sermonem*: quumque rogasset, *cur eam tanto opere impugnarent, quum tamen in ea id ipsum quod Iesus Christus in arbore crucis pro nobis obtulit, repræsentetur?* Melanchthonem respondisse, *se hoc neque negare neque impugnare.* Cochlæo vero replicante, *cur ergo idem apud alios & ad plebem non profiterentur?* illum intento in Brentium & Snepfium digito dixisse: *Cum his loquere. Hi sunt sacrificuli; ego non sum sacrificulus.*

Ad Melanchthonem quod attinet, fatetur ipse Cochlæus *per eum non stetisse, quo minus concordia coierit; sed parum potuisse, vt qui angustiis limitibus fuerit circumscriptus.* Id quod nec Sleidanus dissimulat, inquiens, *Protestantes, quod vererentur ne Melanchthon nimis multa, qua erat animi facilitate, Catholicis concederet, quasi de Imperij ageretur finibus, certos ei limites præscripsisse.* Metuebant quippe turbulenti isti homines, ne si Melanchthon partibus suis minus rectè fungeretur, magna ad Catholicam religionem fieret accessio. Quum de Pœnitentia & Satisfactione disputaretur, & Eccius *Lutheri sententiam Catholicæ fidei conformem ex ipsius propriis verbis allegaret*, septem qui aderant Lutherani, mutuo se respicientes, obmutuerunt; Melanchthon vero totus rubore suffusus, *An aiebat, & vbinam Lutherus ista scripserit, ignoro.* Tum Ioannes Fridericus Saxoniæ Dux, *Fortassis*, inquit, *hæc ab ipso ante decennium scripta sunt.* Catholicis replicantibus, parum referre vbi & quando illa scripserit, modo scripta fateantur.

Extat vero hæc Lutheri sententia in articulo XLI. contra Indulgentias, vbi fatetur *Pœnitentiam & Satisfactionem ad auertendam Dei iram & peccatum expiandum esse necessarias: quum Niniuita bonis suis operibus Dei iudicium & decretum peruenerint.*

At

y *Vid. Fabrit in Harm. Euang. lib. 2. pag. 140.* z *Anatomia Eccles. Tract 1.* a *Vlenberg Vita Luth. cap. 23. num. 1.* b *Vlenberg. ibid.*

At Brentius & Snepffius indignabundi magna voce exclamarunt, *Non se eò venisse ut Lutheri scripta, sed ut Fidei suæ Confessionem defenderent.* Vides quomodo Lutherus etiam vivus à discipulis suis fuerit desertus. Tantum vero abest ut colloquio illo sancita sit concordia, ut schisma etiam multo magis invaluerit. In quo scandalo Imperator nullum boni ac religiosi & pacis inter Christianos amantissimi Principis officium omisit, primores Protestantium iam privatim iam publicè alloquens, & ab exitio, ad quod proni ferebantur, revocans.

At cui non habitat tranquillo in pectore dulcis
Pacis amans, placida mens & composita quiete,
Hic facile in bellum ruet ingentemq; procellam
Mox dabit. Hunc frustrane tu constringere tenta.
Viribus. Effervescet enim magis, & sese efferet ira.
Multa dies variusq; labor mutabilis æ vi
Rettulit in melius.

Finis demum Comitiorum illorum fuit miserabilis, nempe post oblatam Confessionem, & eiusdem refutationem, Apologiam, plicas & replicas, Tractationem de concordia, animorum fucata quædam fieret compositio, revera exulceratio, Protestantibus, cuncta ex arbitrio prædicantium & Lutheri poscentibus, Catholicis dare cuncta non valentibus, utpote contra Fidem & Deum postulata (c)

Illi in postulando *libero Germaniæ Concilio, & interea dum per illud certi aliquid statueretur, conscientiarum libertate,* persistebant. Hi iterum atque iterum dogmata eorum damnabant, uti & rationes allatas. Tandem de Principum assensu ab Imperatore factum est *decretum quo Protestantibus tempus ad deliberandum de quibusdam controversijs ad religionem pertinentibus articulis concessum fuit, diligenter prius monitis, ne ab ea fide quæ universali consensu ab Ecclesia iam olim recepta esset, & tot seculis in ea perdurasset, recederent. Prohibitum insuper fuit, ne subiectos vi ad ipsorum cogerent religionem; tum ne quidquam mutarent, neve quidquam in primi & in vulgus spargi sinerent quod Romanæ Ecclesiæ adversaretur: mandatum insuper ut Ecclesiasticis bona restituerentur: omniaque ad futuri usque Concilij decreta, in integro relinquerentur.* Neque hoc decretum Protestantibus placuit, sed protestando quotidie Protestantes protestabantur; donec tandem quod precibus non poterant, vi & armis impetrare decreverunt.

Dum Augustæ habentur comitia, Lutherus in Franconia veluti in specula in omnes occasiones erat intentus, hoc unicè voluptati habens quod sui causa tantos tumultos ubique videret excitatos. Neque interim tamen ociabatur, sed commentarium in Psalmum secundum *Quare fremuerunt gentes?* procudebat; quasi conventus ille contra Deum & Ecclesiam esset institutus. Non multo post idem librum emisit, Episcopis Augustæ Vindelicorum congregatis dedicatum, multis verbis eos ad suum recipiendum Evangelium exhortans. Sed & ad Principes Protestantes idem scripsit, & mirifice eos ad Evangelij sui defensionem quam ab ipso acceperant, defendendam animavit. Sed audi, quæso, ipsius de bonorum Ecclesiasticorum restitutione consilium. *Flagitatur*, inquit, *à vobis ut bona Ecclesiastica restituatis, & Monachos è cunculis suis extractos reducatis* (Hoc sane articulo nihil tū erat illis molestius) *Vos vicissim ab eis ut tot animas perditas, tot innocentes morte affectas, tot bona male usurpata restituant efflagitate.* Id si fecerint, tum demum disceptabimus ad quem bona illa pertineant.

Quamvis autem à comitijs abesset Lutherus, quotidie tamen de omnibus quæ agebantur per veredarios ultro citroque missos edocebatur. Quia autem nihil magis metuebat quam pacem Ecclesiæ, eoque Melanchtonis, quæ interea mœroti, suspirijs atque lachrimis, ut Sleidanus loquitur, se totum dabat, facilitatem suspectam haberet, ne scilicet cum Catholicis aliquam concordiæ rationem iniret, à quorum religione Confessio illa prima ab ipso scripta in multis non longissime aberat, certe non tantum quantum Lutherus vellet, discrepabat: crebris illū litteris erigere & consolari non cessavit, inter alia his verbis uti à Sleidano recitantur: *mihi quidem omnis hæc actio de doctrina Concordia displicet, nam frustra labor hic sumitur, nisi regnum suum Pontifex aboleri totum velit.* Exspectavit nempe *ira hic filius*, ut Pontifex ad pedes ipsius abiectus, veniam peteret & misericordiam imploraret; ratus firmā illam & incussam petram, super qua supremi Pontificis auctoritas fundata est iam à se deiectam atque subversam. At aliter sentiebat Melanchthon, nimirum ad confusionem vitandā necessarium esse, ut supremū aliquod Ecclesiæ caput agnoscatur. Hæc tumita à Luthero scripta & facta sunt, decennio post quam ab Ec-

c *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 22. & in Vit. Melanchthon. cap. 6.*

ab Ecclesia defecit: quo ipso tempore ad Leonem X. Pontificem scribens, *vitam ac mortem suam in ipsius manu esse aiebat, Vicarium Dei appellans quem postea Vicarium diaboli dicere non dubitauit.* tantum à se ipso iam tum abierat Lutherus: qui quanto diutius vixit, tāto plus à se ipso defecit, euidentis signo vecordiæ, vbi tanta erat indies mutatio mentis.

DE CONVENTU PROTESTANtium Smalcaldiæ habito, & fœdere ibi percusso: & Concilio à Clemente VII. indicto.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

I. *Finitis Augustanis comitijs, Protestantes Smalcaldiæ conuentus agunt.*
II. *Imperator Carolus fratrem Ferdinandum in Romanorum Regem eligi curat.*
III. *Clemens Papa legatos ad Protestantes mittit.*
IV. *Paulus Papa Concilium indicit & promulgat.*
V. *Inter Imperatorem & Galliæ Regem pacem facit.*
VI. *Lutheri scurrilitas.*

I. QVVM hoc modo Augustana Comitia sine vllo fructu, quam quod vna pars alterius voluntatem explorasset, dolente admodum Cæsare, Luthero econtra, vt qui nihil æque quam schismatis à se facti extinctionem metueret, exsultante ac triumphante, exitum habuissent, Cæsar alium Conventum pro Romanorum Rege eligendo indixit Electoribus Coloniam in 29. Decembris. At *Protestantes alium conuentum Smalcaldiæ indixerunt* ad 22. Decemb. eod. An. 1530 vt sese ex mente Lutheri contra Cæsarem & Ecclesiam armarent, ac forte de Electione futura deliberarent (a) Sed antequam quid ibi actum sit, explicemus, audiamus quod Lutheri de comitijs illis fuerit iudicium. *O infamem,* inquit, *conuentum! An vnquam vllus infelicior fuit celebratus? An infelicior posthac celebrari possit? An non Germaniam totam erubescere par est? Quid Turca dicet, si audierit nostrum Imperium hoc modo administrari? Quid Tartari, quid Moscouita dicent? Quis porro nos metuat, aut nostri rationem habendam putet, si intelligat Germanos tamquam stultos, infantes & truncos ita à Papa circumduci & tractari? Satis ego iam vixi, iam Dominum meum Iesum Christum de Papa vlciſci incipio. Quod si in Papali hoc bello interfectus fuero, longam Episcoporum, Sacerdotum & Monachorum turbam post me traham, vt sic cum processione quadam ad sepulchrum ferar. Et ipsi quidem cum omnibus diabolis in abyssum inferni descendent, ego vero, in brachia Saluatoris mei me abdam.* Quis hic tibi Pericles? Annon tonare & fulgurare; non Germaniam tantum, sed & totum terrarum orbem permiscere verbis suis videtur? Sed ad rem.

Principes igitur Protestantes, quos diximus, non Reformationis, sed à Luthero prædicatæ Euangelicæ libertatis cupidi, Smalcaldiæ conuentum indixerunt. (vbi iam antea non ipsi modo, sed theologi etiam, Lutherus, Melanchthon, Bucerus, Osiander, & alij non semel conuenerant) non vt de religione concilianda, aut pace stabilienda, sed de libello gerendo clanculum deliberaretur. Lutherus vt & ipse aliquid conferret, *librū tum edidit, in quo omnes hortatur, ne sub Cæsaris, si forte is bellum religioni faciat, signis militent, addita æterni exitij, si id fecerint, comminatione.* Neque hoc solum contenti fuerunt protestantes, sed videntes Cæsarem in suo Coloniam indicto conuentu Electorali progressum, Saxone solo absente & nequicquam per filium suum Ioannem Fridericum, contra Electionem protestante nihilo secius Ferdinandum Caroli V. fratrem Regem Romanorum esse creatum 5. Ianuarij An. 1531. & Aquisgrani inauguratum, sub finem Martij iterum conuentum Smalcaldiæ celebrarunt. & plures vt se illi fœderi iungerent sollicitarunt (b) Ibidem Protestantes formulam quandam religionis conceperunt, quamuis Sleidanus tacitus prætereat. Id quod ex ea Præfatione quam Ioannes Gulielmus Saxoniæ Dux Corpori doctrinæ à Thuringiæ theologis editæ præfixit, vbi sic loquitur: *Protestamur, quod post Prophetarum & Apostolorum scripta amplectimur & in magna veneratione habemus Articulos Smalcaldicos, à Luthero compositos, quos pater noster, felicis memoriæ, Ioannes Fridericus tanti fecit, vt in maximis suis afflictionibus, vix vllo libro quam illo vsus sit. &c.* Ex hoc eodem conuentu literæ ad plerosque Europæ Principes missæ sunt, quibus illi apud alios se purgant, apud alios vero ad tuendam hanc Dei causſam

a *Vlenberg Vitæ Luth. cap. 24. n. 1. ex AA. ibi citatis.*
b *Vlenbergius Vit. Luth. cap. 24. num. 1.*

sam & reformandam Ecclesiam auxilium imploraut. Huic federi igitur Christianus, qui armis Daniæ regnum occupaverat, subscripsit. In idem receptus fuit Dux Wirtembergicus, contra Norimbergensis conventus decretum. Illi quidem, ut regnũ suum stabiliret, nulla expeditior ratio visa est, quam si religionem mutaret: quod & fecit Lutherani Prædicantis seu Ministri manibus coronatus. Huicverò ob ditiones litigiosas res erat: sed mutatio hæc Religionis in Dania integrũ sibi caput postulat. Henricus Angliæ Rex quamvis a Protestantiũ federe diu alienus esset; ad multa tamen Pontificis & Cæsaris odio, posthabitâ, quam Deo debebat obedientiâ, consensit, & res eorum non parum promovit ac tandem federi se iunxit. A federe tamen excluſi sunt Sacramentarij Zuingliani & Helvetij: de quibus Joannes Fridericus ad patrem, qui tum ægrotus decumbebat, relaturum se dicebat. Lutherus postea tam acriter se opposuit, ut aditus eis omnino fuerit præclusus.

II. Cæsar uti dictum est quamvis tum in flore ætatis adhuc esset constitutus, metuẽs ne ex morte sua novæ de successione turbæ nascerentur, de fratre Ferdinando in Romanorum Regem eligendo & Imperij successore designando cogitationẽ susceperat. Aiunt quidam Carolum V. videntem molem Regnorum dissitorum, & quod dum uni præsens rebellionem componit, alteri occasio detur insurgendi, & pacem pessundandi, in eam mentem devenisse; quidam vero aliter interpretantur, in hoc magis illud spectasse quomodo Imperij successionem in suæ familiæ linea continuaret & velut hæreditariam redderet, quam quomodo religionem restauraret, eoque postea in Concilio Tridentino Bullam auream corrigere, & in præiudicium Maximiliani II. Philippum filium in regem Romanorum eligi voluisse: ut videre est ex epistola quadam Jacobi Amioti ad Morvillerium Gallorum Regis Consiliarium. Sed hoc posterius quantam fidem mereatur non satis apparet. Veruntamen Protestantes ægre tulisse electionem illam perspicue per Saxonẽ protestando declaratũt. Non multo post Cæsar, componendi dissidij religionis caussa, conventum indicit Spiræ. Eo Saxo evocatus, ita se excusavit, ut diceret *non modo ad professiones inhabilem se esse, verum etiam ubicumque fit futurus, non se posse verbi divini doctrina & prædicatione carere; & rem omnino postulare, ut Lutherum eò secum adducat, &c.* His tergiversationibus effectum est, ut conventus ille Ratisbonam, fuerit remissus ad sequentis Anni 1532 initium. Interea mense Junio Anni 1513. Protestantes Francofurti conventum indixerunt, absente licet Saxone & ægro, eam occasionem nactus Albertus Moguntinus ac Ludouicus Palatinus Cæsaris nomine, quem urgebat fama Turcicæ irruptionis, pacis actionem Protestantibus obtulere, ad 20. Augusti diem, sed ea actio in sequentem annum est protracta, donec tandem post conventus Ratisbonæ à Cæsarianis & Schweinitij à Protestantibus habitos, tertia Junij Protestantes Norimbergæ convenientes, & de pace ob Turcas componenda Conventi, non nisi consulto Luthero tandem 23. Julij Anni 1532. pacem civilem Religionis usque ad Generale Concilium sanxere, cum Cæsarianis, quam secunda Augusti Cæsar ratam habuit. (c) Interea rumorẽ de ingenti bellico apparatu (quo Solimannus de Lutheri conatibus certior factus, & Christianorũ dissidijs fretus, immo, ut nonnulli aiunt, ab ipsis Protestantibus sollicitatus, Hungariam invadere parabat, ob quem Imperator, tantam Christianæ reipublicæ tempestatem imminere, & à Protestãtibus nulla alia ratione auxilia impetrari posse videns, pacem publicam totius Germaniæ *nec cuiquã ulla religionis causſa, molestia aut vis fiat, donec per Conciliũ, cuius tum magna erat exspectatio, certi aliquid esset decretum* sanciverat, non vanum fuisse docuit eventus irrumpentibus in Austriam Turcis. Itaque Imperator tandem Protestantium metu liberatus, in Austriam proficiscitur, & positis ad Viennam, quam Solimannus obsederat, castris, effusam Turcarum populationem non solum coercet, sed & ditionibus Christianis, cæsis multis millibus fugavit, quibus domum reversis, Imperator quoque exercitum dimittit, non multo post in Italiam profectus, ut cum Pontifice, de sanandis tam Religionis quam Reipublicæ vulneribus, consilia conferret. vix pacem illam civilem Religionis Cæsar coactus extremis Reipublicæ periculis secunda Augusti die confirmaverat, cum Joannes Saxoniæ Elector, illius Friderici (qui Lutherum primus contra Ecclesiam fovit) frater authorque Protestantium ad extrema vocatus, durissimo agone (d) 16. Augusti est ad Dei Tribunal evocatus, cui filius eius Joannes-Fridericus tam in ditionibus, quam Protestantium directione successit.

Ii III. Cle-

c *Vlenberg Vit. Luth. cap. 24. n. 1. Bzovius in Annalibus &c.* d *Vlenberg. Vit. Luth. c. 24. n. 4. ex Authoribus Lutheranis & Surio.*

III. Clemens VII. in celsissima illa totius Christianæ Reipublicæ specula sedens, ubi tam atras seditionis nubes, plenas grandine & fulgure Germaniæ, imminentes, magis indies magisque se expandere, & iam iam in miseram Germaniam fœdā effusuras procellam vidit; tum etiam ab Jmperatore corā de statu Germaniæ, ex 23. Dec. Bononiæ congressu, edoctus: ad Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem, qui patri nuper successerat, & inter Protestantes primas tenebat, legatum misit Hugonem Rangonum Regiensem Episcopum qui certam Concilij, ut in eo controversiæ religionis disceptentur ac decidantur, spem faceret; loco ad id Bononiæ, Placentiæ aut Mantuæ designato. Sed hunc Pontificis conatum primo Protestantium tergiversatio impedivit, qui Anno eodem ad 24. Junij Smalcaldiæ conventum habuere, in causa responsi dandi Legato Pontificio; deinde post Annum VII. Kalend. Octob. secuta mors ipsius Clementis, interpellavit. Qui ei successit Paullus III. ad eandem rem Mantuam urbem Jmperialem delegit, non solum fide publica, sed etiam obsidibus oblatis: demonstrans simul urbem hanc ut vicinam Germaniæ, commodissimam esse; quum reliquis nationibus in Germaniam, tot sectis pullulantem & seditionibus æstuantem, parum tutum sit proficisci.

At Lutherani, qui leges dare non accipere volebant; primo dictitabant in Germania cogendum esse Concilium; secundo eidem præsidendi, aut supremam de Concilij decretis iudicandi, potestatem non solum non penes Pontificem Rom. esse, sed nec penes quenquam esse debere, sed liberum. Quam illi doctrinam ab Apostolo suo Luthero hauserant. Quamvis enim is non ignoraret, nullum unquam inter Christianos fuisse celebratum, cui non Romanus Pontifex vel ipse vel per Legatos præsederit: & ad confirmanda Conciliorum decreta eiusdem auctoritatem semper fuisse requisitam: tamen homo qui nihil nisi turbas moliretur, facile videbat hac una ratione summā confusionem in Ecclesiam invectum iri. *Numquid enim primum illud Nicenum Concilium à Sylvestro Papa confirmatum fuit, cui eiusdem nomine Osius præsederat? Constantinopolitanum à Damaso? Ephesinum à Cœlestino, cuius nomine præsens fuerat Cyrillus? Chalcedonense à Leone? cuius Legati, testante Evagrio, eius fuerant præsides. Duo Constantinopolitana à Vigilio & Leone? Nicenum ab Adriano? tertium Constantinopolitanum ab Adriano II.? Numquid primi Lateranensis Concilij Calistus Papa fuit præses? Innocentius III. secundi? Lugdunensis Innocentius IV. Clemens V. Viennensis? Florentini Eugenius Quartus? Leo Lateranensis quarti? Et hac quidem septēdecim illa sunt Oecumenica seu generalia Concilia, quorū tam indicendorū quā confirmandorū auctoritatē ac prærogativam totus Christianus orbis Romanis Pōtificibus semper detulit, quam homines isti postremissimi eisdem eripere conantur. Prō pudor!* Sed ut Deus nihilominus in ipsis, quas assumpserant tenebris, lumen aspergeret Protestantibus, fructus uberrimos, Falsorum Prophetarum indices, ijsdem in oculos, & ora ingessit. Siquidem mense Majo hoc ipso tempore, quo Legatus Apostolicus in Saxoniam veniebat, acturus de Concilio cum Saxone, Michael Stifelius Apostata Monachus, Lutheri Apostolus Tragi-Comædiam illā de die Judicij in seq. festo S. Lucæ adfuturo exorsus est in publico prope Wittebergam mundi Theatro, quam libro secundo capite 16. numero 6 descriptam exhibui & eodem prorsus Anno in lucem dedit, Lutherus librum suum de Missa angulari, in quo, Deo haud dubie ad salutem miserē seductorum impellente, apostatarum princeps Lutherus ipse sua manu mundo confessus est, suam doctrinam à Diabolo ipso esse acceptam, seque in eius sententiam concessisse (e) sed & ipse Lutherus eadē æstate huius anni frequenter nocturnis terriculamētis infestatus & horrendis somnijs inquietatus describitur in Colloquijs suis mensalibus, Tomo primo Latin. pag. 48. 49. 50. maxime Judicij extremi terroribus, quibus fanatico Stifelio videtur ianua fuisse aperta ad eam quam retuli impostu-ram (f) Sed & alia eodem tempore portenta terribilia evenēre quæ Lutherana dogmata Germanis non solum suspecta sed & damnabilia declarabant, inter quæ est illud quod Anno 1543. pridie Natalis Domini Stasfurti in Saxonia Donerum Prædicantem Lutheranum dæmon specie confessuri hominis aggressus est, & per eum universam Christi Religionem evertere est conatus; & Anabaptistæ Monasterij cunctis sæculis infanda, ex Lutheri principijs aggressi sunt. (g)

VI Si Sleidani cornicationi & nugis fidem quis habeat, Paullū III Pontificē nihil magis quā Conciliū metuisse: dicet: qui tamē in tāta occupationū qui-

e *Vide Vlenberg. Vit. Luth. cap. 25. num. 3. Serarium de Lutheri magistro &c.* f *Vlenberg. ibidem num. 2.* g *Bzovius, Mesbovius & alij.*

quibus obrutus erat, mole, eius cogendi præcipuam curam habebat. Siquidem ea causa statim ac pontifex erat creatus 16 Jan. An. 1535. Romæ Comitia habuit, misitque legatos ad Reges & Principes ob locum, de quo summa lis erat. Omnes certe qui vitam eius descripserunt, fatentur quamuis senio multisque laboribus fractum, eò omni studio incubuisse, vt ad extirpandas quæ ipso Pontifice incredibili copia & fecunditate exstiterant hæreses, & Christianæ Reipublicæ res ordinandas, sanctum & legitimum Concilium celebraretur. Neque vnquam sui præcipue temporis infelicitatem deplorare cessabat. Quum ergo quod Mantuæ indixerat Concilium multas ob causas fuisset impeditum, Vicentiam, Venetorum ditionis oppidum, ad id delegit, missis eò Legatis suis, vt ipsius exemplo ceteri Principes suos quoque eò mitterent: verum nonnullorum cunctatio effecit vt lentè omnia procederent, vt hic quoque conatus frustra fuerit. Quia vero animaduertebat hæresis contagionem (quæ tum Galliæ regnum quoq; inuaserat, ac pæne afflixerat, vt VII. libro ostendam) mirabili celeritate indies longius latiusque proserpere; per Legatos Protestanteis admonere atque vrgere non cessabat: quos illi incredibili contemptu & fastu, tanquam soli essent rerum domini, non modò reiecerunt, verum etiam ludibrio habuerunt.

V. Nihilominus tamen vt tam sanctum opus facilius procederet, idem venerabilis & ætate fractus senex Niceam profectus, inter Cæsarem & Galliæ regem pacem confecit: eosdem multis precibus atque etiam lacrymis obtestatus, vt Vicentiam ipsi venirent ad Concilium, quo sic tandem Ecclesiæ pax redderetur. Ac licet vterque ab hoc non alienus esset, obstabat tamen vtriusque regni, quæ nondum à bello respirauerant, negotiorum multitudo. Bonus hic Pontifex in Cardinalium consessu nullius rei quam morum in Ecclesiasticis emendationis frequentiorem mentionem facere solebat, & inprimis Curiæ Romanæ, vbi propter omnium nationum concursum, fieri non potest quin morum dissolutio & luxus subingrediantur: è quibus, vt idē dicere solebat, omnes hæreses nasci solent. Ex Cardinalium ergo numero quatuor, & ex Episcopis aliquot delegit, ijsque grauiter mandauit, vt Ecclesiasticorum morbos circumspicerent, & formulam emendationis conciperent. Quod diligenter quidem illi fecerunt: verum exitus monstrauit, ad morbos tam inueteratos, & vniuersalem contagionem, quæ non Ecclesiasticos tantum, verum etiam omnes ordines inuaserat, diuersis ac ingentibus opus esse remedijs; neque vnius diei aut anni hoc esse negotium, aut eiusmodi, quod simul & semel ad pristinam illam puritatem atque integritatem reduci possit. Puritatem dico morum, non doctrinæ. Fallunt enim aut falluntur, qui doctrinæ emendationem Pontifici propositam fuisse aiunt, quum hæc, iuxta infallibile Dei promissum, pura & integra semper in Ecclesia conseruata sit, neqi à bonis aut vitiosis hominum moribus dependeat.

VI. At Lutherus pro ea qua omnibus in rebus perpetuo vsus est, scurrilitate tam sanctum Pontificis desiderium non modo irrisit, sed contra hanc emendationem librum quoque publicauit, cui præfixa est *pictura; in qua Pontificem in sublimi solio sedentem circumsistunt aliquot Cardinales, qui caudis vulpinis ad longurios alligatis, veluti scopis, omnia sursum deorsum repurgant.* O hominem ab ipsa natura, vt ita dicam, ad scurrilitatem factum! Itane nihil omnino fuit, quod hic velut alter Lucianus non roderet aut subsannaret? Sed & tunc & etiamnum Deus, derisoribus parauit iudicia. Erga Pontificis Legatum Saxoniæ Dux modeste & reuerenter se gessit, & ad ipsum quoque Pontificem humiliter scripsit. At Landgrauius, Lutheri deliciæ, nullam omnino eius habuit rationem, vt qui nulli alij quam ea quæ Smalcaldiæ constituta fuerat, auctoritati deferret: & quodam die quum Legatus, vt in mandatis habebat, Landgrauij colloquium experiuisset, ille tanquam Sacramentariorum genio propinquior, *sibi non vacare*, dixit; & eodem fere momento Lutherum inuisit, grauiter ex calculo decumbentem. Quod quidem Legatus è suo diuersorio videre poterat. Nihil tamen tot tantisque impedimentis & repulsis absterritus Pontifex, in proposito suo conuocandi Concilij perseuerabat, sperans sua tandem Christiana patientia infidelium istorum duritiem superatum iri.

Cum igitur Optimum Pontificem humana quidem media destituerent affligerentque, Deus ei grande solatium & manum ad sancta proposita sua implenda præparauit. Siquidem ante quam ex vivis excederet, vidit, & laudauit adiutorem *Digitum Dei* (*i*) quo Ecclesia in cunctas dæmonis machinas per Lutherū erectas erat pugnatura & vero triumphatura.

i *Historiæ Soc. Iesu Tomus* 1. *Vitæ S. Ignatij Scriptores.*

Enimvero sub ipso *Societas Iesu*, eo tempore quo ipse iniquissime à Protestantibus contemnitur, & Turca insurgit & morum reformatio in Ecclesia difficillima ei redditur, Parisijs coalita, ad eius pedes supplex humilisque, suis exercitibus & gratis & sponte per orbem Sedi Apostolicæ & ipsi Servitura advenit, & Tribus religionis Votis per Lutherum, quantum is potuit, destructis, quartum obedientiæ Specialis erga Papam Romanum, quo ad missiones inter infideles, adiecit. Quam eandem Societatem multo examine præmisso, consilioque adhibito tandem primus ipse 27. Septembris Anni 1540 laudavit & diplomate sacro in Ecclesia Catholica, ut sanctum institutum approbavit, in cuius ille manibus, calamis, ore ingenio & factis vivens etiamnum Hæreticos cunctos oppugnat, & oppugnare, dum vicerit, non cessabit.

DE DIVERSIS OB TOLLENDUM schisma celebratis Conventibus: & quis eorum fuerit exitus.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

I. *Colloquium inter Catholicos & Protestantes Hagenoæ, abruptum ob morbum Melanchthonis & alias tergiversationes.*

II. *VVormatiæ rursus cœptum, iterum sine fructu, ob morbum Eccij: item Ratisbonæ Catholicum.*

III. *Hungari Germanorum opem contra Turcas implorant.*

IV. *Dux Saxoniæ & Hassi, Landgravius Henricum Ducem Brunsuicensem Catholicum bello persequuntur. Archiepiscopus Colonienſis ad novationem spectat.*

V. *Comitia Spiræ habita Lutherus personam Pontificis sumit, & Episcopos consecrat.*

VI. *Novus conventus Ratisbonæ habitus iterum sine fructu: multaq; prodigia in cœlo visa.*

1. IN tanta rerum omnium perturbatione, ac tot molestissimorum negociorum undis, Carolus Cæsar pacis studio nihil antiquius habuit. Turca enim magnis viribus imminente, perfacile videbat frustra se in finium defensionem incubiturum, nisi pacem antea domi constituisset. Equidem Remedium quod Religioni à Concilio Generali pie à Papa apparabatur legationibus & alijs difficultatibus intercurrētibus plurimum retardaretur, & Protestantes omni modo ne successum sortiretur optabant & aperte impediebant. adeo vt Lutherus moras videns A. 1539. exultans librum de Concilijs emitteret, in quo Conciliorum vim astute subneruauit (a) Quocirca assentiente Pontifice, Lutheranis Colloquij de religione potestatem fecit, & priorum Edictorum exsequutionem in quinque proximos menses suspendi iussit. Primus igitur conventus An. 1539. mense Ianuario celebratus est, in quo ex Cæsaris literis 25. Nou. Toleto datis XV. mensium induciæ ad colloquendum de religione promulgatæ sunt, vt Theologi Catholici ac Protestantes Augusto mense adesse iussi sunt ad Collationem placidam. Id tamen negotij in sequentem annum 1540 dilatum fuit, quo eius rei causa indictus erat Hagenoam conuentus, ad quem rex Ferdinandus, vt & ex Episcopis multi venerunt. Aderant etiam è Protestantibus nempe Theologi ipsorum magno numero, Bucerus, Brentius, Osiander, & alij, Lutherus ipse non venit; in hoc, si dijs placet, Pontifices Romanos, Saxoniæ Pontifex imitatus, qui vt tanto liberius omnes sententiam dicerent & suffragia ferrent Concilijs præsentes interesse aliquando noluerunt. Interim dum ceteri litem ipsius persequuntur, & alij turbis ab eo excitatis remedia quærunt, pinguis hic monachus cum monacha sua Witebergæ deliciabatur. In hoc conuentu tria præcipua ad deliberandum proposita fuerunt, nimirum dogmata, Concilij celebratio, & bonorum Ecclesiasticorum restitutio.

Posterius hoc, illud ipsum erat quod Protestantibus ægerrimè faciebat, vt quibus nihil grauius posset accidere, quam si ea quæ tanta auiditate inglutierant, reuomere quasi & reddere cogerentur. Quare Lutheri sequentes consilium suis Theologis modum agendi talem præscripserant, vt vel collationem refugere, vel concordiæ nullo desiderio teneri perspicuè appareret. nam cum Catholici Augustanam Actionem resumere vellent, & ijs quæ ibi conciliata fuissent, omissis ad cætera nondum conciliata dogmata transire, Protestantes ibi facta infecta reddidere, eo quod nunc accessione plurimum ad fœdus Smalcaldicum

a *Vide Vlenberg. Vit. Luth. cap. 36 n. 2. & 6. ex AA. ibi citatis.*

eum animosiores essent effecti, & quædam dogmata Augustanæ Confessionis iam tum immutassent. (b) prius aiunt doctrinæ seu dogmatum controuersiam esse definiendam, quam de bonorum particularium restitutione ageretur. Ferdinandus econtra instabat vt saltim ad definitionē vsque litis bona ea sequestrarentur. Sed neque hoc illi permittere volebant. Sic ergo & hic conatus, quo in tantis tenebris lux aliqua quæsita, tamque lenia a Catholicis proposita fuerant remedia, ne pax Norimbergæ iuramento vtrimque sancita violaretur, in fumum abijt. Cuius tamen rei inter alias etiā hæc fuit prætensa caussa quod Melanchthon grauj valetudine detentus, in itinere substiterat quasi pars vtraque hominis huius opera & præsentia egeret ad colloquij bonum exitum inueniendum. Sed & rem multum impediuit Saxonis & Landgrauij absentia, qui extra omnem modum Lutheri caussæ fauebant. Ferdinandus Rex videns tergiversationes & protestantes ab Actis Augustanis resilire, ideoque nihil modo effici posse, in alium Conuentum rem eandem reiecit. Itaque ad 28 Octob. (c) proximo conuentui locus designatus fuit VVormatia, quo (veluti pro beneficio) Pontifex quoque Legatos suos, si vellet, mittere posset; cuius tamen primatum nequaquam agnoscerent.

II. Ad constitutum diem VVormatiæ Cæsaris Legatus Cardinalis Granuellanus adfuit. Venit quoque eò à Pontifice missus Cardinalis Campegius, Episcopus Feltrienfis. E Protestantium theologis præcipui adfuerunt Melanchthon, Bucerus, Brentius, Osiander, quibus se admiscuit Ioannes Caluinus, qui tum maxime Lutheri exemplo, & ipse magnum aliquod facinus animo volvebat, &, vt ille Germaniam, ita hic Galliam permiscere cogitabat. Quis vero & qualis fuerit ille Caluinus, Lutheri simia, septimo libro à nobis describetur, vna cum compendio vitæ ipsius. Dum præliminaria collationis illic discutiuntur annus ille exijt & primum An. 1541. Ianuario collatio de dogmatibus est cæpta. (d) In hoc Colloquio Eccius & Melanchthon, vterque sane non ignobilis athleta, inter se commissi, disputandi partes sustinuerunt. De peccato originali primam disceptationem placuit constitui, de quo cum tertium congrediuntur 15. Ianuarij litteræ Cæsaris superuenerunt, quibus omnis actio suspendi, & in proximum conuentum Ratisbonensem differri mandatum erat; ad quem & ipse venit mense Martio & Pontifex Legatum Gasparem Contarenum Cardinalem submisit.

Conuentus hic inter paucos illustris fuit, quum Principum tum theologorum, quos præstantissimos pars vtraque adduxerat, frequentiâ, vt de controuersis fidei articulis disceptarent (e) vbi vtrisque collocutoribus exhibitus fuit liber per Granuellanum, Cæsari nuper exhibitus, qui putabatur Concordiæ semitam aperire, vt eum pariter euoluerent atque expenderent: in quo mensis est consumptus & de communi consensu solum quædam 4 capita recepta per colloquium fuerunt, de quibusdam vero, & quidem præcipuis capitibus eius libri conuenirinon potuit. Eccius vero in Febrim incidit, vt disputationi interesse non posset; nihilominus tamen sententiam suam scripto exhibuit. His actis confestim ad Lutherum Protestantes miserunt suo more Acta vt ea probaret aut reprobaret, veluti nouus Papa, qui de Cathedra VVittebergica fundata super se ipso pronuntiauit voce & scripto, ad 12. Iunij. *Fieri non posse, vt ipsi in eandem sententiam coalescant; nec Cæsarem id posse efficere, qui etsi bono animo in hac re versaretur, Pontificios tamen subdolo animi agere, nec rem eis cordi esse.* Quin etiam confestim suasit Saxoniæ Electori, vt statim collocutores suos reuocaret, (e) Augustanam Confessionem vna cum Apologia pro collocutoribus submitteret, eique insistendum decerneret. (f) Cæsar cum animaduertisset ad summam conciliationis parum hoc modo profici, quod neutra pars vellet cedere & Protestantes tergiversarentur; de Pontificij Legati & Principum consilio rem omnem ad futurum Concilium reiecit, seipsum in Italiam profecturum, de eius conuocandi modis cum Pontifice consilia communicaturum pollicitus (g) At Protestantes omnino vt id in Germania haberetur postulabant; dicentes, ad singulas prouincias pertinere instituere verum Dei cultum atq; religionem, nec rem tanti momenti ad Generale vsque Concilium differendam esse: quod aliarum Nationum parum interfit quomodo Germani negotia sua conficiant. Numquam vlla ex re Lutherus maiorem voluptatem cepisse dicitur, quam quod conuentū hunc rebus infectis videret solutū, cu-

b *Vlenberg Vit. Luth cap* 30. *num.* 6 c *Vlenb. Vit. Luth. cap* 30 *n.* 6. d *Vlenb. Vit. Luth cap.* 30. *n.* 6. e *Sleidanus lib.* 14. *&* 15 *Vlenb loc. cit.* f *Vlenberg Vit. Luth. cap.* 30. *n.* 6. g *Vlenb. loc. cit.*

ius exitum summopere reformidabat. Aiunt Sacramentarij, illud volentes ostendere nec Lutherum a sua sententia fuisse alienum, eum ter ac quater exclamasse: *Age, age, mi pie & fortis Philippe! tibi hæc gloria debetur quod Papistu Sacramentum hoc eripuisti, quod ego convellere numquam ausus fui.*

Mortuus est hoc tempore Episcopus Naumburgensis Philippus, itaque Lutherani Episcopatum illum subito ad se raptum tradidere Amsdorffio Electore Saxone consentiente, contra Electum Catholicum Iul. Pflugium cui Mauritius Dux iure fauebat. Hinc lis inter vtrosque Duces Lutheranos & bellum in Parasceue 31. Martij, & Paschate ortū est quod tamen Hassiæ Landgrauius composuit qui & præmiū pacis huius à Luthero retulit tale. Landgrauius, Tigurinos & alios Smalcaldico fœderi coniungere, eorumque Confessionem cum Vvitebergensi conciliare percupiens, Lutherum vehementer rogauit, vt in celebratione cœnæ Dominicæ, quum verborum Sacramentalium pronunciationem, tum hostiæ eleuationem omittere vellet. (Hactenus enim Lutherani quoque dum hostia eleuatur, signo dato in genua se prosternere, & pectus percutere itidem vti Catholici, solebant.) Eoque hominem adegit, vt ne posthac id fieret, edixerit. (*i*) Vnde passim fama increbuit, Lutherum Sacramentariorum partibus accessisse: quatamen ille nihil motus, intercedente Landgrauio, calamum quem acerbè sæpius contra eosdem strinxerat, aliquamdiu suspendit, donec à medico quodam Stephano Vvildo, qui apud ipsum diuersabatur, inter largiora pocula libere admodum reprehensus, quod abolita hostiæ eleuatione, pleriſque suspicionem iniecisset quasi in eo cum Sacramentarijs sentiret, & nec ipse veram Corporis Christi præsentiam crederet, iurauit se calumniam istam propediem satis superque refutaturum, & Sacramentarios dignis modis accepturum, (*k*) Melanchthone interim vehementer sollicito, & Lutheri impetum quantum poterat, retardante. Ex eo tempore Lutherus atrocissimum cum Sacramentarijs bellum gerere, scriptisque virulentissimis iterum insectari eos numquam cessauit. Cui bello occasionem dederunt biblia Tigurina nouiter excusa ad eum transmissa (*l*).

III. Dum ita varijs disputationibus, contestationibus & protestationibus Anno 1541. conuentus hic extrahitur, Legati ex Hungaria veniunt, rebus pene perditis auxilia petentes. Turca enim religionis inter Germanos dissidio vsus, interea dum illi Ratisbonæ pro Lutheri delirijs tamquam pro aris & focis pugnant, & Pestum & Budam regni metropolim, vnà cum alijs quibusdam locis, suæ ditionis fecit, ac valido præsidio munuit, Ferdinandi exercitu cedere coacto, vt sequenti libro dicam. Ferdinando vero ordinum suorum conuentus Pragæ, Bohemorum vrbe præcipua, agenti, proceres quidam Austriæ & vicinarum regionum, supplicem libellum tradiderunt, quo Lutheranismi, variarum linguarum scriptis iam vndique propagati, exercitium permitti sibi postulabant: vt sic scilicet prisca abolita aut mutata saltim Ecclesia, è Catholica, Lutherana & Hussitica, nouam quandam ædificarent. Sed eos Ferdinandus ad proxime futurum Concilium reiecit, rogans vt interim nihil noui tentarent. Ecce quomodo Lutheri causſa populis istis arma contra Turcas ex manibus quasi excusserit, & miserrimis calamitatibus aditum aperuerit. Soluto conuentu Ratisbonensi, Imperator in Italiam profectus, cum Pontifice de Concilio habendo transegit. Inde relicto apud Pontificem Cardinali Granuellano, cuius opera in omnibus maximi momenti negocijs, ob hominis prudentiam & singularem industriam, vti solebat, qui cum ipso & de forma Concilij, & de auxilijs contra Turcam consilia communicaret; cum classe, ad distrahendas Turcarum vires, in Africam traiecit: sed nulla re memorabili perfecta, tempestate magis, quam hostium afflictus viribus, non multo post in Hispaniam reuersus est. Post hæc alium conuentum Spiram indixit, ad quem misso Legato Pontifex, & magna contra Turcam auxilia, & vt Concilium in Germania habeatur, curaturum se promisit; designatis ad id ciuitatibus Mantua, Ferraria, Bononia, aut Placentia: quarum quum nulla Protestantibus satis placeret, Tridentum XI. Kal. Iun. Anno Pontif. sui VIII. Anno 1542. nominauit, ad Germaniæ fines oppidum, & recipiendis vndique eò conuenientibus Episcopis & Legatis opportunum (*m*). Quemadmodum vero ij qui male conscij sibi sunt, ipsum quoque iudicij locum formidant, vt in quo paratam sceleribus suis crucem quasi videant: sic Reformatores isti non minus Tridentum quam Mantuam venire recusarunt. Quem vero in finem Concilium

h *Vlenb. Vit. Luth. cap. 31. num. 3. & 4.* i *Vlenberg. loc citat.* k *Schlusselb. l. 2. fol. 109. Theol Caluin.* l *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 32. num. 1.* m *Bzovius in Annal. &c*

cilium illi flagitarint, Lutherus in eo libello quem contra Henricum Ducem Brunsuicensem, Catholicæ religionis tenacissimum Principem, hoc tempore scripsit, non dissimulat, inquiens: *Concilium à se postulari, non vt doctrina sua reformetur, sed vt publice audiatur, & aboleatur Papatus.*

IV. Non multo post nimirum Anni 1543. æstate inimicitiarum inter Catholicos & Protestantes, quæ sub cineribus hactenus quodammodo latuerant, scintillæ in apertum incendium eruperunt. Ac primum Saxoniæ Dux & Landgrauius Henricum Ducem Brunsuicensem omni ipsius ditione expulerunt. (*n*) Circa idem fere tempus Hermannus Archiepiscopus & Elector Colonienſis, cuius est inter Germanos Principes magna potentia & auctoritas. Ecclesiæ rebellare conatus fuit, vocatis ad se Bucero & alijs Lutheranis theologis, & docendi muneri admotis (*o*). His Archiepiscopi conatibus ciuitas Colonienſis &c. Ecclesiastici fortiter sese opposuerunt; quumque admonitionibus nihil proficerent, contra Archiepiscopi temeritatem & furorem Pontificis ac Cæsaris opem implorant. Ab vtroque citatus Hermannus, quum aliquantulum fluctuaret, à Protestantibus vt in instituto persisteret, inductus fuit, promissis contra eos, qui ipsum oppugnaturi essent, auxilijs. Fuit vero Archiepiscopus hic homo admodum rudis, adeoque omnis fere doctrinæ imperitus: vti è Cæsaris, ad Landgrauium pro ipso intercedentem, responsione patet. Mutationis huius præcipua causa Bucerus fuisse creditur, cui vni ille plus fere quam toti Ecclesiæ tribuebat. Quasi vero vnius hominis doctrina aut scientia vniuersalis Ecclesiæ (quæ thronus est cui Spiritus S. insidet, tribunal in quo sententiam fert, & suggestus è quo docet) consensui præferri debeat. Digna est Christiano Principe Imperatoris Marciani vox, sub finem Concilij Chalcedonensis dicentis: *Impium esse qui post latam ab Ecclesia & tanto Episcoporum numero sententiam, singularem aliquam opinionem animo retineat.*

Sleidanus culpam quamuis verecunde in Gropperum reijcit, qui Archiepiscopo, apud quem, ob eximiam eruditionem, qua Cardinalitiam purpuram postea adeptus est, in magna erat auctoritate, Bucerum commendarat (*p*). Sed Gropperus in publicum ædito scripto calumniam hanc à se amolitus est: in quo fatetur, se cum Bucero quidem aliquando tamquam cum viro litterato, egisse: & ab eo missam sibi Confessionem à Catholica religione nihil aut parum discrepantem; vt ita in Archiepiscopi gratiam se se insinuaret. Narrat Rouerus, Gropperum à Bucero aliquando rogatum vt mutationi quam tum instituebat, assentiretur, ex zelo vere Christiano respondisse, *Malle se, si fieri posset, mille subire mortes quam tam iustam causſam prodere.* Hinc Beza (*q*) *Hermannum ab vno familiarium non aliter, quam Christum à Iuda proditum* exclamat: addens, *ipsum proditorem dignam factis suis mercedem accepisse. Cardinalitij galeri fune strangulatum.* Nec prosa tantum, sed Gallicis rythmis idem argumentum lusit Beza, quos sic vtcumque Latinos reddidimus.

At parte ex alia Gropperus imagine falsa
Decepto insultat domino: dum perfidus auctor
Consilij, in medio subsistit, fune ligatus
Pupurei pilei, qui infelicis intercluſit
Vocis iter. Nec sic tamen ardua cœpta relinquens,
Hermannus, solo perstabat numine fretus,
Diuini exemplum memorabile valde fauoris:
Diuina vt fuerat Gropperus perfidus ira.

Ex quibus verbis fatuus quidam persuadere mihi voluit, Gropperum sibi ipsi violentas manus attulisse: quum Beza id tantum dicere velit, Groppero Cardinalitiæ dignitatis, in cuius spem erectus fuerat, cupiditatem obstitisse quo minus pro Lutherana religione sententiam libere dixerit. Vir hic doctissimus, honorum & vitæ satur, Deo animam reddidit Anno M D LIX. ad pedes Adriani VI. Pontificis Romæ sepultus: inter alia ab historicis superioris temporis lumen & ornamentum Colonienſis Ecclesiæ appellatus. Bucerum quidem Archiepiscopus initio ad se vocauerat, non vt in religione ab ipso aliquid disceret, sed vt paullatim eum ad suas partes traduceret: interim parum cõsiderans, quemadmodum, si quis natare imperitus alteri à fluctibus abrepto succurrere velit, plerumque fit, vt ambo submergantur; sic periculum esse ne ab eo quem ad Ecclesiam retrahere cupiebat, ab eodem abstrahatur. Metiri atque expendere suas vires debebat Hermannus, vt qui sciret, non ob eruditionem, sed familiæ splendorem, ad summam hanc dignitatem se peruenisse.

n *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 31 num. 1.* o *Meshouius de Depositione Herman. Colon. Agrippinæ.* p *Sleid. mendacia Vide apud Rouerum lib. 3. Rer. memorab.* q *In iconibus.*

niſſe. Triennium fere tenuit hæc controuerſia; poſt quod Hermanno abdicato, Adolphus Comes Schauemburgius, quem ille ſuperioribus annis coadiutorem ſibi delegerat, fuit ſuffectus; cuius mandatu ſtatim per totam regionem quicquid Bucerus inſtituerat fuit abolitum, & qui antea eiecti fuerant, in dignitates & officia ſua reſtituti. Hoc modo hæreſis è Colonienſi Archiepiſcopatu, vbi iam aliquo modo ſedem ſibi fixerat, rurſus exterminata eſt; miſer vero Hermannus in exiguum VVedenſis Comitatus oppidulum migrare, & errorem ibi ſuum deplorare coactus, Anno M D LII. extremum diem concluſit.

V. Non multo poſt videlicet Anno 1544. Imperator in pace Germaniæ procuranda omnem mouens lapidem, alium conuentum Spiram indixit, 15. Iunij in ſequentem Decembrem. (r) quò Ferdinandus frater quem ſuo loco præſidere iuſſerat, cum pleriſque Principibus venit. In eo vix quidquam in commune conſultatum fuit, tempore mutuis querelis & accuſationibus tranſacto. Proteſtantes à Catholicis inſimulabantur quod cum Turcis colluderent; Catholici ab illis, quod libertati ipſorum inſidiarentur. Ibi quoque de Henrici Brunſuicenſis cum Saxone & Landgrauio controverſia actum fuit, ſed res omnis ad Cæſaris iudicium reiecta. Verum is moræ impatiens, & recuperandæ ditionis ſuæ cupidus, Galliæ regis inſtructus auxilii is, exercitum conduxit, & ſuam in prouinciam ingreſſus, captis aliquot arcibus & oppidis, tandem ipſe in hoſtium manus incidit. Lutherus accepto eius rei nuncio, non vehementer modo lætatus, ſed & Landgrauium & ſocios hortatus eſt, vt vulpem (ſic ille Principem nominabat, quem cane peius & angue oderat) diligenter aſſeruarent. (s) Quin etiam librum ea de re ſcriptum ad Saxonem & Landgrauium miſit, in quo ex muſca elephantum faciens, victoriam hanc mirifice deprædicat. Inter alia etiam ait, *qui arma non arripiat quando poſſit. Dei beneficio vti nolle, ac ſe ipſum fruſtrari, immo Deum tentare: nec mirum eſſe ſi ipſe poſtea ceruices præbere ictumque excipere cogatur.* Eodem libello multum ſe dolere dicit, *quod pro Duce & filio non Galliæ & Anglia reges captiuos habeant. Equidem hoc ſpectaculo,* inquit, *nihil mihi poſſet accidere iucundius. Interim vero hunc vobis elabi ne patiamini. Id enim nihil aliud ſit quam Deum tentare.* Equidem his ei verbis pœnitentiæ quandam formulam præſcribendam cenſeo, vt dicat: *Mi Deus, tot tantaque ego commiſi flagitia; & tu tam leui pœna me caſtigas: quam ad extremum vſque vitæ meæ libenter perferam, abdicato omni dominio quod habui, quo indignum me, eoque iuſte ſpoliatum fateor. Iuſtus es, Domine, & iuſte quidem, valde tamen leniter me puniuiſti.* Sic Principis illius infelicitati illudebat Lutherus, quem nullam ob rem oderat quam quod ſummo ſtudio & zelo Catholicam religionem propugnaret.

Prophetæ dein perſonam induens, ait? *Si hunc dimiſeritis, Papiſtæ qui pro ſalute ipſius vota faciunt, ſtatim dicent, Deum à ſuis ſtare partibus, vt à quo preces ipſorum ſint exaudita. Sed preces ipſorum & vota non magis nobis timenda ſunt, quam Eliæ Baaliticorum Sacerdotum clamores. Tam preces Papiſtarum quam Deus ipſorum à nobis rideri debent.* Sed quorſum abripior? quam Camerinam moueo? Pudet plura eiuſdem exſecrabilis impudentiæ plena verba hoc loco adſcribere quæ ille in Catholicum hunc Principem euomit: qui tamen hoc à Deo beneficij conſequutus fuit, vt hoſtes ſuos à quibus captus fuerat, poſtea ad Cæſaris pedes proſtratos & ſupplices viderit, vt ſuo loco dicetur. Interea vero Saxo & Landgrauius, prophetæ ſui Conſilium ſequuti, Henricum Ducem omnibus repudiatis, quas pro libertate ſua offerebat conditionibus, vſque ad ſuam ipſorum captiuitatem, captiuum tenuerunt.

Ad conuentum Spirenſem Hungariæ ordines legatos miſerant, qui regni calamitates & pericula exponerent, & matura auxilia poſtularent, quod & illi ſedulo fecerunt, oſtiatim velut circumeuntes, & ſingulos principes viritim prenſantes; interim non ſine Lutheri & Lutheranı ſchiſmatis exſecratione, quod tantas turbas in Germania & tota fere Europa dediſſet. Eis à Catholicis benigne & liberaliter reſponſum fuit, & auxiliorum ſpes facta, vti & à Proteſtantibus, non tamen ſine vſitata ipſis proteſtatione. Religionis diſceptationem Imperator vſque ad proximum Concilium, quod omnes vna voce flagitabant, differre, & interea pacem omnes inter ſe colere iuſſit. At Lutherus eos qui Concilium peterent, aperte irridebat, tamquam inconſiderato abreptos zelo, & quid peterent neſcientes. *Concilia,* aiebat, *Sathanæ eſſe comitia & Antichriſti conuentus.* Librum etiam edidit lingua populari ſcriptum, *cui more ſuo picturam*

r *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 33. n. 1.* ſ *Sleidanus. lib. 16.*

picturam præfixit, in qua Pontifex in sublimi sedet cathedra, circa vero plurimi sunt cacodæmones. Nullum sane vmquam librum publicauit Lutherus, qui non temeritatis atque insaniæ singularis cuiusdam notas præferat; sed inter omnes hic præcipue, quem scripsit de Pontificatu Romano. Id autem vnum spectabat, vt Germanos à Tridentino auerteret Concilio, efficeretque ne eius se submitterent decretis. Quomodo vero ei Tridentinum possit placere Concilium, qui *Niceni decreta tamquam è palea & fœno facta, & nulli rei nisi discordijs serendis vtilia,* impie calumniatur? (t) Quid, quod nec Concilio ab Apostolis celebrato parcit? Cuius decretis obediendum negat. Alioquin enim à leporum, cuniculorum, farciminum, & multorum delicatorum ciborum, quibus, *animalium sanguis,* admisceri solet, esu esse abstinendum (u) Interea dum hoc modo Lutherus cum Concilijs Andabatarum more pugnat, idem summi quasi Pontificis sumta persona, Ecclesiastica beneficia confert, adeoque Episcopos etiam consecrat. Quum enim eo tempore mortem obijsset Episcopus Naumburgensis, in eiusque locum Catholicus Iulius Pflugius à collegio esset cooptatus; Dux Saxoniæ a Lutheri instigatus, Anno 1542 electionem hanc irritam habuit, & reiecto illo, vnũ ex Vitebergicis theologis instituit, à Luthero impositis manibus inauguratum. (x) O monstrosam impudentiam! vt scilicet monachus sacerdos, & quidem apostata, qui nec ipsius sacerdotij ordinem conferre potest, & diabolo suadente sacerdotium omne negauerat, Episcopum ordinare & consecrare ausit! *Impossibile est,* (y) inquit Athanasius, *vt ordinationes ab Seamdo Arriano Episcopo factas Ecclesia Catholica probet.* Quid ille de monacho & quidem apostata, Episcopum consecrare præsumente, dicturus fuisset? Manuum namque impositio ad solius Episcopi officium pertinet, vt ex diuersis Actorum & scriptorum Apostolicorum locis videre est. (z) Sed hanc lectionem Lutherus in Arrij schola didicerat, qui *Sacerdotum & Episcoporum munera confundebant,* vt Epiphanius scribit, (a) qui ait, *Ordinem sacerdotalem per baptismum infantes Ecclesiæ parere; sed Episcopalem, Patres.* At hæc occasione declinati à Protestantibus Concilij & libri de Concilijs contra Concilium à Luthero editi Nunc ad Acta reliqua Protestantium ab Anno 1544. reuertatur oratio. Eodem prædicto Anno mense Iunij Spiræ celebrata sunt Comitia, in quibus auxilia & aduersus Regem Galliarum Turcæ iam confœderatum, ac Sabaudiæ Duci infestum, & aduersus Turcas Cæsar poposcit: Protestantes vero, remedium aduersus dissidia Religionis. Et auxilia quidem adiudicata sunt aduersus hostes, dissidiorum autem Tractatio in sequentem Decembrem vrgente bello Gallico dilata fuit, (b) à Cæsare tum occupato belli vrgentis cura, tum quod Protestantes extorquerent à se disceptationem de religionis negotio, & sine hæc addictâ, operam suam ad bellum conferre recusarent. Atque id fuit ob quod Paulus III. Pontifex Max. datis ad Cæsarem literis hoc anno eundem reprehendit, de nimia in Hæreticos facilitate cedendo exhibita. (c) Cui enim nuperis Ratisbonæ & alijs conventibus tergiuersati erant, & colloquia abruperant fuga, nunc videntes seriò Generale Concilium, olim à se adeo postulatum adeo, apparatum instare, Colloquia mente peruersa rursus vrgere cæperunt. Effecit tamen Papa ijs literis ne Spirensis Cõuentus in sequent. Decembrem indictus in Religionis negotijs effectum fortiretur, eo quod non Cæsaris, sed Papæ fit causas Religionis tractare. Itaque Lutherus ira æstuans scurrilissimo stilo suo aduersus Papatum Rom. librum emisit initio Anni sequentis nempe 1545. dicens eum à Diabolo fundatum. Ex quo quis fuerit animus & os ac manus huius scurræ vel nebulonis ad finem vitæ propinquantis perspicue agnoscitur, &, vt posteritas, cum libri eius aboliti erunt agnoscat, paucissimas porcorum Margaritas salua Lectorum reuerentia & honore de hoc sterquilinio Lutheri excerpo. ait enim de Pontificis ore, *per quod,* vti Act. 15. v. 7. in Concilio Ierosolymit. dicitur, *Deus ab antiquis diebus elegit gentes audire verbum Euangelij & credere* (vti etiamnum per Indias fieri sentimus) ista nefanda *quodnã est os illud? an illud ex quo ventris crepitus prorumpit? quod ex eo egreditur tute* (Papa) *seruatibi. An vero illud os dicis, in quod vinum Corsicum influit? id canis impleat excrementis suis.* Tum ad Cardinales & Episcopos & Catholicos omnes se effundens addit: *Vah scelerati desperatique nebulones & crassi Asini! itane cum Cæsare & Imperio loquimini? propter vestri ventris crepitus & Decretales,* &c. *Si Concilium* (ita vocat Laicorum colloquia de Religione toties irrito tentata) *habere nolunt per nos sane licet, vt qui Concilio non in-*

t *Luth. lib de Concilijs.* u *Ibid Luth.* x *Vlenb. Vit. Luth. cap.* 31. *num.* 3. y *Athan Apol.* 2 z *Act.* 5. 13. 14. 1 *Tim* 4. a *Epiph. har.* 78. b *Vlenb. Vit. Luth cap.* 33. *n.* c *Vlenb. ibid.*

digemus. Quod si iracundia mouentur, impleant braccam excrementis; eamque è collo suspendant, id suffimentum esset, vel osculum pro sanctis istis tenerrimis &c. Ita in fine vitæ Cygnus ille Saxonicus, acute à Cõrado Andreæ. *Schwainischer Luther*, appellatus, quem legẽs nullo modo dubitare potest, quin dæmonium habuerit eximie & vehementer immundum. Iste tamen est *Propheta, & Euangelista & Elias*, & nescio, quid non? *Septentrionis*. O cæcitas plusquam Cimmeria, vel ebria! (*d*)

VI. Sic igitur & à tali porco docti Protestantes non satis liberum Concilij accessum sibi fore causati, amicabile vrgebant doctorum hominum colloquium, vel suæ nationis Concilium: Catholici econtra quamcumque vellent securitatis cautionem offerentes, vt ab eiusmodi incœpto desisterent, vehementer eos rogabant. *Decuisse enim experientiam, colloquijs eiusmodi dissidia & contentiones incendi magis quam restingui: neque vnam prouinciam ceteris omnibus leges posse præscribere.* At illi in sententia persistentes, rursus protestando protestabantur, nisi petitioni huic suæ locus daretur, nulla se contra Turcam auxilia collaturos. itaque Ferdinãdus Rex Anno 1545. ad 24. Martij Cæsare moram faciente in concedendo colloquio, initium fecit VVormatiensis Comitij, (*e*) vbi ad Augustum vsque mensem inter Catholicos & Protestantes iterum disceptatum est. Interea mense Augusto Merseburgensem Episcopatum occupant Protestantes, & Cæsar videns eos tergiversando compositionem non solum eludere, sed occupando bona Catholicæ Ecclesiæ gressari, terminauit VVormatiense colloquium, & prodente se indies magis magisque malo Protestantium animo, legatum, misit ad Turcam de inducijs, veritus ne si foris cũ hoste potentissimo bellum gereret, domi à suis circumueniretur, atque ita vniuersam rem Christianam in præsentissimum coniiceret periculum. Ne quid tamen quod paci aliquo modo seruire videretur, omitteret, consensit vt Ratisbonæ doctorum hominum colloquium institueretur sequi Decembri quaternis designatis colloquutoribus nempe a parte Catholicorum, Maluenda, Billichio, Hofmeistero & Cochlæo; à parte Protestantium, Bucero, Brentio, Maiore, Snepfio (Melanchthon enim tum ægrotabat,) & præter hos quaternis auditoribus, & duobus præsidibus (*f*) Bucerus antequam ad Colloquium proficisceretur, scriptis ad Landgrauiũ die XXIV. Decembris M.D.XLV. litteris, Lutheranis magnum scrupulum iniecerat. Landgrauius his acceptis litteris Saxonem statim monuit, qui porro rem ad Melanchthonem retulit. Et quia ex Buceri litteris non obscurum erat, eum in reformationis negotio medium quoddam inter Catholicos & Lutheranos iter ingredi, Melanchthon aperte protestatus est, *sibi confusionem illam vel conciliationem opinionum, quam nonnullos moliri videret nequaquam placere, vt quæ nouum statim schisma paritura, adeoque Augustana confessionis Ecclesiis exitium allatura sit. Cogitent* inquit, *qui modo parum sapiunt, quid tandem futurum sit, si vnusquisque propriam sibi ex suo cerebro comminisci religionem velit.*

Quum ad dictum locum & tempus omnes conuenissent, Anno demum 1546. Maluenda & Bucerus illud doctrinæ caput quod est de iustificatione hominis, duabus integris sessionibus non sine vehementia inter se disceptarunt: in quo quidem omnes hæretici semper incredibili vsi sunt pertinacia. Catholica enim docet Ecclesia, *nos verè iustos, nostrasq; bona opera esse meritoria, quamdiu iustitiæ gratiam tenemus, eoque pro alijs precando, siue in hac siue in altera illa vita nos apud Deum mereri* (è quo sanctorum dependet inuocatio) *& bona nostra opera in statu gratiæ facta, mereri remissionem pœnarum propeccatis præteritis, interueniente etiam thesauri Indulgentiarum dispensatione.* Quæ doctrina si vera non sit, nihil sane nostris ieiunijs, precationibus, cilicijs, alijsque corporis macerationibus merebimur. Econtra noui Euangelici. *Fidei omnia tribuentes, bona opera euertunt ac reijciunt, vt & sanctorum inuocationem, & Pœnitentiam, quæ externa corporis castigatione, & alijs bonis operibus demonstratur.* Atque hinc tantopere caput hoc de Iustificatione hominis illi oppugnarunt, docentes, *solam fidem in Christum Iustificare: cetera omnia opera inutilia esse & quasi nihili, nisi in quantum Fidei signa sunt.* De qua tamen diuersæ admodum inter ipsos Lutheranos, Osiandristas & Maioristas sunt opiniones. Quamuis autem Bucerus eruditione ceteros suos collegas longe excelleret, nihilominus tamen vi veritatis eò adactus fuit, vt non absurdas modo, verum etiam impias opiniones, modo sibi constare vellet, asserere potius quam

d *Vlenberg. loco. cit.* e *Vlenberg. cap. 33 num. 3. Vit Luth.* f *Vid. Epist. Eber. Billichij ad Colon. lib. 2. Rer. memorab. Vlenberg. Vita Luth. cap. 33. num. 7.*

quam victum se fateri maluerit; vti qui præsentes disputationi interfuerunt, testantur. Hoc modo in dies aliquot protracto colloquio, dum modo voce, modo scriptis, iam hoc iam illo modo disceptatur; ecce Catholicis nihil minus quam de Colloquij abruptione cogitantibus, duo è Protestantibus sese subducunt, & noctu discedunt. Tulerunt hoc impatienter admodum Præsides, & reliquos qui remanserant, grauissimis verbis vt continuent colloquium hortantur, dum illi qui iam profecti fuerant, reuocentur. At illi Saxoniæ Ducis mandatum caussabantur. Qui superauerant quum animi caussa extra vrbem deambulaturos se finxissent equis quos paratos ibi offenderant, conscensis, domum & ipsi properarunt, vti & Bucerus, Argentorato missus. Catholici ibi commorati de colloquij huius abruptione contra Protestantes vehementer protestati sunt: quorum hac de re scriptum *libro Rerum memorabilium* Coloniæ Anno M D L X impresso, insertum legitur. *g)* Acciderunt hoc tempore memorabilia quædam quæ cap XI. num. 2. recensebo.

Interea Campegius Cardinalis Pontificis ad Ratisbonensem conventum Legatus, vt Lutherano rum calumnijs occurreret, & abusibus ac vitijs quæ in Prælatis Ecclesiæ passim videbantur (vnde ille hæreses omnes nasci atque augeri recte iudicabat) quodammod mederetur, Principes rogauit *vt idoneos homines ad se mitterent, è quibus singula recte atq; ordine cognoscerent, & de cõuenientibus remedys cũ ijsdem deliberaret.* Sed satis se iam reformatos arbitrabantur Protestantes, vtpote qui ex obedientia mandatorum tum Dei, tum Ecclesiæ sese, ductu Martini Lutheri Apostatæ, sentiebant emersisse in Libertatem & licentiam vitæ qualem caro & sanguis poterant optare, & quidem honestissimo sub nomine Christianæ libertatis omnia ad libitum possidere. Catholicis autem malis & domi & foris pressis magis de gemitu, quam reformatione cogitare libebat, videntes eam in sua non esse potestate. Atque is fuit exitus vltimi ante Bellum Protestanti m Colloquij, quo tempore se iam satis virium nactos arbitrabantur aduersus Cæsarem, vt palam rebellare liceret.

Vt autem magis dilucide ob oculos ponatur quomodo ad arma publicè ventum sit, paulo altius repeto, huius Anni 1546. gesta, nimirum Protestantes initio huius anni, missis ad colloquium Ratisbonense Maiore & Zochio, Francofurti interim inter se conuenisse tum vt Tridentino concilio quod iam captum erat se opponerent, tum vt Hermãnum Colonien sem Archiepiscopum Apostatam adiuuarent, atque Cæsarem interpellarent de Cameræ Spirensis Iudicio ex suo arbitrio & dictamine ordinando, aut si ista impetrare non possent de Bello Cæsari indicendo. Erat tunc Cæsar Traiecti, vbi eum legati Protestantium de dictis acturi conuenere. Ille hos Ratisbonam ad Comitia, ad quæ ipse iam tenderet, inuitauit vt communi Consilio res ageretur. Se si quieti sint nemini molestiam parare. Atque ita itineri se dedit Cæsar, qui vbi Spiram pervenit, & Romæ sententiam de exauthorando Hermanno Colonien si, & de colloquio Ratisbonæ per Protestantes abrupto cognouit. (*m*)

Landgrauius etiam acceptis fidei publicæ à Cæsare litteris, ad eum Spiram venit, vt Catholicos præuerteret, & Protestantium nomine *de Consilijs quæ in ipsorum perniciem susceptæ, & de copijs quæ ad eorum exsequutionem clam conscribi dicerentur, quereretur, quem in finem etiam à Pontifice Concilium indictum esset atque inchoatum.* Sermonem hunc inter Cæsarem & Landgrauium Sleidanus more suo ad longum recenset, & Landgrauium oratorio more loquentem, & non Lutheri tantum causam strenue defendentem, sed & modestis verbis Cæsari quædam exprobrantem facit. quod sane Cæsarem patienter tulisse non est verisimile, vt qui tam Landgrauij arrogantiam, quam Smalcaldici fœderis, cuius præcipuus erat promotor Landgrauius, secreta penitus perspecta haberet & cognita. Ex altera parte Cæsar apud Landgrauium *de abrupto à Protestantibus colloquio querebatur: quod tamen omnino rursus institui ac continuari velit* (*n*) Post paucos dies Cæsar Ratisbonam recta contendit, & mense Maio peruenit, quo Principes tam Catholicos, quam protestantes erant euocati. Adfuerunt è Catholicis Tridentinus, Augustanus, Bamberg. Hertipol. Patauien sis & Hildesheme nsis Episcopi, & ex sæcularibus Mauritius Dux Saxoniæ, nondum Elector, Ericus Brunsvvicensis, Ioannes & Albertus Brandeburgici. Protestantes vero alij varia causati, solum Oratores suos miserunt cum multis querelis, varia causantes cur ipsi venire non possent, quoniam nolebant, (*o*) iam enim certis indicijs & pacem cum Galliarum rege, & cum Turca

g *Vid. Natal. Com lib.* 1. n *Cochlæ. cont. Marchio* m *Bzouius Annal. Tom.* 20. *Anno* 1546. *num.* 16. o *Brouij. Annal. loc. cit.*

inducias à Cæsare factas esse acceperant, unde dici non potest quanto metu consternati fuerint: eoque quantas omnino poterant, copias conscripserunt, ut primi in armis possent apparere.

Ratisbonæ XV. Cal. Julij in Comitium itum est, peracto SS. Missæ officio, consensu magno decretum ut Cæsar Tridentino Concilio assisteret, illudque tueretur, Protestantes eodem, quo toties provocassent, adigeret. Cæsar Nonis Julij Civitatibus Imperij perscripsit se in rebelles moturum, & quibus causis ad id moveretur. Saxo & Landgravius Idibus Julij se arma pro Religione sumere edito scripto publicarunt. Atque ita ad arma de incepsfortiter itum est (p)

Ad Ratisbonensem conventum Angliæ quoque rex Henricus VIII. Legatos miserat, Stephanum Gardinerum Episcopum Vintonienſem, & Cneverum equestris ordinis virum, eum potissimum in finem, ut Principibus apud Pontificem, cui rebellaverat, intercessoribus ad reconciliationem uteretur, aperte præferens, non aliam quam Romanam pro vera se agnoscere Ecclesia. At infelix hic Princeps apud utriusque religionis homines erat in detestatione ea, ut vix quisquam audire eos dignaretur, ob evidenter iniuste ab eo tentatum divortium, ex quo ingens illa multorum malorum Angliæ series est exorta. Et hæc causa fuit & occasio, ut Cochlæus scribit, quæ dictum regem à Lutherana hæresi avertit, offensum scilicet eo quod nec Protestantes divortium ipsius, primam omnium quæ sequutæ sunt in illo regno, miseriarum originem, probarent.

Sed omissa Anglia, Germaniæ res modo persequamur: cui ipsum cœlum non obscuris signis imminentia mala præsignificabat. Nam ut combustio Planetarum in triplicitate Martis, quæ Anno M D XXIV. contigit, religionis mutationem portenderat; sic quatuor eclipses, quas eo tempore, quo Lutheri deliria totum fere Mundum inter se bello commiserant utrumq; cœli luminare passum fuit, vehementer omnium animos terrendo obstupefecerunt. In primis vero terribile erat solis deliquium, 24. Jan. Anno 1544. ut qui totus pene obscuratus, vix malignâ aliquam lucē Mundo reddebat, rectus inferiore in parte ad X. digitos (q) Magnam hanc eclipsin Solis, tres Lunæ defectiones exceperunt nempe 9. Jan. 4. Jul. & 18. Dec uti Gauricus refert, quod iam inde ab eo Caroli Magni tēpore, quo is Saxonū gentē à paganismo ad Christianam religionē traduxerat, numquam evenit.

Flebile est hic meminisse quomodo Hungari, quamque suppliciter, expositis suæ patriæ calamitatibus & periculis, à Germaniæ Principibus auxilia petierint, quæ vero Lutheranorum erga eosdem fuerit charitas, quod Christianæ Reipublicæ studium, sequenti cāpite ostendam: Neque hoc ab Historiæ meæ serie alienum erit. Interea Cæsarem & Protestantes bellico apparatu occupatos paullulum relinquamus.

QUOMODO LUTHERANI TURcicum optârint dominatum, & causſa fuerint quod pars aliqua Christianitatis ei subiecta sit.

Caput X.

ARGUMENTUM.

I. *Lutherus Turcam Christianis Principibus præfert, &c.*
II. *A faciendo ei bello dehortatur.*
III. *Vt etiam alij hæretici.*
IV. *Solimannus Lutherum videre expetit.*
V. *Lutheri culpâ Hungaria & Transylvania amissæ.*
VI. *Protestantes Christianis laborantibus sæpe auxilium denegarunt.*

1. QUam magna est corruptæ hominum naturæ malitia! quæ quum in alijs affectibus tum in ira præcipue & odio apparet. Ubi namque semel alicuius rei odium animum subierit, nisi protinus obsitas, indies ita augescit, ut nullis neque rationis frænis regi, neque ullo honoris respectu cohiberi, neq; vel Dei saltem reverentia & metu retundi, nedum exstingi possit. Lutherum videamus: in quo contra Pontificem conceptum odium ita crevit, ut publice profiteri non sit veritus, (a) *Turcæ dominatum multo quam Papæ esse tolerabiliorem. In Romana Ecclesia multo plus & turpioris committi idololatriæ atque impietatis, quam in Mahumetana.* Comparationem deinde instituit: *& quemadmodum*, inquit, *Turca Evangelij doctrinam per Alcoranum suum exstinguit, sic Papa per suas De-*

cre-

p *Idem* q *Gemma, Frisius in Radio Astronom. Lovanij vidit h. 8. 53. post merid. Crusius Vlmæ h. 9. a merid. Keplerus in paralip. Vitell. p. 296. & Funcius XI. digit. & capisse nocte fecere uti crepusculo vespertino.*

cretales. Pergit: *Quid malifacit Turca? Occupat provincias, & temporaliter gubernat. Idem Papa facit; & animas nostras & corpora simul deglutit: quod Turca non facit. Hic suam cuique liberam permittit religionem. Id Papa non facit.* In epistola vero ad Germaniæ Nobilitatē, *Turcarum dominatu ait nihil esse gratius aut acceptius, ut in quo nec Canonicū nec Civile ius locum habeat. Eoque servitutem potius spiritualem unius* (Pontificis scilicet) *excutiendā, quā temporalibus armis alterius* (Turcæ nempe) *resistēdum.* In summa: *Solimannopotius obediendū quā Carolo.* Erasmus ad fratres inferioris Germaniæ scribens, hunc sermonē & hoc votū ait frequens esse in ore Lutheranorum, *malle se scilicet sub imperio Turcæ non baptizati, quam sub imperio Turcæ baptizati vivere* (sic Carolum V. Imperatorem illi appellabant) Hinc adeo factum est, vt plures etiam antesignani huius sectæ, non solum Alcorani porticum, verum etiam ipsa Turcicarum Moschearum adyta ingressi sint, vt infra dicam, quando nobis de Polonia sermo erit.

II. *Turcarum Imperatorem* Lutherus in quodam contra Caroli Cæsaris Edicta libello, dicit *multo prudentiorem esse & iustiorem Christianis Principibus, eoque populum monet, ne vel arma contra eum sumat, vel quidquam in belli sumptus contribuat. Quid enim boni,* inquit, *evenire ijs potest qui Deum tentant & blasphemant! An non vides, saccum illum vermiū, Imperatorem, iactare se pro vero & supremo Ecclesiæ Catholicæ defensore?* Et alibi, (b) *Malè,* inquit, *faciunt, qui contra Turcam arma sumunt. Quod quid aliud est* (ô sceleratam stropham & sophisticationem! *quam Deo repugnare? qui nos eo tamquam flagello verberat.* At non tam religiosus fuit Lutherus, quum Saxonem & Landgravium contra Carolum V. Imperatorem; aut cum subditos & rusticos contra Principes & Dominos armavit. Quia vero videbat hoc suum thema à plerisque damnari, purgare se volens, scripto edito demonstrat, *cum Turca belligerandum esse, non quidem eo fine, ut ne religionem nostra contrariam ab ipso accipere cogamur, sed ut à vi & iniuria nos defendamus.* Sic etiam sentiunt, sic loquuntur, qui in schola ipsius educati sunt. Huldericum Huttenum audiamus, cuius tam honorificum in Bezæ Iconibus exstat elogium. *Me quidem non invito,* inquit, *fiet, ut Turcis obediamus, qui fortes sunt & iustitiæ studiosi, & vires suas non religioni propugnandæ, sed imperij amplificando impendunt.* Et alibi optat, *vt Deus Turcam Papæ loco nostris capitibus dominium imponat. Ferox huius hominis ingenium.* Beza ait, *quum ad cœlum antea ipsum extulisset, gloria eius multum obstitisse;* quæ tamen ad summum peruentura fuerit, nisi in ipso ætatis flore, anno nimirum XXX insignis ille animi ardor antequam maturuerat, subitanea morte fuisset exstinctus. Nec vero Lutherus tantum & Huttenus, verum etiam Oecolampadius & alij huius eiusdem voti rei fuerunt, vti passim scripta eorum testantur.

III. In quo illi Arrianorum sequuti sunt exemplum, *qui* teste Athanasio, *cum paganis contra Catholicos Principes federa inierunt.* Sic etiam Albigenses cum Miramolino Maroci rege, Mahumetano, de Castiliæ rege Catholico communibus armis oppugnando egerunt: quorum insolentia eo vsq; etiam progressa est, vt Innocentio Papæ nunciari iusserint, *propediem se templa quæ Romæ sunt, in equorum stabula conuersuros.* Possem ego quæ nouis istis Euangelicis cum Solimanno & Amurathe Turcarum Imperatoribus intercesserint consilia, quæ item Anglorum Reginæ Acatholicæ Legatus moliturus sit, è documentis à fide digno viro acceptis ostendere, tum etiam quomodo Protestantes de Hieremia Patriarcha in exsilium pellendo cum Turcis egerint: sed quia hæc ad politicam magis administrationem pertinent, omitto. Sed & hac de re amplior erit dicendi locus, quando nostrorum Euangelicorum vexilla, pulcerrimum illud symbolum, TVRCICI POTIVS QVAM PAPISTÆ, &c. præferentia, in conspectu omnium posita videbis. Omitto quæ Launaius in Republica sua Christiana scripsit: (c) quē sane incredibile est aliquid nescisse, vt qui Consistoriis illis & Synodis militaribus non semel interfuerit. Sed & vel inuitis miseræ Franciæ calamitates infra nobis exposituris, harum rerum mentio obijcietur. Facere tamen hoc loco non possum, quin memorabilem hanc historiam, & à Veneto quodam Nobili Relationibus suis inserta, & a Manlio quoque in Locis communibus allegatam, recensem; quamuis eadem in Commentarijs ad Coronam Tertulliani, leuiter & velut extremo digito delibârim.

IV. Anno M D XXXIII, quum Solimannus accepisset, quantas turbas unus monachus in toto Christianorum imperio dedisset, & quod is inter

b *Luth. Tom. 2. fol. 49. c lib. 2. cap. 13.*

alia Christianis ne contra Turcas arma ferrent auctor esset; sperans, novum hunc esse Prophetam, a Deo Mahumetis precibus & intercessione in id summissum, ut viam ipsi ad reliqua Christiani orbis occupanda sterneret: Germanum hominem civem Hagiensem, qui aulam ipsius sequebatur (hunc Episcopus Ruræmundensis, idem narrans, ad Solimannum ab ipso Luthero missum, velle videtur) ad se vocavit, & quis ac qualis esset ille Lutherus de quo tam multa dicerentur percontatus est: quot annos esset natus, quæ ipsius esset doctrina, &c. inprimis vero mirum ipsi videbatur, immo miraculi loco habebat, quod non iam dudum à Pontifice & Imperatore è vivis esset sublatus. De quibus singulis cum ille respondisset, hominem scilicet esse tum temporis ferè quinquagenarium; ac simul ingens illud atque atrox inter Christianos ab hoc monacho prosemi-natum dissidium exposuisset: Solimannus exclamans; O *magnum*, inquit, *virum! qui Christianam Rempublicam brevi, opinor, ad ruinam impellet. Atque utinam ille aliquanto esset iunior! Si mea quidem velit uti opera, bonum me & liberalem dominum experietur.* Ajunt, quum hæc Solimanni verba Luthero narrata essent, eum signo crucis manu facto, exclamasse: (d) *Ah! à tali & tam liberali domino custodiat me Deus!* Unam tantum rem in Lutherana religione Turcæ displicuisse Erasmus ait, quod nimirum velut individuas comites rebelliones & seditiones haberet annexas, quæ gaudent victos & victores simul perdant,

uno totamq; sepulcro
Contumulent patriam.

Hinc etiam Solimannus sapiens ceteroqui Princeps, ut Hungarica testatur historia, (e) quum accepisset Lutheranos in Transylvaniam, à se nuper occupatam, irrepere, Isabellam reginam, cuius protectionem contra Ferdinandum regem susceperat, monuit, *ut si unà cum filio Ioanne bona sua uti velit gratia, istos Novæ religionis homines ex omni ditione sua quamprimum expelleret.* Nolebat enim perniciosam sementem alibi quam in hostium suorum arvo fieri ac succrescere; quamvis utraque religio nimirum sua & Lutherica affinitatē aliquā inter se habeat, ut alibi ostendam.

V. Illud sane citra mendacium negari non potest, dissidia à Luthero excitata Turcarum res multum promovisse, qui eiusmodi occasionibus usi non neglexerunt. Et quemadmodum Romanum Imperium nulla res magis ad summum illam supra omnes ceteras gentes magnitudinem evexit, quam domesticæ aliarum Gentium seditiones & discordiæ, quæ externæ potentiæ fores aperiunt, sic Othomanicum Imperium ad eam quam nunc videmus & timemus potentiam, per schisma hoc & dissidium religionis præcipue gradum sibi fecit. Nam post Rhodum Christianis eo tempore quo Lutherus totum mundum perturbare incipiebat, (f) ereptam, hoc veluti Christianitatis maritimo eversо propugnaculo, alterum quoque terrestre, florentissimum nempe Hungariæ regnum, periclitari statim cœpit, adeoque breui hostis omnium immanissimi prædæ & libidini fuit relictum. Qui miserabile Hungariæ excidium literis consignarunt, Luthero magnam eius culpæ partem imputant: siquidem Christianis Principibus inter se de noua Lutheri doctrina dimicantibus, Turcæ non solum vltra centum quinquaginta Christianorum millia partim ferro trucidarunt, partim in morte peiorem seruitutem adduxerunt, verum etiam Budam, Belgradum, Albam Iuliam, & alias opulentissimas quondam vrbes in suam redegerunt potestatem (g).

VI. Notum sane est, nec Sleidanus dissimulat, in omnibus illis primis Imperij conuentibus, Protestantes semper protestando protestatos esse, *nisi liberum sibi suæ religionis permitteretur exercitium, nulla se contra Turcam, quamvis ipsorum capitibus proxime imminentem, auxilia collaturos.* Hæc ipsorum Anno M D X X X in comitijs Augustanis vox fuit & protestatio, quam etiam in omnib. si qui deinde celebrati sunt conventibus repetierunt. Immo tum quoque, quando Vienna à trecentenis Turcarum millibus obsessa, non Germania tantum, sed & universa Europa in extremo versabatur periculo, Protestantes ociosi tantarum calamitatum Germaniæ, velut extremam aleam tum iacentis, spectatores fuere. Quod si ea urbs à Turcis expugnata fuisset, nihil sane erat quod illis obstabat, quominus ad Rhenum usque fines suos proferrent, & ferro flammaque omnia popularentur. Transylvaniæ quoque amissionem Lutheranorum seu Protestantium bello acceptā ferendā esse, ijdē Hungaricarum

d *Man. lin Loc. commun.* e *Belleſor. Coſmograph. olet 79. Tomo. 2.* f *Vide Staph. de Luth. inter ſe concord. ſolio 419.* g *Sleidan. libro 18.*

rum rerum scriptores testantur. Et nostro tempore Protestantes Maximiliano Imperatori contra Turcam ferre auxilia, & commune cum ceteris Christianis Principibus fedus contra Selimum inire recusarunt, vt idem rerum Hungaricarum auctor scribit, & nos sequenti libro latius ostendemus. Quam multi inter Lutheranos vnà cum infelici illo Hulderico Hutteno Turcicæ dominationi subesse optarunt, vt tantum omnem Papæ potestatem viderent abolitam! Sanctum nempe hunc zelum discipulus a magistro suo Luthero suxerat: à quo Turcica etiam in Polonia & vicinis regionibus superstitio longe lateque fuit propagata. Sed iam tempus est, vt sandapilam ac funestas tedas ei apparemus, cuius doctrina tot homines morti dedit, totque animas æterno, tot regna ac regiones temporali exitio inuoluit.

DE LVTHERI MORTE: DEQVE summo eiusdem fastu & arrogantia, ac ceteris moribus.

CAPVT. XI.

ARGVMENTVM.

I. *Lutherus Concilium impedire tentat.*
II. *In patriam proficiscitur, & subitanea morte opprimitur.*
III. *Eius sepultura.*
IV. *Eius fastus.*
V. *Lutherus nullum vnquam fecit miraculum; facere vero conantem quomodo diabolus tractarit.*
VI. *Eius contumelia in SS. Patres seu Doctores.*
VII. *Quomodo veteres scriptores ab ipso corrupti.*
VIII. *Laudes Luthero à discipulis ipsius adscripta.*

I. DVM ex vna parte Carolus Imperator & Ferdinandus Romanorum rex vna cum ceteris Catholicis Principibus vires suas contra Turcam expediunt, ac simul Protestantium conatibus obuiam ire conantur; ex altera parte summus Pontifex Dei in terris Vicarius, ex omnibus Christiani orbis regionibus & angulis ecclesiarum Patriarchas, Episcopos & Antistites Tridentum ad Concilium euocat, vt certum aliquod & irrefragabile contra tot hæreses in Germania & alibi pullulantes decretum fieret ac promulgaretur; iamque adeo apertis Concilij foribus Anno 1546. totus Mundus eò properat: Lutherus omnium non modo hæreticorum, sed & hæresiarcharum antesignanus, præsentiens Spiritum S. qui eiusmodi cœtibus semper præsidere solet, diffinitiuam contra ipsum sententiam pronuntiaturum; vt id impediret, omnem lapidem mouit. Quibus vero ad hoc artibus vsus sit, ex ijs quæ paulo antè dicta sunt, aliquo modo patet. è sequentibus vero manifestius intelligetur. Vt vero & ipse turbis & dissentionibus, quæ inter discipulos suos ortæ fuerant, remedium aliquod adferret, & in tanta confusione ordinem aliquem statueret, Synodos aliquot celebrari curauit, in quibus Sacramentariorum præcipuæ causa ventilata, sed frustra fuit omnis illa quauis arte, dolo & vi tentata concordia, Deo nunquam permittente, vt extra sacrosanctum suum tabernaculum vnitas reperiatur, sed magis scissuræ factiones & confusio: *Vbi vmbra mortis, & nullus ordo sed sempiternus horror inhabitans.* (a) Et verissimum est:

Subiectum est Sathanæ quidquid non numine plenum est.

Sed Deum immortalem! quas non artes Lutherus & socij adhibuerunt, vt ne sanctum illud Concilium Tridenti indiceretur? quid non conati sunt, vt indictum impediretur aut disturbaretur? in quam non faciem se verterunt, vt efficerent ne quid certi ibi diffiniretur? quoties Protestantes protestati sunt, *nulla huius concilij decreta pro validis habituros?* Cur quæso? quia à Pontifice Ecclesiæ capite indictum fuerat. Vnde factum est, vt quamuis anno MD XLV. 13. Dec. cœperit, ante tamen annum MDLXIV. Pio IV. Pontifice, decreta eius concluſa non sint & promulgata: in quo nemo Lutheranorum, quamuis non tantum sub fide publica vocati, verum etiam obsides eis oblati essent, comparere ausus fuit. Tantum vero abfuit vt reorum personam sustinere ac culpam deprecari cogitarent, vt etiam inter Doctores, immo inter Iudices sedere vellent. Sed de his in illo libro quo Franciæ schisma expositurus sum amplior erit dicendi locus: vbi ordinem, sessiones, cæremonias & alia huius omnium fere quæ in Europa celebrata sunt, illustrissimi & celeberrimi Concilii explicabo: cuius finis in ipsum, quas tot tantasq; hactenus misera Francia passa est calamitatum incidit initium.

II. Mira

a *Iob. 10.*

II. Mira quædam circa hoc tempus inchoati Concilij euenerunt Luthero nam & portentosus è Belgio nummus ei allatus est portendens captivitatem protestantium(*b*) & confusio maxima ex dæmoniaca puella infra recitanda, & impietas suæ doctrinæ adhærentium(*c*) & insolens Tempestas fulgurum & turbinum Dominica post Natalem Domini ad Albim cuncta sternens (*d*) Lutherus igitur & suis malis & futuri Concilij, à quo nihil nisi condemnationem & diras sibi suæque hæresi exspectandum sciebat, metu suspensus, & melancholiâm ob rerum minime ex suo voto succedentium odium, sui tædium, nactus, profugium clam etiam sua dilecta Sacrilega Catharina occepit, in ea fuga Merseburgum ad Georgium Anhaldinum Principem secessit, eum à quo vno Beza ait subditos in hoc Mundo gubernatos, & ex eo ad cœlum conductos nempe Prædicantis vili officio assumpto. Sua enim propria authoritate Princeps hic concionandi munus vsurpabat. Inde datis ad monialem suam literis, Melanchthonem & Pomeranum rogari iussit vt ipsius nomine vltimum ecclesiæ valedicerent, quod præsentem rerum statum diutius ferre non posset: simulque monuit, vt conuasatis omnibus, ad se veniret. *Satis scio*, inquiens, *mea charissima vxor, post mortem meam omnibus te odio futuram*. Hunc eius discessum ægre ferens Academia, ad Ducem qui Torgæ tum erat, scripsit, & vt ipsius intercessione & authoritate Lutherus remitteretur, petijt. Exstant adhuc eæ litteræ, Calendis Augusti anno MDXLV. scriptæ. Nec multo post tam à Duce quam Vniuersitate Legati adfuerunt, qui Luthero vt VVittebergam reuerteretur, persuaserunt, vbi ille non multo post Troiano suo labori (totum enim decennium in eo desudauerat) Commentarijs nempe in Genesin, supremam imposuit manum, quam tempestas illa horribilis antedicta & Tridentini concilij inchoatio excepit.

Eum VVitebergam reuersum Mansfeldij Comites adse vocarunt, dissidiorum quæ multa inter ipsos exstiterant componendorum caussa. Defunctis enim ea familia ijs, qui Catholicam sequuti fuerant religionem, inter hæredes non solum de finibus & hæreditate, sed & de forma religionis & cultus diuini contentiones statim gliscere cœperunt. Paullo ante id tempus missi quidam VVitebergam fuerant, qui Lutheri sententiam exquirerent, *An post communicationem corpus Iesu Christi in hostijs reseruatis maneret*, Luthero absente (erat enim tum apud Anhaldinum Principem) Melanchthon, nihil nisi panem reliquum esse respondit: sed Lutherus reuersus, quamuis in hoc sibi ipse aduersaretur, *Corpus ibi esse asseruit: eoque consuluit, vt si sex aut quinque tantum hostiæ consecratæ essent reliquæ, omnes vltimo communicanti porrigerentur; vti & vinum in calice reliquum*. Melius sane hac de re Hieronymus Pragensis olim prodromus malæ causæ respondit. nam rogatus, *quid expane post consecrationem fieret*? Panem apud pistorem manere respondit. nimirum nulla immutatione sanctificatum, cum iuxta doctrinam diaboli seu Lutheri in suo de Missa Angulari libro, nullum sit sacerdotium, nec sacerdos qui panem sanctificet. Illud certum est, multis locis apud Lutheranos illas suæ cœnæ cibi & potus reliquias patui fieri; adeo vt multa ridicule circa eas apud eos legantur patrata, inter quæ est & illud quod cuidam crimini datum sit, quod eas per feneſtram pullis obiecerit, vt Nasus in centuriis suis scribit.

Hæc opinionum diuersitas magna inter bonos illos Symmystas dissidia & summam confusionem inuexit; dum hic de reali corporis Christi in Eucharistia præsentia illo, alius alio modo docet. Quare veritus Lutherus, ne Sacramentariorum tandem præualeret opinio, à Comitibus dissidii quod inter ipsos erat, componendi caussa euocatus, tanto lubentius iter suscepit, & cum Monialibus & liberis, dignoque magnitudine sua apparatu, in viam se dedit. Neque enim vti antea, velut Monachus, sed velut insignis aliquis Doctor & magnatum vnus, patriam ingredi ac suos visitare, atque inde non minore cum pompa ad Saxones suos reuerti volebat. Sed hoc à Morte, cum qua eius rei caussa nullum pactum habebat, impeditus facere non potuit. Aiunt quidam quum discedens Melanchthoni valediceret, quasi vltimum illum congressum fore præsagientem, sic ad eum loquutum: *Mi Philippe fateor in articulo de cœna Domini nimiovsque nos progressos*. Tum Philippus: *Ergo asperitatem hanc, mi magister, leni aliquo scripto mitigemus, & sententiam nostram clare explicemus. Equidem hac de re diu multumque cogitaui*, aiebat Lutherus; *sed vereor ne hac ratione doctrinam meam suspectam reddam. Quare totam hanc caussam Deo permitto. Vos post mortem meam quod poteritis facite*. Hæc aiunt Lutheri currum conscendentis fuisse verba: qui tamen pri-

b *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 33. n. 3.* c *idem*, d *idem num. 6. cap. 33.*

die eius diei publice pro concione inter alia dixerat; *diabolum suis per Sacramentarios horribilem stragem machinari.* Advenienti Comites ad ditionis suæ fines magnam armatorum equitum manum CXIII. obviam miserunt, qui *Prophetam hunc patrium solum revisentem* magnifice & cum pompa deducerent. Quum ab Islebio oppido non procul abesset, ingens tam malorum quam minorum tormentorum auditum fuit tonitru, ex quo Lutherus in animi deliquium incidit: quod plerique pro malo omine interpretabantur; sed mox haustu vini recreatus; animum recepit. At *hanc infirmitatem animi*, quidam Islebiensis in epistola quadam Cochlæi scripto inserta, *nequaquam ieiuno Lutheri stomacho adscribendam esse dicit, ut qui Halæ in prandio pro more suo large se invitarit* ubi & versum illum de *vitro* coctis vel arte vel naturâ, aquis entheatus, panxit. *Dat vitrum vitro. Iona, vitrum ipse Lutherus* Sic Lutherus Islebij magna cum stulti populi acclamatione & gaudio fuit exceptus. Sequenti die suggestum in templo D. Andreæ sacro conscedens, more solito acerbissima in Papam & universam Hierarchiã Ecclesiæ convitia evomuit. Exceptus dein eodem die magnifico epulo, vehementer perculsus fuit incendij rumore, quod in vicinia, ex culinæ in ipsius gratiam & honorem plus nimio ferventis, ardore exstiterat: quod tamen ab accurente undique multitudine mox fuit exstinctum. Quum ad mensam sedenti temerè mors Paulli. IV Papæ nunciata esset, nihil ulterius, veriusne an fictus is rumor esset exploratus: *iam quatuor Pontificum morti, quibuscum omnibus bellum gesserit, superstitem se gloriatus est*, fati sui tam propinqui ipse nescius, quam falsus alienæ triumphator.

Civis quidam Islebiensis, Lutheri mortem describens, ait, ipsum quotidie Halæ, Mansfeldij, & quacumque iter faceret, uti & Islebij, genio indulsisse, non prandio modo, sed etiam cœnæ largiori semper assuetum. (*e*) Idem testatur quidam Lutheri discipulus in epistola vernacula, quã Joannes Guiterus Latine vertit. Quidergo mirũ, si tam continuis commessationibus, qui iam ante ætate languida, debilitato stomacho in morbum tandẽ incidit? Hic ego te pie lector compello oro, ut advertas ad crassum Melanchthonis mendacium, qui, in Præfatione Secundi Tomi Operum Lutheri, *magistro suo abstinentiæ laudem tribuit, ac posteritati persuadere nititur, plurimum eum ieiunio usum fuisse*, immemor conviciorum, quæ contra magnũ illum quum ieiunij tum omnis abstinentiæ præconem, S. Hieronymum tam ipse quam alij in mẽsa Lutherum evomentem audiverant, & ab eodem scripta legerant, nisi forte Melanchthon ironice & antiphrastice voluerit eo loco loqui. An enim abstemium & sobrium appellabimus, cui in omni vita nihil acceptius erat quam dapsilis cibus & potus? an abstemiũ, Philippe, dices qui Halæ Saxonum grande vitrum propinans Jonæ suo se & illum unà, vas cervisiarium aut vini fassus est, hoc versu *Dat vitrum vitro Iona, vitrum ipse Lutherus* ultimo vitæ suæ mense? qui sibi largiores haustus adversus tentationes omnes unicum remedium esse fassus est? (*f*) Quam abstemius vero fuerit, (*g*) vulgaris illa apud Germanos Cantilena, Trinck vnd iß Gottes nicht vergiß, quam ad ipsum auctorem plerique referunt, satis loquitur. Sed ad historiam redeamus. Lutherus igitur quum die XXVIII. Februarij, quo diem suum obijt, (*h*) cũm eis quos mensæ adhibuerat (ut qui solitudinem conscientiæ malæ tã medicinam si audias, quam tormentum si resistas, tamquam voluptati inimicam unicè fugeret) largiter pransus ac cœnatus esset, aliquantulum quievit, facetam interim narrans historiam de quodam, qui fame pressus, diabolo se devoverat, modo cibum sibi suppeditaret. Quo saturatum, diabolus de anima pro cibi pretio sibi reddenda interpellavit. At ille, *Tibi*, inquit, *exspectandum erit usque dum mortuus fuero. Nequaquam animam, cuius culpa hic nulla est, sed corpus, quod famem perferre non potuit, tibi addixi.* Ibi diabolus, *Numquid*, ait, *qui equum emit, etiam frænum & ephippium unà emisse censetur?* simulque cum dicto hominem cum anima & corpore asportavit.

Quum hac narratiuncula eos qui aderant, aliquã diu ipse hilari vultu detinuisset, in lectum sese composuit: in quo quum paululum quievisset, tãto subito dolore correptus fuit, ut priusquam advenissent medici, exspirarit. A quibusdam proditũ invenio, eodẽ modo illũ, quũ è lectulo ventris exonerãdi causa surrexisset, quo Arriũ, intestina effudisse. At Sleidan[g] & Just[g] Jonas, pectoris dolore correptũ, post cœnã & pauxilli tẽporis quietẽ, animam reddidisse dicunt, quũ iam climactericum ætatis annum attigisset. Inter alia quæ ille Justus de Lutheri obitu scribit, ait, eum morti iam vicinum, circumstantes amicos his verbis monuisse: *Orate pro Domino Deo nostro & Evangelio eius, ut ei*

e *Vid. libellum Cochlæi script. de Act. Luth. adiunctum sub finem.* f *Luth moritur* 18 *Febr.* 1546. g *Resc. ad Eq. Poln.* h *Sleid. lib.* 17. *Vlenberg. Vit. Luth. c. ult.*

cum Ecclesia sua caussa bene succedat. O novam & inauditam precationis formulam! Addidisse deinde: *Quia ei Pontifex & Concilium Tridentinum vehementer adversantur.* Ecce tibi Testamentum! Ecce convicia & imprecationes, quas iam moriens impurus hic homo contra supremum Ecclesiæ caput effudit! Ecce extrema eius vota! Alius Lutheri discipulus scribit, eum aliquot annis ante, quam Smalcaldiæ ex calculi doloribus gravissime decumberet, & à morte parum abesset, sublatis in cœlum oculis & levatis manibus, ad circumstantes amicos & discipulos seu valedicturum, his usum fuisse verbis: *Deus vos, fratres, omni benedictione impleat, & Papam maledictione!* Quibus non minus insatiabile suum contra S. Sedem odium testatus est. Quin etiam sanctus hic homo è tã gravi morbo recreatus, publicum scriptum de resurrectione sua promulgavit, cuius initium est: *Postquam resurrexi à mortuis.* Thomas Bozius non incelebris sæculi nostri scriptor, in II parte II tomi quæ est de Notis Ecclesiæ, scribit visum à se hominem, qui tum inter Lutheri domesticos seu famulos fuerit, & asseverarit, herum suum in ultimo agone illo, manus sibi ipsi violentas afferre conatum esse, sed à familiaribus propere accurrentibus fuisse prohibitum: qui ut hoc prophetæ sui infelicissimi probrum tegerent, omnes domesticos iureiurando super sancta Evangelia, obstrinxerint; ne quisquam eius rei vel minimum quid propalaret. Quod fortasse tum factum fuit, quum extremis oppressus calculi doloribus, mortem vehementer optavit.

Petrus Thyræus in libro quem scripsit de Dæmoniacis, (k) notabilem narrat, quæ eo die contigerit quo Lutherus è vivis migravit, historiã, dignam quæ hoc loco apponatur. *Quo die*, inquit, *Martinus Lutherus ex hac vita discessit, Dæmoniaci qui Gheelæ (Brabantiæ oppidum est) plurimi erant, & patrocinio S. Dympnæ (quod iam multi multis annis experti erant) liberationem exspectabant, omnes à dæmonibus liberati sunt; & non ita multo post ab ijsdem rursus occupati. Res hæc obscura non est, siquidem postera die quum miseros homines rursus crudeles spiritus torquerent, interrogati; Vbi pridie latuissent: responderunt, Se mandato Principis sui ad novis propheta & fidelis cooperary, Lutheri, funus evocatos fuisse, eidẽq; interfuisse.*

Addit deinde: *Confirmavit hanc rem Lutheri famulus, qui misere morienti adfuit: & quum per fenestrã auræ captandæ gratia, prospiceret, non sine magno terrore vidit non semel plurimos teterrimos spiritus haud procul inde saltantes, & choreas agentes. Confirmarunt corvi, qui Lutheri corpus, quum Islebio Vitebergam deferretur, magno clamore comitati sunt.* Hæc Thyræus. Similia fere de alijs hæreticis apud Cæsarium & alios leguntur. (l)

Quod si quis huic narrationi fidem derogare velit, cogitet quæ Lutherus ipse de suo cum diabolo congressu & disputatione, ut & discipuli ipsius, scripta reliquerint: quæ sane facient, quo minus hæc incredibilia videantur. Et certe ut hæretici fideles semper fuerunt & sunt dæmonum cooperarij; sic eidem hæreticorum fideles quasi sunt Achatæ, socij & parasitatæ: ut Egesippus & Cyrillus (n) de Simone, Theodoretus (o) de Basilide, de Marcione Innocentius, de Menandro Epiphanius, Eusebius de Theodoro, de Eutyche Theodoretus, Polydorus Virgilius de Berengario, ipse Lutherus de Carolstadio & Oecolãpadio, de Georgio Davide Basileenses, de Osiandro & Zuinglio Erasmus Albertus, testantur. (p)

Hic finis vitæ fuit Martino Luthero: cui illud boni (si tamen tali homini quidquam boni contingere potest) contigit, q̃ spiritum in eodem oppido ubi primũ eum hausit & Catholico ritu baptizat⁹ fuerat hæreticorũ maximus reddidit, nã Jona quærente per agoniam *An in doctrina quam hactenus professus erat perseveraret, & constanter vellet mori?* fertur respondisse; *Ita.* & hoc ultimum eius fuisse verborum in hac vita (q) Cum anno mortem eius ante gressio aurigæ manum porrigens interpotandum, ipse dixisset: Vbi Veneris ad socios tuos dices, *Te dextram tenuisse Doctoris Lutheri, Hæreticorum omnium Antesignani deterrimi.* (r) Natus vero fuit tenui & obscuro loco in prima educatione neglectus; vita & moribus dissolutus. Et quamvis nihil in eo rarum aut excellens esset, pro Germaniæ tamen propheta & Apostolo à suis stupidis sequacibus fuit habitus. Admirabili audacia sacra & profana, diuina & humana, adeoq; cœlum & terram permiscuit, & miserabili tam politicam quam Ecclesiasticam administrationem clade affecit. Iustus Ionas ad lectulum in quo mortuus iacebat, assistens, Mansfeldiis Comitibus, vt extremum

i *Vitus Theodor. 4. Oper. Luth. praf. in Ioel.* k *part. 1. disp. 8. sect. 11.* l *Bredemb. Coll. 7 cap. 39, Cæsar. lib. 12. cap. 10.* m *Lib. 3. de excidio.* n *Catech. 6. lib. 1. fab.* o *lib. 3. c. 3.* p *har. 22. lib. 5. c. 16. lib. de ani. Cath. 6. l. 5. cap. 33. lib. 4. fab. ibid. libro 9. hist Ang. l. 6. cont. Carolstad. lib. de Miss angul.* q *Vlenberg. Vit. Luth. cap ult. num. 3.* r *Vlenb. loc. cit. ex Lutherano Mattheso pag. 208, 209. 210. 211.*

mûm hominem aſpicerent venientibus, multis cum lachrymis cum commonſtrauit, inquiens: *Ecce magnum illum virum! Ecce dormientem iam, qui Dei eccleſiam hactenus rexit & erexit. O Deus, excita, quæſumus, alium, ad nominis tui honorem, & Euangelij promotionem.* Aſsidente vero pictore qui mortui lineamenta in tabula repreſentaret, Idem Ionas ad circumſtantes conuerſus, *Diligenter hunc* inquit, *etiam atque etiam contemplemini. Hic enim eſt, qui multa animarum millia ab inferno liberauit.* Talia homo ille contra ipſius Lutheri de ſe ipſo confeſsionem.

Mortui dein cadauer, vltra modum fœtens, adeo vt nemo accedere propius poſſet, ſandapilæ plumbeæ impoſitum, & in templum oppidi primarium, D. Andreæ ſacrum, deportatum fuit, campanis interim toto oppido ſonantibus, & cruce funeri prælata: quod & ipſi Comites & magna hominum multitudo comitabantur. In templo idem Ionas funebrem orationem habuiſſe dicitur. Sed quomodo hoc cum Bezæ verbis conueniat, neſcio, qui in Iconibus ſuis Ionam hunc in Lutheri complexu exſpiraſſe dicit. *Nihil*, inquit, *omnium fere rerum egit, cui non Ionas, cuius conſilio plurimum vtebatur, interfuerit: cui etiam vicinarum eccleſiarum, & Halenſis inprimis curam demandarat, in qua etiam intra Lutheri complexum Deo animam reddidit, mortuus Eiſeldiæ Anno M D XLV.* Adeo ſemper errant impij, vt ne quidem naturæ lumine nota rite attingant.

III. Accepto de Lutheri morte nuncio, Saxoniæ, Elector corpus à Mansfeldijs Comitibus, vt VVitebergam ad ſepulturam mitteretur petijt. Quo impetrato, funus currui impoſitum multis cum cæremonijs & pompa deducitur, panno atri coloris, albi coloris cruce decuſſato, obtectum; proxime in alio curru ſequentibus Moniali vidua, plena lachrymarum, & tribus filijs, quos illa tamquam *Æternũ inceſti monumentum & pignus amoris*, & venerabiles tanti prophetæ reliquias, populo paſsim oſtentabat. Sed dolorem ex mariti morte conceptum non parum lenierunt à Mansfeldijs Comitibus duo, & Saxoniæ Electore tria florenorum ipſis donata millia. Funus præterea comitati ſunt equites circiter quadraginta. Quum non procul à VViteberga abeſſent, præſto fuerat alius currus multo ampliori cum ornatu, ſed ob intolerabilem fœtorem quem cadauer ſpirabat, loco id mouere nemo fuit auſus.

Sepulcrum ei factum eſt à regione ſummi altaris, addituſque è candido marmore cippus. Ibi quoque non multo poſt mortui Melanchthonis corpus fuit reconditum. Circumcirca duodecim Apoſtolorum; à manu dextra, Saxonis, à ſiniſtra Brandeburgici Electoris ſtatuæ viſuntur. VViteberge Lutheri funus iterum Latina oratione à Melanchthone, & Germanica à Iuſto Iona celebratum fuit. Nec omiſſus fuit lepidus ille veriſiculus, quo viuens Lutherus res à ſe geſtas deprædicarat, nempe:

Peſtis eram viuens, moriens ero mors tua Papa.

Hanc quidem ob cauſam illuſtris quidam Hiſtoricus hunc ei titulum tribuit, Mart. L. *auctor ſchiſmatis contra Papam*: quod tamen parum eſt. quin ſepticeps potius Lerna dicendus fuerat; quod ſeptem præcipue hæreſeon ſiue ſectarum Auctor fuerit. etſi ipſe ſe viuentem Confeſſus fuerit vltra 30 ſectas peperiſſe. Reuera autem innumerabiles, quarum CCXII. diſtincta nomina obtinuerunt. (1) Sed quam verax ille fuit propheta, cuius vaticinium de morte Papæ nondum poſt C annos, quod à morte implendum erat, veriſimilitudinem ſinit ſperare. Mirum eſt quantum laboris pictoribus & ſculptoribus iam mortuus exhibuerit Lutherus, pictus, fictus, ſculptus, & quibus non modis expreſſus? Viſitur multis adhuc locis etiam in templis eius imago cum hac inſcriptione: DIVVS ET SANCTVS DOCTOR MARTINVS LVTHERVS PROPHETA GERMANIÆ. Et in pluribus locis Germaniæ, etiam in popinis, oſtentantur Ducis Saxoniæ & coniugis ipſius ante crucifixi imaginem genibus innitentium, effigies, & penes hos Lutherus velut alter S. Ioannes. Quin etiam multi Germanorum ſi quando Lutheri nomen vſurpari audiunt, caput aperiunt; & in collegijs ipſius imaginem eodem modo quo nos Saluatoris noſtri crucifixi, venerantur. In pari fere apud eoſdem honore eſt Melanchthon: quorum vtriuſque effigies, tamquam mariti & vxoris fere coniungi ſolent. Et quemadmodum primi Chriſtiani in frontiſpicio altaris itemque in templorum porticibus Crucis ſignum inſculpere, & in vitris & feneſtris Ieſu nomen depingere ſolebant. (Hinc Reformatorũ noſtrorum illud Quodliberticũ: *Illo tempore quo Ieſus & Maria feneſtris inſerebantur*) ſic noui Euãgelici ſimilibus locis Lutheri & Melãchthonis

(1) *Anatomia Eccleſ. Cathol.*

thonis imagines ostentant. Hamburgi certe, *Bremæ*, Lubecæ, & alibi, omnes fere portæ, ianuæ, fenestræ, quæ publicas plateas spectant, tale aliquid præferunt. Sed enormem mihi & belluinam vide idololatriã stultissimorũ hominũ; qui ad consecrãdã æternitati Magistri sui memoriam, persuadere nobis volunt, de ipsius adventu Sanctum Ambrosium & Sanctum Augustinum esse vaticinatos. Samuel apud Reginaldum Polum testatur in tabula depictam vidisse se Lutheri imaginem, Latina inscriptione adiuncta: *Divinum atque admirabile vaticinium Divi Ambrosij & Augustini, de tempore & adventu Sancti Lutheri, qui contra Antichristum Romanum scribere cœpit, ut litteris huius versiculi, numerum anni repræsentantibus, continetur; quod est apud Christi fideles admiratione & notatu dignum.* Tibi Cherubin & Seraphin incessabili voce proclamant.

Ex numeralibus his litteris, aiunt suaves isti mulsores & eruditi homines *efficitur numerus MDXVII. qui idem numerus est anni quo contra Romanum Pontificem primum calamum strinxit Lutherus.* Sed quæso vos, an quidquam ineptius etiam per somnum potuissetis fingere, quam quod admirabili illo Seraphicorum & Cherubinorum Angelorum concentu, Lutheri tamquam alterius Messiæ adventum denotari dicitis? Itane miserè cæci & hebetes estis, ut duo L L. quæ sane & ipsæ numerabiles sunt literæ & quin quagenarij notæ sunt non videatis? Sed omnia illi susque deque habent errare & mentiri dummodo Prophetam suum ad cœlum usque extollant. Quin etiam negantur, Lutherum stellam illam esse de qua Sanctus Apostolus Joannes in Apocalypsi loquitur (*t*) Illyricus, *Nos*, inquit, *non dubitamus, Lutherum illum principalem esse Angelum, qui per medium cœli volans, Evangelium habebat æternum.* Et alibi; *Eliam esse dicit, qui secundam Christi adventum præcesserit* Sed & tu Illyrice multum deliras ista garriendo ex cap. 14. Apoc. cum Sodalibus gregum tuorũ. Ad cap. 9 Apoc. oportuerat oculos te tuosq; convertere, illic Lutherũ tuũ Quinto Angelo tuba canente vidisses sub forma *Stellæ de cœlo deciduæ, & aperientis puteum abyssi*, & te ipsum sub forma *Locustæ* delineatum. nam Angelus ille capite 14. Apocalypsios volans nimium adhuc à tuis meisque temporibus est remotus, in futuris sæculis revelandus, quando eorum, qui nomen Jesu & Patris eius portaturi sunt, & Virgines erunt & agnum in vitæ suæ exemplo sequuntur, numerus ad C. XL. IV. millia excreuerit. Cum his enim virginibus Commercium erit illi Angelo Apocalyptico, qui volans portabit *Euangelium æternum, vt Euangelizet sedentibus super terram, & super omnem tribum & linguam & populum*, quorum nihil omnino competit Luthero tuo. is enim Virgines traxit ad propudium, & de sacris fecit sacrilegas, & de Christo nuptis fecit scorta Apostatarum. nosti Illyrice, quæ tibi ex Luthero tuo annumerata sunt verba & facta, de eius continentia & amore Virginitatis, hoc ipso libro cap. VI. potes etiam discere eius animum castum ex Condradi Andreæ *Luthero casto* per 1. articulos digestum & denique ex ipso Lutheri decreto contra scorta Wittebergæ An. 1545. 13. Maij valuis Ecclesiæ affixo, quo adolescentes magis irritauit concludendo in hunc modum: *Summa rei est, caue tibi à scortis* (antea vocarat mulieres scabiosas & infectas morbo Gallico) *Deumque roga vt bonam tibi puellam adiungat (u)* Vxorem honeste dixisset Lutherus si honestam animum à puero coluisset, iste enim modus vovendi apud Germanos est lenonum. Nihil itaque Luthero & Angelo illi Euangelium portanti commune est, nisi merus Euangelij prætextus & nudum Euangelici fine re nomen. Sed neque isto Angelo potest designari Lutherus, quippe qui non volauit per medium cæli sed diligentissime se intra munitionem VVittebergæ continuit nisi eum vel Melancholia, vel salvus conductus Principum Sæcularium inde efferret. Nec super omnem gentem & tribũ & lingnam & populum euangelizauit, sed super solam Germaniam, & illius exilem particulam. Notum enim est quomodo Orlamundæ lapidum & fimi iactus declinarit, ascensu curru uti nouus Elias (*x*).

Sed videamus iam, quomodo vaticinia Lutheri impleta fuerint; vsi adhoc cuiusdam Lutheri amantissimi discipuli testimonio, qui libellum edidit hoc titulo: *Verax narratio beneficiorum per Diuum Martinum Lutherum Germania diuinitus præstitorum.* In hoc inter alia dicit, Lutherum prædixisse *post annunciatum à se Euangelium, & Papatum abolitum, homines eousque progressuros vt Deum non amplius cognituri, sed recto gradu ad Sathanam pergentes, ex sua phantasia modulo vitam & doctrinam instituturi sint. Idque iam euenisse. Papatu enim destructo,*

t *Apoc. cap. 14. Myr. cap. 10. Spangeberg.* u *Vlenberg. Vit. Luth. cap. 31. num. 4.* x *Vlenb. Vit. Luth. cap. 14. num. 1. & 2.*

sto, & populo à Romana seruitute liberato, eosdem Euangelij quoque seruitutem detrectare, nec quidquam credere velle quam quod ipsis videatur. Loquitur vero de VVitebergensibus & Lipsiensibus, qui magistri sui Lutheri nomen & memoriam non multo post ipsius mortem detestari cœperunt, appellantes eum, *Philauton, Philonicon, Eristicum, Hyperbolicum, Polypragmona. Stoicum, durum, capitosum, animarum & conscientiarum tyrannum.* Sed titulos hos & elogia Luthero, & ridicula Lutheri vaticinia quæ ipse Satan indies edit & optat, alijs relinquamus: & quæ de Luthero dicenda restant persequamur.

IV. Quanta in hoc homine arrogantia fuerit, vix, scio, crederet posteritas, nisi tot ea æternis consignata esset monumentis. Maiorem certe in nemine vmquam fuisse, certum est. Nam proculcata omni Christianæ religionis antiquitate, cuius ille perpetuus fuit Aristarchus & censor, nihil frequentius in ore habebat, (y) quam *se ad hoc diuinitus missum, vt veram Legem Mundo daret. Doctrinam suam ipsum esse Euangelium, de quo Christus ipse in extremo iudicio daturus sibi sit testimonium, quod è cœlo illud acceperit. Iudicium suum Dei esse iudicium. Qui suis dictis sese opposuerit, in eum aternis flammis Deum vindicaturum esse. A Deo se electum, qui Pontificem Romanum è throno suo deturbet. Interea dum dormiat, aut cum Melanchthone & Amsdorffio VVitebergæ cereuisiam bibat, magis se Papatui incommodasse quam omnes Cæsares & reges qui vmquam fuerint. Se super Leone ambulaturum, & pedibus suis serpentes conculcaturum. Quod à se viuo cœptum sit, post mortem completum iri. De se S. illum Ioannem Hussium, quum in vinculis esset Constantiæ, ita vaticinatum: A Papistis iam anserem assari* (Hus enim Bohemica lingua anserem significat) *at post centum annos Cygni cantionem audituros.* (z) Sic ardelio in libello quem contra Augustanum fecit Decretum, paratragœdiatur: cui si credimus, huic vni soli monacho Spiritus S. ea mysteria quæ Ecclesiam & tot tantosque Orientis & Occidentis Doctores celauit, aperuit & reuelauit. Sed hoc idem dixerat Muncerus, idem dixerat Dauid Geotgius, & alij eius temporis hæretici & hæresiarchæ. Et sicut olim nescio quis Grammaticus gloriatus est, *litteras secum natas, & secum quoque interituras*; sic Lutherus sibi vni doctrinam, eruditionem & scientiam arrogabat: adeoq; titulum hunc à diabolo sibi tributum ait. (a) Ad suam vsq; ætatem omnia plena fuisse ignorantiæ. Credas huic quasi alteri Moysi, ineffabile illud Adonai nomen reuelatum, neque ad tertium vsque cœlum solum hunc Paulum eleuatum, sed in intima cælorum sacraria & adyta perductum, vt abditissima illic diuinitatis mysteria rimaretur; & velut alter Prometheus, cœlestem illum ignem vulgo in terram ad homines deferret. Audi quibus verbis Germaniam inclamet. (b) *Aperi oculos*, inquit, *misera Germania. Ego, ego sum, qui cœleste lumen ad te adfero. Euangelium meum clarius est & euidentius, quam Apostolorum tempore vnquam fuit. Miseri Germani! Antequam vos ego docui, quid veritas esset nesciuistis.* In libro vero quem de Pontificis & Episcoporum scripsit statu, aperte ait, *Euangelistam se esse à Deo missum, ad Mundi salutem. Quicumque sibi non obtemperauerit, Iesum Christum contemnere.* In more etiam habuit, vt litteris quas mediocris conditionis hominibus scribebat, nomen suum hoc modo subsignaret, *M. Lutherus Euangelista VVitebergensis* (vnde etiam discipuli ipsius Euangelici appellari volunt) nonnunquam vero: *Propheta Germaniæ*: Simonis magi exemplo, qui seipsum Dei altissimi Virtutem appellauit. Sic Manes libri sui frõtispicio titulũ hunc præfixit, *Epistola Fundamenti*, superbis illis titulus vsus, *Manes Iesu Christi Apostolus, Patris prouidentia.* Sic Montanus seipsum *Paracletum* nominauit: sic Valentiniani *Gnostici, id est, scientes* dici voluerunt, vt Clemens Alexandrinus testatur. Luthero idem mihi accidisse videtur, quod Vincentius noster Lerinensis (nostrum appello, quia Gallus fuit) Origeni accidisse dicit: *quem arrogantia sic dedit præcipitem, vt numquam postea resurgere potuerit. Dũ enim magnus ille vir Dei gratia insolenter abutitur, dum plus sibi tribuit quam humana patitur imbecillitas, dum Catholicæ religionu simplicitatem contemnit, dum plus se sciro quam ceteros omnes existimat, dum posthabitu Ecclesiasticiis traditionibus, loca quadam S. Scripturæ nouo modo interpretatur. seipsum perdidit, & Ecclesiæ magnum scandalum concilauit.*

V. Sed ô mirabiliorem in Luthero cæcitatem! Quis credat hominem hunc, *omni Dei & Ecclesiæ destitutum testimonio*, titulum hunc acquirere potuisse, vt *Germaniæ Apostolus* diceretur & crederetur? qui nec viuus nec mortuus vllum fecit miraculum, quo doctrinæ suæ veritatem confirmaret?

y *in 500. art. 3. z Ad fals. dict. stat. Eccles. in resol. Teuton cont. Rep. Angl. In serm. ter. 2. post Inuocauit. Luth. contra Imperiale Edictum.* a *Lib. de Missa Angulari.* b *In 500. art. art. 355. Tom. 6. fol. 165. Lib. de schol. erigend.*

Hoc Caluinistæ Heidelbergēnses eidem in libro quem contra concordiæ Formulam ediderunt exprobrant. Quum enim Anno M D XLV. paulo ante eius obitum è Misnia quædam puella dæmoniaca ei curanda adduceretur vt immundus spiritus ab immundiore ejiceretur, importune compulsus demum, in sacrario Ecclesiæ aggressus est primum ultimumque signorum suorum, siquidem alijs verbis alijsq; exorcismis, quam qui à Sancta præscripti sunt Ecclesia vsus; à diabolo arreptus atque ita tractatus fuit, vt nisi quidam propere auxilio accurrissent, de vita ipsius actum foret, cum igitur per fores mirabilis hic exorcista erumpere tentaret, eæque ita a Dæmone constrictæ tenerentur, vt nec foris claue, nec intus nisu à limine suo auelli posset, & per feneſtras exitum clatri ferrei negarent, demum securi per feneſtram iniecta, Staphylus, præsens & ad fidem Catholicā postea reversus ostium confregit, & exorcizato Luthero viam patefecit. Ita tum discipulus, qui præsens huic Mimo interfuit, ad longum hanc historiam recenset, graphicè quum magistri tum suum ipsius pauorem describens. Et sane mirum erat imperitum hunc dæmonomastiga videre circumcursitantem, tantoque pauore consternatum, vt parturiret, quæ toties ore & calamo in alios liberaliter iactarat. Hinc illa melancholia, quæ eum adegit, vt in indignatione spiritus sui VVitteberga, vultus declinans, abiret. Sed putidam hanc historiam omittamus: quam qui volet, integram legere poterit apud Staphylum, (Lindanum (*c*) Bredembachium, (*d*) Thyræum, (*e*) & alios.

Quantum vero Lutherus sibi tribuerit, quam superbè ceteros omnes contempserit, inde etiam patet, quod dicere non erubuit: *Quæ hactenus credidisset Ecclesia à Sathana profecta esse; quæ vero ipse doceat, Spiritum Sanctum habere auctorem. Omnes cæcutisse, vno se excepto. Sibi datum esse Dei spiritum, quo omnes iudicare possit; at se à nemine iudicari posse.* Quid multis, *Nolo*, inquit, *Iudicium, sed volo obsequium.* Sic Propheta hic loquitur. Sed qualis Propheta? Propheta quidem *sine miraculis, sine quorum testimonio*, Irenæo teste, *nullius vmquam missionem Ecclesia acceptauit.* Quod si olim Prophetæ illi nullum aliud testimonium habuissent quo probare potuissent se à Deo missos fuisse, quam suam ipsorum vocem, nemo sane credere ipsis fuisset obligatus. Immo si Saluator noster factus maris solo verbo non compescuisset, non sedasset tempestates, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, adeoque mortuis etiam vitam non restituisset, Iudæorum credere ipsi nolentium pertinacia Christo attestante peccatum non fuisset. O nimium credulī Lutherani! Lutherus vester ait, *à Deo se missum vt Euangelium prædicaret, ipseque sibi titulum sumit: vos statim sine vlteriori disquisitione illud creditis, immo Germaniæ Prophetam & Apostolum appellatis. Muncerus similia & multo maiora de se iactauit: nimirum se cum Deo quasi familiariter loqui, cur non ipsi fidem habuistis? Quia*, inquit Lutherus, *doctrinam suam nullis miraculis corroborauit.* Cur non idem Luthero respondistis, quod Episcopus quidam ante mille & ducentos annos Nouatiano cuidam? *Habetne donum linguarum quas non didicit? An futura prædixit quæ euentus probarit? An vere mortuos resuscitauit?* Horum enim aliquid habere oportet eum qui Nouum Euangelium prædicat. *Quamprimum nouus aliquis Doctor Nouam doctrinam spargere cœperit, miracula ab eo exigenda esse ipse Lutherus asserit.* Sed quomodo quæso ictum argumenti petiti ex miraculis, Lutherus declinarit videamus. *Illuditur mihi passim*, inquit, *& miracula à me exiguntur. Quasi vero doctrina mea cæcis visum, & surdis auditum non restituerit.* Ecce tibi mirifica & bene certa miracula! ipse ea solus vidit, quando omnes cæci erant ipse solus videbat. Idem Menno Anabaptistis, idem Zuinglius Heluetijs, idem Seruetus Polonis, idem, pessimus ille nebulo Dauid Transyluanis eodem iure persuasit. D. Augustinus, *auctoritate cœpta per miracula, per spem nutrita, per charitatem aucta, per antiquitatem confirmata, in Ecclesia Catholica retineri se scribit.* Et Lactantius *illam veram esse religionem* dicit, *quæ diabolos terreat, & sedibus suis exturbet* (*f*). Quod quidem in Catholica Ecclesia fieri videmus. In hac dæmonum sunt flagella & mallei, quibus *capita ipsorum conquassantur*, non vero in nouitia illa & heri aut hodie nata Ecclesia. Miracula sigilla sunt, & quasi tropæa contra eorum incredulitatem & obstinationem erecta, qui per summam stultitiam Catholicæ Ecclesiæ gremio se subduxerunt. Cupis videre à Catholicis effecta? Lege historiam Nouæ in Oriente, & Occidente, dum septentrionalis ab hæreticis inuaditur & de-

c *Dial. 3. cap. 1.* d *Coll. al. lib. 7. cap. 40.* *Thyreus de dæmoniac. parte 3. Vlenberg. Vit. Lut. cap. 33. num. 5.* e *De falsi ordin. Eccles.* f *Lib. 4. Instit. c. 21.*

& destruitur, plantatæ Ecclesiæ (*g*). Videbis ibi *vna cruce infinitam hominum multitudinem obstupefactam atque attonitam, & diabolos fugatos ac profligatos. Videbis ibi sanctissimam Virginem Dei matrem pro Christianorum salute excubantem, & flammas multis hominum millibus aspicientibus extinguentem, adeoque mortuos etiam resuscitantem.* Sed de his non est hic dicendi locus. Iam alias Prophetæ Lutheri dotes ac virtutes excutiamus.

VI. Tam iniquus & acerbus omnium Aristarchus & censor fuit Lutherus, vt ex omnibus S. Ecclesiæ Doctoribus nemo sit, cui non ille dentem mordacem infixerit. Quantas, Deum immortalem! quamque atroces iniurias & calumnias *os hoc draconis* (sic Irenæus hominem Lutheri plane similem appellat) in sanctissimos simul & doctissimos illos viros euomit? Nec sane mirum hoc cuiquam videri debet quum teste Athanasio, *hæreticorum mos sit nec viuis nec mortuis parcere.* Idem fecerunt Nestorius, Nouatus, Samosatenus, vt Socrates, Eusebius & Nicephorus testantur (*h*). Et quemadmodum Aristarchus, Cicerone teste, pro Homeri versibus non habuit, nisi eos qui suis autibus placuissent; sic Lutherus in omnibus SS. Patrum libris ne vnum quidem bonum verbum aut sibi probatam sententiam (quamuis in plerisque tot fere sint sententiæ quot verba) reperire potuit. Nec mirum, quærebat enim tantum quæ suis opinionibus patrocinarentur. Omnes ille cœcos & sacrarum literarum ignaros vocat. Eodem fere modo Pelagiani apud S. Augustinum loquuntur. Lutherus (*i*) *Patres* ait *pennam quidem in manu, sed mentem interim alijs cogitationibus habuisse distractam. Et nisi ante mortem in quibusdam sententiam mutarint, Sanctorum, quod illis tribuitur, nomine non esse dignos. Omnes,* inquit, *nescisse quid spiritus sit, quid littera, & quantum inter vtrumque interest. Scripta ipsorum dubia esse & tenebricosa. Non curare se mille Augustinos, non mille Cyprianos, non mille Ecclesias. Indignos illos esse qui calcei sui corrigiam soluant* in Epistola ad Angliæ Regem profiteri non erubescit. Idem nouam quandam, veteri abolita, Missæ formam comminiscens, *Scio,* inquit, *Papistas ad rauim vsque mihi Ecclesiam & Patres occlamare: sed in tantæ hominum iudicia ego nihil moror. Vbique vero in scriptis suis Patres delirasse, aut cæcutisse* ait. Sic ille generatim de omnibus sensit, sic loquitur; nunc speciatim quo hunc vel illum modo tractet, breuiter videamus (*k*).

Tertullianum *Carolstadij dicit esse similem*; id est, stultum esse & delirum; S. Irenæum *Dei blasphematorem*; S. Chrysostomum *nugacem & seditiosum; eiusque opera confusanea esse, & sine vllo ordine, sine iudicio sine fructu incompositam verborum struem.* S. Hieronymum *è SS Patrum catalogo expungendum esse: vt qui hæreticus fuerit, impius, & nullo iudicio praditus; qui nihil nisi ieiunia & Virginitatem crepet, & in omnibus libris nihil veræ religionis doceat ac tradat: immo nisi in extremo agone Deus ipsum respexerit, infernum magis quam cœlum meruisse.* In Præfatione super Epistolam ad Philippenses terræ hic vel potius, vt cum S. scriptura loquamur, iræ filius, Commentarios Hieronymi & Origenis cum suis comparatos, *meras esse ineptias & nugas*, ait. *S. Ambrosium* ait, *nihil nisi de ieiunio & precibus loqui.* Lutheri discipulus qui facetias ipsius vel scurriles potius iocos qui comessanti exciderunt, tam operose vnum in librum collegit, quodam loco sic eum loquentem facit: *Si quis mihi numeraret ac donaret decem millia aureorum, nollem in eo periculo atque extremo salutis discrimine versari, in quo Hieronymus est constitutus.* Quid si quis viginti millia tibi dedisset, Luthere, an conditionem accepisses? Vide quomodo impurum hoc os de summo viro ac fidelissimo Dei seruo loquutum sit: quem Augustinus ex Africa, Osius ex Hispania, Epiphanius ex Cypro, Theophilus ex Alexandria, & alij, tamquam diuinum oraculum in rebus dubijs consuluerunt. Sed & quomodo eiusdem vitæ solitariæ, cilicio, & carnis macerationibus illudit? Vt vero Sãctos illos Patres Lutherus tantum non inferno addicit; sic *Vigilantium*, primum illud Franciæ portentum, *in cœlo locat, & librorum quos scripserat, interitum deplorat. sanctum hominem appellans.* Idem de Vigilantio Centuriatorum Magdeburgensium est iudicium, qui eum *diuorum catalogo adscribere non verentur.* Est hic mos hæreticorum, vt ijs benedicant, qui ab Ecclesia maledicti sunt, & maledicãt illis qui ab Ecclesia sont glorificati. Hæreticum hunc (Vigilantium intelligo) suarum faciunt partium; ideoque ipse Lutherus

g *Maffei Hist. Ind. & Acosta l. vlt. Vita Francisci Xau Iosephi Anchietæ, Iarrici Historia, Annuæ Soc. Iesu Indicæ Athan lib. 1. cap. 29. Epist. ad solit. vit. agen.*
h *Lib. 7. cap. 13. lib. 6 cap. 36. lib. 5. cont. Iulian.* i *Tom. 7. lib. de Miss. prius. fol. 231.* k *Fol. 7. Luth. Mens. Coll. Vid Pet. Rebstock. Colloq. pag. 50. Resc cap. 8. Luth. Tom. 2. fol. 476. Io. Ami in Coll. Luth. fol. 377. Luth. Tom. 5. ad Galat cap 3. Tom. 5. de ser. arb.*

therus *magis Christianè quam S. Hieronymum, eum mortuum esse scribit: qui*, inquit, *si in illo de Sanctorum inuocatione errore mortuus est, aeterna damnationi est obnoxius.* Sic impij isti & diabolici homines sentiunt & loquuntur, eodem scilicet modo quo olim Nestoriani, Nouatiani, Samosateniani, & alij de seruis Dei & Catholicis Christianis loquuti sunt, vt apud Socratem, Eusebium, Nicephorum & Theodoretum legere est. Sed porro videamus quod Lutheri de ceteris sit iudicium.

Basilium sic contemnit, *vt nepiliquidem faciendum* censeat, *vt qui merus sit monachus.* Origenem ait *ne verbum quidem de Christo habere. In omnibus Athanasij scriptis nihil esse singulare.* Quod ergo quidam obijciant sibi Luthero, doctrinam ipsius non esse Patrum doctrinæ conformem, *ne huius quidem se facere, & ad eiusmodi voces aures sibi plane esse obturatas.* Alio loco contra Rusticos scribens, ait, *etiamsi totius Mundi machina dissoluenda sit, velle se vt omnia qua ipse doceat, pro bonis & veris habeantur. Sculponeis vel pugno obturandum, adeoque cruentandum esse eos illis qui ipsius doctrinam vellicare ausint.* Quid? an tibi hæc sobrij hominis verba esse videntur? Staphylus qui Lutheri fuit discipulus, narrat *à magistro sæpius se fuisse monitum vt SS. Patrum libros caute legeret, atque ita ne ab ipsis caperetur: tum eatenus eorum sententiam probaret quatenus S. scriptura, id est suis delirijs, esset conformis.* Eadem vox fuit eorum qui post Lutherum non magis sectis suis, quam opinionibus certum aliquem modum præscripserunt: quorum vnus ait, *Priscorum Patrum testimonia tam sollicite conquirere, nihil aliud esse quam fœtentis cœni struem congerere, & turbidas aquas in vnam cloacam derivare.* Et huius quidem tam grauis erroris caussa est particularis singulorum Ambitio, & præsumtio, qua omnes velut decumano aliquo fluctu, in pelagus illud errorum abripiuntur. Inspice, Lector, *mendaces illas Centurias Magdeburgensium Concionatorum, qui post Lutherum nouam Ecclesiæ formam introducere aggressi sunt.* Nulla fere pagina occurret, quæ non insigni, aliqua iniuria & contra tam sanctos homines, terræ olim lumina, at cœli nunc inquilinos, calumnia sit perlita. Aiunt, *Patrum scripta cisternas esse arentes & pertusas, immo fœtidas cloacas: quibus non plus fidei tribuendum sit quam ijs qui lilia humeris serunt.* Irenæum *quasi furioso esse similem.* Clementem *nihil habere misi sordes & nugas.* Cypriano *nullum esse Deum.* Euolue omnia Caluini scripta, videbis omnes paginas similibus SS. Patrum conuicijs refertas & quasi illustratas. Ignatij Epistolas *pro fabulis habet,* Iustini Martyris *Consecrationem pro incantamentu.* Gregorium Magnum, inquit, *à Spiritu Dei non fuisse ductum.* Beza aperte coram Deo & Angelis protestatur, *S. Hieronymi in torquenda S. scriptura audaciam esse intolerabilem. Atque neminem id negaturum qui scripta eius contra Iouinianum & Vigilantium legerit. Sanctus hic vir* eidem Bezæ *est idololatra, blasphemus, pessimus, & omnis iniquitatis plenus;* Origenes vero, *diaboli organum seu instrumentum;* S. Cyprianus *homo impurus, corruptus, amens, diuino spiritu & verbo destitutus.* Sed leuia hæc sunt, si cum eis quæ Serreius Minister in Anti Iesuita suo de Patribus S. Niceni Concilij scribere ausus est: *quorum consessum inquit similem sibi ebriorum hominum conuiuio videri; immo nullum tam phreneticum conuiuium cogitari posse, si vel ipse Bacchus pampinis coronatus, dolio insidens, & trullam manibus tenens, Lapitharum & Manadum cinctus corona, cum tintinnalibulis, sistris & thyrsis, alijsque instrumentis tali deo dignis pingatur, quam fuerit hic amentium & Dei & Ecclesiæ nomine abutentium hominum consessus.* Zuinglius vero, *Quid mihi, inquit, rei est cum Patribus potius, quam cum Matribus?* O sancti & admirabiles homines. Vos ego, vos apello, Ecclesiæ quondam columina, & lumina fidei: qui cum Deo iam æuum agitis sempiternum. Quis credat hominem Christianæ religioni vel initiatum, immo Diabolum potius ex impuri hominis ore tanta in vos contumelias & conuicia effundere potuisse? Adeone cæci & velut in tenebris palpantes in hoc Mundo oberrastis, vt ipsi salutis viam non cognoscere, nedum alijs commonstrare potueritis; & tam vos quam alios quos ad cœlum educere debebatis, in abyssum inferni detruseritis?

VII. Sed his iniurijs non contenti homines pessimi, etiam scripta SS. Patrum truncare, mutilare, & corrumpere non dubitarunt, vt cum suis eos conciliarent opinionibus, Pessimum hoc sane artificium vel maleficium potius est, & insignis malitia; qua tamen plerique schimatici vsi sunt. Videas plerosque, vbi aliquo mulieris halitu afflati, aut lasciuo aspectu capti, libertatis subnixi alis è Monasteriorum septis, vbi nescio quid Græcissare aut Hebraizare cœperunt, euolauerint, statim Græcorum Patrum aut alijs S. scripturæ libris vertendis, vel potius peruertendis, manum admoliri. Sic *Oecolampadius Homelias S. Ioannis Chrysostomi, &*

super

super Geneſin Commentarios, vt & Theophylacti opera vertenda ſuſcepit. VVolfgangus Muſculus libros aliquot S. Baſilij, & Ioannes Langlæus Iuſtinum, Lambertus Humfredus Cyrillum Alexandrinum, Iacobus Faber Ioannem Damaſcenum, Bilibaldus Birckhaimerus Gregorium Nazianzenum, Laurentius Humfredus quædam Origenis Opuſcula, Ioannes Leunclauius Gregorium Niſſenum & hiſtoriam Michaelis Glycæ & Conſtantini Manaſſis, Ioannes Langlæus hiſtoriam Eccleſiaſticam Nicephori, Hieronymus VVolfius hiſtoriam Zonaræ, interpretari conati ſunt. Alios omitto, ac præſertim *Baſileenſes* theologos, *qui Anno M.D.LXIV. S. Athanaſij opera imprimi curarunt, in quibus quæſtio XXIV. Ad Antiochum, velut Papiſtica, omiſſa eſt,* quamuis eadem in antiquis, vt & a Gryphio An. MDXXX. excuſis exemplaribus habeatur. Eadem fide & integritate idem in Lactantio imprimendo vſi ſunt. Quot falſitates in Bibliorum à Vatablo curata verſione commiſſæ ſunt? cuius impreſſori Roberto Stephano auctor grandem dicam impegit, eò quod ſe inſcio, ſuo nomine eſſet abuſus, & ſub eo tam multa falſa & corrupta promulgaſſet (*l*) Verum ille forum declinans, Geneuam ſe recepit, omnis impietatis aſylum.

Quod ſi minutatim iſta omnia, ac præſertim quæ in Magdeburgenſibus Centurijs paſſim occurrunt, perſequi mihi eſſet conſilium: Deum immortalem, quot quantaſque falſitates, corruptiones & deprauationes demonſtrare poſſem! Quam multa truncata, mutilata, omiſſa, addita, inuerſa, peruerſa: dum erroribus ſuis patrocinium quærũt, aut Eccleſiæ lumina ſuis interpretationibus obſtruere conantur. *Rumpunt illi & corrumpunt omnia, vertunt, inuertunt, peruertunt; præſertim ſi quid opinionibus ſuis contrarium occurrat.* Ceteris enim acciſis, id tantum relinquunt, quod minus ipſis repugnare videtur, & cui color aliquis induci poteſt. Hinc fit vt verbis SS. Patrum tamquam alienæ arboris ſuos inſerant, veluti palmites: qui tamquam ſylueſtres & adulterini nullum alium fructum ferunt, quam quod varijs modis illorum hominum fraudem & malitiam produnt. Tam multis locis adeo fœde ſcriptores illi à nouis his Marcionibus corrupti, deprauati ac mutilati ſunt, vt non minus quam Hippolytus olim ab equis diſcerptus, omnem priſtinam formam amiſerint, adeoque non ij qui ſunt videantur. Periodos ad ſuum placitum formant, verba ſine lance exigunt, ſyllabas vt volunt examinant. Addunt, demunt quod videtur. O importunos homines, quibus velut continua febri laborantibus, nullus bonus & ſalutaris cibus placet, ſed veluti prægnantes feminæ ea tantum expetunt quæ & fœda ſunt & noxia. Sed tuum eſt, ô ſancta multiſque nominibus illuſtris Societas IESV, & ſcientiæ promtuarium, domimicilium eruditionis, & præſtantiſſimorum ingeniorum veluti receſſus merito quidem haberis, (cuius initium & progreſſum libro V. deſcribemus) tuum inquam eſt, ſpongiam tot inductis coloribus adhibere, & natiuum illum & priſtinum ſplendorem diuinis illis operibus reſtituere, & errores & fucos quos peſſimi illi homines illeuerunt, expurgare.

VIII. Quemadmodum vero in libra, ſi lancium vna deprimatur, altera ſurſum vergit & eleuatur; ſic Lutherus per SS. Patrum contemtum, inter ſuos ad ſummam gloriæ opinionem gradum ſibi conſtruxit. Nam & ipſe *Euangeliſta & Apoſtoli* titulum ſibi vendicare non dubitauit; & hæc eadem multaque alia encomia diſcipuli ipſius (de rigidis loquor, non mollibus, quales VVitebergenſes & Lipſienſes appellati ſunt) in omnibus quos publicarunt libris ipſi tribuunt: quorum ſane tanta eſt multitudo, vt nullos vmquam hæreticos *ſcribaciores* fuiſſe facile mihi perſuadeam. In his Magiſtrum ſuum (*m*) non honorant modo, ſed tamquam *cœlo delapſum Palladium adorant: alterum Paullum Apoſtolum, alterum Eliam Prophetam* (& hoc nomen ſibi ipſe etiam tribuit) *Tubam cœleſtem, Os Dei, S. Spiritus organum, alterum S. Ioannem Baptiſtam Chriſti præcurſorem, appellantes.* Lutherum Funcius hiſtoricus ait, *velut alterum Ioannem Baptiſtam, agnum Dei qui tollit peccata mundi, commonſtraſſe: eiuſque aduentum multis vaticinijs & viſionibus longè ante fuiſſe prædictum:* quæ quidem ego VViteberga forte adhuc in Democriti puteo latere puto. Hoc loco mihi in mentem venit Pſaphon ille impoſtor, qui picas quaſdam verba illa, *Pſaphon eſt Deus,* ſonare edocuit, vt hominibus perſuaderet ſe Deum eſſe. At vicini, *Pſaphonem aiebant auium conuicio Deum, ſed hominum veraci ſermone impoſtorem perhiberi.* Sic quamuis Lutheranæ iſtæ picæ & pſittaci (*n*) hanc cantilenam ſemper fere in ore habeant, & eandem omnibus pagi-

l *Poſſeuinus, Bellarminus & alij.* m *Saxon. Theologi in ſupplicatorijs libellis ad Naumburg. fol. 63 Luth. tom fol. 488. Fox in Act pag. 404.* n *Sarcerius Neander in lib. orb ter. 3 part. Amsdorf. in præf. op Luth. Vibrand. l. debon. & mal. Germ.*

nis illinant. *Lutherum esse alterum Eliam, alterum Ioannem Baptistam, esse Dei Apostolum*: sapientes tamen eis occantant, *Lutherum monachum esse apostatam, scortatorem, sacrilegum, impostorem, hæreticorum Patriarcham*, quo nomine æque se ipsum nominavit (o) *& Antichristi præcursorem*. Aiunt illi, *Post Apostolos non fuisse maiorem inter homines quam Lutherum: qui tantum priscos illos Doctores antecellat quantum Sol Lunam. Hunc sine dubio antiquos illos Patres, Hilarium, Augustinum & alios, si eadem vixissent ætate primas delaturos, & velut lixas & calones tam magnum ducem sequuturos fuisse*. Alberus contra Carolstadium aperte inquit, *Lutherum plus scire quam omnes Ecclesiæ Doctores: adeo vt si S. Augustinus adhuc viueret, honori illud sibi ducturus sit, si discipulus ipsius dicatur. Quin etiam D. Paulo Apostolo æqualem faciunt*. Quid dico Paulo Apostolo? *immo ipsi Christo*. Si placet, inspice vnum ex præcipuis quæ habuerunt Colloquijs (p), vbi plus quam quadraginta locis vtuntur his verbis: *Hoc congruis verbis Christi & Lutheri: iuxta Lutheri Euangelium: teste scriptura & Luthero non acquieuerunt S. Spiritui & Luthero*: Quo loco eundem habeant satis his versiculis declarant (q).

Christus habet primas, habeas tibi Paulle secundas:
Ast loca post illos proxima Luther habet.

Hoc, aiunt alibi, *repugnat S. Paulli & Lutheri doctrinæ. In Actis Apostolorum, & Catechismo Lutheri, &c.* Vides quomodo semper ipsi S. scripturæ Lutheri scripta coniungant. Omnes, si ipsis credimus, *qui ante Lutherum fuerunt, homines fuerunt*; ipsi vero Lutheri se discipulos profitentur, dijs paullo minores: qui ex medio Cherubinorum choro descenderint. *Reliquos omnes talpas fuisse magis cæcos*, se ad stuporem vsque lynceos, cæteros Papæ Asinos; se quid? nisi Lutheri equos, vel certe mulos. Sic miseri isti homines loquuntur; qui quum velut noctuæ in ipsa meridie cæcutiant, *aquila* tamen *clarius se videre opinantur*. Sed iuuat audire quibus titulis priscos illos Ecclesiæ Doctores & lumina cõdecorarint: ex quibus iam hi Lutheranos, iam illi Caluinistas faciunt. *S. Augustinum*, ait Pappus in Lutheri schola educatus, *Lutheranum fuisse*. At Witakerus contra Campianum id negat, & *Caluinistam fuisse* dicit. At VVolamus tam hunc quam illum mentiri ait: neque enim illum Lutheranum nec Caluinistam, sed *idololatram* fuisse. Vides quã misere tamquam alterum Hippolytum discerpant? vel novo miraculo post mortem ante 1000. annos obitam reforment. Quin etiam quasi conspiratione facta, id vnum agere videntur, *vt omnem sanctissimorum virorum, qui Christi doctrinam sanguine suo obsignarunt, memoriam deleant & tollant: vt quorum nomina è Calendario expunxerunt*, & in eorum locum omnium fœtidissima & turpissima substituerunt. Nam *Martino Papæ, martyrij corona illustri, Martinum Lutherum sucentuariarunt, cuius natalem impij homines aiunt, alteram Christi fuisse natiuitatem*; quasi Christus in Luthero renasci voluerit. Literarum primarum augurio ducti, S. Hilarij stationem Hussio assignarunt; Saturnini Serueto, Gennadij, Gentili. Vix quisquam est ex infima istorum hominum fæce, ad Ziscam etiam vsq;, illam funestam Bohemiæ facem, qui non in isto Sanctorum catalogo locum aliquem inuenerit, qui tamen mille potius supplicijs & cruciatibus digni sunt. Qui de his plura scire cupit, supradictum Funcium legat, & Martyrologium Tomis aliquot concinnatum. Sed quomodo illi in creaturas & seruos non fuerint calumniosi, quum ne ipsi quidem creatori & Deo pepercerint? Videre passim fuit in noui Testamenti libris & alibi, Tabulas siue imagines, Cœnam illam D. N. Iesu Christi repræsentantes, ita factas & pictas vt in eis Lutherus cum inflatis suis buccis in medio sedens *Christum* referret, Philippus Melanchthon *S. Petrum*, Georgius Maior, Lutheri sinui incumbens, *Ioannem*, Eberus *Andream*, Fessingerus *Philippum*, Pomeranus *Iacobum*, Alesius *Thomam*, & Iustus Ionas Lutheri pedisequus, *Iudam Thadæum*, cur tamen tamquam Lutheri delicijs S. Ioannis locus potius tribuendus fuisse videtur. Reuera autem omnes erant meri Iudæ Iscariothæ canterio in signati, is enim solus intinctum panem, Symbolum Vtraquistarum seu sub vtraque communicare per fas & nefas volentium, accepit. Tu quid tibi, Lector, de eiusmodi hominum collegio videatur vide. Sic: nimirum *eos qui semel verecundiæ limites transgressi fuerint, gnauiter oportet esse impudentes*. Sed numquid eadem modestia quasi in hunc locum ingesserunt, deturbandi inde rursus videntur? Ignosce Lector, si quamprimum me hinc proripio, bufones illos terrimos & ranas coaxantes audiens, atque ita se inflantes videns, vt magnis illis viris, quorum memo-

o *Vlenberg Vit. Luth cap. 33. num. 2. Vide etiam Conrad. Andreæ Lutherum Innoxium.* p *Cyriacus Spangenb. contra Steph.* q *Schlusselb. in præf. lib. 7 Hæret.*

memoriam Ecclesia numquam sine honoris præfatione vsurpauit, qui cum cœlis commercium habuerunt, quique decies mille mortes subire, quam vnam Fidei syllabam corrumpere maluissent; ijs, inquam, quorum gloria in omnia futura sæcula perdurabit, audeant æquiparare.

Quid? an Soles illos, quorum claritas mille Mundis illustrandis satis esse possit, à Luthero lumen mutuaturos credimus? An purissimas illas animas, quæ ab omni imperfectione & labe actiones, immo & cogitationes suas defæcare studuerunt, impuro illo monacho, ex sanctimonialis complexibus calenti in disciplinam se tradituros fuisse existimamus? O Luthere miserrime! Potuisses tu quidem ab illis lumen mutuari, potuisses veram doctrinæ & morum regulam ab eis discere; sed tu, velut talpa in tenebricosis illis tuis cauernis sepultus latere, quam salutaribus illis Veritatis radijs illuminari & ex cæco & amfractuoso illo errorum tuorum labyrintho educi prælegisti. At vos, ô Lutherani, Numquid Midæ illius similes estis, qui inconditam & stridulam Satyri fistulam suauissimis tot Apollonium fidibus præferre non dubitatis? Apagite igitur ad rudes illos & Barbaros Schytas, qui hinnitu equi aut asini rugitu magis, quam Musico concentu delectantur. Missos vos facio in hoc Mundo, qui vos procul dubio in altero illo alio oculo quam nunc intuebimini, dicentes: *Nos insensati vitam illorum* (Catholicorum, Papistarum, Monachorum &c.) *æstimabamus insaniam & finem illorum sine honore Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo errauimus, & lux iustitiæ lumen non affulsit nobis &c.*

DE DIVERSIS MALORVM QVÆ sequuta sunt prodigijs.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

I. *Lutherus Antichristi præcursor, cum totius Mundi stupore.*
II. *De prodigijs quæ tunc apparuerunt.*
III. *Tres Soles in cœlo visi sunt.*
IV. *Itemq; tres Lunæ.*
V. *Plurimæ Eclipses Lutheri tempore conspectæ.*
VI. *Astrologorum de ijs iudicia.*

I. POSTEAQVAM tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesia monachum illum, qui primum claustris monasterij sui perruptis, omni proculcata subiectione & obedientia, ad pileum quasi omnes vocarat; qui Catholicæ Ecclesiæ antiquitati superbissime illuserat, qui tot seditiones, tot bella excitauerat & aluerat, nouam denique religionem, & nouum quasi Deum Mundo inuexerat, tandem sine vllo missionis suæ testimonio, mortuum vidit; non sine caussa profecto hunc ipsum & si non Antichristus ipse fuerit, præcursorem tamen eius fuisse, plerique vera pietate & doctrina præstantes viri arbitrati sunt. Præterquam enim quod Lutheri nomen, sicut alibi à nobis dictum est, (a) numerum illum Antichristi nempe 666. præfert: ipse etiam, quantum in se fuit, *iuge illud Missæ sacrificium aboleuit, sacrosanctæ Eucharistiæ eleuationem atque adorationem prohibuit,* quod Antichristum facturum S. Hippolytus prædixit; ab ipso denique consuta religio in multis illi similis est quam ab Antichristo imperatum iri prædictiones testantur; præter hæc omnia, inquam, multa signa & prodigia, quæ aduentum vltimi illius Christi aduersarij, qui in sacra Scriptura etiam *homo peccati* dicitur præcessura sunt, Lutheri in Ecclesiam grassante, apparuerunt. De signis vero illis & prodigijs quum cœlestium illerum secretarius in sua Apolypsi, tum ipse Dominus noster Iesus Christus in Euangelio testatur, ex quibus præcipua sunt quod *Sol lugubri vultu terrebit, Luna obscurabitur, planetæ omnes alterationem quandam sentient, mare fremens terminos à natura positos egredietur, bello, peste, fame homines ad desperationem vsque affligentur.*

II. Hæc vero omnia Lutheri sæculum vidit; quo admirabiles fuerunt Planetarum combustiones, & tot tamq; stupendæ Eclipses, stellarum vero præcipue errantium terribiles formæ apparuerũt; Sol ferrugineo, mox sanguineo vultu conspiciendum se præbuit: & crux nigra, itemque aquila & leo mutuo se complexi, toti quasi flammis lucentes visi sunt. *Recens ante confœderationem Principum Germaniæ,* inquit Peucerus Lutheranus, *cum Galliæ rege, Anno MDLI circa tertiam à Solis exortu horam, XXI. Martij conspeximus Parelia, quæ nitore propemodum Solem antecellebant. Erant arcu connexa Iridi variato coloribus, & in Occasium vergente, quẽ consequebantur duo alij, corniculata specie, minores multo & angustiores ijsdem insignes coloribus, seq; exteriore contingẽtes ambitu. Eorum alter conuersis in Solẽ cornibus, auer-*

a *Lib. 1. cap. 5. n. 2.*

alter atq; in Occaſum porrectis, diutius unius horæ ſpacio cernebatur. Quæ vero portenderint, eventus oſtendit.

Aliud deinde prodigium apparuit, in quo tres Soles conſpecti ſunt, & inter hos duo parelia tanta claritate, ut Solem ipſum illum aſtrorum regẽ, obſcuraſſe pene viderentur: & quidem eo ipſo tempore quo contra Jmperatorem occultæ fiebãt conſpirationes Peucerum ipſum audiamus. *Anno MDXLI. aliam vidimus pareliorum faciem. Sol velut in centro conſiſtebat: eum duo cingebant circuli lucidi, in ambitu interioris utrimque nitebat parelius, ceu ad extremum terminum diametri per centrum ſolis traiecti, conſtitutum; exteriorem arcus, iridis colore varius, effigie falcis, cornibus in Septemtrionem verſis inſcindebat. Quæ coniunctiones Regum & Principum, qui motus ſint ſequuti, notum eſt.*

III. Tres illi Soles, qui & tum & poſtea apparuerunt, tumultus & ſeditiones contra omnes fere Reges & Principes, quos religionis prætextu ſubditi imperio ſpoliare conati ſunt, excitatas præſignificarunt. Si Aſtrologis credimus, in iſta apparitione ſol Regem ſeu Principem repræſentat, parelij vero eos qui Regi vel Principi rebellant. Nam ſicut parelij ſoli lumen ſuum quaſi ſuffurantur, aut certe ſplendorem eius imitari conantur; ſic rebellium unicum vorum & ſcopus eſt, *regibus coronas è capite decutere, ſibiq; imponere, legitimis hæredibus & ſucceſſoribus excluſis* uti Apoc 9 S. Joannes prævidit futurum in locuſt s. Circuli diverſi coloresqui novos eiuſmodi ſoles cingunt, varias artes ac fraudes denotant, quibus rebelles peſſimos ſuos conatus palliant & occultant. Teſtantur hiſtoriæ, (*b*) ſub Octavij M. Antonij, & Lepiditriumviratu, quo Roma in ſuo ſanguine pæne natare viſa eſt, tres itidem Soles in cœlo apparuiſſe. Quemadmodum vero duo falſi ſoles ex his non multo poſt evanuerũt, uno Sole relicto qui vero & nativo lumine luceret; ſic ex Triumvirisillis, duobus Antonio & Lepido ſublatis, totius Mũdi imperium penes unum ſolum Auguſtum remanſit. Ab Aſtrologis & alijs qui naturam & curſus aſtrorum curioſius obſervarunt, proditum invenio, parelios hos, velut indices fuiſſe occultorum conſiliorum, atque in perniciem regnorum clam initarum ſocietatum, in cœlo eminentes omnibuſque obvij nitentes. Quemadmodum vero ſpecies illæ, quamvis expreſſam referãt faciẽ, fulgeant q; Solis inſtar, adeo clarè ac nitidè, ut ſuo illum ſplendore nonnunquam obfuſcent, durentque quantumvis diu; tamen diſſipantur tandem & diſpereunt: *ita fere coniunctiones confederationeſque opprimendorum eorum cauſſa, qui rerum potiuntur, initæ, in nervum erumpunt ac diſſiliunt, ipſiſq; exitioſunt auctoribus, quantumvis arctis devinctantur ac muniantur vinculis, feliciterque initio procedant.* (*c*) Paganis olim ſolenne fuit, ſi quando parelij eiuſmodi conſpecti eſſent, ad deos ſuos placandos ſupplicationes indicere & ſacrificia offerre. Magni nominis hiſtorici referunt, eo die quo ille quem univerſa non capit Mundi machina, parvulus ſtabulo includi voluit, tres in Oriente Soles apparuiſſe; qui in unum dein coierint; quo ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, unius myſterium ſignificatum fuit.

VI. Non equidem ignoro naturales eiuſmodi pareliorum cauſſas à Meteorologis aſſignari, qui dicunt eſſe quaſdam imagines, nubi roſcidæ & fulgentr impreſſas, ſubtili aliquo humore inter viſum noſtrum & Solem, in nube rotunda & æquali, Solique oppoſita, ſeſe objiciente. Tunc enim Solis radios in nubem eiuſmodi incidentes, in noſtris oculis ex reflexione tamquam in ſpeculo, ſimilem plane Solis figuram repræſentare. Et ſane minus hoc mirum videri potuiſſet meteorum, ſi Sole oriente vel occidente contigiſſet; quando nimirum eius radij imbecilliores ſunt quam ut nubes, in quibus illa fit reflexio, diſcutere poſſint; quas tempore meridiano facile diſcutere poſſunt. Ut vero parelia eiuſmodi pleno & medio die conſpiciantur, vix ſine miraculo contingere poteſt, neque umquam evenille legitur quam circa Boſphorum aliquando, cuius rei Ariſtoteles & Plinius (*d*) faciunt mentionem. Hoc vero ipſo longè mirabilius eſt, tres Lunas eodem videri tempore, ſicut Anno M D L I. contigit. Vix enim tam debile Lunæ lumen ſine miraculo eiuſmodi reflexionem cauſſare poteſt. Hinc Cardanus de Subtilitate ait, minus mirum eſſe ſi tres Soles, quam ſi duæ Lunæ ſimul videantur. Et Plinius (*e*) tamquam rem prodigioſam notat, quod Cneo Domitio & C. Flaminio Conſulibus tres Lunæ in cœlo apparuerunt. At Germania Anno MCCC XIV. tres vidit non ſine ſtupore, ingentium malorum, quæ paullo poſt ſequuta ſunt, prænuncios, Ludouico Bavaro & Friderico Auſtriaco de Jmperio, Electorum diſſenſionibus miſerabiliter diſtracto, cum magna hominum ſtrage & regionum

b *Vid Dion. l. 45. & 47. Plin. lib. 2. c 31. Euſeb in Chron. Cocci in Theſau. Catbol lib 2 fol. 160. c Vid. eũd. Peucer. de Divin d Lib. 2. cap 32. e Lib 2 cap 35.*

num clade, inter se dimicantibus. Similem proh dolor ac peiorem eiusdem Imperij cladem, à Luthero eiusque discipulis illatam nostra ætas vidit.

Hic silentio præterire non possum tot tamque admirabiles Eclipses, quæ prodigioso isto sæculo contigerunt. Fateor equidem ex constanti motuum cælestium lege ista portenta fieri, si quis tamen causam cur ea Lex ab authore naturæ sancita sit, requirat; & exempla à multis congesta & longo vsu obseruata diligenter inspiciat, non inficiari poterit nullam vnquam fuisse eclipsin quæ non suos habuerit effectus. Quum enim hoc munus luminaribus tribuisset Deus, *vt præessent diei ac nocti:* Sol tum fugatis abactisque tenebris, gratia ac diuinis operibus necessaria luce terras perfunderet, tum interdiu vegetaret & afficeret terrena cuncta lumine, & calore & vivifico; Luna tum caliginem noctis nimiam discuteret, tum rigaret diurno calore plusculum desiccata corpora: si quid functionem hanc impediret, extincto vel obumbrato lumine alterutrius, id signi loco accipi voluit ac considerari, non vero contemni ac rideri. sicut ipse dicit, *Erunt vobis in signa.* Certe priscos non sine horrore Eclipses aspexisse, & ad placandam numinis iram, solennes supplicationes sacrificia & Processiones decreuisse legimus. Quamdiu vero Sol Mundo huic illuxit, nullo sæculo plures ac tetriores eclipses contigerunt quam isto de quo loquimur. Dum enim tota Germania hinc ad extirpandam, illinc ad defendendam hæresin arma sumit, Luna tota fœdum in modum ter atra caligine inuoluta fuit; Sol vero plus deunce sui orbis obfuscatus, adeo vt quibusdam locis interdiu stellæ illuxerint ac conspectæ sint. Sequenti vero anno MDL. tota Luna terræ vmbra obscurata fuit, Sole piscium sedem obtinente, & ibidem Venere ac Mercurio concurrentibus, Marte vero ex Cancro triquetro radio omnes feriente.

VI. Quos autem (inquiunt Astrologi) concitauerint tumultus, quas attulerint mutationes, quos portenderint religioni opinionum motus ac dissensiones, defectus isti, satis notum est: solis præsertim defectus, quem à cœli culmine inclinatum deductumque in ἐπικατάφορὰν (*f*) sub Virginis sidere, è vestigio consequebatur Libra, in cœli loco vocato Δύσις, vehens Martem, ab vna parte quadratis Iouis, ab altera trigonis Saturni expositum radijs: qui vterque locus religioni præficitur, & cæli & Zodiaci: sed libram Astrologi specialiter Christianæ religioni præsidere volunt; quæ postea ita exagitata fuit, vt magna pars vix quidquam ex ea retinere videretur. Infinita prodigia, visa horrenda, terribiles cœli aspectus, & ostenta, quæ miseræ Germaniæ, nostrarum in Gallia miseriarum fonti, ingentem metum primum, deinde calamitatem influxerunt, omitto, à Peucero libro XV. collecta: vt & illud, quod ad Bockelheim Hildesiæ oppidum è terra copiosi sanguinis riuus profluxit, & non procul a Mersburgo magna palus in cruorem versa adeo rubuit, vt immersa quæuis tingeret: itemque quod aristæ sanguine guttatim exstillarunt, & paulo ante Mauritij Saxonis cum Alberto Brandeburgico conflictum, cœlũ sanguine pluit. Quid multis? Sanguine tum omnia plena erant; sanguinem omnia spirabant. Peucerus ait, existimare se eiusmodi prodigia & ostenta vel Dei manu vel Angelorum ministerio formari, ac hominum generi spectanda proponi, vt ex his quæ ventura sint discamus, nisi cum Epicuro sentire quis velit, Mundum fortuito gubernari. Illud certum est, religionis schisma quamplurima ostenta & prodigia semper præcessisse. *Antequam VVandali in Africam irruissent, & florentissimas ibi Ecclesias miserè afflixissent, templum S. Faustii,* vt Victor Vticensis scribit, (*g*) *densissimis, & quidem fœdum odorem exhalantibus tenebris obtectum fuit, nulla plane apparente caussa quam diuini ira numinis.* Quo tempore Henricus IV. Imperator contra Gregorium VII. Pontificem rebellauit, visa sunt non procul à Tornaco in patenti campo duo velut serpentum agmina inter se concurrere & dimicare. *Henrico V. contra Paschalem & Gelasium schisma faciente, generalis terræ motus extitisse legitur, quo plurima templa & ædificia fuere prostrata.* Etsi vero mihi consilium non est, seditiones, bella, vrbium occupationes, direptiones, instructas acies, commissa prœlia, infinitorum hominum cædes, regionum & regnorum euastationes prolixe persequi, quod hæc omnia ab alijs descripta exstent (*h*) integram tamen historiam eorum quæ in Germania acciderunt, quam potero paucis comprehensam lectori ob oculos ponere operæ precium

f *id est pars cæli in Signifero qua totidem partibus immersum occiduum punctum signiferi præcessit, quot partibus in emersu anaphora ab horoscopo relinquitur teste Bud. de Asse.* g *Lib. 2. Sigeb. Anno 1159.* h *Sigon. l. 10. de Reg. Italia.*

videtur; quod in ijs velut imago quædam videatur funestissimarum turbatum, quæ non multo post in Francia exortæ, florentissimum regnũ gravissimè afflixerunt. *Est enim hominis quum juo otio tũ aliorum patientia abutentis, lectorem longa rerum iam ante notarum narratione detinere.*

DE JNITIO BELLI JNTER CAROLUM V. Jmperatorem & Protestantes.

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

I. *Tota Germania ad bellum separat.*
II. *Franciscus I. Galliarum Rex Protestantium conatus Carolo Imperatori aperit.*
III. *Sleidani mendacium & in Regem Gallia calumnia.*
IV. *Imperator & Protestantes exercitus conscribunt.*
V. *Protestantes Imperatori titulum Imperialem denegant.*
VI. *Bellum etiam indicunt.*

CUM Luthero hæresis Lutherana nequaquã fuit mortua; ut quæ iam nimis altas radices egerat, & per Principium dissidia, odia & factiones, vulgata hæreseon fulcra & sustentacula, longe lateque fuerat propagata: alijs, Protestantium factioni in dies augescenti, sese adiungentibus, ut de hostibus sese vindicarent; alijs ut in prædæ, quam ex bonis Ecclesiasticorum sperabant, societatem venirent. Nec tamen deerant, qui in tanta rerum omnium perturbatione quum veterem religionem & maiorum sacra, tum obedientiam erga Jmperatorem conservare anniterentur. Multi etiã tam vindicandi se quam crescendi studio, (ut in civilibus dissensionibus fieri solet) ab una parte repulsi, ad alteram sese adiungebant; adeo ut vix quisquam esset qui non alterutri, vel Catholicorum vel Protestantium federi esset adscriptus. Validior tamẽ Protestantiũ erat factio. Melior Catholicorũ. nonnulli occasioni vel tẽpori velificabantur, quos à maleficio Jmperatoris cohibebat præsentia: è quorum numero fuit Fridericus Palatinus Elector, qui licet Argẽtorato Paullum Fagium ad novas in ditione sua ordinãdas Ecclesias evocasset, rem tamen distulit, & ab armis quam diu bellum duravit, abstinuit. Aliqui etiam quamvis religionis Catholicæ observantissimi, non tamen quo par erat, ad eam defendendã zelo incumbebant: cui hominum generi Solonis leges infamiam inurẽdam statuunt, ijs scilicet qui in bello civili, neutri se parti adiungunt. De Bavariæ Duce sic loquitur in historia sua magnus Alcantaræ Commendator: *Bavaria Dux quamvis esset Catholicus, ita tamen frigide, ne dicam timide agebat, ut diu in suspenso omnes teneret: ex quo Imperatoris conatus plurimum fuerunt retardati.* Econtra Protestantium numero quidam aperte Cæsarianarum partium se ferebant: ut Albertus & Joannes Brandeburgici, Mauricius & Augustus fratres Duces Saxoniæ, & alij, qui Augstanæ quidem erant Cõfessionis, sed à Smalcaldico federe alieni. Etsi vero Jmperator tamquam benignissimus Princeps initio nihil interemitteret, ut eorum quos alieniores à se esse animadvertebat, animos sibi reconciliaret; interim tamen, ceu prudens militiæ dux, ad bellum omnia diligenter præparabat, ut qui pacem ferre non possent, bello eos persequeretur, & ad obedientiam reduceret; non ignorans, *præcipitibus morbis præcipitia adhibenda esse remedia.* Sed & facile intelligebat, Germanos natrua feroces, nova insuper iam Lutheri religione imbutos, sine vi domari non posse. Jam ante omnia illorum consilia & conatus exploraverat, inprimis ex colloquio quod per Galliam iter faciens, cum rege habuit. Hoc loco si paullulum digrediar, & aliquid à proposito nostro non alienum, quodque apud neminẽ scriptorum, quod sciam, exstet, indicem, Lectori rem me non ingratam facturum puto.

II. Jacobus Matignonus, Franciæ Mareschallus, qui Henrico III. & IV. regnantibus Aquitaniæ summa cum laude præfuit, mihi narravit, Annæ Momorantio Franciæ Conestabili post prœlium San Laurentianum captivo, se in eadem custodia asservato, audiente, à quibusdam Protestantibus fuisse exprobratum, quod omnia quæ cum Rege secreto egerant, Jmperatori prodidisset: idque Granvellanum postea non dissimulasse, & Regem ipsum ista se inscio per Conestabilem Jmperatori enunciata, per Langæum Legatum suum, ad Smalcaldici federis Principes sese excusasse. Tum Conestabilem omnem rei seriem exposuisse, nimirum, quum forte Jmperator in sermone quem cum rege habebat, magnatis cuiusdam Hispani fecisset mentionem, qui rogatus ut Carolum Borbonium hospitio suo exciperet, his verbis respondit:

Iuro

Iuro á Dios, sacra Maiestad, que antes pongo el fuego en my casa: id est, *Iuro per Deum ô Imperator, me potius ades meas ipsum incensurum*: Regem candore huius sermonis illectum, subieciſſe: Dignam hanc esse nobiliſſimo viro & fideli cliente vocem: ac Principes, etiamſi proditionem amant, proditores tamen odiſſe debere. Deinde vlterius prouectum, Imperatori omnia quæ de Proteſtantium conſilijs & coniuratione comperta habebat, aperuiſſe, prolatis in medium litteris, in quibus & de armatorum numero, & de re pecuniaria, & de promiſſis Regi, ſi federi nomen daret, factis, perſcriptum erat: omnia denique ita Imperatoris oculis expoſuiſſe, vt hoc non minimũ ad victoriam momentũ attuliſſe cenſeatur. Inde enim conſilia ſua moderatum, Mauricium Ioannẽ Saxonem, Brandeburgicum, & alios ad ſuas traduxiſſe partes, Palatinum in officio retinuiſſe, cum Daniæ etiam rege, qui federis erat ſocius, ne auxilia Proteſtantibus mitteret, egiſſe. Immo tum Regem Imperatori ad Eccleſiæ defenſionem, omnes ſuas opes obtuliſſe; ſed hunc conſilia ſua, quæ aliò ſpectabant, diligenter celaſſe.

III. Addebat magnus ille vir, Sleidanum contra veritatem ſcripſiſſe, à Rege ducenta aureorum millia ad Saxonem & Landgrauium miſſa, quibus auxilia contra Imperatorem ſibi compararent. Nam etſi tum Rex admodum ſibi fuerit infenſus, vt qui Imperatoris de reſtituenda Inſubria, iuramento etiam confirmatis promiſſis nimirum fidens, regi quoque vt fidem haberet perſuaſiſſet, ſibi tamen rem aliter ſe habere, certo conſtare. Quinimmo Henricum Brunſuicenſem Principem Catholicum, quem Proteſtantes omni ſua ditione expulerant, pecunia à Rege fuiſſe adiutum. Quod vero Petrus Strozza regis hortatu trecenta aureorum millia Proteſtantibus mutuo daturum ſe promiſerit, meram fuiſſe ludificationem, ſicut euentus ipſe docuit, quum Iacobus Sturmius à Proteſtantibus ad numerandum & accipiendum illud argentum, pro quo Argentinenſes fideiuſſerant, miſſus fruſtra fuiſſet. Et argentum hoc tum quidem Proteſtantibus negatum, verum eſt: fieri tamen poteſt, vt bonus ille Eques ne honori Regis ſui deeſſet, ducenta illa ſcuratorum millia, quæ Rex perſolui ipſi curarat, mutuo dare Saxoni recuſarit. Grauiter enim tum Carolo Rex ſuccenſebat, Inſubriam & Neapolim, quæ antiquitus ad Gallicam ſpectaſſe coronam contendebat, retinenti. Et ſi vero tum valde exacerbati vtriuſque partis in ſe inuicem ferint animi, vt non ſolum ſcripta vtrimque edita, ſed etiam bellum tam diu ac tanta contentione, atrociter admodum & magna cum hominum ſtrage & regionum mutua deuaſtatione geſtum abunde teſtatur; neuter tamen à Catholicæ religionis obſeruantia dimoueri potuit: in quo ſingularis Dei miſericordia & prouidentia eſt agnoſcenda: vt infra quoque à nobis dicetur. Idem Conſtabilis tum aliam hiſtoriam præſentibus narrauit, non minus ſcitu dignam: quam vtpote ab hoc loco non omnino alienam, ſubtexere, operæ precium videtur. Accidit forte vt Regi cum Stamparum Ducissa, quã effictim amabat, ſermonem in cubiculo miſcenti, Carolus Imperator ſuperueniret. Cui Rex, facta ſalutatione, dixit: Vin tu ſcire, Domine frater, quid conſilij mihi pulcra hæc femina dederit? Annuente Imperatore, Suadet illa mihi, inquit, vt captivum te detineam, donec Inſubriam & Neapolim mihi reſtitueris. Tum Imperator, Certe, inquit, Domine frater, ſi bene illa tibi conſulit conſilio eius obtemperare debes. Tum vtrimque riſu oborto, ſermo de alijs haberi cœpit. Hoc liberiore aliquanto, ſed Gallijs familiari ioco dictum Imperatoris animo ſcrupulum aliquem iniecisse vſum fuit. Quum enim ſequenti die in ſecretius Regis cubiculum, ad cibum cum eo capiendum veniſſet, manus loturus ingentis precij adamantem, ab Indiæ prorege ſibi miſſum, digito detractum ori inſeruit, & inter lauandum ante pedes dictæ ſuprà Ducissæ, quæ mappam tenebat, cadere permiſit: quem illa humo ſublatum quum Imperatori vellet reddere; Nimis bella, inquit, iſta manus eſt: decus hoc ei nequaquam detrahendum cenſeo. Sit hoc monumentum amoris erga te mei. Sed vt ad Proteſtantes redeamus, inſtituti ordo poſtulat.

IV. Imperator poſtquam longo iam tempore malum Proteſtantium erga ſe animum & longe peſsimos auctoritati ſuæ derogantium, Eccleſiæ bona paſsim inuolantium, Sanctam Sedem Apoſtolicam, & Concilium quod Tridenti congregari cœperat, contemnentium, federa etiam ſua & conſpirationes iactantium, copias & pecuniam ad bellum faciendum occultè colligentium, conatus, totam denique Germaniam ad Lutheraniſmum propendere animaduertit; quum legibus non poſſet, vi agendum ſibi, & Imperatoriam digni-

dignitatem à contemtu vindicandum ſtatuit. Præter alias vero copias quas in parato tum habebat, Hiſpanos in Hungaria militantes, duce Aluaro Sandæo, euocauit, à Turcis in Chriſtianos, à quibus aliter tutus eſſe non poterat, arma transferre coactus; itemque Neapolitanas & quas in Inſubria habebat legiones; nouo inſuper exercitu, variis ductoribus conſcripto. Nec ſegnius ad bellū ſeſe Proteſtantes parabant, rati, facile ſe Cæſarem è Germania profligaturos: interim vero de Cæſaris bellum in ſe parantis conatibus grauiter conqueſti, omnem obedientiam palam promittebant clam vero nihil niſi rebellionem ſpirabant. Federi Proteſtantium tota fere Germania nomen dedit, exceptis Bauariæ & Cliuiæ Ducibus, nec non iis regionibus quæ Ferdinando Romanorum Regi parebant, vt & paucis quibuſdam Imperij ciuitatibus. Sic igitur dum illi ad ſuum ipſorum properant exitium, hi veluti poſt caſtra latentes, tam dubij belli exitum ſollicitis animis exſpectabant, conſilia inde moderaturi.

Etſi vero Angliæ Rex eidem federi nomen dederat, tamen ab Imperatore perſuaſus, fedus reſcidit, & promiſſa auxilia negauit. Cromuelus nihilominus, qui vnus omnia tum fere poterat, etiam Rege non aſſentiente, eius nomine federi ſubſcripſit. Qua de re Imperator apud regem queſtus, effecit vt publice de Cromuelo ſumtum ſit ſupplicium, non ſine manifeſto diuino vltionis exemplo, quod hic potiſſimus omnium malorum, quæ miſerum illud regnum peſſumdederunt, auctor fuerit.

Sleidanus belli huius cauſſam malitioſe in Imperatorem confert: quum tamen Proteſtantes antequam Imperator ad arma veniſſet, & fedus cum Pontifice concluſiſſet, in ſuperiori Germania omnia ferrent, agerent, & raperent. Fedus enim hoc inter Pontificem & Imperatorē, de tuenda contra Proteſtantium vim Concilij auctoritate, XXVI. Iunij demum Romæ concluſum fuit, quum Dux VVirtembergicus & ſuperioris Germaniæ ciuitates XXI. iam inarmis eſſent, exercitu ad Vlmam conuenire iuſſo. *Vniuerſa copia in Ioannis Friderici Saxoniæ Ducis & Philippi Haſſiæ Landgrauij, à ſocijs ad id munus electorum, fidem adſtricta ſunt, Pontifici Sathanæ Vicario & diaboli mancipio, & Imperatori ſuo bellum facturæ.* His enim, Chriſtiano ſcilicet dignis verbis eum qui exercitum Principum nomine alloquutus eſt, vſum, Sleidanus teſtatur. Nec mora. Ad Galliæ & Angliæ reges, vt & Ducem ac Senatum Venetum ſcribunt, & auxilia petunt. Heluetios quoque pars vtraque ſuarum partium facere ſtudebat; è quibus (in factiones enim ſciſſos ſupra docuimus) Catholici Imperatori auxilia promiſerunt; Zuingliani vero, etſi ex federe quod cum domo Auſtriaca eis intercedit auxilia debebant, reſponſum tamen diſtulerunt. Quamuis autem ob religionem præcipue bellum hoc ſuſceptum fuerit, Imperator tamen ne quoſdam alieniores à ſe, atque eorum acceſſione hoſtes ſuos firmiores redderet, nullam aliam cauſſam quam conſpirationem & rebellionem præ ſe ferebat, vt ſic ex ipſis Lutheranis quoſdam in officio retineret. Quo ſane artificio illos mutuis diſſenſionibus diſtractos, ſuis partibus tanto facilius adiunxit. Deinde ad præcipuas Germaniæ ciuitates datis litteris eas monuit, vt ſibi reipublicæ perturbatores & rebelles ad officium reducere cupienti, debitam opem ferrent; quamuis pleraſque federi Proteſtantium nomen dediſſe non ignoraret. Interim Palatinus Elector, qui à Catholica quidem iam defecerat Eccleſia, vti ſupra attigimus, in fide tamen & obedientia erga Cæſarem permanſerat, Proteſtantes Cæſari reconciliare nitebatur. Idem ſtudium erat Mauritij Saxonis & Ioannis Brandeburgici. Palatinus inprimis princeps pacis cupidus, confederatos obteſtabatur, vt ab armis diſcederent, & Cæſari ſe ſubmitterent, offenſionemque ſibi peterent condonari. At illi, quibus omnino conſtitutum erat belligerari, magno ſtudio copias conducunt; & innocentiam (cuius prætextus nulli vmquam rebellioni defuit) publico libello teſtati, *omnem culpam in Carolum conijciunt, qui Romani Antichriſti, & nefarij Tridentini Concilij impulſu bellum hoc & ad Euangelii doctrinam & ad Germaniæ libertatem opprimendam ſuſceperit.* Sic ergo Hæreſis Lutherana tunc primo poſt M.D.LVI. à Chriſto nato annos ſub explicatis ſignis in procinctu apparuit ipſo quo obijt Au. Lutherus, cui talibus victimis libuit ſectatoribus parentare. Saxone & Landgrauio ductoribus; quorum hic ob plurimas ac validiſſimas federi adiunctas ciuitates, tantum tumorem animo conceperat, vt paucis diebus Imperatorem in triumphum ſe ducturum, Epiſcopos omnes exterminaturum, bona Eccleſiaſticorum pro ſuo lubitu diſtributurum, & hac de alieno liberalitate pleramque Germaniæ Nobilitatem ſibi obnoxiam facturum ſperaret. Secretum hoc aiunt Lutheri fuiſſe conſilium (quemadmodum ante mortem ipſius

ipsius deprehensum fuit) & libri de Fisco ab ipso conscripti scopus, quod una hac ratione partes suas stabiliri & confirmari posse animadverteret. Sed nihil æque animavit Protestantes atque sui Prophetæ Lutheri vaticinium de se editum, quod nempe mors sua esset protinus letale exitium allatura Papæ. Adeoque tum omnes papistæ tum ipsa Italia ac Roma esset Protestantibus cessura in partem dividendam, cum vivo Luthero, ijdem Lutherani Romę occupatores duce Borbonio, pestem Romæ intulissent. Nimium tamen hos credulos suus Elias & Evangelista fefellit, æque ac Stifelius ille extremi iudicij denunciator Holtzdorpianos suos agricolas. (a)

Quo vero factionis suæ robur ostentarent, ac simul palam facerent, quanta molirentur, & quam parvi Imperatorem facerent, non epistola tantum bellum ei indixerunt, verum etiam Imperatoris titulum ei negarunt. Priusquam vero epistolam illam mitterent, disputatum fuit, qui titulus Carolo esset tribuendus. *Saxo quidem Carolum Gandavensem appellandum eum censebat, quod Imperator seu Cæsar ab ipsis sine rebellionis nota vocari non posset. At Landgravio Imperatoris titulum ei non adimendum esse placebat, ne reliqui principes irritarentur: Nomen hoc inane ei non invidendum dicens, dummodo nullam ei concederent potestatem.* Tandem hæc fuit inventa ratio media, ut illum appellarent velut *eum qui pro Cæsare segerat*. Landgravius quoque homo natura ferox, sæpe dixisse, adeoque federatis civitatibus promisisse dicitur, intra trimestre se Carolum Imperatorem aut captivum eis stiturum, aut Germania expulsurum. Sic ille novum sibi regnum, cuius melior pars penes se futura esset, opinionis errore finxerat, sua ipsius vanitate deceptus.

Decreto bello Protestantes copias suas, in quibus ultra sexaginta peditum, & decem erant equitum millia, una cum centum tormentis majoribus, ad Danubium collectas educunt, tantis viribus mirum in modum feroces: deinde ad Imperatorem in castra prope Landishutum in Bavaria, qui vix decem armatorum millia apud se habebat, & etiam ipsius Sleidani confessione, a Protestantibus præventus fuerat, adolescentem nobilem, & tubicinem, uti mos habet Germanorum, mittunt, qui epistolam qua bellum Cæsari indicebatur, perferrent. Factum est id Anno 1546. XI die Augusti (b). At Imperator conspectum eorum aversatus non modo epistolam non accepit, sed & per Albanum, in cuius tentorium perducti illi fuerant, nunciari eis iussit, *si quis in posterum ab illis ad se veniat, fore ut loco muneris & torquis aurei, laqueum ab se ferat.* Non multo ante Cæsar Saxonem & Landgravium proscripserat, eorum bonis fisco addictis. In huius proscriptionis formula eos accusabat, *quod Ecclesiastica bona involassent, quod omnes terræ Principes, adeoque Turcam ipsum ad bellum sibi faciendum sollicitassent, ut tanto facilius rebus undiq; perturbatis, scopũ iam diu propositum assequi possent.* Huius ergo proscriptionis formula feciali pro responso ad Protestantes perferenda data fuit; ad quam illi prolixe responderunt, ut apud Sleidanum videre est, qui hæc aliaque eò pertinentia copiose describit, ut suæ religionis fratres post mortẽ lavet. Tantæ vero huius federis, ut in quo tot tamque validæ civitates cõprehensæ erant, vires esse existimabantur, ut vix quisquam crederet. Imperatorem castra aciemque conferre ausurum. Erat etiam illorum Principum, dulci libertatis nomine abutentium, non minor apud vulgus fides atque auctoritas, quam eiusdem in Hispanos & omnem exterorum dominatum, odium. In castris Protestantium erant Joannes Ernestus Electoris Saxoniæ frater, Joannes Fridericus Electoris filius, Philippus Brunsuicensis, cum quatuor eiusdem familiæ Principibus, Dux Luneburgensis, Anhaldinus, & decẽ aut duodecim circiter Comites Germani. Quamvis autem, uti diximus, Imperator ad tantam vim sustinendam parũ validis copijs instructus esset, eos nihilominus quos circa se habebat, eduxit rectà contra hostem progressus, *cum proposito*, ut sæpius Avila ex ipsomet Cæsare audisse scribit: *aut vincendi aut in Germania moriendi; certa interim fiducia, divinum auxilium in tam pia & iusta causa sibi nequaquam defuturum.*

QUOMODO IMPERATOR BELlum duxerit, Protestantium interim copijs dilapsis.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

I. *Papa Imperatori auxilia mittit contra hæreticos.*
II. *Magnus Protestantium error, & ruina ipsorum initium.*

a *Supra lib. 2. cap. 16. num. 7.* b *Surius in Comment.*

III. *Protestantes ab Imperatore profligantur.*
IV. *Ipsi se ipsos conficiunt.*
V. *Mauritius Saxoniam invadit & occupat.*
VI. *Sed ea à Ioanne Friderico recuperatur.*

I. OMNIUM animis in exitum hujus periculosi & ancipitis belli, à quo plerique tam salutem quam exitum Christianæ Reipublicæ dependere existimabant, intentis, varia hominum iudicia, vota & sermones circumferebantur, prout quemque amor vel odium huius aut illius partis stimulabat. Ceteri plerique orbis Christiani Principes, ocioſi spectatores esse malebant, Imperatorem interim desertum passi: quasi non Imperatoris hæc sed Dei causa, & nihil ipsorum interesset. Pudor sane erat spectare tum Lybiæ & Schythiæ populos auxilia Imperatori, Christianæ capiti Reipublicæ offerentes (nam & tres Tartarorũ duces ad Boristhenem fluvium habitãtes ad Cæsarem profecti quatuor equitum millia; & rex Tunetanus totidem Arabum millia ei auxilio promiserant, quibus tamen ille uti noluit) Pudor, inquam, erat videre tam remotas & à religione & orbe Christiano populos auxilia Imperatori ad hoc bellum ultro spondentes, & Reges interim Christianos complicatis manibus ocioſos sedẽtes, & retia sua, quod dicitur, servantes. Sed mihi crede non impune hoc fuit: ut qui hæreſeos flagellum etiam ipsi bene postea senserint, & in eam multa quoque ipsi statuerint exempla.

Summus Pontifex animadvertens in hoc bello, in quo Dei potissimum causa agebatur, temporalibus armis efficiendum, quod spiritualibus perfici nequiverat, auxiliares copias Cæsari summisit, in quibus peditum erant millia decem, & equites levis armaturæ quingenti. His omnibus Octavianum Farnesium nepotem suum præfecit: cui militabant magni nominis duces, è Vitelliorum, Sabellorum, Ursinorum, Palavicinorum, Petilianorum & alijs illustribus familijs. Nec profectò contra infideles tantum, sed & contra hæreticos Ecclesiæ vires suas experiri licet. In Apocalypsi dicitur *terra* (id est, temporalis potentia) *adiuvisse mulierem*, scilicet Ecclesiam. Sic Leo Pontifex Leonem Imperatorem contra Eutychianos, & S. Gregorius Gennadium Africæ Exarchum contra VVandalos armavit. Sic Adrianus Papa Caroli Magni armis contra Longobardos usus est. Quod si rem exacte perpendere velimus, reperiemus profecto ab hæreticis Christianæ Reipublicæ maiora pericula quam à paganis & Turcis esse pertimescenda. Hi enim foris Ecclesiam apertis oppugnant machinis; at illi tamquam intestini hostes, cuniculis rem agunt, & Ecclesiam suis ipsius armis oppugnant. *Nemo dubitare potest*, inquit Sanctus Chrysostomus, (a) *quin hæretici paganis sint deteriores; quum hi per ignorantiam Deum blasphement, at illi scienter veritati vim faciãt.* Et Sanctus Augustinus, (b) *multo peiorem esse*, ait, *Fidei desertorem, quique à desertore postea oppugnator factus sit, quam eum qui numquam deseruit quod numquam habuit.* Sic ergo his causſis motus Pontifex Ecclesiæ contra hostes suos subveniendum, & ingratos illos & rebelles filios, qui arma contra Matrem suam sumpserant, castiganda statuit. Florentiæ quoque Dux Cosmus Medices, & Ferrariæ Dux Hercules unà equitum aliquot turmas miserunt. His omnibus collectis, Cæsar Ratisbonam, atq; inde Ingolstadium petit, supremo legato sibi constituto Ferdinando Toletano, Albæ Duce. Protestantium quoque exercitus, numero confisus, diligenter progrediebatur, eo consilio ut Cæsarianos velut plagis implicarent, aut castra ipsorum tormentis oppugnarent. Et quia copijs prævalebant, superiorem quoque locum occuparunt, unde & castra sua Cæsaris castris opposuerunt.

II. Omnes à quibus hoc bellum particulariter ita descriptum est, uno ore fatentur, magnum initio statim à Protestantibus errorem commissum, unde etiam de exitu facilis coniectura fieri potuerit. Quamvis enim & viribus & loco superiores essent, Cæsare tum ab equitatu parum instructo, occasione tamen rei bene gerendæ uti nescierunt, quæ talis fuit, ut si Landgravij usi consilio castra Cæsaris, simplice tantum fossa tumultuario opere munita, oppugnassent, Cæsarem procul dubio in magnas coniecturi fuerint difficultates: qui quum eius diei fulmen & impetum sustinuisset, nocte sequenti castra ita communivit ut tempestatem omnem multo commodius deinde ferre posset. Multum quoque animi hæc Protestantium cunctatio Cæsari addidit, lenta & timida hostium, ad manus venire non audientium, consilia inde recte æstimanti. Eo die Cæsar fortissimi simul & prudentissimi Imperatoris functus est officio, dũ inter primos sese periculis obijciens, suo exemplo om

a *Hom. 1. in Matth.* S. *Th.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. *Lib.* 21. *de cont. cap.* 25.

omnes ad quamuis fortunã subeundam animabat. Eodem quoque die quis singulariter Cæsarem à Deo custoditum fuisse neget? circa quem complures quasi a lateribus ipsius abrepti, frequentibus hostium pilis percussi occiderunt: quarum vna quum ante pedes equi quo vehebatur, concidisset, immota iacuit, non sine adspicientium pauore. Aquila diuina manu retentam, eam & quasi ligatam scribit, quæ si vel paullulum resilijsset, certissimum vitæ periculum Cæsari fuerit allatura.

Cæsar per noctem illam & sequens biduum diligenter munitis castris, quum Ingolstadium quoque à tergo haberet, copias quas Comes Burensis è Belgio adducebat, exspectare ibi statuit. Eæ erant equitum quatuor, & peditum decem millia. Etsi vero à Protestantibus militares manus, nempe sex peditum signa, & mille ac ducenti equites, passim ad Rheni ripam erant dispositæ, quæ Comitem transitu prohiberent, frustra tamen hic fuit conatus. Saxo & Landgravius postquã tormentis in castra Cæsaris frustra fulminassent, & præclaram pugnandi occasionem amisissent (quem errorem Sleidanus & Protestantium calamitatis & victoriæ Cæsaris initium atque caussam fuisse dicit) Burensi obuiam proficisci, & ne cum Cæsare se coniungeret, prohibere decreuerunt, licet hoc alij dissuaderent, vt Sleidanus ait, neque hostem longius quærendum esse dicerẽt, qui sub ipsorum oculis atque aspectu versaretur. Id compertum Cæsari Burensi nunciari curat, qui ab itinere deflectens, periculum facile euitauit, & ad Ingolstadium Cæsari sese coniunxit ne vno quidem amisso. In his angustijs Cæsaris ab hostibus vndique, & quidem in regione parum sibi fauente, cincti parum abfuit quin nonnulli deposita quam hactenus simulaueranr persona, apertè Protestantibus sese coniunxissent: è quorum numero inprimis fuit Elector Palatinus, qui quadringentos armatos Smalcaldicis auxilio misit. Vespere post acrem illam castrorum Cæsaris oppugnationem, Landgrauius non procul à loco in quo tormenta collocata erant. cœnans, apprehenso poculo, Schertelino peditum ductori, *Age*, inquit, *propinemus omnibus ijs quibus hodie tormentorum nostrorum ictus mortem attulerunt* Tum Schertelinus, *Equidem*, ait, *quam multi hodie nostrorum tormentorum ictibus interfecti sint nescio; hoc vero scio, ex ijs qui viui manserunt, ne vnum quidem vel vnum pedem loco suo cessisse.*

III. Imperatoris exercitu nouis copijs aucto, Protestantes quamuis adhuc numero superiores, castris tamen & locis natura munitis atque impeditis sese continebant, Cæsare interim ipsis fese inspectantibus, pleraque oppida ad Danubij vtramque ripam sita capiente: quorum multa audito tantum Cæsaris aduentu deditionem fecerunt. Erat vero fluuius hic tantæ commoditatis, vt qui eum in potestate sua haberet, non minimũ ad rei summam & plenam victoriam momentum obtinere putaretur. Castris ita vtrimque non procul à Donauerda positis, Dux Albanus per tubicinem Landgrauio nunciari curat: *quid ita montes & colles insideat? cur non in planitiem descendat, & prælio contendat?* Landgrauius econtra, *se socios que fuisse per quinque dies medijs in campu ante Ingolstadium, & expetiuisse prælium, cur non conflixerit? Se quidem vbi prælio dimicandum videbitur, occasioni minime defuturum.* Non multo post tamen Cæsar & Albanus, cum paucis equitibus ad hostes longius, speculandi caussa prouecti, in manifesto fuerunt discrimine, è quo tamen diuino beneficio elapsi, ad castra incolumes redierunt: Protestantibus interim & suas miserias, ob vastatas passim regiones deplorantibus, & ducum suorum cunctationem & ignauiam detestantibus. Conflict⁹ omnes, oppidorum occupationes & recuperationes, ceteraque huius belli minutatim persequi supersedeo, quod hæc ad institutum meum proprie non pertineant; & ab Auila & Sleidano, illo Catholicorum, hoc protestantium partibus addicto, articulatim & quasi dietim descripta exstent.

IV Protestantes seu Smalcaldici vbi & vrbes in contribuendis auxilijs remissius agere, nec eorum vllam spem è Gallia, Anglia, & Dania afferri, exercituum interim suum valde minui, Cæsarianum vero quotidie augeri, iamque hyemem etiam instare viderunt; Electoris Brandeburgici intercessione pacem tentarunt; sed quum eius conditiones duræ admodum viderentur, deductis in hyberna præsidijs, bellum ducere decreuerunt Quare noctu collectis sarcinis, discedunt, & densæ nebulæ vsi beneficio quæ sub auroram inciderat, in locum tutum euadunt, Saxoniam versus instituto itinere, vt militem ibi recrearent, ac prope perditis rebus remedium aliquod afferrent, Cæsar vbi de discessu ipsorum competit, equites continuo emittit, qui de itinere cognoscant, deinde ipse quoq; cũ equitatu procedit: & quamuis Lantgrauium & iuniorẽ Saxoniæ Ducem esset assequutus, elabi tamen sibi passus est. Etsi enim hi cum paucis

copijs ab exercitu longius abeſſent, Cæſar tamen qui de copijs ipſorum neſciebat, & multo maiores ſuſpicabatur, nec peditatum apud ſe habebat, nihil tentandum ſibi ratus, dum peditatus adveniret, eo die rei bene, ut putatur, gerendæ occaſionem amiſit. Et ſane quis neſcit, multas præclaras victorias ſæpe unius rei ignoratione impediri? Gallorum vetus eſt proverbium. *Que ſi l' oſt ſcauoit ce que faict l'oſt, ſouuent l' oſt deſeroit l' eſt.* id eſt, ſi unus exercitus ſciret quid aliter ageret, ſæpenumero non paſſurum, ut ſine prælio diſcedatur. Hoc modo elapſi Proteſtantes, magnis itineribus in Sueviam contendunt, & in via aliquot civitates oppugnant & deditione capiunt: à Francofurtenſibus etiam, Moguntino Archiepiſcopo, & Abbate Fuldenſi pecuniam extorquent. Nec multo poſt dilabuntur, quum prius in Galliam, & Angliam, legationes decreviſſent, & federis ſocios Principes ac civitates de auxilijs per internuncios appellaſſent. Landgravius, traditis Saxoni quas habebat copijs, domum revertitur, parum feliciter adminiſtrato bello; cuius præcipua cauſſa fuiſſe putatur, quod non ex unius arbitrio res gereretur, ut vel ſic diſcerent unitatis neceſſitatem in Eccleſia qui in paucis millibus regendis ſine capitis unitate tam cito conſumebantur. Js error iamolim Romanum Jmperium, funeſta illa clade ad Cannas accepta, ferme peſſumdedit: ut verum ſit, Satius eſſe in bello rei imperij ſummam uni mediocri prudentia inſtructo committi, quam duos omnibus requiſitis dotibus ornatos duces, æquali poteſtate præditos exercitui præficere. Sic Livius de Fidenatium agens ſeditione, ait, *tum facile apparuiſſe quantum æqualis trium Tribunorum poteſtas Reipublicæ nocuerit, dum inter diſceptandum peropportunæ elabuntur occaſiones, aut conſilia hoſtibus enunciantur. Atque hanc ob cauſſam unus tum Dictator creatus fuit, ut quod à tribus peccatum fuerat, ſolus emendaret.* Landgravius quidem antequam caſtra Cæſar ad Jngolſtadium poſuiſſet, cũ eius equitatu conflixit, (c) nonnullis deſideratis, quod eius factum Saxo adeo moleſte ac graviter tulit, ut ſi quid eiuſmodi poſthac ipſo faceret inconſulto, diſceſſurum profeſſus fuerit. Saxo vero & ipſe pulcherrimam occaſionem amiſit, qui Cæſare undique fere circumvento & incluſo, Landgravium opperiendum ſibi ſtatuerat qui in tempore non advenit, nolens fortaſſe alij concedere quod ſibi conceſſum non fuerat. Rurſus Landgravius Cæſaris caſtra ad Jngolſtadium male adhuc munita videns, convocatis belli ducibus & conſiliarijs, *Quod ſi penes me ſolum* inquit, *eſſet adminiſtratio ſicut tunc erat quando V Virtembergi cum reſtitui, vniuerſo cum exercitu caſtra Cæſaris tam ſtatim ſim oppugnaturus.* Sic igitur ingens ille exercitus, in quo aliquando centum peditum, & decem equitum millia vna cum triginta maioribus machinis fuiſſe dicuntur, ſub duobus illis ducibus nulla re perfecta, dilapſus fuit. Itaque Cæſar in caſtra reuertit, & diem vnum & alterum militi reficiendo dedit. Inde profectus, Bopfingam, Nordlingam, Dingelſpulium & alia quædam oppida deditione cepit; nullo quacumque ibat obiecto labore, quam hoſpicia militibus deſignandi, & dedititios in gratiam recipiendi.

V. Dum ita ad Danubium caſtris vtrimque collatis, leuibus prælijs decertatur, & poſthabitis hyemis incommodis & tempeſtatibus pars vtraque rei bene gerendæ captat occaſionem, tandem vero Proteſtantes diſcedunt, inſequente Cæſare: Ferdinandus Romanorum rex copias ſuas ex Hungaria, Sileſia, Bohemia & Auſtria euocat (licet non leue à Turca, quem Saxo internuncijs ad tentandum aliquid ſollicitabat, ijs regionibus periculum imminere ſciret) ad auxilium fratri ferendum, & Saxoniam, proſcripto Electore, occupandam. Sed & Mauritius & Auguſtus Saxoniæ Duces, quamuis vterque Proteſtantium religionis, & ille quidem Landgrauij genere eſſet, Cæſari militantes, pleraſque per Saxoniam ciuitates in ſuam fidem adigebant, ſic vt Elector breui tempore omni ſua ditione eſſet ſpoliatus: qui editis libellis Mauritium perfidiæ erga ſe, patriam & religionem grauiſſime accuſabat, at ille *ſupremo ſe magiſtratui obedientiam debere arebat: & initio quidem ad rem pacifice componendam, & reducendo in gratiam cum Cæſare rebelles nihil omiſiſſe; verum illa arma incerta certa paci præferentibus, poſtquam iam leuioribus aliquot prælijs dimicatum ſit, & exercitus Saxonia imminent, pati non poſſe, vt à Saxonica domo Ioannis Friderici prouincia diuellatur & in alienas deueniat manus: itaque eam in ſuam fidem recepiſſe. In hoc bello non de religione, ſed de Imperio decertari: cuius libertatem Cæſar non ipſi modo, ſed alijs etiam indulſerit.* Poſt etiam Landgrauius ad Mauritium generum profectus, concordiam tractauit, ſed Mauritius ſine Imperatoris venia nihil agere ſe poſſe dicens, in cœpto perſiſtebat.

Et hac quidem aſtutia Imperator, vt dixi, ad Principum illorum am citiam diſſoluendam vſus eſt.

c *Sleid. lib.* 18.

est, dum scilicet Religionis negocium, quod alioqui multos alios Principes & ciuitates, quæ conscientiæ permissa libertate domi sese continebant, federi illi additurum fuerat, posthabere se simulauit. Etsi enim bonorum Ecclesiasticorum restitutionem imperarat, id tamen vi decretorum Conuentus Augustani & Spirensis factum fuit. Mauritio quidem Cæsar bolum hunc obiecit, vt non ad occupandam modo sed etiam tuendam præcipui aduersarij sui prouinciam eum accenderet. Postquam vero Landgrauij ad Mauritium generum intercessio frustra fuit, Saxoniæ Elector cum decem peditum & quatuor equitum millibus ad fines suos profectus, per Thuringiam & Misniam amissa pleraque recuperauit, Lipsia tantum & Dresda exceptis, quæ præsidio munitæ, oppugnationem sustinuerunt. Mauritius belli sumptibus, quos Ioannes Fridericus è communi federatorum ærario faciebat, de suo ferendis impar, Cæsarem de auxilijs sollicitauit; qui equitum peditumque aliquot cohortes ei misit, ductore Alberto Brandeburgico. At hic non tam prudens & circumspectus dux quam audax miles, Landgrauij sorore deceptus, dum epulis, & choreis tempus terit, ab Electore non modo totam fere suam ditionem, vt diximus, recuperauit, verum etiam Mauritium suis oppidis exuit, & institutis nouis cum Bohemis consilijs, argentifodinas quoque in potestatem suam redegit, Hussitarum præcipue ope, qui per summum proditionis erga regem suum scelus Electoris rebus fauebant, adeo vt manus quoque nonnullas militares auxilio ei mitterent, vt quos eiusdem periculi coniungebat metus.

DE SMALCALDICIS A CAESARE victis ac profligatis, & Germaniæ ciuitatibus in gratiam receptis.

CAPUT XV.

ARGUMENTUM.

I. *Belli istius gloria cui post Deum debeatur.*
II. *Palatinus Elector & Dux VVirtembergicus Cæsari conciliantur.*
III. *Eius potestati multæ magnæ ac validæ vrbes sese permittunt.*
IV. *Imperator in Saxoniam exercitum ducit.*
V. *Albim fluuium magno animo traÿcit.*
VI. *Saxonæ Ducem vincit & capit.*

I. MVLTIS argumentis in hoc bello summa Dei cuius oculi non super Regum tantum & Principum palatiis, verum etiam pastorum casis & tuguriis vigilant, in conseruando Christiano contra ipsorum Christianorum sceleratas machinationes Imperio, cura & prouidentia apparuit; sed in eo præsertim, quod magnum & Catholicum illum Principem non singulariter tantum toto hoc tam graui durante bello protexit, sed & salutaribus consilijs instruxit. Nam vt olim Demetrio illi Poliorcetæ fortuna ciuitates captiuas adduxisse & velut in manus tradidisse dicta est; sic præclaræ illæ victoriæ quas Imperator consequutus est, quasi cœlitus delapsæ, omnes ipsius hostes, ne vno quidem excepto, ad pedes ipsius prostrauerunt: sic vt qui antea nihil quam de Imperatore vel in triumphum captiuo ducendo, vel omnibus exuto armis, è Germania instar gregarij militis cum baculo & pera profligando somniarant, quum se, sua omnia vitamque gratiæ ipsius permittere, & compedibus vincti, quacumque ibat victorem sequi coacti fuerint; ciuitates, quæ portas ei ante occluserant, muros ei lubenter velut cum triumpho ingredienti aperuerint; & qui antea per contemtum, Carolum Gandauensem appellarant, Patrem dicere non dubitarint. Plurimum vero beneuolentiam ei apud omnes auxit, quod victoria permodeste vteretur, & affabilem se humanum omnibus præberet; quippe qui frequenter dicere soleret, longe pluris se facere ciuium benevolentiam & amorem quam ipsam quamcumque ciuitatem: atque illud sibi vnum propositum haberet, vt lenitate & clementia pacem publicam armis à se acquisitam, conseruaret. Omnes sane à quibus bellum hoc vel litterarum monumentis consignatum, vel eius mentio facta est, omnem eius tam tacito confecti laudem Cæsaris prudentiæ simul & patientiæ tribuunt: qui contra vsitatum militiæ morem, dissentientibus pleriſque ducibus, totam hyemem exercitum sub signis tenuit; & quamuis grauissimis arthritidis vrgeretur doloribus, ab eo nusquam discessit, sed per niues & glaciem, dexterum crus fascia obligatam circumferens, omnia boni Imperatoris munia diligenter ipse obiuit, ac tum quando iam discessurus putabatur, cum copijs quam proxime ad hostes accessit.

II. Vt vero Dux VVirtembergicus primus arma contra Imperatorem ceperat, exercitumque produxerat, sic idē primus ex rebellibus subiugatus & victus, abiectis armis, belli fortunam non amplius experiri decreuit. Postquam enim exercitum à sua ditione non procul abesse, se vero tædio rerum suarum & morbo confectum, tum federatorum res malè procedere, & tam validas copias veluti niuem à solis æstu disparuisse animaduertit: primo quidem in arcem natura inexpugnabilem sese recepit: deinde missis internuncijs, veniā à Cæsare petijt, quæ ei negata, nisi se suasque fortunas omnes, totamque prouinciam sine conditione Cæsari dederet, vt de ijs ipse statueret pro suo arbitratu. His perculsus miser Huldricus suppliciter & demisse admodum Cæsari scribit, *misericordiam eius implorans, & per Christi amorem obsecrans ne in se suosque miseros subditos grauius aliquid statuat.* Tandem Cæsar ei ignouit his conditionibus: *vt supplex factus publice gratiam à Cæsare petat, vt dependat aureorum millia trecenta, vt tormenta sociorum, relicta in suis finibus cum omni instrumento tradat, vt ab omnibus federibus discedat &c.*

Eodem fere tempore Elector Palatinus Fridericus, Halam ad Cæsarem profectus, *culpam sibi condonari petit, quod Smalcaldicis ad Ingolstadium castra habentibus auxilia misisset non ipsius oppugnandi caussa vti dicebat, sed quod ex federe priuato VVirtembergico ad hoc teneretur.* (a) Cæsar acribus eum verbis accipit, ignoscit tamen, & vt errorem hunc atque culpam in posterum accuratiori fide compenset, hortatur. Miserabile plerisque videbatur, tantæ potentiæ & auctoritatis è Bauarica familia Principem, Imperatoris genus affinitatè contingentem, videre nudatis canis, multis cum lacrymis veniam à Cæsare quamhumiliter petentem. Mansuetudine hac & clementia Cæsaris, ad ignoscendum quam ad puniendum longe propensioris, plerique Germaniæ Principes & ciuitates Germaniæ allectæ, eius fidei & obsequio totas sese dediderunt.

III. Ex ciuitatibus Vlmenses magnæ potentiæ & auctoritatis, primi Cæsari fuerunt reconciliati: centum aureorum millibus & duodecim tormentis mulctati. Post hos in gratiam Francofurtenses recepti sunt, depensis aureorum viginti millibus. Scribit Alcantaræ Commendator, quum Landgrauius illac domum è bello properaret, & Senatus ab eo quid porro faciendum esset quæreret, illum respondisse; *Cuilibet vulpi caudam suam bene custodiendam. Cattum quoq; suis rebus non defuturum*; sicque insoluto hoc ænigmate, ab ipsis discessisse. Horum exemplum sequuti Memingenses, quinquaginta aureorum millibus mulctati sunt. Post hos diuersis conditionibus in gratiam recepti Biberacenses, Rauenspurgi, Campodunenses, Lindauii, Eslingenses, & Augustani. Ad hos Sebastianus Schertelinus, qui Protestantibus militauerat, primum, deinde quum omnem sibi spem veniæ præcisam animaduerteret, ad Heluetios profugit. Augustanis centum & viginti aureorum millia & duodecim tormenta imperata. Tandem etiam Argentinenses cum Cæsare transegerunt, persolutis triginta aureorum millibus, & traditis duodecim tormentis. Sic igitur pleræque omnes Imperij ciuitates ad Cæsaris obedientiam redierunt. *Saxo vero & Landgrauius, quos plerique antea summos federis duces agnoscebant, hostes publici sunt denunciati.* In quo admirabilis rerum humanarum inconstantia, & inprimis vulgi, quod secundam fortunam velut heliotropium solem sequitur, & ad quamuis auram circumagitur, mutabilitas apparuit. Quemadmodum autem victoriæ multo sanguine partæ laus magna ex parte militum virtuti; sic incruentæ gloria soli Imperatoris prudentiæ debetur. Carolus certe Cæsar nulla re maiorem laudem assequutus est, quam quod ciuitatum legatos supplices ad se venientes humaniter excepit, & plerisq; ignouit, sic tamen vt imperata facerent. Duo soli restabant, Saxo & Landgrauius. Et hic quidem vt erat magno & feroci animo, quamuis Elector Brādeburgicus sollicite pro ipso intercederet, aliquādiu pertinaciter egit, certis propositis conditionibus in quas, non in alias, pacem facere vellet. At Cæsar eodem modo illum quo VVirtembergicum tractare constituerat: eoque Brandeburgicum monuit, vt nisi Landgrauius absque vlla conditione se dederet, ab omni porro desisteret actione.

IV. Interea Saxoniæ Elector fortunæ, quæ in Saxoniam reuerso propitiam se dederat, diligenter instabat: Cæsare interim cunctante, & certam in ipsum vindicandi occasionem circumspiciente. Postquam vero de clade & captiuitate Alberti Marchionis Brandeburgici accepit, Vlma discessit, & Saxoniam versus iter instituit; sed vehementissimis podagræ vexatus doloribus, Norlingæ aliquamdiu substitit, exigua cum spe sanitatis recuperandæ. Vidisses tum hæreticos cristam rursus erigentes,

a *Sleid. lib. 18.*

trigentes, & eodem Imperatorem & Catholicam Ecclesiam sepulcro propediem contumulatum iri sperantes. Quum vero præter omnem spem conualuisset, Cæsar Norlinga profectus, Norimbergam, inde Egram petit, proxime ad Bohemorum fines Ferdinandicæ ditionis, in montuosis & asperis locis situm oppidum: quo etiam Ferdinandus & Mauritius iam ante venerant. Deinde cum omni exercitu eodem die Egra decedit, & magna celeritate in Saxoniam ducit, vt Electoris, qui nuper Fribergam quoque & Misenum illustre ad Albim oppidum, Mauritio ademerat, progressum cohiberet. Sic decimo tandem die, quum continenter iuisset, ad Misenum vbi Saxo tum erat, peruenit: qui subito Cæsaris aduentu oppressus, relicto oppido, quum sublicium pontem incendisset, ad alteram Albis ripam castra posuit, loco admodum munito, quum & fluuius magna sui parte ad CCC. passus latus interflueret, & ripa vbi castra habebat, in crepidines passim assurgens, vada redderet difficiliora. Cæsariani transportandum quidem exercitum censebant, quomodo vero id fieri posset nõ expediebant, loci situ plerisque metum incutiente, & dispositis ad alteram ripam à Saxone militum stationibus, cum tormentis & nauigijs aliquot, vt Cæsarianos quoquo modo impedirent.

V. Reperto tandem vado, licet profundo, Cæsar ea die exercitum omnino transmittere, & cum hoste, si posset, confligere statuit, antequam nouas ille vires colligeret, aut locis omnibus præsidio & commeatu diligenter munitis, Cæsaris vires diuturna obsidione distineret, & sic bello in longum ducto, & Cæsare Saxonico bello occupato, socijs & reliquis Protestantibus res alibi turbandi occasionem daret. Nam & Landgrauius tum exercitum colligere, & propediem in campum producturus dicebatur. Præmissis ergo leuis armaturæ equitibus qui singulos sclopetarios à tergo vehebant, Cæsar asturconi badio insidens, sella holoserica puniceaauro fimbriata instrato, ipse auro radiante lorica rectus, sine paludamento & galeam Germanorum more capite, manuque frameam lato ferro gestans, speciem magni illius Cæsaris referebat qui transito olim Rubicone, omni pacis conditione abiecta, in solo victoria spem ponebat. Sic ergo quamuis difficili transitu, alijs vi fluminis abreptis, alijs gladios transuersos ore deferentibus, & natando se saluantibus, Cæsar vlteriori ripa sine damno potitus est, hostibus, qui ad prohibendam descensionem relicti fuerant, metu dilapsis. Sleidanus insignis huius victoriæ historiam vno & altero verbo absoluens, ait, Saxonem tum quum ab ijs quos Mulbergæ reliquerat nunciaretur, Cæsarem vtriusque ripæ potentem cum exercitu iam Albim traijcere, concionem sacram audisse. Illud certum est, non sustinuisse ipsum exercitus illius fascijs punicei coloris decussatis terribilis, & ipsum etiam fluminis, cuius præsidio potissimum confisus fuerat, eursum sistentis, aspectum.

Didici ego è Galliæ quodam magnate qui in Germania diu versatus est, Saxones culpam Ducis sui concioni Lutheranæ tam propinquo hoste indormitantis, in Curiæ Mareschallum, ex Schonbergiorum familia, reiicere, qui, vti aiebant, ab Imperatore corruptus, impedierit quo minus nũcium de Cæsaris traiectione ad Ducem mature fuerit perlatum, ne Luthero-sacræ ipsius cogitationes & diuinus scilicet cultus interpellarentur. Saxo, quamuis sero, Cæsarem iam traiecisse certior factus, exercitum ad iter instruit, & celeriter VVitebergam contendit; ita tamen vt extremum agmen carpenti hosti os obuerteret. Cæsar vado reperto, & instructo primo suorum agmine, non exspectatis impedimentis & ceteris in traijciendo adhuc per pontem ex hostium abductis nauigijs factum occupatis, eum quantum potest insequitur. Quum in compito quodam forte fortuna Crucifixi Saluatoris imaginem, Sacramentarij cuiusdam manu glande traiectam conspexisset, eleuatis in cœlum oculis, *Mi Deus*, inquit, *satis ipse tu superque potens es ad tuas hodie vindicandas iniurias*. Saxonem interim cum exercitu, in quo sex erant peditum & tria equitum millia, vnà cum viginti tormentis maioribus, longius progredientem Imperator cum quatuor omnino equitum millibus persequebatur, nullo peditatu, nullis tormentis instructus, quæ paullatim subsequebantur.

VI. Iam vterque exercitus ad tria confecerat milliaria Germanica, vnus quidem viam VVitebergam versus insistens, vt tutum assequeretur locum; alter hostis tergo inhærens, vt eum diuerteret, & ad pugnam prolectaret: quum Saxo primum Cæsaris agmen, quod Albanus ducebat, conspicatus, suos ad syluam quandam consistere, & cũ hoste prœlium inire iubet: qui mox terga vertentes, peditatum destituerunt, ab insequentibus

bus internecione fere deletum Cæsar fugientes vnum milliare, alij longius, & ad tria etiam insequuti sunt, a media fere die ad Solis vsque occasum pugnatum fuit. Ad Cæsarem è conflictu redeuntem Albanus Saxonem captiuum adducit, vndante per faciem sanguine ex vulnere accepto perfusum: qui vbi in Cæsaris conspectum venit, *Quandoquidem ita fortuna tulit*, inquit, *ecce me tibi, Clementissime & potentissime Cæsar, captiuum sisto, vt me pro loci quo natus sum dignitate tractes, rogans.* Tum Cæsar, *Jane hic quem nunc mihi tribuis titulus longe diuersus est ab eo quem ante mihi tribuisti, verum pro meritis ego te accipiam.* Integra hæc & plena fuit Cæsaris victoria, quum omnes fere qui cum Saxone fuerunt, aut occisi aut capti sint, exceptis quadringentis & amplius, qui cum maiore natu Saxonis filio, itidem vulnerato, VVitembergam euaserunt. Est sane diligentia vna ex præcipuis militaris ducis dotibus, quum vna sæpe hora amittatur, quod numquam deinde recuperari potest. Quod si Cæsar eo die Albim non traiecisset, victoriam ipsius cursum Albis procul dubio stitisset; qui sequenti diei ita auctus fuit, vt non modo vado, sed ne natatu quidem, ob summam aquarum violentiam, potuerit transmitti. Quin etiam si Saxo duodecim dierum spacium habuisset (quod captiuus non semel dicere solebat) ad triginta peditum & septem aut octo equitum millia contra Cæsarem fuisset productus. Fatendum sane est ingens hoc fuisse militare facinus, nimirum profundum, ac nullibi fere vadosum fluuium traiicere, hostem tam longe persequi, solo equitatu tam equestres quam pedestres hostium copias, sylua etiam quo se reciperent, munitas, sine omni tormentario apparatu, quo hostis abundabat, aggredi: hacque vna clade Protestantium factio rota fuisset deleta, nisi quidam postea publicam vtilitatem priuatis suis commodis & cupiditatibus post habuissent.

DE PRODIGIIS QVÆ EO DIE quo prœlium commissum est, euenerunt.

Caput XVI.

ARGVMENTVM.

I. *Diuersa prodigia quæ illo die apparuerunt.*
II. *Miraculum circa Solem.*
III. *Ludouici Auilæ de illo testimonium.*
IV. *Aliud nobilis Itali.*
V. *Sleidanus Auilam mendacii non accusat.*
VI *Imperatoris victoria potiti dictum & quanti ea momenti fuerit.*

I. IN rebus vsitatum Naturæ cursum superantibus, lente admodum & tarde haberi fides solet; & miracula vt plurimum in falsitatis suspicionem veniunt, nisi locupletum auctorum qui ea ipsa quæ recitant viderint, nec ab alijs tantum acceperint testimoniis comprobentur. Quod hoc loco scripturus sum, quodque Anno M. D XLVII. Aprilis die XXIV. eo ipso die quo memorabile illud Cæsaris cum Saxone prœlium commissum est, (a) accidit, tam admirabile est, vt vix vllam afferre ausim probationem ad demonstrandum, cœlum & terram eo die in hæreseos exitium coniurasse, nisi fide dignos haberem auctores, tamquam eorum quæ à me dicentur vades. Et quidem eo ipso tempore quo Catholicus exercitus prœlij copiam; hæreticorum vero elabendi spacium quærebat, aquila visa fuit, quæ Cæsarianum exercitum in gyrum circumvolitans lustrauit, tamquam victoriæ, quam Imperialis aquilæ milites, auilo post adepturi erant, prænuncia. Et lupus è sylua progressus, in Hispanorum militum globum incidit, à quibus gladiorum ictibus subito confossus est. Sed ad ipsum miraculum veniamus.

II. Primò, cœlum tamquam igne ardens & Sol sanguineo conspectus fuit. Et vtrique exercitui sol tardius incedere & longius victoriæ spacium dare visus est. Sleidanus totum hoc, quod Protestantium caussæ parum faueret, paucis & obscuris verbis tantum perstringit, aiens, illis diebus solis aspectum valde fuisse tristem, obscurum, pallidum & velut caligine quadam circumdatum, vt plerique à Saxonia longissime remoti & ignari quid ageretur, iudicarent magni aliquid portendi; nec enim in Germania solum, sed per Galliam etiam & Britanniam id fuisse obseruatum, & ita rem habere, multa hominum millia testificari posse. Hæc Sleidanus. Verum Ludouicus Auila qui prœlio interfuit, & Baptista Gribaldus nobilis Italus, ille quidem II. belli Germanici libro, hic verò in quadam suarum Relationum, de prodigioso hoc solis aspectu ita loquuntur.

III. *Quo die prœlium commissum est*, inquit Auila, *ingens*

a *Vlenberg. Vitæ Melanchthon. cap. 17.*

ingens fuit solis æstus, solque sanguineum veluti colorem referebat: nobis vero intuentibus, multo altior & ab occasu remotior quam pro diei tempore videbatur, quasi cursum ille suum retardasset, vt diem faceret longiorem. Hac quidem omnium est opinio: cui etiam contradicere non ausim. Idem eodem die Norimbergæ & in Gallia quoque obseruatum fuit, vt ipse Rex postea affirmauit: itemque in Pedemontio, vbi idem color solu visus est. Quod ego tamquam rem maxime memorabilem notare quoq; volui. Hæc Auila.

Quo tempore Albæ Dux in Galliam venit, regis sui nomine cum Elisabetha regina matrimonium contracturus, ab Henrico II. rege, belli eius mentionem faciente, de hoc, Solis vultum mutantis, & quasi cursum sistentis prodigio rogatus, quidnam ipse vidisset, *Totius mundi*, inquit, *Rex sacratissime, & tum & postea de hoc miraculo constans fuit sermo: mihi vero tum ab* ijs quæ in terra gerebantur, ocium non fuit vel oculos ad cœlum eleuandi, eiusque faciem contemplandi. Hæc ego à Basquio nobili Gallo, Aixensi præfecto, antiquæ homine virtutis & fidei, ac Regi per quam familiari, accepi: cui postea is quoque honos à Rege obtigit, vt ex omni aulica Nobilitate ad prægustatoris munus fuerit adhibitus, Rege monito vt à veneno sibi caueret. Tempus tamen cum eo quod idem Auila de hoc eodem rege scribit, nequaquam conuenit: quum Auilæ Commentarij iam decem annis ante fuerint impressi. Sed alterum auctorem Italum sua lingua loquentem audiamus.

IV. *Quella battaglia è piena di cose stupende, & di miracoli, &c. In hoc prælio multa res stupenda & miracula apparuerunt, cœlo ipso fauorem suum omnibus in rebus erga Cæsarem monstrante: in eo præsertim quod hostes qui capiendi eius elabi sibi passi sunt occasionem, postea victi in ipsius manus peruenerunt. Quum Cæsar suos in hostem duceret, Crucifixi vidit imaginem media in via à scelerato confractam iacentem: tum ex equo prosilens, leuatis ad cœlum oculis, Etsi,* inquit, *ô Domine Deus, satis tibi sit virum ad tuas vindicandas iniurias, quæso tamen des mihi illam gratiam vt de impijs illis sacrilegis hodie pœnas sumere possim. Est vero res certissima, quod in illo temporis articulo quo vtrimque in procinctu ad manus conferendum armatæ stabant acies solem paullo ante clarum, subito sanguineum colorem referre & obscurari vidimus (quod à nullo mortalium ante visum est) significantem quasi, se cursum suum sistere, vt (nostris) integram victoriam consequendi daret spacium. Et vnus è concionatoribus nostru, qui in nostra tum cohorte erat, per totam aciem discurrens, Bono animo este, inquit, filij! Ecce Dei ille oculus se inclinat vt singularem illum vobis præstet fauorem, vosque admoneat & incitet, vt officium vestrum in profligandis inimicis suis impigre obeatis.*

VI. Quod si hoc à nobilissimis & grauibus viris, & testibus oculatis scriptum non esset, dubitandi fortasse quis caussam haberet. Nam quem fructum illi ex hoc mendacio sperare poterant? Quis credat, tantam illorum fuisse impudentiam, vt rem falsam per totum Christianum orbem diuulgare ausi fuerint, quum in vtroque exercitu tam multi Principes & grauissimi viri fuerint, qui mendacij eos coarguere possint? Sleidanus certe quem Auilæ commentarios legisse certum est, ex eo, quod ipsum *impurum & mendacem hominem* appellat, quodque de tota Germania tam frigide tam contemtim atque aliene loquatur, iustam in eum inuehendi caussam habuisset, si in hoc recitando miraculo, & in re tanti momenti, mendacij ipsum potuisset conuincere. Et quid ille amplius non dicturus fuerat, qui eodem loco quo de Auila loquitur, adiungit, Rei istius tanto maiorem esse indignitatem, quod libellus ille singulari quodam Cæsaris priuilegio sit excusus? Auilam reprehendit, quod scripserit Albertum Brandeburgicum à feminis delusum, cladem illam accepisse: at prodigiosam hanc solis stationem tantum abest vt carpat aut rideat, vt etiam ne verbo quidem attingat.

Sed & tertium auctorem addamus. Consaluum de Illescas, qui in II parte Pontificalis suæ historiæ Hispanica lingua conscriptæ, de eadem re sic loquitur. *Et sol per todo àquel dia tuuo vn color sanguineo, &c.* id est: *Sol totus per eum diem sanguineum ostendit colorem, & affirmant multi se in eo stationem quandam obseruasse, qualis fuit tempore Iosue: vt nimirum Carolus V. verorum Israelitarum dux spacium haberet vincendi, & inimicorum Crucis Christi vires frangendi. Idem color Solis qui in Saxonia, Norimbergæ quoque fuit conspectus. Hæc ita se habere, ex multorum fide dignorum hominum testimonijs constat, eoque pro vero & ipse hoc loco ponere non dubitaui.* Eadem de re circumferuntur versus aliquot, memoria non indigni: quorum auctorem, si de nomine mihi constaret sua hic eum gloria non fuisset frustratus.

Phœbe, quid alipedes feruis remorare quadrigas,
Nec rapidum prono tramite tendis iter?
Te sub Atlantiaci tepidas vocat æquoris vndas,

Allicit inque auidos Thetis amica sinus.
Tu tamen obtutu perstas ceu fixus in vno,
Sint velut in terris quæ tenearo mora.
Diceris haud aliter reuocatu lentus habenis
Spectasse inuicti prælia Naueida.
Fallimur? an rursum noua te spectacula tardant,
Quum gerit ecce nouus prælia Naueides.
Prorsus & hæc volucris sola est tardatio cursus,
Hæreticos CAROLVS QUINTVS *vt ense metat.*
Cernis, vt abiectis dant fusa fugatag; signis
Agmina, præcipiti terga notanda fuga!
Cernis vt Austriacus celeri pede miles & hasta
Hæreticas turmas feruidus vrget, agris.
O bene Phœbe faues, inhibesq; à gurgite currum
Ante pio quam sint fixa trophæa duci.
Namq; hic Naueides, si non diuinior, hostis
Tetrior, & superu, laurea grata mage est.

Tu quidem, ô Catholice Monarcha, ad gentilitia tua insignia & Imperialem Aquilam adiungere debebas SOLEM, magni illius ducis & fortissimi filiorum Dei propugnatoris exemplo. Nam si Iosue, quod precibus suis dum contra Gabaonitas dimicat, solis cursum stiterit, Sole deinde pro Symbolo vsus est, & sepulcro quoque suo incidi voluit; quis neget tibi quoque ius fuisse Solem pro Symbolo vsurpandi, & in tuo quoque monumento ostentandi? quum is æque in pugna, quam tunc pro Ecclesiæ defensione pugnabas, vltro cursum suum inhibuerit, & quasi in societatem victoriæ & triumphi tui venire cupiens, purpureo amictu conspicieodum se præbuerit, velut Dei hostiũ sanguine tinctus. Sed honorem hunc filio tuo Philippo II, tot regnorum hæredi, reliquere voluisti, in cuius Symbolo Sol ab horizonte exsurgens lucet, cum hac inscriptione: MOX ILLVSTRABIT OMNIA. Tu Aquila tua Imperiali contentus fuisti, quæ illo ipso quoque die exercitum tuum circumvolitans, victoriam tibi ac tuis prænunciauit.

Iulius Cæsar olim profligato incredibili celeritate bello Asiatico, tribus his verbis, VENI, VIDI, VICI, pro symbolo vsus est: at Cæsar noster Christianus, confecto bello Germanico, illa ipsa hora qua victoriam hanc adeptus fuerat, maiori cum modestia & pietate his verbis vsus est: VENI, VIDI, ET DEVS VICIT.

VI. Sic Titus quoque Imperator, à Deo ad Iudæorum excidium electus, Hierosolymam contemplatus, defixus admiratione exclamasse dicitur, *non suis se viribus Iudaos è tam validis munitionibus expulisse, sed Deum contra ipsos pugnasse.* Quod si prœlium huius diei Lutheranis secundum euenisset, procul dubio ipsi Romæ signa sua inferre fuissent conati. Quid enim aliud restabat, nisi vt victo Imperatore, Principes illi Imperium ciuili & intestino bello sic laceratum, tamquam communem prædam inter se partirentur? vt qui iam ante Imperatoris nomen ferre non poterant. Et Lutherus in libro De bello Turcico, titulos illos qui Imperatori tribui solent, quum *Caput Christianitatis, Tutor Ecclesiæ, Defensor Fidei* appellatur, ait falsos & vanos, & ad Iesu Christi iniuriam & contumeliam pertinere. Luthero ex altera parte, nempe ab Heluetia, concinit Zuinglius, (a) qui ait, *Magnam esse stultitiam Imperatorem in Germania agnoscere, qui Romæ non agnoscatur.* Quod si tamen Imperialem Maiestatem, summum Germaniæ decus, Principes illi coniurati conseruare voluissent, certum est Christianam Rempublicam illo ipso die è Protestantibus aliquem Imperatorem fuisse habituram: qui mox, Transyluaniæ Vayuodæ exemplo, Hungariæ occupato regno, cum Turca fedus pacturus fuerat, vt contra Ferdinandum, quem ceteroqui pro Romanorum Rege quidam habere recusabant, id tueretur. Landgrauij certe ambitio ab eiusmodi conatu non aliena futura fuisse videtur. Saxoniæ vero Duci domestica non deerant tantæ magnitudinis exempla, duo Henrici, tres Otthones, Lotharius & Adolphus. Sæpenumero rebellibus expedit, vt omnia perdantur, modo ipsi euadant, aut in ipsis totius patriæ cineribus vel ruderibus sepeliantur. Saxo quoque exercitum habiturus erat noua illa victoria adhuc cruentum & ferocem. Bohemiæ etiam regnum magna ex parte Hussitarum opera Protestantibus adiuncturum se fuerat. Landgrauius quoque validas adhuc sub signis habebat copias. Horum omnium impetum Carolo & Ferdinando profligatis, quis sistere aut cohibere potuisset? quum etiam soluto fœdere, & tantis acceptis cladibus, vnica vrbs Magdeburgensis Imperatoris atque Imperij viribus sese opponere ausa fuerit, & reliquiæ victoribus quinque aut sex annis post victoriam, tantum negocij de nouo facessiuerint. Priusquam tamen hoc de victoria Cæsaris caput concludam, Cæsar capto Saxone ad VVittebergam exercitum admouit 5. Maij & de-

a *Lib. 4. Epist. Zuing. & Oecolam. fol. 186.*

& deditione accepit 23. Maij, & biduo post ingressus inspexit: 5. vero Iunij Septemviralem dignitatem cum ditione annexa à Ioanne Friderico captiuo capite protestantium eiusque posteris ablatam Mauritio Duci Saxoniæ & captiui sobrino contulit (b) captiuus vero ex ijs locis abductus est, & paulo post Landgrauius Hassiæ Philippus alterum factiosorum caput Halæ Saxonum captus est (c) Porro Ex-Elector cum abduceretur in vinculis zelo Academiæ Luthero-VVittebergicæ æstuans filio in mandatis dedit, vt tempestate Belli dissipatas reliquias Academicorum colligeret, & Ienam transferret, quod mox cœptum est, sed pars Lutheranarum Academicorum VVittebergam cum Philippo Melanchthone redire maluit, quæ nempe Molliorum erat, Rigidiores vero Ienam concesserunt. (d).

QVID IMPERATOR POST VICTORIAM egerit: & quomodo Interimistica religionis formula sit procusa.

Caput XVII.

ARGVMENTVM.

I. *Error Imperatoris post victoriam in captiui detinendis.*
II. *Eiusdem in sedandis religionis controuersiis studium.*
III. *Concilium solutum redintegrari vult.*
IV. *Liber* INTERIM *cuditur.*
V. INTERIM *vndiq; impugnatur.*
VI. *Cæsar persequitur nolentes recipere Interimisticam Religionis formam.*

I. CLEMENTIA illa qua Imperator post victoriam Saxoni (quem Schlusselburgius impudenter Iesu Christi Martyrem appellat,) vitæ gratiam fecit, etsi laudem eius per totum Christianum orbem plurimum illustrauit, ad Ecclesiæ tamen quietem & securitatem parum profuit: sic vt nouæ semper victoriæ nouas Imperatori peperierint curas. Nam vt in rebus prosperis & omnibus victorijs perpetua animi moderatione antehac semper vsus fuerat, adeo vt à militibus idem ei quod Hannibali exprobratum fuerit, quod nimirum Vincere sciret, at victoria vti nesciret; sic etiam tum satis habuit duos illos Principes per quinquennium fere aut sexennium captiuos secum circumducere, compedibus quidem fere singulis diebus oneratos, nullo alio cum fructu, quam quod ex eorum ignominia, vt quidam interpretari non verentur, gloriam quæreret. Interea coniugum lamentationibus, liberorum & cognatorum querelis omnium tam Germanorum, quam exterorum Principum aures quotidie pulsabantur, plerisque passim indignantibus tantos istos Principes, & quidem sub exteræ gentis, quod inuidiam augebat, custodia, tam diu traduci: etiam inimicorum contra eosdem odio tandem in misericordiam verso. Inter ceteros ijdem grauiter de hoc apud Galliarum regem conquesti sunt, qui iamdudum Cæsaris fortunæ & magnitudini inuidebat. Inprimis vero Protestantes Principes qui fidelem Cæsari in eo bello operam nauarant, pro captiuorum liberatione assiduo apud Cæsarem intercedebant: quum vero surdis auribus preces suas accipi viderent, graui concepta offensione, tempus & iniuriam hanc, vti interpretabantur, vlciscendi, & pristinam patriæ libertatem restituendi, simulque controuersiam de religione renouandi, opportunum circum spicere cœperunt. Melius sane Cæsarem facturum fuisse credibile est, si quibus vitæ gratiam fecerat, ijs integrum quoque libertatis beneficium concessisset, & sic vniuerso bello clementiâ finem imposuisset. Sed fato quodam fit, vt fortuna sæpe contra nostra instituta, consilia & præcautiones rerum euentus dirigat, eosque in sua manu esse demonstret. Quis vero huius rei euentus fuerit, infra perspicue videbis.

II. Posteaquam Imperator tam graui bello a-lijsque intricatis negotijs sese explicauit, circa Iulij mensem & à Principibus & ciuitatibus quos in gratiâ receperat (qui fere vnus victoriæ huius fructus fuit) ad decies sexies centena millia aureorũ, & quingentas aut sexcentas circiter maiores machinas mulctæ loco exegit; tum rebelles quosdam & inprimis Magdeburgenses, qui soli imperium detrectabãt, proscripsit: primam omnium religionis curam suscepit, quæ hactenus velut in suspenso manserat. Quare & Ecclesiasticis bona restitui, & templa polluta passim lustrari atque expiari, diuinum denique cultum ad pristinam formam instaurari iussit. Comitia deinde Augustam Vindelicorum in sequentem mensem Septembrem indixit futura in quibus quum exposuisset, omnium malorum quibus hactenus afflicta

b *Vlenb Vit. Melanch. cap. 17. num. 2.* c *Mercator in Chronol.* d *Vlenberg. loco cit.*

sit Germania, Lutheranum schisma causſam fuisse, nec eorum finem sperari posse nisi dissidium hoc Religionis componatur, permissa ijs quibus hoc munus à Deo demandatum est, controversias, quæ multorum hactenus conscientias perturbârunt, decidendi auctoritate à Principibus & civitatum Legatis petijt, *ut tot tamque sapientum virorum qui Tridentini iam eam ob causſam congregati essent, indicijs starent, & Concilij decreta acciperent & æqui vellent. Se quidem ijs qui eo ad disceptandam religionis causſam ire vellent, de securitate idonee cauturum.* Et postulationi statim Catholici consenserunt At Mauricius novus Elector & Palatinus tergiversabantur. ergo privatim deinde cum singulis agendo tantum effecit, ut Electores Palatinus & Mauritius Saxo Lutheranus & civitatum delegati, Concilij decreta pro sacrosanctis se habituros promisserint (*a*) mense Iunio 1547. Octob. declaravit Mauricius, quo die Philippus Melanchthon Wittebergæ consultus ut certe assensit & Academicas Lectiones resumpsit (*b*) Undeterum Philippo ut Molli Lutherano tempestias a Flaccianis Rigidioribusque oborta est, & sub Philippi larva ipsi Mauricio. quæ dum agunt Annus 1547. ad finem excurrit, Comitijs nondum absolutis.

III. Iam tum vero Concilium interruptum, adeoque dissipatum erat, quod maior pars Patrum Tridento Bononiam se contulisset, ob valetudinis seu sanitatis causſam. At Cæsar Cardinali Tridentino & Legato suo Mendoza Romam missis, Pontificem maximopere rogavit ut Concilij Patres Tridentum revocaret. Quum vero Pontifex, inconsultis, qui Bononiæ erant, Patribus postulanti nihil concedere vellet, illi vero Bononiæ manere decrevissent, Imperator moræ impatiens per eundē Legatū suū de Concilij abruptione, ex qua novæ turbæ facile subnasci possent protestatur. Ecōtra Pontificis Legat⁹ Cardinalis Montan⁹ aperte dixit, se & Patres qui Bononiæ præsentes adessēt mortē potius oppetituros, quām ut Imperatoris arbitrio, qui filius, non dominus aut magister sit, Ecclesiæ Concilium perageretur passuros. Concilij enim ordinandi curam ad Pontificem, tamquam Dei in terris Vicarium, pertinere. Protestationem hanc Cæsarei Legati ipse quoque Papa, tamquam ad præiudicium Pontificiæ authoritatis & potestatis pertinentem ægre tulit: interim vero negocium quatuor Cardinalibus dedit, qui de utriusque loci Bononiæ & Tridenti, commoditatibus, ac de Concilij translatione, utrum ea rite facta vel minus esset cognoscerent.

IV. His de rebus à Legatis suis certior factus Imperator, quum longiorem quam vellet moram interponi animadverteret, omnibus modis viam aliquam ineundam sibi statuit, qua *Interim duæ illæ religiones, Catholica & Lutherana, quoquo modo conciliarentur.* Ut vero hæreseos impetum sisteret, quæ velut Ætna novas propediem flammas per totum Christianum orbem eructatura, omniaque incendijs. mistura videbatur; Protestantium animos tentavit, utrum intermediam aliquam religionis formulam ferre possent. Quem in finem comitia, ut supra dicere cœpimus, Augustam indixerat, ad quæ multi tam Catholicorum quam Protestantium Theologi fuerunt evocati, ut cōmuni collata opera, res tanto facilius procederet. Ex his præcipui fuerunt Julius Pflugius Episcopus Naumbergensis, Michael Sidonius, Joannes Islebius Agricola, Brentius, Bucerus & Melanchthon. Post longam disceptationem tandem ibi famosus ille liber, quem INTERIM vulgo vocant, conscriptus fuit, in disceptationem est adductus, nihil fere tam in doctrina quam ceremonijs Catholicæ Ecclesiæ contrarium complectens, adeo ut Missæ quoque canon integer in eo exstet, *nisi quod sacerdotum coniugia non damnat* (siquidem è Protestantibus nonnulli uxores duxerant, quas repudiare cum nollent; eoque hac in re sine magna perturbatione murari nihil posset, coniugij usum illis esse permittendum videretur, donec certi quid à Concilio decernatur) *Item carnis & sanguinis Christi sub utraq; specie communio permittatur, ita tamen ne quis contrarium docentes aut facientes damnet: quum sub unaquaque specie Christi corpus integrum contineatur.* Hunc librum à magnis oblatū, dedit Pflugio Episcopo Naumburgensi, Sidonio Mogunt. Suffraganeo & Joan. Agricolæ Islebio, Antinomorum nuper auctori percensendū, quod fecere; & Cæsari retulere, solum à dictis capitibus fere à veteri fide discrepare. Itaq; per Moguntinū ac Brandeburgicum etiam Mauritio oblatus, ut is privatim ei assentiretur. Interim dum Concilium cæptum consummaretur, quod & fecit. Itaque primum privatis suffragijs, ne iterum ut alias palam reclamaretur & Protestationes novæ orirentur,

appro-

a *Vlenberg. Vitæ Melancht. cap. 17 num. 3.* b *Vlenberg. ibid.*

approbatus; publice approbatus est ab Ordinibus Imperij Mense Martio Anni 1548. etsi idem Mauritius mox protestatus sit suorum consiliariorum instinctu, quasi sine suorum subditorum consensu, quorum religionem immutatam teneretur servare, nequaquam librum illum concordiæ posse approbare. (Erat vero liber hic ante Buceri adventum, uti dictum est, compositus quem ab Electore Brandeburgico eidem datum, & ab alijs, excepto Brentio & Melanchthone subscriptum, quum ille evoluisset, sive quod minus ei placeret, sive quod sine sua opera confectum ægre ferret, probare se non posse respondit, & clanculum abiens, Argentinam se recepit.

V. Ad librum hunc continentem Novam & Academicam religionis formam, antiquis Ecclesiæ constitutionibus contrariam, quamvis Pontifex sanctissime respondit, *inauditum & monstrosum esse, ut presbyter ordinatus uxorem ducere, & sacrum officiū administrare possit: & consuetudinem illam cœnæ Dominicæ sub utraque specie sumendæ iam pridem in Ecclesia abrogatam esse, & in his indulgendi potestatem nulli præterquam sibi competere.* Nihilominus tamen Imperator, pacis in Germania stabiliendæ studio, librum in consessu Ordinum Imperij legi, ac deinde Latina & vernacula lingua excudi, & ab omnibus recipi iussit. Et è Lutheranis quidem alij receperunt, alij reiecerunt. Recepit Joachimus Elector Brandeburgicus: at frater ipsius Joannes reiecit. Subscripsit Elector Palatinus; sed ex eadem familia Dux Bipontinus subscribere recusavit. Dux VVirtembergicus eo per ditionem suam publicato, Ministros qui subscribere nollent, dimitti iussit. Saxoniæ Dux captivus ut subscriberet, numquam adduci potuit: uti nec eius filij: cui tamē Landgravius se submisit. maxima in Mauricio novo Electore erat difficultas, qui multis Principum & Cæsaris collationibus ut probaret induci non poterat, seductus per suos, donec suis iterum iterumq; consultis Theologis rationi cessit & 15. Maij liber ille est publicatus, refutatis sufficienter ijs quæ opponebantur. Et sic quidem dissensionum & turbarum omnia plena erant: Brentius, Bucerus, & Musculus, Lutherani Theologi librum hunc probare noluerunt, quem tamen alij complures approbarunt, & inprimis Islebius Agricola, non obscuri nominis Lutheranus Theologus, qui etiam præcipuus eius fuit auctor. Beza *Infelicem hunc partum à Lutherano apostata Islebij nomine editum* dicit: *sed postquam ex eius lectione cognitum fuit, nihil eo nisi puræ doctrinæ & Ecclesiasticæ politiæ depravationem contineri, à fidelibus Ministris statim impugnatum, adeoque fuisse abolitum.* Sic Beza: quum *Interimistica illa religionis forma* à multis ciuitatibus recepta fuerit, atque adeo etiamnum apud nonnullos vigeat. Palladius *insignem* ait *fuisse illam proditionem qua nonnulli ex fratribus ipsorum, vt bonam ab Imperatore inirent gratiam, Interimisticam illam religionem sibi obtrudi, & ad Missam perduci se passi sint, ex illa opinione, quod hæc & talia sint adiaphora.* At Melanchthon etsi is multum huic Concordiæ libro restitisset vti ex actis eius liquet, timore tamen Cæsaris & Mauritij multum de Veteri pertinacia Luthero viuente vsurpata remiserat, vt quasi inuitus librum tolerare videretur, quapropter idem à Flacianis acerbe est exagitatus. (d) qui pacificationi studens respondit, *aliquam seruitutem ferendam esse, modo cum impietate non sit coniuncta.* Vt paucis dicam, ex Interimistico hoc libro noua religio procusa est, quæ postea tam à verè Catholicis quam Lutheranis fuit oppugnata: quamuis Imperator, vt ab omnibus reciperetur, seuere ediderit, quo scilicet Protestantes hac ratione à Lutheranismo abductos, paullatim ad Catholicam reduceret Ecclesiam.

VI. Prædicantes doctrinam hanc approbare recusantes, solum passim vertere & abire iussi sunt. Ioannes Brentius Hala, vbi XXVI. annos docuerat, discessit. Osiander Norimberga relicta, in Prussiam se contulit, vbi nouam hæresin procudit, de qua lib II. diximus. Blaurerus Constantiam reliquit. Musculus Augustæ valedicens, Bernam Heluetiorum commigrauit. Qui Spiræ & Wormatiæ docuerant, itidem alij aliò dilapsi sunt. Et Ridiculatunc apparuit & mere humanum inventum Religio Lutherica, cum ex omnibus eius professoribus nemo inuentus est, qui Martyrij coronam pro Lutheriana religione aut Confessione Augustana moriendo, appeteret: sed omnes dissimulando suam ferociam persequutionem velis remisque fugiebant. Quid de his Tertullianus dicturum? quid eis, si de suorum numero essent, exprobraturum putas? Vtinam tum vixisset adhuc Lutherus, & nubes illas è leuissimis cerebri sui vaporibus formatas, momento dissipari, id est.

c *Vlenberg. in Vita Melancht. omnia illa exactissimè refert cap.* 17. & 18. d *Idem cap.* 18, & *in Matth. Flaccio.*

Ecclesiam quam ipse ad finem vsque Mundi duraturam & sibi & alijs persuaserat, omni forma & decore nudatam, repente concidere vidisset? Vere enim, Vere tunc Lutherana religio ex oculis euanescens inuisibilis euasit, cum professores eius subticuerunt, passi nouam formam induci. Profecto animam tum agebat vniuersus Lutheranismus: quam non dubium est quin Interimistica Religio penitus elisura fuerit, si Concilio mature finis impositus, eiusque decreta Imperatore Germaniâ armis adhuc obtinente, promulgata fuissent. Ex ciuitatibus enim pleræque aliæ vltro, aliæ Imperatoris metu ac respectu Nouam illam Religionis Formulam amplexæ fuerant. At mora illa (quippe Anno M D LXIV. demum Concilium illud conclusum fuit) Hæresi respirandi dedit spacium, effecitque vt dum extrema Concilij exspectabantur decreta, Lutherana religio non pristinos modo suos cultores permulserit, sed nouos etiam allexerit. Vt enim arbor quæ iam inueterauit, & radices alte egit, non facile deijcitur; sic religio etiam falsa ex animo quem semel occupauit, ægre admodum euellitur atque exstirpatur. Imperator interim nihilominus Imperij Ordines vt doctrinæ huic subscriberent, vrgere non cessabat; adeo vt etiam ciuitates id facere recusantes proscriptæ, & è concionatoribus nonnulli comprehensi & in vincula coniecti sint, vt Vlmensibus accidit, è quibus tamen duo subscripserunt. Quid multis? E ciuitatibus pleræque, vt Augusta, Constantia, Lindauia, Vlma, &c. dicto Cæsaris audientes fuerunt: Argentinenses vero & Magdeburgenses mira pertinacia tergiversabantur. Et illi quidem diuersis legationibus Cæsarem obsecrarunt, vt in Augustana confessione vsq; ad Concilij determinationem persistere sibi liceret; interim vero nulla se impedimenta Catholicæ Ecclesiæ, aut eius de festis, de ieiunijs, & quæ eiusmodi sunt constitutionibus, nec ipsis etiam Ecclesiasticis obiecturos: rogare tantum vt cuique quam velit religionem, citra scandalum profiteri liceat, donec à Concilio certi quid statuatur. Quod si Cæsar simplicius aliquanto cum ipsis egisset, & propositum acrius vrsisset, dubium non est quin decretum illi recepturi fuerint. Quum enim Argentoratum venturus diceretur, mirũ est quantopere etiam contumacissimi consternati fuerint, sic vt multi fortunis suis metuentes, relicta vrbe, aliò migrarint. Vbi vero Cæsarem iter Vlmam habere, & inde in Belgium descendere velle percrebuit, resumtis animis, aliam ad eum legationem miserunt, cuius exitus post multam actionem is fuit, vt de restaurando diuino cultu cum Episcopo & alijs iussi sint transigere. Tandem ergo Imperatore cum duobus captiuis Principibus, Saxone & Landgrauio, in Belgium transgresso, Argentinæ Catholica religio postliminio restituta, & Missa XXI. annos iam intermissa, in tribus templis expiatis prius, rursus fuit celebrata: quod à Sleidano prolixe recitatur. Magdeburgenses restabant, & Bremenses, qui extrema perferre, quam illam religionis mutationem admittere maluerunt; in quos proscriptionis lata fuit, & promulgata quoque in illos sententia. At in proscriptos cuiuis fortunam suam experiri ius est. Magdeburgenses quidem quum diu muris sese continuissent, tandem cum octo armatorum millibus & tormentis aliquot egressi, ab Archiepiscopi & ijs quas Cæsar ei summiserat copijs, aduerso commisso prœlio, cladem acceperunt. Eius deinde belli cura Mauritio demandata fuit; qui vrbem obsessam fusis auxiliaribus copijs, tandem ad pacis conditiones & veniam ab Imperatore petendam adegit; recepto religionis decreto, depensis quinquaginta aureorum millibus, & duodecim tormentis maioribus traditis. Sic quoque ibidem Ecclesia restituta fuit, expiatis quæ hæresis profanauerat, locis. Sleidanus rerum sacrarum rudis, quo loco Missæ restauratæ mentionem facit, sanctum hoc sacrificium scurriliter irridet, omnes ceremonias quæ in eo adhibentur, ita repræsentans, vt ipsa Missa nihil aliud quam Mimus aut Comœdia; & sacerdos histrio videatur. quo facto suam manifeste confitetur imperitiam vt qui quid Missa sit plane non intelligat, perinde agens, ac si Gallicani idiomatis ignarus, Gallicanos loquentes agentesque videns ac audiens, eos vti Gallos & gallinas cucurire pronunciet. quæ, malum est ista amentia hominum? quos B. Judas iam pridem notauit sua epistola scribens: *Quæcunque quidem ignorant blasphemant &c. Va illis.* Quare operæ precium mihi visum fuit, Catholico Lectori, vt hæreticorum inueteratam malitiam non videat modo sed & manu tangat, sacrarum illarum quæ in solenni & quotidiano sacrificio vsurpantur, rationes alibi copiosius explicare, vti & pridem eodem à pluribus

bus sunt explicatæ. (e) Interim ô miser scurra vosque omnes hæretici, qui sacras Domini ædes polluistis, nobisque eas expurgandi & de novo consecrandi necessitatem imposuistis, hoc scitote: primum per duodecim Cruces quas Episcopus in consecratione Templorum depingit, *duodecim significari Apostolos*; quod ipsi his armis & Sathanã & Mundum vicerint ac profligarint. Oleum quoque in hac consecratione adhibetur, quod liquor hic inter omnes nobilissimus sit & natura sua & significatione. *Oleo*, inquit Cyprianus in Sermone de Chrismate, *altaris lapides iunguntur, ut eiusmodi sacrosanctis mysterijs spiritualis quadam pinguedo subesse agnoscatur, quæ externæ actioni efficaciam largiatur. Nam ut oleum omnibus reliquis liquoribus supernatat sic sacerdotalis dignitas, omnia in se continens, omnes in terra dignitates antecellit.* Lavantur & fumigantur saxa vel lapides, *ut intelligatur, illam non amplius iam esse negotiationis domum.* Latinas vero & Græcas litteras in pavimento describit Episcopus, *ad significandum, his duabus linguis sancta mysteria Orientis & Occidentalis Ecclesiæ administrari.* Idem templi fores ingressurus pulsat, sanctas reliquias deferens, *eò quod tum omnipotentis Dei auxilio omnes diabolos inde expellit, ut semper illa posthac sit Dei Domus.* Hæ quidem & similes ceremoniæ à S. Augustino & Sancto Bernardo descriptæ exstant. Vide igitur nostri sæculi putidam perversitatẽ ea irridentis ad quæ visenda prisci illi Christiani tanto studio, fervore & applausu accurrebant. Eusebius, *Frequenter*, inquit, *cum gaudio & lætitia, ob templorum Dedicationes, festos dies à Christianis celebrari, in quibus omnes Presbyteri conveniant, adeo ut nec procul inde distantes venire cunctentur.* Sanctus Basilius *excusat se, quod populum istiusmodi ceremonia exspectatione diu suspendisset.* Et Sanctus Athanasius *Imperatorem ad similem actum invitat.* Nihil reliquum est, inquiens, ad integrum decus & ornatum, quam ut tu quoque consecrationi à te ædificatæ ecclesiæ interfis. Et Prosper *se præsentem fuisse scribit, quando ecclesia quadam Carthagine ab Aurelio Augustini prædecessore Deo dedicata & consecrata fuit: ubi in forium frontispicio non sine ingenti miraculo hæc antiquis litteris inscripta, reperta fuerint: Aurelius Pontifex dedicavit.*

Sed quid opus est plura? quum de ceremonia hac Consecrationis, quam Novatores Antichristi notam appellant, omnis antiquitas honorificè loquatur.

QUOMODO SAXONIÆ DUX Electorali dignitate privatus, & Hassiæ Landgravius Cæsaris arbitrio se permittere coactus sit.

CAPUT XVIII.

ARGUMENTUM.

I. *Hereticivictoria Cæsaris attoniti & stupefacti.*
II. *Saxoniæ Dux Electorali dignitate exuitur.*
III. *Landgravius capto Saxone, animum despondet.*
IV. *Hala ad Imperatoris pedes se abjicit & per Cancellarium perorat.*
V. *Imperatoris ad eum responsio.*
VI. *Landgravij imprudentia.*

1. MAGNA illa Saxonici belli victoria, pluribus deinde alijs velut concatenata, quibus & Landgravius non multo post ad Imperatoris prostratus, & præcipuarum urbium portæ Cæsari apertæ, è Germania vero ad quingenta fere tormenta maiora abducta sunt, Hæreseos omnia fere hactenus prospere agentis, adeoque Imperiũ ex felici hujus belli, quem spe devoverat, exitu, in omnes affectantis, torrentem & impetum maximopere retardavit. Ex omni enim illa spe, stulti homines nihil aliud reportarunt, quam quod campos cælorum cadaveribus oppletos, præcipuum factionis ducem captivum, alterum socij casu perterritum, & nihil nisi vitæ, & quæ exigua restabat, ditionis suæ conservandæ modos circumspicientem, ipsi quoque non minus attoniti viderunt. Miseri Prædicantes Lutherani, qui durante bello hactenus mussarant, eo confecto huc illuc dispersi, latibula quæsiverunt; & ad Helvetios inprimis nonnulli se receperunt. Nulla de re tum frequentior fuit aut consultatio aut oratio, quam quibus modis effici posset, ne quid in Landgravium durius statueretur: at Imperator, spreta omni intercessione, nulla alia conditione in gratiam eum recipere

(e) *Expositio Missæ Argentinæ, Lipsiæ, Coloniæ, Moguntiæ &c. multiplex & olim & nunc edita est, imprimis accurate universam Vitæ ac mortis Christi œconomiã partibus singulis Missæ correspondere ostendit libellus Coloniæ editus Tit. Mysteria Fidei sacro Missæ officio aptata.*

recipere volebat, quam vt qui rebellionis Saxoni fuerat socius, comes quoque eiusdem fortunæ esset.

Saxonis quidem vita diu in ambiguo hæsit: tandem vero post multam consultationem in eum lata fuit mortis sententia, vt exemplo eius Smalcaldici federis reliquiæ preteritæ, tanto facilius ad officium rediret. Ante omnes vero Ferdinandus Rex, iniuriarum quas ab ipso accepisset memor, vitæ gratiam ei faciendam instanter negabat. Cliuensis tamē Brandeburgici & aliorum intercessione, mortis pœna ei remissa est, sed conditionibus paullo ipsa morte mitioribus.

II. Nam *& Electorali dignitati, præcipuo familiæ suæ decori, tam suo quam filiorum nomine renunciare, & præcipua ditionis suæ propugnacula, VVitebergam inprimis primariam septemuiralis patrimonij vrbem, à qua, post introductum eò Lutheranismum, munienda numquam hactenus cessatum fuit; vt & Gotham, alterum totius ditionis munitissimum propugnaculum, vt perpetuum esset rebellionis monumentum, demoliendum cum omni tormentario apparatu, Cæsari tradere coactus fuit. Iussus præterea est Albertum Brandeburgicum & Duces Brunsuicenses sine mulcta liberos dimittere, nec vllam aduersus eos, vt & Magdeburgicos actionem deinceps mouere; tum bona Ecclesiasticis ablata restituere; reliquis bonis ipsius confiscatis & Ferdinando ac Mauritio adiudicatis, ea conditione, vt Mauritius Saxoni eiusque liberis quinquaginta aureorum millia annua dependeret, & æs alienum ad centum aureorum millia solueret; Decretis denique Cæsaris & Imperij obedire.*

Sic igitur bonis & dignitate exutus Saxo, graues rebellionis suæ pœnas luit. Quia vero supplicium & pœna corporis ei remissum fuit, & additum fuit in conditionibus, vt esset in custodia Cæsaris quamdiu ipsi videbitur. In ijsdem quoque, vt Sleidanus dicit, perscriptum fuerat, vt quæ Concilium aut Cæsar de religione statuerit, ipse approbaret: quum vero nulla ratione adduci posset vt assentiretur, eam particulam fuisse inductam. Sed Auila scribit, in ijs quæ de religione cum ipso acta sint, Saxonem initio aliquantum fuisse contumacem: quum vero postea magis ex sententia respondisset, Cæsari negocium hoc omittendum visum fuisse. Mirabilis sane in tanta aduersitate Principis huius fuit constantia, vt qui etiam mortis in se lata & per delegatum significata sententia, non modo nullum indignum Principe verbum emiserit, sed etiam nihil vultu commotus aut turbatus, incredibilem animi constantiam in omnibus semper præ se tulit.

III. Landgrauius quamuis nondum aduerso commisso prœlio, nihilo tamen mitius acceptus fuit. Postquam enim de Saxonis captiuitate cognouit, rebus suis diffisus, omnibus cogitationibus à bello ad pacem conuersis, copias vix instructas dimittere cœpit, quæ breui instar niuis disparuerunt: parum memor illius quod olim a multo præstantiori duce dictum fuit, *Numquam nos vllo quantumuis sinistro casu ad eam desperationem adduci debere, vt nullum ei remedium inueniri existimemus.* Poterat enim Landgrauius quum ex ijs quas secum habebat, tum ex Saxonicarum copiarum reliquijs facile exercitum conficere, seque cum Mansfeldij & Thumserni, qui paullo ante Ericum Brunsuicensem prœlio non admodum memorabili fuderant, vltra duodecim peditum, & quatuor equitum millibus constante exercitu coniungere. Saxonis filius tum Gotham se contulerat, arcem adeo munitam vt totius orbis vires parum ei formidabiles viderentur: vtpote præter incredibilem omnium rerum necessariarū copiam, centum maioribus machinis & tormentario apparatu quantus ad centum ictuum millia & vltra, satis erat, instructam. Non pauciorem Witebergæ fuisse apparatum aiunt, cum tribus præsidiariorum millibus: quibus sane viribus vel ingens poterat admodum distineri exercitus. Quid multis? Nisi Landgrauio animus defuisset, poterat sane victoriarum Cæsaris cursum, si non omnino impedire, interrumpere tamen, & cum maiori nominis existimatione vitam suam tueri. Sed malæ religionis, à qua nihil solidi haberet solatij, cultor & nuper insigniter tumens, nunc metu torpens & dies noctesque nihil aliud quam de venia consequenda cogitans, hoc fortunæ debuit ludibrium, vt cum suo dedecore, alterius augeret gloriam.

IV. Halam ergo, vbi Cæsar tum erat, profectus, acceptis & subscriptis conditionibus, captivum se stitit. Conditiones fuerunt: *Vt federi Smalcaldico renunciaret: Concilij decretis & Imperij statutis pareret, &c.* Sic ergo in aulam ad Imperatorem throno insidentem deductus, & in genua prouolutus, oculis in terram deiectis (vnde interiores animi motus apparebant) per Cancellarium sic loquutus fertur.

Serenissime, potentissime, & inuictissime Princeps, clementissime Imperator, quod Dominus meus Philippus

Hassia

Hassiæ Landgravius anteacto bello Maiestatem Tuam graviter offendit, & alios quoque in eandem culpam induxit, sic ut iure in eum vindicare possis, hoc ei summopere dolet, eoque sicut ante promisit, tuæ voluntati totum sese permittit, nulla re excepta: ac simul per omnia sacra humiliter obtestatur, ut & pro tua clementia factum ignoscas, & proscriptionis sententiam; iuste in se latam abroleas, & ditionem suam possidendam subditosque regendos ipsi permittas: pro quibus similiter, ut clementer eos in gratiam tuam recipere velis, deprecatur. Vicissim promittit dictus Landgravius, se Maiestatem Tuam semper tamquam supremum & unicè legitimum ab Omnipotente Deo summo omnium Monarcha, sibi præpositum magistratum & dominum, omni honore, fide & obsequio prosequuturum, omniaque quæ fidelis cliens debet, tam ad Tuæ Majestatis quam Imperij servitium, neque contra facturum; hanc denique sibi præstitam gratiam summi beneficij loco habiturum, & cum suis omnia ea quæ conditionibus cum ipso pactis continentur, fideliter impleturum.

V. Ad hæc Cæsar, ubi deliberasset per unum ex Consiliarijs suis respondit: *Etsi gravissimam pœnam sit meritus, ut & publice constet, & ipse fateatur; se tamen pro sua benignitate & clementia, & quoniam Principes aliqui intercesserint, nõ recusare quin & à proscriptione liberetur, & neque supplicio quod sit commeritus, neq; carcere perpetuo, neq; bonis etiam mulctetur amplius quam sit in formula pacis definitum. ipsius etiam clientibus atque populo sese ignoscere, modo pacta servent, & suum hoc tantum beneficium deinceps agnoscant.*

Surgenti qui hactenus genibus insederat, Landgravio Cæsar neque dextram porrexit, neque ullam benevolentiæ significationem dedit. Actionis huius spectatores erant Maximilianus Ferdinandi F. Philibertus Sabaudus, Legatus Pontificis, Episcopi & Principes aliquot Germaniæ, Bohemiæ ac Daniæ regum legati, tum duces ac præfecti militares complures: quibus omnibus insolitum fuit spectaculum, Principem tantæ quondam ferociæ, omnisque alieni imperij antea impatientem, nunc alienis genibus advolutum: adeoque alteram illam Aquilam ad supremum imperij culmen paullo ante subvolantem, iam humi videre deiectam. Eodem vespere Landgravio apud Ducem Albanum custodia ponitur, contra spem à Mauritio & Brandeburgico ipsi factam, qui fore dixerant, ut libertati restitueretur. Idem tamen, omnibus modis brevi sese effecturos uti liberetur, custodiam hanc ægerrime ferenti promiserunt.

IV. At culpam sibi ipsi imputare debebat Landgravius, qui quum formulam transactionis sua ipse manu perscripsisset, non viderat, licet cautum esset ne perpetuo carcere detineretur, non tamen id obstare quò minus ad tempus ipsi poneretur custodia; eoque eius arbitrium penes illum fore in cuius manus sese tradebat. Quem errorem ipse postea agnovit, quum die quodam, traditis iam arcibus & tormentis cum omni apparatu, & centum quinquaginta persolutis, ex pacto, aureorum millibus, ex Albano, Cæsarem non nisi de perpetuo carcere ipsi cavisse dicente, quæsivit, (a) *Ecquis tandem futurus esset captivitatis modus, aut quo temporis intervallo illa terminanda esset? Etiamsi*, retulit Albanus, *per quatuordecim aut amplius annos Cæsar te detineat, nihil tamen contra datam fidem fecerit.* Sed & idem responsi Mauritio intercedenti à Cæsare datum est, nempe quum vitæ gratiam Landgravio faceret, perpetuum tantum carcerem fuisse exceptum: ceterum custodiam hanc ad tempus, suo reservatam fuisse arbitrio. Sic alter ille federis Smalcaldici dux & præcipuus belli auctor, sua imprudentia in custodiam incidit: suoque exemplo docuit; per ea quibus sibi homines ad altiora gradum struunt, ad ima sæpe ferri ac præcipitari. Secundũ hæc facilia omnia Cæsari fuerunt; qui tormenta Protestantibus adempta, partim Mediolanum & Neapolim, partim in Hispaniam misit, partim per Belgium tamquam partæ victoriæ manubias & trophæa, distribuit. Deinde Mauritium Electorali dignitati ipso Saxone è fenestra ceremonias despiciente, inauguravit: Mauritius vero domum reversus, ejecto, monstrosa illa Lutheri creatura, Amsdorfio, Julium Pflugium in Numburgensem Episcopatum restituit. Atque hoc modo Protestãtium, quibus certissimam Lutherus, paullo ante mortem, promiserat victoriam, ut ex Epistola eius ad Saxonem & Landgravium de Brunsuicensis captivitate apparet, tumor resedit. Vanitatis ille S. Brigittæ vaticinationes arguit; quum tamen ipsius prædictiones multo vanissimæ compertæ sint. Unum ejus infelicitati defuit, quod tantarum turbarum auctorem, cruentum eorum, exitum, vinentem intueri atque experiri oportebat.

PRO-

a *Sleid lib. 19.*

PROTESTANTIUM CONATUS in disturbando Interim Cæsario, Item Concilio: Mauritij arma contra Cæsarem, & mors: tum Alberti Brandeburgici facinora recensentur.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

I. *Acta Protestantium in Saxonia An. 1548. & 9. ob interim Cæsarium*
II. *Concilium Pauli IV. Pontificis morte retardatur. Mauritij & aliorum artes ad disturbandum Concilium.*
III. *Legatorum Protestantium tergiversatio.*
IV. *Mauritius Cæsari se opponit.*
V. *Henricus II. Gallia Rex, Germaniæ protectorē agit.*
VI. *Alberti Brandeburgici crudelitas, clades & mors, ut & Mauritij.*

I. POst *Interim Cæsarium* seu librū, concordiæ in negotio Religionis, An 1548. initæ, à cunctis Jmperij Electoribus, Principibus & Legatis Civitatum approbatum, receptum & vulgatum mense Majo, præcipua in ipsâ Saxoniâ Protestantium Acta hæc fuêre, quæ summatim recensebo, cum sint ingentes Tractatus, ut ex his perspicue videatur, quis demum post Lutheri mortem præcipuus fuerit malorum in Germania incentor, nēpe Philippus Melanchthon, qui uti vivente Luthero eius individuus fuit assecla, ità post eius obitum, fuit veluti aliter Pseudo-Eliæ, Pseudo-Elisæus. Res in hunc modum gesta est. Jn ipsis Comitijs Augustanis, quo minus Mauritius Novus Elector Jmperij ex animo & solide acquiesceret Libro Concordiæ, qui *Interim* Cæsarium dicebatur, Melanchthon effecerat, is igitur uti ante *Cæsarij Interim* approbationem Mauritium Electorem absens per literas & emissarios suos prædicantes inquietū reddiderat, ita eodem Libro iam approbato publice & per edictum sancito, non destitit eū dem evertere parum veritus Cæsariam Maiestatem & Jmperij ordinum consēsum. Volebat equidem Mauritus Jnterim Cæsarium recipere, sed Melanchthonis servi sui & ministelli metus inordinatus obstabat Principi, ignoranti se omni iure esse illius &c Dominū. Jraq; sæpius protestatus, ꝙ sine suorum subditorum consensu (vide novam & inauditam antea in Jmperio servitutem, Principis, quem Lutherani à jugo Papæ exemerunt, suo subjecerunt) nihil absolutè posset circa religionē concludere, demum 24. Maii è Comitijs Augustanis à Cæsare dimissus est, ea conditione ut subditos suos ad Jnterim Cæsarium acceptandum induceret. Jnitio Junij domū reversus Melanchthonis statim explorat sententiam, iubetq; firmo aliquo & solido responso sibi explicari. Jlle 16. Junij *sub fide silentij* scriptum Theologorum Witebergensiū & Lipsiensium exaravit timidum, mancum, & tenebricosum: *de Justificatione, de Missa, de Confessione, de invocatione SS. quod ea nō videretur, ex Interim Cæsario recipienda esse*, in alijs eiusdē libri plurimis, restitando, nec certum figendo vestigium, quasi in luto hærebat, interim mordaces aculeos in Catholicos inspergere non omittebat. Hoc scriptum 27. Junij *clam tenebriores* isti Mauritio suggerunt. Effecit tamen rerum gubernator Dominus, ut inimici capitales ipsius Melanchthonis, nempe Magdeburgici & Vinariæ Prędicātes Flaccianæ factiōis scriptum Melanchthonis nacti, mēse Jul. typis propalarint. Interea Mauritius accepto Respōso Melanchthonis continuo ordinum delectos Misenam evocavit ad Comitium, ut cum eis deliberaretur de Responso Cæsari mittendo, circa *Interim Cæsarij* approbationem; sed ibi rursus infelix Mauritius solij seminatores Theologos Lutheranos adesse iussit, quibus collectis liber Cæsarij *Interim*, approbandus proponitur. Ministelli considerato & examinato rursus *Libro* scriptum Novum adversus *Interim* priori simile conscripsere per manum Melanchthonis ex singulorum lacinijs consarcinatū, sed prolixius quod ipsum hostes Melanchthonis Flacciani iam sus nacti etiam Magdeburgi typis ad contumeliam ejus divulgarunt. Jra miser Melāchthon à suis domi, à Cæsare foris in angustiis *& non est reversus ad Deum patrum suorum, sed in via Ioroboā patris sui Luthori* tuere perrexit. Cæsar Spiræ librū hunc Melanchtonis, à Flaccianis editū, nactus 31. Augusti acerbas ad Mauritium Electorem dedit literas mandans ut Melanchthonem rebellionis incentorem è finibus suis ejiciat. Mauritius acceptis his literis, *si mens non lava fuisset*, felicissimam sibi suisque facturus erat rem, si protinus Melanchthonem, iniquè populo & sibi dominantem, utpote laicum & Grammaticum merum proscripsisset, iussu Cæsaris seditiosum declaratum; sed ille uti Philippus errorem errori adnectens, post multas demum moras Melanchthonem excusare, deprecari pro eo &c, facere, quæ ad Tyrannidē eius cōtinuan-

tinuandam, suam seruitutem protelandam seruirent, datis litteris 31. Octobris ad Cæsarem. Ante has litteras vtrimque exaratas Mauritius Elector à Delectis ordinum Misenæ conuocatis ad 2. Julij responsum Cæsari dandum præstolabatur; sed illi se non expediebant, implicati à Theologis. interpolabant Theologi liburm Cæsarium, & corrigebant, & explicabant; at Cæsar non eo fine eum Electori tradiderat, sed vt assensum præberent. Post multam deliberationem placuit, Nouum stratagema, vt nimirum Melanchthon cæterique præsentes Breuem conscriberent confessionem, seu summam doctrinæ quæ in Regionibus, sub Electore Mauritio, traderetur, iuxta seriem capitum, quæ in Libro Cæsario per ordinem explicantur. Et hæc non Mauritij, nec ordinum nominibus sed Theologorum qui cudebant nominibus subscripta Cæsari transmitteretur. Hanc subscriptionem auersati sunt *Magni illi Confessores*, metu iræ Cæsaris. Dum nihilominus Ordines vrgent animosos viros, & Philippus scribit, alij meditantur, super vnum eorum factus est Spiritus argutus, qui nec disputandum cum Cæsare, nec librum libro opponendum esse propherat, sed supplicem libellum Cæsari offerendum, ne subditos istarum regionum ad dogmatum rituumque mutationem compellat. Gaudium obortũ est Theologis oriente hac luce, sed ordinum delecti viri paulo prudentiores istis Scholarchis, expendentes propositum, plane hæsitarunt, & merito. poterat enim replicare Cæsar. *Quomodo igitur nuper sponte tam prompte Saxones Fidem auitam, quam à Caroli Magni temporibus vltra DCC. annos, inuiolate seruatam à patribus, mutare potuistis, ad vilis apostatæ monachi tibiam. quimodo ad Totius Imperij Romani Cæsarisque authoritatem, xx. annorum perplexam & indies aliter aliterq; cusam & recusam religionem permutandam, tam egre vos sinitis induci Decretu, à vestromet Principe approbatu?* Hac ratione Lux illa instar stellæ oborta, subito in ignem fatuum euasit. Deniq; tertium quiddam in mentem venit, quod vtrique, & Theologi & Ordinum delecti probarunt, *Rogandum scilicet Electorem principem, vt is ceu medius interueniat, & datis ad Cæsarem litteris ordinum nomine petat. quod libello supplice continebatur.* Hoc enim modo & Theologi & Ordines sese ferulæ subducebant Cæsariæ, & Principem eius iræ obiectabant, vt simia, quæ animalis alterius vngue astute vtebatur ad effodiendas è cinere dolosos nucleos dilectarum castanearum, sed Mauritius perlecto hoc consilio ad se dato respondit illis astutis, *nihil ab ijs ne nunc quidem in medium afferri, quod non pridem in Comitijs Augustanis præsens mouerit, idque frequenter, & eum in modum, vt maiore fide industriaque ne nunc quidem ipse aliusue agere possit; & tamen apud Cæsarem obtinuisse nihil, vtpote qui non interpolationes & refutationes & commentaries sed consensum cæteris Imperij ordinibus conformem requirat. Deliberandum igitur amplius.* Ita Mauritius illustrissimo sane iudicio, si non adiecisset; *Despiciendum esse an non paulo plus sine religionis Lutheranæ detrimento, in gratiam Cæsaris possint largiri.* His enim extremis verbis arctè clausis, vt aut obedientes, aut rebellles se declararent, effugium latum explicuit. Id tamen acuti homines non viderunt; sed 10. Iulij re infecta post octiduo actionem discesserunt. Quod cum publico rumore per Germaniam innotuisset Ferdinandus Rex & Moguntinus Archiepiscopus, alijq; etiam Protestantes Mauritium per literas serio cohortati sunt, ne Cæsaris iram prouocarer, accedebant & Cæsaris literæ, iubentes vt Episcopis Iurisdictionẽ Ecclesiasticam restitueret. Idcirco Mauritius perplexior factus ad 23. Augusti Conuentum indixit Pegauiam, Misniæ oppidum, quo Episcopos duos Catholicos Misenensem & Naumburgium inuitauit, & tres Theologos, ac 4. è Nobilium ordine præcipuos viros ac Iurisconsultum. Consultatum est multum de Libro Cæsario: Politici à Theologis oracula præstolabantur: pro illis Melanchton secedam scripsit, quatuor esse doctrinæ capita, in quibus cedere non possint, nempe *De Iustificatione ex Bonis operibus; de panitentia eiusque partibus; de Missa & Canone; de Sanctorum inuocatione.* adiecit in brevicula charta calumnias in Catholicos animosus domi Confessor, *ethnicam* vocans *idololatriam, si Sacramentum Corporis Dominici deportetur,* nõ aduertens quod ipsum Christum Dominum idololatriæ reum faciet qui illud ipsum in cœna, ad ora Apostolorum deportauit, aut certè Apostolos, si quidem ipsi de manu Domini sumptum ad ora sua detulisse dicantur. Sed cum Melanchrhon &c. Lutherani ab Episcopis ad Colloquium pertracti, disceptãdo coacti fuissent, vt formã loquendi Catholicã quę *Virtutes & bona opera in fidelibus appellat Iustitiã* concedere & scripto suo inseri paterentur, confestim Melanchthõ ceu palinodiã canens resilijt, aliã esse suam & libri Cæsarij sententiã. Itaq; per eum hominẽ colloquium id etiam hac vice ad

25. Augusti fuit abruptum. quod cum evenisset Mauritius multo amplius quam ante perplexus, inter subditorum metum & iram Cæsaris suspensus hærebat. Ergo omnes ordines convocare instituit Torgam in 18. Octobris, quo etiam Theologos, qui Misenæ adfuerant, evocavit. Ibi Elector, quid Cæsari respondendum sit, rogat Collectos Ordines. Illi causam hanc, veluti Ecclesiasticam ad Theologos rejiciunt. His rogatis ut & Electorem & subditos è periculo eximant, perspicua aliqua & Cæsari non ingrata sententia, data, oblatus est ab Ordinibus liber alius, in quo præscribebatur retinendum esse articulum de Justificatione, prout is Pegaviæ fuisset conciliatus, tum alij Catholici plures. Incredibile est quomodo se tunc Theologi hi novelli torserint. Nam & ausus Politicorū sibi præscribentium capita doctrinæ indignabantur, & indignari palam non audebant, & capita ipsa eis displicebant & displicentiam aperte profiteri non audebant; Verbo, desultorie, & per ambages vagabantur, & nova impedimenta aut ex longo spatio absolvenda comminiscebantur. Itaque etiam is Conventus, re infecta solvitur culpa Theologorum Evangelicorum, dictus tamen est dies novo Conventui Cellensi ad 16. Novembris & Theologorum numerus est duplicatus. Ubi conventum fuit ab illismet Theologis Ordinatio Ecclesiarum Henrici Ducis (parentis Mauricij Electoris) Lutheri consensu olim facta in medium adducta est, ut ea velut offa objecta sopirentur Mauricius & Politici. hunc enim Theologi illi asserebant *augendam, & sicubi opus mutandam esse & corrigendam* (utpote non super petram à Christo, sed super Lutheri mutabilem arenam fundatam) ordinum delectis, offerebantque. Hi vero omissa ordinatione illa *Torgensia acta resumunt & scriptum Politicorum Theologis oblatum*, ut Cæsar tandem placari possit, sed post velitationes demum eo res adducta est, ut Confessores illi magnanimi, totam religionem Lutheranam sepelientes, solum de sacro Oleo & Canone Missæ consentire recusarent. Quod cum effectum esset, quasi iam Cæsari satisfieri posset celeusma conclamatū est, & Decretum Ordinibus proponendum, ut fieret, constitutum fuit. Atque ita Theologi amissa fide sua pene tota saltem deforis, Vvittebergam & aliò exeunte Novembri reuersi sunt, nec deinceps vlli consultationi de Cæsario Interim adhibiti palam fuerunt, eo quod Prudentiores inter Politicos viderent, novas perpetuo subnasci difficultates, quamdiu ex eorum arbitratu res geratur, nullumque fore disputandi finem, si horum iudici requirantur.

Priusquam tamen Ordines omnes convocaret Mauritius, Guterboci cum Ioachimo Electore Brandeburgico & Iulio Naumburgensi Episcopo venit in Colloquium. quod odorati Theologi Lutherani, eodem armati scriptis contra Chrisma & Canonem Missæ (nam hæc sola capita in Cellensi Colloquio pervadare nequiverant) concurrerunt, præcipue Melanchthon qui se arbitrabatur alterum Athlantem, cui cœlum Protestantium incumberet; eius igitur in Canonem Missæ scriptum vtpote Grammatici, & Theologiæ vere ignari ante alia Contumeliosum fuit obtrusum. Sed frustra miser eum laborem sumpsisse visus est, quia princeps neglectis Theologastris hisce inter se, amicè egerunt, & Mauritius indubie pronior in Cæsaris voluntatem est effectus, Ioachimo Brandeburgico suadente, vt *Interim Cæsarium* acceptans inquietos Calcitrones ab sua actione deinceps remoueret. Sane nec Melanchthon nec rituales eius acta Principum penetrare potuerunt. Sub hæc Mauricius 22. Decemb. Lipsiam omnes Ordines, etiam Episcopos Misenensem & Naumburgensem more maiorum inter eos, conscripsit. Die præstituto consultatum est de Cellensi decreto, an ei porro sit insistendum, in quo omnia religionis capita cum Cæsario Interim conciliata viderentur, ita vt, excepta Confirmatione & canone missæ. Liber Cæsaris posset accepturi. Nebulas hic iterum Theologi clam per eos, qui inter ordines suffragia ferebant, insperserunt, ita vt loco absoluti Responsi Cæsari dandi de acceptato libro Interim, ipsimet Novum Decretum Episcopis offerrent, & id quidem ordines facerent, sed oblatum sibi Episcopi non acceptarunt, nisi quatenus cum Cæsario conueniret. Hoc illud est Decretum quod Flacciani, hostes Melanchthonis, *Magnum Interim Lipsiense* sannis & probris exceptum appellarunt, vti eiusdem Epitomen mox secutam, ijdem *Parvum Interim* nominandum censuerunt.

Atque hic fuit tam operosarum & diuturnarum consultationum exitus vna cum An. 1548 quo Lutherani in novas sectas sunt dissecti nempe *Interimistas Lipsienses & huic Interim Repugnantes zelotas*, quorum vnus paulo post dum Merseburgi Ordinatio Ecclesiarum Saxonicarum, ex *Interim Lipsiensi* adornatur ad Martium An. 1549. quasi *Volumen*

Nouæ

Nouæ Legis vt id Torgæ ordinibus exhiberetur approbandum, audacissime concinnatores Lipsiaci Interim, & dictis vehementissimis & libro exarato aggressus perculit, ita vt mandatum à Principe exequi non fuerint ausi. Quod factum cum Elector intellexit, indigne quidem tulit, sed is sese suorum mancipiorum ministrum nimium sæpe declarauerat, itaque & illos qui Torgæ adfuerant, & alios ditionum suarum superintendentes & pastores ad 1. Maij Grimmam per literas euocauit, vbi Ordinatio suo iussu conscripta, & promulgandæ prælegeretur, quod factum est, approbatoque voluminí Nouæ Legis, adiectum est mandatum ad satrapas & magistratus de exequendo 2. Augusti, sed hanc ordinationem, vti & Magnum Parvumque Interim Lipsienium Flacciana factio Zelotarum seu Rigidorum Lutheranorum mordaciter insectando per ludibrium *& Alcoranum & Pontificale Romanum* aliterque appellitare non cessabat, & ad ciuile inter ipsosmet prædicantes Lutheranos ventum est bellum, quod deinde numquam restingui potuit, Iusto Dei iudicio, vt qui primo ab Ecclesia Catholica deinde à Cæsaris pia voluntate deflexerant, male, inter se pessimis discordijs discinderentur, & mundo manifestum facerent Ecclesiam à Luthero fundatam esse regnum in se ipso diuisum & desolandum, post *quinque apocalypticos menses*, (a) *quibus eis esset indultum, vt habentes signum Dei in frontibus suis* Catholicos *cruciarent*. (b)

II. Dum hæc in Germania gerũtur Paulus III. Pontifex, senio confectus (duobus enim annis octuagenario maior erat) ex hac vita decedit An. 1549. IV. Id. Nou. (c) Ei suffectus fuit An. sequenti Cardinalis Montanus, qui Legati ad Concilium Pontificij munus gesserat; mutato, vt moris est, nomine, Iulius III. deinde dictus. Pontificis obitus Conciliũ, ac præsertim illã de loco eius habendi quæstionem diu suspensam tenuit: quod Cardinales ad electionem noui Pontificis Romam concessissent, Episcopis interea partim Tridenti, partim Bononiæ præstolantibus: quorum tamen plerique domum postea redierunt, futuri Pontificis mandatum exspectaturi. Imperator vero in Germaniam è Belgio reuersus, Augustæ iterum mense Iulio comitia celebrauit, religionis potissimum constituendæ caussa; in quibus præter concilij instaurationem procurandam, *decretum illud Religionis, quod Interim vocatum sæpe diximus, vehementer vrsit*, quamuis illud non æque ab omnibus acciperetur: *Prædicantes vero Lutheranos, qui ei se opponebant, solum vertere jussit*. (d) Grauiter deinde de quorundam ordinum ea re inobedientia conquerenti, responsum fuit, tantam religionis plagam & mutationem quantam vix quisquam meminerit, tam cito sanari non posse, pleriscque ad Concilij vsque definitionem rem differentibus, cum interim detrectantes altius in mare hæresum & sectarum deuolui se viderent. (e) cũ igitur Cæsar Concilij Tridentini restaurationem a Julio III. impetrasset, ea res novam Lutheranis anxietatem iniecit, & Melanchthon iussu Mauritij capita doctrinæ concilio offerenda consarcinat. (f)

His in Comitijs Mauritius Landgrauium socerum suum, quem Cæsar Mechliniæ relictum, arcti custodiri iusserat, quod fugæ consilium inijsset, tam diu captivũ detineri ac circumduci ægerrime ferens, per Legatos suos contestatus est, *non aliter se Concilium restaurandum Tridenti probare posse, nisi quæ præcedentibus sessionibus in eo determinata sunt, ab initio omnia retractentur: nec Papæ aut ipsius delegati ibi præsideant; sed Augustanæ confessionis theologi non solum audiantur, sed decidendi quoque habeant potestatem*. Quæ postulatio ne quidem digna visa est vt actis inseratur, cum olim omnes in Concilium consentirent. Instãte itaq; apud Pontificẽ Cæsare, (g) non multo post Patres Tridenti Iulij III. Pontificis iussu edito 14. Nou. rursus conueniunt. Eò quoque accepta publica fide, & quæ vellent, vel scripto vel ore, vel publice vel priuatim proponendi potestate, Mauritij Legati & theologi postea profecti sunt: vt & Electoris Brandeburgici, & Ducis Wirtembergici, qui singuli suas Confessiones Fidei ad Concilium miserunt. Mauritius quidem Philippo Melanchthoni id negocij dederat vt librum doctrinæ capita continentem conficeret. Christophorus verò VVirtembergicus, qui Patri Vlrico successerat, Brentium consimilẽ libellum conscribere iussit. Idem à Theologis Alberti Brandeburgici factũ. Sed Ciuitas Argentoratensis, itemque aliæ Fidei suæ Symbolum eò miserunt. Pleræque istarum Confessionũ, diuersas notas & characteres quasi diuersarum religionum præ se

a *Apocal.* 9. b *Vlenbergius prolixe in Vita Melanchthonis cap.* 18. 19 *&* 20. *à pag.* 248. *ad* 30. *vsque ista omnia fere exactis & scriptis Lutheranorũ recensẽt.* c *Onuphrius, Bzouius in Annal. &c.* d *Vlenberg. Vit. Melanchthon. cap.* 20. *pag.* 194. e *Idem in fine cap.* 20. *ibid.* f *Eidem cap.* 20. *ibid.* g *Bzouius in Annal.*

ferunt, vt potius inter se conciliandæ fuerint, quam cum Catholica Ecclesia, siue syncretismum aliquem tentandum censuerint plures, Synodo prius in Saxonia coacta, sed ei cogendæ Melanchton obstitit, probe sciens, quomodo Acephalorum Synodi soleant discordijs maioribus terminari. Quæ composita erat à Melanchthone (cui hactenus non minus quam ipsi Euangelio fides tributa fuerat) Tridenti non fuit exhibita: eo quod simulato Tridentum itinere iussu Mauritij Noribergæ substitit, donec ad bellum Mauritius Cæsari inferendum esset paratus: Et quamuis vna omnium Lutheranorum erat petitio, vt scilicet libri isti singulorum Confessionem fidei continentes, publice in Concilio legerentur Nonnulli tamen Protestantium theologi aliam religionis formulam ab Interimistica haud multum discrepantem, conficiendo (hi qui Dulces seu Molles Confessionistæ postea dicti sunt) his qui Stoici seu Rigidi nominantur contentionis occasionem dederunt, nam vehementer reclamarunt, & tamquam perfidos eos & abominabiles hæreticos publicis scriptis traduxerunt: quibus elogijs Magdeburgicæ Centuriæ refertæ sunt. *Hoc modo quisque collega & socij ridebat stultitiam, quum interim singuli, ex sui cerebri modulo sibi quisque Ecclesiæ formam delinearent.* Flaccius Illyricus, vnus ex quatuor Magdeburgicarum Centuriarum compilatoribus, Melanchthonis discipulus, ne magistro quidem pepercit, quem alibi ait *nimia sua facilitate veram religionem in summum discrimen coniicere*; alibi vero, ac præsertim in Præfatione Quintæ Centuriæ, *dolenter admodum deplorat, veram Lutheri, magni illius Germaniæ vatis, doctrinã paulatim obscurari, adeoq; exstingui.*

III. Porro Protestantium ad Concilium Legati, quidam quum Tridentum venissent, & Cæsaris ibi Oratoribus legationis suæ, exhibito diplomate, fidem fecissent, Pontificium adire Legatum iubentur. Tam vero illi erant teneræ conscientiæ, vt hoc facere omnino recusarent, aientes, *si quid cum eo communicassent, id eo pertinere visum iri, quasi cognoscendi ius & auctoritatem præcipuam Pontifici tribuerent quem Concilij præsidem ac iudicem nequaquam ferre possent.* Quinetiam petebant, *vt is eodem quo reliqui Episcopi loco haberetur; & iuramentum quo reliqui Episcopi ipsi obstricti erant, eis remitteretur.* Mauritius suos quidem theologos ad Concilium se misisurum pollicitus fuerat, ita tamen vt hactenus acta & decreta retractentur. Idem VVirtembergici Principis erat postulatum. Et vtriusque quidem Legatis priuatim postea in domo Pontificij Legati auditis, grauissimis verbis demonstratum fuit, *hanc maculã insigni illi præstantissimorum totius Christianitatis Episcoporum & Theologiæ Doctorum cœtui nequaquam esse inurendam, vt quæ ab ipsis decreta sunt, in dubium reuocentur.* Quod si Theologi ipsorum eo venerint, fidem suam se interponere, fore vti de rebus omnibus audiantur, de securitate recte ipsis caueatur, & actio interea omnis vsque ad ipsorum aduentum intermittatur. Id vero eò factum est, ne vlla Protestantibus Concilij detrectandi, & varias excusationes quærẽdi caussa daretur. Statim ergo Salui conductus seu Cautionis formula eis data fuit: qua tamen acquiescere noluerunt, & nouis superadditis postulatis & protestationibus, id Patribus extorquere conabantur, *vt suis quoque Theologis decidendi religionis controuersias esset facultas; & vt sacra Scriptura sola esset loco Iudicis.* Econtra Patres eos rogabant *vt ista omnia ad Theologorum vsque aduentum differrent: fore tum vt abunde audiantur; & ad totius Christianæ Reipublicæ commodum ac salutem res exitum habeat. Scripturam quidem normam esse ad quã omnia dirigi debeant: sed quum ipsa nec linguam nec vocem habeat, Iudicis sane voce & sententia, vt in ceteris legibus, opus esse. Eam vero ab alio quam à Concilio peti non posse, sic tamen vt omnium qui antiquitus rexerunt Ecclesiam, Patrum sententiæ ea sit conformis.* Quũ publicæ fidei formulam seu saluum conductum acceptum, ad Principes suos misissent Legati, iam Mauritiani Theologi, & in his Melanchthon, Norimbergam venerant; sed iussi fuerunt exspectare quoad vlterius de Principis voluntate cognoscerent, longe sanctum alijs consilijs quam eo dandis religionis controuersiis intenti, nempe belli aduersus Cæsarem gerendi, & illo Concilium turbandi. Qui vero Tridenti erant Protestantium Legati, quotidie nouos metus sibi fingebant, quasi Ioannis Hussij & Hieronymi Pragensis exemplo, iamiam carnifici tradendi essent. Tanta nimirum conscientiæ vis est.

IV. Tandem quæ hactenus summo studio occultata fuerant Consilia, eruperunt. Mauritius enim, qui ad Cæsarem se venturum receperat, adeoque Oeniponte iam vbi Imperator tum erat, sibi designari curarat hospitia retecta quã hactenus simulauerat persona, vulnera quæ cicatricem iam duxisse

h *Vlenberg. Vit. Melancht. cap. 11.*

duxisse videbantur, refricuit, inito cum Galliæ rege Henrico II. (qui contra Imperatorem tum bellum gerebat, & Octauium Farnesium de Parmæ possessione à Pontifice investitum, sed externis auxilijs abstinere iussum, contra S. Sedis mentem, in fidem & patrocinium susceperat) federe, bellum Imperatori prius intulit quam indixit. Ad inter vtramque gentem vetustum fedus renouandũ, & nouum conciliandum paullo ante Albertus Brandeburgicus in Galliam venerat, Regis Galliarum contra Caroli V. Imperatoris (Imperium familiæ suæ hæreditarium facere conantis, & violatis Imperij legibus, & priuilegijs,) vti dicebat, Electorum ac Principum dignitatem proculcantis ambitionem, opem implorans fœdus. hoc initum est inter Albertum Brandeburgium & Mauricium Saxonem Guilh. & Ludou. Hessi captiui filios, tũ Mechelburgi & Pomeraniæ Duces & Anseaticas ciuitates. Et Rex Gallarum quidem contracto cũ eis federe, auxilia promisit, statimque trium mensium stipendium 240. aureorum millia submisit fœderatis in cæteros menses 80000. numeraturus (i) frustra renitente Cardinali Turnonio: cui apud Regem differenti, quam fedus hoc Christianissimi nominis apud exteros probrosum futurum sit, è Senatoribus quidam respõdit, Res ad regnum seu Imperium pertinentes nequaquam ad Breuiarij præscriptum dirigendas esse. Interea ergo dum Rex cum triginta armatorum millibus ad vindicandam Germaniæ libertatem, S. Imperii Protectoris titulo insignitus à Protestantibus, Metim 10. April. præter Tullum ac Virdunum Episcopatus suos effecit, cum Mauritius & Brandeburgicus Augustam Vindelicorum obsident, & tertio die Aprilis deditione capiunt, oppidanis muri ac valli parte improuiso collapsa, perterrefactis. Huius belli fama Tridentum perlatâ, Patres omnibus viribus nudati, discedunt, commodam occasionem exspectantes, pace inter Principes facta, Concilium continuandi, & pacem Ecclesiæ tandem restituendi. in quo iam ceteris enucleatis, duo tantum capita restabant, de Cœna Domini, & sacerdotum cœlibatu; de quibus, tamquam de ijs quæ inprimis illi vrgebant, Protestantium placuerat audire sententiam.

Hoc vero bellum non Germaniam tantum, sed Hungariam quoque grauissimis calamitatibus inuoluit. Iam Ferdinandus quinque Bohemorum, viginti Hungarorum equitum, quinque Germanorum peditum, & totidem Hispanorum & Italorum millia, sub signis habebat; sed accepto de Mauritij conatibus nuncio, relicto Turca, fratri succurrere coactus fuit. Qui Hungaricam eius temporis conscripsit historiam, aperte fatetur, *potuisse tum Hungariæ res meliorem in statum facile restitui, nisi ob infelices motus à Mauritio in Germania excitatos Ferdinandus fluctuantibus Caroli fratris rebus succurrere coactus fuisset. sic vt nec pecuniam nec militem ad amissa recuperanda vtrique esset: idque etiam calamitatum quæ isto anno Transyluaniæ contigerunt, caussam fuisse.* Certum quidem est, Turcicum Imperium ex Christianæ Reipublicæ incommodis, quæ pleraque Lutherano schismate acceptа ferenda sunt, mirum in modum succreuisse. Ex alia parte, dum Mauritij & Brandeburgici copiæ diesaliquot, nullare perfecta, terunt, Henricus II. Galliæ Rex de Concilij nullitate apud Patres Tridenti protestatur, quum sibi ob grauissimos bellorum motus, ditionis suæ Episcopos eò mittere non sit integrum. Antiquum nempe semper diabolus obtinet; eoque omnem ad impediendos sanctissimos Patrum qui Tridenti erant, conatus, lapidem mouit. Quod enim Legatos ad Concilium Protestantes miserunt, quod publicæ fidei formulam tam sollicite postularunt, quod Theologos quoque eò ablegarunt, singulari eorum fraude factum fuit, vt quibus Concilium quoquo modo disturbare erat propositum. Vti & illud subdole à Mauritio adornatum, quod Oenipontem ad Cæsarem venturum se simulauit: vt hac arte Imperatorem securum, & à nulla re minus quam à talis hominis & officij ratione, & recenti beneficio tantopere sibi obligati perfidia sibimetuentem, tanto facilius opprimeret.

V. Bello huic vel rebellioni potius Mauritij & Brandeburgici prætextus quæsitus fuit, Religio, ad quam euertendam Tridenti Concilium indictum sit; tum Germaniæ ab ijs qui tueri eam debebant oppressæ, & Landgrauij vltra quintum iam annum captiui, libertas. Galliæ vero Rex publico edito scripto, *Arma se sumere testatus est, vt Saxoniæ Ducem & Landgrauium captiuos in libertatem vindicaret, & immensam Imperatoris, sine dubio totius Christianitatis Monarchiam affectantis ambitionem compesceret.* Ecce tibi validum antagonistam ab inuidis in arenam contra Cæsarem produ-

i Bzonius in Annal.

productum, Regem scilicet quum ætatis tum regui viribus florentissimum: qui verbo quidem Germaniæ restituendam libertatem præ se ferebat, sed reuera nihil aliud quam honorem & commodum suum, sine vllo religionis respectu, quærebat; adeoque illud vnice spectabat, vt eius cuius vires suspectas habebat, magnitudinem imminueret, vti exitus docuit. Egressus enim regni finibus Gallorum exercitus, per Lotharingiam facto itinere, mox nullo negocio Metim, Tullum & Virdunum, antiqui Franciæ Regum patrimonij particulas, sed ab imperatoribus Germanis Translato istuc imperio multis retro pactis possessas cepit: Anna Momorantio suadente; *Licere cõtra leoninam vulpina vti.* Argentinenses cautioribus vsi cõsilijs, manus eius euaserunt. Ex alia parte Mauritius, Albertus Brandeburgicus, & Landgrauij filius, ferro & igne quacumque iter habebant, omnia vastantes, multa crudelitatis passim vestigia relinquebant, cum maximis eorum damnis qui fedus ipsorum recusabant; ambitiose admodum ad id sollicitatis ciuitatibus, & concionatoribus qui Cæsaris antea iussu eiecti fuerant, restitutis.

Imperator tum Oenipontе erat, cum Ferdinando fratre de modis improuisi huius belli componendi deliberans. Vbi vero Mauritium & socios occupata per voluntarios ciues Acatholicos Augusta cum exercitu aduentare accepit, quum ad resistendum nullas haberet vires, cum Ferdinando fratre tumultuarie noctu magna celeritate discedit, præeuntibus facibus, lectica delatus, & Villacum, quod est in Carnis ad Drauum flumen oppidum, se recipit. Interea tota Germania Gallici exercitus metu multa passim damna, qua ibat dantis, metu consternata, pacem desiderabat, ac belli huius auctores diris deuouebat imprecationibus, Confederatis etiam pacem non se abnuere simulantibus, *modo Landgrauius liberaretur, & cetera qua vellent fierent.* Imperator enim iam ante Saxoniæ Ducem dimiserat, ne liberationem eius ad suam gloriam hostis referret, & Mauritio qui in captiui bona & dignitatem à Cæsare immissus fuerat, scrupulus aliquis inijceretur. Paulo post ad Galliæ regem mittuntur legati, cum his postulatis, vt sistat exercitum (facile enim videbant, Regem ex ipsorum dissidijs sua captare commoda) vt ab agrorum vastatione abstineat, & miseræ multitudini, in territorio Argentinensi præsertim, pene euasta to parcat, & sua Consilia à pace non segreget. Tam subita hominum belli studio paullo ante ardentissimorum mutatione Rex præter omnem exspectationem ictus, respondit, *Quandoquidem Principum liberatio iam certa, sicque illud cuius caussa cum exercitu in Germaniam veniisset, ipse consecutus sit, velle se iam reductis copijs domum redire, cum gloria, quod Germania libertatem restituisset.* Illud interim Rex silentio præteribat, quod in hoc bello tantum operæ precium fuisset, adiecta ad regnum, cuius illa antiquitus fuerat, tam valida vrbe, & munitissimis oppidis. Hoc igitur modo Rex exercitum à Germaniæ finibus abduxit; quum hac de caussa, tum vt Campaniæ, quam Cæsarianæ incendijs vastabant copiæ, succurreret. Imperator improuiso tot ac tantorum hostium aduentu inermis pæne oppressus, pacis mentionem lubenter audiebat, quam tum Ferdinandus cum fratre Mauritio tractabat: Albertus vero Brandeburgicus, Dei hominumque contemtor, crudeliter admodum bellum gerebat, direptionibus, incendijs & cædibus, nulla sexus aut ætatis habita ratione, omnia miscens.

Tandem ergo pace cum Mauritio facta Passauij circa Iulij medium Landgrauius liberatur, ea conditione, vt quæ prima transactione promiserat, omnia seruaret inuiolate: Mauritius vero cum tribus equitum & duodecim peditum millibus Ferdinando in Hungaria se toto anno militaturum recepit. Ad religionem quod attinet, conuenit, vt in proximo Imperij conuentum de ea deliberaretur: pacem interea colerent omnes, & propter religionem nulla cuiquam exhiberetur molestia. Quod tamen de Augustana Confessione solum intelligendum est: ex sententia Decreti Anno MDLV. die XXIV. Septembris facti quod si habet:

Propter Augustana Confessionis doctrinam, religionem atque fidem, Cæsar, Ferdinandus Rex, ceterique Principes ac Ordines, neminem totius Imperio subiectum quocumque modo violent, nec ad deserendam religionem suam, ceremonias atque leges, quas in sua ditione vel iam instituerunt, vel posthac instituent Confessionis Augustana socij, mandatis aut alia quamuis ratione cogant, neve contemnant etiam; sed hanc religionem illis liberam permittant, simulque bona, vectigalia, facultates, possessiones atque iura: sic vt pacate eis possint vti frui. Dissidium quoque religionis non alijs quam pijs, amicis & tranquillis rationibus componatur. Eodem modo qui sunt Confessionis Augustana se gerent erga Cæsarem, Ferdinandum

nandum Regem; ceteroſque Principes ac Ordines antiqua religioni coniunctos, tam ſacros quam ciuiles, erga ceteros omnes Eccleſiaſticiſtatus, eorumq; collegia, quacumque tandem illi migrarint habitandi cauſſa, modo vt recte procurentur miniſteria, &c. His omnibus & religionem ſuam & ceremonias, & leges, & poſſeſſiones, & vectigalia ceteraque iura libera permittant, nec vlla ratione impediant, quominus illis pacate vtantur fruantur: & quidquid erit offenſionis atque litis, more ac legibus Imperij definiatur vbique. Qui non ſunt alterutriusreligionis, hac in pace non comprehendantur. Hactenus Decretum. Ad hiſtoriam redeamus.

Imperator Metis tam ſubtiliter à Gallorum rege ſibi & Imperio ereptæ, recuperandæ cupidus, Alberto Brandeburgico, qui non ſine proditionis crimine à Rege ad Cæſarem tranſierat, in gratiam recepto, vrbem obſedit; ſed à magno illo Franciſco Guiſiano Duce fortiter repulſus, tandem obſidionem ſoluit. Quid vero iuris in Metim, Tullum & Virodunum vrbes antiquitus ad Galliæ regnum pertinentes, reges noſtri habeant, alio loco exponam.

VI. Albertus domum reuerſus, nouis collectis copijs, Epiſcopos VVirciburgenſem & Bambergenſem, vt & alios, miſerum in modum vexauit; omnibuſque quacumque ierat, direptis, dignas eo quod introducere volebat Euangelio, crudelitates exercuit, immenſa pecunia tam Epiſcopis quam ciuitatibus multatis. Vnum eius inprimis crudele memoratur facinus, quod nimirum quum duobus oppidulis magnum ruſticanorum hominum numerum incluſiſſet, vnà cum iumentis & pecudibus, ſubiecto igne omnes concremarit; & audiens boum mugitum & hominum, inter quos non paucæ erant mulieres grauidæ, complures infantes, eiulatum, *miſeris tamquam alter Nero non ſine riſu illuſerit.* Eundem aiunt, nouis excogitatis ſupplicijs, ſacerdotes ceruorum pellibus inſutos, canibus dilaniandos obieciſſe.

Atque hæc Alberti ſæuitia nouum in Germania bellum Anno ſequenti conflauit. Nam cum Albertus Epiſcopis ablata oppida, ad quæ ſibi reſiggnãda iniquiſſime eos adegerat, reſciſſo per Cæſarẽ irrito cõtractu nollet reddere, & Camera Spirẽſis iudicium pro Epiſcoporum iure pronuntiaſſet, nec vllo modo ab iniuria Imperio & membris inferenda auerti poſſet, fœdus inter Mauritium, Mogunt. Herbipol. Bauarum, VVirtenbergium, & Henricũ Brunſuic. Palatinum, ac Ferdinandum Regem initum eſt, quorum exercitus comparati, aduerſus refractarium proceſſerunt. Producto vtrimque exercitu, duo illi hæreſeos propugnatores, qui arma paullo ante contra Cæſarem & Concilium Tridentinum coniunxerant Dei iuſto iudicio anno vertente divulſi, alter de altero Læſæ Maieſtatis divinæ & humanæ pœnas ſumpturi infeſtis armis concurrunt, atque inter ſe colliſi, ſuis ipſos ſe viribus euertunt, aſpero admodum & cruento commiſſo prœlio, in quo Mauritius victor, eodem die 9 Iulij fortunam & matrem & nouercam expertus, lethali accepto vulnere, paullo poſt deceſſit. Prœlium hoc multa præceſſerunt prodigia. Inter alia ſanguineæ guttæ in folijs arborum hærentes viſæ dicuntur. Horum duorum Principum concurſus Cæſaris rebus non parum profuit, & inprimis mors Mauritij, qui noua cum Galliæ rege tunc agitaſſe conſilia ferebatur. Hoc vero prœlio Alberti vires ita fractæ fuerunt vt vix quidquam deinde memorabile perficere potuerit. Nec diu poſt ab Henrico quoque Duce Brunſuicenſi cladem accepit. Tandem ab Imperatore proſcriptus, ad Galliæ regem confugit: cui ille, tamquam Principi afflicto & ſupplici, ius hoſpitalitatis non denegauit. Quum vero Albertus, cuius cauſa Galliæ rebus clades non modica à Carolo in Belgis inferebatur, pleriſque in aula parum ſe gratum eſſe animaduerteret, in Germaniam reuerſus, veneno tamquam publicus hoſtis, exſtinctus fertur Anno 1557. At qui ſub ipſo militarant duces ac præfecti, iam diu rapinis & flagitiis aſſueti, Grombachio anteſignano, vt Alberti mortem vlciſcerentur, VVirciburgum oppidum inſidijs interceperunt, & occiſo Epiſcopo ſacra & prophana diripuerunt. Sic mors quoque Alberti multas miſerias & calamitates inuexit: quamuis ſcelus hoc auctoribus non diu fuerit impune. Grombachius enim cum quibuſdam complicibus, capta Gotha comprehenſus & carnifici traditus, funeſtum habuit exitum: vt cui viuenti adhuc venter apertus, & cor extractum, eoque ita cruento os obuerberatum fuit, corpore deinde in quatuor partes diſſecto ſuſpenſus. Hoc modo turbis illis Alberto profligato & ejecto, Mauritioque interfecto compoſitis, Ferdinandus abſentis in Belgio & contra Gallos in Arteſia occupati Imperatoris vices agens Auguſtæ comitia celebrauit; in quibus poſt multam diſceptationem quum nullus controuerſiarum exitus reperiretur, con-

cluſum fuit, *pacem vtriſque tam ijs qui Nouam & Auguſtanam Confeſſionem quam veterem & Catholicam ſequuntur religionem, concedendam, & proxime Ratisbonæ alium Imperij conuentum habendum, ac Pontificem rogandum eſſe, vt Concilium continuetur.* Erat is tum Paullus IV. Iulio enim III. mortuo, Marcellus ſucceſſerat: quo intra XXII. diem exſtincto, Paullus IV. ad Pontificatum fuit euectus. Sed quid? An rem ab inſtituto meo alienam cuiquam facere videbor, ſi admirabilem Marcelli electionem hoc loco paucis verbis exponam? Non ſane faciam, vt tam memorabilis hiſtoriæ, de qua Sleidani & aliorum altum eſt ſilentium, notitia poſteritatem defraudem. Quare eam vti in Sanctiſſimæ Virginis Lauretanæ miraculis deſcripta exſtat, recenſebo, vt hæretici, qui S. ſedem allatrare numquam ceſſant, vigilem inde Dei ſuper Eccleſiæ ſupermilitantis Vicarija curam diſcant & agnoſcant. Ea vero ſic loquitur hiſtoria:

VII. *Hac inter Marcellus Ceruinus Cardinalis, vir doctrina pariter & ſanctitate clarus, in oppido Lauretanæ domui ſatis vicino (montem Fanum appellant) domicilium ſtatuerat. Suum id natale ſolum ferebat, reuerabundum interuiſenda natali B. Virginis Cella peropportunum elegerat. Inde Lauretum incenſo ſtudio ventitabat, in auguſtiſſimo orbis ſacello ſacru operaturus. Itaque ſub Iulij III. Pontificis deceſſum Marcello inibi rem diuinam de more facienti, res euenit viſu euentuque mirabilis. Eximio candore ac ſpecie columba, multis inſpectantibus, ſupra eius caput, quum placide volitaſſet, nunc in ipſo Miſſali libro requieſcebat. Ea res obiecta oculis adſtantium pleroſque animis inmobiles ſtupore defixit. Sacerdos qui de more Cardinali ſacrificanti præſto erat, vulgarem aliquam columbam eò forte delapſam ratus abigere eam conabatur. At Cardinalis haud parum memor candidæ Columbæ indicio diuinitus olim deſignatos nonnumquam eſſe Pontifices, inhibet abigentem: ipſe cœleſtem columbam quieſcere ſinit, quoad ſacrificio peracto, ſua ſponte auolaret. Exinde cœleſte viſum homini affirmat fidem. Nuncio de morte Pontificis Marcellus Romam reuocatus, non ſuſtinuit via prius & comitijs committere ſeſe, quam veteri ſuo inſtituto Lauretanam virginem ſalutaſſet. Et aderat dies annunciatæ Virgini ſacer, qui ceteroqui pium eius animum inuitabat. Venit ergo pridie Lauretum. Feſto ipſo die, excluſa inconditæ turba, ſacrum in auguſtiſſima cella facere attentiſſime cœpit. Inter ſacrificandum poſt initium Canonis, Eccleſiam Pontifice orbam memorans, Deo ac B. Virgini enixius commendabat. Effuſe precanti B. Maria cœleſti ſpecie, cœlitum ſepta comitatu ſe offert, animoque eius Diuina luce ac dulcedine delibuto, ipſum fore Pontificem indicat: extemplo attonitæ mentis oculis ſubduxit ſe. Marcello tam nouæ rei ac ſubitæ admiratio tantum repente animi corporiſque totius incuſſit horrorem, vt ad aram trepidans pedibus agre ſubſiſteret. Senſit ſacerdos eius adminiſter, aliquid profecto Cardinali obiectum diuinitus, vtique quum eius faciem conſpiceret inſolito quodam ſplendore fulgentem; mox etiam notaret totum eius corpus noua circumdatum luce. Ergo quod ipſe viderat, deinde quum alijs multis; tum Raphaeli Rieræ qui rem literis prodidit pro familiaritate narrauit. Quin etiam Cardinalis ipſe neceſſariorum, qui ſpectaculo adfuerant, precibus fatigatus, enunciauit denique totam rem, vti geſta erat, ac ſimul adiecit, Tantum vtique Pontificis munus longe altius eſſe faſtigio ſuo, ac propterea Deum fortaſſe alium ſibi Vicarium quæſiturum.*

Huius ego apparitionis hiſtoria librum hunc vt finiam, non inconueniens puto, vt quæ non minus poſteritatis memoria quam admiratione digna ſit. Quæ poſtea euenerint, libro V. explicata videbis. Nunc cum Sleidano finem Germaniæ rebus imponam: ſequenti libro quæ circa religionem in vicinis ei, vel potius ad eam pertinentibus regionibus euenerunt expoſiturus.

FINIS LIBRI TERTII.

FLORI-

FLORIMVNDI RAEMVNDI
DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA
HÆRESEON SVPERIORIS SÆCVLI
HISTORIÆ

LIBER IV.

ARGUMENTVM QVARTI LIBRI.

In hoc Quarto Libro Hussiticæ sectæ, quæ Lutheranæ in Bohemiam aditum aperuit, origo monstratur. Deinde religionis in Hungaria, Transyluania, & Polonia explicatur mutatio. Nouitiæ sectæ cum Mahumetana comparantur. Ostenditur summa calamitas & miseria istorum populorum, apud quos omnia sectarum & hæreseon genera locum habent. Admirabiles denique mutationes in regnis Daniæ, Norvegiæ, & Sueciæ ob religionis mutationem factæ recensentur.

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI.

CAP. I.

I. Avis Baroni] veterum Hæresum originem & dogmata solide detegentis.
II. Consilium Authoru cur Hussiticæ sectæ Historiam inferat.

CAP. II.

I. DE Ioanne VVicleph Anglicano presbytero.
II. Hæretici libri combusti; & quomodo VViclephi scriptarogum euaserint.
III. Similitudo hæreseos VViclephisticæ & Lutheranæ.
IV. Artium Magister turbas excitat.
V. Laudabilis Ecclesiæ consuetudo in prohibendis hæreticorum libris.
VI. Clementis VIII. littera ad Auctorem, quibus ei hæreticorum libros legendi facit potestatem.

CAP. III.

I. AMbitio Concionatorum Bohemici schismatis caussa.
II. Hussius VViclephi libros in vulgarem linguam transfert.
III. VVenceslai Regis impura vita.

IV. Quis Primus hæreseos eorum, qui sub utraque specie communionem expetiverunt, fuerit auctor.
V. Hussius & Hieronymus Pragenſis ad Conſtantienſe Concil profecti cremantur.
VI. Turba ex Huſſij morte excitata.
VII. VViclephus & Huſſius primi pſeudo martyres.
VIII. Quæ poſt mortem Huſſij in Bohemia evenerint.

CAPUT IV.

I. DE ijs quæ VVenceslai regis mortem conſequuta ſunt.
II. Ziſca Taboritarum dux.
III. Mors Ziſcæ.
IV. Ziſcæ ſtatua ponitur; eiq; Procopius Raſus ſuccedit
V. De Concilio Baſileenſi.

CAPUT V.

I. DE Calixtinis, & eorum cira utramque ſpeciem in Euchariſtia Sacramento errore.
II. De Picardis & Lutheri de ijs iudicium.
III. Lutherus mutata ſententia, Picardos Fraternitate dignatur.
IV. Bohemi Lutheri & Lutheranæ doctrinæ defenſionem ſuſcipiunt.
V. Ferdinandi leges contra Huſſitas & Calixtinos.

CAPUT VI.

I. HVſſitarum in Hungariam irrumpendi conatus.
II. Infelix Hungarorum diſſidium & bellum inteſtinum.
III. De primis in Hungaria Lutheranis.
IV. Eorum conatus; & Catholicorum oſcitantia.
V. Perſequutio contra Catholicos.
VI. Calviniſtæ in Hungariam irrepunt.
VII. Diverſa res in Hungaria geſta.
VIII. Quinam ex Hungaria proceribus Catholici manſerint.

CAPUT VII.

I. FERDINANDUS Auſtriacus & Ioannes Sepuſius de Tranſylvania inter ſe contendunt.
II. De Georgio Monacho eiuſq; vita & morte ſuccincta Narratio.
III. Eius mors, Lutheranis in Tranſylvaniam aditum aperuit.
IV. Germani in Tranſylvania Lutheranam doctrinam ſpargunt.
V. Solimannus Lutheranam hæreſin à Tranſylvania eliminari iubet.
VI. Maximilianus Imperator à Proteſtantibus auxilia petit.
VII. Quinam Principes Maximiliano auxilia ſubminiſtrarint.
VIII. De Petroniti Arriani, qui Tranſylvaniæ Principis moderator fuit, crudelitate.
IX. Litera Ioannis Sepuſij ad Lutheranos in Germania.
X. Auſtriacorum de religione petitio.
XI. Mors Ioannis Sepuſij novas turbas excitat.
XII. In Tranſylvania omnium ſectarum genera nidulantur.
XIII. Rerum in Tranſylvania mutatio.

CAPUT VIII.

I. POLONIA ab hæreſi immunis, uſq; ad Lutheri circiter obitum.
II. Sigiſmundus I. Lutheranæ hæreſi ſe fortiter opponit: cui Sigiſmundi II. ſecordia aditū deinde aperuit.
III. Quinam auctores fuerint earum hæreſeon quæ etiānum Poloniam affligunt.
IV. Polonia & circumiacentes regiones unam tunc religionem coluerunt.
V. Calviniſtæ & Lutherani conſuſionum iſtarum cauſam ſibi invicem imputant.
VI. Evangelici Catholicos male appellant Turcas.

CAPUT IX.

I. COMPLURES novi Evangelij articuli Alcorano ſunt conformes.
II. De Turcico quodam, qui Toloſæ in Gallia fuit, Legato.
III. Amurathes Turcarum Imperator à Chriſtianis non alieno eſt animo.
IV. Narratio de Gallico apud Turcarum regem Oratore.

CAPUT X.

I. PRædicantes in Polonia regem ſuum criminantur, nihili eorum calumnias facientem.
II. De Ioanne Laſco nobili Polono, Caluiniſtarum anteſignano.
III. Miraculum circa Euchariſtiam in Polonia factum.
IV. Falſa Polychronij cuiuſdam Prædicantis miracula.

CAPUT XI.

I. QVORUNDAM Poloniæ Epiſcoporum conatus.
II. Eccleſiaſtici ſtatus in Polonia opulentia & dignitas.
III. Facetum Philippi Auguſti Franciæ regis reſponſum.
IV. Palatini Podoliæ ad Catholicam fidem conuerſio.

CAPUT XII.

I. IN Polonia hæretici, regni Senatores eſſe non poſſunt.

II. Ca-

II. *Cardinalis Hosius Catholicorum cum haereticis colloquia frustra impedire conatur.*
III. *Diaboli miraculum, in Antitrinitarij cuiusdam corpus progressi.*
IV. *De Andrea Dudithio Episcopo Quinqueclesiensi.*
V. *De Iacobo Palaeologo, eiusque vita & morte.*
VI. *De Lutheranis, Anabaptistis, Calixtinis, & alijs haereticis qui in Polonia stabulantur.*

CAPVT XIII.

I. HENRICVS *Valesius ad Poloniae regnum accersitur.*
II. *Poloni Catholicum volunt habere regem.*
III. *Stephanus Bator Poloniae Rex creatur.*
IV. *Eius successor Sigismundus Suecus cum Maximiliano Austriaco de regno contendit.*
V. *Societatis Iesu in Polonia Collegia.*
VI *Minister Lutheranus Polonus natione, Romam in Iubilaeo profectus, ad Catholicam fidem conuertitur.*

CAPVT XIV.

I. CHRISTIERNVS *Rex Daniae regno eijcitur.*
II. *Eius successor à Protestantibus ad commune fedus sollicitatur.*
III. *Lutherus quosdam suae farinae theologos in Daniam mittit.*
V. *Caluinismus in Dania gliscit.*
VI. *De Norvegiae regno.*

CAPVT XV.

I. GVSTAVVS *Suecia regnum inuadit.*
II. *Lutheranis locum dat.*
III. *Infamia Ecclesiasticorum coniugia, & mira constantia Religiosorum.*
IV. *Gustauus religionem mutat.*
V. *Eius miserabilis exitus.*

CAPVT XVI.

I. ERicus *Gustauo succedit.*
II. *Magicis studet artibus, & fratrem in custodiam dat.*
III. *Post septem annos rursus dimittit.*
IV. *De Ponto Lagardio, Gallo natione, militiae praefecto.*
V. *Ericus innuptijs fratribus necem machinatur.*
VI. *A Finlandiae Duce comprehenditur, & regno exuitur.*

CAPVT XVII.

I. IOannes *Rex Suecia Catholicae religioni clam addictus.*
II. *Lagardium ad Pontificem mittit.*
III. *Quid eius conatibus obstiterit.*
IV. *Infelix mors Lagardij.*
V. *Ioannis Regis dissimulatio.*
VI. *Eius filius Sigismundus, Rex Suecia, paterno regno spoliatus.*

EXCUSATIO AUCTORIS, QUOD sepositis paulisper sæculi nostri rebus, Hussiticæ hæreseos historiam altius repetitam interponat.

LIBRI QUARTI.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

I. *Laus Baronij veterum Haeresum origines & dogmata solide detegentis.*
II. *Consilium authoris.*

I. QVEMADMODUM venator feram indagans, vestigia eius diligenter obseruat, ac tamdiu & sua solertia, & odora canum vi ac sagacitate persequitur, donec ad ipsum ferae cubile ac recessum perducatur; sic mihi intendenti penetrare sæculi nostri haeresibus perturbatissimi negotium, & cupienti penetrare, tanquam clarâ in luce, cuiusnam partis caussa sinceris niteretur fundamentis, & cum illa deprehendissem, eâdem claritate alijs etiam proponere, vt & ipsi mecum agnoscerent solidam veritatem, ante omnia visum fuit vtilissime me facturum, vt ipsas haeresum origines primas, vti venator, indagarem. Hoc vero agenti immensus apparuit labor, tanquam infinita silua excutienda, nimirum authentica documenta historiarum, in praecedentibus sæculis à Synchronis authoribus, quibus tuto credi posset, conscripturum, conquirenda & inter sese conferenda. Qui labor quem cordatissimum non deterreret? me sane ita perculit eius magnitudo, vt id molienti videretur Dædalius quidam *Labyrinthus*, intricatissimis & anfractuosis vijs ita implexus, vt euadere desperarem, ob oculos versari, & tamen animo insidebat acris spes origines haeresum solide penetrandi, vt earum fraudes & insidias detegere, & inter eas vnam veritatem regnantem possem agnoscere. O diuina prouidentia! dum hoc ago, dum angor prodit in lucem *Filum*, vt sic loquar, *Ariadnæ*, quo in penetrando illo Historiarum Labyrintho, vti Theseus ad recessus intimos Minotauri, securus ad Haeresum cunctarum prima cubilia per-

peruaderem. Hoc filum sunt *Annales Ecclesiastici à Cæsare Baronio*, illo literatorum Dictatore, & acerrimo, veræ Antiquitatis, & Antiquæ Veritatis Vindice, cui admirabilis scientia, & tot exquisitæ lucubrationes, in præsenti sæculo Cardinalitiam purpuram, & in postero æternam gloriam meritissime peperetunt. Visis his Annalibus facile ex earum cum Magdeburgicis illis centonibus collatione clarè perspexi, me nullo alio indagatore opus habere, ad fœcundum illum *aprum & singularem ferum* (vti scriptura loquitur) *qui de Silua vineam Domini peruastat*, è cubili suo excitandum, & canibus retibusque obijciendum, sed solum incumbere mihi vt quæ ille ex authenticis & certissimis monumentis demonstrasset inspiciens ad propositum meum applicarem, quod mihi ita cecidit vt inter prosperrima vitæ meæ euenta numerans, id ipsum alijs contentissime suadeam, si fundum in Religionis dissidijs inspicere, vel siluã hanc immensam penetrare velint. Occurrent hic Hæresiarchæ à temporibus ipsius saluatoris & Apostolorum eius exorti seductiones populorum, & eorundem per Apostolicam in S. Petro à Christo fundatam Ecclesiam profligatæ, nempe *Simon ille Magus*, protoparens hæresiarcharum, ab ipso Principe Apostolorum Petro è latebris in arenam atque è Syria in Romanæ Vrbis amphitheatrum protractus, & veluti *Nouus Icarus*, vti eum gentiles historici appellant, è cælo prostratus, & membris confractis conquassatus ad Neronis palatium. Decegitur hic *Menãder*, *Basilides*, *Saturninus*, *Carpocrates*, *Marcion*, *Tatianus*, *Montanus*, *Nouatus*, *Paullus*, *Manes*, *Eustasius*, & alij patre illo Simone digni filij. Et porro omnes vsque ad nostrum pene sæculum *Lucifugæ*, & angulis ac receſſibus suis, in quibus mirum in modum sese propagarant, extracti & detecti, etsi enim Magnus ille Historiarum author, ætatem nostram scribendo non attigerit proxime, ea tamen fundamenta strauit, quibus insistentes & ductum lineamentorum eius sequentes, certissimam indies in caliginoso loco tanquam lucerna prælata perspicuam attingunt & assequi possunt veritatem, nisi magis diligant tenebras, & vanitatem.

Equidem etiam illud in mentem mihi venit, vtilissimam rem facturum me, si ea quæ illi morte præuentus non absoluerat adiuncta opera mea explerem, & ijsdem cum illo vestigijs reliquos ad nostrum vsque sæculum errorum Magistros indagando exutrem, mundoq; nudos proponerem, vt Adam, vt sic clarius appareret quomodo nostri sæculi tenebriones, olim sepultas hæreses & à Romana Ecclesia obtritas, è fœtidis monumentis suis rursus extraxissent, Verum hoc meditanti, post multos labores apparuit etiam idipsum adhuc esse opus plurima difficultate perspersum nec à me, ea qua à Baronio cœptum est, gloria posse consummari, & occurrebat illud Virgilianum inversum: *In magno labor; at tenuis mea gloria.*

Quid enim ego post tantos tanti viri, Baronij dico, labores allaturum me posse sperem? nisi interpretis munere, in Gallicam nostram linguam. Annales eius Ecclesiasticos vertendo, (quod tamen hominis potius est ocio abundantis, & ab alijs curis & scriptionibus vacui) fungi velim. Quos quidem Annales nec legendi nec laudandi studio satis expleri queo, quid igitur agam? Meos ego labores minores vobis ego dico, quorquot accuratiores scientias non attigistis; non vt voluptate aliqua vos permulceam, sed vt commodo afficiam. At vobis, qui etiam cum vitæ dispendio grauioribus illis scientijs dies noctesque inuigilatis, & quos

In libris oriens Sol videt atque cadens.

Vobis, inquam, ego suaserim ne meis legendis operam & oleum, in primis tempus, quo nihil vobis pretiosius est, perdatis. Habetis opulentissima illa & laboriosa scripta, Genebrardi, Toleti, Baronij, Bellarmini, Valentiæ, Suaresij, Maldonati, & aliorum, à quibus omnia quæcumque ipsa prodere possit scientia consignata exstant. Equidem abortus hos meos cum felicibus istorũ fetibus nequaquam comparandos censeo, in hoc elegantem illum artificem imitatus, *qui quum gallum gallinaceum in tabula delineasset, ne vinum in officinam intromitterent, suis edixit.* Imperitiæ quippe suæ conscius, opus suum cum Natura, à cuius perfectione longe aberat, comparari metuebat.

II. Quare omisso illo maiorum virium instituto, historiam tantum earum quæ ab hoc & proximo sæculo exstiterunt, vel potius renatæ sunt, hæreseon persequar. Inuenier hic Anglus Vvielephum suum, Bohemus Hussium, Germanus Lutherum, Gallus Caluinũ, famosissimos præproximis retro sæculis hæresiarchas: è quibus etsi duo hi posteriores potissimum totius huius mei operis sunt subiectum, illis tamen duobus in hoc IV. libro locus etiam aliquis certas ob causas dabitur. Quia enim hæresin persequenti omnes Christianæ,

næ, in quibus illa furoris sui vestigia tristitia reliquit, Regiones ac regna mihi obeunda sunt, ut quis in singulis tam Reipublicæ quam Religionis status fuerit in elapso, & sit in hoc novi sæculi, nimirum Anni MDC. initio, intelligatur: à præscriptis limitibus paullum mihi digrediendum est, & à Luthero ad alios quoque veniendum. Pro uno Martino videbis hoc loco duos Joañes, qui proxime superiorum sæculorum Ecclesiam hæresibus suis contaminarunt: post quos tertius tandem longe illis deterior prodibit, qui magno nisu totam Ecclesiam demoliri aggressus.

Duorum ergo istorum historiam arcessamus. Licet enim ab Ænea Sylvio, Joanne Cochlæo, (a) & alijs descripta exster; nobis tamen præcipua inde quæ ad institutum nostrum pertinere videbuntur, capita excerpenda, & Lectori breviter proponenda visa sunt. Nec inutilis, aut iniucunda erit nostra novis in quibusdam adijciendis diligentia. Postquam enim præcedentibus libris exorti in Germania schismatis, & in eadem admirabiles mutationes quas religionis invexit mutatio, tum longam inde natarum calamitatum seriem demõstravimus: reliquum est, ut idem in vicinis ei & earundem miseriarum socijs, regnis & regionibus faciamus, ut quibus singulæ factionibus & dissidijs distractæ sint intelligatur. Erit, spero, lectori hæc non iniucunda varietas, cui alioqui tædiosum sit in hoc theatro solam Germaniam cum Luthero suo spectare. Quia vero prima hæreseos veneno infecta fuit Bohemia, age alterum hunc Joanni Hussio, cui illa calamitates suas debet, in scenam locum demus, Lutherum deinde quod hic demoliri cœperat, totum destruentem reproducamus.

QUOMODO VVICLEPHI HÆresis in Bohemiam illata, & à Joanne Hussio propagata sit.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

I. *De Ioanne VViclepho Anglicano presbytero.*
II. *Hæretici libri combusti, & quomodo VViclephi scripta rogum evaserint.*
III. *Similitudo hæreseos VViclephiticæ & Lutheranæ.*
IV. *Artium quidam Magister turbas excitat.*
V. *Laudabilis Ecclesiæ consuetudo in prohibendis hæreticorum libris.*
VI. *Clementis VIII. littera ad auctorem, quibus ei hæreticorum libros legendi facit potestatem.*

I. FUIT in Anglia presbyter, parochiæ cuiusdam Gurio, Joannes VViclephus nomine, homo non vulgaris eruditionis, præsertim in Theologiæ quam profitebatur scientia. Hac ille sua quantumvis exigua doctrina inflatus Vigornienſem Episcopatum ambiverat; non minus ignominiose quam ambitiose quem petiverat, repulsus. Hac ille repulsa irritatus, omnes vindicandi se occasiones circumspexit, more hæreticis ab antiquissimis usque temporibus usitato, qui passione aliqua vehementi à via communi abacti deprehenduntur: Sic enim ob similem causam Ecclesiæ sese subduxit *Valentinus*, ut Tertullianus exprobrat; sic *Marcion*, scribente Epiphanio, sic *Montanus*, testante Theodoreto, sic *Novatus*, Sancto Ambrosio teste. *Ætium* quidem, eo quod Episcopatu indignus iudicatus fuerit, hæreticum factum, Epiphanius scribit; (a) ut & Nestorium. (b) Paucos certe ab Ecclesia defeciſſe constat, qui non hanc cõmentitiæ alicuius, quam illatam sibi videri volebant, iniuriæ ansam arripuerint. Idem VViclephus fecit: qui quum Theologiam in Oxonienſi Academia profiteretur, irritatus, ut dixi, quum Ecclesiæ, à qua repulsus fuerat, auctoritatem, tum quosdam Catholicæ Fidei universali hactenus consensu receptos articulos in dubium revocare cœpit; tantõ maiori cum scandalo, quod ab omni hæreseos mõstro tum immunis esset Ecclesia. Quo vero Regi doctrinæ suæ virus in tanto facilius instillaret; persuadere ei conatus est, *ipsum Anglicanæ Ecclesiæ esse caput, nec, excepto uno Iesu Christo, aliud ipsi agnoscendum*: qua quidem arte plerique omnes hæretici terræ Reges ac Principes in suam nassam pertrahere studuerunt, quos tamen ipsos illi ipsi turpiter exauthorarũt. Sed dogmata hæc vix à VViclepho spargi cœpta, primum Nationali Angliæ Concilio, deinde Parisiensis, quæ patrem tum non habebat Universitatis censura, tandem etiam Universalis Romæ congregati Concilij decreto, hæreseos & impietatis fuere condẽnata. Initio quidẽ cõprehẽs' fuerat, sed quia pœnitẽtiã simulabat, itẽrum

a *in Historia Hussitica*, a *Hæres.* 24. b *Theod. lib. 2. Epipha. Hæres.* 13.

rum dimissus. Quum vero hæresin suam dissemi-nare non cessaret, proscriptus, vt Lutherus apud Saxonem, sic Wiclephus apud Lancastriæ Ducem latibulum quæsiuit, & inuenit. Tandem quum patriæ haud ita multum incommodasset, plerisque doctrinæ eius constanter se opponentibus, mortuus est Anno MCCCLXXXVII. Eius mortem VValsinghamus qui Angliæ res litteris prodidit, sic describit(c)

Die qui S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis memoriæ sacer est, quum Ioannes VViclephus, diaboli organum, hostis Ecclesiæ, & mendaciorum artifex ad concionem è suggestu habendam & pro more effundendas blasphemias sese præpararet, iusto Deo iudicio in paralysin incidit; sic vt impurum illud os, quod tantas contra Deum & Sanctos blasphemias euomere consueuerat, mirabiliter non sine spectantium horrore distortum appareret; lingua vltra modum incrassescens, ad confitendum peccata ei verba negaret; & tremens caput aperte ostenderet, sententiam quam contra Cain Dominus pronunciauit, contra ipsum latam esse. Mortuus, discipulos alicquot reliquit, qui, vt eius aui scriptores testantur, nefandis criminibus & libidinibus se polluebant. Tandem XLI. post mortem eius anno, publico iudicio condemnatus, ossa eius, vnà cum omnibus, qui reperiri potuere, ab ipso compositis libris, combusta sunt, vt tam detestabilis hominis memoria penitus aboleretur. Ita VValsingamus (d)

II. Eodem modo *Arrij scripta*, Constantinii iussu; Nestorij, edicto Theodosij & Valentiniani: *Eutychis & Apollinaris* mandato Imperatoris Martiani cremata sunt, itemque aliorum qui post illos exstiterunt: qui etsi innumeros fere libros scripserint, illorum tamen omnium nulla exstat memoria, quam quod publicis tam Ecclesiasticis quam Ciuilis magistratus edictis hæreseos damnati, & igni adiudicati leguntur(e) Nec tamen VViclephi scripta sic aboleri potuerunt quin eorum nonnulla à quodam ipsius discipulo ab incendio seruata & alio asportata sint. Cochlæus Anglum fuisse dicit, *Petrum Payne* nomine, ex domo quam putridi piscis vocabant. At historia pseudo martyrum Bohemum fuisse ait, genere nobilem, qui Oxoniæ litteris operam dederit. Hic libros VViclephi primus in Academiam Pragensem tum celebertimam, attulisse fertur. Alij Hieronymum Pragensem, de quo postea nobis sermo erit, Oxonia domum reuersum, VViclephi quædam scripta secum asportasse dicunt, quæ iuuentus Academica, nouitatis plerumque auida, magno studio sibi comparârit. (f)

Et hac quidem ratione putridum VViclephiticæ hæreseos semen, quod patrium solum respuerat, in alieno solo, à putrida illa manu satum, facile succreuit. Et sicut is qui primus Iesu Christi Euangelium in Saxoniam intulit S Bonifacius, (g) ex Anglia prodijt; sic ex eadem natione is qui primus eam hæresi infecit, est exortus. Quamprimum vero Vniuersitas Pragensis, cuius regimen tum penes Germanos erat, de VViclephi scriptis resciuit, eorum lectione tamquam hæreseos damnatorum suis statim interdixit.

III. Inter absurdas vero & impias VViclephi opiniones facile primum illæ de Sacramento Altaris locum obtinent, à Luthero postea resuscitatæ qui Impanationis primum auctorem se fert, turpi hac gloria VViclephum defraudans. Hic enim ita argumentabatur: *quemadmodum Iesus Christus simul sit verus Deus & verus homo; sic hostiam consecratam esse simul corpus Iesu Christi, & verum ac naturalem panem.* At, si comparatio hæc naturæ panis & naturæ Corporis Christi in Sacramento bona est vtique sic bona erit, *vt sicuti Naturæ Diuinæ & Humanæ in Christo Domino est vna hypostasis, subsistentia, seu persona aut suppositum* (nam variis nominibus SS. PP. Concilia, & Theologi ista secreta rudibus explicare conantur) *& quidem diuinum quod fuit ab initio apud Deum, & erat* Deus, *lumen de lumine, Deus verus de Deo vero &c. (h) Sic Corpus Iesu Christi & naturalis panis in Eucharistia VViclephistica erunt vna Hostia consecrata, & consequenter tam Verbum æternum, eiusque diuinitas pariter & Humanitas cum pane naturali, subsistent in hostia consecrata, tam quam in supposito Nouo*, quod est grandis blasphemia, & omnino est impossibile: *Vel certè natura panis cum suis accidentibus assumetur ad humanitatem & diuinitatem, vt subsistat in personalitate Dei, vt sicuti olim dictum est, (i) Verbum caro factum est, & Deus homo factus; ita nunc nouo conditore vel Spiritu nouo VViclephi operante, verus fiat sermo: Verbum panis*

c VValsingham pag 338. d Vid. Tho. Val. Io. Nider. 10. de Turc. cere. Verue. Bertel de Luxenb. Blond 11. Niceph. lib. 8. cap. 53. Histo. tripar. cap. 9. S. Basili. de Spir. sanct. cap. 6. & lib. 7. cap. 6. f Vid. Æn. Syl. lib. 3. cap. 35. g Vide Vitam eius in Moguntiæ Serrarij Sideribus Brouueri, S. Marcellinum in Vita S. Suiberti. &c. h Symbola Niceua, Constantinopolit. &c. i Ioan. 1.

nis triticeus factum est, vel Deus est factus panis, quorum utrum vi selegerit VViclephista toto cœlo impinget, & vapulabit. Nam in priore sensu hæretici sui erroris, unum Christum dicet duplicem esse personam, nempe *divinam* quam semper habuit nec amisit, & creatam nempe *Hostiam*, quam de novo accepit: in posteriore vero sensu fatebitur, Christum Dominum triplicis esse Naturæ nempe Divinæ humanæ, & paniceæ, nisi velit dicere panis substantiam seu naturam Christi Domini corpori tanquam novam vestem injici, quo tamen dicto æque impinget, cum verbum formæ, qua hoc VViclephisticum indusium ei circumponitur, ipsi indusio contradicat, & ipsum destruat, dicente Domino & omni Ecclesia cum eo veraciter; *Hoc est Corpus meū. Hic est Calix Sanguinis mei &c.* nequaquā vero: *cum Hoc est Corpus meum*, vel, *in Hoc est Sanguis meus.* omitto alia absurda errorū olida sēticeta hic latentia. Ex illo vero patet, VViclephi doctrinā de Eucharistia, à Lutheri doctrina nō multum discrepare, quum in hoc, tam in alijs articulis, ut *de indulgentijs, de ordine & hierarchia Ecclesiastica*, quam non minus quam Lutherus confundere & proculcare nitebatur, dicens inter alia, *omnem Ecclesiastici muneris dignitatem & efficaciam non ab ipso officio, sed à sanctitate & doctrina fungentis pendere.* Quam vero contemptim & de universo ordine Ecclesiastico, & inprimis de Religiosis seu Monachis & sentiat & loquatur, scripta eius multis locis testantur.

Augustinum, ille & *Benedictinum, & Bernardum damnatos esse ait, nisi pœnituerint in hoc quod religionē ingressi sunt. Diaboli esse filios qui Monasteria condiderunt. Eos qui religiones eiusmodi instituerunt, peccasse mortaliter. Omnes religiones à diabolo esse introductas. Ecclesiam Romanam esse Synagogam Sathanæ, &c.* Quædam ipsius dogmata ab Anabaptistarum delirijs non longe abeunt, ut quum dicit *verbo Dei repugnare, ut Ecclesiastici bona temporalia possideant, sed certis tantum pensionibus illos contentos esse debere. Populum posse ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere, & de statu deturbare. Decimas esse meras eleemosynas, & propter peccata à Parochianis posse auferri. Oportere unūquemq; labore manuū suarū victū sibi comparare. Imperatores & seculares alios à diabolo seductos fuisse, ut Ecclesiam bonis dotarint temporalibus. Omnia iuramenta esse illicita, &c.*

Alios eiusdem VViclephi articulos omitto, ut quod asserit, *Episcopum vel sacerdotem qui mortali sit obstrictus peccato, non conficere, nec baptizare, nec consecrare*: quasi in magno hoc mysterio homo non Deus, & creaturæ potius meritum & dignitas quā Dei potentia respicienda & consideranda sit. Ut & illud quod idem affirmat, *Omnia ex necessitate quadā absoluta evenire. Deū obedire debere diabolo.* Hæc & alia VViclephi dogmata is qui pseudo Martyrum historiam collegit, caute sane, vel astute potius omisit, illud solum inquiens, *à VViclepho aliquot articulos contra Pontificij Cleri abusus fuisse promulgatos*: quæ tamen diligenter persequutus est insignis Theologus Bohemus Prisbram nomine, qui quum initio VViclephiticæ hæreseos esset assecla, ad Catholicam postea Ecclesiam reversus, impia VViclephi dogmata scriptis vehementer oppugnavit.

IV. Interdictum vero illud de legēdis VViclephi libris, scholarium animos tanto maiori ut fieri sæpe videmus, in illicitis, & vetitis, desiderio accendit explorandi, quænam illa nova esset religio. Idem Fabritij libellis accidisse historici testantur: quos quanto magis Nero vetuit, & eos qui vel penes se habere vel legisse convicti fuerant, acerbioribus pœnis affecit, tanto maiori studio conquisiti & lecti sunt. Idem VViclephi & plerisque hæreticorum libris evenit. Quasi ignis ipsis cremandis suppositus, hominum animos ad ea legenda magis incendat. Germani quidem theologi pestilenti huic doctrinæ quo minus latius proserperet, diligenter obstiterunt, quam tamen artium quidam magister, Bohemus natione, & magnæ inter suos & existimationis & auctoritatis, eorundem odio (cuius causas sequenti exponam capite) occulte auditoribus suis commēdabat & instillabat; adeo ut quamvis initio unà cum Prisbramo, eius condemnationi subscripsisset, eam tamen propugnare postea non dubitarit. Hic inter Bohemos, per excellentiam quandam, Magistri Joannis, nomine celebrabatur nullo alio cognomine nisi à patria, quæ Hus pagus erat, insignis: obscurus scilicet, & quasi incerto patre natus homo. Huius præcipue studio & opera factum est, ut exsequutio contra prædictam VViclephi doctrinam lente admodum processerit, unde brevi tempore universa civitas Pragensis, transcriptis sæpe & multiplicatis VViclephi libris, fuit referta. Hinc variæ in scholis contentiones exarserunt, *hinc VViclephistarum & Lollaldorum nomina* exorta sunt. Sic enim novi illi ex Anglia progressi hæretici appellabantur, sumpto ab ijs nomine, quos Anno MCCCXIII. extitisse Trithemius scribit, ut quibus pene erant gemini.

Ut paucis absolvam, primum hæreseos venenum librorum Wiclephi lectio in Bohemia & vicinis regionibus proseminavit.

V. Laudabilis sane, inde ab antiquis usque temporibus, in Ecclesia mos obtinuit, quo hæreticorum librorū lectione suis alumnis interdixit, quibusdam tamen exceptis personis, quibus illa certas ob causas permissa est lectio. Si namque ex Apostoli præcepto, *(k) haretici familiar tatem post unā & alteram admonitionē fugere debemus*, quanto magis à scriptis eorum quemque cavere sibi oportet quæ sunt ipsum Hominis hæretici semen, seu zizania in agrum Dominicum inspersa.

Quod si odium illud quo eos prosequimur qui Deum oderunt, sanctum & religiosum est, ut Hilarius affirmat; omnia sane extreme odisse debemus, quæ à capitali Dei hoste proficiscuntur. Si denique legibus non modo adulterinam aut falsam monetam, vel sub alio quam legitimi Regis titulo cudere, verum etiam ab alijs cusam habere & erogare, sub læsæ Maiestatis criminis pœna veramur; quanto magis hæreticos libros, non dico scribere, sed penes nos habere & legere prohibemur; quum omni adulterina illi moneta peiores sint, & longe aliā q̄ eius quē supremū nos dominū agnoscimus, habeant imaginē & inscriptionem. Sapienter apud Virgiliū Laocoō inquit; *metuo Graios & dona ferentes*.

Equidem puto boni Catholici esse eos omnes libros qui ab Ecclesia condemnati sunt, pro condemnatis habere, & sine ulla causæ investigatione oculos ab ijs legendis, & aures ab audiendis abstinere. Qui contra faciunt & eiusmodi vel hominibus vel scriptis aures præbent, mentis suæ tranquillitatem ipsi turbant, scrupulosiores scilicet plerumque facti. Neque illi excusandi mihi videntur, qui ista se legere vel audire aiunt, ut fidem inde suam tanto magis confirment. Numquid enim non ridiculus, sed stultus ille fuit, qui primus in se aconiti vim, cum certissima sua morte (post quam omnis ista cognitio inutilis est) experiri voluit? Sanctus Hieronymus reprehendit eos qui ieiunijs operam daturi, sumptuosis tamen & splendidis epulis interesse gaudent ut & Monachos, qui perruptis Monasterij claustris, in Principum aulis & medijs sæcularium hominum turbis obversantur, ubi vix tuta esse potest ipsa pudicitia & sanctitas. Noverat enim vir sanctus, quam periculosum sit velut collato pede cum ijs hostibus pugnare, qui vix ulla ratione alia, quam fugiendo vinci possunt. Longe facilius & tutius est intra muū contra arietis ictum sese defendere, hostemque à superiore loco propulsare, quā medijs in campis, ubi assiliri undique possis, acie cum hoste confligere. Quam cito enim vel levi brachio tortum telum in caput nostrum incidere, vitamque nobis auferre queat! Serpens ille sub pulchris illis, ut prima fronte, (nempe blāda & muliebri facie Apocalypticarum locustarum) videtur, hæreticorū scriptorū floribus latens, ubi oculos nostros ad legendū pellexerit, virus suū animis statim tacite afflat, iuxta earundē locustarū descriptionē, quarū potestas dicitur esse (*l*) ut potestas scorpionū, nam progressa eorum lectio sensus nostros pervertit, & iudicium corrumpit in ijs qui nullo muniti prophylactico medicamento rem tam pestiferā tractare non verentur. Et quemadmodum nautæ litus legentes, etiamsi nihil minus cogitent quam in altum enavigare, nisi tamen navim in portu anchora firment, maris tempestate & fluctuum reciprocantium vi sæpe abripiuntur: sic curiosi isti qui hæreticorum libros legendos suscipiunt, nisi firmissimam fidei anchoram in Romanæ Ecclesiæ portu iecerint, levitatis suæ ventis in errorum, vel etiam impietatis & atheismi abyssum, cum sempiterno animæ exitio, plerumque propelluntur. Rudis enim malarum artium lector, in istiusmodi libris nihil frequentius quam Jesu Christi, quam Salvatoris, quā Domini nomen inculcat: videsne, merā ijs sanctitatem contineri statim arbitratur, atq; inde mirifico lectionis studio magis magisque incenditur; parum interea memor nihil tam sacrum, nihil tam divinum esse, quo malignus Spiritus nō abutatur, uti in chartis superstitiosis indies videmus, in quibus una cum Sanctæ crucis signis alia abominanda nomina & signa permiscentur. Hæc quippe esca illa est, qua homines minus cauti à dæmonio nō aliter quam hamo pisces capiuntur. Sic videmus diabolos sola verba magorum negligere, & imperium detrectare, nisi eadem frequenti quum sacratissimi Dei viuentis & Iesu Christi nomine, tum Crucis & aliarum sacrarum rerum usurpatione exornent, ut simplices attendentes hæc sola quæ pia sunt, impia non advertant persuadeantque sibi quod sacrorum sola vi, & non pacto maligno adigantur, & sic sibi persuadent, nihil mali in arte illa esse posse, ad quā divinis verbis & signis opus est. Sicut vero bulborum caro initio quidem gratissimi est saporis, postea vero cerebrum multis horribilibus visis & somnijs pertur bat: eodem modo qui hæreticorū scripta Jesu Christi & alijs eiusmodi speciosæ pietatis embrematis picturata, legūt,

l Apocal. 9.3. im-

initio quidem voluptatem aliquam capiunt, at postea infinitas molestias & turbationes sentiunt, serò damnantes suam secordiam, vt qui antequam nauim soluerant, futuram tempestatem non animo & cogitatione præcepissent. Sed inprimis iuuentus istiusmodi laqueis facile capitur, vt in cuius animis experientiæ multæ defectu, certa aliqua & firma veri persuasio nondum radices egit. Externā quippe illam & artificiosam orationis structuram admirati, nondum maturo ad iudicandū his de rebus, quæ sub verbis latent, iudicio, facile impelli se patiuntur: quemadmodum videmus aerem pestilentem magis insinuare se vestibus laciniosis & plicarum plenis, quam extensis; & facilius iuuenilibus corporibus quam senilibus, quæ callum quasi obduxerunt, adhærescere. Non sine causa profecto is qui inter paganos sapientissimus celebrabatur Plato, teneris animis poëtarum lectione interdixit, ne deorum illis transformationibus & turpibus amoribus numerosa & auribus gratissima oratione decantatis offenderentur ac corrumperentur. Vetus est verbum, *eum qui bene cœpit, dimidium facti habere*: quod in iuuenibus maxime verum est, quorum animus quoscumque characteres & figuras quæ imprimuntur, recipit. *Cereus in vitium flecti*, vt cum Horatio loquar: eorum præsertim qui magis ad malum (quales fere omnes sunt) quam ad bonum propendent; quū istiusmodi animi maiorem habeant cum vitij imperfectione, quam cum perfectione virtutis analogiam & proportionem. Quod si, vt idem Plato dicebat, *periculosum est iuuentutis animos obscuris illis & stultis fere imaginationibus & fabulis imbui*: quanto maius periculum inde erit ab ijs libris, qui falsam doctrinā, sed fuco veritatis pictam, continent, ac sensim etiam aliud agentibus instillant?

VI. Consuetudo hæc vel decretum potius Ecclesiæ diu me continuit quo minus ne oculos quidem legendis, quos innumeros fere quotidie hæresis prorrudit, libris conscelerare ausus fuerim donec Antichristum meum conscribens, vt infamem illam Ioannam à Pontificia Sede, in qua nonnulli eam, mentiendo sibi ipsis, collocarant, deturbarem, hæreticorum arculas quoque excutere sum coactus. Quocirca eius mihi opem implorandam putaui, qui & de futuro mihi veniam, & de præterito absolutionem largiri posset: à quo & post multas dilationes, libros eiusmodi legendi facultatem, etsi non sine difficultate, impetraui; quam hoc loco, vt & Pontificium Breue, inserere mihi visum fuit, vt & pulcher ille atque admirabilis ordo ac disciplina, qua Mater nostra Ecclesia filios suos regit ac constringit, elucescat; & ab illis qui sine discretione perniciosis legendis libris sese applicant, quanti periculi res sit, regulas ab Ecclesia præscriptas transilire, intelligatur. Sic vero se habet Breue Pontificis.

Clemens PP. VIII. Dilecto filio Florimundo Ræmundo, Senatori regio in Parlamento Burdigalensi.

Dilecte fili salutem & Apostolicā Benedictionē: grauis testis, & cui ob spectatā virtutē, & egregia animi ornamenta multum merito tribuimus, Filius noster dilectus Cardinalis de Gioiosa narrauit nobis diligenter de tua pietate, de tuo zelo Catholicæ fidei, & de insigni deuotione, quā geris erga hanc sanctā Apostolicam sedem, in qua is qui diues est in misericordia, quique in altis habitat, & humilia respicit, nos immeritos Ecclesiæ suæ præsidere voluit. Tametsi libri tui de Antichristo, & alij pro veritate Catholica & eiusdem sanctæ Sedis defensione aduersus profana nouitatis sectatores luculenter scripti, non solū eruditionē & eloquentiā, sed zelum tuū, & deuotionē, quam diximus, manifestè ostendunt. Tibi igitur fili, gratulamur; quod dona, quæ à Deo accepisti ad eius gloriā potissimū confers, & talentum à summo Patrefamiliæ tibi creditū fideliter & fructuose negotiaris: Quare has ad te litteras dare placuit, vt intelligeres te à nobis amari, & pias lucubrationes tuas nobis gratas esse, & vt tanto cum maiori spiritus hilaritate atque ardore pergas, Dei adiutrice gratia fidei causā aduersus Sathanæ machinationes pro tua virili propugnare. Nos enim industriæ & commodis tuis, quantū cum Domino poterimus, libenter vbi vsus venerit suffragabimur, quēadmodū eidē Cardinali diximus. Interea laboribus tuis & vigilijs bene precamur, & nostrā Apostolicā benedictionē tibi benigne impartimur. Datū Romæ apud sanctū Marcū sub annulo Piscatoris, die septima Maij, MDXCIX. Pontificatus nostri an. oct.

Litteræ verò quibus mihi hæreticos libros legēdi ab generali Inquisitione fit facultas sic habēt.

Ludouicus Episcopus Sabinen. Madrutius, Iulius Antonius Sanctorius Episcopus Prænestinus sanctæ Seuerinæ, Petrus Tituli sancti Laurentij in Lucina Deza, Dominicus Tituli sancti Chrysogoni Pinellus, frater Hieronymus Bernerius Tituli sanctæ Mariæ supra Mineruam Asculānus, Lucius tituli sanctorū Cyrici & Iulittæ Saxus, Camillus Tituli sancti Eusebij Burghesius: & Pompeius Tituli sanctæ Balbinæ Arrigonius nuncupati presbyteri, miseratione diuina sanctæ Romanæ Cardinales, in vniuersa Republica Christiana aduersus haereticā prauitatē

generales Inquisitores à sancta Sede Apostolica specialiter deputati, dilecto nobis in Christo Florimundo Ramundo in Parlamento Burdigalensi consiliario salutem in Domino sempiternam. Cum in generali congregatione sanctæ Romanæ, & universalis inquisitionis coram sanctissimo in Christo Patre & Domino nostro, Domino Clemente divina providentia Papa VIII. ac nobis infra scripta die habita pro parte tua, expositum fuerit per Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Franciscum Tituli sancti Petri ad Vincula S. R. E. presbyterum Cardinalem de Gioiosa nuncupatum, quod tu iam diu prosequeris recentium hæreticorum errores & hæreses resellere, & confutare, & iam multa opera ad defensionem sanctæ sedis Apostolicæ ediderit, ac pro huiusmodi tui instituti continuatione, & conscientiæ tuæ securitate supplicatum fuerit, ut pro tam necessario ad Dei gloriam, & animarum profectum præstando officio, tibi quoscumq; hæreticorum, aut alios prohibitos libros tenendi, & legendi facultatem, & auctoritatem concedere dignaremur.

Nos quibus inprimis cordi est, ut omnis hæretica pravitas è mentibus hominum tollatur, ac summopere cupientes, ut S. Catholica & orthodoxa fides ubiq; floreat, & augeatur: huiusmodi supplicationibus inclinati, ac de tua doctrina prudentia, & erga fidem Catholicam zelo, quibus apud nos fide dignorum virorum præsertim dicti D. Franci. et Cardinalis testimonio commendaris, in Domino confisi & efficacius, & fructuosius in illis partibus munere tuo ad Dei gloriam & animarum profectum fungi, facilliusq; hæreticorum fallacias errorem ac hæreses resellere & confutare possis & valeas, auctoritate Apostolica nobis commissa tibi, vt ab iis censurarum, & pœnarũ incursu quoscumq; libros prohibitos & hæreticorum authorum etiam in indice librorum prohibitorum contentos, per te ipsum tantum libere, & licitè, secreto tamen & sine aliorum scandalo vel periculo, ad effectum illos & eorum hæreses, vt præfertur redarguendi, confutandi, & impugnandi, legere ac retinere possis, & valeas, licentiam & facultatem ad triennium tantum à data præsentium numerandum tenore earundem, damus, concedimus, impartimur, iniuncto tamen tibi, ut tam præsentium litterarum exemplum, quam hæreticorum librorum prohibitorum, quos huiusmodi nostræ facultatis vigore leges, an retinebis notam quamprimum exhibeas Reuerendissimo admodum in Christo Patri, Domino Archiepiscopo Burdigalensi vel eius Officiali seu Vicario in spiritualibus generali vel alteri loci ordinario, ubi resides, ut dicto triennio elapso libri huiusmodi tibi consignentur, vel post obitum tuũ sive interim forte ex hac vita migrare cõtigerit, provideat diligẽter, ne ad alterũ manus valeãt pervenire sed mox tradãtur ignibus concremãdi: Nõ obstantibus in contrariũ facientibus quibuscunq;. In quorũ omniũ, & singulorũ fidẽ & testimonium præsentes literas per infra scriptũ nostrũ officiũq; sanctæ Romanæ & universalis inquisitionis Notariũ fieri fecimus, & manibus nostris subscriptas sigilli eiusdẽ sancti officij, quo in talibus vtimur, iussimus appensione muniri. Datũ Romæ in Palatio Apostolico apud S. Petrum in dicta generali congregatione sanctæ Inquisitionu, die XI. mensis martij MDXCIX. Pontificatus summi in Christo Patrũ & Domini Clemẽtis Papæ VIII. An. cẽt. X. F. Catholica. approbo Flã. Not.

Non equidem dubito, quin inuidi homines, qui vt araneæ quidquid venatæ fuerint, in venenum vertunt, sic omnia etiam bona & laudabilia malam in partem interpretari solent, vbi has Pontificis ad me litteras hoc loco conspexerint, ambitionis & mundanæ vanitatis me sint insimulaturi. Verum sentiant illi & dicant quidquid velint, mihi quidem quam semel institi viam tenere semper decretum est. Satis in se ipsa habet virtus præsidij; satisque est boono viro vt talis sit, licet non omnibus videatur, vt qui existimationẽ & magnitudinem suam non tã externo splendore & hominum opinione quã intetna animi conscientia metiatur. Neque vero hanc ego calumniã anxiè effugiendã mihi existimo, modo quod ago ad diuini nominis honorem & publicam vtilitatem vergat. Agnoscite vos hic ô superbi patris superbiæ filii, eius humilitatem, quẽ vos dicitis a nobis pro Deo haberi: qui tamen vsque adeo se demittit, vt mihi, in quo tamẽ nihil est quam promta quædam & perpetua Dei causſam defendendi voluntas, facultas vero non ita magna, tam insignem fauorem & beneuolentiam præstare non dedignetur. Discite hinc quã grato ille animo agnoscat eorum laborẽ, qui turpes illas sæculi nostri Harpyias & hæreseos monstra quibus possunt modis fugant, & persequuntur, & conficiunt. Ita nempe Pastor hic Vniuersalis vniuersæ Ecclesiæ curam gerit, vt etiam ad particulatia descendat. Quin vos ô Catholicæ religionis alumni, in eius defensionẽ ad extremum vsque spiritum incumbite, quum meum vobis ostendat exemplũm, quam prompta sit Sua sanctitas ad remunerandos vestros labores; & *omnibus viribus ex Summi ore Pontificis, qui à Spiritu Sancto afflatus, errare non potest, infallibile hoc iudicium vobis comparare annitimini*, quidquid in hac causſa operæ & laboris collocaueritis, Deo gratum esse quod etiam ipse non modo in cælis, sed etiam per magnum suum in terris Vicarium tam liberaliter compensaturum sese spopondit.

BO)

BOHEMI FIUNT SCHISMATICI. Ioannes Hussius & Hieronymus Pragensis supplicio afficiuntur.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

I. *Ambitio Concionatorum Bohemici schismatis causa.*
II. *Hussius VViclephi libros vulgarem in linguam transfert.*
III. *VVenceslai Regis impura vita.*
IV. *Quis primus hæreseos eorum qui sub vtraque specie communionem expetiuerunt fuerit auctor.*
V. *Hussius & Hieronymus Pragensis ad Constantiense Concilium profecti cremantur.*
VI. *Turbæ ex Hussi morte excitatæ.*
VII. *VViclephus & Hussius primi pseudo-martyres.*
VIII. *Quæ post mortem Hussii in Bohemia euenerint.*

I. QVEMADMODUM indulgentiarum prædicandarum inuidia Lutherum in arenam contra Romanam Ecclesiam produxit, sic Academicæ Pragensis cathedræ æmulatio Ioannem Husium ad amplectendã Wiclephistarum hæresin accendit quæ vix nata, mutato nomine, Hussitarũ deinceps dicta est, & etiam nunc magnam Bohemiæ partem occupat Pragensem quidem Academiam Carolus IV. ex Luxemburgiorum Principum familia Rex Bohemiæ, ad formam Parisiensis Vniuersitatis instituit; & amplissimis Priuilegiis, dignitatibus & redditibus auxit (a) Erat vero in quatuor Nationes ab initio diuisa, nempe in Bohemicam, Saxonicam, Bauaricam, & Polonicã: quarum tres hæ posteriores æqualiter cum Bohemis ad publica officia & munera admittebantur. Et sub hoc quidem instituto Pragensis Vniuersitas aliquamdiu summe floruit, sic vt inter viginti ac triginta studiosorũ millia in ea numerata fuisse perhibeantur; donec homo quidã turbulentus (b) in nationis suæ contumeliã interpretatus quod plerag; Vniuersitatis munia & dignitates penes Germanos essent, sursum deorsum omnia miscere allaborauit. Incensis vtrimque, iuuentutis præsertim scholasticæ animis, à iurgiis tandem & verbis ad verbera ventum fuit, non aliter ac si de ipsa Patriæ salute ageretur. Bohemi apud VVenceslaum regẽ conquesti, quod exteri Germani indigenis præferrentur, atque omne fere imperium authoritatem in se derivarent, petierunt vt ei rei modo in posterum constituto, æquitas seruaretur. Rex à Bohemis persuasus, turbas illas componendi desiderio, edixit vt posthac vna Bohemorum natio cæteris tribus æquipararetur. Nouam hanc Regis constitutionem, præsertim circa Rectoris & Regentium electionẽ, Germani ægerrime tulerunt. quumque priuilegijs suis, vti dicebant, cedere nollent, vi & armis res disceptari cœpit: sed Bohemi & numero & patriæ prærogatiua superiores & à Magistro Ioanne Husio instigati, Germanis claues & præcipua honorum Vniuersitatis insignia facile extorserunt. Ex quo factum est, vt non multo post Germani duobus agminibus, in quorum vno mille, in altero tria millia studiosorũ fuerant, hi Lipsiam (vbi ex Pragensis ruderibus noua & celeberrima postea Academia effloruit) illi vero Erfordiam commigrarint.

II. Hoc successu elatus, & iam liberior factus Hussius, VViclephi libros in vernaculam linguam transtulit, eorumque exempla ad præcipuos totius regni proceres misit. Nactus deinde ob singularem scientiæ opinionem, concionandi munus, publicis sermonibus VViclephi iactitabat innocentiam, & doctrinam tamquam Euangelicam commendabat: adeo vt non modo vulgus & sæculares, verum etiam ex ordine Ecclesiastico nonnulli magnæ auctoritatis, lubenter eius aures animosque præberent: ij inprimis (vt eius temporis testantur historiographi) qui vel ære alieno oppressi, vel Ecclesiæ, in quam ob maleficia inciderant, correctionem metuentes, nouis rebus studebant. Inter Husij vero sectatores facile præcipue fuerunt Hieronymus Pragensis, & Iacobellus quidam (c) vterque concionator egregius, qui conscenso suggestu, inuriosas in Ecclesiam cantiunculas laicis confingendi, & feminis etiã S. scripturam legendi occasiones suppeditabant, adeo vt Ecclesiasticos etiam ad disputationẽ prouocare non verentur. Ex horum numero vna præcipue celebratur, nomine Iezabel, Vrsulæ illius, quæ Lutheri tempore vixit, compar. Pragensis Archiepiscopus Subinco à Leporibus Librum VViclephi comburi palam iussit 200. conquisitis exemplaribus, sed quum in VVenceslao Rege, luxu & delicijs perdito, nihil aut parum admodum præsidij esse

a *Vid. Albert. Crant. lib. 10. de VVandalia.* b *Anno 1509.* c *Æn. Sylui. & Cochl. lib. 1.*

videret, Pontificem primo appellauit; deinde ad Sigismundum Imperatorem profectus, calamitosum Bohemiæ statum ei exposuit. Huic in ipso conatu nondum plane desperatis rebus remedium afferendi, mortuo Posonij non sine fama veneni propinati ab Hæreticis, circa Annum 1405. Magist. Aloicus Medic. Doctor. successit, fauente VVenceslao (d) homo impense auarus & sordidus, qui maiorem cellæ & horrei quam Ecclesiæ curam gerebat; non tam spirituali & salubri cibo pascendis quam vellendis ouibus intentus. Inde factum, vt quæ prædecessor cœperat, numquam ad exitum sint perducta. Euclionem hunc Æneas Syluius graphice admodum depingit, dicens, claues cellæ cingulo alligatas gestare, & carnem ferinam aliunde dono sibi missam, per famulos in foro vendere; atque etiam ne edacioribus ministris vteretur, anus edentulæ operam in culina vti solitum. Idem rogatus aliquando, eodem testante Syluio, *quis sonus omnium maxime esset molestus, Eum*, aiebat, *quem maxillæ edentes, ederent*, qui deinde etiam hoc nefas adiecit male actis, quod Episcoparum vendisse dicatur. Et hoc quidem modo, neglecto commissarum suæ fidei ouium pastu, miserrimus ille viuebat Archiepiscopus, vt nemo iam debeat mirari lupum illum infernalem in grege ad eum modum pastore destituto tantam stragem edidisse?

III. Alexander V. qui tum sedem pontificiam tenebat, vbi de miserabili statu Bohemiæ cognouit, pro ea qua pro Christi grege excubabat sollicitudine, Husium Romam ad dicendam causam citauit. Idem deinde fecit eius successor: qui insuper ad VVenceslaum Regem vehementer affectuosam scripsit Epistolam, monens vt malo in regno ipsius gliscenti tempestiue occurreret. Hanc vero admonitionem VVenceslaus non maioris fecit quam præficæ næniam: vt qui dies noctesque continuis comessationibus exigeret, nec quidquam aliud curæ haberet, quam vt mensa opiparis ferculis & bono vino esset instructa; ijs quorum cerebella & delicatiora membra quotidie comedebat, animantibus persimilis, de præsentibus æque ac de præteritis, & de futuris ac de præsentibus parum sollicitus; adeo vt tamquam alter Vitellius etiam Regem se esse obliuisceretur, nisi subditorum modestia ei memoriam subijceret. Summum illi bonum venter erat, & acceptissimus qui nouam ad irritandam, vel explendam gulam potius, voluptatem inuenisset. Ferunt quum aliquando prandium non ita vti iusserat offendisset, iussisse ministrum caponis instar veru affixum, ad ignem torreri. Plusquam crudele & belluinum profecto facinus, vt circa tam leuem voluptatem, negligentia tam in humano supplicio puniretur. Eiusdem voluptatis Henricus VII. Angliæ Rex tam appetens quoque fuisse dicitur, vt Apitium quendam, obscurum ceteroqui hominem, ad magnam dignitatem euexerit, eo quod caponem (quem ille cibum pro exquisitissimis habebat delicijs) optime sua cura assatum, ipsi apposuisset (e) Quamuis autem, vti diximus, per summam secordiam omnia negligeret, magistratus tamen regni fretus legibus tres Husitas seditiosos comprehendi, & capite plecti iussit. At Husius cum suis corpora interemtorum infami loco detracta per vrbis Ecclesias circumtulit, cantantibus sectæ suæ sacerdotibus: *Isti sunt sancti, qui pro Testamento Dei corpora sua tradiderunt. Ecce Iesu Christi martyres:* & tandem in sacrarium templi Bethlehemitici, tamquam martyrum reliquias, aromatis condita reposuit (f).

IV. Husius porro eandem quam omnes hæretici viam tenuit, quibus solenne est aliorum commentis & opinionibus nouas quasdam admiscere. Quare ijs quos ex VViclephi libris hauserat erroribus, non contentus, ex suo quoque cerebro nonnullos superaddidit; nihilominus interim se Catholicum esse protestans, vt VValsinghamus scribit. *Quidenim?* aiebat, *Professor ego me Christianum esse & mansurum. Quod si erraui, Ecclesiæ me iudicio submitto, quod ad sepulcrum vsque sequi paratus sum: ac volo, vt quæcumque à me dicta & scripta sunt, secundum S. scripturæ & Doctorum sensum intelligantur. Quod si contrarium Fidei quid dixi, reuocatum volo.* Quæ quam sincere ab eo sint dicta euentus ostendit, cũ conuictus ab Ecclesia noluit subscribere reuocationi. Itaque bono scuto male vsus est donec sua confirmaret, more quo omnes hæretici semper vsi sunt, solis sibi interim de erroribus suis iudicium arrogantes (g). Illam vero de communione sub vtraque specie controuersiam, quam postea ab ipso denominati. Husitæ inprimis vrserunt, non Husius primus, sed Germanus quidam *Petrus Dresensis* nomine monuit: qui ob hæresis suspicionem Lipsia profugus, Pragam redijt, & puerorum docendo-

d *Catalogus Episcoporum Pragensium.* e *Sanderus lib. de schis. Angl.* f *Æn. Syluius in Hist.* g *Thom. VValsing in Rich. 1. pag. 200.*

cendorum curam suscepit. Ibi quum in *Iacobellum* celebrem concionatorem incidisset nouam illam de Calice seu vtraque specie Laicis non minus, quam sacerdotibus communicanda, opinionem ei suggessit; vehementer mirari se simulans, quod tam grauis Romanæ Ecclesiæ error à tam docto viro nondum fuisset deprehensus. Hanc deinde erroneam doctrinam Iacobellus & suis sermonibus populo instillauit, & scripto, quod hodieque extat, propugnauit. Hoc illud Eridis fuit pomum, quod tantas postea in Bohemiæ regno contentiones, & cruentas etiam pugnas excitauit; plerisque contra Ecclesiasticos clamantibus, quod per inuidiam & contemtum Laicis alteram partem Sacramenti subtraxerint, & non dederint eis integrum corporis & sanguinis Christi Sacramentum, vti à Domino institutum fuit. Stupidis illis mortalibus non aduertentibus duo in Venerabilis Sacramenti tractatione esse à Domino N. instituta nempe panem & vinum consecrando mutare in corpus & sanguinem Domini, quod est sacerdotum, & id quod consecratum est à sacerdote ex parte aliqua sumere, quod est etiam Laicorum. Feruente igitur populi motu, Hussius ex altera parte in Ecclesiasticos itidem inuectus, *nihil eis præter decimas dandum clamabat*; tum Ioannis XXIII. PP. factum, qui Christianos ad expeditionem contra Neapolis Regem cruce signari iusserat, factum atrociter calumniabatur, cuius exemplum Lutherus in Leone X. imitatus est. Interea Constantiæ Patres ad Concilium congregabantur, non quidem vt Hussij reprimeretur audacia & refutaretur hæresis, ad quam, vtpote iam ante in Viclepho damnatam, nullo nouo opus erat examine aut Concilio quum legibus prohibitum sit, ne ob ea quæ publicis Conciliorum decretis iam olim & determinata sunt, noua Concilia cogantur (*h*). Eum vero in finem præcipue illud indictum erat Concilium, vt infelix illud schisma, quo ambitione quorundam aliquot iam annos in tres factiones, vel tria potius capita distracta erat Ecclesia, componeretur. Tum enim tres à tribus factionibus electi, de Pontificatu inter se contendebant: *Ioannes qui Bononiæ, Gregorius qui Arimini, & Benedictus qui in Hispania commorabatur*, omnes sibi addictorum nixi ope Principum. At paullo post schisma persanatum fuit, *Martino V.* vnanimi Patrum in Concilio Constantiæ congregatorum consensu & suffragijs ad Pontificatum electo, qui pacem Ecclesiæ restituit, eamque magna cum prudentiæ & moderationis laude, quatuordecim annos gubernauit.

V. Dum anxijs Patrum suffragijs Constantiæ de liberanda factionibus Ecclesia, & vno toti ouili pastore præficendo deliberatur: Imperator Sigismundus, cuius opem Bohemi, VVenceslao rege per secordiam omnia negligente, implorauerant, & ad quem etiam Suinco Archiepiscopus ea de caussa profectus in legatione mortuus fuerat, Patres rogauit, darent operam vt Hussitarum hæresi, qua florentissima prouincia vehementer affligebatur, idoneum & tempestiuum remedium afferretur, ne longius progressa, multo maiora mala daret. Visum est ergo Ioannem Hussium, præcipuum eius auctorem, ad Concilium euocandum esse: qui citatus, accepta à Sigismundo Romanorum rege fide publica, eò venit, vna cum procerum quorundam Bohemiæ, ipsi adhærentium comitatu. Discedens Praga Anno 1415. amicis promisisse dicitur, se vsque ad extremum spiritum doctrinam suam defensurum: quod si recantare cogatur, id quidem fortassis ore, sed numquam corde facturum. Venit etiam eodem Hieronymus Pragensis, & ipse citatus, homo laicus: qui tamen postridie se clanculum subduxit, & vnde venerat, redijt, dominactitans, se fuisse Constantiæ in Concilio, sed neminem contra se progredi ausum (*i*). Verum dum ista iactat, comprehensus, Constantiam reducitur. Hic VViclephi effigiem collo appensam gestabat, capite diadema ferentem, & in fronte SANCTI nomine inscriptam. Vterque examinatus errorem confessi sunt; sed quum vrgerentur vt Confessionem manu sua signarent, vt in Bohemiam ea mitteretur, pertinaciter vterque recusarunt. Hussius, quamus non ignoraret iam Excommunicationis contra se latam esse sententiam, domi tamen priuatam Missam celebrabat, assistentibus quibusdam suæ sectæ complicibus: tot vero tantisque difficultatibus vndique circumuentum se videns, fugæ Consilium iniit, curru vndique stramine tecto ex vrbe delatus est: sed è fuga retractus, & in Monasterio Fratrum S. Francisci custodiæ mancipatus, Sigismundi regis fidem sibi datam implorauit, grauiter eam sibi infringi conquestus. Sed cogitare debuerat, Sigismundum Patribus ea in re præscribere nihil potuisse, quum & ipse Concilij decretis fuerit subiectus.

h *L. nemo C. de S. T. & fide Cath. ea. maiores 2. q. 4.* i *Richenthalius.*

iectus. Sic ergo Hussius tamquam pertinax hæreticus, non obstante saluo conductu, quem impio homini, ad tutelam sæcularem concesserat, ad iudicium productus fuit. Fecit quidem Sigismundus quantum decuit aut licuit: sed perspecta Hussij, ab ipso sæpe vt Concilij se submitteret iudicio, moniti, obstinatione & malitia, publice protestatus est, *malle se per se & solum sua manu pertinacem hæreticum comburere, quam defendere aut liberare.* Aiunt qui eius historiæ Acta collegerunt, (*k*) Sigismundum postea ad Patres his verbis vsum: *Iudicastis complures articulos ex Ioannis Hus libris excerptos, hæreticos esse & Catholicæ Fidei contrarios, itemque multa alia dogmata quæ in publicis concionibus ille asseruit, è quibus vel vnum satis foret ad condemnandum ipsum. Quapropter si noluerit eos errores reuocare & eiurare, legibus vestris in eum, prout videbitur, & ipse meretur, agere vobis licet.* Debuit ne igitur aut potuit Imperator, Sæcularis homo, suis litteris salui conductus, Ioannem Hussium aduersus Ecclesiam Catholicam, aut Deum defendere? debuit ne Hussium, si per viam prædo, aut fur existebat aduersus Leges eius terræ tutarijne daret pœnas. Nescire videntur quid Litteræ salvi sint conductus qui ista in fauda in illis concedi volunt. Seruata est Fides Hussio quæ data fuit. Non est punitus quidem ob crimina Maiestatis diuinæ Læsæ quæ in Bohemia ante profectionem suam commiserat, sed ea quæ post salvum conductum acceptum Constantiæ commisit.

Postaliquot dies Hussius è carcere in Ecclesiam producitur, vbi plena erat Sessio Concilij, præsente etiam ipso Rege in habitu Imperiali, circumstantibus Imperij Electoribus & Principibus. Ibi iterum admonitus vt culpam suam fateretur, & quinquaginta quinque erroneos VViclephi articulos, toties & in tam multis locis damnatos eiuraret, post multas ambages & tergiuersationes tandem aperte fassus est, se non posse renitente conscientia, condemnare, præsertim tres istos VVickephi articulos: *Syluester Papa & Constantinus Imperator errauerunt quod opibus dotauerunt Ecclesiam: Si Papa aut sacerdos mortali obstrictus sit peccato, non ordinat, non consecrat, non baptizat: item, Decima sunt puræ eleemosynæ.* Tandem ergo hæreseos damnatus, degradatur, & sæculari potestati traditur, à qua igni fuit adiudicatus. Iam palo alligatus, à quibusdam rogatur, vtrum sacerdotem sibi dari velit cui peccata confiteretur. *Quum* annuisset, veniente presbytero, *nihil*, inquit, *confessione mihi opus est. Morior ego, nullo mortali peccato illigatus.* Sic Reichenthalius scribit, qui quum pleriſque Actis interfuit, tum supplicium spectauit. Immerito sane tam Imperator quam Concilium sæuitiæ accusantur, ob Hussij condemnationem & supplicium, quum ille potius crudelis censendus sit, qui quum potestatem in malos vindicandi habeat, ea non vtitur; suaque conscientia malis in bonos grassandi aperuit feneſtram. S. Hieronymus Theophilum Alexandrinum Episcopum grauiter reprehendit, *quod nimia indulgentia & mansuetudine in eius temporis hæreticos vteretur, vt qua illi audaciores facti, hæreses suas latius indies propagandi inde sumerent occasionem.* Defendere igitur hæreticum illum & incusare Deum & Ecclesiam hæretici vindicem, est velle sub prætextu immunitatis concessæ à præteritis delictis, immunitatem concedi ad perpetranda. Id tamen magno suo dedecore volunt Luthetani & omnes à Luthero afflati.

Non eadem fuit Hieronymi, quem socium Hussio fuisse diximus constantia; vt qui hæresin eiurarit, ac reuocationi suæ ipse manu subscripserit, vti apud Cochlæum & alios fuse illa perscripta exstant. Quum vero ob hanc reuocationem & abiurationem ab Hussitis male audiret, & à prioribus amicis se desertum, apud Catholicos vero, omnes ipsius actiones obseruates, contemtum se & suspectum esse animaduerteret, mente confusus & fluctuans, ad vomitum rediit, & tandem quam Hussius martyrij coronam adipisci decreuit, Sic Diabolus nempe hominibus illudit. Quare iterum impetrata audientia, ea quæ antea reuocauerat retractauit, mortem pro Ioannis Hussii doctrina subire paratum se ferens.

Idem tamen in Sacramento Eucharistiæ eandem cum Catholicis Transubstantiationem asseruit, quod nimirum sacro verbo panis in Corpus Christi commutetur. Quum sacerdos quidam dixisset, Accusaris passim, Hieronyme, quod asseueris panem post consecrationem etiam manere panem: *at panis*, inquit ille, *apud pistorem manet.* Omnes quidem tam præclaræ eruditionis & eloquentiæ acrisque ingenij virum singulari commiseratione prosequebantur; & optabant (vt Poggius Florentinus testatur) vt in viam reuersus, & rationi acquiescens, vitæ suæ consuleret. At ille in proposito persistens, morte non modo nō exhorrescere, sed expetere etiam videbatur. Quum igitur nulla

rationes

(*k*) *Cochlæus lib. 5.*

ratione à sententia dimoueri posset, legibus in eum agi placuit: sicque tamquam relapsus, eodem supplicio quo magister ipsius Hussius (quo ætate & auctoritate minor, sed doctrina ac facundia superior fuit habitus) est affectus. Morti eius certe plurimi adstantium illachrymarunt, in ipso vitæ fine *Litanias & hymnos in Laudem Beatæ Virginis & Sanctorum* decantantis (*l*).

VI. Porro combustis tam Hussij quam Hieronymi corporibus, omnes rogi reliquiæ & cineres collecti & in Rhenum effusi sunt: ne quid inde discipuli asportarent, & tamquam sacras reliquias idololatricè colerent.

Quum ergo aliud nihil superesset, terram loci in quo cremati fuerant, effoderunt, & in patriam secum asportarunt, vt pro æterno asseruaretur monumento duorum horum Apostolorum, quorum illi memoriam & reliquias tam religiosè venerantur. At cineres hos cum mortui muli, paullo ante eodem loco sepulti, cineribus permistos fuisse credibile est. Vbi vero in Bohemia de Hussio & Hieronymo Constantiæ exustis fama percrebuit, dici non potest quam multa Hussitæ mœroris signa ediderint, quem etiam attrato vestitu & multis lamentis testabantur. Quinetiam femina quædam librum in eius defensionem scripsit & edidit. In eiusdem laudes Beza quoque minime est parcus, de Hussij (quæ vox lingua Bohemica Anserem significat) supplicio ita exclamans: O *quam amabilis & opportunus vigilantis huius Anseris fuit clangor! qui sonora sua voce, cœlesti magis quam terrestri, Christianos è tam diuturno veterno excitauit. Et tu quidem* (subiungit) *ô Hussi, tamquam è cauea, ex hoc ingrato Mundo ad cœlum euolasti: sed tamen* (ô rem miram!) *dicere profecto possumus, tot cygnos qui post mortem tuam tam suauiter cantarunt, è tuis cineribus natos esse, vt Phœnix potius quam Anser dici merearis.* Vides ergo Hussium hic in cœlo collocatum, & quidem ab eo quem ille, si in viuis adhuc esset, tamquam iugis sacrificij, veræ corporis Christi præsentiæ, Transubstantiationis, & aliorum Catholicæ Ecclesiæ, quos pseudomartyr hic ad finem vsque vitæ suæ credidit & asseruit, articulorum euersorem & hostem, ad infernum esset ablegaturus. Ridicula laus, & ridiculus encomiastes, qui ab eo, quem laudat condemnatur. Et quem laudat ipsemet condemnat. Sed hæc sunt acumina ingeniorum quæ à veritate apostatarunt.

VII. Ii quoque qui nouæ Ecclesiæ & eius Martyrum in ea historijs conscribendis operam nauarunt (quamuis pro historiis vt plurimum fabulas nobis & mendacia obtrudant) *VViclephum & Hussium tamquam Patres & progenitores* suos nequaquam aspernantur. Et ex illo quidem nempe ambitioso VViclepho, Stephanum protomartyrem faciunt, & primum ei in martyrum suorum lignili locum assignant. Secundum ab hoc locum tribuunt Ioanni Hussio, quem fidelem Iesu Christi ministrum & seruum fuisse aiunt. Atque hæc agentes ipsi aduersus se Testimonium dicunt, quod Ecclesia in qua hi sunt primi martyres, Annis primum post Christum natum 1400 sit exorta, & ante id tempus in suo nihilo existens sine persecutione, & pugna, beata sit usa quiete. Hos duos Danæus (*m*) inquit *duas illas esse oliuas*, quæ post Antichristi ruinam, Deo iubente, effloruerint. At horum vtrumque negare non possunt *& Missam celebrasse, & Eucharistiam adorasse*, &, Hussium imprimis, *Transubstantiationem credidisse*, vt Prisbramus scribit, qui Hussita fuit. An quisquam maiori zelo ad Beatam Virginem Deiparam preces fundere posset, quam VViclephus? inquiens (*n*). *Impossibile est vt sine Beatissimæ Virginis suffragijs vllum præmium accipiamus. Et quidem auxiliorum quæ nobis illa præstet, diuersos esse gradus. Nam & eos quoque qui non prædestinati sint ad salutem, ab ipsa iuuari, ne grauius scilicet peccent atque ob id tanto seuerius puniantur.* Alibi, *Nos*, inquit, *in Ecclesijs imagines tamquam signa adoramus, Deum vero ex omnibus viribus.* Et in explicatione Decalogi, *Quamuis*, ait, *in Veteri Testamento licitum non fuerit, Ecclesia tamen Imagines introduxit, vt laicis pro libris essent, & Christianus Sanctos debite adorandos, in memoriam reuocarent.* Vides, opinor, ex Nouatorum nostrorum decretis VViclephum idololatram fuisse, & tamen ab ijsdem primum nominari Apostolum, ad reformandam Ecclesiam missum. Ad alterum illum, Hussium inquam, nunc veniamus: quem de Statu Ecclesiæ Commentarij aiunt, *Euangelij fontes Monachatus sordibus & veneno infectos purgasse.* At ille Tomo II. sic scribit (*o*). *Nolle se quidquam de Missæ sacrificio demere: quum alibi docuerit, salutarem illam hostiam ad liberandos omnes eos qui Purgatorij pœnis cruciantur, pretium esse sufficientissimum.* Et alibi

Sf magna

l *Tom. 2. epist. Ioan. Huss. fol. 353.* m *In Anti. cap. 26.* n *VViclph. in serm. assum. B. Virginis.* o *Apud Crispinum Anno 1562. Huss. tom. fol. 52. E. 35.*

magna contentione *sacerdotes hortatur, vt Missas deuote ac humiliter celebrent.* Mille alia eiuiusmodi apud eundem reperias; *de precibus pro mortuis, de animarum ex Purgatorio liberatione, &c.* vt Opera ipsius Norimbergæ Anno MDLVIII. à Lutheranis impressa legenti facile patebit. De Sanctorum vero suffragijs quæ ipsius fuerit sententia, illud testatur, quod compedibus oneratus, ex Sanctorum meritis & precibus libertatem se sperare dixit.

Siccine ergo idololatras & Missarum celebratores, eosque qui alios quam Iesum Christum vestro iudicio (*p*) propitiatores quærunt, martyrii corona dignamini? Siccine pro patriarchis & Ecclesiæ vestræ Doctoribus eos acceptatis, quos Lutherus & Melanchthon tamquam hæreticos & Sathanæ discipulos detestantur? Melanchthon certe *VViclephum hominem amentem & furiosum* appellat; seque scripta eius legentem, *mille errores* deprehendisse dicit. Lutherus vero inquit, *multas horribiles & diabolicas à VViclepho proditas esse blasphemias.* Ecce tamen eundem Noui Euangelii inter vos præconem & antesignanum! Tanti nimirum apud vos est, Catholicæ Ecclesiæ potestatem proculcare, vt hoc vnum facinus ad cœlum & filiorum Dei nomen promerendum vobis satis esse putetur.

VIII. Exustis Constantiæ, vti diximus, Hussio & Hieronymo pertinacibus hæreticis, Barones quidam & Nobiles Bohemi & Morani, veteris fidei, quæ ab Anno DCCCXCIII. quo primum ijs locis annunciata fuit, integra semper manserat, desertores, de cæde eorum vlciscenda, & doctrina ad extremam sanguinis guttam defendenda coniurarunt. Quos Sigismundus Rex litteris (quæ exstant) dehortatus est, ostendens, vtrumque ob pertinaciam iusto supplicio esse affectum, vt qui toto Concilio, in quo clarissima totius Mundi erant lumina (hanc enim laudem Hussius ipse eis tribuit) sapientiores videri, nec perniciosos suos errores reuocare voluerint. Interea Rector Vniuersitatis Pragensis & Magistri decretum suum seu Concilium de communione sub vtraque specie, quæ à Iacobello in concionibus præcipue vrgebatur, & præcipua postea Bohemici schismatis causa fuit, promulgant: in quo etsi fatentur sub specie panis etiam sanguinem contineri, nihilominus tamen calicem quoque non minus laicis quam sacerdotibus porrigendum esse, ex sua ipsorum auctoritate, contra leges ab Ecclesia latas & ipsius Concilij decretum pronunciant & concludunt. In medijs his turbis VVenceslaus tamquam alter Sardanapalus delicijs suis indormiebat, & culinæ magis quam Reipublicæ curam gerens, quidquid animo molestiam aliquam afferre posset, procul à se habebat. Vnde crescentibus malis, eò temeritatis hæretici progressi sunt, vt confusis ordinibus in Ecclesia, Laici se administrandis Sacramentis ingererent. Crantzius scribit (*q*). Sutorem sumto sibi presbyteri officio, Cœnam populo sub vtraque specie distribuisse. In tantum vero Hussitarum iam auctus erat numerus, vt ad oppidum quod Thabor nunc appellant, circiter triginta hominum millia conuenerint, atque ibi trecentas mensas patentibus in campis erexerint, in quibus Sacramentum Calicis non guttatim, vt apud Græcos, sed totis congijs & cadis populo fuit ministratum. Congregatio hæc VVenceslaum è veterno aliquo modo excitauit, perterritum, ne multitudo illa sceptrum sibi ereptum iret. Et profecto à periculo non procul aberat, nisi ei presbyter quidam Hussita sua facundia saluti fuisset. Nam is pro concione populum sic tumultuarie congregatum & frementem, de Republica admonens, inter cetera in hunc modum loquutus est: *Viri fratres, quamquam ebriosum & inertem sortiti sumus Regem, si tamen ceteros Principes expendimus, nemo est quem Regi nostro anteferamus: quem recte omnium Regum specimen dixerim, quietum benignum, nostri amantem. Nam quis eo regnante lacessere nos audet? Licet nobis ex voto nostro viuere. Quod si de religione non idem sentit quod nos, ritum tamen nostrum neque ipse perturbat, neque alios perturbare sinit. Quocirca par esse arbitror, vt preces pro eo ad Deum fundamus, eique longam vitam comprecemur, atque optemus, cuius desidia, nostra quies, nostra salus est.* Hæc audiens multitudo statim conquieuit: tumque rex iterum in vtramque aurem dormire cœpit, omni abiecta regni cura, quod interea à seditiosis hæreticis miserum in modum lacerabatur; illis furorem suum præcipue in monasteria & sacra loca effundentibus, & per summum scelus & sacrilegium ea diripientibus quæ à maioribus Deo & Ecclesiæ fuerant consecrata. Quin etiam ab Ecclesiarum direptionibus reuersi Hussitæ presbyteri, sacram Eucharistiam armati in processione circumtulere, Hymnos & alia cantica

p *Melanch. in Comm. in epist. ad Philip. Micron. Apo. cap. de hum. trádit. In loc. com tom. 1. p. 463.*

q *In VVandal. l. 10. cap. 27.*

tica modulantes, ad alliciendam multitudinem. Quodam vero die quum iterum sic armati conuenissent, in Regiam tumultuaria prorumpentes, Regem orauerunt vt plures ipsis assignare vellet Ecclesias, Nicolao viro nobili, eius loci vnde Ioannes Hussius traxit originem, domino verba faciente. Rex Nicolaum benigne audiuit, & populum bonam spem habere iussit; sed dimisso populo, sic Nicolaum alloquitur: Tu exorsus es telam qua me regno eiiceres; at ego laqueum inde nectam quo tibi gulam frangam. Tum iste propere se proripiens, populum multo magis ad seditionem inflammauit: sic vt miser Rex, in proximam arcem ex vrbe vix euaserit, missis ad fratrem oratoribus qui eius auxilium imploratent. Hussitæ Regem euasisse ægre ferentes, furorem in Magistratum vrbanum conuerterunt: è quo nonnullos in prætorio deprehensos ex altissimis fenestris in forum præcipitarunt, qui infra stantis, *religiosa scilicet*, multitudinis hastis ac verubus excepti, dirum spectaculum dilaniati præbuerunt, stante in foro interim Hussitico sacerdote, & Calicem populo ostentante, & hymnum illum, *Pange lingua gloriosi* cum populo concinnente &c. Quibus nunciatis, infelix VVenceslaus, multorum malorum imagine animo obuersante, in morbum incidit, & post paucos dies expirauit. De quo illud Sallustij dicere possis: *Ventri atque somno deditus, indoctus atque incultus, vitam sicut peregrinans transegit: cui sane contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit, cuius & vitam mortemque iuxta æstimare queas.* Mortuus vero est Anno MCDXIX quum annis LV. Bohemiæ regnum tenuisset; æque in morte atque in vita inglorius & infelix, vt qui sine vlla pompa funebri sit sepultus. Hoc loco facere non possum quin eorum refellam opinionem, qui eos tantum miseros esse aiunt, qui sub imperio viuunt, vbi nihil cuiquam licet. Quin potius ij mihi longe infeliciores videntur, qui sub tali viuunt imperio vbi omnibus omnia licent; & vbi potius quid licitum quam quid honestum sit consideratur.

Hic vbi quisq; suo sibi viuit more, facitq;
Quod placitum fuerit.

Quam sententiam licet Ethnici hominis S. Augustinus (r) valde commendat. Et ô vere miserum illum, cui etiam male facere licet! Verissimum enim est illud Comici: (s)

Deteriores omnes sumus licentia.

Vbi enim libido quid suggesserit, omnes statim cogitationes & curas homo eo conuertit, vt eo quod concupierit, vel licitis vel illicitis modis potiatur.

Id sane experientia in Hussitis monstrauit, qui nullum omnino scelus, per summam quam sibi sumserant, licentiam intentatum reliquerunt. Tunc coniugum pudicitiæ vis illata, tunc virginibus castitas fuit erepta, tum viduæ violatæ, tum loca sacra profanata, tum monasteria diruta, tum Ecclesiæ euersæ, & sacra ac profana omnia direpta sunt. Videre tum erat carceres & ergastula maleficis & flagitiosis destinata, bonorum virorum & qui furenti multitudini consentire nolebant, plena. Ad male agendum omnes velis remisque quum se tum alios incitabant; at qui bene agere vellet vel auderet, vix quisquam reperiebatur. Tanta denique rerum omnium erat perturbatio, vt in antiquum chaos reditura omnia viderentur. Nec mirum. Vt enim Camelus aquam non bibit nisi pede prius proturbatam; sic hæresis non nisi perturbata Republica caput efferre potest.

DE TABORITIS ET OREBITIS nec non de Ziſca hæreticorum duce eius victoriis & morte, & reliquis in Bohemia per ea tempora geſtis.

CAPVT IV.

ARGVMENTVM.

I. *De ijs quæ VVenceslai regis mortem consequuta sunt, spolia Ecclesiarum, Apostata Archiepiscopus.*
II. *Ziſca Taboritarum dux.*
III. *Ziſca Victoria & mors diuinitus inflicta.*
IV. *Alexandrum deferret Pont. ab ope Bohemorum.*
V. *Ziſca statua ponitur eiq; Procopius succedit.*
VI. *De Concilio Basileensi.*
VII. *Secuta Concilium in Bohemia.*

I. MORTVO vt supra dictū est, Rege Wēceslao A. 1519. furēs Hussitarū multitudo rebellionis ducem sibi elegit Ioannem Ziscam, homi-

Sſ 2

r *Aug lib. 5 c. vlt. de Ciuit. Dei.* s *Cic in Tusculanis.*

hominem & ætate florentem, & bellis excitatum, quamvis uno carentem oculo, quem strenuè pugnans olim amiserat: qui ex prædæ spe perditissimis hominibus allectis, brevi magnum confecit exercitum: cum quo in Ecclesias quæ restabant, (quibus ornatu & opulentia vix in tota Europa pares fuisse, Æneas Sylvius scribit) fecit impetum, sepulchra, etiam Bohemiæ regum, effregit ossibus disiectis, & preciosis rebus ablatis; inaudito antehac, sed usitatissimo postea successoribus scelere. Deinde velut omnia in prædam ipsis data essent, Hussitæ urbes quoque & oppida diripuerunt, Pragensem imprimis, in qua adversis signis inter regios & Hussitas, non sine multorum cæde ibidem fuit concursum. Interea Sigismundus VVenceslai frater & hæres legitimus, ad regnum ineundum cum copijs advenerat, quem Zisca omnibus modis impedire conatus est, dictitans eum hostem esse veritatis, eius iussu, vel certe permissu, duos illos veritatis testes occisos; atque ipsum propterea regno indignum esse. At Sigismundus copijs suis frequentibus quamquam civitatem, Zisca strenuè eam defendente, expugnare non posset, in arcem tamen ingressus, coronam ex Conradi Archiepiscopi Pragensis manibus accepit. Intellexit hic Archiepiscopus in hæresin lapsus, ad Hussitarum partes non multo post accessit; & tamquam summus Pontifex & Bohemiæ Patriarcha, Concilium indixit & celebravit, in quo nova Fidei formula præscripta fuit, non tamen nisi in quatuor articulis à prisca religione differentis. Quorum *primus est de Verbo Dei docere ab omnibus docendo. Secundus, de Communione laicis sub utraque specie ministranda. Tertius, de opibus & dominio temporali ab Ecclesia auferendis, & Ecclesiasticis ad pristinam paupertatem redigendis. Quartus de peccatis publicis prohibendis & puniendis, quæ illi aiunt nullo modo, neque ut malus vitetur malum, ferenda esse.* Postea vero idem Archiepiscopus, conscientiæ stimulis exagitatus,

mentem, carnificem nocte diéq; ferens,

miserabili morte in castris Hussitarum fuit exstinctus.

II. Porro Zisca ut firmum aliquod novi imperij, quod imaginatione sibi finxerat, fundamentum iaceret, in colle quodam edito, aquis undique circumfluvijs incluso, oppidum exstruxit, triplici muro cinctū, quod Tabor appellavit; sumpto nomine à monte illo Judeæ, in quo divinitus fuit facta transfiguratio Domini: unde postea Taboritæ hæretici dicti sunt, quorū secta ab Hussitarū hæresi aliquantum differens, eisdem quam VValdenses profitentur, similis fuit, ut non solum ex Æneæ Sylvij & Cochlæi Historijs, sed etiam ex ijs quæ Joannes Leucavitius sacerdos Taborita, scripta reliquit, constat. Sæpe quidem inter hos & Hussitas, ut & qui novi tum exititerunt, Orebitas, à Conrado Archiepiscopo & Bohemica Nobilitate tentata fuit concordia, sed frustra, quod Taboritæ viribus & armis, quibus ductore magni nominis Zisca, prævalebant, confisi, ne latum quidem unguem Hussitis vellent cedere. Quis hic mirabilem non agnoscat Dei providentiam! Ecce enim vix emergit nova hæresis, quum ea statim in factiones dissilit, quæ inter se infestis signis concurrant; ut in Hussitis & Taboritis videmus, qui tamen ubi cōtra Catholicos res gerenda esset, omnis obliti simultatis, coniunctis viribus eosdem infestissime oppugnarunt.

III. Sæpe quidem Sigismundus Imperator cum exercitu regnum ingressus, subditos ad officium reducere conatus est, vix tamen ullum operæ pretium fecit, Zisca se statim cum validis copijs objiciente; qui perpetuo victoriarum cursu, & summa fortunæ indulgentia, infinita fere ex hostibus cōgessit trophea. Mira profecto res, ut qui alieno egeret ductu; nam & alterum oculum ijs bellis amiserat) ipse cæcus exercitum duceret ad victorias. Quamvis hunc militaris gloriæ splendorem valde obscuraret crudelitas, ut qui quum promiscue in omnes, tum præcipue in Ecclesias & Monasteria, & omnem Clerum sæviret; & monachos ac sacerdotes aut vivos cremaret, aut alijs exquisitis supplicijs interimeret. Quare impotentem huius dominationem & sævitiam pertæsi Barones, Legatos ad Lithuaniæ Ducem miserunt, ut regnum suscipere vellet; orantes: & hic quidem nepotem suum cum duobus equitū millibus in Bohemiam misit, à Pragensibus in civitatem receptum. At Zisca & Taboritæ nullum omnino volebant habere regē: Hussitæ vero talem qualis ipsis placeret. Hæc nimirum natura est hæreseos, ut regibus sceptra è manibus extorquere semper annitatur. Econtra Pontifex tamquam Ecclesiæ caput, per Legatos suos prædictum Ducem Alexandrum ab hoc instituto dehortatus est, scriptis ad eū literis quarum exemplum hoc loco apponere volui.

Mars-

Martinus Episcopus, seruus seruorum Dei, Nobili viro, Alexandro, Lituaniæ Duci, salutem & Apostolicam benedictionem.

IAmpridem fama vulgauerat, te Bohemos hæreticos spe fouere, apertis auxilijs eos iuuaturum. Quod scelus de te viro prudentissimo, & probato iam Principe Catholico difficile creditu videbatur. Sed tamen scripsimus Nobilitati tuæ, paterna charitate monentes, vt ab omni societate, coniunctione & fœdere hæreticorum abstineres, & eosdem excluderes & priuares fiducia subuentionis tuæ. Nunc vero per tuas litteras & nuncium, dispositionē tuam non dubiam nec obscuram, de inuadendo regno, & suscipiendo prædictos in protectionem tuam habemus: Intelligentes sententiam animi tui, magno dolore commoti sumus. Videmus enim & manifeste comprehendimus te si hoc feceris, vltra periculū Fidei (quod est ante omnia declinandum) magnam & horribilem nouitatem, Christianitati nociuam moliri. Ex qua multo maior sanguinis Christiani effusio, & grauiora scandala, & crudeliora vulnera subsequerentur, quæ ea sunt, quibus asseris hac via velle mederi. Nam nemini dubium est, quin Bohemi hæretici, si fuerint à spe tui præsidij destituti, ad obedientiam Ecclesiæ & rectè viuendi normam, & ad cultum Dei facile reduci possent, vel sola necessitate compulsi, fieretq; breui tempore consueta tranquillitas, & deuota religio in regno Bohemiæ, hac funesta labe purgata. Quisi se viderint in protectionem tuam receptos, foueri atq; defendi, reddentur acriores, & contra Ecclesiæ Dei instituta magis rebelles & pertinaciores in hæresi. Nec nos multum mouet, quod asseris, te velle eos hac conditione recipere, vt errore deposito, ad debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam reuertantur. Omnia enim faciunt & pollicentur tibi, vt te suis laboribus & erroribus immisceant, & incendium magis excitetur. Per hanc viam simulatæ eorum reductio, non posset non esse suspecta, per quam viam quærunt periculosam discordiam inter Principes Christianos seminare: Vt potentissimis Dominis inter sese decertantibus, Romano imperio perturbato, & tota Christianitate confusa, possent ipsi peccare licentius. Nec existimare debes, aliter euenire posse, si Bohemiæ regnum occupabis. Quod nullo modo per Electores Romani Imperij & Principes Almaniæ tolerabitur, etiam tacente charissimo in Christo Filio Sigismundo Romanorum rege illustri. Nec huius regni existimatio tanta est, necesse debet apud consideratam prouidentiam, vt pro eo iuuare velis hæreticos, aliena per iniuriam occupare, & magnam Christianitatis partem nouo bello confundere & permiscere, cum diminutione tui honoris & famæ, & certa animæ tuæ iactura. Quæ etiamsi omnia ad votum succederēt, diligentius cauenda essent. Quid enim proderit, etsi totum Mundum lucreris, animæ vero tuæ detrimentum patiaris? Quod vero te asseris, non ampliandi dominij cupiditate, sed sola hæreticorum reducendorum causa, ipsos sub tuam defensionem recipere: nullo modo probari potest. Nā cum per Dei misericordiā Christianus Princeps existas, in causa fidei debes cum dispositione nostra & Ecclesiæ, & nostro & Apostolicæ Sedis Legato transmisso, & reliquis Christianis Principibus consentire, teque cum his iungere contra hæreticos. Non pro ipsis te defensorem exhibendo, specialem viam quærere eorum conuersionis, quæ hoc modo quæsita, syncera credi non potest. Sed qualemcumque ipsi animum habeant, synceritati tuæ (quæ inter Christianos huc vsque probata est) non conuenit, à communi consilio deuiare, & eos vlla speciali conuentione suscipere. Quod ne facias, tibi paterna dilectione consulimus, te monemus, hortamur, tibique etiam præcipimus, in virtute nominis Iesu Christi, quod est nomen super omne nomē. Et si feceris, scito, te Deo omnipotenti, nobis & Ecclesiæ (quam Deus non deseret) & Christiano nomini iniuriam facere, quam nec Deus ipse feret, sed vertet in periculum Capitis tui, & certam animæ tuæ damnationem. Nos vero (qui Vicarius eius sumus in terris constitutus, in apice Apostolatus, ad conseruationem veritatis & fidei Christianæ) dolenter & tamquam contra vitam nostram, sed necessario, contra te & quoscunque defensores hæreticorum, auctore Domino procedemus; quia sic tenemur ex iniuncto nobis officio. Sed cū multa in diebus tuis opera digna feceris, pro amplificatione fidei sanctæ; cogitare te non possumus, postremo tot rectè factā velle ambitione corrumpere, & tantis cladibus hominum causſam dare. Quare fili dilecte, ab hac via ab hoc modo, ab hac opinione te retrahas, nec subsidia mittas hæreticis: nec eorum venenosis pollicitationibus capiaris, quæ tibi certe sunt ad instigationem Sathanæ, ad inquinandam famam & fidelitatem tuam inuoluendo te nouis bellis & periculis, & effundendo sanguinem Christianū. Sed si salutē & reductionem Bohemorū desideras, sic vt debes, eos nullis tuis viribus protectos horteris, vt ad præfatum Apostolicæ Sedis Legatum, ad hoc specialiter destinatum à nobis, habentem plenam & liberam potestatem super omnibus in ista causa disponendi, mittant, & se humiliter submittant correctioni & dispositioni suæ. A quo poterunt etiam ad nos cum securitate transmitti. Sed tu ante omnia caue diligenter, ne ipsos vlla conditione tueare, quia certi sumus, quod à te destituti, statim humilius se inclinabunt. Recreati autem per te, fient continuo deteriores. Quod si tu aliquo

modo inductus, defensionem eorum susciperé promisisti: scito, te dare fidem hæreticis, violato ibus fidei sanctæ, non potuisse, & peccare mortaliter, si servabis: quod fideli ad infidelem non potest esse ulla communio. Caterum postremæ litterarum tuarum particulæ, per quam requiris, ut processus contra hæreticos editos tollamus, vel suspendamus ad tempus. Respondemus, hoc nullo modo fieri posse, de manifestis hæreticis in sacro Constantiensi Concilio condemnatis, præsertim cum sentiamus, communi cõsensu Principum Alemaniæ exercitum præparari ad confusionem eorum. Sed ut supra dixi, humiliter & syncere offerant se legato, qui caussa & voluntate sua cognitis, diligentius de propinquo diligenter salutisua consulet. Sed nobilitatem tuam iterum atque iterum admonemus, teque obsecramus per misericordiam Jesu Christi, ut tantam stragem & calamitatem per te induci non velis, quantã necessario secuturam videmus in Christianis, si Bohemos hæreticos suscipias defendendos. Datum Romæ apud S. Petrum XII. Calend. Junij. Anno Pontificatus nostri Quinto.

His Pontificis precibus & mandato victus Alexander, revocato exercitu, Bohemos deseruit; Barones vero & nobiles Hussitæ, spe sua frustrati, & impotentis Zscæ dominationis pertæsi, arma contra eum sumunt: quorum ille ad tria millia cecidit, & reliquos qui Pragam se receperant, obsedit: sed tandem Rokyzanæ potissimum, Hussitici Prædicantis operâ pax facta est. His liberatus periculis Ziska, exercitum in Austriam eduxit, ferro & incendijs quacumque ibat, grassatus, & fœdissima immanis cuiusdam & Barbari furoris vestigia post se tamquam alter Attila relinquens. Post multas tandem & continuas victorias, tam contra Sigismundum Regem quam Germaniæ Principes, qui auxilium Imperatori tulerant, obtentas (quas particulatim hoc loco enumerare nihil necesse est) quum iam de pace in Ziscæ quidẽ summum emolumentum (ut cui gubernatio totius regni, Ducatus insuper & magnum auri pondus à Sigismundo promissa fuerãt) nõ sine Regiæ Maiestatis dedecore ageretur, peste tactus in itinere exspiravit: Mõstrum (Æneas inquit) detestabile, crudele, horridum, importunum, quod postquam manus humana conficere non valuit, digitus Dei exstinxit. Ferunt illum morti vicinũ iussisse cadaveri suo pellẽ detrahi, & ex ea tympanũ fieri; nihil dubitare se inquiens, quamprimum tympani eius sonitum hostes audirent, statim fugam arrepturos. Magnum sane belli fulmen Ziscam fuisse, nemo res ab ipso gestas contemplatus negabit.

De eo Baptista Fulgosus sic loquitur. (a) Quia amissi in eo prorsus luminis incommoda, atque ex alia parte rerum quas cœcus gessit, magnitudinem pensitare volueris; tantum Hannibali Sertorioque altero tantum oculo captis, eum præpositurus est, quantum ipsi propter lumen ei qui prorsus cæcus erat, proponendi videtentur. Hac enim gloria, quæ ingens ac rara est, decessit, quod dum vixit, maximis prælijs victor, numquam ab hoste superatus fuit. Qui non minus cum Natura certasse videri debet, quam senior Marius aut Sceua. Nam quamquam grandes natu multisque vulneribus debilitati essent, hominis tamen speciem servabant. A quibus tantum Joannes Zisca ob cæcitatem abfuit, quantum à vivente mortuus. Neque enim inter videntes cœcus alius quam mortuus appellari potest Hæc Fulgosus.

V. Mortui Ziscæ, cuius ductu hæreticorum res tam prospere successerant, memoriam Taboritæ tam superstitiose vel idololatrice potius coluerũt, ut eius effigiem in porta oppidi Taborienſis publice spectandam locarint, adstante Angelo, calicem manibus præferente. Quamvis autem tanti Ducis mors hæreticorum rebus multum incommodatura videretur; nihilo tamen segniores facti plerique *Procopium* quendam ducem elegerunt, qui Taboritarum nomine bellum deinceps gessit. Pars altera, hoc reiecto, Orphanos sese appellavere, quasi Ziscæ tamquam Patris obitu, omni solatio orbati. Procopius ille cognomento Rasus dictus fuit, eo quod sacerdos fuisset: sed & Magni nomen deinde, ob multas res feliciter gestas, ei inditum fuit, Orebitæ quoque Bedricũ quendam Moravum natione, itidem sacerdotem apostatam, ducem sibi elegerunt, qui Silesiam assiduis bellis afflixit & non sine ipsorum etiam Hussitarum stupore & destinatione, uxorem publice duxit. Tres hi duces dici sane vix potest, quanta vicinis regionibus damna intulerint, non villis tantum & pagis, sed multis etiam opulẽtis oppidis direptis, per ludibriũ bellum se Philistæis & Idumæis facere dictitantes. Sic illi Catholicos appellabant, in quibus vexandis & ad internicionem, si possent, delendis nullum omnino quod vel sævissimus umquam tyrannus excogitare potuit, crudelitatis genus prætermiserunt, nulla sexus, nulla status, nulla ætatis habita ratione, cædibus in omnes promiscue sævientes.

Quin

a *Lib. 3. de Fortitudine.*

Quin etiam defessi cædibus, magnam Catholicorum vtriusque sexus multitudinem horreis inclusam, subiecto igne cremarunt: eò tandem immanitatis progressi, vt fetus è matrum vteris extractos in morientium matrum conspectu medios gladijs dissecuerint. Et per Deum immortalem! quis vel recensere possit eorum numerum, qui in Austria, Morauia, Silesia, Lusatia, & Misnia crudelissime laniati, & martyrio sunt affecti? vt vero terrorem latius spargerent, & flagitijs suis formam aliquam iustitiæ prætenderent, sacerdotes & Catholicæ Ecclesiæ Pastores deprehensos, tamquam diuinæ & humanæ Maiestatis læsæ reos, quatuor alligarunt equis, iisque in diuersum actis, crudelissime discerpserunt; Monasteriorum archimandritas & Priores, ligneatum statuarum è direptis Ecclesijs abreptarum strui superimpositos, viuos cremarunt, virgines vero & elegantiores feminas, ad libidinem reseruarunt. Hoc modo incarnati illi diaboli, sacerdotum apostatarum ductu, omnes regiones Bohemiæ vicinas depopulati sunt, in Franconiam vsque, Hungariam, Poloniam & Austriam factis excursionibus Quæ sane admirabilis, immo pæne incredibilis res, Alberti Crantzij iudicio, videri debet, vt vna scilicet natio tantum possit. Principes quidem Germaniæ & à Pontifice & Imperatore tamquã è profundo somno excitati, coniunctis viribus, aliquot prælijs cum Husitis conflixerunt, sed tamquam nescio quo stuporis afflati spiritu, inferiores fere semper magna cum ignominia discesserunt, omnibus impedimentis hosti vix conspecto in prædam relictis.

VI. Dum ita passim rapinis, cædibus & incendijs sæuitur, & Husitæ, Taboritæ & Orebitæ inepta & delira sua dogmata multorum millium sanguine stabilire contendunt, Martinus Papa V. Concilium Basileam indixit, quod deinde sub Eugenio IV. qui in Pontificatu ei successit, fuit continuatum. Adid Husitæ quoque euocati, è suis aliquod Legatos accepta prius fide publica, eò miserunt: quorum princeps fuit is, quem supra diximus, Procopius Rasus: qui cũ trecentis equitibus & vexillo, cuius vna pars Crucifixi, altera Calicis (de quo scilicet potissimũ contenderent) præferebat imaginem, Basileam ingressus, omnium oculos in se conuertit, ob res bello post Ziscã feliciter sæpe gestas. Deinde ad Synodũ vocatos Julianus S. Sedis Legatus luculenta oratione alloquutus est, grauiter reprehendens, quod Christianæ quietem Reipublicæ perturbassent: & amanter simul admonens, vt pacis consilia amplecti, & quæ haberent dubia, amicabiliter in medium proponere vellent. Sic igitur illi toris quatuor diebus de quatuor præcipuis capitibus, ob quæ à Romanæ Ecclesiæ discessissent obedientia, disseruerunt: quibus deinde sequentibus aliquot diebus à Catholicis Doctoribus responsum fuit. Quum vero horum quidam inter respondendum crebro hæreseos & hæreticorum vocabulum usurparet, Procopius ille Rasus cum stomacho surgens, vix retineri potuit, quin statim unà cum Bohemis è Concilio discederet. Controversa illa capita quũ aliquamdiu in synodo agitata essent, quorundam ab vtraque parte deputatorum disceptationi permissa sunt. Festinantibus autem Bohemis in patriam redire, Concilium voluit, ut delegatorum congressus in ipsa urbe Pragensi tamquam hæreseos metropoli, fieret. Eò quoque Galliæ, & Hispaniæ Regum, Sabaudiæ & multorum Germaniæ Principum Legati accepta ab Husitis fide publica venerunt. Husitarum præcipuæ & multoties iam iteratæ querelæ erant, quod Joannes Husius & Hieronymus Pragensis extremo affecti essent supplicio, & sub Cruciatæ nomine expeditio à Pontifice contra ipsos indicta, & à Principibus susceptа: interim pacis studium mire simulantes, modo post data ipsorum non negligerentur. Diebus aliquot frustra transactis res ad Concilium, & à Concilio rursus ad conventum Pragẽsem remissa, & tandem in hæc capita, donec alter de re tota decerneretur, conventum fuit: *Vt communio vtriusque speciei concederetur ijs qui eam requirerent, modo in alijs Ecclesiæ auctoritatem agnoscerent; hoc obseruato, vt sacerdotes sic communicantibus semper dicant, Corpus Christi sub qualibet specie totum & integrum contineri, &c.* Hoc modo pax quadamtenus composita fuit Anno 1433 Sed Orphani & Taboritæ publicæ quietis hostes, prædæ iam diu assueti, quumalios hostes non haberent, Husitis penes quos tum præcipua erat regni administratio, arma intulerunt; sed ad internecionem fere in ipso Pragensis ciuitatis conspectu deleti sunt, Procopio Raso, præcipuo tantorum malorum auctore, cum alijs ante signanis occiso, & reliquis qui euaserant, postea igne consumptis. Tantum nefariorum hominum erat odium, ut Bohemiæ Barones omnem eorum memoriam penitus delendam censerent.

VII. Ha-

VII. Harum rerum fama nec opinato accepta, Sigismundus, qui interea Romam profectus, à Pontifice Imperiale diadema susceperat, in Bohemiam reuersus, & à Bohemis, etiam ab Hussitis pro Rege agnitus est. Hussitæ similiter, ab Excommunicatione absoluti, ad Ecclesiæ vnitatem redierunt, cui Rokyzana sacerdos & Doctor præcipuus Hussitarum, vna cum aliis eiusdem sectæ auctoribus, iuramentum obedientiæ & fidelitatis præstitit, promittens, se pacta inter delegatos inita seruaturum & à Romanæ Ecclesiæ fide non defecturum, permissa interim ijs, qui vti vellent, vtriusque speciei communione, donec à Concilio Basileensi certi quid super ea re statuatur. At eodem die quum in Catholica Ecclesia sacris, quæ Catholico ritu celebrabantur, interesset, conscenso altari, Laico cuidam communionem sub vtraque specie porrexit. Hæc eius audacia (neq; enim in Catholica Ecclesia id facere ei licebat) parum abfuit quin nouas rursus excitarit turbas: sed prævalente publicæ vtilitatis respectu, inquieti hominis insolentia ferenda potius, quam nouis tumultibus occasio danda videbatur. Nec sic tamen ille quiescere potuit, donec tandem regno fuit ejectus. Secundum hæc Sigismundus rex Episcopis quibusdam negotium dedit, Missam ab Hussitis corruptam instaurandi, explosis quas vernacula lingua illi adiecerant, cantiunculis; itemque religiosos vtriusque sexus in monasteria, vel potius ruinas monasteriorum reducendi. Post multas actiones, tandem à Concilio decretum fuit, *communionem sub vtraque specie ex veteris Ecclesiæ statutis non esse necessariam.* Petierant etiã Hussitæ libertatem parvulis sacram Eucharistiam communicandi, nec non Euangelia & Symbolum in Missis populari lingua legendi: sed in vtroque repulsam passi sunt. Mortuo Sigismundo Anno 1437. V. Id. Decemb. Znoymæ in Morauia; nec multo post etiam Alberto Austriaco ipsius per filiam Elisabetham genero & successore ad A. 1439. seditiosus ille Rokyzana in Bohemiam redijt, & cum suæ factionis hominibus effecit, vt Ladislao Alberti filio, vtpote minorenni & sub matris Viduæ potestate degente, ad quem tamquam legitimum hæredem Bohemiæ regnum pertinebat, præterito, alius eligeretur: Hussitis dicentibus (quo prætextu hæretici & olim plurimum vsi sunt, & etiamnum vtuntur) eum qui ab alijs regatur idoneum esse non posse ad alios regendos. Regnum igitur Bohemi Bauariæ Duci obtulerunt, quod ille magno animo accipere retusauit. Tandem Regis loco duos Vicarios regni constituerunt, vnum qui Catholicis aliquantulum fauebat, alterum vero pertinacem Hussiticæ sectæ asseclam: qui capita religionis, de quibus inter delegatos Concilij & Bohemos transactum fuerat, denuo mutarunt. Ad componendum vero hoc schisma Nicolaus Papa V. Legatum ad Bohemos misérat, Pragæ honorificè ab ijsdem acceptum (b) sed non multo post, furore Husitarum, Rokyzanam Archiepiscopum sibi postulantium, recrudescente, clam discedere coactum. Quin & Gubernatorem alterũ Bohemi ad extrema progressi, carceri incluserunt, (in quo is miserabiliter perijt) tam spiritualia quam temporalia pro lubitu suo disponentes, & tam Pontifices quam Reges sua sibi auctoritate constituentes. Rokyzana enim Archiepiscopi nomine & dignitate non contentus, supremi quoque in Bohemia Pontificis potestatem sibi arrogauit. Tandem furore populi paullum remittente, modestiorum consilio & opera Ladislaus rex acceptus, & Pragæ vsitatis Catholicæ Ecclesiæ cæremonijs coronatus fuit.

Tanto vero Ladislaus Catholicam amplexus erat religionem studio, vt numquam hæreticorum sacris aut conuenticulis interesse, aut eorum templa intrare voluerit, quamuis rogatus. Quinimo quum à Rokyzana quidam sacerdos subornatus esset, vt Rege præsente Missam celebraret, Rex vbi accepit hæreticum esse, quamprimum inde eum abscedere iussit; ni faceret extrema interminatus. Rokyzanam vero cum suis vbique & semper contemsit, quamuis ille potestatem tyrannice admodum exerceret. Quumque ille in festo Corporis Christi sacram Eucharistiam per vrbem deferret, Rex illum è fenestra conspicatus nullum reuerentiæ signum præbuit. Percunctantibus amicis; cur nullum honorem sanctissimo Sacramento exhiberet. *Non me latet,* inquit, *diuinissimum Christi corpus dignius esse quam vt satis vmquam à me honorari possit, nec mea reuerentia gloriam eius auget, neque dehonestatio decus imminuit. Verum mihi cauendum est, ne dum Christum honoro, sacrilegum presbyterum Rokyzanam vulgo approbasse videar, quorum plerumque mores à Principis pendent exemplo. Nec illi me Deum contemsisse putabant, cuius sacratissimum corpus in Catholici presbyteri manu me semper summis honoribus prosequentem viderunt.* Aliud eiusdem non minus notabile factum proditur. Nam ex

Hun-

b *Anno* 1448.

tia reuertenti, Rokyzana cum Clero suo obuiam processit, magnam pompam ducens, & habita oratione de fausto ac felici reditu est congratulatus. Rex autem hæreticum & pestiferum hominem toruis oculis inspiciens, nullas ei gratias egit: vbi vero Catholicæ Ecclesiæ Sacerdotes, sacra ferentes, occurrerunt, *Hos*, inquit, *Dei ministros agnosco*. Et ex equo desiliens, consalutatis omnibus, sacram crucem osculatus est. Licet vero quum Ladislai Regis pietate, & exemplo, tum Franciscani cuiusdam Monachi, à Pontifice missi, sermonibus Catholici ritus in Bohemia & Morauia paulatim reflorescere inciperent; vna tamen nec opinata Ladislai mors Anno 1457. X. Calend. Decembr. omnem spem euertit, & susque deque omnia miscuit, Veneno interemtum suspicio fuit: cuius culpæ quidam Rokizanam affinem fuisse dicunt. Defuncto Rege, multis regnum ambientibus tandem Baro quidam Gyrziko de Podiebrat Bohemus, Rokizanæ potissimum & Hussitarum opera Rex electus fuit, frustra Catholicis tam Bohemis quam Morauis & Silesijs sese opponentibus: quos nouus Rex Georgius (hoc enim ei nomen erat) vi & armis imperata facere coegit.

Georgio, Hussitica labe infecto, regnante, Hæresis in Bohemia caput plane extollere ac triumphare cœpit. Tum Praga urbs duos Archiepiscopos, Catholicum unum, Hussitam alterum, non sine tanti monstri detestatione vidit. Rex nihilominus ad Papam Pium II. Legatos misit, qui suo tamquam Christiani Principis nomine obedientiam ei præstarent, ea lege, *ut pacta conventa (quæ Compactata vocant) Bohemorum, & inprimis de utriusque speciei communione, Pontifex approbaret.* Quod, ubi Papa denegavit, oratores re infecta domum reversi sunt. Rex hoc indigne ferens, indixit generalem totius regni conventum, ad quem & à Papa missus fuit Apostolicus Legatus. Quum vero Rex ad Ecclesiæ obedientiam redire nollet, à Pio primum, deinde à Paullo II. quoque illius successore excommunicatus, & Bullæ *in Cœna Domini* insertus est, publice etiam Christianorum cruce signatorum, contra ipsum pronunciata expeditione, & Matthia Hungariæ rege in ipsius locum succedere iusso. Sic duorum istorum, varia fortuna diu inter se belligerantium, contentionibus Bohemiæ regnum misere discissum fuit, & multis calamitatibus vexatum.

Tandem adigente conscientia, Georgius Rex à Saxoniæ Ducibus petijt, ut ipsorum intercessione cum Pontifice reconciliaretur; aut impetraret saltim, si excommunicationis contra ipsum latam sententiam tollere omnino nollet, suspenderet saltim quoad ipse audiretur. Sed quemadmodum Ecclesia neminem è gremio suo excludit, sic in ijs qui eo semel exciderunt recipiendis cunctanter & prudenter agit. Pontifex tamen in hac petitione minime difficilem se præbuit, & de caussa ipsius, ut & pœnitentia, cogniturum se promisit. Sed antequam reverterentur ex urbe Legati, rex Georgius morbo consumptus obijt: post cuius mortem inter Matthiam Hungariæ Regem, & Uladislaum Casimiri Poloniæ regis filium, magna contentione de regno certatum fuit, facta tandem eius divisione, ut Moravia, Silesia & Lusatia Marchiæ cederent, reliquum penes Uladislaum maneret. Hic exitus fuit Georgij, qui ex hæreticis primus & ultimus Bohemiæ rex fuit: quæ tot tantisque malis fessa, sub Uladislao & Ludouico regibus postea Hussitis religionem suam exercendi libertatem & pacem indulsit.

DE PICARDIS ET CALIXTINIS eorumque errore: deque ijs motibus qui Luthero exorto & religionis mutationem aggresso in Bohemia exstiterunt.

Caput V.

ARGUMENTUM.

I. *De Calixtinis, & eorum circa utramque speciem in Eucharistia Sacramento errore, ac argumentis.*
II. *De Picardis, & Lutheri de ijs iudicium.*
III. *Lutherus mutata sententia, Picardos fraternitate dignatur*
IV. *Bohemi Lutheri & Lutheranæ doctrinæ defensionem suscipiunt.*
V. *Ferdinandi leges contra Hussitas & Calixtinos.*

I. Bohemiæ regno vehementer afflicto, tamquam corpori male affecto, qui sequuti sunt reges quiete aliqua potius quam violento remedio opus esse iudicantes, ac simul Hussitarum in-

sanam lenitate quam asperitate facilius sanatum iri sperantes; pacem eis ritusque suos sine ulla interpellatione colendi licentiam concedendam statuerunt. Hi vero tum & postea Calixtini dici cœperunt, quod de Calice in Eucharistia, Laicis quoque porrigendo, tamquam pro aris & focis, pugnarent: quem etiam vel pictum vel sculptum ædium suarum vestibulis præfigere solebant, ut hoc quasi insigni se solos veros Christianos esse ostentarent, qui Cœna Domini ita uti à Christo instituta est, uterentur. Et hic quidem error postea longe lateque fuit disseminatus, & innumeras animas ab Ecclesia separavit. Hoc vero potissimum argumento quum isti, tum qui hodie eandem sequuntur opinionem, uti solent. Numquid, aiunt, Christus in Cœna Apostolis & panem & vinum præbuit? (a) Numquid idem dixit, *Hoc facite in mei commemorationem*? Item *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Et alibi: *Quicunque manducaverit panem & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*.

Sed folium vertite, ô Hussitæ, Lutherani, Anabaptistæ, Zuingliani, Calvinistæ, & quoquot ab Ecclesiæ discessistis unitate, qui omnes etsi in reliquis articulis diversas admodum & inter se repugnantes sequimini sententias, in hoc tamen uno quasi ore conspiratis. Vertite, inquam, folium, & videbitis si totam inspicitis Scripturam, hanc enim solam ducem sequi decrevistis nullum reperietis fixum vestri munimentum erroris, multa vero præsidia Catholicæ assertionis, quicquid enim de Corporis & Sanguinis Dominici controversia desiderare & disputare potestis, id omne ad capita fere quinque revocatur. *Primum* sunt Prophetiæ & Symbola futuri Sacramenti, in agno occiso ab origine mundi unde vestitus est Adam, in arbore Vitæ, in agno Paschali, in manna deserti, in panibus propositionis, in Sacrificijs & victimis Mosaicis, in ipsis panibus, quos Christus præbuit in deserto multis millibus, quæ omnes figuræ ut cæteræ Eucharistiam sub una solum manducabili, & non potabili specie, Sacramentum hoc dandum manifestant. *Secundum* est Promissio ipsa Christi de hoc Sacramento postmodum dando Joannis sexto, quo loco Sacramentum sui Corporis & Sanguinis appellavit cibum & panem manducandum duodecies, & eidem sub talibus nominibus expresso eandem penitus vim vivificandi, resuscitandi attribuit, quam utrique speciei manducabili & potabili non nisi quater coniunctim expressæ, adjungit. clarissimo adversum vos Utraquistas præiudicio, nisi forte, ut quidam vestrum fecisse noscuntur, qui scripturas, unde percellantur, negant, aut uti Calvinus, ajunt; *ineptum esse, ut Christus istic apud Ioannem de Cœna sua ultima sit locutus*, ut pote quæ tunc nondum fuerat instituta, quasi nemo de re futura loqui, eamq; promittere, & ijs quibus promittitur commendare non possit! Ineptus igitur fuit, Calvini iudicio idem Dominus, cum de Baptismo locutus est Nicodemo; de iudicio extremo, de regno cœlorũ, deq; suamet passione, hæc enim nondũ erant cum de eis, qualia futura essent prænuntiabat. Dicerem hic: ô os impurum & maledictum! si quisq;, qui attendit, digniora in se nomina exprimere nõ cogeretur. Sed & oppono Calvino collegas sui erroris Bezam, qui contra Heshusium scribens, uti & Petrus ille pseudo-Martyr fatentur, apud S. Joannẽ de cœna sua ultima Dominũ fuisse locutũ. Omitto per singula sæcula exscribere SS. Patres & Cõcilia quæ Salvatorẽ eo loco de Sacramẽto sui Corporis censuerunt fuisse locutũ, quorũ is sane est numerus, ut iustum Ecclesiæ possint constituere Oecumenicũ concilium. His accedit Paulus vas electionis & Doctor gentium, qui in omni lingua Græca, Latina, Germanica &c. loquitur hodieque ad ipsos ministros *Quicunq; manducaverit, vel biberit*. *Tertium* est, præcepto, de eo, quod sic figuratum promissumq; est post institutionem sumendo, imposita adultis necessitas, quam nullibi clarius tenetis, quam illo, quem Catholici agnoscunt apud Joannẽ loco expressam, ibi lego & audio, quã cara nobis sit vita, quam cara resurrectio, tam appetibile oportere esse nobis illud, quod xii. locis sub una specie & quater solum sub duplici inculcatur. Et sane frustra alibi Sacramenti, ab omnibus adultis sumendi, quæretis præceptum, quod alio loco scripturæ non est cunctis impositum, nam illud verbũ *Bibite ex hoc omnes*, fatue ad absentes extenditur, cum S. Marcus ab his, ad quos id verbum dictum est, ostendat fuisse impletum, dicens, & *biberunt ex eo omnes*, si igitur mi Utraquista te inter hos ultimæ cœnæ convivas accenses, cense pari iure te iam ante 1600 annos de calice testante scriptura bibisse & noli accusare Ecclesiam Catholicam quod tibi præripiat id, quod iam bibisti. Vide quantum argumenti tui subtilitate profeceris, qui te Metempsychosios aut alterius Pythagorici erroris reum sic delirando declarasti. Et ut te domi tuæ nato argumento conveniam, si *omnibus de calice bibendum* est, ita ut autumare

vis

vis, cur infantibus recens natis calicem illum à Domino præceptum non porrigis? cur multos inualidos in agone constitutos, tuorum Ministrorũ synagoga vna specie defraudat? cur abstemijs? cur Virginibus, vini gustum pro probro alicubi habẽtibus solum panem indulget Ministerium? quod tanta necessitate à Domino asseritis præceptũ, vt opinione præcepti, vniuersæ Ecclesiæ concordiam scindatis! De infantibus si mihi consuetudinem Ecclesiæ opponitis, nihil agitis, quoniam his olim vna cum baptismo datum fuisse reperitis. Magnũ illum Martyrem Cyprianum *Lib.* de Lapsis. mo Musculum vestrum in Locis cõmunibus consulite, qui eam consuetudinem multis, *vt piam & Christianam, extollit*, etsi Caluinus & Bullingerus de cæna (*e*) aduersus Symmistam suum id ipsum condemnent, & de eis, qui ea consuetudine aliquando sunt vsi, *turpis erroris & impietatis pronuntiant reatũ*. Quod vero ægros aut abstemios, verecundisve aliqua specie se defraudantes toleratis, in hoc manifestos vos præuaricatores constitutis, qui quod docetis, non curatis, & propter arbitrium vestrum vel quoduis impedimentum permittitis violaris a vobis assertũ Domini præceptũ. Sed & frustra ab ijs verbis præsidium petitis, quibus Apostolus iubet, *vt homo semetipsum probet*, quasi illis infantes exclusi, adulti censentur adstricti nequaquam. Probatio enim quam Divus Paullus hoc loco requirit, ad animam spectat, vera Confessione & pœnitentia purgandam, & à peccatis lauandam: quod in infantes non cadit; quos etiam hanc ob caussam à communione non excludere potestis cum se probare nequaquam possint. Denique iam millies responsum est, Saluatorem ad corpus suum sub panis & vini speciebus consecraturum, *non alios quam Apostolos in cœna sua aduocasse*. Quamuis enim tunc etiam septuaginta duos haberet discipulos, etiam Mariam Virginem, Magdalenam, Martham & cõplures alias feminas, quæ sequebantur ipsum; *neminem tamen ad hunc actum præter Apostolos, vocauit*. Quin Lutherus asseuerat, (*d*) S Virginem numquã Eucharistiæ communione vsam. Et apud nos in Santonibus minister quidam à Nobili viro rogatus, vbi tum Beata Virgo fuerit: *Ecsubi*, inquit nasum suspendens, *illa fuerit, quam ad colum, fila ducens?* O iocum, non risu, sed vltricibus flamis dignum! & tamen vel sic Catholicis seruientem, instar confessionis ab aduersario concessæ, quod *Omnes* dictum Christi debibendo non astringat. (*f*) vti S. Cyprianus & alij SS. Patres vniformi consensu cum Paulo Apostolo exponunt eum locum. Quis igitur ex dilectu illo non videt, Saluatorem hîc non omnes absolutè alloqui fideles? (alioquin enim omnes eos aduocasset). *Quartum* est Sacramenti Institutio, quæ multa in se complectitur, nimirum Materiæ constitutionem, eiusdem vt valide alij eandem ministrare possint cum potestate Extraditionem, Formam consecrationis, & eiusdem ab alijs valide vsurpandæ legitimam, cõmissionem, Denique consecratorum Absumptionẽ, de quibus ordine & breuissime nunc vobiscum confero. Et quidem quod attinet ad Materiæ pro Sacramento Dominici corporis electionem, cum ipsum manducari vellet ad nostræ infirmitatis sustentandæ subsidium, pijssimus Saluator congruentissime Panem omnibus adultis, quibus parabatur, appetibilem, & Vinum plerisque mortalium non inuisum elegit, quã electionem suam in manus suas sanctas eadem assumendo declarauit, ac mox præsentibus omnibus Apostolis suis electis in manus porrigendo potestatiue extradidit & illi tangendo potestatiue receperunt, vinum quidem in calice, panem vero vel immediate, vel, quod decorum est, in patena, vel orbe iacentem (neque enim rusticis moribꝰ mihi fas est imaginari Dominum meum honestatis omnis conditorem) Seruat fidelissime hæc omnia hodiedum Romana seu Catholica Ecclesia, quæ nullum vnquam censuit valide ordinatum, neque ordinat vnquam Dei pro Sacramento hoc ministrum, nisi panem in patena, & vinum in calice extradat ordinandæ personæ: & ea tangendo potestatiue se acceptare testetur, cũ igitur nihil horum, quæ in scriptura tam diserte asseruntur, à vobis in Ministrorum vestrorum ordinatione seruetur, manifeste non solum præuaricatores vos confitemini scripturæ, & Dominici instituti) sed &, vt nihil à vestris ministris Sacramenti efficiatur, impie causatis, quia plebem Sacramenti, quod nullum efficitis, nominibus in eis ludificatis, & tam plebs communicata inanis Sacramenti de vestra mensa recedit, quam inanis potestatis omnis ad id conficiendum Minister vester accesit. Omitto alia vobis obgerere quæ vestri Ministri, in calice peccant, qui & cochlearibus, & salinis, & scutellis & nescio quibus non rebus, ministrando sunt vsi; omitto ipsam materiam non raro peruersam ab ijsdem fuisse, cum suc-

succũ è pomis & piris & alijs expressum pro genimine vitis à Domino assumpti, plebẽ ludificarunt.

Jam vero quod ad consecrationes, seu benedictionis formam cæremoniasque eius attinet, hic plane vos Utraquistas, Romana detriumphat Ecclesia, etiam solius scripturæ indicio manifesto: nam Christus Dominus & Magister noster in luminaribus ardentibus ad mensam suam panem & vinum tractavit, erat enim nox. 1. Cor. 2 *acceptopane gratias egit.* Lucæ 22 & *elevatis in cœlum oculis ad ad Deum Patrem suum Omnipotentem eique gratias agens benedixit*, ut Sanctus Petrus in Missæ suæ Canone perscripsit: Sive ut verbo brevi idem exponit Matthæus *benedixit. 3 fregit* ut Luc. Matthæus & Petrus consentiẽter affirmãt, sive ut Marc. *benedicens fregit. 4. dedit discipulis suis*, uti Matth. Marc. Luc. Paul. & Pet. consone testantur. *dicens: Accipite & commedite seu manducate*, uti Matthæus Paulus & Petrus, sive ut Marcus verbo absolvit *Sumite*. 5 formam mutandi panis præscripsit hanc *Hoc est Corpus meum* ut Matthæus Marcus Lucas Paulus & Petrus testantur, nisi quod Sanctus Petrus particulam *enim* amplius à cæteris omissam expressit. 6. intentionem quam in dando hoc Sacramento haberet, & vellet agnosci, nempe *Sacrificij æterni*; æterni quidem dum per Sanctũ Paulum ait, *Donec veniat, mortem Domini annuntiandam esse.* Sacrificij vero, in eo dum per Sanctum Paulum ait: *Quod pro vobis tradetur* & per Sanctum Lucam, *quod pro vobis datur*; nisi forte tam sitis rudes, ut quid inter *Vobis* & *pro vobis dari* interfit non capiatis, quo casu vobis Grammatica magis opus erit, quã scriptura. 7. Denique ut formæ eiusdem & ceremoniarum, quæ Dominus in Sacramento efficiendo usurpaverat, potestas ad Apostolos intelligeretur valide trãsferri, adiecit testante Luca & Paulo: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Observat hæc cuncta & exacte Sancta Romana Ecclesia, à temporibus Apostolorum sibi continuè tradita, nam nunquam Sacramentum hoc sine luminaribus in Mensa Dominica conficit, ut nostis, qui hunc ritum, tanquam in cæcutientibus blasphematis. Deinde cum multa gratiarum actione idem Sacramentum celebrat, dum & horas Canonicas è psalmis alijsq; scripturis pulcherrime cõpositas, recitat, & alios ad præparationẽ Missæ Sacerdotib⁹ præscribit, & ab introitu Missæ, usq; Oblationẽ, seu Acceptionẽ panis & vini multis modis & cæremonijs benedicit & frangit, & formam panis in Christi corpus mutandi plane vt Christus pronuntiat; & intentionem Domini, pro vivis & defunctis offerendo, conseruat, & in ordinationibus Ministrorum diuinorum, potestatem vtendi ea formâ tradit, adeoque iubet, vt cum Episcopo ordinante tam Canonem Missæ, quam formã consecrandi, recens Ordinati pronuntient, quorũ omnium, nisi forte fractionem mechanicam panis, vos vtraquistæ nihil (si paucos Husitas demamus) tenetis; quanquam sæpius pro fractione panis cõstet apud vos fieri scissionem, non fractionem congruenter sane genio vestro schismatico, vt qui scissuris nati scissuræ, seu schismatis amorẽ hæreditatis. Postremò, à Christo Domino consecratorum absumptio plane eodem modo in Catholica Romanâue Ecclesia geritur, vti ab ipso nomine gesta fuisse perhibetur. Ille consecratam speciem panis fracti suis porrexit; Sacerdos apud Catholicos legitime ordinatus communicandis sibi creditis porrigit. Ille post speciem panis comestam calicẽ non consecratam suis obtulit, vt diserte S. Marcus asserit, dicens: *& accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes.* Nempe illi quibus S. Matthæus narrat dictum esse: *Bibite ex hoc omnes*: Hanc vero calicem, ex quo sic omnes iussi bibere, biberunt, fuisse non consecratum, idem Marcus declarat, dum post verbum *biberunt ex illo omnes*, docet Dominum dixisse: *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.* Patet igitur etiam ex vestris adeo iactatis bibliis Apostolos ante consecrationem calicis nudum vinum bibisse, quod de consecrato nunquam æquè potenter ostendentis, vti vobis Catholici de non consecrato remonstrant. Neque volo vt mihi ogganniatis ex Catholicis Doctoribus qui fortasse concedunt Apostolos consecratum bibisse. Nolo hos ex ore vestro audire, quibus ipsimet credere non vultis, modo ex scriptura sola vobiscum, vt elegistis, contendo, & nos vinco, pro Catholicis: si cum Catholico mihi res erit; scio quomodo cum eo possim dissentiendo in vno capite sententiam dicente conuenire. Quod vero Apostolos tunc sacerdotes instituit, tradita eis sacrificandi potestate, vsus ad eos his verbis, *Hoc facite*, patet, quod nõ solum apud profanos scriptores, sed in Sacris (c) quoq; litteris *sacrificare* significat. Quod si verba hæc ad omnes pertinerent fideles, omnes fideles consecrandi haberent potestatem, quod nec ipsi Ministri omnibus concessum volunt. dubitat de

hoc

c *Leui.* 193. *Reg.* 18 *Ose.* 2. *Leui.* 9. *Num.* 6.

Hoc mi Lector? Attende prænin quæso & vide An ij qui sub vtraque specie laicis Eucharistiam dandam censent, penes omnes consecrandi eam aut administrandi potestatem esse velint? Contrarium certe ipsa testatur experientia, quum vt apud hæreticos soli Ministri, sic apud nos soli sacerdotes hanc sibi potestatem vindicent: & quidē hi quum sacrificatores sint, Saluatoris nostri exemplo panem & vinum consecrant, secundum ordinē Melchisedech, qui verus typus fuit Iesu Christi, *vt qui in sacrificio suo panē & vinū obtulerit* (f). Et hæc illa est figura eiusq; adimpletio, qua magni ille nominis Iudæorum Doctor, Rabi Samuel motus, Christianam religionem amplexus est. (g) Hinc etiam apud nos soli sacerdotes, tamquam sacrificatores, sub vtraque specie Saluatoris nostri exemplo in Ecclesia communionem sumunt; cum nempe Missam celebrant, alias nequaquam nequidem feria sexta sanctæ hebdomadæ, qua vti nulla fit consecratio, ita quoque nulla percipitur sub vtraque specie communio. Quod quidem obseruatur quam late patet Christiana religio, etiā apud Græcos, per totum Quadragesimæ tempus. In horum enim Ecclesijs sacerdos numquam nisi solo pane communicat, exceptis feria septima & prima seu Dominica: ceteris enim diebus non consecrat: Dominicis vero panem cælestem seu hostias, quibus ad sequentis septimanæ dies festos opus est, præparat. Quemadmodum vero Christus Apostolos docuit, quomodo in sacrificio illo corpus ipsius consecrare debeant; sic etiam reliquis discipulis ostendit, quomodo id sub vna specie in communione debeant sumere. Numquid enim nō Emaunte à discipulis in fractione panis agnitus fuit? *Factum est* inquit, S. Lucas, *dum recumberet cum eis: accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Tum quidem Christum, iam secundo corpus suum consecrasse, Catholici Theologi sentiunt. S. Chrysostomus certe (h) & S. Augustinus (i) inquiunt, *Discipulis oculos fuisse clausos, ne Saluatorem possent agnoscere, donec panem ille consecrarit.* Non ergo dubitandum esse quin hoc illud ipsum sit Sacramentum, in quo agnoscendum se nobis Saluator exhibeat. Sed quid opus est alijs argumentis, quum omnium S. Ecclesiæ Doctorum & Patrum constans hæc sit sententia (k) Neque sane in tot tam publicis quam priuatis conuentibus seu conuiuijs, quibus Saluator noster interfuit, pluries quam ter hac consecrandi ceremonia vsus fuisse legitur: ex quo facile intelligi potest, non vulgarem illam aut vsitatam fuisse benedictionem. Et de communione sub panis tantum specie intelligi potest imo debet illud quod Lucas de discipulis dicit (l) *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis, & orationibus*; quod & postea in eodem capite latius explicat. Et capite vigesimo quando dicit. Paullum & fideles circa mediam noctem conuenisse ad frangendum panem, absurdum sane fuerit de cibo vulgari & vsitato hoc intelligere: & duo Noui illi Apostoli Lutherus & Caluinus idem de sua cæna explicant. (m).

Quoniam vero huc nostra delapsa est oratio; age controuersiam hanc, ob quam non ignoro complures in hæresi, quo minus ad Catholicam redeant Ecclesiam, detineri, ea ipsa Minerua paucis explicemus. Ac primo, quæro ex vobis, Hussitæ, & quicumque vtriusque speciei communionem Laicis necessariam esse dicitis; Primi illi Christiani, qui per Mundum obambulantes, vnà cum viatico panem consecratum secum circumferebant, vt eo vel ad martyrium alacrius subeundum animarentur, vel ad animi solatium vterentur, anne corpus Domini nostri acceperint? Non, opinor, negabitis, quum historia de sancti Ambrosij fratre, sanctam Eucharistiam secum portante, vobis nota sit; vt & illa, quam S. Basilius recitat de duobus eremi cultoribus, qui sacerdotibus destituti, Sacramentum hoc secum assidue gestarunt, & ex suis ipsorum acceperunt manibus, vt innumera martyrum Acta idem contestantia de solo pane omittam. An hos vnum quoque consecratum secum gestasse dicetis? At fieri id non potuit; & ad contrariam partē demonstrandam argumenta nobis suppetunt. Quapropter fateaminie necesse est, aut communionem sub vtraque specie non esse necessariā; aut primos illos Christianos de corpore & sanguine Christi non comunicasse, cum eo tempore primis illis Christianis panis Eucharisticus in manus dari soleret quē illi ita consecratū domum secum asportabant, vt ex Cypriani scriptis aliorumq; plurium (r) patet. An vos idē de vino illis dato vllibi scriptū aut pictum legistis vel vidistis? Nec sane citra multa incomoda hoc fieri poterat. Panē Eucharisticū ad ægrotorū vsum re-

f *Cyprian.* g *Cabasil. l. p. Liturg. sap* 214. h *Chrys. hom.* 17. *op. imp.* i *S. August. l. 3. de conf. Euan c.* 2. k *Theoph. 9. in Luc. ep* 59. l *Act. Apost. cap.* 2. m *Luth. serm. de Eucha. Calu 4. Inc. 17. n.* n *Ep. ad Cæs patr.* r *Tert. ad uxorē de lapsi. Epist. 5.*

seruatum legimus: de vino nulla est mentio. Non timeo concedere quod in primitiua Ecclesia, secundum temporum & aliarum circumstantiarum diuersitatē, tam vnum quam alterum in vsu fuerit. S. Thomas, (u) qui non multo post Lateranense vixit Concilium, in quo quæstio hæc ventilata fuit, *sub vtraque*, inquit, *specie communicare omnibus licitum, sed non necessarium esse.* Ob Manichæorum vero errorem, qui *vinum exsecrabantur, seu esse tenebrarum Principis, dictitantes.* Ecclesia communionem sub vtraque specie instituisse ab aliquibus creditur (x) vt illo præcepto nefarij homines Catholicis sese immiscentes detegerentur: quos acerrimus ille hæreticomastix Augustinus nullibi tamen eo nomine reprehendit, quod sub vna tantum specie communicarint, qua tamen reprehensione non caruissent, si tempore S. Augustini Communio sub vtraque specie necessaria vel vsitata, vel præcepta à Domino fuisset. At si eidem Ecclesiæ ordinanti utramque tunc, modo aliter visum fuerit, aliud quoque statuere ei licebit; quemadmodum nunc communionem vtriusque speciei non necessariam esse declarauit, ob multa incommoda quæ inde possent existere. Ac primum, ne vinum consecratum in tanta communicantium multitudine effundatur. Deinde quod nonnulli ne odorem quidem, nedum gustum vini, præsertim meraci, quali Caluinistæ in suis Cœnis vtuntur, ferre possunt Vt enim mero-bibis vino nihil dulcius; sic abstemijs nihil magis aduersum est, & noxium. Tum etiam quod periculosum sit post eos bibere qui morbo aliquo contagioso sunt affecti. Nam & ipse noui in nouella quadam Ecclesia accidisse, vt complures ex tali haustu Veneriæ luis labem conceperint: sic vt quod Vnionis Sacramentum esse debet, hoc modo diuisionis & inimicitiæ Sacramentum facile fieri valeret An vero, ô Calixtini & Lutherani & Caluinistæ, numquam idem apud vos accidit? Annon Cœnis vestris (licet præ Catholicorum multitudine, vix integrum pugillum hominum vestra omnium complectatur religio) sæpe homines assident, qui ab omni vini gustu & odore abhorrentes, pane tantum vescuntur? Audiuimus duorum è Germania Nobilium historiam, quorum vnus aqua, alter pura imaginatione, ex Prædicantium suorum Consilio, pro vino in Eucharistia vsus est, imo non defuerunt, qui pseudo-vinum ex piris ac malis expressum adhibuerint ministri, deficiente eos vino, quod pueri illud sub concione nacti epotassent, præreptum communicaturis. Quin si quando in Gallia contingat abstemios venire ad vnam Caluinisticam, quid facit tum Minister? Nimirum nihil aliud, quam quod communicantem protestari iubet, id non ex Papistica aliqua superstitione, sed naturæ suæ imbecillitate fieri. Nonnulli vero vitrum seu poculum ori quidem admouentes, bibere se simulant, quum tamen retento spiritu, ne guttulam quidem educāt; filiæ præcipue, quibus multis in locis vinum bibere probrosum est. Nescio equidem an ob hanc causam in Palatinatus quadam Synodo deliberatum fuerit, an eæ à communione seu Cœna plane sint arcendæ atque excludendæ (y). Sed & aliam longe grauissimam causam sapiens mater habuit Ecclesia ob quam sub vna specie communionem populo præceperit: quod nempe præsertim in regionibus Septemtrionalibus, & non ita pridem Nouo Orbe repertis, vinum difficilime, aut etiam plane non possit comparari. Acosta in rerum Indicarum historia testatur, vidisse se lagenam vini exiguam trecentis scutaris emtam: &, nos quoque sequentibus libris ostendemus, in quantis difficultatibus Geneuensis Ecclesiæ colonia, in Americam ad disseminandum nouum Euangelium frustra missa, eandem ob causam versata sit. Tanto vero maius ibi periculum futurum sit, si ad cœnam eiusmodi strenui potatores accurrerint. Certe in loco quodam non procul ab hac vrbe Minister quidam non sine stomacho auditoribus suis pro concione publice exprobauit, esse quosdam qui Cœnæ se ingerant, tantum vt vitro vini pleno fauces & pantices suos proluant: non aliter quam in profano symposio. Et alius quidam in Beneharnensi ditione non sine causa graui iracundia exarsit, videns plenis faucibus communicātes sese ingurgitare. Idem non sine horrore Antuerpiæ se vidisse Schlusselburgius testatur (z) In illis quidem regionibus vinum ob summam eius inopiam, ad sacerdotum tantum vsum in Eucharistia diligenter asseruatur. Quid de magnis prochijs dicemus? qualis est Lutetiæ S. Eustachij, in qua circiter triginta aut quadraginta sunt millia communicantium: numquid totis cadis vinum ad altare aggerere necesse sit? Etsi enim in nostris Ecclesijs vel vinum vel aqua plerisque offeratur, vix tamen quisquam oblatum sumit. Vnde vero in Iaponia & alijs

u 1 *p. q. 8. ar. 2.* x *S. Leo ser. 4. de Quadrag.* y *Reseius in Atheis. de Trinit.* z *Lib. 3. Theol Calu.*

alijs Noui Orbis regionibus, vbi Vitis ignota est tanta vini copia peti possit? Multa sane Græcis hic communicandi mos incommoda multasque confusiones peperit, quamuis exiguam tantum guttam, tantam quantam extremus cultri mucro sustinere possit, communicantibus cochleari præbeant. Eadem fere ac maiora incommoda Hussitæ in Bohemia experti sunt, vt qui non pitissant, sed Germanorum more liberaliores haustus amant. Cum enim ex Iacobelli Consilio, prima cœna vino celebraretur, & quadraginta vel quinquaginta circiter personarum millibus distribueretur; quam tu aliam putas templi illius, quam popinæ cuiusdam madidæ faciem fuisse? Hæc vero incommoda circa panem euenire non possunt: qui & vbique obuius est & parabilis, & sine periculo & distribui & diu asseruari potest. Sed quid tu? dicat aliquis. An Theologi potius quam Historici personam agis? Ad oleas ergo redeo; sperans huic meæ euagationi eos facile veniam daturos, qui norunt quam altas error hic in multorum animis tadices egerit, adeo vt hanc vnam ob caussam cum Catholica Ecclesia in gratiam redire cunctentur; quem quidem nos sancto veræ religionis zelo inflammati, & delibare & refutare pro virili conati sutuus.

II. Calixtinis errorem suum pertinaciter defendentibus, post multa & cruenta bella, tandem liberum permissum fuit religionis exercitium, in nullo à Catholico differentis, quam quoad Calicis, & Euangelij vulgari lingua in Missa recitandi vsum. Eos nihilominus Ecclesia hæreseos condemnauit. Vt enim qui è naui in mare excidit, quāuis aqua nō valde profunda sit, nō minus madefit, quam qui in profundum prolabitur gurgitem: sic non minus Hussita, in vno solo articulo, ab Ecclesia dissentiens, interitum sibi accersit, quam Lutheranus in pluribus Ecclesiæ contradicens. Porro Taboritis ad internecionem fere deletis, noua secta antea incognita successit, *Picardorum* dicta, à Picardo quodam Gallo, qui *è dissuta Valdensium veterum in Francia hæreticorum tunica centones quosdam in Bohemiam asportauit*. Hi contra Hussitarum morem, præter Biblica scripta nihil recipiunt, sacerdotes & Episcopos, vt olim Apostoli Marthiam, forte legunt, hoc modo (*a*). Nouem è suis eligunt, quorum nomina in scedulis inscribunt: tres vero, quorum nominibus vox Est adscripta reperitur, ad munus designantur, qui modus etiam hodie ab eis vsurpatur. nulla apud eos cœlibatus lex est, aut professio; quamuis plerique si Theologiæ Moscouiticæ auctori credimus, (*b*) primum castitatis votum seruent. Mortuis nullas faciunt exsequias: dies festos & ceremonias habent per paucas. Hi à Bohemiæ regibus Morauia electi, in VValachiam commigrarunt: in Francia vero nostra alicubi adhuc VValdensium exstant reliquiæ, à quibus illi ortum duxerunt. Quam primum vero fama de Lutheri conatibus in mutanda religione percrebuit, Hussitæ magnam in spem erecti sunt, hunc diuinitus esse missum qui res ipsorum tum vehementer afflictas, restauraret. Lutherus econtra, indignabundus quod pro Hussita haberetur, protestatus est, (*c*) *se cum ipsis nullo modo sentire, neque vmquam sensurum, vt qui sua ipsorum auctoritate schisma fecerint, & ab Ecclesia recesserint obedientia.* Idem de Picardis quoque iudicium pronunciauit; de quorum auctore sic loquitur. *An credendum est*, inquit, *hæretico? qui ante quinquaginta annos demum adueniens, tot sæculorum fidem & doctrinam falsam esse dicit: nec vlla affert argumenta & probationes, quam suum illud, Non credo*, Et alibi, *nullum vmquam, infelices illos hæreticos Picardos rebus suis auxilium à se sperare iubet*: quos & nominat *diuini nominis blasphematores, & Christi proditores*. Rursus alio loco intelligere se ait, *tria esse sectariorum in Bohemia genera, inter quos etiam sint Picardi, quorum de Eucharistia sententiam scripta quæ viderit, facile prodant, vt qui veram corporis & sanguinis Iesu Christi in Eucharistia præsentiam minime credant: eoque à se pro hæreticis haberi.*

III. Posteaquam vero Lutherus ab aduersarijs vndique se obsessum & ijs difficultatibus de quibus numquam cogitarat, circumuentum vidit, vt (credo) tutus ipsi in Bohemia (quam proscriptus parum abfuit q in statim petierit) esset receptus, infamem palinodiam canere non dubitauit (*d*). *Felicem Bohemiam appellans, quæ à Romana Ecclesia secesserit, & de medio Babylonis egressa, numquam eò sit reuersura. Hussitas quidem à se hæreticos appellatos, sed eo tempore quo Papæ nonnulla concedenda esse adhuc existimarit. Iam vero aliter erga ipsos esse animatum. Nomen ipsorum sibi tum odiosum fuisse, quum Papam Antichristum esse nondum cognouisset. At iam accenso diuinitus in Mundo Euangelij lumine, longe aliter de ipsis iudicare.* In Epistola vero ad Bohemos

a *Sleid. lib. 3.* b *fol. 96.* c *Tom. 1. decla. doc. prac. pag 22. & Tom. 1. Ien. pag. 21 & in Disput. Lipsien. si.* d

Bohemos scripta, eos hortatur, *vt cœnam Domini retineant integram, vt Hussij Pragensis memoriam seruent inuiolatam: sed licet tota Bohemia deficiat, se tamen Hussio doctrinam esse celebraturum ad omnem posteritatem. Et quamuis non omnia sint apud ipsis recte constituta, non tamen defuturum esse Deum, qui suo tempore fidelem aliquem ministrum & religionis emendatorem sit ipsis excitaturus, modo constanter agant, & Pontificatus Romani turpitudinem ac impietatem longissime ab se repudient.* Vides, opinor, quam astute cum Bohemis Lutherus egerit, quos vt in nassam suam illiceret, libellos suos in Bohemicam linguam versos Pragæ magno numero disseminauit, & Bohemorum pseudoapostoli Constantiæ exusti prophetiam amplexus. *Ego*, inquit, (e) *Doctor Martinus Lutherus, indignus Domini nostri Iesu Christi Euangelista, dico, S. Ioannem Hussium de me loquutum esse, quando dixit: Vos iam assabitis anserem, sed post centum annos Cygnus veniet, quem non assabitis.* Quid multis? Tanta fuit Lutheri vix exorti per Bohemiam à Scholaribus ab ipso submissis concitata exspectatio, vt velut in alterum illum magnum Prophetam, ab ipsorum Ioanne tamquam præcursore præmonstratum, omnium animi essent intenti. Hic status Bohemiæ erat suam ordiente hæresin Luthero.

IV. Rebus in Bohemia pacatis permanentibus tunc quidem graues in Hungaria turbæ excitatæ sunt, rege eius Ludouico, filio Vladislai Regis Anno M.D.XXVI IV. Cal. Sept. sine prole mortuo & magna parte Nobilitatis à Turcis in prælio occisa: Bohemi tunc vicinorum clade sapientiores facti, turbis abstinuerunt. Quum vero Smalcaldicum fedus cuderetur, de eo amplectendo nonnulli Consilia inierunt: quæ tamen Ferdinandus rex prudentissimus, qui Ludouico successerat, mox disturbauit, adductis ex Hungaria & Silesia in Bohemiam copijs, & in ipso quoque regno conscripto exercitu, quo contra Protestantes vteretur; ægre admodum id ferentibus Bohemis, eo quod cũ Saxonica domo sibi intercederet, fedus violari caussantibus; sed reuera religionis tantum caussam spectantibus, cuius caussa obedientiam, quam regi suo debebant, abijcere non verebantur. Nam etsi Hussitarum & Calixtinorum religio à Catholica quam à Lutherana propius absit; hactenus tamen amicitiam cum Protestantibus colere & Consilia clam communicare numquam destiterunt. Et mos est omnibus qui ab vnitate Ecclesiæ semel exciderunt, vt, quamuis in diuersas distracti sint factiones, ijs contra Ecclesiam sese adiungant, quos sciunt eodem ab ea iudicio & decreto esse damnatos. Quia vero de patriæ agi libertate plerisque persuaserant, etiam è Catholicis quosdam ad fœdus suum pertraxerunt, constituto eius duce Gaspare Pflugio, qui Mauritio Saxoniam oppugnanti, sese opponeret. Captis dein Saxone & Landgrauio, ac bello Smalcaldico finito (vt præcedenti libro diximus) Ferdinandus Rex proceres aliquot Bohemiæ Pragam ad se euocauit, tamquam læsæ Maiestatis reos: qui multorum precibus & intercessione impetrata venia, his conditionibus in gratiam recepti sunt; vt ab omni fœdere discederent, vt priuilegia & documenta omnia, vt & tormentarium apparatum & arma, itemque quos rex vellet, captiuos traderent. Ex nobilitate quidam citati, quum ad diem non adfuissent, lata sententia, famam, fortunas omnes atque vitam commisisse pronunciati sunt: Gaspar vero Pflugius læsæ Maiestatis damnatus, & in eius caput aureorum millia quinque præmium constitutum fuit.

V. Bohemis ad officium reductis, Ferdinandus Rex edicto promulgato mandarat, ne quid in Sacramento Eucharistiæ administrando mutaretur, sed vetus Ecclesiæ forma obseruaretur. Eo perterrefacti Picardi, cum Pastoribus suis in Poloniam abierunt. Horum vero vnus Rohita nomine, in Moscouiam concessit, ibique cum Græcæ Religionis sacerdote, præsente & audiente Magno Duce Basilide, disputatione habita, mox inde tamquam hæreticus fuit expulsus. Colloquium hoc siue disputatio adhuc exstat, Spiræ impressa, non dubiam Picardo victoriam assignans: cuius Apologiam postea edidit Lasitius Lutheranus. Sic nempe homines ceteroqui animis & opinionibus valde diuncti, quamprimum ab alijs aliquem suorum hostiũ impugnari animaduertunt, Consilia & vires coniungunt. Sacerdotes quoque maritos Rex Ferdinandus regno excedere iussit: quorum magna pars vt & aliorum, vxores & familiam secum ducentes in Saxoniam & vicinas regiones profugerunt. Eos & Melanchthon scripto consolatus est, & Lutherani passim tamquam fratres receperunt. Quamuis autem optimates & ciuitates Bohemiæ Ferdinandum assiduis precibus sollicitarent, vt Edictum illud de religione mitigare vellet Anno 1554. nihil tamen aliud responsi tulerunt, quam velle se vt Edictis suis obtemperetur,

Sicut

e *Glos. in Edict. Imp.*

Sicut vero recentium vulnerum cura facilis, at eorum quæ iam coijsse & cicatricem quodammodo obduxisse videntur, difficillima est: eo quod plerumque talibus malignum aliquod vlcus adnascatur; sic Ferdinandus quantumuis omnia egerit, prauas tamen illas opiniones à maioribus acceptas, ex Hussitarum & Calixtinorum animis eripere non potuit. Qui vt testatum facerent, se ab Vniuersali Ecclesia defecisse, in ædium vestibulis, vel fenestris, iuxta insignia, itemque in templorum porticibus, Calicem pictum aut sculptum, vt supra diximus, ostentant: quasi ipsi veri essent Christiani, etiam sanguine Christi participantes, quo Catholicos priuatos esse aiunt. In Biblijs ipsorum verba hæc, *Bibite ex hoc omnes*, aureis litteris plerũque scripta cernuntur. Qui post Ferdinandum Bohemiæ & vicinis regionibus imperarunt, inprimis Rudolphus II. Edicto prohibuerunt, ne in tota cumprimis Silesia, vlla alia religio quam vel Catholica vel Lutherana admitteretur: sic vt Sacramentarij non minus quam Arriani aut alij hæretici, inde excluſi sint. Lutheranorum quidem magnus est ibi numerus cum Catholicis nihilominus pacifice viuunt. Vratislauiensis certe Episcopus vnus fere Catholicam ibi magno animo religionem tuetur, non solum pro grege suo diligenter excubans, sed etiam lupos vltro aggrediens & fugans: cui Abbates tres cumprimis vtilem & fidelem operam præstant, Glogouiensis, Grisensis, & Aurienſis. Vidimus Bohomiæ statum, iam porro miserabilem Hungariam & adiacentes regiones perlustremus.

QVOMODO POST LVDOVICI mortem regno Hungariæ in factiones scisso, religionis status quoque conuulsus, & florentissimum regnum ad interitum pæne redactum sit.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

I. *Hussitarum in Hungariam irrumpendi conatus.*
II. *Infelix Hungarorum dissidium & bellum intestinum.*
II. *De primis in Hungaria Lutheranis.*
IV. *Eorum conatus, & Catholicorum oscitantia.*
V. *Persequutio contra Catholicos*
VI. *Caluinista in Hungariam irrepunt.*
VII. *Diuersæ res in Hungaria gestæ.*
VIII. *Quinam ex Hungariæ proceribus Catholici manserint.*
IX. *Hæreticorum studium ad seducendum.*
X. *Miraculum Eucharisticum Anno 1591.*
XI. *Dalmatia, Croatia, Bosnia Catholica seruata est.*

I. SEPTINGENTI & amplius effluxerunt anni, ex quo post susceptam semel Christi religionem, Hungaria ab omni Hæreseos assultu immunis perstitit. At triginta septem ante Lutherum exortum annis Anno 1480 Hussitici quidam Prædicantes, regnante Matthia Huniade, eò immigrarunt; sed vado tantum tentato, quum transitum nimis difficilem reperissent, quiescendum sibi statuerunt. Ex ijs quidam nimis longe progressi, torrentis vi abrepti, in ipso conatu perierunt. Impetrata enim audientia, quum petijssent à rege vt liberum suæ religionis exercitium permitteret ipsis vellet, Rex non minus prudentiæ quam fortitudinis laude insignis, interrogauit eos, quænam illa esset religio quam adferrent, & cuius professionem atque exercitium concedi sibi peterent. Dicentibus illam esse, quã Deus sanctissimis hominibus Ioanni Husio & Hieronymo Pragensi reuelarit, *Ergo*, inquit Rex, *noua est illa religio, quam vos in regno meo disseminare cupitis, & contraria illi quæ in hoc regno semper viguit, ab eo tempore quo Christiana fides Stephano regi primum annunciata fuit: vt etiam illa quam Catholica Ecclesia per totum terrarum orbem amplectitur? Atqui ferre ego nec possum nec debeo, vt populum seducatis. Nec mora. iubet nouos istos Euangelistas è Buda vrbe statim, sine longiori disquisitione educi, & viuos vnà cum libris suis, in terram defodi.* Supplicij huius acerbitas fecit, vt id genus hominum facile posthac ab eiusmodi conatibus abstinuerit, vtpote nullo Dei Spiritu sed humano instructum, cum quo non facile tormenta vincuntur. Sane quoad vixit hic Rex, Catholicæ religioni inprimis deditus, non vulgari felicitate floruit Hungariæ regnum: quæ illo ipso tempore quo Lutherus infelici schismati portam aperuit, & Munceri furor Germaniam peruasit An. 1525. quasi momento euersa fuit, Ludouico rege in prœlio contra Solimanum cum magna Nobilitatis parte occiso. A. 1526. IV. Kal. Sept. Mei quidem instituti non est,

regni huius, quod opibus & potentia paucis olim cessit, at funestis Ferdinandi & Ioannis Transyluaniæ VVaiuodæ, eiusque filij Stephani contentionibus ad extremas miserias redactum est, statum pluribus explicare; sed propositi mihi operis lineamenta sequutus, ea tantum modo exponam ex quibus intelligi possit, quomodo Hæresis in regnum hoc subingressa, recepta & aucta sit, & quantas turbas, eisque annexam longam etiamnum durantium malorum vliadem inuexerit, sub quibus illa mirum est in quantum excreuerit robur. Neque enim Hæresis ea loca amat, vbi pax est & quies; sed vt anguillæ luto, & scarabæi fimo, sic ipsa bellis & seditionibus se inuoluit & tegit. Numquam illa iter ingreditur, nisi præmissis discordia & rebellione tamquam hospitij designatoribus. Sed age, totam hanc telam continuo & historico filo pertexamus.

II. Ludouico Hungariæ rege miserabiliter exstincto ad Mohacium, Ioannes Sepusius Transyluaniæ Princeps ab optimatibus quibusdam & suæ factionis hominibus Rex fuit electus: sed Ferdinandus regnum hæreditario iure (vtpote ex Anna Sorore Ludouici vltimi Hungariæ è sclauica gente Regis natus) sibi deberi contendebat. Et ille quidem quum suis viribus defendere se non posset, in Turcarum Imperatoris fidem & tutelam, cum maximo Christianæ Reipublicæ damno, & extrema regni pernicie, se se dedit; hic vero Hussitarum & Lutheranorum opera ad bellum hoc vsus, nihil aliud quam victoriam & regni acquisitionem spectans, nouæ religioni aditum aperuit. Nulla tamen insignis mutatio accidit, vsque ad annum circiter M. D. XL. quo Lazarus Suendius cum Germanis militibus a Ferdinando conductus, Agriam, Solnocum, Toccaium, & complura alia oppida, adeoque omnem fere regionem Tibisco fluuio adiacentem Transyluano eripuit; & expulsis passim Catholicis Pastoribus, Lutheranos substituit. Sic ergo coacti Catholici, sub Turcis perfugium sibi quæsiuerunt, a quibus & recepti sunt, permissa religionis & fidei libertate: quam etiamnum Catholici præ ceteris qui sub Turcarum vi vunt imperio, retinent: non quod Turcæ nõ confiteãtur, nouas illas religiones maiorem cum Mahumetismo suo habere similitudinem (quam vno sequentium capitum summatim ostendam (sed quod omnis nouitatis hostes, eam potissimum religionem tolerandam sibi statuant, quæ iam olim in Imperatoris sui ditione fuit admissa. Eam vero potissimum ob caussam Turcæ hæreticos oderunt quod quum omnes religiones in toto Mundo, etiam Mahumetana, corporis castigationes, vitæ austeritatem & ciborum abstinentiam pro articulis fere religionis & sanctæ animæ testimonijs habeant, illi tamen ieiunio, precibus & pœnitentiæ parum admodum tribuant. Atque hanc ob caussam Turcæ nouos istos Christianos, *Chiaupech*, id est, Canes appellare solent.

III. Primus qui Hungariam Lutherana infecit hæresi, Michael Statius fuit, Melanchthonis discipulus. Hic cum suæ farinæ hominibus latibula primum sibi quæ fuerunt in ijs montibus qui Poloniam, Moraviam & Russiam ab Hungaria separãt, vt & in oppido Cassouia & alijs eorum locorum; ijsdem vsi artibus quibus alij, qui in reliquis Christiani orbis prouincijs hæreses dissemiarunt. Postquam enim dulcibus suis & magnam pietatis speciem habentibus verbis, vt quibus nihil in ore frequentius quam Christi Domini & Diuini Verbi nomen, plerosque illexerunt, id vnice elaborando, vt vnà cum nouis suis dogmatis non minus acerbum Papæ odium eorum animis imprimerẽt, quod contra Turcam illi antea habebant. Ex quo factum est, vt plures, relicta antiqua religione, noua Lutheri & Melanchthonis commenta sequuti scholis suis Magistros è Germania venientes præfecerint, aut liberos suos VVitebergam & Norimbergam miserint. Mox vero & in publicis concionibus, & in scholis & circulis etiam noua doctrina spargi cœpit. Ferdinando nequicquam etiam principijs morbi remedium afferre cupiente: qui inualescens postea, & totum corpus peruadens, tamquam gangræna etiam ad viscera tandem & cor ipsum penetrauit.

IV. Meo iudicio non errant qui corruptionem hanc Episcoporum ignauiæ imputandam putant, qui scholas diœceseõn suarum collapsas & tantum non euersas instaurare nihil pensi habuerũt. Nam & Iauarinum, & Posonium, & Tirnauia vix vmbram aliquam pristinæ celebritatis & frequentiæ retinuerant, econtra hæretici in nouis passim scholis & Academijs constituendis, nullis sumtibus aut laboribus parcebant: qua vna re dici vix potest quantopere res suas promouerint. Adolescentibus quibus ad studia sumtus deerant, ex publico subministrabantur, quin & viritim a locupletioribus contribuebantur. Sic in Cyclopum istorũ scholis nigræ & pestiferæ scientiæ iuuentutis animis instillabantur, vt miseri Hungari, quæ ipsis tradeba-

tur,

tur, doctrinam, tanto tenacius retinerent. Caluinistæ certe postquam Varadinum suæ potestatis fecissent, eandem rationem sequuti, nihil quod ad alliciendos hominum animos pertineret, prætermiserunt. Ex omnibus tamen nihil hæresin magis promouit quam tot Episcoporum, Archimandritarum, & Ecclesiasticorum tam diuturno contra Turcas bello abiumtorum decessus, & eorum qui superstites adhuc erant, inopia, quum auctoritate viribus destitutâ hæreseos impetum cohibere nullo modo possent. Etsi enim adhuc etiam multi in Hungaria Episcopi esse dicantur, ij tamen nomen tantum & dignitatem tanti muneris sustinent, opibus interea Episcopatuum ad vsus militares distributis: adeo vt ipsi etiam non raro pro pedo lanceam, & pro pacis baculo bellicam clauam sumere cogantur. Est enim ibi moris, vt quoties Rex ipse ad bellum proficiscitur, Episcopi cum suis eum copijs comitentur. Vnde fit vt totus pene ordo Ecclesiasticus militum aliquis potius manipulus, castris quam Ecclesiæ propugnandæ magis idoneus videri possit. Magistratuum olim apud Romanos ratitatem pro sinistro nomine seu augurio quidam interpretati sunt: at nos meliori iure dicere possumus omnium miseriarum & calamitatem quæ Hungariæ regnum penitus afflixerunt, caput & fontem ex Prælatorum & Catholicorum Doctorum vel penuria vel secordia, aut etiam imbecillitate erupisse. Nam & pluribus in locis Episcopales Ecclesiæ pleræque multos annos Pastoribus caruerunt. Quin & Metropolitica & Archiepiscopalis sedes plus quam viginti quinque annis vacauit: quum post mortem Antonij Verantij de Dalmatia Maximilianus nullo successore designato, opes Archiepiscopatus in belli vsus convertisset. Idem postea de Agriensi Episcopatu factum qui vna cum multis alijs, tandem in Turcarum manus pervenit. Quam multæ Abbatiæ & Prioratus vel militibus diuersarum religionum stipendio, vel Nobilibus prædæ cesserunt, ne tenui quidem, in quorum vsum antiquitus fundati fuerant, Ecclesiasticorum fungendorum munerum relicto vestigio. Non melior Transyluaniæ fuit conditio, vbi Lutherani, Arriani & Caluinistæ Ecclesiastica bona inuolarunt, & in mille partes discinderunt, sic vt in tota regione vix duo integri Episcopatus resterent. Quin etiam Episcopos hæresi opponere sese volentes, Nobilitas, prædæ particeps, deseruit, & debito auxilio frustrauit. Sic Nicolaus Telegdius Quinqueclesiensis Episcopus, quum acerrime Lutheranis & Antitrinitarijs aliquamdiu restitisset, ab ijs à quibus adiuuari debebat desertus, hostibus tandem ludibrio & prædæ fuit. Post multas tandem miseri populi querelas & lachrymas, & sæpe iteratas generalis Ecclesiæ Vicarij admonitiones, vt perditis pæne ouibus fideles Pastores darentur efflagitantis, Imperator Rudolphus Anno MDXCIIX quosdam ad Episcopatus illos designauit, sed ea conditione, vt certas annuas pēsiones in vsum belli subministrarent. Sic Archiepiscopatus Strigonienſis Ioāni Ruttasio datus fuit, ea lege vt septingētos milites in castris, itēque trecentos in præsidijs aleret. In alijs idē factū.

V. Porro qui primus Catholicis in Hungaria apertum bellum intulit, militum dux fuit, Hungarus natione. Hic quum Agriam fortiter defendisset, & Achmatem Bassam cum ignominia obsidionem soluere coegisset, quasi Deo gratias pro tanto beneficio acturus, Lutheranorum qui tum primum glisscebant, impulsu, monachos Franciscanos sua ipsius auctoritate ex vrbe eiecit; illos ipsos, qui durante obsidione dies noctesque pro salute populi assiduis votis Deum fuerant deprecati. Triste sane, adeoque ipsis Turcis horrendum fuit spectaculum, videre miserum monachum cruci, in qua Saluatoris erat imago, alligatum, nec lancea aliqua confossum aut clauis transfixum, sed lēta tabe, subtracto cibo, miserrime deficientem ac morientem; eò tātum quod martyrium patiquam exsilium mallet. At dignam tanto scelere postea tam barbari atque immanis supplicij auctor mercedem accepit, variante fortuna à Turcis captus, & Constantinopolim perductus, paloque infixus. Boni vero isti religiosi à nouis Euangelicis quum hic tum alibi male habiti & expulsi, apud ipsos infideles plus fauoris & gratiæ quam apud hosce Christianos repererunt. Eos enim quos Agria eiectos diximus, Achmates Bassa Budam admisit. Solimanus vero inter optimos Principes numerandus, si Euangelij de Iesu Christo luce collustratus fuisset, ijsdē, vt & alijs ob eandem causam pulsis, tria loca assignauit, in quibus Christianam religionem libere exercerent. Nihil eidem gratius fuisse dicunt, quam quod Lutheranos in hostium suorum imperio tanto numero succrescentes videret; à quibus aditum sibi ad res prospere gerendas, & quod reliquum erat Christiani orbis occupandum, apertum iri non ignorabat: quos tamen in suo imperio ferre non poterat, tamquam omnis rebellionis & seditionis fomites atque au-

ctores: præter quam quod omnis in religione novitas Turcis ſemper ſuſpecta & inviſa eſt, ut qui experti ſint quantopere Caſelbaſiorũ & Jeſelbaſiorum factiones Otthomanico imperio incommodarint. Baſſam vero illum ſeu prætorem Budenſem cum Lutheranis ſæpe ita egiſſe ferunt: *Si Catholica religio, ut vos dicitis, idololatria eſt, & impietatis mater, cur non Muſulmanicam potius, Doctorum quorundam è veſtris exemplo, relicta Chriſtiana amplectimini, quam novam vobis veſtro lubitu fabricatis?* Quum deinde ab eodem Baſſa religionis ſuis ritibus exercendæ libertatem & templa aliquot petijſſent, idem eos rogavit, *an forma iſta religionis Matthiæ aut Ludouici Hungariæ Regum temporibus uſitata fuerit?* Negantibus, *Noſter*, inquit, *Jmperator & Dominus in ſuo imperio nihil novi vult introduci.* Vobis ego ſuaſerim ut ad antiquos ritus redeatis. Tanta etiam eiuſdem fuit erga Chriſtianam religionem obſervantia, ut ſuæ ſectæ hominem qui S. Euchariſtiam in Quinque eccleſienſi eccleſia ad pedes proiecerat, fuſtuario non leviter mulctarit.

VI. Poſtquam ergo eodem tempore quo Turcæ tam religionis quam reipublicæ in Hungaria ſtatui convellendo intenti erant, Lutheranorum & Antitrinitariorum hæreſis ibidem gliſcere cœpiſſet: tandem etiam, nimirum Anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo Calviniſtæ ſeſe ingeſſerunt, & quidem maiori furore quam Lutherani; ut qui templa, altaria & S^ti. imagines, abiſtis, immo à Turcis quoque integras relictas confregerunt & demoliti ſunt. Idem Anno Milleſimo quingenteſimo octuageſimo inſigni proditione Vradini Catholicos oppreſſerunt. Quum enim feſto Paſchatis Catholici, ex veteri conſuetudine cum Crucis vexillis & labaris, hymnos decantantes, extra oppidum proceſſiſſent, Calviniſtæ quidam cum trecentis equitibus in eos nihil tale opinantes ex inſidijs eruperunt, & inermem hanc multitudinem, ereptis vexillis & labaris, nullo negocio diſſipârunt: qui ad oppidum refugientes, quum portas occluſas inveniſſent, patria exterres, alibi ſedes & domicilia ſibi quærere coacti ſunt. Tantum ſcelus quum magiſtratus punire neglexiſſet, Deus poſtea, ut infra videbimus, ultus eſt. Et hoc quidem modo Calviniſtæ in Pannonia inferiori, & Batoroniana præcipua ditione, ut Lutherani antea in ſuperiori, invaluerunt, quos inter utroſque & Catholicos multæ exortæ ſunt dimicationes, illorum temeritati & furori ipſo Jmperatore fruſtra frænum injicere conante. Antea quidem Sinane Baſſa Iavarinum tenente, Sacramentarijs ibi ſuæ permiſſum erat religionis exercitium; ſed recuperato oppido, Catholici ferre eos noluerunt: ut & Poſſonij & Tirnaviæ, unde Rutaſſius Archiepiſcopus cuiuſcumque generis hæreticos expulit. Strigonij etiam, poſtquam ea Anno Milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto à Chriſtianis recepta fuit, ſola Catholica religio inſtaurata & conſervata eſt, ceteris omnibus ſectis proſcriptis. At Tieffenbachius quum Fillecum & Novigradum Turcis eripuiſſet, ejectis quos Turcæ toleraverant Catholicis, novi Evangelij præcones introduxit.

VII. Hoc eodem anno Matthias Archidux Strigonium infeliciter obſedit, exercitu ex omni hæreticorũm genere conflato, qui ſine Deo & religione viventes, iuſtam Dei iram merito in ſe & alios provocarunt, cuius permiſſu Sinan Baſſa profligatis Matthiæ copijs, multas arces & oppida Chriſtianis rurſus extorſit. At Chriſtiani cũ auxiliaribus Pontificis copijs Anno Milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono reverſi, Strigonium tandem feliciter expugnarunt, poſtquam quinquaginta quinque annos ſub Turcarum fuiſſet imperio. Illud vero mirum eſt, quod in expugnata urbe templa, altaria, cerei, libri, & reliquus apparatus Eccleſiaſticus, integra adhuc magna ex parte reperta ſunt, ut Agriæ, quã Palfius Nobilis Hungarus Catholicus, & Bernſtænus Baro Bohemus, petardo (quod genus machinæ à ſeditioſis noſtris inventum, Turcis incognitum eſt) interceperunt. Eadem ratione Javarinum, occiſo eius loci Baſſa, cum magno Turcarum damno expugnatum fuit. Eodem etiam anno Maximilianus Archidux Pappam à Sinane Baſſa prius occupatam recuperavit, ubi Catholici Lutheranis & Sacramentarijs permiſti, eandem quam Vradinenſes ab eis fortunam exſpectabant. Sed perfidiæ ſuæ cõtra Catholicos poſtea Anno Milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo graviſſimas pœnas Calviniſtæ luerunt, oppido, unde iam dudum vera ejecta fuerat religio, à Turcis & Tartaris capto, & Calviniſtis vel miſerabiliter interfectis, vel in morte triſtiorem ſervitutem abductis, & magna oppidi parte flammis abſumpta; Catholicis interea è longinquo incendium ſpectantibus, tanto minori commiſeratione, quod illos ipſos quorum flagitia inulta homines ſiverant, iam viderent ipſius quaſi Dei manu potitos. Ex quibus omnibus ram, opinor, intelligi poteſt, quomodo infelix rel gio

nis

nis dissidium extremam istis regionibus, iam ante ad omnem Turcarum iniuriam expositis, attulerit ruinam.

VIII. Quam vis autem hæreticorum sive sectariorum in Hungaria numerus (magna quippe Antitrinitariorum colluvies è Transylvania in hoc usque regnum profluxit, ut sequenti ostendam capite) in universum Catholicorum numerum excedat; non tamen desunt hic antiquæ & potentes familiæ, quæ maiorum religionem inviolatam adhuc conservarunt. Et quidem celeberrimus ille Hungarici dux exercitus, qui Javarinum occupavit, & Sinanem prælio victum occidit, licet Anno M. D C. vitam hanc cum meliori illa commutarit, quatuor tamen liberos superstites reliquit, in Catholica religione à teneris annis educatos; qui omnes patris & pietatem & fortitudinem pro virili imitari conantur. Sic olim in Babylonico illa confusione, sacra lingua in domo & familia Heber divinitus conservata fuit. Catholicus quoque fuit Erdodius, vetus Dalmatiæ gubernator, qui Anno M.D.XCIII. insignem de Bosniæ præfecto victoriam reportavit; ut & is qui nuper ei successit; itemque Dominus Jstuanfius, regni Palatinus: ut unum & alterum tantum primi ordinis recenseam. Sunt quidem inter eosdem Batoritæ & Battiani Calvinistæ; sunt etiam Jllefchafcij & Nadasti Lutherani; quorum numerus licet Catholicorum numero maior sit, nihil tamen de publica re sine Episcoporum & Prælatorum assensu constitui potest; sic vt leges à Stephano vere sancto rege primum latæ, paulatim vires resumere incipiant: qui vel ut præsagiens, Hungariæ regnum ab hæreticis & sectarijs fœde aliquando laceratum iri, summam in eo & quasi sacrosanctam Ecclesiastico ordini potestatem atque auctoritatem esse voluit, sic ut sine ipsorum assensu nihil de rebus publicis, ut diximus, statui aut ordinari possit: quo suo iure si Episcopi & alij utantur, spes est hæreticorum insolentiam compesci ac retundi posse.

IX. Ad disseminandas vero suas hæreses, Lutherani, Calvinistæ & Arriani suo singuli modulo sacra Biblia in vulgarem linguam certatim traduxerunt, locis passim corruptis ac depravatis, dum quisque ad suum ea sensum accommodare nititur. Jd vero pessimum est, quod quum nullæ aliæ vulgatæ linguæ quam hæreticorum (in suis publicandis falsitatibus, quam alij in conservanda veritate magis diligentiũ) exstẽt versiones, Catholici quoque ijsdem vti coguntur. Cui tamen incommodo nuperis his annis à Patribus Societatis Iesu, suscepto in se nouæ adornandæ versionis negotio, est prospectum. Et inde quidem tanta malorum Ilias in miserum hoc regnum redundauit; in quo non ita multis abhinc annis, nimirum anno M. D. LXXXVI. Baptismum publico scripto impugnatum audiuimus: quin & eo impietatis nonnulli deuenerunt, vt in Dei contumeliã præpinguem porcum musto baptizare non dubitarint, omnibus quæ in Ecclesia cæremonijs obseruatis. Impium hoc factum non procul à Cassouia designatum, Resius in Phalarismis suis auctor est. Non dico recensere, sed vel meminisse exhorresco atrocissimas blasphemias, quæ ibidem contra sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum ab impijs hominibus iactæ sunt, quibus simile nihil vmquã à Lutheranis aut Caluinistis scriptum exstat. Vt vero Christus saluator noster in diuersis locis apud Christianos, nempe in Polonia, in Belgio, in Francia, (vt partim diximus, partim in sequentib⁹ dicemus) veram & realem corporis sui præsentiam in hoc Sacramento à diabolicis hominibus tantopere oppugnatam, varijs modis demonstrauit; sic eandem Anno M. D. XCI Hungaris insigni miraculo testatam facere volu it, cuius quidem narratio Viennæ primum Germanica lingua publicata, deinde in Latinam linguam conuersa, in omnium fuit manibus. Id nos summatim hic recensebimus; vt pius inde & Catholicus lector Dei creatoris sui, tanta subinde edentis miracula, potentiam, hæretici vero cæcitatem suam agnoscant, ac tandem cum Centurione pectus percutientes, aperte dicant & fateantur: Vere hic filius Dei est: verè in hoc Sacramento & realiter corpus & sanguis Domini Iesu Christi est præsens.

X. Mense Septembri anni M.D.XCI. Iudæus quidam Leo nomine ad Christianam religionem conversum se simulans, Pragæ, quæ Bohemiæ est metropolis, cum Franciscanis Monachis notitiam contraxit: quumque facilem ad templa & sacra loca haberet aditum, tres hostias consecratas ex iis quæ ad infirmorum vsum asseruari solent, surripuit & cum hac præda Posonium (Presburgum vulgo) in Hungariam se recepit, ibique duabus Iudæo ad quem diuerterat, venditis, Nickelsburgum perrexit. Ab illo moniti Iudæi mox conueniunt, quid hostiis illis faciendum esset deliberantes. Tandem vnus eorum cultrum arripit, eumque in panem

cœlestẽ, qui mensæ impositus iacebat, defigit, inquiens: *Si tu Deus Christianorum es, sub his panis speciebus velatus, age Deitatem tuam miraculo aliquo ostende.* Vix ictum ille infixerat, quum ecce sanguis copiose in altum ebullit, miseris illis metu & stupore obrigescentibus. Eodem fere momento domus illa vbi erat, fulmine tangitur, & vnà cum plerisque omnibus (frequentes enim conuenerant) cæleſti igne absumitur. Tres tantum semiustulati euaserunt, diuino consilio, vt & suæ malitiæ, & diuini quod viderant miraculi essent testes: quibus captis, remq; omnem fassis, cutis viuis detracta, & corpus stipiti, supplicio illis in locis consueto, fuit infixum. Tanto vero illustrius id fuit miraculum, quod & mensa, & duæ hostiæ, quarum vna cultri ictum præferebat, post incendium integra reperta sunt, & infinita inspectante hominum multitudine collecta & asservata. Ecce tibi mirabilia Dei opera, quæ cæci illi & in peccatis obstinati Sacramentarij videre & agnoscere nequeunt, quibus similia non pauca Francia nostra vidit. Narravit multis nobilis quidam Hugo nota (cui hac in re fidem deberi nemo, credo, negabit) quum pater ipsius cũ militibus quibusdam in templum irrupisset, unum ex illis ad sacerdotẽ sacrum facientem accurrisse, & hostiæ ictum gladio inflixisse, è qua statim sanguis emanarit, spectantibus mirũ in modum attonitis. & postea non sine stupore alijs idem narrantibus.

In toto vero Hungariæ regno, cuius magna pars Turcarum subest imperio, ita tamen ut Christianis Catholicam profitendi religionem libertas permissa sit, Societas Jesu unum saltem habet Collegium, à Cardinali Dracouitio Episcopo Javariensi olim fundatum, quod, licet frementibus & omni ex parte insultantibus hæreticis, Catholicæ religioni magno ijs in locis & præsidio & ornamento iam ab annis aliquot fuit. Illud vero quod eadem Societas Viennæ in Austria habet, longe uberrimos affert fructus, ut ad quod plerique Hungariæ Nobilitas filios pietate & litteris imbuendos mittit; unde fit ut complures quotidie deserta hæresi, ad Catholicam redeant Ecclesiam.

IX. Ad Dalmatiam, Croatiam & Bosniæ regnum quod attinet, quæ à Ladislai usque temporibus Hungaricæ coronæ fuerunt annexa, totus fere ille terratum tractus, contra Lutheranorum, Picardorum & Arrianorum tam clandestinos quã apertos conatus, Georgij Dracouitij, qui Imperatori Ferdinando à Confessionibus primo fuit deinde Cardinalis factus, his regionibus tamquam Imperatoris Legatus præfuit, potissimum opera cum æterna ipsius laude in Catholicæ Ecclesiæ unitate permansit. Ei rebus humanis defuncto, Thomas Erdodius Eques illustrissimus & Catholicæ religionis singulari zelo flagrans, successit: is qui Bosniæ præfectum Anno M D. X C III. memorabili prœlio fudit. Post hunc Joannes Dracovitius rempublicam in his regionibus Legati nomine administravit, Catholicamque religionem non minori zelo quam prædecessores & defendit & promovit. Ex Nobilitate quidem pauci hæreticorum partibus adiuncti sunt, ij fere tantum qui in Seritinorum, Nadastiorum, Battianorum & aliorum Hungariæ procerum partim Lutheranorum partim Calviniſtarum sunt familia, vel aulas eorum frequentarunt. Promiscua vero plebs Dalmatiæ, etiam translato in Hungariam domicilio, avitam religionem vel in media hæreticorum colluvie, constanter tuetur. Et licet Bosniæ regnũ Turcico hodie subsit imperio, Catholica nihilominus religio, singulari Dei beneficio integra adhuc ibi conservata est. Transylvaniam nunc lustremus, non tam confinijs quam calamitibus & miserijs Hungariæ proxime coniunctam.

DE MUTATIONE RELIGIONIS & reipublicæ in Transylvania, ac miserabili ejus statu.

Caput VII.

ARGUMENTUM.

I. *Ferdinandus Austriacus & Joannes Sepusius de Transylvania inter se contendunt.*

II. *De Georgio Monacho post Cardinali eiusq; vita & morte, succincta Narratio.*

III. *Eius mors Lutheranis in Transylvaniam aditum aperit per Petrouitium Medicum, à Blandrato seductum.*

IV. *Germani in Transylvania Lutheranam doctrinam spargunt. Petrouitius Turcarũ potestatẽ plantat.*

V. *Solimannus Lutheranam hæresin è Transylvania eliminari iubet eo quod Nova esset, & Blandratus à nepote suo occiditur.*

VI. *Mortuo Ferdinando I. Maximilianus Imperator infelicia auxilia petit pro Hung. & Transylvania recuperanda.* VII. Qui-

VII. *Quinam Principes Maximilianus infelicia auxilia subministrarint.*

VIII. *De Petrovicij Arriani, qui Transyluaniæ Principis moderator fuit, crudelitate.*

IX. *Caluinismo inualescente in Transyluania Littera Ioannis Sepusij principis ad Lutheranos in Germania.*

X. *Mors Ioannis Sepusij nouas turbas excitat: Stephanus Baterius à Lutheranis eligitur contra Maximilianum II. Imp.*

XI. *Steph Batoreus Iesuitas in Transyluania collocat, & fit Rex Poloniæ, succedit ei frater, qui per Iesuitas Transyluaniæ statum emendat.*

XII. *Iesuitæ à coniuratis hæresis proscripti. postea ipse Sigismundus fugatus ab ijsdem.*

XIII. *Restitutus Sigismundus Turcas prælio vicit coniuratos punitus, & Iesuitas reducit.*

XIV. *Maleficiatus à Calabro Sigismundus fit infelix.*

XV. *Infelix Transyluaniæ status.*

I. TRANSILVANIA ampla admodum provincia Dacia olim dicta, Christianam religionem sub Stephano Hungariæ rege, ante sexcẽtos circiter annos amplexa, post Mortem Ludouici regis Ferdinando Austriaco & Ioanne Sepusio, qui alias de Zepulia Comes Sepusiensis dictus est, de regno inter se contẽdentibus, in factiones & sectas miserabiliter admodum distracta fuit. Bello hoc varia fortuna vtrimque aliquamdiu gesto An. 1540 tandem *in has conditiones conuentum est, vtque Ioannes armis acquisiuerat locа retineret, quo ad viueret; ipso vero mortuo, ad Ferdinandum ea redirent.* Ioannes defunctus filium infantẽ reliquit, vndecim tantum dies natum, Stephanum nomine, quem Turcæ deinde Ioannem appellarunt: vnde nouæ regionibus istis, Christianis non cum Turcis tantum, sed inter se quoque commissis, multoque asperius exercitæ contentiones recruduerunt. Interalios infantiæ patre tutor datus fuit *Georgius quidam Martinusius, monachus*, homo non minus magni animi quam celebris in Hungaricarum rerum historia memoriæ: qui quoad vixit, & pupilli tutelam administrauit, hæreticorum elusis conatibus, Catholicam religionem, quantum potuit, saluam præstitit; quam *Petrus Petrouitius*, moderandæ pupilli pueritiæ post ipsum admotus, plane pessumdatam atque exstinctam voluit, è Catholico primum Lutheranus, ac deinde ex Lutherano Arrianus factus. Sed quia in Monachi illi[us] historia (quam Martinus Fumeus Gallica lingua descriptam exhibuit) multa notatu digna sunt; vitam eius & res gestas paucis describere operæ precium videtur, ex quibus inprimis incredibilis tam animi magnitudo quam prudentia, quæ in hoc homine supra conditionem & fortunam fuerunt, elucebunt: tanto magis, quod funesta ipsius mors tam rempublicam quam religionem in Transyluania eodem exitio inuoluit.

II. Fuit igitur Georgius natione Dalmata, nobili familia, sed in re renui educatus. vilissima puer apud Ioannis VVaiuodæ matrem ministeria exercuit, calefaciendis hypocaustis & apportandis lignis destinatus. Huius vitæ pertæsus instigante bono Angelo, relicta Ioannis aula, vitam monasticã in Benedicti cænobio extra Budam professus est, cellariæque & erogandis eleemosynis præfectus. Hic primum litteras didicit, & quamuis iam aculior, etiam Latine aliquid effari; in sacerdotum seu presbyterorum ordinem tandem cooptatus: Ferdinando in regem assumto, exultantem apud Sigismundum Poloniæ regem, VVaiuodam sequutus, retento nihilominus habitu, multis & grauissimis in negotijs fidelem ei operam nauauit, variasque ac periculosas legationes, vestitu dissimulante personam & securitatem præstante intrepidè obiuit; quibus officijs adeo sibi *Ioannis* Sepusiensis æmuli Ferdinandi Regis animum deuinxit, vt ab eo mox in regnum à Solimanno, cui tributarium se fecerat, restituto, in secretius consilium allectus, & quæstura regni, quæ dignitas primaria est, ornatus sit, Varadinensi prius Episcopatu donatus, ac postremo tutor cum *Isabella regina*, filio Stephano testamento relictus.

Non multo post Ferdinandus iuxta pacta, loca quæ Ioannes hactenus præsidio tenuerat, tradi sibi petit, promissam compensationem vicissim reddere paratus Regina pacis admodum cupida, non abnuente, Georgius qui naturæ quodam instinctu ad magna aspirabat, Ferdinandi petitionem eludit, & Budam interea non maiori tantum præsidio, sed sua etiam præsentia firmat: quũque Ferdinandi potentiæ imparem se facile animaduerteret, Solimanni opẽ pro pupillo implorat. Postea à Ferdinando cũ XL. hominũ millibus obsessa, & XL. machinis verberata vrbe, Georgius obsidionẽ tantisper sustinuit, quoad Mahumetes Bassa, fuso Ferdinandi exercitu, eam soluit. His

ita

ita gestis, Solimannus Adrianopoli profectus in Hungariam venit, Budam amicitiæ specie ingressus, vrbem occupat, & matrē Reginam vna cum filio pupillo & Georgio in Transyluaniam mittit, à Mustapha Bassa iam occupatam vt contra Ferdinandum eam defenderet, & Isabellæ reginæ in manus consignaret, Georgio pristina officia: quęstura inprimis, confirmata sunt; cuius tanta erat auctoritas vt penes matrem & pupillum titulus tantum & regij nominis vmbra, penes ipsum vero omnis esset potestas, ac totius regionis vires, quibus non exteris tantum, sed ipsi etiam Reginæ formidabilis videbatur. Hisce rebus mota regina, à Solimanno contra Georgium quasi cum Ferdinando in necem filii & ipsius auctoritatem consilia agitantem, auxilia petiit: Georgius vero cum Ferdinando clam agere cepit, admodū tum intricato, quod à Cæsare fratre contra Protestantes tum bellum gerente, vix vllum auxilium sperare posset. Sane si accurate rem excusserimus, reperiemus bellum illud ob Lutheri deliria hinc exstirpanda, illinc defendenda conflatum, tam Hungariæ quam Transyluaniæ, validissimis contra Turcam hactenus Christianæ reipub. propugnaculis, extremam perniciem attulisse: quas nec Solimannus, nec Selimus, nec Amurathes inuadere vmquam ausi fuissent, nisi Germanorum discordijs facilem sibi aditum apertum fore prævidissent. Ceterum monitus ab Isabella Solimannus, Legatū ad Bassam Budensem misit cum mandatis, vt Georgium vel vivum vel mortuum in suam redigeret potestatem. Id quum homo astutissimus, ad quem etiam intima Solimanni consilia per exploratores quotidie deferebantur, resciisset, Saxabellum in locum natura, arte, & apparatu omni munitissimum se recepit, vt inde cum Solimanno de oppidis & tota ditione quam in potestate habebat, armis disceptaret, occupationem eius longe quam ille putabat, difficiliorem redditurus. Interim nequaquam ferians collecto iusto exercitu, multa alia oppida capit, & Rascianos reginæ partibus fauentes, prælio commisso fundit. Post hæc à Solimanno veniunt Legati, cum mandatis Bassam ad Budensem & Moldauiæ ac VValachiæ præfectos, vt eos omnes qui à Monachi partibus starent, ferro & igne persequerentur. Quum vero Turcæ ob innatum gentibus illis contra ipsos odium, non multum proficerent, Regina tandem à Solimanno deserta, & à Georgio Albæ Iuliæ obsessa, certis cum eo conditionibus transigit. Interea tripartitus exercitus à Bassa Budensi, Moldauiæ & Walachiæ regulis in Transyluaniam ducitur: Georgius vero statim cum quinquaginta armatorum millibus Bassæ se obijcit, dum interim ipsius Legatus Walachorum copias sternit & profligat. Eandem fortunam veritus Bassa, quantum antea sex dierum itinere spacij confecerat, tantum vno die relegit, Budam nō multo post, vt in VValachiam, reuersus. Sic breui tempore Georgius Transyluania hostibus liberata imperium sibi non mediocriter stabiliuit, accedente etiam Solimanni consensu, qui tali homine amico quam inimico vti malebat. Sub hæc Georgius Varadinum concesit, vbi quum esset, de turbis à Transyluaniæ proceribus, monachalis imperij tamdiu pertæsis, à Regina contra ipsum, vt Stephano filio potius quam monacho regnum pararent, excitatis cognouit. Ipse vero ad pristinas artes conuersus, cum Ferdinando iterum paciscitur, qui à fratris, deuictis Protestantibus tum victoris opibus adiutus, Ioannem Baptistam Caltaldum cum mediocri exercitu in Transyluaniam misit, addito mandato, vt omnia ex Georgij sententia ageret, & ad omnia ei præsto esset. Ex altera parte Isabella Solimanni opibus freta comitia Agnatetiæ indicit, quibus plerique procerum interfuerunt. Eo cognito, homo imperterritus, assumpto velut ad custodiam corporis magno comitatu, statim curru conscenso, eò ire statuit, vt præsentia sua reginæ consilia distraheret. Dum in itinere esset, currus quo vehebatur, siue casu siue aurigæ imperitia, dum per confragosam viam incedit, euersus est. Id quod pro sinistro omine quū omnes qui circa ipsum erant acciperent, infaustamque ex eo profectionem fore augurarentur, & vt domum rediret rogarent, ille vt erat ad magna natus, ideoque summus periculorum contemtor, ad eos renidenti vultu versus, *Atqui frustra*, inquit *ex fortuito euersi in terra currus casu mihi timetis, quem numquam euertendi in cælo currus astrū benignum protegit.* Igitur non intermisso itinere Agnatetiam venit, & sola sua præsentia reginæ consilia disipauit, coniunctisq; cum Ferdinando armis & consilijs, reginam pupilli matrem ad duras conditiones adegit. Dū hoc modo non Remp. modo sed & bellum administrat hic Monachus, adeoque inter primos ordines contra Turcas aut alios hostes suos strenue pugnat, à Iulio III. Pontifice in Cardinalium cooptatur collegium, & Strigoniensem Archiepiscopatū simul adipiscitur, cuius prouentus annui ad centena & quinquage-

na du-

na ducatorum millia esse perhibentur. Quum vero Ferdinandus Monachi huius (sic enim etiam iã Cardinalis vulgo appellabatur) conatus & consilia suspecta haberet quasi cum Turcis colludentis; quum aperta vi vix posset aut auderet, quocunque modo è medio eum tollere decreuit. Id negotii Castaldo datum; qui exsequutionem viris quibusdam militaribus demandauit. Erat Georgius Bintij in castello quodam ab se ædificato, loci amœnitate paucis cedente. Recepti in arcem absque vlla suspicione percussores, illucescẽte iam die ostium cubiculi pulsant; è quibus Ferrarius Castaldo ab epistolis, litteras quasi manu Georgij subscribendas præferens, continuo introducitur. Eo intromisso, Cubicularium fores occludere volentem alius genu interserto prohibuit. Jam surrexerat Georgius, & Breviario suo legendo intentus, ad mensam sedebat: quum Ferrarius ad eum familiariter accedit; tum porrectis litteris, dum Georgius calamum sumit ut nomen apponeret, Ferrarius pugione ei iugulum perit: ille vero exsurgens, & Mariæ Virginis nomen inclamans, pugno eum percussum, viribus robustior in terram deijcit. Tum statim ad strepitum accurrens Sfortia Palauicinus, stricto ense, gravi vulnere medium quasi caput ei diuidit; hæc verba exclamanti: *Jesus, Maria! quid hoc est, fratres?* Cædes hæc & famæ Ferdinandi parum honestam notam inussit (ob quam & à Sacra Sede excommunicatus fuit) & rebus magnum attulit detrimentum: quod præter reliqua mala, hæresis, cui Georgius hactenus omnem aditum obstruxerat, in ea regione libere statim vagari & triumphare cœpit. Perhibent harum rerum scriptores, hoc exitium cœnobij quendã præsulem Georgio præsagijsse. Q. ũ enim Georgius proximam Ecclesiam ad arcis quã ædificabat, usum everti, & cœnacula aliaque profanis usibus destinata conclavia superstrui iussisset, eius loci Abbas eum accesisse & his verbis monuisse dicitur: *Vide Domine, quid agas: & respice eum qui in te respicit. Anne dignum est, ut tu qui non Catholicus tantum, sed Cardinalis es, & Monachus, Dei domum occupes, & ex ea tuam facias? Id quidem Deus, mihi crede, haud in ultum sinet: immo pœnam iam iam imminentem video.* Vaticinium hoc minime vanum fuisse, exitus docuit, Georgio illo ipso in loco miserabiliter tum confosso, quum in supremo iam dignitatis culmine stare sibi videretur, & utrumque tam Solimannum quam Ferdinandum & spe & metu duceret, & in sua, quasi potestate haberet. Thesauri quos infinitos fere congesserat, percussoribus partim prædæ cesserunt: quos tamen ad unum omnes miserabilem quoque vitæ finem habuisse, scriptores plerique testantur. Hunc exitum habuit homo omnium superbissimus (sic Hungarica loquitur historia) & in occulto omnium qui umquam vixerunt, maximus tyrannus.

III. Hoc modo regio hæc natura & situ munitissima, ut ad quam invito qui eam tenet, vix ullus pateat aditus, belli officina, ut Xenophon de Epheso dixit, & Martius veluti campus Christianorum & Turcarum facta est. Quamdiu Georgius Monachus vixit, una in ea, nempe Catholica viguit religio; at eo mortuo, non in diversas tantum sectas distracta, sed etiam in maximas calamitates est devoluta. Solimannus enim, annuum quod ei promissum fuerat, vicenûm millium scutatorum tributum accipere porro recusans, Mahumetem Bassam cum exercitu ad eam occupandam misit: Ferdinandus vero defendere eam modis omnibus satagebat, sed ꝓmissa auxilia præstare nõ poterat, fratris Cæsaris viribus destitutus, contra quem nihil tale metuentem Mauritius Princeps Lutheranus, excitata rebellione, eo ipso tempore arma sumpserat Anno 1547. Interim Jsabella quoque Regina Solimannum de filio suo, cuius Georgius tutor fuerat, in regnum restituendo urgere non desistebat, *Petri Petrouitij* opera potissimum ad eam rem usa, qui occulte quidem initio Lutheranus fuerat, sed Arrianismum postea aperte est amplexus; & quia frequens circa Principem erat, facile hæreseos venenum incauto adolescentis animo instillavit. Utrumque vero Georgius Blandratus perdidit, natione Pedemontanus; qui Ticini ex Jnquisitorum manibus elapsus in Helvetiam primum & Germaniam, deinde in Transylvaniam profugit, ad medicam operam à Petrouitio & à Principe assumptus: sed ultra crepidam interim frequenter de rebus Theologicis disserebat, & quidem de gravissimis in tota Christiana religione articulis, inprimis de Trinitatis mysterio, quod ille intellectus sui & Physicarum regularum decẽpenda metiens, quum extricare se non posset, tam altum mysterium & ipse contemtim habuit, & cõtemptim de eo loquens, apud alios in contemptũ adduxit. Rex interim sive Princeps Catholicum se simulabat, nec vivente matre vel Lutheranum vel Arrianum se profiteri audebat, quamvis aula ipsius tam Lutheranis & Calvinistis quam Arrianis pa-

reret: sed matre defuncta, animi sensa nudavit, ut paulo post dicemus.

IV. Ex altera parte Ferdinandus, cogente necessitate, diversarum sectarum homines è Germania stipendijs conductos, suis auxilio misit; inter ceteros Albæ Iuliæ custodia *Bartholomæo Coruato* commendata, cuius auspiciis Lutheranæ conciones statim in publico haberi cœperunt, quod viuente Georgio Monacho tentare nemo ausus fuerat. Sed & Mauritius Saxoniæ Dux cũ duodecim peditum & tribus equitum millibus adferendam Ferdinando ex pacto opem in Hungariã profectus, multos Prædicantes Lutheranos secum adduxerat, qui nouum Euangelium nimis quam impigre dissemina runt. Quamuis autẽ Mauritius nulla re memorabili perfecta immo ne viso quidem hoste, in Germaniam rediit, (a) non multo post in prælio contra Albertum Brandeburgicum interfectus, vberem tamẽ Pestiferæ doctrinæ iis regionibus segetem reliquit, è qua succrescẽte, multo peiores ipsa radice, immo omnium deterrimæ sectæ pullularunt, quæ etiam hactenus exstirpari nunquam potuere. *Petrouitius* penes quem summa rerum erat, vbi Paulum Bornemissam quoque, qui solus Episcopus in Transyluania hactenus fuerat, patriæ tædio, quam Turcis & hæreticis prædæ relictam iri cernebat, ad Ferdinandũ quoque abijsse accepit: electis passim Catholicis sacerdotibus, Monachis & Canonicis, eorum facultates fisco addixit, sic tamen vt bonam partem ipse sibi seruaret. Deinde missa ad Turcam legatione auxilia ad Transyluaniam è Ferdinandi manibus totam extorquendam, sollicitauit. A Sultano Moldauiæ præfectus & Cassumbejus Reginæ Isabellæ & Joannis filij rebus consulere, & ubicumque ferret necessitas, præsto esse iussi sunt. *Andreas* quidem *Batorius Catholicus Princeps, ut & Christophorus eius frater*, quem Ferdinandus pro se Transylvaniæ Waivodam seu præfectum constituerat, patriæ res in ruinam & exitium properantes, pro viribus sustinabat; sed morbo & mœrore confectus, impedire non potuit quo minus Isabella & Joannes Albam Iuliam Turcarum ope reducti, totius fere regionis imperio potirentur. Secundum hæc Petrovitius non cum Moldaviæ & VValachiæ tantum VVaivodis, sed & cum Bassa Budensi, & Bosniæ apud Igradi Sangiacis de federe tractauit.

V. Postq; ergo nationibus istis bellicosis quidem, sed nouitatis auidis, libertas illa conscientiarum vel licentia potius, à Germanis accepta saluã mouit, à magistratu petierunt, vt non ex tolerantia quadam, sed sub legum quoque fauor & præsidio, protestantium religionem exercere sibi fas & ius esset. Quod quidem Edicto Tordæ promulgato ipsis concessum fuit, ita tamen vt reliquæ omnes sectæ prohibitæ intelligerentur, vt & Sacramentariorum, & ea quæ An. M.D.XXXVI. VVitebergæ a theologis decreta sunt, obseruarentur. Quod vbi Solimannus, cuius armis Isabella & Ioannes in ditionem restituti fuerant accepit, non Lutheranorum modo, sed Antitrinitariorum; & alias sectas ibi gliscere, serio eos monuit, ut novitatibus istis quamprimum obviam irent. An. 1551. Sic enim Fumeus in Hangarica sua historia scriptum reliquit *Circa id tempus Turcarum Imperator Isabellam reginam monuit, intellexisse se, quomodo præter eam quam ipsa profiteatur religionem, diversa secta in regnum irrepserint. Mandare vero, si bona ipsius gratia uti velit, ne ullo modo eas ferat, ut qui sciat rebelliones inde nasci, inde periculum, ac tandem exitium ipsius imperio imminere sibi vero multas molestias exhitum iri. Jubere igitur ut omnes istarum novitatum auctores è medio tollat.* Idem historicus Solimannum graves sane mandati huius causas habuisse addit. *Jam dudum namque* ait, *hæretici in hoc regno nidulati fuerant & publicis suis concionibus zizaniam suam longe lateque dissemina verant, adeoque multos ab Ecclesiæ unitate diverterant, immo nisi hoc mandatũ eis metum iniecisset, iam totum regnum erant insessuri: qui tamen mox uti Turcicus Imperator iusserat, undique proscripti fuerunt & expulsi.* Hæc Fumeus. In commentarijs vero quos penes me habeo, annotatum reperio, *Reginã Catholicæ religionis valde studiosam utpote illustrissimam illa & optima Jagellonica Polonorum regum stirpe prognatam, magna cura tandem in hanc rem incubuisse, & diversarum sectarum Prædicantes è regno facessere iussisse, publice etiam proposito Edicto, ne cuiusquam alterius quam Catholicæ religionis exercitium permitteretur.* At illi vna parte egressi, altera rursus subingrediebantur, sceleſtissimi Petrouitij fauore, & adolescentis Principis conniuentia, cuius aures & animum Blandratus Arrianus iam dudum occupauerat; sic vt qui corporis sanitatem tuendam susceperat, eius animæ exitium procurarit. Quis exitus huius hominis fuerit quæris; Quis alius, quæso, nisi eo dignus, qui & Principem & Principis gubernatorem, adeoque tot animas perdiderat? Quum enim Anno M D LXXXVIII. Albæ Iuliæ in cubiculo horrendum nescio

(a) *Hist. Hung. lib. 6.* quid

quid exclamasset, & nepos quidam eius accurisset, *quid sibi vellet* rogans: ille in impetu in eum facto, fauces ei elidere conabatur: iuuenis vero arrepto qui proximus forte adstabat sabulo plenus folliculo, tamdiu se defendit, ictusque toties repetijt, donec capulari seni animam è victo & imbecilli corpore elisit. Is nuper ex Italia venerat, vt cognati, si quid ei humanitus accidisset, hæreditatem cerneret: cum vero ille hæredem illum aliter scribere nollet, nisi vt eandem quam ipse profiteretur religionem, hic vero conditionem recusaret, res ad eum vsque, quem iam diximus, casum infecta mansit: post quem ille collectis sarcinis, & & conuasatis quæ poterat, clam discessit.

VI. Hic rerum in Transyluania status fuit ad Ferdinandi vsque mortem: quo rebus humanis exemto, Maximilianus Imperator & Hungariæ ac Bohemiæ rex, ius suum armis persequi non destitit. Vt vero omnibus ingens suum tam erga Catholicam religionem quam Christiani orbis imperium contra Turcas conseruandi desiderium testatum faceret; quamprimum regno & Imperio fuit inauguratus, Germaniæ Principes, etiam qui Protestantium sequuntur religionem, vrgere, sollicitare & obsecrare non cessauit, vt interitum iam iam minantis Reipublicæ rationem habere, deque ea in melius restituenda, in commune se, cum consulere vellent, indicto eum in finem Augustam Vindelicorum Imperij conuentu. At plerique Protestantium per alia negocia sese excusabant, inprimis vero per nuptias, quas tum Landgrauij filius cum Ducis Wittembergici filia celebrabat. Post longas interpositas moras & tergiversationes plerique omnes de auxilijs conferendis assenserunt: sed lente omnia procedebant. Interim vero Ioannes non Transyluaniæ tantum Principem sed & Hungariæ regem se ferebat, non suas quidem, sed protectoris sui immensas vires omnibus ad terrorem ostentans. Ad Hungaros scribens, à potentissimo Turcarum Imperatore & clementissimo suo benefactore per litteras & Zenzitium Legatum iniunctum sibi esse aiebat. vt omnes regni status ad obedientiam sibi præstandam adhortaretur: eoque monere, nisi malam gratiam ab illo inire velint, qui ob immensam potentiam facile immorigeros castigare possit, vt dicto sibi audientes sint antequam à maximo illo exercitu, qui iam Constantinopoli egressus in viam se dederit, opprimantur. Non defuerunt qui ad saniora consilia Ioannem hortarentur, vt scilicet deserto Turcico fœdere, cum Christianis Principibus se coniungeret: sed contrarium ei Petrouitius, totus hæreticus, facile persuasit. Solimannus ergo ab ipso sollicitatus, cum centum & quinquaginta hominum millibus expeditionem suscepit, Pertao Bassa paullo ante præmisso. Et Ioannes rex ad Budam obuiam processit, regio habitu & stipatu tyranni manus deosculatus.

VII. Ex altera parte Maximilianus quoque in Italia, Hispania, Sabaudia, Germania, atque etiã in Gallia magnas copias contrahebat: in quo Bello Dux Guisius iunior multis comitatus proceribus, tyrocinium facere vltro voluit. Ecclesiastici interim precibus & supplicationibus cœlestis numinis iram placare studebant: tumque institutum fuit, vt ad campanæ sonitum certis diei horis omnes vbicumque essent, sese prosterent, & flexis genibus Deum pro felici belli exitu comprecarentur; sic vt in exercitu Principes & magnates ex equis descendere flexis genibus & complicatis manibus precari, ac terram osculari visi sint. Quum vero Imperator quodam die Viennæ è fenestra prospectans, Lutheranos quosdam vidisset, campana sonante nihil se mouentes, hæc verba effatus esse dicitur: *Bone Deus! Vereor equidem ne hominum istorum societas nobis damnosa sit & infelix.* Hæc quidem complures viri nobiles audierunt, & inter ceteros Timoteon Cossæus Brissaci Comes, cuius nomen in Gallijs hodieque celebratur. Sed quia instituti mei non est omnia, nisi ea quæ ad religionem spectant, persequi; cetera quæ consequuta sunt, facile silentio præteribo, quomodo Mahumetes Bassa singulari artificio morte Imperatoris in tot hominum millibus celata, & exercitum & thesaurum omnem Selimo filio Solimanni integrum conseruarit, & mortui hominis auspicijs, post sextum assultum, inexpugnabilem illam arcem centum maioribus machinis munitam, expugnarit; idque in conspectu Maximiliani Imperatoris, qui quum suis opem ferre non posset, Viennam tandem retrocedere est coactus. Selimus quidem ex Mahumetis consilio Constantinopolim profectus, Pertaum Bassam Ioanni tamquam rerum omnium inspectorem adiunxit; qui hinc Turca, illinc Arriano consilia ipsius moderante, tandem abiecta omni diuini honoris cura; vniuersam Transyluaniam hæreticis prostituit, Selimo, præceptorum patris, vel nescio vel oblito.

VIII. Petrouitium vero Michael Balsanius Lippensis in quadam epistola scribit, *Catholicorum hostem fuisse acerrimum, adeo ut ad Turcas plerique & in oppida ab ipsis occupata confugere sint coacti, nisi pessimo lesho à pessimis illis Christianis exstingui mallent. Inde factum, ut Ecclesiastici, metu Petrovitiana tyrannidis, desertis gregibus alio abierint, alij vero officijs & dignitatibus exuti, in solitudinibus quod reliquum ipsis fuit vitæ, misere exegerint. Quod si quis contradicere aut resistere auderet, eius fronti stigma inurebatur, Crux scilicet, illud pulcherrimum & gloriosissimum Jesu Christi insigne, Tau illud salutis signũ, honorabile virtutis & constantiæ, ad Crucifixi honorem, testimonium. Idem novacula non coronam tantum, sed cutem etiam & carnem sacerdotibus abrasa testatur. Qua crudelitate multi perterriti, uxoribus ductis religionẽ mutare, quam in tam horribili persequutione vota seruare maluerunt.*

Sed præ ceteris insigne est quod ille Claudiopoli in res sacras exercuit sacrilegium, *ubi iussu ipsius altaria diruta, statuæ confractæ, omniaque Ecclesiastica ornamenta profanata sunt. Quia vero iuxta antiquas regni leges, sine Ecclesiasticorum & Canonicorum consensu de ijs quæ ad rempublicam pertinent nihil decerni aut fieri potest, quatuor ex Nobilitate ab illis electi sunt, Capitulares appellati, qui cum eadem qua veri Canonici auctoritate ac potestate publicis consilijs interessent. Pauci sane ex omni Nobilitate in Catholica religione constantes permanserunt. Inter hos præcipui fuerunt Stephanus & Albertus Tordij, cum omni sua familia, Christophorus Kerezenius, Michael Telgedius, Dionysius Makaius, Martinus Literatus, & ij fere omnes qui in montanis Transylvaniæ habitant. Visitum sunt Lutherani Prædicantes cum turbarum clangore & tympanorum strepitu Catholicorum templa ingredientes, profanas & blasphemiarum plenas cantiunculas decantantes; quasi Martio assultu Dei ades, sub impij illius Gubernatoris fauore occupaturi.* O quam bene dixit Æschines, quanto maior malis concessa sit potestas, tanto maiora inde mala nasci! *Eodem tempore Claudiopolierat Franciscus David* (de quo libro tertio aliquid dictum est) *sub Augustana, cuius professionem simulabat,* Confessionis prætextu sectæ suæ asseclas & vires quærens. *Hic Sacramentarium quendam Prædicantem, Martinum Calmenecium nomine à Petrouitio introductum, hominem argutum & omnium stropharum bene peritum, ad disputandum provocarat. Accipit conditionem Martinus; condicitur locus & tempus, ac disputatio præsentibus plerisque Transiluaniæ proceribus, per aliquot dies continuatur; tandem partis utriusque rationes collectæ ad Philippum Melanchthonem mittuntur, interposito compromisso, vt quicquid ille pronunciarit, ratum pars utraque haberet, ac diuersas omnes opiniones repudiaret.* O rem miseram & calamitosam! Eone rem deuenisse, vt contemta totius Christianitatis & vniuersalium Conciliorum auctoritate, in vnius hominis de schola & quidem meri Grammatici iudicio quis acquiescat? Verum antequam à Melanchthone responsum venisset, Franciscus David, relicta Augustana Confessione, Helueticam sequutus est, quam tamen ipsam quoque mox repudiauit, à Blandrato, quicum priuatim colloquutus fuerat, *ad Arrianismum pertractus,* vt & multi alij Principis Consiliarij, Gaspar Becus, Gaspar Cornisius, Christophorus Fagimasius, & Ioannes Gerendius: quorum hic postea Sabbatariorum anteſignanus, & discipuli ipsius Gerendistæ sunt appellati.

IX. Non multo post Gallus quidam nomine & natione, *Caluinismum* in Transyluaniam apportauit, adiutus a Matthia Deneio & alijs quibusdam excucullatis apostatis, nimirum Petro Meluis, Petro Carolino, Georgio Geontio, Petro Betekzazi, Ambrosio Dareceketo, & alijs. Nouos hos Caluinistas *Antitrinitarij* sæpe aggressi sunt, & inprimis Franciscus David, quem ita in Bibliorum lectione versatum fuisse aiunt, vt pleraque dicta memoriter ad vnguem tenuerit. Disputans aliquando cum Caluinistis, Scripturæ ab ipso ad suæ opinionis defensionem allata loca ex SS. Patrum sensu & auctoritate interpretandæ esse dicentibus, *Profecto suaues,* inquit, *homines estis, qui vultis vt apud me Patrum valeat auctoritas, quam si Papista vobis opponant, statim dicitis, homines illos fuisse, & errare potuisse. Ecquid pudet vos? Quod si Patrum vobis tanti est auctoritas, cur non Pontificiã doctrinam, tam istorum quam Conciliorum, quæ contra expressum à me allegatum Dei verbum mihi obijcitis, calculo approbatam amplectimini?* Ex quo apparet, neque hæreticos ipsos contra hæreticos vllam obtinere posse victoriam, nisi armis ex Catholicæ Ecclesiæ armario depromptis: quæ sunt, Verbum Dei tam scriptum quam non scriptum, Traditiones scilicet & auctoritas Ecclesiæ, quibus omnes Ecclesiæ, hostes cum perpetua sua ignominia hactenus fuere iugulati. Ex ijs quæ dicta sunt facile vides, lector, quænam facies ac quis status fuerit aulæ Transyluanicæ, in qua Lutherani, Arriani,

Cal-

Caluinistæ confusi, quinam eorum plures animas perderent, certamen inter se suscepisse videbantur. Rex siue Princeps etsi postquam Catholicæ valedixit Ecclesiæ, occulte cum Arrianis sentiret, Protestantium tamen seu Augustanæ Confessionis religionem simulabat. Inualescente vero Sacramentariorum Tigurinam & Geneuensem Confessionem iactantium secta, ad VVitebergenses & Lipsienses Thologos litteras Albæ Iuliæ XX. Septemb. Anno M D LXI. datas scripsit, in hanc sententiam: *Se postquam animaduerterit Sacramentariorum sectam, longe lateque per Christianam orbem iam sese diffundentem, in regno quoque suo gliscere, pro eo quo semper à teneris annis puriorem religionem prosequutus sit affectu, magnum dolorem percepisse; vt & fideles suos Hungaria & Transyluania subditos: qui in tanta Fidei Confessionum incertitudine & varietate, tam diuersis opinionibus agitantur, vt vix quidquam certi habeant quod sequantur. Hanc ob caussam subditorum rogatu, in ciuitate sua Megyes conuentum indixisse, vt inprimis quid de Cœna Domini credendum sit, statuantur. Quod si certi nihil concludi possit, rem omnem ad ipsorum sententiam relaturos. Interim vero mittere vtriusque partis opiniones & rationes, vt secundum Verbum Dei iudicium de eis ferant; atque ita misere afflictis in Transyluania conscientijs solatium afferant. Qua in re & officium Deo acceptum, veris Christianis dignum, Ecclesijs vtile, & sibi comprimis gratum præstituri sint.* Theologorum ad hanc Principis Epistolam responsio Historiæ Confessionis Augustanæ inserta legitur. Interea vero dum miser hic Princeps extraneorum theologorum de religione exquirit sententiam, vt aliorum saluti consulat, suam ipse domi perdit, & vti euocato Claudiopoli, Blandrati medici commendatione, Dionysio quodam Alexio, eius persuasione Lutheranismum amplexus à Catholica defecerat Ecclesia. (Quemadmodum videmus, vt apud Principes isti fere qui voluptates & sanitatem ipsorum procurant, præcipua gratia floreant, & non modo accessum liberum, sed & aures Principum sibi patentes semper habeant) sic porro eiusdem Blandrati insidijs postquam Principem è Catholico Lutheranum fecit, familiaritate ipsius fretus, ad Arrianismum porro eum traducere statuit, Francisco Dauide eum in finem in aulam accersito. Hic ergo Segesuari præsente Ioanne Principe seu Rege multa impia contra antiquam de Trinitatis mysterio fidem pro concione effudit, nemine, ob Principis istis subridentis reuerentiam, opponere se aut contradicere ausso. Ex quo factum est, vt pestilens illud virus breui tempore in multos fuerit diffusum. Synodos ab istis conuocatas, aliaque id genus omitto, ne in hac miserabili & calamitosa prouincia diutius detineat. Quapropter eorum quæ sequuta sunt historiam paucis perstringam.

X. Inducijs inter Selimum & Maximilianum factis, Transyluani aliquantulum respirare incipiebant: quum ecce mors Ioannis tamquam decumanus fluctus superueniens, nouas tempestates & turbas excitauit. Licet enim Ioannes Arrianismo non occulte fauerit, pœnitentiæ tamen ductus, Maximilianum Imperatorem successorem sibi nominarat. At Transyluaniæ proceres exterorum pertæsi imperium, suæ gentis Principem sibi optabant; Lutherani inprimis & occulti Sacramentarij, qui parum tutos se arbitrabantur, si Principatus ad Maximilianum Catholicæ religionis studiosissimum & summa potentia præditum deuolueretur. Ab his ergo Princeps eligitur *Stephanus Batorius*; cui quamuis Catholico illi tanto magis fidebant, quod non dubitarent contentione illa de Principatu ipsius erga Maximilianum, quem ipsi pariter oderant & meruebant, odium valde exasperatum iri. His ita inter se commissis, vtrimque bellum paratur. Quia vero Sultanum Batorio non minus quam Ioanni antea fauere certum erat, Maximilianus ad omnes Christianos Reges ac Principes Legatis missis, opem eorum implorauit, qua à protestantibus frustratus fuerat, eo quod petitione ipsorum de religione annuere noluisset. Quum ergo Imperium summis cum difficultatibus inter frequentes Turcarum assultus, Hungarorum & Transyluanorum proditiones, ac hæreticorum minas administrasset, cœlesti illa immarcesibili corona à Deo per mortem donatus, terrestrem hanc & Imperialem Rudolpho filio reliquit, cui iam ante mortem patris Hungarica corona ab Episcopis Agriensi & Zagabriensi Posonij imposita fuerat, & ius traditum in annexum ei Transyluaniæ Principatum; quum prius iureiurando se astrinxisset, *Catholicam se Ecclesiam & contra Turcas & contra hæreticos, constanter & fidelit. defensurum*, quorum hi clandestinis suis machinationibus Christianæ Reipublicæ non minus nocent, quam illi vi aperta.

XI. Ad inuidiam vero minuendam, Batorius repudiato regis nomine, Princeps tantum Transyluaniæ dici voluit, & quia facile videbat, sub-

ditos vi ad Catholicam religionem adducere se non posse, lenioribus remedijs vtendum sibi duxit. Claudiopoli ergo, vbi mira erat Arrianorum multitudo, Societati Iesu Collegium exstruxit, hanc, ceterorum Regum ac Principum exemplo, commodissimam rationem existimãs pestem quæ sub priori Principe longe lateque grassata fuerat, reprimendi. Tanta vero de Principis huius virtute fuit existimatio, vt Poloni, post Henrici III. Gallorum regis discessum, vel reditum in Franciam, eum præ ceteris regno dignum iudicarint, Anno 1572. Itaque in Poloniam proficiscens Stephanus Transyluaniæ Principatum in manus fratris sui *Christophori*, non minus Catholicæ religionis amantissimi Principis, consignauit, eique præ ceteris omnibus rebus, curam Patrum Societatis Iesu, suis auspicijs in eam prouinciam adductorum, commendauit. Quod mandatum ille diligenter exsequutus est, & prædictos Patres in possessionẽ Collegij Claudiopolitani misit, eo ipso tempore quo Prouinciæ Ordines comitia Tordæ habebãt: Anno 1579. qui quum Principem à proposito hoc diuertere frustra tentassent, ad eum in hanc sententiam scripserunt: *Intellexisse se quum ex ipsius, tum ex serenissimi Poloniæ regis litteris caussas, ob quas Iesuitarum Societatem in Transyluaniam introduxerit: quorum quum potissima sit iuuentutis institutio, regare se etiam atque etiam, vt Patres illi intra prædictos limites continere se iubeantur, ne ob religionis diuersitatem motus turbus occasio detur.* Quum vero Princeps Christophorus eisdem etiam Albæ Iuliæ Collegium assignare veller, vt ad tam copiosam messem boni operarij vndique suppeterent, & res tantum non ãbi conclamatæ in melius restituerentur: ijdem Ordines, (in quibus omne genus erat hæreticorũ) Claudiopoli Anno M. D. LXXXI. congregati, Prædicantium impulsu rursus ei supplicarunt, *ne Iesuitas amplius introduci sineret. Quod si qua ciuitas sit quæ Romanæ religionis Ecclesiasten desideret, prius inquiri iuberet an id petentium tantus sit numerus, vt Pastore opus habere videantur; ac tum demum aliquis accersatur. Æquum vero non esse, vt in paucorum hominum gratiam publica quies perturbetur.* Perstabat nihilominus in proposito Princeps; sic vt institutis ad votum Collegijs, plurimi indies ad Ecclesiam, quam temere deseruerant, sint reuersi.

Christophoro vita functo, *Sigismundus Battorius* filius successit, magni animi summæque exspectationis iuuenis, cui vix dum nato communis hominum opinio Principatum fuerat augurata. Erat enim Catholicæ Ecclesiæ eiusque legum obseruantissimus, vt cuius omnis pueritia & adolescentia à Patribus Societatis Iesu tam litteris quam moribus formata & exculta fuerat. P. quidem Lesium pueritiæ suæ moderatorem, semper ille tãquam parentem obseruauit & coluit: cuius potissimum instinctu, dissoluto quod prædecessores ipsius cum Turcarum tyranno contraxerant federe, & abdicato ipsius patrocinio, fedus cum Rudolpho Imperatore inijt, quæque ad status sui defensionem pertinerent, diligenter præparauit, dicens, *malle se cum Christianis sociatum omnia perdere, quam infidelibus imperium & salutem debere.* O felicem & glorioſum Principem, si exitus tam præclaris principijs respondisset! In quæ præcipitia Reges & Principes ab ambitione, inuidia & zelotypia abducuntur! sic vt ad ea sæpe descendant quæ numquam antea præuiderant, immo ne cogitarant quidem: quemadmodum huic Principi accidit, vt in sequentibus videbimus

XII. Quum hoc modo Catholicis res sub Sigismũdi Principatu, qui Patrũ Societatis Iesu Consilijs præcipue vtebatur, prospere aliquamdiu cederent, & eorundem opera multi quotidie ex hæresi ad Catholicam fidem conuerterentur: ecce diabolus proceres aliquot, Lutheranis, Caluinistis vel Arrianis etiam fauentes suscitat, ad fedus inter se sub libertatis prætextu, in Catholicæ Ecclesiæ, cuius prosperitati inuidebant, perniciem ineundum: *qui decreto facto, Anno 1588. contemta Principis ætate, Patres omnes è Transyluania proscripserunt. Hi vero iniuste secum agi, querentibus, & vt lege secum ageretur, qui secundum leges recepti essent, neque inauditi damnarentur, aut vt si quod vel in moribus vel in doctrina scandalum commississent, id demonstraretur postulãtibus,* responsum fuit, Nullas alias ipsorum partes esse quam obedire, quos facile appareat ad hoc à Papa esse conductos, vt prouinciam sub Romanæ Ecclesiæ iugum redigant: eum vero conatũ sibi præuertendum esse. Sic ergo Principe valde inuito & reluctante Patres è prouincia electi, domicilium alibi quæsiuerunt: vixque hoc datum fuit Principis precibus, vt P. Alphonsum Carillium sibi retinere liceret. Non multo post Patrum discessum coniuratio contra Principem fuit inita, cuius dux fuit Balthasar Battorius Sigismundo proxima cognatione iunctus, Andreæ Cardinalis frater: qui cum socijs coniurationis, Sigismundo vel ferro vel veneno è medio sublato, Principatum inuadere constituerat. Huius tam scelestæ coniurationis quum

indicia

indicia quædam emanassent, Sigismundus P. Alphonso ad Cæsarem ablegato, quid in tanta re faciundum sibi esset, Consilium exquisiuit, in qua nullius alterius fidem periclitari vellet. Alphonso in itinere à coniuratis comprehenso, litterisque ad Imperatorem prolatis, adeoque tota re patefacta, Sigismundus cum fidelioribus aliquot ministris, ne in coniuratorum manus incideret, discedit: illi vero indicto statim conuentu, coram Ordinibus proponunt: Quandoquidem Sigismundus Princeps sua sponte Principatum deseruerit, priuatam vitam posthac acturus, reliquum esse vt nouus Princeps eligatur. Id Balthasaris potissimum Bartorij instinctu factum fuit: qui Ordinum suffragia in se inclinatura sperabat, vt qui ad eam dignitatem adspiraret, patrem non haberet. Interim idem P. Carillium dimitti iubet Sigismundus quum locis turis aliquamdiu se continuisset, vt quam viam Baltasar institurus esset, interea videret, tandem ad Imperatorem proficisci decreuit: verum P. Carillius in via ei occurrens, persuasit, ne longius discederet, eaque ratione omnium voluntates multo magis à se se abalienaret, ac tandem etiam ab amicis, & qui à partibus ipsius adhuc stabant, deseretur. Tuto eum quum omnibus Catholicis, tum maximæ populi parti fidere posse. Carillii Consilio obsequutus Sigismundus, *Ordines prouincia certiores facit, falsum esse rumorem de se sparsum, quod Principatui renunciauerit. Quod vero in tutum locum secesserit, causas se graues habere, ac præsertim vt insidias vitæ suæ sine vlla causa structas euitaret: qui tamen ne minima quidem offensionis sibi conscius sit, nec quidquam magis in votis habeat quam Principatum à patre sibi relictum sartum tectum conseruare.* His in conuentu perlectis literis, non Ordines tantum qui conuentui intererant, sed etiam maior populi pars vna voce exclamarunt, *Volumus Sigismundum, Volumus Sigismundum.* Quare obstupefactus Baltasar, dissimulato suo conatu, & ipse assensit.

XIII. Sic ergo ad Sigismundum Legati mittuntur, qui communi nomine eum vt rediret, rogarent; ille vero vt sibi redeunti Iesuitas reducere liceret, omnino volebat, tãdem vero precibus quorundam vt tempori obsecundaret, & meliorem exspectaret occasionem victus, sine illis reuersus est, ab accurrẽte vndique multitudine incredibili plausu & gaudio exceptus. Baltasar quoque cum socijs honorifice ei obuiam processit, superiora excusans, & omnem in posterum obedientiam promittens. Quemadmodum vero illi conatus suos quibus poterant coloribus excusabant; ita Sigismundus vindictæ, quam animo voluebat, studium omnibus modis celabat, atque illis inprimis quibus maxime infensus erat, singularem benuolentiam & fauorem ostentabat; in Baltasarem quoque noui Comitatus beneficio collato. Tandem vero siue nouis contra se insidijs compertis, siue priorum iniuriarum adhuc memor (absolute enim imperandi cupiditas siue zelotypia omnia etiam arctissimæ cognationis vincula rumpit) captantes capere, & suis ipsorum irretire laqueis decreuit. Restanto consciorum silentio & fide acta, vt per armatos aliquot homines viginti circiter proceribus, qui officij causa ad templum euntem comitaturi aduenerant, manum iniici iusserit; quorum deinde aliquot ad dicendam causam productos, & perfidiæ convictos, in carcere necari iussit, Baltasarem inprimis, multa nequicquam cum multis lachrymis obsecrantem. Redeunde ad prouinciæ Ordines, cur scilicet extremis istis remedijs sibi vtendum, & perfidorum conatibus obuiam eundum statuisset, relata, Principatum porro tranquille administrauit. Amurathes interim indignissime ferens, quod Sigismundus Rudolphi Cæsaris amicitiam suæ prætulisset, Sinanem Bassam cum centum armatorum millibus contra ipsum ablegauit, cum mandatis vt vivum aut mortuum in suam redigeret potestatem: cui Sigismundus imberbis fere adhuc, sed forti & magno animo iuuenis, cum quinquaginta millibus se se obiecit, & magnam Turcici exercitus partem concidit. Videre ibi erat religiosos seu monachos nostros per mediam aciem, inter tormentorum fumum & fragorem, crucifixi imaginem in manibus gestantes discurrere, & Christianos ad fortiter pugnandum animare. Victoria hæc, quam postea Lippæ recuperatio valde auxit, inter paucas fuit memorabilis, & Principi huic iuueni magnam existimationem & gloriam, toti vero Christianæ reipublicæ magna commoda, adeoque securitatem peperit: tantis illustrior, quod contra veteranum & multis contra nostros victorijs insolentem ducem, à tam paucorum annorum Principe parta esset. Secundum hæc Sigismundus Patres Societatis Iesu, abolito quod Anno M. D. LXXXVIII. contra eos promulgatum fuerat, decreto, Anno M. D. XCV. in veteres sedes & domicilia reduxit,

duxit, Catholicis passim vehementi gaudio exsultantibus, inimicis vero ipsorum, qui societatem hanc cane peius & angue oderunt, metu perculsis: sicque restitutis Collegijs, etiam publicas habendi conciones populumque docendi facultas ijsdem concessa est.

XIV. Post Iesuitarum discessum superioribus annis in Transyluaniam venerat monachus quidam, Calaber natione, sicque in Principis familiaritatem se insinuarat, vt Confessarius ipsius factus sit. Hunc plerique omnium eorum malorum quæ Principi postea acciderunt, auctorem, fuisse perhibent, vt qui & necromanticus fuerit, & omnibus odiosus. Quum enim Princeps Anno 1595. vxorem duxisset Mariam Christianam, Caroli Austriæ Archiducis filiam, ita frigidum & maleficiatum se sensit, vt lenta tabe in singulas horas consumi videretur: & quamuis absentis amore flagrantissimo æstuaret, præsentis tamen ne aspectum quidem ferre posset. Idque malum tanto erat grauius quod nullum ei remedium afferri posset. Optimum virum P. Magium in Polonia & Austria diu versatum, quum Anno M. DCI. in Franciam venisset, vt cum Rege de restituenda Societate ageret, Burdigalæ narrantem audisse memini, nuptiarum die feminam quandam in templo visam fuisse, inusitos quosdam characteres humi describentem; idque tum non animaduersum, postea fascini causam fuisse creditam. Alij monacho illi Calabro maleficium hoc adscribunt, eumque cum habitu isto ad Principem ideo venisse putant, vt tanto faciliorem haberet accessum, quem scilicet optime erga religiosos affectum esse sciret. Diuina certe eum vltio non multo post sequuta est, phthiriasi miserabiliter consumtum.

Tantis malis afflictus Princeps (nam & acerbissimos sentiebat cruciatus, & animo ita nonnum quam abalienabatur, vt insanire videretur. Anno 1596. Piagam ad Imperatorem profectus, totius prouinciæ imperium in manus eius consignauit, pro compensatione accepto quodam in Silesia Ducatu: valetudine inter a siue vi morbi, seu remediorum violentia, tam animi quam corporis in deterius vergente. Viennam deinde profectus, Anno 1599. in festo Corporis Christi vna cum Matthia & Maximiliano Archiducibus, venerabilem Eucharistiam in solenni processione comitans, ob rerum ante gestarum magnitudinem, omnium oculos in se conuertit, nequissimum illum maleficum, qui tam generosi Principis valetudinem corrupisset, vna voce detestantium. Quum deinde in Silesiam venisset, & ditiunculam quam pro amplissimo Principatu acceperat, lustrasset, pœnitere eum conditionis cœpit, quumque Maximilianum Archiducem in itinere iam esse, adeoque Cassouiam, vt prouinciam fratris Imperatoris Rudolphi nomine administraret, venisse accepisset, clam conscenso equo, relictis omnibus quæ apportauerat, celerrime in Transyluaniam contendit, ab Ordinibus, quamuis Rudolpho Imperatori fidem iam & obedientiam præstitissent, summa cum gratulatione receptus. Rudolphus Imperator etsi hac Principis inconstantia non mediocriter esset offensus, tamen non modo familiam eius liberam dimitti, verum etiam bona quæ secum attulerat, restitui ei iussit. Non multo post idem Sigismundus, animaduertens se tanto imperio moderando in hac animi imbecillitate ne quaquam parem esse, quum absentis vxoris lectissimæ feminæ amore æstuaret, cuius præsentis, vt diximus, ne conspectum quidem ferre posset, Andream Batorium Cardinalem, cognatum suum, acerrimum antea inimicum, vt qui post Baltasaris fratris necem cœlum & terram contra Sigismundum iritare numquam cessarat, è Polonia accersiuit, eique prouinciæ imperium, assentientibus ordinibus tradidit, ipse vero in Poloniam abijt, vt ibi quod reliquum erat vitæ, priuatus exigeret, redditibus quibusdam sibi reseruatis, præter opulentam admodum supellectilem & magnam pecuniæ vim, quam Sinane Bassa profligato è præda confecerat: quæ tamen breui post tota incendio perijt, omnibus quasi elementis in miseri Principis exitium vnà conspirantibus. Eodem tempore vxor Sigismundi tantorum malorum pertæsa, in monasterium quoddam Monialium concessit. Andreas Cardinalis accepta in fidem prouincia, cum Imperatore per legatos de pace statim tractare cœpit, Pontificis potissimum interuentu. Interim Michael Moldauiæ VVaiuoda siue præfectus, cum magno exercitu in Transyluaniam profectus, multa loca, non prius denunciato bello, occupat. Cardinalis tam insperato casu oppressus, nec vllius iniuriæ aut inimicitiæ contra Michaelem sibi conscius, missis ad eum legatis, cur cum exercitu in prouinciam descenderit, exquirit; atque etiam a Legato seu Nuncio Pontificio impetrat, vt tamquam pacis mediator, se interponeret, & ad arma deponenda hominem exhortaretur. Ille vero nihil cunctatus, Legatum arce

quadam

quadam includit, & magnis itineribus cum exercitu progressus, missoque fecialì à Turcarum Sultano mandatum sibi esse dicit, vt totam Batoriorum, à quibus superiori tempore non mediocrem cladem acceperat, funditus deleret: idem etiam sibi à Romano Imperatore Rudolpho iniunctum. Ea re accepta, Cardinalis quantas potest copias contrahit; & quamuis viribus multo esset inferior, primam VValachi aciem fundit ac sternit: sed redintegrato prœlio, à Gaspare Cornisio Atriano, equitatus duce, vt & Botscaio Varadini præfecto Lutherano, Ecclesiastici hominis imperium moleste ferentibus, turpiter desertus, noctis vsus beneficio, ægre euasit. Dum vero aliquamdiu hinc inde vagatur, tandem ex equo admodum lassò ipse non minus lassus descendit, & in herba exporrectus à somno opprimitur. Delati ad eundem locum pastores quidam, miserum Principem sic deprehensum, non agnitum suo ipsius gladio iugulant, caputque eiamputant: quod VValachi iussu postea depictum, vnà cum acinace, equo & signo Cardinalis, Viennam ad Matthiam Archiducem Matthiam missum fuit. Hoc modo Michael VValachiæ VVaiuoda Transyluaniam occupauit, ac deinde Cæsaris Rudolphi nomine aliquamdiu administrauit: homo Græcæ fidei, & acerrimus Antitrinitariorum & Sacramentariorum hostis. Quum vero Imperator animaduerteret, VValachum absolutum affectare imperium, & pernicio-sa sibi tractare Consilia; Georgio Bastæ viro rei militaris, quam sub Ioanne Austrio & Alexandro Farnesio Parmensi Principe in Belgio didicerat, peritissimo, prouinciæ occupandæ, hominisque in potestatem suam redigendi negocium dedit: quod & ille feliciter confecit & VValachum prœlio victum occidit. Quia vero multi adhuc in Transyluania erant Battorianarum partium studiosi; Sigismundus eorum fauore fretus è Polonia in prouinciam redijt, & Principatum toties iam desertum, rursus occupauit; interim vero cum Rudolpho Cæsare de pace & amicitia ineunda egit, additis minis, nisi prouinciam ipsius voluntate obtineret Turcarum opem & patrocinium se imploraturum. Sic misera hæc & infelix regio varijs modo prosperæ modo aduersæ fortunæ casibus diu agitata, ac tandem extremis quas bellum adfert calamitatibus afflicta fuit, & tantum non pessumdata.

XIII. Et hic quidem Transyluaniæ fuit status, in qua multiplex hæresis Arrianorum, Antitrinitariorum, Sabbatharíorum, Lutheranorum, Caluinistarum, & Anabaptistarum, cruentas admodum tragœdias excitauit. Quamquam enim Anno M. D. LVIII. Tordæ vt & postea A. M D LIX. Albæ Iuliæ, & rursus Anno M. D. LX Claudiopoli in Ordinum comitijs decretum fuerit, ne præter Catholicam & Lutheranam, vllius in tota prouincia religionis exercitium permitteretur; paullatim tamen infinita illa confusaneorum sectarum multitudo irrepsit. *Ecce hic Christus est*, aiebat Antitrinitarius: *ecce eum apud nos*, replicabat Arrianus: *non vestra, sed nostra fides vera est*, clamabant Anabaptistæ, Tritheitæ, Samosatæniani, Caluinistæ. Et quemadmodum homines desperati totam, quod dicitur, iacere aleam nihil pensi habent; sic multi ex proceribus, in tanta dissipatium & toto cœlo diffidentium sectarum turba, omnem fere religionis, adeoque etiam reipublicæ curã deseruerunt. Hinc decretum illud Anno M. D LXIII. ipsa S. Trinitatis Dominica factum, *vt quisque quam vellet religionem sequeretur, & diuersarum sectarum concionatores alys, ac rursus hi alijs, eodem in templo docendi & suo modo sacra exercendi, & Sacramenta administrandi locum darent:* quod & postea Anno M. D. LXVI. Tordæ, & Anno M. D LXXI. Vasarhele in Ordinum conuentu confirmatum fuit. Ab Anno quidem M. D. XL. Lutherana religio sola præter Catholicam, in prouincia hac locum habuit (Arriani enim in occulto latentes, nomen suum profiteri non audebant) at postquam Caluinistis aditus patefactus est, omnis illa sectarum turba vnà irrupit, quasi tali publicato decreto: *Accurrite huc Beelzebub, Astharoth & omnes maligni atque infernales Spiritus: incudem vestram tundite, fabricate vobis arma quibus veram religionem oppugnetis, atque etiam si fieri posset, exscindatis: huc huc agite, socios vestros visite, obuijs vlnis ad excipiendum vos paratos; Iesu Christi Deitatem primum, deinde humanitatem oppugnantes, purum & nudum hominem, æqualem Mahumeti Prophetam fuisse dictantes, negantes eius omnipotentiam, & Sacramenta truncantes ac scelerate euertentes.* O pulchrum decretum! Vt scilicet quisque pro suo arbitratu viuat & credat quod velit Sanctam hanc de Christiana libertate legem à Luthero tantopere deprædicatam, successores eius religiose admodum seruarunt. In Transyluania certe quotiescunque nouus Princeps electus fuit, ista conditio ei fuit imposita, vt quam quis vellet profitendi religionem omnibus liberam concederet facultatem: ex quo factum

est, vt nihil postea à plerisque crederetur: adeoque de vera religione plane actum fuisset, nisi PP. Societatis Iesu Claudiopoli & Albæ Iuliæ semina eius conseruassent, & bonæ incolarum parti ad salutem ducesatque auctores fuissent, cum certa spe etiam reliquos, per Dei gratiam, in viam reducendi, dum modo idem Deus optimus maximus amplissimam hanc prouinciam contra Turcarum machinationes & vim conseruaret; qui hæreticorum fauore adducti, firmissimum hoc Christianæ Reipublicæ vel occupare vel totum destruere multis iam annis numquam desiterunt.

QVIBVS MODIS HAERESES IN Poloniæ regnum irrepserint.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

I. *Polonia ab hæresi immunis, vsque ad Lutheri exitium obitum.*

II. *Sigismundus I. Lutheranæ hæresi fortiter opponit: cui Sigismundi II. secordia aditum deinde aperuit.*

III. *Quinam auctores fuerint earum hæseon quæ etiamnum Poloniam affligunt.*

IV. *Polonia & circumiacentes regiones vnam tunc religionem coluerunt.*

V. *Caluinistæ & Lutherani confusionum istarum causam sibi inuicem imputant.*

VI. *Euangelici Catholicos Turcas appellant.*

I. IN Poloniæ regno Catholica religio sincera & incorrupta mansit ex eo vsque tempore quo Miecislaus deserto paganismo, Christianam fidem amplexus est; nec vllam hactenus senserat mutationem. Quamuis enim Hussitæ, Bohemi, tam lingua quam moribus Polonis fere similes, sectæ suæ virus in Poloniam deriuare ac diffundere modis omnibus conati sint; à generali tamen Ecclesiæ consensu eiusque vnitate auellere eam numquam potuerunt. Ex ijs aliqui ab Abrahamo Sbancio viro nobili in Sbansino arce alebantur, qui virus suum in populum spargerent, (a) sed Poloni Bohemorum mutuis se cladibus atterentium, ac totum regnum extremis periculis inuoluentium exemplo prudentiores facti, in veteri religione perstabant, & supremi in Ecclesia Pastoris dicto erant audientes. Tantus vero Poloniæ regum erga Catholicam religionem ardor fuit & zelus hactenus, vt regna hæresibus infecta vltro oblata, repudiarent. Quum enim Vladislao Bohemiæ regnum ab Hussitis oblatum esset, ille accipere illud magno animo recusauit, legatis respondit *religioni sibi esse hæreticis imperare. Redirent prius ad Ecclesiam, tum conditionem regnandi se acceptarum.* Atque hoc modo natio Polonorum tam populosa, quam bellicosa ab hæreseos labe immunis fuit conseruata. Quam ob causam immortale illud Poloniæ decus Cardinalis Hosius ait, *præ ceteris omnibus populis hanc Polonos gratiam Deo debere, quod numquam pugnantibus inter se hæreticorum doctrinis fuerint seducti, nisi post excitatum à Luthero schisma. Antea enim vnam omnium & eandem fuisse vocem & doctrinam, ac summum in tota religione consensum: vt facile ciuitas illa potuerit recognosci, cuius participatio, vt regius Psaltes inquit, in idipsum* (b). Hoc vero diuinum beneficium post Deum singulari Regum ac Principum pietati acceptum ferendum est: quibus solis cum Christianissimo & Nauarræis regibus id iuris concessum est, vt coronas superius clausas gestent, supremi dominij & ab omni alieno imperio liberi insigne; atque etiam sacro Chrismate vngantur. Nam Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ, Gothiæ, Bohemiæ, Hungariæ, Neapolis, Siciliæ, atque etiam Angliæ reges coronas gestant superiori parte apertas, vt qui plerique superiorem agnoscant. Quanto vero tam Catholicæ defendendæ quam propugnandæ religionis desiderio Poloniæ reges flagrarint, bella quæ contra infideles continua fere gesserunt, tum etiam magnifica templa in honorem eius, qui pro Mundi peccatis crucifixus est, erecta, & amplissimis redditibus dotata, facile demonstrant. Quum enim pleræque aliæ nationes decimas tantum bonorum Ecclesiastico ordini assignassent, hæc vna tertiam regij patrimonij partem tribuisse videtur.

II. Exorto vero Lutherano schismate, & hæresi per totam Germaniam grassante, contagio quoque tanti mali ad Poloniam peruenit, nihil minus metuentem quam fore vt tantæ turbæ ex tam tenuibus principijs nascantur. Rex quidem Sigismun-

a *Cromerus lib. 21.* b *psal. 121. 3.*

giſmundus I. cuius ob ſingularem virtutem & prudentiam tanta erat exiſtimatio, vt ab omnibus Principibus etiam ab ipſo Solimanno Pater appellaretur, memor rem ſuam agi, *paries quum proximus ardet.*

Conuocatis regni Ordinibus, aſſentiente maiori proterum parte, decretum promulgauit, *vt qui à Catholica diſcederent Eccleſia, pro Dei & Reipublicæ hoſtibus, ac læſæ diuinæ & humanæ maieſtatis reis, adeoque patriæ proditoribus, haberentur, & tamquam inteſtabiles ex Nobilium albo eraderentur.* Salutare hoc decretum poſtea totius Nobilitatis & regni Senatorum aſſenſu confirmatum, eoque omnes Lutheranæ hæreſeos conatus diu eluſi ſunt & repreſſi. Inprimis vero illud Rex prudentiſſimus cauerat(c), *ne iuuentus ad Germania ſcholas hæreſi infectas ablegaretur, neque etiam litterarum doctores ac profeſſores è Germania accerſerentur.* Nihilominus tamen quidam vulpecularum more clanculum in Poloniam maiorem irrepſere, Picardi inprimis, Iacobi cuiuſdam Oſtrorogi, ductu, itemque Lutherana ſecta Cozmitretum primum ac deinde Poſnaniam à Stanislao Oſtrorogio introducta gliſcere cœpit. Et duo hi quidem fratres libera paternæ labis & hæreticæ contagionis hæredes reliquerunt. Porro Sigiſmundo Anno MDXLVIII. octuageſimo primo ſuæ ætatis anno rebus humanis exemto, *Sigiſmundus II.* filius ſucceſſit, Nobilitati magis quam regni ſenatoribus addictus, neque Lutheranis admodum infeſtus: ex quo magna rerum mutatio ſequuta eſt, non paucis è Nobilitate domum è Germania, quo à parentibus miſſi fuerant, reuerſis, & Auguſtanæ Confeſſionis apportata ſecum doctrina. Sed alij nouitatis auidi liberis ſuis ex VVitebergenſi & Lipſienſi Academijs alijſque locis hæreſi infectis præceptores accerſiuerunt: inter quos fuerunt Euſtachius Treſca & Matthæus Poleius, iuuenibus aliquot ex nobili & opulenta Goranorum familia moderandis atque erudiendis appoſiti ac pauxillo momento id hominum genus, Melanchthonis, ad quem mortuo Luthero omnes tamquam ad oraculum recurrebant, conſilijs vſi, longe lateque virus ſuum diffuderant, corruptis iuuentutis animis, & dulci illa Euangelica libertate, (qua vota proculcantur, ſpernuntur ieiunia, exterminantur peccatorum Confeſſiones & pœnitentia, apud Catholicos religioſe hactenus & rigide obſeruata) ineſcatis. Chriſtophorus Hegendorphinus ad moderandam iuuentutem & litteras docendas Poſnaniam accitus, primus Lutheri Catechiſmum diſcipulis obtruſit; cuius exemplum collegæ aliquot & Gymnaſiorum rectores mox ſequuti ſunt; dum interea Huſſitici quidam Prædicantes populum itidem ſermonibus ſuis ſeducere allaborant. Sed Andreas Bninius Poſnanienſis Epiſcopus iam pridem Abrahamum Sbanſcium Huſſitis fauentem, vi aggreſſus, dedi ſibi quinque ſacerdotes Bohemos coegit, & inſtaurato Poſnaniæ iudicio, publice cremauit: ſed poſtea vis contagionis indies latius proſerpentis, non paruam Nobilitatis partem infecit, adeoque ad ipſos regni ſenatores peruaſit, à patribus quaſi hæreditario iure in liberos translato, ſpreta, vel exoleta potius, cuius ſupra meminimus, lege, & apud ignobile tantum vulgus vim habere iuſſa: vt Sigiſmundi Auguſti *leges recte aranearum telis ſimiles* dictæ ſint, quæ muſcas tantum detinent, ſed à veſpis & crabronibus facile perrumpuntur. Graues quidem tam Epiſcoporum quam totius ordinis Eccleſiaſtici querelæ ad regem vndique deferebantur; ſed tam ſegniter ille & remiſſe omnia adminiſtrabat, vt Hæreſis breui tempore ad omnes regni ordines penetrarit. Procerum enim quorundam, qui Auguſtanam Confeſſionem aperte profitebantur, offenſionem magnopere verebatur, quorum auxilijs ipſi hinc contra Moſcouitas, illinc contra Tartaros grauiſſimis bellis impedito, opus erat. Neque vero in hac tantum re Sigiſmundus Auguſtus, ſed & in alijs omnibus eiuſmodi cunctatione vtebatur, vt inde à quibuſdam *Rex Giotron*, id eſt, *Rex craſtinus* fuerit appellatus, quod ſcilicet omnia differret ac procraſtinaret. Sed & in hoc grauiter ab eodem peccatum eſt, quod & ſectarijs conuentus habendi poteſtatem fecit, & templa ad nouæ religionis exercitium poſtulantibus aures præbuit; at cœlum ipſum tantas iniurias & blaſphemias hæreticorum non ferens, eodem tempore fulmen in ædes vbi illi conuenerant, immiſit, vt Hoſius teſtatur, regem in hæc verba, commonefaciens:(d) *Ne cogitaret forte fortuna ædes illas, in quibus de diuiſione Eccleſiæ agebatur, fulmine fuiſſe percuſſas. Dei hanc fuiſſe vocem, qua conſilia iſta damnarit; adeoque metuendum eſſe, niſi Rex iſtorum ſe conatibus opponat, multo vehementiorem tempeſtatem in caput ipſius incubituram.*

c *Anno* 1541. d *Hoſ. tract. de hæreſ.*

Ex quo effectum est, ut rex in Catholicæ quidem Ecclesiæ obedientia semper permanserit; nullo tamen violento contra hæresin remedio uti ausus fuerit, sed turbarum metu malum dissimularit. Simile quid Manuele Orientis Imperium tenente eveniſſe, historiæ testantur. (e) *Quum enim Constantinopoli ipso præsente Imperatore, de Salvatoris sacrificio disputaretur, quomodo scilicet fieri potuerit, ut Dei Verbum carne nostra vestitum, & verus homo factum, & sacrificium simul esset & sacrificator, ingens tonitru repente exauditum fuit, tanto maiori cum admiratione, quod anni tempus maxime esset alienum; quo plerique qui aderant fuere prostrati.* Eodem tempore, inquit Nicetas, *Elias vir doctus & celebris, librum aperuit, lectisque quæ ad tempus illud pertinebant, verba hæc invenit: Rumpe & cassus sapientum.* Et sicut Manuel Imperator, hactenus contempta Patrum auctoritate, Scripturam suo arbitratu & iudicio explicare solitus prodigiose hoc eventu motus fuit ut Ecclesiæ eiusque Doctorum auctoritati plus posthac deferret: ita Sigismund⁹ quoq; fulmine illo & alijs rebus monitus, nullum umquam edictum in hæreticorum favorem promulgavit, quam multipliciter urgeretur. Quin etiam à regni Ordinibus ac Senatoribus comitia VVarsoviæ celebrantibus, ut de religionis negocio cognosceret, rogatus, non minus pie quam prudenter respondit: *Rex ego sum non Pastor Ecclesiæ tantumque abest ut meum his de rebus velim interponere iudicium, ut etiam præsulum Ecclesiæ iudicio me submittere paratus sim.* Quia tamen idem conscientiarum libertatem, ut vocant, omnibus indulgebat, factum est ut regnum novarum doctrinarum mangonibus ac prædicatoribus, brevi tempore sic repletum, alijs è Saxonia, alijs ex Helvetia, Geneva præcipue & Tiguro accurrentibus. Quin etiam Servetum ex media Hispania eò advenisse constat, postquam Genevæ primæ impietatis suæ tyrocinia fecisset. Ex Italia vero Bernardinum Ochinum, & Valentinum Gentilem Mediolanensem, eodem commigrasse: sic ut brevi tempore tam varijs stirpibus infinita hæreseon & sectarum turba enata sit. Palatini quidam ad mutationem spectantes Melanchthonem consuluerunt, quænam ex tot religionibus, vt omnium optima & maxime sincera, amplectenda esset; missoq; eum in finem Petro Gomunscio Lithuano, qui quum Anno M. D. L. VI. VVitebergam veniſſet, Melanchthonem adijt, expositisque mandatis, Fidei confessionem exhibuit. Nam vt paullo ante quoque diximus, Luthero defuncto Melanchthonis præcipua erat inter Novatores auctoritas, sic vt tamquam supremũ Ecclesiæ illorum caput, tantum non adoraretur. Sed Philippus tot negocijs impeditus, respondendi partes Selnecero dedit, qui statim *Novam illam Polonorum doctrinam Arrianissimum sapere pronunciavit*: quod ubi Melanchthon intellexit, hominem sine ullo alio responso ad suos remisit.

Interea in Polonia, ut in ea parte Livoniæ, quæ Polonorum subest imperio, à populo pastores quales ipsi volebant eligebantur: eaque eligendi ratio diu fuit observata, ut scilicet tale munus petens ad senatum ingrediatur, positisque genibus, à Consulibus & magistratu afflatus, divinum scilicet spiritum accipiat. Inde manu eum apprehensum Consul in templum deducit, & in suggestum collocato Biblia Lutheri & Augustanam Confessionem in manus tradit, ut quidem Rescius scribit. (a) At forma hæc postea mutata fuit, sic ut solus superintendens Ministris futuris manus imponat, & Evangelium prædicandi concedat potestatem. Quis ergo miretur tantam in Polonia sectarum multitudinem quasi repente extitisse? quales sunt Antitrinitarij, Tritheistæ, Arriani, Samosateniani, alijque. O non minus horribilem quam miserabilem confusionem! qua Mahumetismo paullatim subrepenti via sternitur, ut Calviniſtæ & Lutherani à veritate coacti ipsi fatentur. Josias certe Simlerus quodam loco scribit, (g) *Poloniæ Ecclesias* (de Lutheranis vero loquitur) *in magno & evidenti esse periculo, eo quod Turcis admodum vicinæ sint & adfines eoque metuendum, ne novi hæretici, quorum magna ibi sit similitudo, Mahumetanam invehant doctrinam.* Idem Beza in quadam scribit epistola: & Sturmius Zuinglianus in libro quem contra Concordiæ Formulam edidit, *Vereri se*, inquit, *ne dissidium hoc religionis & Ecclesiarum, & Novæ subinde exorientes ibi hæreses Mahumetismo aditum patefaciant.*

III. Sed unde, quæso, novi isti hæretici, qui vobis metum incutiunt, prodierunt? Quis Arrianos, Deistas, Antitrinitarios, & alios tanta copia & varietate succrescentes produxit; Numquid ex Ochini, Gentilis, Blandrati, Statorij, Alciati & similis farinæ hominũ scholis illi prodierunt? qui omnes Evangelicos se initio professi, tandem ad Mahumetismum aut Arrianismum transierunt ut Jo-

annes

e *Nicetas libro 5. f In Atheis de sac. ord. g In libro de æter. Dei Filio.*

annes Harenius, qui in Belgio noui Euangelii ministerio aliquamdiu functus ad Catholicam postea rediit Ecclesiam, in libello quo conuersionis suæ explicat causſas scriptum reliquit. Beza ipse fatetur (h) Paullum Alciatum Mahumetanam religionem fuisse amplexum. Idem fecit celebris ille iconoclasta Amannus & Adamus Neuserus, Minister quondam Heidelbergensis ex Caluinista primo Arrianus, deinde ex Arriano Mahumetista factus, & Constantinopolim vna cum Ioanne Siluano profectus, Christianam fidem aperte abnegauit, vt Micheas Musulmannus apud Reginaldum (i) testatur: in Germania etiam plures alii ad Mahumetismum abducere conatus, vt videre est ex eo Colloquio quod Anno M. D. XCI. inter Catholicum quendam & Badium Caluinianæ religionis Ministrum fuit habitum; itemque ex ipsius Neuseri litteris ad Stephanum Gerlachium amicum Anno M. D. LXXIIII. die Iunij secundo scriptis. Eadem inconstantia fuit Blandrati, qui ex Lutherano Tritheista, ac tandem Mahumetanus euasit: itidemque Poloni cuiusdam Mustaphæ de Zansi nomine, qui quum initio Caluinista fuisset, tandem ad Mahumetismum defecit, & Turcici Imperatoris nomine apud Poloniæ regẽ Legationem obiuit, vt Surius scribit (k) Georgius Paullus vero Pastor Cracouiensis, Gonesius, Gribaldus, Volanus, Dauid & complures alii famosi Noui Euangelii in magnis tam Poloniæ quam Transiluaniæ ciuitatibus præcones, repudiato Caluinismo, Arrianismum aperte professi sunt. Idem fecit Lucas Steinbergerus, Lutheri discipulus & Noui Euangelii in Moravia prædicans: & præ ceteris miserabilis ille Bernadinus Ochinus, qui ad eas regiones profectus, quasi nulla hactenus veræ religionis fuisset notitia, nouos canones Ecclesiæ Christianæ (quorum exemplum Francofurti Anno M. D. LII impressum vidi) promulgauit.

IV. Ante Babylonicæ quondam turris molitionem vna tantum inter homines lingua & vnus sermo erat: postquam vero Nemrothus inaudita inflatus insolentia, quasi Deo bello indicere, & per superbam illam molem tamquam per scalas in cœlum conscendere tentauit, Deus ad disturbandum impotentissimi tyranni conatum, vnicam illam linguam in septuaginta alias penitus inter se dissonas, diuisit (l) primogeniam vero in Heberis, qui Noæ erat filius, & Deũ sincere colebat, familia conseruauit, à quo postea Hebræa siue Hebraica dici cœpit. Eodem modo antequam noui illi Apostoli, Ochinus, Gentilis, Alciatus & alij Babylonis operarij, in Sarmaticas illas regiones venissent, vnica tantum, nempe Catholica religio in Polonia, Transylvania, Hungaria, VValachia, Moldauia vigebat; omnes Catholico ritu sacra eodem modo faciebant, & sub Romanæ Ecclesiæ viuebant obedientia: à qua postquam illi se subduxissent, ea quam videmus variarum hæreseon monstra, & infelicia religionis dissidia exstiterunt, sic vt hæretici quidem in varias sectas distracti sint, vera autem religio penes Noæ posteros, id est, fideles ac Dei metuentes, tum maiorum vestigijs insistentes, incorrupta permanserit. Frãciscus Lisinanus monachus apostata (qui postea ad Alcoranum doctrinam suam conformauit) mutationibus illis & nouitatibus non leuem causſam dedit, non tam Noui Euangelij studio quam feminæ cuiusdam amore, cuius consuetudine vtebatur, Apocalypticæ Locustæ figuram exacte in se referens, nempe facrem mulierum. Quid multis? Nullus vmquam in toto terrarum orbe angulus tam fertilis, nullus vterus tam fecundus fuit, quam hæresis in Sarmaticis regionibus, in quibus fere tot sectas & religiones quot oppida & pagos reperias. Hinc Hedio ad Melanchthonem scribens *centum & viginti octo enumerat*: quarum nonnullæ tres esse Deos, aliæ vnum tantum Deum quidem esse docent, qui nihilominus diuersis modis & formis coli velit: aliæ vero (atque vtinam istorum hominum pars non multo esset maxima!) nullum Deum esse statuunt, aut si sit, eum tamen humanarum rerum nullam habere curam, sed in ocio beatam vitam agere, credo instar Sardanapali volunt indicare. More hominum perditorum cogitantes cum Ethnicis, nullam Deo esse humanarum rerum curam. Atqui si ita sit: quî fit quæso, vt qui Deos tales esse credunt, ipsorum altaribus non parcant.

Plessæus in Epistola quam ad Galliæ regem scripsit De Veritate religionis Christianæ contra atheos, conqueritur, *Miserabili hoc tempore impietatem quæ antea in occulto tantum mussarit, iam iugestum conscendere, & horrendas contra Deum Euangelium blasphemias effundere.* Hanc ego hominis

h *Vide Bezam epist. 26. i lib. 1. cap. 2 & lib. 3. Simler. in vita Bullingeri & de ator Dei filio Schlusselb. Theol. Calu. lib 1. Stanc de mediat. fol. 38. Caluin admon ad Polonos, k Anno 1583. l Gen. 11.*

confessionem accipio, & ex eo quæro, quando athei illi & Epicurei prodire cœperint? An non, postquam Lutherus, Calvinus, Beza, & ipse quoque Plessæus primævam fidem convulserunt, anno quando illi puteum abyssi aperuerunt, nempe credendi & vivendi uti placet libertatē? His quæ relis nihil frequentius in pseudo evangelicorum libris occurrit, ut apud Gastium in libro II. de Anabaptistarum erroribus, apud Corvinum in dialogis, & Hedionis ad Melanchtonem epistola videre est; quorum hic aperte queritur, *Novos illos Evangelicos incitato cursu ad atheismum ferri.* Idem ait, *Papatum iam reiici, sed interim vix quemquam Christianis digna opera facere, adeoque omnem fere Dei memoriam & reuerentiam ex hominum cordibus esse euulsam.* Ad quam impietatē vero deuentum fuerit, ex sequenti patet narratione. *Non procul à Cassouia Predicans quidam* (cuius sectæ fuerit, non addo, quum Rescius (*m*) quoque, à quo ista accepi omiserit) *conuocatis aliquot suæ farinæ hominibus, & testibus baptismi* (quos Compatres & Commatres vulgo vocamus) *accitis, omnibus quæ in Romana Ecclesia adhiberi solent, adhibitis verbis & cerimonijs porcum baptizavit. Alius quidam quum Cœnam distribuenti panis deesset, libum communicantibus porrexit*, Romantij in Delphinatu ij qui *Reformati* dicuntur, *vitulum in Quadragesima publice baptizarunt, & pro vitulo Lupum piscem appellarunt.* Sturmius quidem Evangelicæ suæ religionis in tot tamque diversas sectas distractionem in libro de iucunda concordia deplorans, vaticinatur, *nisi Evangelici Principes suam interponant auctoritatem, & dissidia illa exstinxerint, caveri non posse quin mille nova quotidie hæreses inter Euangelicos emergant, eandemque fortunam Europam, quam Asia, Africa & Græcia subituram? aditu iam tam ad Mahumetismum quam atheismum patefacto.* Negari sane non potest, multas Novorum istorum hæreticorum opiniones Alcorano seu Mahumetis delirijs valde esse affines. *Turcæ enim ex Mahumetis præscripto, unum Deum esse credunt; sed Trinitatem in vnitate negant. Iidem Iesum Christum pro vtraci Propheta, & homine, à peccatis immuni, è Maria Virgine sine peccati labe natohabent: quam solam vnà cum Iesu filio, ex omni Adami progenie à Sathana intactam fuisse, Mahumetes in Azoare 66. ait.* Idem inquit, (*n*) *Christum ad dexteram Dei in cœlu collocatum sedere, vnde olim ad generale iudicium venturus sit.* Ad personam Saluatoris certè quod attinet, complures hæretici è Lutheranis progressi, idem cum Turcis sentiunt. Exstat Hieronymi Zanchij olim in Palatinatu theologi liber, *De tribus Elohim & vno Iehova*, vbi pulchra illa dogmata leguntur. Ite iam, Ite maledicti atque abominabiles mortales, *qui vestra libertate nihil credendi licentiam publice omnibus proposuistis, & veram à vobis religionem denuo productam, Papatumque destructum; ac Lutherum & qui post ipsum exstiterunt, singulari diuini Spiritus radio & occultorum hactenus mysteriorum cognitione collustratos fuisse non minus vane quam ridicule iactitate.* In Polonia quidem & vicinis regionibus tabulæ quædam siue picturæ circumlatæ sunt, quibus Papatus ruina depicta effigebatur, templo quodam depicto, cuius tectum Lutherus in culmine sedens demolitur, & rudera deijcit, Zuinglius vero & Caluinus muros arietant. At Georgius Paullus Blandratus & alij istorum similes ligonibus fundamenta suffodiunt atq; funditus euertunt.

V. Tantorum dissidiorum & confusionum culpam Caluinistæ (de quorum doctrina & moribus fuse in hoc Opere tractabitur) Lutheranis, hi contra Caluinistis imputant, qui sub Euangelii prætextu, Arrianas, & Mahumetanas impietates spargant. Qua culpa ipsos non carere inde suspicari quis potest, quod Transyluani quidam & Rasciani litteras ad Mahumetanæ legis interpretem siue Talismannum Constantinopolim miserunt, quibus de ceremonijs Turcicæ circumcisionis erudiri petunt, eandem in Poloniam introducturi. Iacobus Andreæ Lutheranus thologus & Tubingensis Vniuersitatis Cancellarius, *Mirum non esse*, scribit, *quod multi in Polonia, Transyluania & Hungaria Caluinistæ Arriani, quidam etiam Mahumetani & Turcæ facti sint, quibus Caluinus doctrina sua latam iam dudum patefecerit fenestram.* Auctor vero historiæ Augustanæ de Cœna Domini, complures Caluinistas, horribili & detestando exemplo, deserto Christianismo ad Turcas defecisse inquit. Alij quoque à Petro Statorio Geneuæ educato, Arrianismum ex Caluini libris haustum publice prædicatum asserunt.

Andreas Volanus Lutheri sectator in Paræneſi ad Nouos Poloniæ Arrianos, *eos doctrinam suam Caluini auctoritate, cuius verba frequenter citent defendere* scribit. *Quumque initio Caluinista*

m *In Atheis. de Sacram. Baptismi.* n *Azoar. 5. & 31.*

nista quidam in Poloniam irrepsissent, Caluinum ab ijs quid de Antitrinitariorum & Arrianorum dogmatis sentiret, rogatum, ita respondisse, vt multo maiores ipsorum animis scrupulos iniecerit. Quorum aliquem in hanc sententiã ad eum scripsisse Sãcatus testatur: *Audisse se ex multis doctissimis illorum locorum viris, dissertationem ad Pinchonianos missam, à Gallo potius aut Blandrato quam à Caluino profectam videri: nec persuaderi sibi potuisse tot propositiones Arrianam & Eutychianam hæresin, ab ipso in libro Institutionum multis oppugnatam ac refutatam, sapienter Caluino excidisse: neq; vmquam hoc crediturũ fuisse, nisi alteris literis pro suis illas asseueret.* Hoc vero non Catholici tantum, verum etiam ij quos illi in Francia Patres suos appellant, & qui in Germania capitales ipsorum inimici sunt, testantur. Audiamus vnum ex istis, (o) ex Lutherano Arrianum & ex Arriano Mahumetistam factum, in epistola Anno M. D. LXXIV. die Iunij II. ad Stephanum Gerlachium scripta, & huius contra Danæum libello inserta, sic loquentem: *Neminem se vidisse suo tempore Arrianum factum, qui non prius Caluinista fuerit: quales sint Blandratus, Alciatus, Franciscus Dauid, Gentilis, Siluanus, alij. Qui ergo ab Arrianismo abhorreat, eum à Caluinismo sibi cauere debere.* Stancarus vero Lutheranus fratres suos hortatur, vt à Caluini libris legendis abstineant, & inprimis quæ ille de Trinitate, de incarnatione, de Eucharistia, de Baptismo, de Præscientia & Prædestinatione scripsit.

VI. Sed si verum dicere velimus, tam hi vere quam illi Turcis viam ante plane obstructam & inaccessibilem strauerunt. Iosias Simlerus in vita Bullingeri Zuingliani, infamia hac Brentiũ, Illyricum & Musculum onerat: interim vtrique Catholicos cum Mahumetanis copulant, & Catholicam religionem cum Mahumetanica comparant, sic vt Romanum Pontificem dicant multo infestiorem esse Iesu Christi hostem quam ipsum Turcam. Quum vero in Azoare XXXVII. legissent, bona opera meritoria esse ad salutem; & Mahumetem, sequentem id quod ipsa naturæ lex & ratio dictat, in Azoare XX asserere, Deũ vnicuique secundum bona aut mala opera retributurum; statim glossas has margini alleuerunt: *Ecce Papistarũ doctrinam.* Sic nuper Minister quidam de Caluini schola, epistolæ quam ad Nobilem eiusdem religionis virum scripserat, respondens, Romam cũ Mecha, & Catholicam Ecclesiam cum Turcica comparare non veretur. Verum vt promisso ipsi facto satisfaciam, sequenti capite quosdam nouæ religionis articulos cum Mahumetana conferam, vt appareat, Cardinalem Polum, quum videret Lutheranam doctrinam tam altas agere radices & longe lateque propagari, non sine caussa exclamasse: *Ecce Alcorani sementem.* Non equidem illud mihi propositum est, vt vllam personam iniuria afficiam; neque illos ego cum Iudæis aut Turcis, vt illi nos, iuxta æstimabo: quamuis præcipuis ipsorum doctoribus Melanchthoni & Bibliandro Alcorani versionem in Germania diligenter admodum impressam, debeamus, *è qua Michens Musulmannus* apud Reginaldum, cum honorifico sane istorum hominum elogio, *magnam Turcica secta accessionem factam gloriatur: quam etiam Præfationibus suis exornarunt, & lectoribus commendarunt;* licet si verum dicere velimus: in toto Alcorano nihil sit vel verbis elegans, vel sententijs lectum atque argutum, quod lectoris animum detinere possit; sed tetra quædam infinitorum errorum, deliriorum, mendaciorum & blasphemiarum raphsodia & colluuies: vt merito dici possit, in nullis quæ vnquam vsquam prodierunt scriptis, *Deum veritatem iudiciorum suorum contra eos qui ad cœleste lumen oculos claudunt, clarius manifestasse, quam in Alcorano.* Eundem tamen Lutherus liminari epistolæ exornare non dubitauit: in qua inter alia dicit, *si quis ex libro isto Papistarum mores & vitam cum Turcarum vita & moribus comparet, illos hu multo deteriores deprehensurum; seque ita putare, Papistam monachum aut clericum ne triduum quidem inter Turcas viuere posse, quin suam deserturus sit religionem. Tanta ibi videri miracula, tot monstrosa abstinentia & disciplina exempla, vt Carthusianis & Benedictinis, si cum istis conferantur, pudorem incutiant. Neque veros Christianos (ô horrendam blasphemiam, ab ipso Sathana eructatam!) neque ipsum Christum, neque Apostolos, neque Prophetas tanta vmquam fecisse.* Hæc Lutherus: ex quibus puto satis apparet, quæ à me hoc loco dicuntur, non ab vlla perturbati animi affectione promanare, sed ab ipsa Veritate dictari; neque me in protrahendis, sed istos in agnoscendis suis erroribus cæcutire. Sanctes quidem & Feuardentius in Caluini & Bezæ scriptis plus quam centum Arrianismos notarunt. Equidem hanc hæreseon inter se collationem lubenter missam facerem (Mahumetis-

o *Adamus Neusserus.*

metismus enim & ipse hæresis est inter Christianos nata non minus quam Lutheranismus) nisi verer illos silentium meum pro sua hac in re victoria interpretaturos. Agedum igitur pedem Novorum Euangelicorum & Reformatorum cum pede Mahometano confetamus.

COMPARATIO NOVÆ EVANgelicæ doctrinæ cum Mahumetana.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

I. *Complures noui Euangelij articuli Alcorano sunt conformes.*
II. *De Turcico quodam, qui Tolosa in Gallia fuit Legato.*
III. *Amurathes Turcarum Imperator à Christianis non alieno est animo.*
IV. *Narratio de Gallico apud Turcarum regem Oratore.*

I. QUEMADMODUM infelix ille *Sergius monachus apostata* præcipuum fuit Mahumetanæ instauratæ superstitionis instrumentum: sic *Lutherus excucullatus monachus* nostro tempore præcipuus fuit auctor schismatis omniumque hæreseon, quæ Christianam Rempublicam tantopere afflixerunt. Et quemadmodum *ad Mahumetanæ libertatis explicata signa monachi*, vt Bibliander scribit, sturnatim conuolarunt; sic *ad Lutherum magna apostaticorum turba se* adiunxit. Et vt Turcæ, *Muslmanni*, id est (vt Postellus interpretatur) *veri fideles* dici volunt: sic *Lutherani Euangelicos* sese appellarunt, quasi ipsi soli scilicet Euangelicam doctrinam sequerentur, quamuis etiam Catholici sub fidelium censerentur nomine Lutherani quidem *nihil maiori in precio habere se iactant quam Euangelium*, quod eorum quisque pro suo interpretatur lubitu; Turcæ similiter *Euangelium siue Noui Testamenti libros summo in honore habent*, in quibus suum inueniunt Messiam: ac si quis Noui testamenti libros ipsis exhibeat, eosdem deosculati, capiti imponunt: quod inter ipsos maximæ est reuerentiæ genus, (quo etiam magnates in Gallia, si quando litteras à Rege acceperint, vtuntur, & in hoc quidem nostros Euangelicos Turcæ præcedunt. Henrico quidem Albretano Nauarræ regi nullæ vmquã à rege missæ, fuerunt litteræ exhibitæ, quas non ille statim deosculatus, capiti imposuerit, his verbis additis: *Deus Regem Dominum meum conseruet!*

Mahumetes nouam suam legem Arabibus annuncians, *verum se Euangelium afferre iactauit, vt qui à Spiritu S. illustratus, & ad hoc tamquã Elnabi, id est, verus Propheta esset*, Lutherus quoque nouam suam doctrinam in Germania spargere incipiens, *Euangelistam se à Deo ad interpretanda fidei mysteria missum dixit, impudenter iactans: antequam ipse aduenisset, Mundum quid Christus esset nescisse.* Mahumetis discipuli missionem suam ex S. scriptura probant, XVIII. Deuteronomij, XI. Matthæi & VII. Lucæ capita allegantes. Lutherani similiter ad stabiliendam magistri sui legem, miseris hominibus persuadent, *ipsum stellam illam esse, de qua S. Ioannes Apostolus in Apocal. loquitur:* (a) quemadmodum Adrianus quoque fecit, ab Antinoo suo fascinatus, esse scilicet *illam stellam quam cælum in Mahumetu produxerit fauorem.* Mahumetes sub Gregorij Magni Pontificatu emergens, aiebat *Ecclesiam ab Antichristo infessam, & Euangelium quod Iesu Christus Dei nuncius, & Virginis filius attulerat esse corruptum.* Lutherus multis sæculis isto posterior, ait, *eodem tempore, nempe Anno DC. & eodem Pontifice, Antichristum, hominem peccati, in Iesu Christi locum sese ingessisse, qui totus tum velut amissus fuerit & in occulto latuerit.* Mahumetes inquit, *Deum initio quidem Mosen, deinde Christum sapientiam Patris ac Messiam in mundum hunc misisse, vt saluificam legem hominibus proponerent; quum vero lex illa à Christianis proculcari inciperet se à Deo allegatum esse, qui Mundum non amplius verbo & præceptis, sed ferro & viribus aggrederetur, & de nefario priorũ legis contemtu vltionem exposceret.* Idem Lutherus dicit, *se scilicet in id à Deo missum, vt Christianos, idololatria immersos abyssо ac plane perditos puniret.* Ecce quomodo vterq; eadem velut manu & eodem tempore Antichristum in S. Petri sede collocent, ac populo persuadere conentur, Deum Ecclesiam charissimam suam sponsam, velut adulteram ac mille modis prostitutam deseruisse. Mahumetana secta armis introducta ac propagata, solis armis ac vi nititur (hinc etiam Imperatori Turcarum Mosqueram

siue

a *Credo 12. cap. v 16. nam alia singulariter ibid. stella vocata infaustum quid sonant.*

sive templum ingrediendi Talismannus, id est, Mahumetanæ legis interpres occurrit, & alta voce verba ista inclamat: *Memineris, domine, imperium armis esse acquisitum, & armis conservari atque propagari oportere. Nova religio unde quæso, nisi ex insidijs, seditionibus & bellis initium habuit? Evangelij prima semina*, ait quidam seditionum in Frãcia non postremus auctor, *in campis Druydensibus, ubi cruentissima illa prælia commissa sunt, sparsa esse.* Mahumetes *ex sua religione omnia sacrificia sustulit, contra communem Naturæ instinctum, quæ docet, Deo non interiorem modo, sed etiam exteriorem quandam oblationem deberi.* Sic & nova religio non sine blasphemia, *omne sacrificium exterminavit.* Annon admirabilis in eo elucet Dei providentia, tam Mahumetem quam alios Ecclesiæ rebelles ita excæcantis, ut religionis omni sacrificio destitutæ fuerint auctores? Eius enim sacrificij institutione quod Jesus Christus Christianis reliquit & præscripsit, omnibus alijs sacrificijs quæ extra Ecclesiam fiunt, finem imponere voluit. Tres hodie sunt religiones quæ verum Deum adorant, Judaica Mahumetana & Christiana. Prima sacrificare non potest, destructo templo in quo solo Deus, sacrificari sibi iusserat. Secunda sacrificiũ nullum habet aut agnoscit. Tertia sola, Catholica nimirum religio sacrificium conservavit, & quotidie frequentat. Hoc quidem argumento Venerabilis Beda contra hæreticum, Missam sacrificium esse negantem, usus est, in hunc modum disputans: *Miser homo, quid facis? Annon vides, si Missa sacrificium non sit, te Deum præcipuo honore & officio, quod ipsi tam quam cœli & terræ Creatori debemus, spoliare? Si enim Christiani Deo non sacrificent, nullum omnino erit sacrificium; quum nec Turca, nec Judæus, sed soli veri Christiani Deo sacrificare possint, illi quippe diabolo sacrificant* Sed ad alios quoque utriusque, Mahumetanæ scilicet & novæ Evangelicæ doctrinæ articulos transeamus.

Turcæ *fato quodam & prædestinata fortuna omnia fieri credunt.* Similiter novi Evangelici, *Stoicã quandam prædestinationem invexerunt.* Mahumetana religio *Baptismum detestatur, & parvulis etiam non circumcisis cœlum aperit:* Lutherus quoque *Baptismum despicatui habet, ad salutem non necessarium esse docet, & infantes etiam non Baptizatos vult salvari.* Mahumetani *nullum peccatum originale esse credunt.* Lutherus quoque *labem illam quam è matris utero in hunc Mundum afferimus, contemnit.* Zuinglius *non peccatum, sed morbum quendam, velut famem, sitim & alias infirmitates esse dicit: eoque nihil posse dici ineptius, quam morbum istum per Baptismum tolli; & ob peccatum originale infantes cœlesti gloria privari.* Annon ex Alcorano tibi doctrina hæc videtur hausta? Quid hoc aliud est quam Turcarũ & Paganorum colonias in cœlum inducere. Quia enim solum peccatum cœlos occludit, nec quicquam obest baptismi defectus, sequitur sane infantes & Turcas & infideles sine peccato mortuos, dignos esse cœli inquilinos. Sic Micheas Musulmannus contra Saumelem Anglum apud Reginaldum argumentatur, in hoc sibi valde gratulans, *quod nova Evangelicorum religio Turcarum & infidelium infantes regno Dei non excludat, uti vetus religio Papistarum.* Mahumetes, ut videre est in Azoare IV. *in Eucharistia vim quandam occultam & secretam esse concedit:* sic Lutherus quoque *Christo suo impanato latentem quandam tribuit virtutẽ, molestè ferens, ut ipse fatetur, quod realem Corporis Christi in hoc Sacramento præsentiam cum Carolstadio, non plane tollere aut negare posset.* Mahumetani in omnibus sacris & precationibus *nulla fere alia ceremonia utuntur, quam quod Davidis Psalmos vulgari lingua, ac præsertim in castris sub vesperam omnibus diebus Psalmum sexagesimum decantant. Hæc una item & sola ceremonia apud nova religionis homines usurpatur.* Mahumetes omnia religionis suæ capita *rythmis vulgaribus descripta proponi iussit*, ut vulgus cantus dulcedine tanto magis alliceretur. *Hac eadem astutia nova religionis instauratores usi sunt, regij vatis Psalterio versibus & rhythmis, ut tam gustum quam speciem aliquam religioni suæ conciliarent, descripto.* Mahumetes *omnibus quæ occupaverat locis, Christiana militia insignia, Cruces scilicet, sustulit & delevit.* Idem fecerunt, *novi Evangelici, & inprimis posteriores.* prædecessoribus ipsorum Lutheranis multo deteriores. Primus quẽ Mahumetes ad religionẽ suã pertraxit, *servus fuit sive mancipium, cui libertatem ille promiserat, si in ipsum vellet credere.* Primi quoque ac præcipui quæ superiori & nostro tempore exstiterunt, hæreseon auctores, *vilia fuêre ventris mancipia, quæ libertatis desiderio monasteriorum muros transilierunt.* Mahumetes noluit, ut cuiquam religionis causa vis adferretur. Qui vero primas Lutheranismo fores aperuit, quã *eiusdem libertatis seu licentiæ amans? quum Lutherus aperte dicat, datam omnibus à Naturâ esse libertatem credendi quod quisq; velit.* Mahumetes *omnia altaria è Mosqueis seu templis suis proscripsit.* Eadem Novi

qui post Lutherum venerunt Euangelici *vbique demoliti sunt, profanis mensis in horreis, vbi conciones, suas habent, contenti* Mahumetes *tam supremo Pontifici quem Muphti vocant, quam ceteris legis suæ interpretibus vxores ducendi fecit potestatem.* Idem Lutherus *Pfarreru & Helfferu, id est parochis & diaconis, vt & Superintendentibus suæ religionis non permittit tantum, verum etiam quodammodo præcipit, vt castitatis vota non aliter quam diabolum fugiant & detestentur.* Apud Turcas *ministri Sacrorum à laicis nihil differunt: nam & vxores habent, & communi cum alijs vtuntur vestitu, & mechanicas etiam artes exercent.* Sic *apud nostros Acatholicos Prædicantes nulla re ab alijs hominum ordinibus distinguuntur.* Turcicæ religionis interpretes siue theologi, quos Alfaces appellant, *nulla alia quam vulgari lingua vtuntur. Idem* in noua sit religione. Mahumetes ait, *impossibile esse homini à seminarum consuetudine abstinere: eoque suos ternas aut quaternas ducere iubet, dummodo non sit metus ne illæ se mutuis plagis concidant.* Quæ nam alia Lutheri fuit theologia, *supra libro III à nobis explicata, aperte dicentis, polygamiam in Euangelio non esse prohibitam.* Mahumetes *si vir alicuius ex vxoribus consuetudinem ferre non possit, dimittere eam iubet, eiusq; loco aliquã quæ placeat superinducere* (a) sic vt apud Turcas nec minus mira nec minus frequens vxorum sit repudiatio, quam apud nos familiarum mutatio. *Quid?* (b) *Qui vel quæ, inquit, cum vxore aut marito viuere aut in gratiam redire non potest, alibi matrimonium sibi quærat. neque enim id Deus prohibuit.* Et Bucerus, *non minus nobis quam Iudæis permissum esse dicit, diuortium facere, & aliam ducere vxorem aut maritum* (c) Mahumetes *ieiunium Quadragesimale ab Ecclesia non minus pie institutum quam diligenter hactenus seruatum, aboleuit, proque eo alia suo arbitratu ieiunia instituit. Idem pseudoeuangelici nostri non tantum proscripserunt, sed etiam omnem ciborum delectum penitus sustulerunt,* interim nescio quam ieiunij vmbram ex suo ipsorum cerebro natam consectantes.

Et quemadmodum omnes Nouæ Ecclesiæ Doctores. SS. *Patrum antiquæ Ecclesiæ auctoritatem susque deque habent ac defugiunt, non minus ab ipsorum scriptis quam serpentes à vineæ odore abhorrentes, vt qui non nisi ex veteris Ecclesiæ ruinis nouam suam ædificari posse certo sciunt*: sic vafer quoque Mahumetes (d) non ignarus quantum priscæ religionis auctoritas & continuata illa successio conatibus suis in noua stabilienda secta obfutura esset, in Elfurcane suo in hanc erumpit querelam. *Si vestri, inquit, maiores, quos Christianos dicitis, stulti fuerunt & obcæcati, quid vos, an eos sequi vultis? Quod si feceritis, profecto iam omnibus surdis ac mutis, immo ipsis brutis bestijs estis deteriores.* Et in Azoare XLI sic loquitur: *Mihi quidem rectam istis commonstranti viam nihil habent quod obijciant, quam se prædecessorum suorum insistere vestigijs. At quid, si diabolus illos ad inferni ignem abripuit? Quod si nos certiorem ipsis & tutiorem semitam ostendimus, cur eam ingredi recusatis? Prisci enim omnes delirarunt.* Numquid plane his gemina, immo eadem Noui nostri Euangelici, Protestantes & Reformati dicunt & scribunt? Zuinglius certè quæ sequuntur ex ipso transcripsisse Alcorano videtur (e) *Miseri illi, qui Catholicos se dicunt nobis veram legem afferentibus nihil aliud habent quod obijciant, quam Patrum auctoritatem. At si Patres illi homines fuerunt, certe etiam potuerunt errare.* Lutherus vero *Patres veram Euangelij cognitionem habuisse negat. Eam à se demum prolatam* (f) *Se quidem in Sancti Ambrosij, Sancti Hieronymi, Sancti Augustini & aliorum priscæ Ecclesiæ Doctorum scriptis pretiosam aliquam gemmam quærentem, nihil fere aliud quam paleas, & in Conciliorum volumine carbones reperire. Quod si quis Patrum istorum sibi opponat auctoritatem, nihil aliud se ei responsurum, quam si Sanctus Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, immo ipsi Apostoli, Diuus Paulus, Petrus & Ioannes aliud docuerint, ipsos errasse. Se enim certum esse, doctrinam suam ab ipso Deo esse profectam.* Ergo & Luthero credimus, etiam Propheta delirauit, quando nos ita admonet: (g) *State super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Sed jam alia quoque duarum istarum religionum dogmata inter se comparemus.

Quid noui Euangelici *de Sanctorum inuocatione doceant, notum est, nimirum eam non modo non licitam, sed etiam detestabilem esse, vt qua honor Deo debitus præripiatur.* In Præcationum sane quibus

a *Azoar* 8. b *In Gen c.* 16. *Bel. lib.* 3. *cap* 10. *Luth. s. in* 1. *Cor. cap.* 1. *fol.* 4. *& c.* c *in Matth. cap* 18. d *Azoare* 13. *&* 19. e *Zuing. Tom* 1. *Exp. Art.* 64. f *Luther, Tom.* 5. *ad Gal. c.* 1. g *Item*, 6.

bus vtuntur formulis, nullam inuenias ad Jesum Christum, multo minus ad Spiritum sanctum specialiter directam. Iam Mahumetem audiamus eadem de re in Azoare XLIX. sic loquentem: *Tu solum Deum sine vlla intermissione & integro corde inuocato, qui veram tibi præscripsit legem. Hic quidem eos qui preces suas ad alios dirigunt, impunitos non dimittet. Christianus etiam exprobrat, quod tres initio Deos, deinde mille & mille adorarint* (sic enim Sanctos appellat, quorum memoriam celebramus.) Idem sæculi nostri Reformatores nobis obijciunt, nimirum *tam Sanctam Virginem, Deiparam quam Sanctos à nobis pro Dijs haberi* Mahumetes Christianos ait, Virginem Mariam tamquam Deam colere. *O Iesu Maria fili* (inquit nequissimus impostor) *tu quidem hominibus persuasisti, vt & te & matrem tuam tamquam duos deos reuererentur & adorarent.* Quod tamquam egregiè dictum Theodorus Bibliander Lutheranus in Commentarijs suis in Alcoranum notare non neglexit. Mahumetes *Christianos Catholicos vocat idololatras*, inquiens, *Deum istos imaginum cultores seu adoratores puniturum: quoniam dij isti nec vitam nec vllum sensum habeant.* Sectarij *contra Catholicos nihil quam idem conuicium in ore frequentius habent.* Ille dicit, *imagines à nobis & statuas tamquam deos adorari;* hi *salutem nos ab ijsdem petere calumniantur.* Et hanc quidem lectionem vtrisque a spiritu illo mendacij & tenebrarum didicerunt. Postrema Lutheri propago, & veluti nepotes, *Iesu Christi & Sanctorum imagines ita detestantur, vt eas non modo passim deiecerint & confregerint, verum etiam contumelioso ad cloacas raptarint & cremarint.* Idem Turcæ faciunt. Quum enim Ochialis Bassa rei maritimæ apud Turcas præfectus, tres insignes naues, atque inter eas prætoriam quoque, quod hactens numquam factum (Catharinetta enim quam Dragutes ante ceperat, parui erat momenti) Melitensibus Equitibus ereptas, Algerium abduxisset, Turcæ *preciosam admodum D. Ioannis statuam, quæ in puppi steterat, publice suspenderunt, vti etiamnum ibidem videtur.* Mahumetes (testante Postello in libro de noui Euangelij & Alcorani concordia) *multa S. scriptura loca truncauit ac deleuit.* Lutherus *similiter non vnum & alterum dictum, sed integros libros à S. scriptura numero sustulit,* vt libro III. à nobis est demonstratum. Mahumetes Azoare XIX. *nos accusat quod Papas nostros seu Pontifices maximos adoremus.* Idem Lutherus dicit, simplicioribus persuadens, *Papam à nobis in altari collocatum, tamquam Deum adorari, ac talem potestatem ei tribui qua infernum aperire, & animas inde educere possit*: Et si alia non minus putida ab ipso nobis obijciuntur. Impostor ille in toto suo Elfurcane *nihil inculcat frequentius quam Dei misericordiam, iustitiam vero vix verbo attingit. Deum ait, patrem esse indulgentissimum. Quis quis crederit, saluum fore.* Quid noui nostri Euangelistæ, *annon Solam quoque fidem ad salutem sufficere dicunt?* Lutherus certe aperte ait, *ex omnibus vitijs solam incredulitatem damnationem adferre. O felices Christianos, qui modo credunt, damnari non possunt? In nouis istis Synagogis videas plerosque linguis ardentes, & manibus torpentes, id est, verbis quidem bona opera iactantes, sed interim nihil eorum agentes. Libertatem, seu viuendi & quidquid placuerit agendi licentiam* à Mahumete propositam, *tantam populorum multitudinem Mahumetana secta adiunxisse Paullus Diaconus testatur* (h) *sic vt integras nationes exturbatis prioribus dominu, ad ipsum deferint. Eadem licentia* Lutheranismo *portam quam latissimam aperuit, & subditos contra dominos armauit.* Vtriusque sane sectæ constitutio *multo sanguine constitit.* Et sicut Mahumetana secta *in sexaginta octo alias diuisa quidem est*, duas tamen præcipuas & velut radices agnoscit, quarum vna Lesarium hominem Arabem auctorem habet, & totam Africam, Ægyptum, Syriam & Turciam occupauit; altera vero Imenium quendam, à Persarum Sophi recepta, & vi armorum, cum extrema fere Asiæ pernicie, longe lateque propagata: sic posterioris huius schismatis præter innumeras duæ præcipuæ sectæ sunt, *Lutherana & Caluinistica*; è quibus plures quam sexagies centum aliæ pullularunt. Quum Arabes missis ad Mahumetem legatis petijssent, *vt regionem ipsorum natura sterilem montibusque asperam planam faceret, & fluminibus ac riuis fecundu irrigaret, atque ita hoc miraculo legem à se propositam confirmaret, aut è priscis illis Prophetis & doctoribus aliquem resuscitaret, qui testimonio suo Mahumetana doctrina fidem adstrueret; impostor ille respondit, Deum à se hac de re consultum, sic respondere ipsis iussisse: iam olim se Prophetas & doctores misisse, qui miraculis doctrinam suam confirmarint; verum eandem posthac non miraculis aut verbis, sed*

h *Libro 8.*

bu, sed armis propagandam esse, è medio sublatis ijs qui adiungere se ei nolunt. Lutherus vrgentibus Catholicis vt doctrinæ suæ veritatem miraculo demonstraret, *nihil aliud respondit, quam quod Mahumetem respondisse diximus; nimirum, Miracula faciendi tempus iam dudum præterijsse. Idem alio loco sectatores suos in Catholicorum sanguine, manus lauare iubet, vt supra ostendimus.* Verumenimvero quanta sim litudo & conuenientia sit Mahumetanæ & Caluinianæ religionis, *ipsius Caluiniani Ministri*, vti a P. Posseuino describitur, *testimonium audiamus, qui quum præfectum Turcarum vrgeret, vt secta ipse suam captiuis Christianis sine periculo posset exponere, asserebat suum, id est hæreticorum Euangelium Corano siue Mahumetis legi non adeo esse dissimile. Sanctorum enim aiebat; qui sunt in cœlis vreces, Purgatorium item & alia, vti vos Mahumetani facitis, nos quoque Caluiani negamus. Antiquas Bibliothecas & Synodorum memoriam, vti vos feciſtis, ipsi etiam sustulimus. Plures vos Mahumetani vxores & concubinas ducitis: & nos Caluiniani mulierem, superstite licet marito, posse seiungi, & cum alio viro coniungi, alteram licet hic habeat vxorem, non ita ingens facinus arbitramur. Sacraria templaque in Synagogas seu Moscheas mutastis, aut destruxistis: nos quoque sacrarijs direptis eadem vel in nostra Consistoria, vel in equorũ stabula, vel armamentaria conuertimus, vel deniq; solo æquauimus. Virginum sacrarum conuentus inter vos nulli sunt; nec qui virginitatem voueant inter vos habetis: nos quoque antiquissima eiusmodi monasteria euertimus. Conscientiæ libertatem vnicuique in vestris ciuitatibus permittitis: hanc nos quoque & a Regibus & à Rebuspublicis vel armata manu extorquemus:* Adhæc scribens Bassa, *Quin*, ait, *iam vos Caluinianos & nos eosdem breui futuros video, nisi quid relicte nobis aqua potu, vos tamen vinum omnino retinere, eoque ebriari voletis.* Huc vsque Posseuinus. Et hactenus quidem, quæ sit Lutheranismo cum Alcorano similitudo & conformitas, aliquo modo ostendimus; quibus si Caluinismus interponatur, facile duæ illæ inter se religiones velut maritari & in vnum consta i poterunt. Hæc tanto prolixius enarrare volui, quod opusculum eius argumenti à magno illo linguarum doctore Genebrardo promissum, post mortem eius imperfectum manserit, certe nondum typis sit dvulgatum.

II Ego quum Anno M.D.LXV. Tolosæ litteris operam darem, & è Turcia Legatus ad Carolum IX. Baionam profecturus, eò venisset, curiositate quadam hospitium ipsius adij, & per interpretem cum honoratioribus aliquot ciuibus loquentem offendi. Quum vero inter alia quæri iussisset, vtrum inter præsentes aliqui essent nouæ religioni addicti; Agesius vero vir nobilis Burdigalensis, vicissim quæsijsset, cur isthoc scire expeteret? *Equidem*, aiebat, *homines istos libenter videre velim, vt etiam alibi feci: quos certe nos plus quam reliquos Christianos amamus non solum eò quod Papam capitalem domini nostri hostem, capitaliter & ipsi oderunt, sed etiam, quia religio* ipsorum ad nostram propius accedit. Quod dictum inter Tolosanos postea omnium sermonibus celebratum fuit, adeo vt Noui isti Euangelici, Turcæ passim à vulgo dicerentur. Quum deinde superioribus annis naues quædam ex magna illa ad Angliam subiugandam armata Hispanorum classe in litore nostro naufragium fecissent, & remiges quidam Turcæ è naufragio eluctati ad nos tamquam ad tutum libertatis & salutis asylum confugissent, ego duorum ex ijs qui supra ceteros sapere videbantur consuetudinem mihi adiunxi, eosque de fide ipsorum diligenter sum percontatus. In omni vero sermone tantam opinionum in Christiana religione varietatem mihi obijciebant, ad nouam tamen quam veterem religionem procliuiores, quod hanc impossibilia credenda præcipere dicerent: in hoc reformatoribus nostris plane gemini, quod nihil nisi quod oculis videri, aut manibus tangi, vel intellectu saltim comprehendi potest, credere volunt. Illud sane intellexi, pro eo quem in triremibus obtinuerant loco, nimio plus ipsos in religione sapuisse; vt qui forte ibidem, frustratis Inquisitoribus, Lutherano aliquo ductore vsi sint.

Franciscum & Ægidium Noallios, quorum vterque apud Turcarum Imperatorem regis nostri nomine Oratoris officio functus fuerat, narrantes audiui, Mehemetem purpuratorum principem, & Mustapham Bassam eum qui Cyprum expugnauit, sæpe apud ipsos de rigore, quo rex noster erga subditos suos in religionis negocio vteretur, conquestos esse, dicentes: *Debere regem in hoc potius sui domini imitari exemplum, omnibus tam Christianis quam Iudæis, modo tributum soluant; tam conscientiæ quam religionis cuique suæ exercitium permittentes. Posteaquam vero intellexerint; Nouæ istius religionis socios vt plurimum rebelles esse & seditiosos, regis consilium laudasse, potius quam damnasse. Suum quidem dominum aiebant pro symbolo his verbis vti:*

Aut

Aut moriendum, aut obediendum? hancque legem ab omni Principe inuiolabilem esse seruandam. Et sane Mehemetes idem non poterat ignorare, quæ domini sui Solimanni, cuius præcipua negotia tractarat, fuerit sententia. Quodque consilium ille Reginæ Isabellæ contra Nouos Euangelicos, qui in gratiam ipsius se insinuare, & in Hungaria sedem sibi quærere satagebant, redderit, quamque ab omni Nouitate abhorruerit. E sermonibus vero cum Basis illis non semel habitis facile Legati nostri intellexerunt, illos controuersiarum quæ inter nos sunt de Religione, non plane fuisse ignaros; & ad ea etiam loca peruenisse eorum hominum querelas, qui tanta contentione libertatem religionis à Principibus extorquere conantur quam eandem tamen ijs in locis, vbi numero & viribus præualent, ipsi alijs negant. Idem porro omnes testantur, qui regiones istas perlustrarunt. Turcicus vero ad Poloniæ regem Legatus, Sacramentariorum causam strenue egit & defendit; ingenue fassus, eorum doctrinam magno domino non displicere, tanquam à Mahumetana non valde abhorrentem. Idem Surius, Possevinus in atheismis, & Schlusselburgius libro primo Theologiæ Caluinisticæ, immo ipse Petrus Martyr testantur; vt quidem iam dictus Schlusselburgius in epistola quadam scriptum reliquit. Narrant enim, quum Sultano aliquando diuersæ Christianorum de Eucharistiæ Sacramento sententiæ explicarentur, *eum statim Sacramentariorum opinioni tamquam magis probabili, suum adiecisse calculum.* Vt enim hæretici, ita Mahumetani quoque, cœlestia & diuina mysteria humanæ rationi accommodare, & secundum hanc de ijs pronuntiare solent Londini in Anglia Anno M. D. LXXXIX. libellus prodijt, à quodam, quem Angliæ regina ab Maroci regem Mahumetanum legarat, editus. In eo author dicit, à rege illo magnifice admodum & summa cum gratulatione se exceptum: primo statim die mandata exponere iussum fuisse, quum Hispaniarum Regis Legatus viginti diebus audientiam vix impetrare potuerit. Et Mahumetanum quidem illum Principem aperte præ se tulisse, *se tam Hispaniarum regem quam religionem ipsius odisse, eò quod in ea Inquisitionis siue Episcoporum & Prælatorum consilio & præscripto vteretur.* Addit idem, *Principem illum Dei esse timentem, in libris Veteris & Noui Testamenti bene versatum; Anglicana vero tam nationis quam religionis, vtpote nulla ferentis fabula, præ ceteris amantem.* Hoc ille Anglicus seu Caluinianus scriptor elogio in fidelem Principem, & Christiano nomini inimicum cohonestat; & quidem non sine graui Catholici Regis contumelia. Quo vero fauore Turcarum Imperator Sacramentarios prosequutus sit, quidque de ipsorum senserit religione, sequens Narratio ostendit.

III. Solimanno filius successit Selimus, homo ebriosus & ignauus, qui vix quidquam in vita laude dignum fecit, nisi illud forte quod eum qui fratrem Mustapham natu maiorem patris iussu strangulatum, ipsi lætabundus nunciarat, necari iussit. Ex hoc natus filius Amurathes, naturæ quodam instinctu Christianos amabat, adeo vt secreta quadam vi Christiana fides ei inspirari videretur, quam fortassis à matre hauserat. Hæc enim Cypria natione, in captiuitatem abducta, & Selimo ob raram formæ excellentiam donata, quamuis arcta custodia teneretur, eam tamen religionem cui per baptismum insertafuerat, animo penitus infixam semper seruauit. A Selimo deinde in matrimonium ducta, hunc, quem diximus, Amurathem ei genuit; cui paruulo occultis sermonibus Christianæ religionis amorem instillare, quantum poterat, conabatur. Ex quo factum est, vt ille hoc modo educatus, & grandior factus, animum à Christianis minime alienum gesserit, nec ab ipsorum libris legendis abhorreret; vitium vero illud deterrimum & abominabile, cui pater tantopere indulserat, vehementer detestaretur. Numquam tamen, vt nec auus ipsius Solimannus induci potuit, vt inter Christianos qui in ipsius viuunt imperio Nouæ illi religioni, quamuis Mahumetanæ non ita dissimili, sed rebellionis infamia laboranti, locum daret; econtra vero seruis seu mancipijs Catholicis non modo liberum religionis suæ permittebat exercitium (in regio enim illo ergastulo, in quo plerumque duo aut tria captiuorum millia detinentur, licet illis sacerdotes eligere, erigere altaria, processiones, aliasque in Catholica Ecclesia vsitatas ceremonias obire, pecuniam denique ad diuini seruitij sumtus colligere) verum etiam eleemosynas sæpe eis mittebat, *petens vt Deum pro se deprecarentur.* Numquam idem Amurathes bellum contra Christianos voluit suscipere, quamuis à scelerato illo apostata Sinane Bassa assiduè impelleretur, inquiens: *velle se vt oues vicinarum regionum,* id est Christiani, *& lupi sui siue*

Turca vnà pascantur, & eodem ouili includantur. Sic ergo Sinane ad Persicum bellum ablegato (quod ille, quamuis non sine magna hominum clade, feliciter postea confecit) Christiano orbi à Turcis pax fuit. Nihil vero Amurathi magis obstitit quo minus Christianam amplexus fuerit religionem, quam infelix illud & multiplex schisma, de quo non à matre tantum, sed etiam ab vxore (quæ itidem erat Christiana) audiuerat. Certe à solius Principis conuersione totum illud Imperiũ dependet, quum infinita Christianorum tam Græcæ quam Romanæ religionis multitudo in eo habitet; & præcipui militiæ duces Vezires, Bassæ, Beglerbegi, Sangiachi, Spachi vt vocantur, aliique aulæ officiarij plerique omnes Christiani olim fuerint, ad Mahumetanam religionem spe honorum & diuitiarum allecti, & eorundem vsu & fructu hactenus in ea detenti.

In bellicosa enim hac natione sola virtus, ac præcipue militaris fortitudo nobilitatem parere censetur. Bubulco, caprimulgo, vel infimo sellulario æque patet per fortia militiæ facinora ad summos honores aditus, quam nobilissimo cuique: vt Solimanno & Selimo imperantibus contigisse videmus. *Mehemetes*, qui in Bosnia captarum pastor fuerat, non modo primus purpuratorum (Vezirem vocant) sed etiam gener Selimi Imperatoris fuit factus. *Ochialis* è Calabria subulcus, Algerij regnum & maris præfecturam adeptus: à Turcis postea *Ochiali Fertas*, id est, *Ochialis scabiosus* appellatus, quod quum à Turcis captus esset, eo vitio laborasset. *Asanaga Bassa* Veneti chirurgi fuit filius. *Aramapates* è mesonauta Alexandrino Cypri præses factus est. *Ibrahimus Algerij Rex* Gallus natione, rustici in Vasconia fuit filius. Plures alios omitto, qui abnegata Christiana religione, postquam rebus bello fortiter gestis magnam sibi virtutis opinionem peperetunt, ad summos honorum gradus à Turcarum Imperatoribus sunt euecti: Quod si quis obiiciat, *Mamaluchos illos siue apostatas ipsis Turcis esse peiores*, non tamen opinor, negabit fieri non posse quin aliqua eius, quam honorum & diuitiarum cupiditate abnegarunt, fidei memoria animis eorum adhuc infixa hæreat, & conscientiam nonnumquam pungat. Quod vero tanto Christianorum odio flagrare videntur, eo fit vt veros Musulmannos sese ostendant, atque ita honores & fortunas suas tanto melius tueantur. id qui in Turcica aula versati sunt, optime norunt. Plures quidem enarrantes audiui, celebrem illum Bassam & maris præfectum, cuius paullo ante mentionem fecimus, Ochialem, qui Christianam fidem abnegarat, vt alapam à Turca quodam sibi ad temos sedenti inflictam, vlciscceretur, Christianis semper fauisse, quam diu ipsi fortuna fauit, & in tam excelso loco & statu ad quem incredilis eum virtus, fortitudo inprimis & liberalitas prouexerant, conseruauit, tandem inter Græcæ puellæ insigni forma præditæ brachia, expletis voluptatibus, defunctum, & precioso ornatu, Christianorum in morem, quatuor cereis ardentibus, in lectulo collocatum. Et hoc quidem in statu Ochialem inuenit is, quem Sultanus morbi ignarus, ad eum miserat, cum mandatis, vt primariam ipsius vxorem peregrè abituram comitaretur. Amurathi Mahumetes filius in Imperio successit: sub quo Ochialis, vt equites quosdam nostrates Melitenses & alios captiuos narrantes audiui, festis celebrioribus, captiuis Christianis ac præcipue sacerdotibus non alimenta tantum, sed etiam argentum clam mittere solebat, rogans vt Deum pro se deprecarentur. Grassante vero in vrbe Constantinopolitana horribili peste, idem in palatio suo à Christianis solemnem processionem fieri voluit, in qua S. Rochi imago fuit circumlata cum reliquis apud Christianos vsitatis ceremonijs Mirarum res accidit. Quum enim vix vllus tota vrbe esset angulus quem non contagiosa lues peruasisset, illa tamen ex quingentis captiuis, qui absoluta processione custodijs in eodem palatio iterum inclusi fuerant, ne vnum quidem attigit. Plura fortassis quam instituti nostri ratio fert, de homine illo dixi: sed abripuerunt me admirabiles eius virtutes, animi inprimis magnitudo, & liberalitas, in rebus secundis moderatio, in aduersis constantia, quibus ille plerosque nostri sæculi duces longe est supergressus. Hic infeliciter à Turcis ad Naupactum commissi prœlij reliquias recollegit, & in tutum deduxit; & quamuis victus, prætorium Melitensis militiæ vexillum, quasi in victoriæ signum, ad Sultanum misit. Deinde incredibili diligentia restaurata classe, Gulettam illam inexpugnabilem creditam arcem expugnauit; & tribus, inter quas & prætoria fuit, captis nauibus, Melitenses equites magna clade affecit. Quotquot familiarius ipsum norunt animo Christianum fuisse dicunt; eoque tres seruos Christianos semper circa se habuisse, vt cum ijs de religione conferret, tum sex aut septem Mamaluchorum, id est, eorum qui à Christiana defecerant religione, millia,

lia, ad omnia quæcumque vellet obeunda paratissimorum. Aiunt in animo eum habuisse, Algerij regnum cuius præfecturam obtinebat, è Turcarum potestate ad Christianos transferre; ex quo ingens sane ad Christianam Rempublicam facta fuisset accessio, quum id regnum ad trecenta fere miliaria pateat; sic vt vnius vrbis & portus occupatione omne illud terrarum spacium in Christianorum potestate futurum fuerit. In secretioribus colloquijs sæpe ex ipso auditum fuit, Amurathem magnum aliquid & nec opinatum conari, & si vita suppetat, effecturum. At morte vterque præuentus, quod instituerant perficere nequiuerunt. Hæc ego tamq am non omnibus obuia, hoc loco breuitet delibare volui, quum vt lectoris animum aliquo modo recrearem, tum vt ostenderem, à solius Imperatoris Turcici siue Sultani conuersione, totius illius Imperii dependere conuersionem. Quæ sane mutatio facile accidere potest, in tanta apostatarum Christianorum multitudine qui in eo Imperio degunt, & præcipua tam terra quam mari munia administrant; qui vt ante ad captandam gratiam Imperatoris Christianam religionem eiurarunt; sic ipso volente lubenter ad eandem sint redituri. Hoc quo minus fiat factumve sit, obstitit cum prorsus fieri potuit, sub Amurathe nostra ex Lutheri nata perduellio. Atque vtinam ea esset Christianæ Reipublicæ vnitas & concordia, vt vna lingua, vna fide & conspirantibus animis id à Deo omnes peteremus! Equidem spes esset Deum vota nostra & preces aliquando exauditurum, ac Christianos qui miserrimam sub immanibus illis tyrannis seruiunt seruitutem, in libertatem denuo restituturum.

IV. Quandoquidem in rerum Orientalium incidimus mentionem, facere non possum, quin Euangelicorum nostratium in Turcia conatus oculis lectorum subijciam, vt qui Turcici Imperatoris fores non semel pulsarunt, aditumque petierunt, ad eamque rem Mehemetis purpuratorum Principis (qui postea a Spachio quodam, cui Timariotum, id est, prædium beneficiarum ademerat, interfectus est) intercessionem exambire studuerunt. Tanto vero dignior fide quem citabo testis erit, quanto magis ab omni vel adulandi suspicione vel spe vtilitatis abest. Quem dico, Aloysius Gucchius est, nobilis Venetus, qui quum esset in senatu Reipublicæ apud Selimum Turcicum Imperatorem Oratoris familia, sequentem Epistolam ad Senatorem quendam Venetum Bartholomæum de Rodolphis nomine scripsit, quo aulæ illius statum exponit. Etsi vero rebus Septemtrionalibus Gallicas immiscere, & Hugonotarum nostratium (quorum nomen libro IX. demum enatum videbis) natiuitatem & cunabula anticipare quodammodo videbor: prudens tamen lector, vti spero, non propterea me extrauagari, aut ab instituto meo quidquam omnino alienum facere iudicabit.

Inter alia Venetus ille sic scribit: *Bassa talis est, vt statim agnoscat, an syncere quis & libere negocia cum ipso tractet, & num Legati limites à domino præscriptos obseruent. Quod si animaduertat, dissimulanter aliud quam Legatus in mandatis habeat, agi, statim eos homines procul à se habet. Eius rei memorabile exemplum vidimus in Guilelmo de Grand Ry, alias de Grand Champ dicto: qui quamdiu Regis sui negocia ea qua par est fide tractauit, à Bassa magno in honore fuit habitus, adeo vt omnia qua de pace cum Romanorum rege tractata fuerant, cum ipso communicaret, ex quo factum est, vt ingratiam regis, pacis conclusio diu fuerit dilata. Postquam vero intellexit, prædictum Legatum non tam Regis sui quam subditorum ipsi rebellium commoda & vtilitates spectare, eius actiones suspectas habere cœpit, nec ea qua antea erga ipsum familiaritate est vsus. E contrario, instante Legato vti Hugonotæ quoque ea pace comprehenderentur, Bassa non sine indignatione rogauit, Equinam tandem essent illi Hugonotæ? neque enim vllam nationem se audisse, qua hoc nomine censeretur. Legatus ergo rem omnem scripto comprehensam exhibuit: quod scriptum postea per multorum manus vagatum est, Bassa Gallorum leuitatem irridente. In eo Legatus fatebatur, Hugonotas Gallorum regis esse subditos; sed ob religionem, qua Mahumetanæ in multis rebus similis sit, arma sumere coactos. In deratione quasdam explicabat, ad probandum, si Hugonotæ fœderi adscriberentur, & in patrocinium à Turcarum Imperatore susciperentur, magnas eam rem ipsius imperio vtilitates allaturam. Eorum enim opera regem distineri atque auerti posse, ne Hispaniarum regi infestissimo & potentissimo Turcarum hosti, auxilium ferat. Sed & fore vt Romanorum Imperatoris conatus eadem opera per Germaniæ Principes & Respublicas, Hugonotarum caussa fauentes, disturbetur. Idem nisi tantas in Gallia turbas excitassent, Turcas nihil in toto mari Mediterraneo fuisse habituros. Regis enim matrem constitutum habuisse, omnes portus & loca munita*

iunita Gallia ad mare illud sita, Hispaniarum Regi tradere, Belgio compensationis loco accepto: sicque totum mare Mediterraneum in Hispaniarum regis potestate futurum fuisse. Hugonotis & Lutheranis ipsorum confederatis exciſis, certum esse, Papam, Imperatorem, alioſque Reges & Principes Christianos coniunctis viribus Turcarum Imperium aggressuros. Vtilem etiam ad id Turcarum Imperatori Hugonotarum fore confederationem, vt quandocumque libuerit, pacem cum Romanorum rege factam sub honesto prætextu possit rumpere: tumque ipsos Germaniæ quietem perturbaturos, ac vires facile distracturos, si in rem Imperatoris id fore videatur.

At Bassa non sine risu & ludribrio adhæc excepta, per interpretem respondit: Iam videre se, à Galliæ regenon legatum vel Oratorem qui negocia ipsius tractaret, sed proditorem missum. Hugonotarum multo viliorem esse conditionem, quam vt cum tetius orbis terrarum potentissimo Principe communi federi adscribantur. Tuto illis fidem haberi non posse, qui in suum ipsorum regem perfidisint & proditores. Othomannorum consuetudinem esse cum Regibus & Principibus, non cum mancipiis & perfidis rationeſque contrahere, nec proditorie & perfide, sed bello aperto rem gerere. Domino suo facile esse, quandocumque velit, Hugonotas illos ad officium reducere, nisi victoriam de proditoribus & rebellibus partam sibi honorificam existimaret. Atque hæc quidem tum omni populo Constantinopolitano in ore tum fuerüt, cum magna Turcarum & Bassæ inprimis laude, Gallorum leuitatem plerisque vituperantibus.

Hæc ille, quibus capiti huic finem imponam. Interea vos qui Christiani Reformati audite vultis, *ne posthac quaso, Turcas Papistis copulate, neve Mahumetistas Romanos nos appellate:* sic enim efficietis, vt neque nos, qui Catholici sumus & dicimur, vestram religionem cum Mahumetana compatemus. Mahumetana enim hæresis inter Christianos è Monachi cerebro nata, vti & vestra, & armis sehactenus tutata, vti & vestra, Christianæ Reipublicæ tantum non ruinam & exitium attulit, vti & vestra. Quod si omnes Tragœdiæ ab vtroque excitatæ Actus in scenam producere vellem, verendum mihi esset, ne lectoris animum & tam crudelium spectaculorum immanitate defatigarem, & à præscripto longius discederem. Quare ad semitam redeamus, Oppilato ore eorum qui ad semitam institutam sedentes Calumnijs suis hoc se esse demonstrant, quod de alijs mentiri non erubescunt.

DE SEDITIOSIS PRÆDICANTIUM in Polonia contra Regem sermonibus: De Ioanne Lasco nobili Polono: de miraculis quibusdam Eucharistiæ: & de falso Prædicantis cuiusdam miraculo.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

I. *Prædicantes in Polonia Regem suum criminantur, qui nihili eorum calumnias faciens, fores ad audiendum aperuit.*
II. *De Ioanne Lasco nobili Polono, Caluinistarum antesignano.*
III. *Miraculum circa Eucharistiam in Polonia factum.*
IV. *Falsa Polychronij cuiusdam Prædicantis miracula.*

I. QVOTquamque diuersæ in Poloniam sectæ irrepserint, ex ijs quæ superius dicta sunt, patet. Cautam vero nonnulli regis Sigismundi Augusti facilitati & dissimulationi, aut forte etiam hypocrisi adscribunt. Vulgatum est, sed verissimum illud:

Principijs obsta: sero medicina paratur
Quum mala per longas inualuere moras.

Neque enim Regem latebat, noui Euangelij Prædicantes in conuentu Petricouiensi Anno M. D. LXIV. habito, aperte dicere ausos. *Nullum se habere aut agnoscere regem nisi Iesum Christum, illum spinis pro salute hominum coronatum regem.* Stancarus in Præfatione libri cuiusdam aperte præ se fert, *si rex in eam quam desiderent reformationem consentire nolit. Nobilitatem nihilominus penes quam arma sint & regni vires. Sathanæ imperio valedicturam, & Christi regno se adiuncturam. Singulis mandatum à Deo esse, vt licet fremente toto Mundo, ipsi magis obediant quam hominibus. Reges nihil aliud esse quam Dei Vicarios, &c.* Sic Noui illi Christiani Principibus suis superbissime insultabant; adeoque in diuersis locis multa crudeliter & furiose patrabant, vt ex ijs quæ Petrus Scarga & Resçius collegerunt patet: quorum hic

h̃ c teſtatur, *Nobilem quendam hæreticum ad exſatiandam rabiem ſuam ſacerdotem quendam non procul à VVarſouia cruci affixiſſe.* Quamuis autem regem non lateret quæ quum hæretici alibi, tum præcipue Georgius Paullus in Polonia, & Volanus in Lithuania ad populum nouarum rerum ſtudio & ſeditione inflammandum moliretur, nihilo tamen commotior ſatis habuit pro ſua perſona in Catholicæ Eccleſiæ permanere obedientia, interim nemini vllum religionis cauſſa negocium faceſſens, ſed pacem omnibus indulgens. Sic peſtilens hæreſeos morbus longe lateque prorepſit,

Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora deos ſedet omnia poſcens.

II. Ioannes Laſcus nobilis Polonus, qui ex Anglia, vbi hactenus delituerat, Maria regno admota profugerat, vnus ex præcipuis fuit qui Caluiniſmum in Polonia proſeminarunt, adductis ſecum Anglis quibuſdam itidem fugitiuis. Huius fratrem Hieronymum à Laſco nos Anno M. D. LXXIII. vidimus, inter eos, qui vt Henricum Ducem tum Andegauenſem ad Poloniæ capeſſendum regnum acceiſerent venerant, Legatos. Et de Ioannis quidem ab ineunte ætate bonis litteris imbuti doctrina magna erat exiſtimatio, qua ille fretus, inter tot tamque diuerſas doctrinas, quæ tum à varijs auctoribus in Polonia circumferebantur, Zuinglianiſmum tandem volut cerebri ſui commentis optime congruentem, cui adhæreſceret, elegit: ſed quum leges quæ acerrime in eos qui à Catholica deficientes Eccleſia ad Nouas ſectas tranſibant, vindicabant, metueret, in Germaniam primum, deinde in Angliam profugit, vbi Eduardo puero rege, Sacramentariorum ſecta vigebat: quo defuncto, & Maria in regnum ſurrogata, Laſcus vt & reliqui exſules hæretici proſcripti ſunt, qui inde Valedicto ſuis in perfidia fratribus, duabus nauibus in Daniam traiecerunt, vbi ſpe fundandæ ſuæ Eccleſiæ fruſtrati, tentato etiam fruſtra in Saxonia inferiori ſiue VVandalicis ciuitatibus aditu, tandem Embdam Orientalis Friſiæ vrbem primariam appulerunt. Annæ coniugis commendatione à Comite & Senatu recepti: vbi poſtea fluctuans hæc & diu errans Eccleſia aliquantulum conquieuit, immo altas egit radices. Laſcus inde patriæ viſendæ deſiderio, in Poloniam rediit, ex itinere VVitenbergæ cum Philippo Melanchthone colloquutus; atque ex eo tempore veram religionem, inquit Beza, id eſt, Caluiniſmum Polonis annunciauit, vſque ad annum M. D. LX. quo è viuis deceſſit. *Felix*, inquit idem Beza, *quod horribiles illas tempeſtates Arrianiſmi, Trithoiſmi, & aliarum hareſeon quæ ibi poſtea inualuerunt, euitauit.* Diſcipulos vero reliquit non paucos, in eadem ſchola educatos, qui eandem doctrinam magnis conatibus propagarunt, Chriſtophorum Thretium, Paulum Laſcum, alios, qui è diuerſis locis & diuerſas ob cauſſas ad ea loca tamquam ad aſylum confugerant. Nihil vero Polonorum conſcientias magis perturbauit quam deſiderium Cœnæ Dominicæ ſub vtraque ſpecie ſumendæ; licet diuinitus ipſis Anno M. D. LVI. tale ipſis oſtenſum eſſet miraculum, quod merito etiam obſtinatiſſimorum hominum incredulitati, niſi eorum animi à maligno obſeſſi fuiſſent ſpiritu, remedium afferre debuiſſet. Id quamuis à pluribus ſcriptoribus proditum ſit, hoc loco tamen citra legentium faſtidium repeti poſſe arbitror. Interim illud Catholicus lector obſeruabit, quemadmodum tempore Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti plures fuerunt dæmoniaci, quam toto fere illo tempore quo durauit Iudæorum Synagoga; ſic ſæculo illo Sacramentario plura viſa fuiſſe miracula, quæ circa SS. Euchariſtiæ Sacramentum contigerunt, quam vllo retro, à nato vſque Saluatore. Miraculum vero illud ſic habet.

III. *Pauper quædam & ſimplex femina, Dorothea nomine, Iudæi cuiuſdam in oppido Sachazeth familiaritate diu vſa, ab ipſo rogata fuit, vt ſi quando altare accederet Euchariſtiæ ſumendæ gratia, panem conſecratum ore exemtum clam in ſudariolo abſconderet, & ad ſe deferret: tres thaleros & veſtem holoſerico fimbriatam mercedu loco ipſi pollicitus. Facit infelix quod iuſſa erat, & Corpus Chriſti Domini in vigilia Paſchatis in pago Cotzo à ſe receptum, & deinde clam abſconditum, ſequenti die Mercurij Iudæo illi apportat, cum quo tres alij erant, Michalech, Sachan & Ioſophus: qui mox illud in Synagogam delatum pugionibus confodiant. Quid fit? Ex ictibus copioſus promanat ſanguis, quem illi in vitrum collectum aſſeruarunt.*

(O rem nefariam & abominandam! Vide, quæſo amentiſſimorum hominum furorem: vide etiam præſentem Dei vltionem, qui quam grauiter contumelias huic SS. Sacramento illatas ferat, innumeris fere exemplis oſtendit.) *Simile Anno M. D. CXCII. Octobris Sternebachij eueniſſe*, auctor Regiſtri Mundi ſcribit; *vbi Eleazar & alij Iudæi hoſtias nacti, cultro eos confixerunt, cuius mucro cruentus*

etiam linteum quo illum inuoluerant, cruentauit. Quo nefario & impio facinore detecto, Iudæi illi omnes viui cremati ſunt. Hoc ſane miraculum non multum diſſimile eſt ei quod Sanctus Athanaſius de Iudæis quibuſdam refert, qui quum Ieſum Chriſtum in imagine ſua rurſus vellent crucifigere, ad ictus quos eidem inflixerant, ſanguinem videre copioſe profluentem. Sed vt ad primum noſtrum redeamus miraculum, *Re patefacta, & coram Rege, qui Vilnæ tum erat in Lithuania, certis teſtimonijs probata, rex nihilominus diligenter amplius inquiri, & ſecundum comperta, in reos lege agi iuſſit. Denuo igitur re coram iudicibus ventilata, atque ita oculis ſubiecta vt negari non poſſet, nefaria illa ſacrilega vnà cum ſceleſtiſſimis Iudæis feria ſexta ante Feſtum Aſcenſionis Domini, vltricibus flammis abſumpta fuit, eodemque ſupplicio ſequenti die omnes Iudæi qui in Synagaga fuerant, ſunt affecti Anno 1556.* Quis vero dubitet hoc miraculo Deum Polonis illis Calicem in Cœnæ Dominicæ communione tanta contentione flagitantibus, oſtendere voluiſſe, quum corpus extra ſepulchrum ab anima, ſanguine & diuina natura nequaquam ſeparatum ſit, carnem ſeiu Chriſti, quam in ſacra communione ſumimus, mortuam & exſanguem non eſſe, ſed ſancto ſanguine, quem bibere deſiderant, pleniſſimam, a ſe recipi, vt cum manducant carnem, æque bibant ac manducent, quemadmodum intritum ex alueolo Abacuc Prophetæ Daniel ſumens in lacu & edebat & bibebat.

IV. Miraculum hoc tam illuſtre quum poſtea Nouorum illorum Prædicantium oculis à Catholicis opponeretur, quidam inter eos Cracouiæ conciones habere ſolitus, tantam claritatem non ferens, contrario id obfuſcare voluit miraculo; eoque *hominem ruſticanum Matthæum nomine, pagi Biethagienſis colonum, exigua pecuniola conductum ſubornauit, vt mortuum ſe ſimularet. Qua ille conditione accepta, in ſerctrum impoſitus, & ad ſepulchrum delatus eſt ſequente funus uxore & toto domeſticorum grege, cum multo ploratu. Ibi quaſi forte fortuna aduentens Polychronius (hoc enim nomen hiſtoria tribuit) ad templi fores ſuſtitiſti iubet, & ſermone ad populum de Euangelij quod ipſis annunciaret veritate habito: O Deus, inquit, omnipotens, ſana obſecro manu tua omnipotente incredulitatem huius populi: & ad corroborationem veritatis, quam populo huic annuncio, exſuſcita, quæſo, mortuum hunc, vt qui Lazarum à mortuum reſuſcitaſti. Deinde mortuum inclamans. Matthia, inquit, prodi, ſurge Matthia. At verò ille, quod dicitur, mortuo nam ea nebat. Apertæ enim ſandapila. Matthias vere mortuus eſt repertus. Tunc vxor lamentari, Dei & hominumque opem implorare, & homicidam prædicantem deteſtari atque exſecrari, totam denique rem omnibus enarrare, dolore vocem veritatis indicem exprimente.* Teſtis huius retrogradi miraculi fuit Dominicanus quidam Religioſus, qui eodem die in oppidum venerat, in Ruſſiam inde proficiſcens; vt Reſcius, Lindanus & Alanus Copus in Dialogis ſuis teſtantur. Et ſicuti miraculum hoc nouos Euangelicos valde infamauit; ita aliud quod Anno M. D. LXXIX. Cracouiæ euenit, Catholicam fidem plurimum confirmauit, *Quum enim in ſolenni proceſſione Euchariſtiæ Sacramentum circumferretur, ſutoris cuiuſdam Arriani vxor è feneſtra proſpiciens exclamauit: Ecce qualem vrſum Papiſtæ portant & adorant. Vix inde in cubiculum digreſſum diabolus arripit, tandem poſt horribiles vlulatus, cruciatus & blaſphemias, infelicem animam in mariti complexu exhalantem.* Huius rei tota ciuitas Cracouienſis, primaria regni vrbs, teſtis eſt, vt Reſcius ſcribit. En tibi audaciam & furorem hæreticorum! En Dei iuſtitiam, iniurias ſuas etiam hic ſæpe vlciſcentis! Eo vſque vero illorum progreſſa erat inſolentia, *vt ſacerdotem quendam alio colore accerſitum, cogere voluerint, vt Euchariſtiæ Sacramentum porco faſciis involuto, tamquam ægro in obſcuro loco decumbenti porrigeret: qui tamen animaduerſa fraude, mori potius quam tam nefarium facinus admittere voluit.* Hoc quidem in oppido quodam Pruſſiæ Nitich nomine, accidiſſe memorant. Multa alia his ſimilia omitto, ab hæreticis, illis in locis ad Catholicam vexandam & opprimendam religionem, non minus, quam quæ dicta ſunt, flagitioſe perpetrata.

QVIBVS RATIONIBVS CATHOlica in Poloniæ regno conſeruata ſit religio.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

I. *Quorundam Poloniæ Epiſcoporum conatus.*
II. *Eccleſiaſtici ſtatus in Polonia opulentia & dignitas.*
III. *Memorabile Philippi Auguſti Franciæ regis reſponſum.*
IV *Palatini Podoliæ ad Catholicam fidem conuerſio.*

I. Ea-

I. FATENDVM omnino est, præter veritatem, quæ individua Catholicæ Ecclesiæ est comes, ac propriam ipsius virtutem, Catholicæ religionis in Poloniæ regno conseruationem doctrinæ & sanctitati Episcoporum quorundam deberi: quorum multi animaduertentes, Pastorum in Germania secordia & veterno euenisse, vt tot lupi in ouile irruperint, etiam atque etiam super gregibus fidei suæ commissis vigilandum sibi statuerunt. Inter hos præcipui fuerunt, *Andreas Nesconius Episcopus Plocensis in Lituania, & Valerianus Episcopus Vilnensis: super omnes vero optimus ille & doctissimus Cardinalis Hosius perdius ac pernox quasi pro Ecclesiæ conseruatione excubabat.* Ad subleuandam vero tanti oneris magnitudinem, ministros fideles & industrios sibi accersiuerunt, qui in partem curæ pro Dominico grege venirent. Patres nimirum Societatis Iesu, qui paucis annis, insigni fecunditate, vndecim Collegia & Residentias per Regnum illud periculis maximis inuolutum constituerunt, & magnum diuini verbi præconum, Confessariorum & iuuentutis moderatorum numerum in aciem contra hæresin fugandam vndique & profligandam produxerunt, Catholicamque Ecclesiam sarctamtectam pluribus in locis conseruarunt. Auctoque subinde numero ad 1000. capitum censum, duas Prouincias Collegijs & Residentijs multiplicatis effecerunt.

II. Porro ad conseruationem veræ in Polonia fidei non parum momenti attulere Ecclesiasticorum in eo regno, auctoritas & diuitiæ. Vix enim credi potest, quanta ibi Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum tam quoad confederationes, quam quoad externas opes sit potentia. Aiunt Gnesnensem Archiepiscopum quadraginta, Cracouiensem sexaginta, Posnaniensem quadraginta quinque ducatorum millia annua in censu habere, detractis sumptibus domesticis. Qui minimum quindecim ducatorum millia ex redditibus percipiunt Gnesnensis certe, Leopoliensis, Cracouiensis, Plocensis, Vilnensis, Cuiauiensis, singuli vltra quadragena ducatorum millia ex censibus annuis habent. Ex quo apparet, quomodo primitiua Ecclesia per paupertatatem locupletata, & per vilitatem & humilitatem suam ad tantam dignitatem elata sit. Res omnes sua tempora habent & ætates. Et quemadmodum sub primis velut Ecclesiæ cunabulis Christianorum templa admodum humilia & inornata, paullatim vero ampliſſimis donarijs, & ad maiorem Dei honorem exquisito ornatu fuere instructa: sic Reges ac Principes terræ, postquam Christianæ religioni nomen dedissent, nihil honorificentius sibi existimarunt, quam ad Ecclesiæ pedes coronas suas deponere, & bona atque opes suas eius Præsulibus distribuere, vt tanto melius dignitatem suam tueri possint. Hoc quidem plerique omnes Christiani Imperatores, Reges & Principes, fecerunt; inprimis vero Poloniæ reges, in qua Ecclesiæ præsulum tanta est dignitas, vt etiam ab aduersarijs & inimicis summo honore afficiantur & demisse obseruentur.

Quo tempore Andegauensis ad Poloniæ capessendum regnum fuit accersitus, vidimus in Gallia Palatinos Cracouiensem & Drohicensem Trinitatios, Comitem item Tenchinensem & Palatinum Lublinensem Lutheranos, alioſque diuersarum sectarum Magnates, Archiepiscopos & Episcopos summo venerationis cultu prosequentes, vt nesciam an maior à Catholicis honor ipsis potuerit exhiberi. Absente quidem Rege, aut interregni tempore penes Gnesnensem Archiepiscopum præcipua est potestas, cui Regni proceres non minus obediunt quam ipsi Regi. Singulari vero magnificentia exteriori omnes vtuntur. Qui minimum, centum equitibus, alij ducentis, trecentis, aut etiam quadringentis equitibus comitati incedunt domi vero præcipuorum regni procerum ministerio vtuntur, immo nobilissimæ familiæ hæreditaria eiusmodi officia honori sibi ducunt. Quod si Protestantium aut Caluinistarum exemplo armis & vi Catholicam doctrinam propagare vellent, quantas, Deum immortalem, copias, vel contra omnes tam Regni quam ipsorum dignitati aduersantes & opibus insidiantes, omnes isti Archiepiscopi, Episcopi & Prælati contrahere & producere possent! Calumniantur quidem hanc potentiam Ecclesiasticis in personis Ministelli verborum, sed ita vt sperent eam in Ora sua deriuandam, aut abrogatam fores lupis ingressurisaperturam. Sed Opes istiusmodi & diuitiæ non minimum Ecclesiæ contra hostium assultus sunt propugnaculum, vti ipsa Germania suo comprobat experimento.

III. De his memorabile inprimis Philippi Gallorum Regis cui Augusti & Conquestoris ex merito fuit cognomen, dictum celebratur. Hunc Imperator Otho IV. tum Rex Angliæ &

Comes Flandriæ coniunctis viribus diu oppugnarant, iamque regnum, quemadmodum pellem ante captum vrsum, vt est in prouerbio, inter se partiti erant. De quibus tamen omnibus plures & insignes victorias consequutus, restituta pace & tranquillitate, vt Deo pro tot beneficijs gratiam aliquã rependeret, toto regno passim Ecclesias, Monasteria & sacra loca multis prouentibus auxit & locupletauit. Id quum ægre admodum ferrent ij qui vitæ rumnose inter tot pericula & militiæ labores acta, omnibus illis bellis bonam & fidelem Regi operam nauarant, & eius hac deuota liberalitate præmium virtuti & meritis suis debitum interuerti existimabant, cum admonuerunt, *rectius atque vtilius facturum, si opes ac prouentus regni ærario inferret, vt eis deinde quando necesse fuerit, ad status sui defensionem vteretur, quam si eandem in homines inutiles & in diem viuentes profunderet.* Qui vero Regem alloquebatur, è numero Togatorum erat, ne si fagatus fuisset, rex non eos de publicis sed de priuatis vtilitatibus sollicitos esse putaret. Tum Rex è vestigio sic respondisse dicitur: *Equidem minus mira vestra mihi videtur oratio, vtpote eorum qui domi assidue delitescunt, nec pericula nisi auribus & è longinquo sentiunt. Nec quantis periculis conatus nostri & actiones quotidie pulsentur, nec vnde victoria obueniant, scire mihi videmini. Equidem in ocio viuens, tam ab externis quam domesticis hostibus tutus, sæpenumero miratus sum tantam Caroli Magni & aliorum meorum prædecessorum in Ecclesiam Catholicam liberalitatem: at postquam pericula non solum ad coronam, verum etiam personam meam propius accesserunt, sic vt & de regno & de vita simul mihi dimicandum certandumque fuerit, miratus sum valde non multo maiori liberalitate ipsos erga eandem vsos. Id enim expertus scio, nec milites, nec equos, nec vlla arma ad victoriam quidquam prodesse, nisi Deus exercitnum animum nobis & vires inspiret. Ad diuinam vero imperandam gratiam Ecclesiasticorum, qui velut domestici sunt & Dei familiares, nobis opus est ministerio Quocirca nolite mirari quod huic hominum generi bene facio. Quidquid enim eius à me præstatur, id omne Deo & honori ipsius ac seruitio præstatur.*

Nec minus memorabilis est Francisci Regis vere Magni vox: quo audiente, quum omnium sæculi illius virorum doctissimi, Budæus & Castellanus de bonis Ecclesiæ, deque modis quibus illa acquisita essent, disputare cœpissent, rex interfatus, *Equidem*, inquit, *sic censeo, si tam mea quam aliorum omnium Principum scrinia & archiua exentiatis, vix vllos antiquiores aut meliores titulos quam S. Petri inuenturos: cui ab Imperatoribus, Regibus, Principibus & populis facta donationes vt antiquissimo, ita optimo iure ninuntur, quum nostri & illorum tituli plerique vi & armis aut vsurpatione maiorum nostrorum sint acquisiti.* Ecclesiasticorum quidem in Polonia opes magna ad Christianæ fidei conseruationem attulisse subsidia, historiæ testantur, quas, vtpote ad institutum nostrum non ita pertinentes, hoc loco omitto, & ad spiritualia potius me conuerto.

IV. Porro in hoc regno Societas Jesu tam doctrina quam vitæ sanctitate magnam sibi peperit auctoritatem, nec solum apud Regni senatores & proceres, verum etiam apud regem ipsum, qui P. Scarga & concionatore aulico & Confessario vtebatur. Quamuis autem Patrum horum ope multi quotidie ad Catholicam reducti sint Ecclesiam; præter alias tamen inprimis memorabilis est Palatini Miezislauiensis conuersio, quum vti à testibus oculatis accepi, enarrabo. *Palatinus hic quum die quondam sacerdoti Catholico plus pietatis quam doctrinæ habenti, vellet illudere, hominẽ ad prandium inuitarat. Mensa assidentem, Palatino innuente, Prædicans quidam variis quæstionibus vrgere cœpit, iam caput aliquod doctrinæ, iam Papæ tyrannidem, iam dissolutam Ecclesiasticorum vitam in medium proponens. Tacet ad omnia bonus ille sacerdos, ac strenue interim appositis vescitur. Tandem ad Palatinum conuersus, Quid hic hominis est, quæso? O! inquit, Equidẽ ad prandium non ad disputationem inuitatus sum. ibi risu solui omnes, & boni sacerdotis simplicitatem, vel potius insciitiam (ita enim videbatur) ludibrio habere. Tum ille, Equidem, inquit, iam hoc agam, & prandebo; vbi pransus fuero, tum forte homini isti respondebo. Sublatis mensis, sacerdos ita infit: Hodie sacrum in altari peragens, hac vsus sum precatione: Discerne caussam meam degente non sancta. Spero sane hunc ipsum Deum pro sua omnipotentia & misericordia preces has meas exauditurum. Facto deinde Crucis signo, Prædicantem ita alloquitur: In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, per Dei, cuius ego indignus seruus & sacerdos sum, auctoritatem & potestatem mando tibi, maligne spiritus, vt obmutescas, nec per os istius hominis loquaris. Quid fit? Vix ille hac verba pronunciauerat, quum ecce Prædicans piscę magis mutus sedet. Tum sacerdos iterum, Iam, inquit, vt homo lequere: & tibi respondebo. Hactenus enim cum maligno illo spiritu, qui per os tuum locutus est, & tam atroces contra Iesu*

Christi

Christi sponsam iniurias eiuomuit, verba commutare religioni mihi duxi. At Prædicans frustra loqui conatus, quum ne gry quidem proferre posset, demisso capite totus pudore perfusus inde se proripuit, omnibus hoc miraculo obstupefactis. Illi tamen eidem, muto quidem, nihilo tamen *minus astuto diabolo color non defuit, quo hanc Prædicantis infamiam palliaret, vi magica artis factum esse dictitans: à qua tamen suspicione Gorscium (id enim nomen erat sacerdotis) vita simplicitas atque innocentia facile vindicabat. Palatinus vero miraculo hoc obstupefactus, in se rediens, errore, in quo educatus fuerat, abiurato, vnà cum familia sua ad Catholicam Ecclesiam est reuersus, & in ea constanter perseueranit: quem Pibracus noster tam ob singularem eruditionem & eloquentiam quam armorum vsum & rei bellicæ peritiam maiorem in modum laudare est solitus.* Idem hæretico cuidam presbytero euenisse Georgius Turonensis testatur, qui cum Catholico in eadem mensa cibum capiens, eumque irridens, mirabiliter itidem fuit conuersus. Ecce tibi veræ Ecclesiæ & legitimæ vocationis sigilla, quæ in notha illa & spuria Ecclesia frustra quæras. At præstigias esse & magicas artes dicitis. Idem Iudæi de Saluatore nostro dæmonia eijciente & mortuos resuscitante dixerunt. Eadem arte S. Petrus maligno spiritui, qui Simonem illum magum in aëre ferebat, vires ademit. Et quondam, quæso, miraculum in S. scriptura similia Iudæorum conuitia, & calumnias effugere potuit? Sed ite vos, si placet, & magicas artes in subsidium accersite. Agite, vestro Marte vnum nobis producite miraculum, quo sacerdotibus nostris vocationem vestrã legitimam esse negantibus, os occludatis. Quid cessatis (quin extrema potius tentatis (qui tot facinora alia tentastis) quam vt hanc calumniam, vt vos dicitis, inultam sinatis. Ite vos Prædicantes, & digitos vestros in os dæmoniacorum inserite, vt sacerdotes nostri faciunt. Periculum facite, an illæsos eos sitis rursus extracturi, Equidem cum Erasmo potius crediderim, si vestras omnes vires conferatis, ne claudicantem quidem equum vos sanare posse. Sed ad institutum redeo, à quo Palatini huius ad Catholicam fidem conuersi historia nos paululum abduxit.

* * *

HÆRETICI IN POLONIA OMNIS dignitatis exsortes. Ibidem varia sectarum inueniuntur genera. Iacobus Palæologus Dominicanus hæreseos damnatur & punitur.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

I. *In Polonia hæretici, regni Senatores esse non possunt.*
II. *Cardinalis Hosius Catholicorum cum hæreticis colloquia frustra impedire conatur.*
III. *Diaboli miraculum, in Antitrinitarij cuiusdam corpus ingressi.*
IV. *De Andrea Dudithio Episcopo Quinqueclesiensi.*
V. *De Iacobo Palæologo, eiusque vita & morte.*
VI. *De Lutheranis, Anabaptistis, Calixtinis, & alijs hæreticis qui in Polonia stabulantur.*

I. EX omnibus sectis quæ in Polonia & Sarmaticis vigent regionibus, *Trinitariorum* præcipua fere est, quæ vnà cum Græcanica non Poloniam tantum vtramque, sed Lithuaniam etiam, Russiam & Volhiniam occupauit. Horum Metropolitani pluribus locis Patriarcham Constantinopolitanum agnoscunt: interim à Senatoria dignitate excluſi. Econtrario omnes Catholici in Polonia Episcopi, regni sunt Senatores. Trinitarii quidem quantum ad pertinaciam, ceteris omnibus hæreticis sunt similes: quoad articulos vero doctrinæ valde sunt varij & pugnantes. (a) Sanctam tamen Sedem non tanto odio prosequuntur. *Demetrius Muniadinus*, homo non vulgari doctrina præditus (qua vtinam recte vsus esset!) vnus ex præcipuis fuit Trinitariorum anteſignanis. Hic Claudiopoli ad populum declamans, multis exsecrabilibus contra SS. Trinitatem effusis blasphemijs, apoplexia correptus, in ipso vestigio animam exhalauit. Sed non cum ipso hæresis, quæ in successores multo nequiores transfusa est. Prodierunt tum tabulæ quædam & picturæ, quibus boni illi homines operis, quod Deus scilicet, per ipsos effecerit, magnitudinem adumbrare voluerunt. Picta in Tabula videtur S. Petri, quæ Romæ est, Ecclesia: quam Lutherus & assecla altè eleuatis bra-

brachiis & intentis ictibus demoliri aggrediuntur, sed defectum, tantum confractis & deiectis regulis perrumpunt: Caluinus vero & Zuinglius parietes perfringunt: at Seruetus ipsa fundamenta, extremâ Papatui ruinam moliens, amoto scilicet lapide illo angulari, IESV CHRISTO, quem nec Lutherus nec Caluinus loco mouere ausi sunt. Ecce quomodo Hæresis quibusdam velut gradibus ad summum peruenerit malitiæ & impietatis fastigium, postquam aditus semel ipsi fuit patefactus. Anno vero 1566. (b) Lutherani & Caluinistæ, existimationis suæ iacturam indigne ferentes, vt è quibus multi quotidie ad Arrianismum transibant, à Trinitariis etiam subinde ad disputationem prouocati, tandem conditionem acceperunt. Sic ergo permittente rege Sigismundo Augusto, Petricouiæ, vbi regni comitia erant habita colloquium de religione institutum fuit, præsente regni Mareschallo. E Caluinianis colloquutores fuerunt Andreas Radonianus, Sanicius, Syluius, & Procius; scriba Nicolaus Plusius, Ex aduersatiis vero Georgius Paullus dux hæresis Trithearum (vt eum Posseuinus, appellat) Lutomirus, Paclesius, Homanus; scriba Ioannes Casanouius, isqui Caluinum scriptis editis antea oppugnarat.

II. Cardinalis Hosius, vir non minus vitæ sanctitate quam doctrina conspicuus, accepta huius Colloquii fama, in quo non ignorabat sanctissimum Iesu Christi nomen fœdis modis laceratum & pedibus proculcatum iri; nulla senectutis & affectæ valetudinis habita ratione, è longo etiam nondum recreatus itinere (paullo enim ante Tridento redierat, vbi Legati officio erat functus.) quam celerrime ad regem profectus, modis omnibus instituit iam Colloquium impedire annixus est. Sed quum nec precibus nec ullis demonstrationibus regem, cui Trinitarij iam olim libellos suos exhibuerant, à proposito suo divertere posset, non sine dolore & indignatione ex aula & comitiis discessit, in via multis cum suspirijs sæpe exclamans: *O Deus, in qua me tempora reservasti! An ferendum est, ut impij illi homines impuris suis vocibus aerem patriæ nostræ corrumpant? Exsurge Deus: quia hostes tui elevati sunt contrate.* Porro ad Colloquium magno apparatu institutum venerunt non pauci proceres, è maiore & minore Polonia evocati, sed ij tantum qui vel Calvinistarum vel Tritheitarum sectæ adhærebant. Catholicorum enim nemo adfuit. Initio quæstio erat *de præside, quis & an unus esse deberet.* Placebat alteris vt alternis diebus vnus ex vtraque parte præesset. Tandem vero, quum in illo convenire non possent, duo electi sunt, vnus unius, alter alterius partis. Quum vero ad rem ipsam accederent, Regni Mareschallus, qui Calviniста erat, ad pacem cereros omnes exhortatus, infit: *Constituta iam propositione qua de agendum est, agite in Dei unius & sanctæ Triniatis nomine exordimini.* Vbi protinus quidam adversariorum tuorum intuens, respondit: *Nos vero hic non dicimus, Amen. Neque enim novimus Deum istum Trinitatem, neque ullum ab eo auxilium speramus.* Tum alij, *Nulla iam alia*, inquiunt, *propositione nobis opus est, quum se hæc obtulerit.* Sic ergo de SS. Trinitate disputari cœptum est, ac potissimum *vtrum Dei filius ab æterno sit Deus, & Patri consubstantialis* Dici sane vix potest, quot quantæque Trinitarioriū blasphemiæ paucis illis diebus quibus disputatū est, auditæ fuerint, & quidē omnes, vti videri volebant, Dei Verbo innixæ, cui ad causæ suæ patrociniū allegato, mordicus illi inhærebant. Nec vero ex hac arce Caluinistæ eos deijcere poterant nisi Catholicorum armis. Quum enim Trinitarij ad sui defensionem fere tertium quoque verbo dictum aliquod Scripturæ adferrent, interpretatione, quam ipsi commenti fuerant, adiecta, Caluinistæ sane ictus hos declinandi nullam aliam rationem inuenire poterant, quam *opposito traditionum & vniuersalis Ecclesiæ, & SS. Patrum tam Græcorum quam Latinorum consensus scuto, qui consensus velut anima est & vita S. Scripturæ.* Magni vero illius & Oecumenici Concilij Niceni auctoritatem producentibus Caluinistis, noui illi Arriani responderunt, Concilium illud errasse, in eoque fidem illam & doctrinam à Constantino Imperatore tum primum per vim fuisse introductam & constitutam: contra vero Conciliabulum Arrianorum Sirmii habitum comprobarunt, & Constantino laudatissimo Imperatori & primogenito quasi Ecclesiæ filio, maledictum illum & ab vniuersali Ecclesia condemnatum Constantium Arrianorum fautorem opposuerunt. Multis diebus in verborum illorum, *In principio erat Verbum*, interpretatione consumtis, quum finis actioni imponendus esset, Caluinistæ, ac si Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ essent alumni, alta voce vulgarum illum Sacrosanctum hymnum cecinerunt: *Deo Patri sit gloria, Etusque soli Filio, cum Spiritu Paracleto, in seculorum*

b *Anatomia Eccl. Cathol pag.* 111.

eulorum facula. Trinitarij vero quum hæc verba ferre non possent, quasi furibundi sese propipuerunt, negantes se velle dicere: *Amen*: quod tantam iniuriam Deo factam (sic enim aiebant) minime tolerandum esse arbitrarentur.

Hic exitus fuit temere instituti, & infeliciter finiti Colloquii: qualis etiam multorum aliorum fuit: vt illius quod Transyluaniæ Principis iussu An 1567. Varadini inter nouos Euangelicos & Tritheitas; nec non Sendomiriæ Anno 1568. (d) Albæ Iuliæ A. 1570. (e) Cracouiæ, A. 1513. (f) Lublini & alijs tam Poloniæ quam Transyluaniæ locis, viuente adhuc Ioanne Principe à Blandrata seducto, habitum fuit: cui succedens Stephanus Batorius Princeps Catholicæ religionis obseruantissimus (qui ob insignem virtutis existimationem ad Poloniæ regnum postea vocatus fuit) Arrianorum effrænem audaciam repressit, impio illo & nefario homine *Francisco Dauide* in carcerem incluso, qui non minus Arrianus, quam Blandrata fuerat, *Christum adorandum esse negabat, vt qui Deus non esset*; alias cum Papistis, *etiam reliquos sanctos nobis esse invocandos*. In carcere quum in insaniam incidisset, turma dæmonum apparente, exclamauit: *Ecce qui me comitem itineris exspectant.* Monitus vt Iesum Christum invocaret, nequissimus homo, quouis Iudæo magis impius, *eum se se inuocaturum negauit, qui se ipsum à cruce non potuerit liberare.* Sic os illud impurum tandem infelicem animam exhalauit. Similis exitus Blandratæ fuit, vt supra ostendimus. Porro quamuis ipsis etiam sectarijs Caluinistis & Lutheranis Nouorum illorum Arrianorum & id genus hominum hæresis detestanda videretur, numquam tamen fere defuerunt magnæ auctoritatis & potentiæ viri, qui patrocinium eorum susciperent, inter quos fuit *Palatinus Vilnensis*, in quam vrbem tamquam ad fœdissimam clocam, omnis generis hæreses confluxerunt. Quis vero omnia colloquia & disputationes ab anno vsque M. D. LXVIII. (g) ad hæc vsque tempora inter homines illos mille crucibus & suppliciis dignos habitas enumeret? quas Gaspar VVilkonuski Medicus, postquam è Samosateniano Catholicus factus est, in vnum librum collectas, Vilnæ edidit: vt Volanus, Resciius, & alij testantur. Inter alia ait, *P. Scargam Regis Confessarium litteras vidisse à supradicto Palatino ad filium scriptas, in quibus fateatur, postquam à Catholica defecerit Ecclesia, inquieto animo semper se vixisse, nec quod in tanta aduersantium sibi mutuo opinionum & sectarum multitudine credendum sibi statueret, aut in quo acquiesceret, certi quidquam inuenisse.* Patris exemplo sapientior factus filius, ne hæreseon in profundum barathrum abriperetur fluctibus, Catholicæ clauo Ecclesiæ gubernandum se permisit. Nihil vero hereseos progressum æque impediuit ac *Lutheranorum & Caluinistarum dissensiones, quarum calamitas*, inquit Historia Cœnæ Augustanæ, *caussa fuit quod plurimi qui Euangelio ante nomen dederant, ad Papismum redierunt à quo discesserant, aut ad Sacramentarios transierunt, aut quod peius est complures ex eis nouas illas & pestilentes hæreses amplexi sunt; pauci vero in vera (Lutherana scilicet, vt ille) religione constantes manserunt.*

III. Circa id tempus Deus, vt miseris illis Trinitarijs oculos aperiret, insigne miraculum Cracouiæ patrauit. Quum enim religiosus quidam è S. Dominici ordine, P. Seuerinus nomine, dæmoniacum exorcisaret, & sutorem quendam Trinitarium turbæ, quæ frequens accurrerat, vidisset immistum, ad eum conuersus, *Qui tibi*, aiebat, *homo pessime & infidelis, inter fideles est negocij? Veni*, inquit, *ille, vt mysterium hoc viderem: nec abnuo, vt omnes diaboli quos tu ex illo eieceris, in meum corpus immigrent.* Tum religiosus, *Fiat tibi sicut optasti.* vix domum redierat infelix ille Arrianus, quum ecce à diabolo arripitur, ac per integrum mensem horribilem in modum vexatur & torquetur, mille interim blasphemias contra SS. Trinitatem effundens. Tandem misertimus in S. Catharinæ vigilia de fenestra se præcipitauit, anima et qui corpus ipsius inse derat, reddita. Tam tristi casu mariti territa vxor, confestim Catholicæ Ecclesiæ se reconciliauit. Hæc vero ita se habere, in Polonia lippis & tonsoribus notum est.

Quia vero Noui Euangelij in Polonia præcones Nouas quotidie enasci turbas, & in tantas dissensionibus Ecclesiam suam fluctuare videbant, de vno penes quem in ceteros omnes esset inspectio, eligendo consultare cœperunt, quod aliter disciplina Ecclesiastica retineri non posset. Videri ergo sibi necessarium, vt inter eos ministros qui in Polonia sunt, vni alicui, qui prudens, sapiens, pius, doctus & Spiritu sancto plenus esset, super ceteros Apostolica traderetur potestas, vt reliquos in Euange-

c *Anatomia Eccles. Cathol. pag.* 113. d *ibid.* e *ibid pag.* 114. f *ibid. pag.* 114 & 115.

Euangelica continere obediẽtia, & in delinquentes gladio spirituali tanto facilius animaduertere posset. *Ecce tibi Polonorum etiam hæreticorum Papam optantium vota! Ecce primatum, cuius odio turbæ illæ in religione cœptæ fuerant, ab ipsis etiam aduersariis desideratum!* qui tamen, repudiato mox isto Consilio, inter Nomadas illos & velut Hamaxobios locum habere non potuit.

IV. Porro è Trinitariorum secta nostro æuo præcipui fuerunt *Breslaskius* Castellani Sendomiriensis Secretarius, & *Andreas Duditius*, vterque astutus & in hæresi sua propaganda impiger: quibus postea *Iacobus Palæologus* malam operam nauauit. Ex his duo posteriores, ob eruditionem non mediocrem digni mihi videntur, quorum hic breuiter contexam historiam: vt omnes intelligant, quam superba ac proinde periculosa res sit illa scientia, qua inflatus animus vniuersalis Ecclesiæ iudicio cedere detractat. Ac licet de his ab alijs quoque multa sint prodita; non tamen ingratam rem lectori facturum me puto, si veluti spicas ab alijs relictas colligam, id est, ab alijs omissa breuiter enarrem.

Fuit igitur *Andreas Duditius* Hungarus natione, Quinqueclesiarum, (quod oppidum est Pannoniæ) Episcopus, ob doctrinam ac multarum rerum vsum Imperatori Maximiliano, dum vixit, percharus: pro quo multas de grauissimis rebus legationes magna cum laude obiuit. Tandem quum in Legatione ad Sigismundum Augustum Poloniæ regem nobilem puellam Sophiam Gonisellam nomine vidisset: formæ captus pulchritudine, sic repente eius amore exarsit, vt dum ea potiretur, omnia susque deque habere, adeoque religionem potius deserere decreuerit, quum aliter eius potiundæ spes nulla esset. Non agnoscis hic ordinariam actritam fere omnium hæreseon portam? Duditium tamen & verecundia aliquamdiu in officio continuit, & vana spes, breui fore, vt proculcatis Ecclesiæ legibus, matrimonij vsus etiam Ecclesiasticis permittatur, cœlibatu ad Erenitas, Monachos & alios quibus tam durum perpetuæ castitatis placeret votum, ablegato. Quam ad rem se non exiguum momentum allaturum sperabat, vt qui doctrina non vulgari, tum multarum linguarũ peritia, & admirabili inprimis eloquentia esset instructus. Qua de re quum in Consilio Tridentino nonnullorum Patrum animos tentasset, adeoque etiam publice verba facere ausus esset: a cunctis exsibilatus, & cum magna pudoris iactura domum reuersus, contra leges Ecclesiæ Sophiam prædictam in matrimonium duxit, non minus postea infelix maritus, quam Colonensis ille Archiepiscopus, cum Canonissa aut Moniali sua Agnete sequenti libro à nobis in scenam producendus. Ex hac Sophia natus ei fuit filius, miseri senis crux & flagellum. Sophia mortua, idem alteram vxorem duxit, è Borrechiorum familia; ac primo in Poloniam, deinde in Silesiam, vbi omnium gentium dij in honore erant, commigrauit, in magna paupertate & miseria vitam traducens, nec vllam certam religionem, in tanta confusione professus, sed pariter omnes, etiam illam cui initio nomen dederat, Caluinisticam scilicet, irridens. In Epistola quadam ad Bezam, qui Poëmata sua ipsi dedicarat, ingenue fatetur, *Romanam Ecclesiam non ita Nouam Euangelicam, in tot factiones ac sectas distractam, & plausibili insuper venerabilis antiquitatis & perpetui consensus fundamento esse suõnixam. Quod si Patrum in doctrina consensus sit ipsa Veritas, eam procul dubio stare à Papistarum partibus. Ortis enim inter doctos in Papatu de quacumquere disputationibus, statim vel Conciliorum decretis, vel Pontificum auctoritate controversias omnes fuisse compositas.* Sic ergo hærebat, sic fluctuabat Duditius, vt nulla ei placeret religio, adeo vt pro Sacris Biblijs, Platonis libris veteretur: libenter, credo, in hoc Iulianum apostatam imiaturus, qui in templis suis versus Homeri decantari, & Platonis libros prælegi iussit, vt Sozomenus & Nicephorus testantur. *Satis esse*, aiebat Duditius, *vt Christianus in Deũ credat, bene & honeste vivat, Naturæ legem obseruet, amet virtutem, & fugiat vitia: nec vlla alia opus esse ad salutem suam cuique præstandam religione.* Narrauit mihi Polonus quidam, multos tam in Polonia quam Hungaria proceres hominis huius manu quam diligentissime scriptas Epistolas adhuc penes se habere, ac sedulo asseruare. Tandem quum Vratislauiæ domicilium fixisset, sine vlla morbi suspicione, mortis suæ horam prædixit. Ab Amico enim ad prandium inuitatus, quamuis sanus & valens videretur, excusauit se, inquiens: *Tempus iam esse vt alio proficiscatur, & vltimum Naturæ debitum persoluat.* Deinde in lectulum se componens multa, sed Philosopho quã Theologo vel etiam Christiano magis digna, cum summa adstantium admiratione disserere cœpit. Nobilem Polonum multa de hoc homine narrantem audiui, quæ moriturus ille dixerit, quæ fecerit; sic vt quæ ille delirauit, etiam maxime sanis cuiusuis sermonibus potiora viderentur: donec

ran-

tandem animam placidissime reddidit, tanta alacritate & constantia, ac si cœlos apertos sibi videret. Hoc tamen minus mirum, quum non raro infamis vita, qualis Duditij fuit, honesto exitu soleat terminari, vt videre est in Otthone Imperatore illo gentili qui Imperium male cœptum, & multo peius gestum, morte fortissime obita, honesto quodamodo fine clausit. Idem tamen Polonus *non negabat, Duditium atheum fuisse, ac nullam religionem habuisse: bis miserum: quod Episcopatu exutus, & honorem atque existimationem in hac vita, & in altera æternam vitam perdidit, qui quam diu Catholicæ adhæsit Ecclesiæ, plenam gloriæ & honoris vitam duxit.* Sed iam itidem quæ & vita & mors fuerit Iacobi Palæologi videamus, eius qui infinitas ferme istis in regionibus animas ad exitium pertraxit.

V. Hic ex antiqua illa & Imperatoria apud Græcos Palæologorum stirpe ortus, è patriæ naufragio ægrè eluctatus, Romam venit, & eodem quo Pius (V. Papa postea) die ad religiosam Dominicanorum familiam fuit adscriptus: à quo tamen moribus longe discrepabat. Vt enim ille insignem humilitatem ac bonitatem in omnibus præ se ferebat; ita hic nihil nisi arrogans & superbum spirabat sic vt ex sermonibus eius & disputationibus facile colligi posset, eum in præcipuis Christianæ religionis fundamentis vacillare. Quare Inquisitioni traditus, non multo post Paulli IV. Papæ excessum Romana plebe in mortui memoriam sæviente, effracto carcere, ex Italia, parum tutum locum hæreticis istum esse animaduertens, in Germaniam profugit, & cum Lutheranis consuetudinem contraxit: quorum vt & Zuinglianorum doctrinam & mores quum minus approbaret, in Poloniã concessit, vbi facile suæ farinæ homines reperit, eos nimirum qui Christum Iesum adoptiuum tantũ Dei filium esse dicunt, commodum ergo locum & occasionem nactus, iã dudum conceptum animo virus euomere cœpit, & breui in quam plurimos transfudit: interim ne solitarius viueret, honesto loco natã adsciscit puellam comitem assumsit, in Moraviam paullo post eum eadem profectus, vt tanto liberius sibi viuere liceret, quod ea in regione ad suæ quisque conscientiæ normam fidem ac vitam suã conformaret. Etsi vero non ignorabat, Pium V. qui Paullo in Pontificatu successerat suis mandasse vt omnes ipsius comprehendendi rationes inirent, tamẽ summa eius regionis libertate, & populi, à quo pro sancto habebatur, fauore fretus insidias omnes eluit. Tandem defuncto Pio, quum velut defunctus omni periculo, securius iã ageret, in Gregorij XIII. Pontificis manus incidit: qui quum audisset quantas passim noxas hic homo daret, effecit vt Maximiliani II. iussu, dum cum alijs prandaret euocatus, & in currum coniectus, prius Viennam, atque inde Romam perductus fuerit, quã populus ad eum liberandum coire potuit. Id quod Maximilianus I. quoque, Luthero telam rebellionis suæ exorsõ, facere nec frustra hominis ad malum tam obstinati pœnitentiam exspectando tempus consumere debuisset.

Palæologo Romam perducto, & carceri incluso, postquam dies aliquot in eo solus exegisset, Pont. ex duobus doctissimis viris eius examinandi negocium dedit, nimirũ P. Magio, (ei qui nõ ita pridem Societatis suæ restitutionem apud Henricum IV. regem mira sedulitate procuravit,) & P. Bellarmino, ad summæ proximam Cardinalatus dignitatem postea evecto. Et hi quidem dies aliquot cum Palæologo disputando consumpserunt, qui magna animi obstinatione Arrianismum suum defendens, illud unicè urgebat, ut Filij cum Patre consubstantialitas è Sacra scriptura sibi demonstraretur, eandem interim illis ipsis quibus Arrius olim, Sacræ scripturæ locis impugnans. Quum ergo nec conciliorum auctoritate, nec Patrum, Scripturæ interpretum, consensu pertinacia huius hominis frangi posset, illud assiduè more omnium hæreticorum, occinentis, *Nihil sibi cum Patribus esse negocij: Fuisse illos homines: nullo alio iudice quam Sacra scriptura opus esse*: in carcerem missus fuit: unde postea eductus, & pro Turcico vestitu quem è Moravia secum asportaverat, alba tunica pictis flammis rutulantibus conspersa indutus, in æde Minervæ reus peractus, inde gravissimis compedibus, manibus & pedibus & collo inditis, in profundam Nonnanæ turris fossam est detrusus; paullo post vero ab ijsdem Patribus, & Stephano Tulcio iterum monitus, quum multo pertinaciorem quam umquam antea sese ostẽdisset, ad Joannis Lateranensis ædem deductus, & consuetis ceremonijs sacro ordine exemptus, ac brachio sæculari traditus, ab eoque igni fuit adiudicatus. Quum ad locum supplicij venisset, lignorum struem tam sibi quam magis quibusdam & veneficis præparatam contemplatus, atque hos iam palis alligari cernens, ita exhorruit, ut ex eius vultu facile mortis metus coniectaretur. Ibi F. Bartholomæo P. Magij coadjutore, qui ipsum in Germania viderat,

& in carcere visitarat, etiã atque etiam obsecrante, ut in se descenderet, & ne corpus tantum suum, verum etiam animam perditum iret, respondit Palæologus: *Atqui iam non licet revocare gradum*; innuens scilicet, viso iam rogo omnibusque ad supplicium paratis, nimis seram reorum esse pœnitentiam. Quibus celeriter ad Pontificem, mensæ tum assidentem delatis, optimus Pontifex in carcerem eum reduci iussit, in quo fidei suæ professionem manu signavit: deinde in pegma sive theatrum productus, errores suos publice eiuravit, Jesum Christum verum Dei filium esse confessus. Non tamen statim vinculis solutus, sed honestæ custodiæ inclusus fuit Palæologus, quoad sinceri animi fidem faceret; Corycæis appositis qui verba ipsius scripta, & mores quotidie diligenter observarent. Quum vero postea in pristinam hæresin esset relapsus, Pontifex ea de re certior factus, P. Tulcio mandauit, vt assistente vno ex Inquisitoribus sine vlla disputatione, Fidei ab eo exprimeret Confessionem. Ingressus ad eum P. Tulcius, *Respondε, inquit, Palæologε, quid credas de hu qua tibi Pontificis Dei in terris Vicarij jussu propositurus sum, simpliciter nec est vt tuam eloquentiam & tam Græca quam Latina linguæ peritiam hic ostentes.* Quamuis ergo ille in singulis multa adhiberet verborum diuerticula, tamen simpliciter tandem respondere coactus, hæreseos reus peractus, & eodem, quo Iaponenses reguli in vrbem venerant, die extremo supplicio affectus & combustus est.

VI. Porro ex omnibus sectis quibus scatet Polonia, *post Trinitarios*, præcipuas partes obtinent *Lutherani*, in magna præsertim Polonia, Pomerania, Liuonia ac Prussia, & inprimis Dantiscei, Elbingæ, Conigspergæ: quibus tamen omnibus locis non desunt magno numero Catholici, vt & Collegia seu Gymnasia erudiendæ iuuentuti dicata. Cardinalis quidem Battorius ijs in locis degens, subditos suos in Catholica religione, quoad vixit, sedulo retinuit. Interim *Caluinistæ*, infesti Lutheranorum hostes, Dantiscei præsertim, Cracouiæ, Posnaniæ, & Vilnæ, tanta fecunditate succrescunt, vt mox præualituri videantur. *Anabaptistarum* vero magna est circa Dantiscum, vt & in suburbijs, necnon in Silesiæ finibus, itemque in Palatinatu Siradiensi, & circa Cracouiam multitudo: Lublini vero ijdem publico religionis suæ exercitio gaudent. Ex his tamen omnibus multi quotidie à Societatis Iesu Patribus ad Catholicam Ecclesiam reducuntur. Henrici III. regis tempore mira erat in Poloniæ regno Caluinistarum paucitas; nec vllum eis concessum erat religionis exercitium, nisi in ædibus Procerum quorundam priuatis: quibus tamen postea quamplurimi (vt natura hominum nouitatis est auida) sese adiunxerunt. Magnus quoque ibi est *Calixtinorum* numerus, Joannis Hussij progenies: qui in armis suis, vexillis & vestibus Calicem præferunt. Et hi quidem Cardinalem Hosium, tanti viri fama & existimatione moti, è Tridentino Concilio redeuntem interpellarunt, vt in Eucharistiæ communione eius utriusque speciei sibi concederetur: id si fieret, in reliquis lubenter sese Catholicæ Ecclesiæ legibus obtemperaturos. Cæterum Cardinalis multis rationibus demonstrauit, *has artes esse diaboli, hoc modo aditum sibi aperire conantis, vt semel admissus, tãto facilius postea omnia repagula quibus hactenus Romana Ecclesiæ unitas munita manst, perfringat. Ecclesiæ ius fasque esse, in ijs quæ iuris diuini non sunt, mutare aliquid aut dispensare; non vero nationi alicui particulari licere quidquam his de rebus suo arbitratu statuere: alioqui Dei regnum multiceps fore monstrum.* Juveniuntur etiam ibidem *Adamitæ, Fraticelli*, & aliæ obscuræ & infames sectæ; verum æque omnium odio & contemptu exagitatæ. De impijs vero *Judæis* quid commemorem? quorum & incredibilis in toto regno fuit numerus, & maximæ diuitiæ, ab eo tempore quo Casimirus rex Judææ cuiusdam, Hesteris nomine, amore fascinatus, universæ illi genti liberum toto regno commorandi domicilium & negociandi facultatem indulsit. Indigna sane res est, illis Dei homicidis & crucifixoribus inter Christianos plus fauoris præstari quam inter ipsos Musulmannos sive Turcas, quibus illi tam inuisi sunt, vt nullum Judæum in sectam suam admittant priusquam Christianorum more baptizatus; & à peccatis lotus sit & purgatus. Quin etiam si Turca aliquis insigne cui velit facere conuicium, sic eum compellat, *kre chifont*, i. est, Abi Judæe. Non colloquio, non salutatione eos dignantur. Et sicut illi apud nos circulis flavi coloris, sic apud Turcas eiusdem coloris pileis discernuntur. Huius vero introductæ consuetudinis sequens occasio memoratur. Bassa quidam Pera Constantinopolim traijciens, quumforte fortuna Judæum obvium habuisset, vestitu nihil à reliquis differentem, humiliter ab eo salutatus, vicissim inclinato capite, vt Turcarum mos est, hominem resalutauit. Quum vero postea comperisset Iudæum illum fuisse, supra modum indig-

natus

natus quod tantum eius generis homini honorem exhibuisset, statim e ministris suis aliquot ablegauit, qui miserum illum fustuario depectere nt; deinde à Sultano idem Bassa Edictum impetrauit, quo iubetur, vt omnes Iudæi posthac flaui coloris pileum ferrent: id quod hactenus diligenter fuit obseruatum. Sunt etiam sub Poloniæ regum imperio quædam *Turcarum & Tartarorum* Hordæ, vt vocare solent, ad Boristhenis ripam habitantes, & Mahumetanam legem obseruantes. Omnibus his alta pax est: & per magistratum licet cuique quamcumque velit viam insistere, siue eam quæ ad paradisum, siue eam quæ ad infernum ducit. Ex his quæ hactenus dicta sunt, Lector amplissimi & potentissimi Poloniæ regni, post Lutheranam exortam hæresin miserabilem in modum distracti ac deformati, statum facile poterit cognoscere. Meo quidem iudicio, id florentissimo quondam regno plurimum detrimenti attulit, quod Nobilitas filios tam litterarum & linguarum discendarum, quam peritiæ in rebus bellicis comparandæ caussa, ad exteras, adeoque hæresi etiam infectas regiones mittere non veretur: immo nulla eis religio est filios suos regijs Oratoribus, qui Constantinopoli agunt, comites adiungere, vnde facile cogitari potest quam boni Christiani domum reuertantur. Mortuo ad A. 1571. Nonis Julijs Sigismundo Augusto, ex Iagellonica stirpe Rege vltimo, tam Poloniæ quam Lithuaniæ Palatini & Castellani, quorum alij Lutheri, alij Zuinglij, alij Blandratæ, alij Serueti alij Caluini, alij denique aliorum opiniones sectabantur, *comitia indixerunt, vt in ijs non tantum permodum tolerantiæ, verum etiam publica lege conscientijs libertas & pax cuicumque religioni concederetur.* Ac quamuis reliqui proceres, Ecclesiastici inprimis his conatibus acriter sese opponerent; illi nihilominus pervicerunt, vt publico Edicto frænum conscientijs ac omnis generis religionibus fuerit permissum: quod postea etiam Henricus III. quum regno inauguraretur, iuramento confirmauit, his verbis: *Inter dissidentes de religione pacem manu tenebimus*; vti & sequentes Reges: quod quidem Edictum tot tamque diuersas sectas & hæreses in regnum invexit, vt eius purgandi vix vlla spes sit. Vix in regnum venerat Henricus, quum statim Arriani, Trithæitæ, Samosateniani, & alij eius farinæ homines supplicem illi libellum obtulerunt, quo sibi tamquam veris Christianis, & quorum doctrina primitiuæ Ecclesiæ examussim congrueret, vti iactabant, religionis suæ exercitium permitti flagitabant. Quod quidem rex & promisit, & quam petebant conscientiæ libertatem concessit. Non facile quisquam dixerit quantæ inde tubæ & confusiones enatæ, & quam deformia & portentosa hæreseon monstra sint exorta: quum sibi vel quisque deum fingeret, vel primi qui occurrerat fanatici & ad gustum loquentis doctoris opiniones amplecteretur. O infelicem quiduis credendi licentiam! Econtra ô exoptatissimam illam libertatem, qua homo in ijs quæ ad Fidem pertinent, se suamque voluntatem & intellectum in seruitutem tradit, & eius subijcit legibus, quæ infallibili Dei promisso, errare non potest. Quin etiam ipsi Noui Euangelici Lutherani, & Caluinistæ, Anno M. D. LXXXIII. regi supplicarunt, vt *diabolicam illam legem* (sic enim merito eam appellabant, quæ absurdissimis & maxime impijs quas humanum comminisci potest ingenium, opinionibus libertatem & impunitatem præstabat) abolere vellet. Idem vt in Lithuania faceret. Violanus Stephanum Regem Henrici successorem libello quodam obsecrat, vbi rem ait in eo statu iam esse, vt nisi quamprimum remedium afferatur, tot in Lithuania religiones quot oppida & pagi futuri sint. Edictis certe illis de religionis libertate publicatis, statim Biblia, vti à Budnæo, *Ebionitarum in Lithuania* parente, versa fuerant, typis impressa & divulgata sunt: quo nec Marcion, nec Lutherus, nec vllus fere vmquam hæresiarcha audacior fuit atque impudentior, vt qui Euangeliorum peruerterit ordinem, quamplurima Scripturæ loca mutilârit, truncarit, addiderit, demserit quidquid visum fuit: sic vt viginti sex loca ad hæresin suam, nempe Iesum Christum ab æterno Deum non esse, probandam accommodarit. Zeronichius Anabaptistarum doctor in suis Dialogis hominis huius errores, falsitates & blasphemias ad longum enumerat: quos equidem non sine horrore legi. O misera Polonia! (cum Rescio exclamare lubet!) quæ tam feram bestiam alere sustinuisti.

***

POLONI SEMPER CATHOLICUM regem eligere studuerunt. Societatis Iesu in Polonia Collegia: & Ministri cuiusdam hæretici conuersio.

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

I. *Henricus Valesius ad Poloniæ regnum accersitur*
II. *Poloni Catholicum volunt habere regem.*
III. *Stephanus Bator Poloniæ Rex creatur.*
IV. *Eius successor Sigismundus Sueeus cum Maximiliano Austriaco de regno contendit.*
V. *Societatis Iesu in Poloniæ Collegia.*
VI. *Minister Lutheranus Polonus natione, Romam in Iubilæo profectus, ad Catholicam fidem conuertitur.*

I. LVTHERANARVM in Polonia partium imbecillitas post Sigismundi mortem facile apparuit, quando in campis illis patentibus ad Warsouiam habitis comitijs, sub longe maximo illo tentorio disputatum fuit, cuinam potissimum ex tot competitoribus, regia corona esset imponenda. Postquam enim ex omni Christianorum Principum numero Poloni sibi regem eligere statuissent, & Lutheranorum suffragia partim in Ioannem Suecorum regem, defuncti Regis Sigismundi per filiam Catharinam generum, inclinarent; statim initio apparuit, conatum eiusmodi paucorum viribus longe maiorem, & digniorem esse Polonicam coronam, quam vt ea cuiusquam à Catholica fide alieni caput exornetur. Regnum vero id multi Reges ac Principes, missis legatis, ambiebant; inprimis Carolus IX. Galliæ rex fratri suo Duci Andino id petebat: negotij huius conficiendi cura demandata Ioanni Monlucio Valentino Episcopo, spectatæ virtutis & solertiæ viro, vt qui quatuordecim legationes pro Galliæ Regibus summa cum laude obijt; ac pleraque ob quæ missus fuerat, ex animi sententia confecit, à rege ei additus fuerat collega Vidus Lusignanus, Lansaci Equitis nobilissimi filius, iuuenis præter natalium splendorem, insigniter liberalis, & multarum linguarum peritus; quibus illecartibus & Nobilitatis animos ad Gallorum partes adiungere, & innata sua lenitate Monlucij homonis acris & itacundi vehementiam poterat lenire. Quæ in his comitijs ac noui regis electione acta sunt omitto (a) quod ea ad institutum nostrum non multum faciant: hoc tamen vnum addo, Lutheranos & Protestantes Catholicis hac in re cedere coactos esse.

II. Quum vero ipso tempore quo Andinus Dux Poloniæ rex renunciatus erat, res ad motum spectare videretur, æterna nominis fama dignissima magna Nobilitatis pars proximæ syluæ adæquitans, decerptos è quercu ramos pileis imposuerunt, consentientis voluntatis insigne. Tum magnus Samogitiæ Capitaneus Cocouitius q̃ potuit alte exclamauit: Regem habere volumus Catholicum & Orthodoxum, qualis est Dux Andinus. Cui statim vno ore assensi sunt Lascus Palatinus Siradiensis, Palatinus Breslensis, Palatinus Plocensis, Comes Tornauiæ, Ioannes Costka, Castellanus Dantiscanus, Andreas Soborouius, Andreas Opalinskius curiæ tribunus, vnà cum fratre suo magno regni Referendario, item præfectus Warsauiensis, Mareschallus Lithuaniæ, Abrahamus Sborouius, & alij magno numero nobilissimi Equites, inprimis è Massouia, quæ præ ceteris eius regni prouincijs ab hæreseos peste pæne intacta & incorrupta manserat. Visa tum sunt in campis illis ad Warsauiam circiter triginta quinque equitum millia, vno ore & consentientibus animis Andinum Ducem sibi regem poscentium. Ei quidem Protestantes magnâ conflare inuidiam ob socios religionis Hugonothas &c. in Francia male tractatos, conati sunt; quæ tamen in ipsos auctores redundauit, adeo vt tandem Lutherani, Caluinistæ, atque ipsi etiam Trinitarij in Catholicorum sententiam de rege è Gallorum stirpe eligendo concesserint. Horum præcipui fuêre Patinus Cracouiensis, ex Berlaskiorum, & Vilnensis, ex Raziuiliorum familia, Stanislaus Comes de Korka, Ostrorogij fratres, Palatini Cracouiensis gener Suffranescius, Castellanus Sendomirien sis, Comes Tenchinensis, Palatinus Lublinẽsis, Castellani Pomesani, & Camenecien sis, Palatinus Podoliæ, & alij: qui omnes suis suffragijs Catholicum sibi regem eligere coacti sunt, & eum quidem qui tam insignes hactenus ab hæreticis rebellibus in Gallia, pro fratre suo Carolo IX, victorias reportarat; quique eo ipso tempore quo Rex in Polonia dicebatur in Castris aduersus Rupellas versabatur, in quibus etiam Rex salutatus fuit. XVI. Kal Iun.

a *Legenda apud Bzouium Tomo XXII. Annalium & alios.*

sun. An. 1573. Verum vt regem nostrum in Poloniam euntem comitemur, animus non est, nec finit instituti nostri ratio; quod ille nec in religione nec in statu reipublicæ quidquam memorabile eo in regno perfecerit: in quod quum vix ingressus esset, A. 1574 III. Kal. Iun. festo Pentecostes, nō sine veneni (vti Lutheranus scriptor tradit) suspicione, mortuo fratre Carolo IX. ad auitā capessendam coronam clam, mutatis vestibus, de nocte profectus Viennam atq; inde per Italiam in Franciam non multo post redijt, ac regnum per multa pericula & miserias administrauit, vt infra quando de Francia nobis sermo erit, dicetur.

III. Poloni quum Henrici reditum aliquamdiu frustra exspectassent, tandem ad noui Regis electionem sunt progressi. Quamuis autem Maximilianus Austriacus Imperator multorum procerum suffragijs rex designatus esset: quia tamen Poloni eam electionem Amurathi Turcarum Sultano, Austriacæ domus potentiam iam ante suspectam & inuisam habenti, minus gratam fore intellexerant; atq; ipse etiam Maximilianus non satis mature in tam instabili hominum voluntate & rebus quam lubrica regni possessionem adijsset; Poloni denuo exquisitis suffragijs, Stephanum Bathorium Transyluaniæ Principem, multis virtutibus commendatum & qui Annam Sigismundi, Vltimi Iagellonidarum è stirpe Regis Poloniæ filiam in matrimonio habebat, Regem sibi accersiuerunt. Hic vero nulla habita Maximiliani ratione magno animo regni gubernacula suscepit: quumque Amurathis sibi gratia opus esse intelligeret, ad eam captandam, Legatos Maximiliani, vt Persarum Regem de fœdere contra Turcas incundo sollicitarent, missos, in via deprehensos occidi iussit. Hanc iniuriam vlciscendi; tum regni, quod Maximilianus deberi sibi putabat, vindicandi studium, nec non Turcicæ potentiæ metus Maximilianum induxerunt, vt omnium Christianorum Principum opem contra hostes suos imploraret, animaduertens à Germaniæ Protestantibus sibi ea auxilia quæ tam euidens periculum requirebat; denegata esse, eo quod petitionibus ipsorum in religionis negotio annuere noluisset: vti hæc de re Hungarica loquitur historia. Maximilianum interim Moscouitarum Ducis ope expeditionem in Poloniam adornantem, mors interpellauit. Stephanus vero, ereptis Mosco Plescouia & Narua vtraque, & regni finibus ad Nouogardiam vsque illam magnam vrbem, prolatis, victorijs gloriosus, tandem & ipse morti in prædam cessit Anno 1586. Idib. Decemb. cum annos decem & menses septem dieſque duodecim regnauisset in Polonia.

IV. Defuncto Stephano, Sigismundus Sueciæ rex Polonicæ Nobilitatis suffragijs ad regnum fuit assumptus coronatusque A. 1587. XVI. Kal. Ian. Maximiliano, Cæsaris Rudolphi fratre contra eundem à proceribus quibusdam electo, sed mox auspicijs Sigismundi victo & capto. Hanc Christianorum Principum discordiam & intestinum bellum ægre ferens Pontifex, Cardinali Aldobrandino Legato suo (qui & ipse postea ad Pontificatum fuit euectus, Clemens VIII. appellatus) eius componendi negocium dedit: quod quidem ille singulari cum laude non perfecit tantum, verum etiam Sigismundum Regem in Catholica religione, cui innutritus fuerat, plurimum confirmauit. Sic ergo pace inter Austriacos & Polonos facta, Maximilianus liber fuit dimissus. Porro is qui hodie est in Poloniæ regno rerum status, magnam nobis spem facit, fore vt in Catholica Ecclesia quotidie magis magisque reflorescat. Rex enim vt est Catholicæ religionis obseruantissimus, ita nullius alterius exercitium in sua aula permittit. Episcopi quoque in plantandis tam pietatis quam bonarum litterarum seminarijs, atque inde doctis producendis concionatoribus, nullis nec sumtibus nec laboribus parcunt: vt sunt Archiepiscopus Gnesuensis, regni Primas & Legatus, Archiepiscopus Leopolienſis in Russia, Episcopi Cracouiensis, Vratislauiensis, Chelmensis, Plocensis, Culmensis, Præsmilienſis, Samogitiensis, Vilnensis, Kiouiensis, Lucensis, & Ianoucensis, qui quatuor in Lithuania sunt Episcopatus. Ad Catholicæ etiam religionis tam conseruationem quam augmentum, multum conferre censendæ sunt assiduæ innumerabilium fere Religiosorum in tanto regno preces. Sed & vulgi Sacramentis frequenter vtentis, indies magis magisque crescere videtur deuotio. Multum quoque illud iuuare quis existimarit, quod plerique Senatores & proceres ad Fidem Catholicam reducti, & in ea iam corroborati sunt: nec facile ad quamcumque dignitatem quis à Rege admittitur, nisi Catholicus aut de quo spes cum hac ratione ad Catholicam Ecclesiam reuocati posse. Prussiam tamen excipio, hæresi miserum in modum infectam, & tantum non perditam, cui tamen tam multæ atq; atroces dissensiones futurum propediem interi-

tum minantur, & certam quasi Catholicæ Ecclesiæ victoriam & triumphum promittunt.

V. Nullum vero firmius contra omnium hæreseon insultus propugnaculum excogitari potest, quam Societatis Iesu frequentia in toto regno Collegia: quæ omnibus tam pietatis quam doctrinæ ornamentis sub Patrum illorum ductu & prudenti directione ad inuidiam hodie florere videmus: Adeò vt sequentibus tẽporibus in duas Prouincias necesse fuerit Collegia domos & Residentias eorũ dispertiri, nempe vnam Poloniæ, alteram Lithuaniæ. In Polonica censa sunt initio huius sæculi hæc loca. Cracouiæ Domus professa, Collegium & Domus Probationis, tum Collegia XIV. Posnanense, Calisiense, Leopolense, Sendomirense, Lublinense, Iarosla uense, Luceorense, Torunense, Camenecense, Gedanẽse, Rauense, Ostrogiense, Faustouiense, Brestense, præter Residentias IX. Choinicensem, Præmislensem, Matiæburgensem, Crosnensem, Graudentinensem, Vinnicensem, Valcensem, Bydgostiensem, Barensem. In Lithuanica autẽ, Domus professa Varsauiæ; Viluæ Domus professa, Collegium, Domus probationis & Seminarium, quale & Bransberge, tum Collegia XII Bransbergense, Pultouiense Niesuicense, Lomzẽse, Polocense, Rigense, Derpatense, Orszense, Krotzẽse, Smolensc anum, Plocense, Vendense, præter Residentias & Missiones: in quibus maior iuuentutis quæ in toto regno est pars educatur, & tam pietate quam litteris imbuitur, adeo vt etiam homines alterius religionis filios suos ad capiendum ingenij cultum ad eos mittere non vereantur: quum in ceteris fere gymnasijs inscitia & barbaries grassẽtur. Hi vero nec aures suas obstruere, nec animos ita obfirmare possunt, quin salutares exhortationes à Patribus illis factæ aculeum aliquem relinquãt: ex quo fit, vt Sodalium etiam, spiritualibus exercitijs non minus deuote quam assidue vacãtium, exemplo incitati, paullatim sacris Catholicæ Ecclesiæ ceremonijs & mysterijs acquiescant. Vnde non inepte quis ad extremum ijs in locis interitum auguretur; quæ iam etiam è multis vrbibus profligata, in suburbijs hæret, vt Cracouiæ, Posnaniæ, & alijs nobilioribus prouinciarum oppidis, in quibus omnes cuiuscumq; generis hæretici publicas habere conciones vetantur. In maiore Polonia maxima Nobilitatis pars ad Catholicæ Ecclesiæ gremium reuertit, restauratis passim templis quæ hæretici partim profanarant, partim euerterãt; antiqua inprimis & nobilissima Ostrorogiorum, itemque Comitum de Korka familia, quorum illi antehac Hussitarum ac Picardorum, deinde vero Lutheranorum sectas magno studio semper foueranr. Ex omni sane Nobilitate pauci hæreseos cœno immersi manserunt, exceptis quibusdam in Prussia, Lithuania, & Russia, vbi diuersarum sectarum magistratus mutuis odijs & simultatibus paullatim sese conficiunt. Hoc tempore, immo iamdudum populis illis innotuit, *Romanum Antichristum*, (quo nomine olim tamquam mormolyceo pueri terreri solebant,) *vniuersalis Ecclesiæ esse Pastorem, Dei in terris Vicarium; nequaquam vero hominem illum peccati, & filium perditionis, qui in suo ipsius nomine venturus, & Iesum Christum humanam carnem assumsisse negaturus est, à Iudæis tamquam Messias & Saluator recipiendus, quo tempore æternum illud sacrificium, Missæ scilicet siue Eucharistiæ, abolebitur, vti Malachiæ illud vaticinium omnes Patres & Doctores Ecclesiæ à Spiritu S. illustrati interpretantur.*

VI. Hoc loco facere non possum, quin veram historiã mirabilis conuersionis sub Gregorij XIII. Pontificatu in Polono quodam factæ, recitãs, caput hoc de Polonia concludam. An. M. D. LXXV. qui Iubilæus fuit, senex quidam Lutheranæ religionis Minister Polonus natione, non tam ex deuotione quam curiositate quadam Romanam illã Babylonem, Anno isto Confusionis (sic Iubilæum appellabat) visendi, quum Romam proficisci decreuisset, eodem quo ceteri religionis ergò peregrinantes habitu iter ingressus, & cũ ijsdem commune, S. Trinitatis nomine appellatum hospitium ingressus, triduum in eo, vt exacte omnia contemplaretur, permansit. Eius vero Societatis curam tũ gerebat Ferdinandus Medices, is qui hodie magnus Hetruriæ Dux est: qui vnà cum multis alijs proceribus, hospitum pedes abluere solebat. Inter quos cum Minister hic forte esset, tantam in tanta dignitate humilitatem, vt & Pontificis in visitãdis Ecclesijs deuotionem & pietatem demiratus, ac tandem loca sacra in quibus SS. Apostolorum & aliorum Sanctorum reliquiæ asseruantur, ipse contemplatus, totius denique velut Mundi vndique ad reddenda Deo vota & fundendas ad SS. Apostolorum & Martyrum tumbas preces eò concurrentis religione obstupefactus: diuino monente spiritu ad pedem altaris genibus innixus oculos aperire cœpit, ijsque ad cœlum eleuatis, quamuis aliud animo voluerat, vt qui spectandi causa tantum eò venerat, vehementer ingemiscens, & Consilium de vita & religione mutandis amplexus, propere è medi-

media turba se proripuit, & ad S. Petri Basilicam accurrens, ad pedes Pontificis qui in sacello tum ibi erat, procidit, eos iterum atque iterū deosculatus, lachrymis & singultibus interim voce intercluſa, ne verbum quidem proloquutus. Pontifex ratus hominem forte esse, qui nefarij facinoris sibi conscius, id alijs audientibus propalare nollet, præsentes aliquantū se cedere iussit, vt solum audiret: at ille recuperata voce, exclamans, *Minime*, inquit, *Pater sancte, sed iube hos manere: quippe peccati mei magnitudo pœnitentiam postulat publicam. Viginti tres jā sunt anni, ex quo Sathanæ sui Ministeri: at iam posthac Iesu Christi eiusq; Ecclesiæ seruus esse cupio: ad quam, Sanctitatem Tuam humilime rogo, vt me admittere & transcribere velit.* Tum Papa hominem de singulis diligenter interrogatum, ipse quoq; illachrimans, impertita benedictione, ad Cardinales quosdam remisit: a quibus ille examinatus & absolutus, & sacræ Eucharistiæ communione munitus, quū æstu ardentissimo pleraq; loca sacra visitasset, nō multo post in morbum incidit, & in Xenodochiū S. Spiritus delatus, post triduum animam Deo reddidit, vnice gaudere se dicens, quod post tot tantaq; pericula ad portū salutis tandē appulisset. Eius audita morte, Pontifex, apud quem tum erant P. Hieronymus de Marca. & P. Bernardinus de la Poste, Capucini, sublatis in cœlum oculis, in hæc verba cum D. Paulo Apostolo erupit: *O altitudo sapientiæ! Quam multi miseri peccatores vel in monasteria vel in deserta se conferunt, vt peccata sua pœnitentia & vitæ austeritate eluant: & hic tantus peccator tribus tantum diebus vera animi contritione peccatorum remissionem & paradisum promeruit!* Complura sane eiusmodi hominum exempla habemus, quos Deus vix ad Ecclesiam reuersos, & in statu gratiæ constitutos, ad se euocauit, & ad cœleste regnum extra omne periculum transtulit: inter quæ Poloni huius Ministri non est extremum.

DE RELIGIONIS IN DANIÆ ET Norvegiæ regnis mutatione.

Caput XIV.

ARGVMENTVM.

I. *Christiernus ex Daniæ regno eiicitur.*
II. *Eius successor à Protestantibus ad commune fedus sollicitatur.*
III. *Lutherus quosdam suæ farinæ theologos in Daniam mittit.*
IV. *Caluinismus in Dania glisci.*
V. *De Norvegiæ regno.*

I. EVangelium Iesu Christi in Daniæ sensim plantatū est, primus gradus inferendi in Daniam Euangelij factus est Bremæ, per S. Villehadū tempore Caroli Magni, constituto Episcopatu, secundus Hamburgi constituto Episcopatu cui à Carolo M. præpositus est Heridagus, vt is Danis Christi notitiam inferret, sed is sæuitiē tibus Danis parum in ea gente profecit, donec sub Ludouico Pio Haraldus Daniæ Rex exul, ab eo in clientelam receptus & Christianus effectus Mogontiæ, in regnum est restitutus, ii isdem cū eo Apostolicis viris inprimis S. Anschario Bremensi Episcopo, qui gēres septentrionales Christi Regno subijcerent, quod etiam fieri cæptū instabili vtcunq; fortuna, donec plenius aspirāte diuina gratia tempore Ottonis II. Imp. sedes Apostolica Romana in qua Dei in terris vicarius, quasi in puppi Ecclesiæ residens pro salute omnium assidue excubat, manū Regno Daniæ potentius apposuit vt miseros idololatrias à seruitute Sathanæ in beatam filiorum Dei libertatem vindicaret. Ab eo tempore Regnum hoc veræ Fidei, quæ nusquam nisi in Romana seu Catholica reperitur Ecclesia lumine illustrā tū, in perpetua diuinæ claritatis professione ac soliditate permansit, donec A. M. D. XVII. Luthero in Germania tumultus aduersus Ecclesiam Catholicam concitante, Regnū hoc cū vicinis in veteres tenebras, est relapum, (a) cuius ruinæ hæc fuit occasio. Imperabat in Daniæ ac Norvvegiæ regnis Alteburgieū Stemma, & ex eo piæerat Christianus I. qui etiam A. 1474 Romam religionis gratia ipse adijt (b). Huic nati sunt ex Dorothea Brandeburgia, filij 4. nempe Olaus & Canutus in primis annis defuncti, item Ioannes & Fridericus, diutius superstites, Ioannes Patri suo A. 1482 XI. Kal Iun. defuncto Hafniæ successit in regno Daniæ ac Norvegiæ, item Sueciæ, (quod pater eius Christianus deficientibus ad se a Rege suo Suecis adiunxerat (c). Sed Regnum Sueciæ ei diuturnum non fuit, nam rebellantibus Suecis Christina vxor eius, Filia Ernesti Saxoniæ Electoris, Stockholmiæ capta, vix tandem post biennium minis Imperatoris & Pontificis Roma-

a *Ioan. Adolfus Cyprœus Annal. Slesuic. capitibus primis.* 13. b *Reusnerus in opere Genealogico. pag* 360. c *Reusnerus Lutheranus loc. cit. & Henninges part 4. Genealog. Sueciæ ac Daniæ.*

Romani dimissa, A. 1503. à Rege Sueciæ Stenone de Stuere ad fines Danicos est reducta & dimissa. Iniuriam suam Ioannes Rex quidem 50000. armatorũ ulcisci voluit, sed A. 1509. à Lubecensibus, nauali prælio victus, nihil efficere valens Alburgæ, in lutia vel Cumbrica Chersoneso obijt A. 1513. x. Cal. Martij, superstes erat eo moriente, & hæredẽ regni relinquente Christiarum II. ex Christina Saxonica natum, Fridericus I. frater Ioannis Regis, Dux Slesvvici, Holsatiæ, VVagriæ & Stormariæ, male contentus, quod paucis tertis ipse, Ioannes potioribus vsus fuisset, neque vero clã fuit, inquietus Fridericianimus qui malorum cunctorũ imprimis hæresios portã in tria postea regna aperuit, Christianus tamen II. magno animo aggressus paterna regna, de affinitate potente & sibi domi, & aduersus rebellantem Sueciam circũspexit, & Gotscalco Slesvvicensi Episcopo in Belgiũ misso Isabellam Sororem Caroli V. coniugẽ A. 1515. impetrauit. Indignabatur Fridericus Christianũ II. patruelem suum tanta fortuna euehi, vtpote qui sibi videbatur tãto fieri impotẽtior, quãto ille amplius affinitate tanta eueheretur. Itaq; cum habuisset coniugem è Brandeburgica domo Annam Ioannis Electoris filiam, A. 1514.. defunctam, deinde Sophiam Bugislaui X. Stetinensium. In Pomerania Ducis filiam, quando in Saxoniæ ac Brãdeburgicis ditionibus efferuescebat audacia Lutheri, in suas ditiones Fridericus iste, quoq; nouos doctores irrepere tanto facilius permisit, quãto per hos, Cæsaris hostes, & Saxonis atque Brandeburgici Electorum amicos, sese validiorem aduersus Christianum II. affinem Cæsaris fieri posse opinabatur, cõciliatis religionis similitudine animis. *cuius vinculo nullum inter mortales fortius reperiri solet.* Christianus II. per Carolum V. potentior effectus rursum sibi subijcere molitur, Suecos, qui iam in Stenonem, vt Regem, aduersus Christianum I. coniurando consenserant, & conquieuerant; Gustauum etiã Regni Suedici Archiepiscopum, quod Christiano Daniæ Regi se opponere nollet, fugatum in arce Stega obsidebant. Cum igitur is per Christianum Regem esset obsidione liberatus, & in Daniam traductus, Sueci Stockholmij denuo coniurarunt, se ne quidẽ Pontificis authoritate interueniente vnquam Gustavum Archiepiscopũ recepturos. Sed, Lutheri templo Germanico, *quicquid in eius causa statuerat ac decerneret etiam Papa, nihil ponderis ac momenti apud se habiturum esse, neq; vllo vita ac fortunarũ periculo sententiam esse mutaturos. Deniq; cuiuscunq; etiã criminis ac facinoris, siue violatæ Ecclesiæ obedientia, seu Læsæ Maiestatis Regni ac imperij in posterum rei agerentur huius modi culpam ac pœnam, qualiscunq; ea fuerit omnibus & singulis ex æquo communem fore.* Hoc Decretũ, haud dubie Schismaticum, cum ad aures Pontificis Romani Gustavus Archiepiscopus incitante Christiano II. detulisset, atq; Concilium Romæ eam ob causam conuocasset, sententiam tulit, aduersus Schismaticos, eius executionem Christiano Regis per literas demandauit; qui per se ad eam rem curandam exactissime erat inclinatus. Itaque Suecos bello aggressus vi be Stockholmensi dedita, acceptoque fidelitatis iuramento, Rex Sueciæ à Gustavo antedicto Archiepiscopo coram Caroli V. Imperatoris legatis, est Coronatus, & cõdonata offensa multitudini promiscua, de authoribus iniuriarũ & Schismatis principibus sumpsit supplicium, acceptisque obsidibus in Daniam est reuersus, Pontifex vero legatum Ioannem de Potentia Cardinalem in Sueciam misit ad ea quæ gesta erãt, rata habenda & res eius regni sacras ordinandas, Dum ea geruntur & Christianus Rex Daniæ apud Imperatorem versatur extra Regna sua, in Vinceribus Regnorum eius carcinonia malum increscit, tam in Dania quam in Suecia. In Suecia, noua conspiratio duce Gustavo Erici, nuper Stockholmiæ ob Schisma capite plexi, filio, qui obses in Dania refugerat ope Lubecensium; in Dania vero molitione Friderici Ducis, patrui Regis alia factio hæreticorum. Ad quos motus compescendos, dum cum externo milite in Daniam reuolat Christianus I. Rex, Catholicæ fidei Studiosissimus, proditione suorũ, vtroque regno prius se exutum sensit, quam suspicaretur. Dani incentore Friderico recusabunt externum militem per suas terras in Sueciam duci; Sueci crudelitate eius se læsos querebantur. Ita Christianus Rex impositis rebus suis per naues in Belgium ad Carolũ V. effugere coactus, decennio exulauit Et quanquam metu Imperatoris Isabella Regina in regnũ inuitaretur, illa tamẽ ire sine marito ad rebelles recusauit Interea Fridericus I. patruus Regis exulantis suffectus in locum Regis ferendæ hæresi, in suis terris occasionem dedit, suis rebus firmandis vt putabat, non incommodam, religionem valde aptam ad demulcẽdos animos hominum in Malum pronos. Ea occasione Lutheri Locusta gnauiter, vsi sunt, & impij quidẽ Apostatæ in regno ipso, à fide & castitate desistentes, vsi sunt, donec A. 1532. Christianus II. exul Collectis demum nouis copijs naualibus ad recuperandum regnum

regnum reuersus à Friderico patruo in Norvvegia captus bello, XXVII. annos in carcere Sunderburgi agens, vitam finiuit, VIII. Kal. Febr. A. 1559. utramq; fortunam luculentissime, sed peiorem diutissime expertus. Regni & Religionis veræ Catholicæ Studio in miserias deuolutus, quod Studium in illo crudelitatis titulo Acatholici obvolvendo multos Catholicos fefellerunt, qui rem altius scrutari neglexerunt (d).

II. Christiano igitur II. seu Christierno tam exulante quam post reditum captiuo, Fridericus I. illi suffectus Daniæ quidem & Norvegiæ regna adeptus est; Suecia interim ab alio occupata, vt sequēti capite amplius dicetur. Quamuis autem Christierni filius Ioannes ex Isabella Austriaca Caroli V. Imperatoris sorore prognatus, ab auunculo instanter petijsset, vt ipsius ope in paternum regnum restitueretur: impetrare tamen nihil potuit, Imperatore tū alijs grauissimis bellis occupato. Per id tempus Protestantes Smalcaldiæ conuentum agentes, vidētes Fridericum Regem Daniæ æque ac ipsi circumspicere auxilia aduersus Cæsarem, si is incumberet, A. 1528. novum illum regem de federe cum ipsis ineūdo, & paulo post de Augustana recipienda Confessione sollicitarunt: quod etsi Fridericus nō grauate facturus videbatur, aperte tamen facere ausus nō est, veritus ne quid ab Episcopis, quorum magna tum erat potentia, in regno nondū bene firmato contra ipsum tentaretur; Euangelij nihilominus amplectendi (sic enim loquebātur) cupidum se esse demonstrans, petebat vt Noui Prædicantes ad se mitterentur, qui antiquam fidem paullatim ex hominum animis euellerent. & velut aliud agentes, nouitatis depulso odio, sensim Ecclesias reformarent. Sic ille alieni regni vsurpator vt se firmaret auxilijs cōtra Cæsarem fortasse Christierno mittendis Lutheranis portam aperuit, qui in regno turbulento mox inualuerunt. Itaque An. 1526. Monachus quidam Fridericus apostata ab ordine suo, rupto carcere, in quem ob maleficia & facinora compactus fuerat, Slesvvicum Novū Euangelium quasi Novus Apostolus intulit & in summo templo concionari orsus indies Canonicos & Pōtificios calumnijs virulenta & petulantissima lingua pro scindēdo accerrime debacchabatur, & eos plebi exosos reddebat, cui ita placuit, vt ea hunc sibi cum tumultu pastorem dari postularet à Friderico, vti dictum est, Rege, qui importune flagitantibus ciuibus non aliud respondit: *quis Fridericū vobis inuidet ac adimit. Habetote illum.* Simili ratione alij apostatæ, & à nemine authoritatem habentes subintrantes prophetæ religionem veterem septingētis annis radicatam eradicare cœperunt, inter quos fuit Marquardus Sculdorp, qui sororis suæ filiam in vxorem duxit, quod factum cum Catholici merito summopere detestarentur Lutherus VVittebergensis Pontifex contra Ecclesiæ sensum edito scripto excusauit, vti & Ambsdorfius, quem prævaricatorem deinde cum homines impunē fecissēt, Deus vitæ Dominus sudore Anglico A. 1529. percussum ex incesto coniugio auulsit. Eodem A. 1526. Fridericus Rex Poloniæ regni comitia habēs, inter quos & Episcopi erant, plane pessundedit Religionem Catholicā omnibus edicens, vt secundū Reformationē Euangelij specioſe, prætenſi cūctæ Ecclesiæ restaurarentur. Episcopis aut carcer perpetuus, aut bonorū suorū possessio, in optionē data est, obtulit tunc Slesuicense capitulū canonicorū 12000. Regi, ne Religio à Luthero inuenta introduceretur, sed vt in Veteri Catholica & Apostolica religione & fide firmiter & cōstanter permanerēt. Verumtamen Catholica fides argute subuersa est, quod externis cæremonijs saluis, alius sensus est substitutus, donec & illæ paulatim tollerentur sine sensu. Eo modo Dania Lutherana apparuit & nescivit, Episcopis quibusdā apostatantibus paucis aut vno restitante, qui in carcere obijt.

Friderico I. Rege ad eum modū ingresso, & demū A. 1533. IV Id. Aprilis defuncto, nemine iā pro Christierno captiuo pugnante, comes Palatinus Rheni & Bauariæ Dux Fridericus II. qui Dorotheā Christierni II. Regis etiamnū captiui filiam coniugem tenebat, regnum ad se tanquā legitimum successorem pertinere iactabat. Vnde noui motus per Daniam extiterunt. Sed Dani, iam in hæreticam libertatem præcipitati, memores, quod Friderici I. Regis filius Christiernus, seu Christianus adolescēs ex aula Ioachimi I. Electoris Brandeburgici, ac literarum studio reuersus parenti suo author fuisset vt abiectis Maiorum sanctis institutis, tunquā minus conuenientibus scripturæ, à Luthero in mundū reductæ, puram scripturam, tornabilem ad omnem sensum, amplecteretur, & Religionem carni & sanguini percommodam tanquam rectæ rationi congruentem teneret, eundem Christiernum III. Regem dixerunt (e).

III. Vt autem dilucidius appareat posteris quid Lutherus ad Danici Regni peruersionem operæ attulerit inter antea memoratus turbas, silentio

d *Cypræus in Annal. Slesvvic. Reusnerus in opere Geneal. &c.* e *Cypræus, in Annal. Slevv. Reusnerus. &c.*

præteriri non debet, quod Lutherus è Saxonica sua specula omnia rerum momenta obseruans & temporibus insidians quosdã regni proceres, quibus doctrinam suam non displicere intellexerat, litteris exhortatus est, vt sicut Christierni tyrãidem à se depulissent, sic à Papæ quoq; seruitute se ac regnum liberarent: duo maxime valida ad id tela subministrans. *Episcopos enim & ceteros Ecclesiasticos monuit, vt intolerabile illud cœlibatus onus à se abiicerent: seculares, vt bona & opes cœcas quadam & indiscreta pietate & deuotione à maioribus Ecclesijs donatas, ab eisdem repeterent: atque hoc modo illos carnali voluptati, hos vero bonis Ecclesiæ inhiantes, facile in sententiam suam adduxit.* Quum vero regem de instauranda Hafniensi Academia cogitare intellexisset, Theologum sua quasi manu formatum ad eum misit, *Ioannem Machabæum nomine, natione Scotum:* qui quod in Scotia Moniali quadam iuuencula abusus esset, mutato habitu in Hollandiam traiecerat, atque inde ad Lutherum tamquam omnium eiusmodi facinorum asylum, VVitebergam confugerat. Hic in Daniam appulsus, quum suo exemplo, tũ doctrina multos excitauit, vt abiectis cucullis, vxorijs voluptatibus frui quam cœlibem & austeram vitam agere mallent. Rex inprimis, ætate adhuc iuuenis, faciles Lutheranis aures præbuit; & quia Protestantes magna ipsi contra quoscumque, qui controuersiam ipsi de regno moturi essent, promittebant auxilia, facile induci se passus est, vt eorum federi nomen daret. Circa id tempus, nimirum Anno M. D. XXXVI. Lutherus decretum illud, quo quid de ijs quæ inter ipsum & Bucerum hactenus controuersa fuerant, sentiendum esset, statuebatur, ad hunc regem in Daniam quoque misit, quod ille amplexus, exclusis Zvvinglianis deinceps Lutheranæ religionis professionem præ se tulit.

Inter Episcopos interim boni & sinceri imbecilliores erant, quam vt Regis conatibus possent resistere: mali & mercenarij, Episcopales reditus thoris suis maritalibus associare cupientes, etiam vltrò regem incitabant: qui Ioannem Bugenhagium Pomeranum VVitebergensem Theologum à Luthero missum non tantum summa cum gratulatione excepit, verum etiam à concionibus sibi, immo quasi totius regni Metropolitanum esse voluit: adeo vt cum antiquo more regibus corona à primario regni Episcopo imponatur, Christianus hic III. à iam dicto Pomerano vili homine de postremis populi coronari voluerit, vsurpatis ceteris omnibus ceremonijs, quæ antiquitus in eiusmodi actu solebant adhiberi. Regis exemplo obsequutus populus, quam voluit doctrinam facile recepit. Tanto verò mitior ac minus periculosa hæc fuit mutatio, quod antiquæ & in Catholica hactenus Ecclesia vsitatæ ceremoniæ in sacris peragendis omnes fere retinerentur, vt & ornamenta & vasa sacra: & omnis vis à templis & locis sacris abstineretur. Nam & altaria eodem situ permanebant, & super ea Crucifixi, in ijs vero duodecim Apostolorum & aliorum Sanctorum imagines, eodem ornatu, juxtà cereis accensis, visebantur: Prædicans eodem quo apud Catholicos ornatu sacrum, instar Missæ, peragebat; Vesperæ & Matutinæ aliaque Officia in Ecclesijs more solito decantabantur; in S. Eucharistiæ communione etiam nihil ferè mutatum cernebatur, quam quod sub vtraque specie porrigeretur, ita flagitante populo, quem difficile erat erudire quam prudenter Ecclesia in eo fecerit, quod laicis communionem sub vna tantum specie dari iussit, vt alias diximus. Hæc, inquam, videns populus, mutationem hanc vix sensu perceptam, facile tulit: & talem formam religionis qualem Principi placere animaduertebat, ex manibus eius recepit. Nimirum,

Componitur orbis
Regi ad exemplum. Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Idem Rex quum Sacerdotes & monachos adincestas nuptias certatim conuolantes videret, tanto lubentius id se permittere dixit, quod alienarum vxorum pudicitiæ non facile posthac insidiaturos speraret.

IV. Etsi vero mutata in Daniæ regno religione, è Germania passim Prædicantes magno numero accurrerint, Sacramentarij tamen, Zuingliani & Caluinistæ diu in eo locum non habuerunt. Tandem Mariâ Angliæ regno admota, *Ioannes Lascus Nobilis Polonus*, Zuinglianæ, quæ ibi fuerat, collectas Ecclesiæ reliquias duabus nauibus imposuit, & cursum Daniam versus direxit, sperans Regem è tam miserabili naufragio eluctatos si non alio, eo saltim nomine non grauãte receptum, quod ipsi quoque acerrimi Romanæ Ecclesiæ essent hostes. Appulsus ergo, Regem adit, eique

eique non sociorum tantum & comitum, verum suas etiam, vt qui ob religionem è patria crudeliter proscripti essent, miserias demonstrat: & hospitium ac sacra suo more faciendi ac docendi libertatem petit. Econtra Lutherani Regem monent, etiam atque etiam caueret sibi ab eiusmodi hominibus, nec ipsorum, qui Papistis multo peiores essent, doctrina regnum suum infici pateretur. Præ ceteris *Paulus Nouiomagus* Regis Concionator exsecrabiles eorum blasphemias de Sacramento altaris & reali corporis ac sanguinis Christi in eo præsentia Deique omnipotentia pluribus demonstrauit. *Lascu interim & Vtenhouius* Regem vrgere atque obsecrare non cessabant, & regestis in Lutheranos conuicijs, ipsos tamquam hæreticos & seductores, qui doctrina sua semi-Papistica & regem & populum perditum irent, increpabant. Eodem etiam aliunde *Anabaptista & Trinitarij* quidam accurrerant: sed tam hos quam illos Rex edicto quamprimum regno excedere iussit. Mirum est quantum vtrique, *Lutherani scilicet & Caluinista*, in Prophetæ quisque sui auctoritate præsidij sibi quæsierint; quamuis Lutherus iam esset mortuus, Caluinus vero adhuc viueret. Lutheranus clamabat, *Lutheri & D. Pauli Apostoli doctrinam vnam atque eandem esse.* Caluinista econtra occinebat (*f*). *Lutherum hominem fuisse, & errare potuisse.* Tum ille: *Quid tu ais, Lutherum in doctrina errare potuisse, qui primus Euangelij lumen pene extinctum, sæculo nostro rursus accendit?* Etsi vero Caluinistis quod replicarent non deerat, Lutheranis tamen cedere, & collectis sarcinis aliò migrare coacti sunt. Discedens Lascius ad regem scripsit, ad tantæ iniuriæ Deo & Ecclesiæ illatæ vltionem, cœlum ac terram inuocans. *Ecce* (inquit Auctor Historiæ de Confessione Augustana) *quomodo audaces & temerarij isti homines etiam Reges, Principes ac Magistratus aggrediantur, ipsorum conatibus se opponentes.* Idem ait, *prudenter regem fecisse, tam malos hospites mature eijciendo: atque optandum esse vt omnes Christiani Principes idem faciant, ne Sacramentarium illud virus longius proserpat.* Hæc ille. At postquam Christianus III. qui vsque ad Anno 1559. regnauit, Hollandis & Anglis non negociandi tantum in regno suo, verum etiam religionem exercendi facultatem concessit, paullatim Caluinismus ibi inualescere cœpit. Toto tamen regno non pauci Catholici etiamnum inueniuntur; quos in occulto sacerdotes sæculari habitu vestiti docent, & consolantur, donec tandem Deus ex hæreseos tyrannide ereptis, veræ & Catholicæ religionis vsum ipsis ac toti regno restituat. Possem equidem hac de re multa ab alijs mihi suggesta speciatim referre; sed quia nouos nostros Euangelicos non tantum rerum suarum satagere, verum etiam ad ea quæ in longinquis prouincijs geruntur aures arrigere atque oculos emittere non ignoro (non illaudabili sane zelo, & causa bona esset; vt qui decepti in media perditionis abysso salutem suam operari se falso sibi persuadent) vocem & calamum contineo, ne ijs qui veram Iesu Christi Ecclesiam ijstis in locis restauratam cupiunt, periculum aliquod creem.

V. Eadem tempestas & calamitas quæ Daniam, Noruegiam quoque afflixit ac vehementer concussit. Ingruenti primum hæresi Archiepiscopus quidem Nidrosiensis magno animo sese vnà cum populo fidei suæ commisso opposuit: sed tandem manus dedit, partim Danorum violentia, partim alterius Episcopi ignauia & exemplo victus, qui cum è captiuitate euadendi nullam aliam rationem videret, è Lutheri, vel potius hæreseos, cuius meretrix illa Babylonica in Apocalypsi figura est, calice bibit & vti & plures Canonici & Ecclesiastici, qui libertatem illam vxorem ducendi, & nihilominus interim Ecclesiasticis bonis & dignitatibus fruendi, obuijs vlnis amplexi sunt. Res tamen valde mira est, quod etiamsi regni huius incolæ iam sexaginta & amplius annos Catholicæ religionis priuati sint exercitio, eius tamen etiam rusticani homines, quasi per manus traditam memoriam seruant. Mihi quidem cum multis ex eo regno in nostrum portum appulsis sermo fuit, affirmantibus, numquam isthic maiorum siue Catholicæ religionis sine multis querimonijs & lamentationibus fieri mentionem; omnesque calamitates & miserias eius mutationi vel profligationi vulgò adscribi. In Noruegia certe postquam fama peregrebuit, Sacerdotes quosdam sanctæ & Catholicæ Societatis in Sueciam appulisse (vt sequenti capite ostendam) quamplurimi in mag-

(*f*) *Vide repetit. Conf. August.*

nam spem erecti sunt, fore vt aliquando in sua quoque patria Catholica religio velut postliminio restituatur. Sed dies ille arcano Dei arbitrio ad huc reseruatur.

Interim illud miraculo non caret, quod Deus passim in tudium illorum & agrestium hominum animis integram & perfectam veræ religionis notitiam conseruauit? sic vt ideo reliquis scientijs destituti videantur, quo magis fide & spiritu abundent; & nihil sciendo sint omniscij, quum nihil habeant de quo dubitēt, aut quod curiosius indagandum putent vel q̄ vitijs careant, per quorum gustum seducuntur, qui pereunt. Bene & apposite ad hāc rem Tertullianus ait, *Nihil scire, est omnia scire.* Et Salvator noster ipse diuinam hanc suo ore pronunciavit sententiam. *Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum.* Simplices fuerunt & rudes homines, qui Christum Salvatorem gratulatorio illo cantico *Osanna*, exceperunt: quum Scribæ & Pharisæi, *Crucifige*, Pilato occinerent. Apud rudes & simplices homines, tamquam magis fideles & constantes, religionis Christianæ veritas multis in locis tamquā fidei ipsorum commissum depositum mansit. Notat Bellonius, vniuersam Armeniorum nationem etiam postquam Turcarum tyrannide oppressi sunt, in Christiana fide ad nostra vsque tempora inviolabiliter perstitisse: eoque videri singulari Dei beneficio factum, vt quamvis multæ aliæ Christum profitentes nationes Turcarum imperio subsint, soli tamen Armenij Christianorum nomine indigitentur; sic vt Armenianum aliquem nominare, idem sit quod nominare Christianum, & si quis Armenianus Mahumetismum amplectatur, jam non amplius Armenianus dicatur, sic enim servus ejus diceretur, quē abnegasse noscitur. Sed jam tempus est vt è Dania in vicinum Sueciæ regnum trajiciamus.

QVOMODO GVSTAVVS SVEciæ regno occupato ad faciliorem sui defensionem religionem mutarit.

ARGUMENTUM.

CAPUT XV.

I. *Gustavus Sueciæ regnum invadit.*
II. *Lutheranis locum dat.*
III. *Infamia Ecclesiasticorum contagia, & mira constantia Religiosorum.*
IV. *Gustavus religionem mutat.*
V. *Miserabilis eius exitus.*

I. VT Sueciæ in Hæresis abyssum præcipitatæ status clarius perspiciatur, eum paulo altius repeto, nempe Sueeos circa eadem tempora, quibus Dani, ad fidem Christi Catholicam tempore Carolingorum & Ottonum Imp. paulatim adductos, Anno 1150. S. Ericum Regem habuisse, qui Anno 1160 occisus est, & SS. Catalogo adscriptus à Pontifice Romano. Ab eo tempore in Fide Catholica ijdem perstitēre sub Regibus è S. Erici sanguine prognatis usque ad An. 1363. quo Magnus cognomento Smechius, Rex à proceribus ob libidines & tyrannidem pulsus solam Gothiam occidentalem retinuit, in reliqua Suecia succedente Alberto Megapolensium ex Germania Duce, qui Euphemiam Magni prædicti sororem matrimonio iunctam habebat, ex quo porro Reges Sueciæ prognati regnarunt, usque ad Christophorum coronatum Upsaliæ An. 1438. qui An. 1448. obijt sine prole post quem Carolus Canuti Torde ex alia familia electus à Suecis, Anno regni sui octavo rebellione ejectus in exilium, locū dedit Christierno seu Christiano I. Danorum Regi, qui viduam Christophori Suecorum Regis matrimonio sibi copularat. Sed & ipse ejectus à Suecis, post septennium revocato Carolo exulante, qui demum Anno 1470. obiens Rege vacuum regnum sine hærede reliquit, quod Daniæ Reges Joannes Christiani I. filius atque Christianus II filius Joannis sibi successive vendicarunt, non sine damnis & cladibus ultro citroque datis atque acceptis, donec Christianus II. Rex Daniæ, uti capite præcedente narratum est, sententiæ adversus schismaticos Sueciæ proceres Romæ latæ executor, invisus factus Regno penitus est exclusus Anno 1521. quo iam mali genij, per Lutheri apertum puteum Abyssi, in Septentrione, grassandi acceperant potestatem, nam Christiano in Daniā reverso cum obsidibus, dum incaute obsides custodiuntur, Gustavus Erici Trollij Equitis Aurati (qui cum 60 proceribus, duobus Episcopis, VIII. Novemb. An 1520. titulo schismatis Stockholmiæ fuerat occisus) filius, die quodam venatum exire se simulans, assumpto equitis seu stabularij habitu, clanculum aufugit An. 1519. quumque Lubecam perveniisset, quis esset aperiens, ac ciuibus, si eorum ope in patriam reduceretur, tam in exportandis quam in

importandis mercibus immunitatem à vectigalibus pollicitus, accepta oneraria, in patriam reuectus, eiectis Danis, breui maximo illo & florentissimo totius Septemtrionis regno potitus est A. 1523. 6. Iunij solemniter Rex renuntiatus.

II. Ita Gustauus hic Suedica corona potitus, quamuis ab Episcopis & Prælatis in occupando regno plurimum esset adiutus, Catholicam tamen religionem mox Anno 1527. 18. Maij qui dies S. Erico est Sacer (a) iniquissimè profligauit, & Lutheranam substituit; sic vt suo illi iumento malum sibi arcessiuerint, justo Dei judicio, vt qui Hominis ex schismatico patre nati iniustis conatibus fuerant patrocinati. Huic vero mutationi præcipuam causam dedit Odium Romani Pontificis ob schisma punitum & mala informatio rerum credendarum, & commercium apostatarum, quibus postea accessit affinitas, quam nouus rex multis vndique difficultatibus circumseptus cum Saxonica domo contrahere statuit, ducta in matrimonium Catharina F. Magni Ducis Lauenburgici sorore, vt Germanorum armis & opibus se muniret. Deinde totus in ærarij curam incubuit, vt qui pecuniã belli nerũ esse sciret. His cogitationibus dies noctesque occupatum quidam à secretis monuit, nihil opus esse, ab extraneis pecuniam, exactis acerbius vectigalibus, cum summa inuidia extorquere; superesse in regno rationes, quibus ærarium locupletari possit, si nimirum bona Ecclesiasticorum ei inferantur, relicto illis quantum ad vitam honeste & frugaliter sustentandem satis esset; & præcipuis procerum parte etiam aliqua inde decisa, vt hoc obiecto bolo, os ipsis occludatur, & publica vtilitas cum priuata coniungatur. Hoc ille consilio vsus, qui insuper primos adolescentiæ annos in Germania exegerat, & Lutheranæ libertatis lorum degustarat, Lutheranis liberum aditum concessit, qui hactenus clam tantum irripere soliti fuerant: qui statim incredibili studio Biblia in vulgarem linguam traducta, aliosque de religione tractantes libellos disseminarunt, ac magnum magistellorum ac pædagogorum numerum summiserunt, qui Nobilem iuuentutem erudirent; ac non multo post è scholis ad templa translati, populum nouam docerent religionem.

III. Secretarius ille à quo consilium istud regi suggestum fuisse diximus, vnam ex præcipuis Ecclesiasticis dignitatibus à rege obtinuit, ac Lutheranorum res deinceps valde promouit; ducta etiam publice vxore, vt suo exemplo cæteros ad idem faciendum incitaret, nequaquam irrito conatu: quandoquidem non pauci eodem pruritu instigati, de eiusmodi supellectili domibus suis prospexerunt. Certissimum tum inter Ecclesiasticos recte intellecti Euangelij habebatur argumentum, vxorem ducere: adeo vt matrimonium instar Tau illius, quo fideles obsignati leguntur, & τὸ κρυπτὸν veræ religionis haberetur, quam nemo recte posset intelligere, nisi qui, vt alter Numa Ægeriam, haberet. Quamprimũ quis cum Ecclesia diuortium fecerat, statim vxorem ducebat: & vt in schedis quas penes me habeo perscriptum est: *In signum relictæ Ecclesiæ cogebantur vxores ducere.* Dici non potest quam multæ tum passim toto regno infames & incestuosæ, ac Deo atque hominibus inuisæ nuptiæ celebratæ fuerint. A fide dignis proditum inuenio, Stocholmiensem Archiepiscopissam, magnum ranarum numerum primo partu; & aliam pro infante, cercopithecum enixam esse. In tanta tamen confusione ac fœditate, tantisque diaboli, Mundi & carnis tentationibus Virginum Deo dicatarum constantia mirifice eluxit; quæ nec precibus, nec promissis, nec voluptatibus, nec miseriis ac paupertate ad quam redactæ fuerant, à sanctissimo perpetuam castitatem conseruandi proposito dimoueri potuerunt, vt Possevinus testatur. (b) Gothi etiam plerique maiorum religionem modis omnibus tutati sunt, eodemque animi sensu hodie etiam magno cum desiderio Catholicæ Ecclesiæ in toto regno instaurationẽ exspectant, vaticinio S. Brigittæ alias Birgittæ conformati; quæ sanctissima persona fundatrix ordinis S. Saluatoris apud Suecos nata, Et nupta in singulari est veneratione: cuius etiam multa vaticinia circumferuntur, quibus & hæreseos incrementum & ruinam, & Catholicæ Ecclesiæ persequutionem & victoriam prædixit. (c)

VI. Confecto opinione sua facilius negotio, & mutationi illi eo vultu inducto, vt quamuis noua illa religio esset, veteris tamen illius Catholicæ plane gemina videretur. Neq; enim externis in rebus & ceremonijs quidquã aut parum certe mutatum fuit. Manserant Archiepiscopis, Episcopis & Sacerdotibus antiqua nomina; Missæ sacrificium ijsdem fere ritibus quibus apud Catholicos pera-

a *Henninges Lutheranus in Genealogiarum 4. parte*
b *Possev. in Refut. Dauidis Chytræi.* c *Vitis Aquilonia & Vita S. Birgitta ac B. Catharina filiæ eius.*

gebatur. nam & hostia consecrata à sacerdotibus elevabatur, & ad elevationem quæ tamen ob multo post abolita, campanæ pulsus sonabat. Baptismus quoque pristinam formam retinebat: omnes denique Ecclesiasticæ ceremoniæ, paucis exceptis, observabantur: nec in templis quidquam mutatum conspiciebatur.) His, inquam, confectis rebus, rex procerum quosdam maiorem mutationem moliri sentiens, ut hanc gloriam, si dijs placet, eis præriperet, primum Monasteria & Religiosorum Convêtus destruere animũ induxit, ociosorũ & inutilium hominum receptacula esse dictans. Et hac quidem arte brevi ille Monasteria ad solitudinem redegit, eorum vero exuvijs fiscum non mediocriter locupletavit. Quin etiam ne ulla spes esset recuperationis, complura solo æquari iussit; exstructa ex eorum ruderibus arce, in qua postea ipsius liberi captivi fuêre detenti. Idem calices, vasa sacra aurea & argentea, achierothecas fisco intulit, & proventus Ecclesiasticos inter Nobilitatem distribuit, sibi tamen meliori portione reservata. Et quemadmodum olim Senatus Romanus Tarquinij Superbi è regno ejecti bona populo in prædam dedit, ut hoc modo perpetui contra ipsum belli gerendi necessitas omnibus imponeretur, & pace forte facta, nemo ad id quod omnes rapuissent, restituendum obligari posset: sic Gustavus sacrilegij sui partem inter Nobiles ac proceres distribuit, ne unquam postea, repetundarum metu, cum Ecclesia in gratiam rediret. Et hic quidem murus aheneus contra omnes eorum conatus qui Catholicam ijs in locis Ecclesiam restaurare satagerunt.

V. Nec Monasteriorum sacrilegijs contentus Gustavus (quæ omnia demolitus fuerat, relictis tantum Episcopalibus & Parochialibus Ecclesijs) etiam tumbas & mortuorum sepulchra inaudito fere scelere, depeculatus est, detractis passim saxis & tabulis marmoreis ac porphyreticis, quibus palatia sua exornaret. Tandem à Deo, qui, ut recte quidam dixit, vindicem habet oculum, ferrea virga percussus, multas alienati & parum sui sibi compotis animi significationes dedit; in primis quando Carolum filium tum puerum de ponte in præter fluentem detecit, in quo sine dubio periturus fuerat, nisi satellitum quispiam & ipse se deijciens laboranti salutarem opem tulisset. Ex illo sane tempore miser hic Princeps conscientiæ stimulis exagitatus, &

Nocte dieq; gerens scelerum sub pectore testem,

miserabilem admodum vitam duxit, donec tandẽ invidia & atra bile contabescens, animam exhalavit. Aiunt eo ipso momento quo anima è corpore evolaverat, malum ipsius genium sub nigri mossi forma cubiculum esse ingressum, & dentibus stragula detraxisse: tunc etiam tam horribilem tẽpestatem per totum regnum fuisse exortam, ut extremus ille dies Mundo finem allaturus videretur.

DE REGNO, CAPTIVITATE, ET morte Erici regis Narratio.

Caput XVI.

ARGUMENTUM.

I. *Ericus Gustavo succedit.*
II. *Magicis studet artibus: & fratrem in custodiam dat.*
III. *Post septem annos rursus dimittit.*
IV. *De Pontio Lagardio, Gallo natione militia præfecto.*
V. *Ericus in nuptijs fratribus necem machinatur.*

I. Gustavo ad Annum 1560. 29 Septembris defuncto, Ericus filius natu major in regno successit; qui mox pecuniam omnem à patre per fas & nefas collectam partim in bello contra Danos, partim in voluptatibus & luxu consumpsit. De cuius vita & morte (quarum utraque tragica fuit) ex regij Oratoris, qui Anno M D LXVI. eò missus fuerat, & admirabiles istas mutationes præsens viderat, Commentarijs, itemque aliorum fide dignorum relatu, qui istis in locis diu vixêre, pauca hoc loco addere constitui, quod ea ab instituto nostro non sint aliena. Qua in re non uniusalicuius incertam & dubiam fidem sequar; sed quæ ex omnibus mihi non sine magno labore compertis maxime verisimilia videntur, breviter indicabo.

II. Gustauo ex primo cum Saxoniæ Ducis filia matrimonio Ericus natus fuit; ex secunda vero cum Nobili Suedici generis puella Margarita, Ioannes Dux Finlandiæ, Magnus Dux Ostrogothiæ, & Carolus Dux Sudermaniæ. Ericus mortuo patre, religionem eodem in statu reliquit quo eam inuenerat, nec quidquam innouauit. Ioannes vero Finlandiæ Dux, nõ vulgare Catholicæ Religionis studium semper ostendit, vt ex sequentibus patebit. Erat quidem Ericus multis animi & corporis dotibus ac tanta fortuna dignis virtutibus ornatus; quas tamen Astrologiç iudiciariæ ac necromã-

tiæ

tiæ studiũ valde deformauit, & ipsi atque aliis exitiosas reddidit. Quum enim malis illis artibus intellexisset, se ab vno ex maguatibus regno expulsum iri; Ioannem Ducem Finlandiæ statim suspectum habere cœpit, ac tanto magis, quod is, ducta in matrimonium Sigismundi Augusti Poloniæ regis sorore, femina Catholicæ religionis studiosissima, noua illa affinitate, res suas valde muniuisset. Hæc prima odij inter duos hos fratres fuêre semina, quod non nisi cum vita ipsorum fuit exstinctum. Ioannem enim è Polonia cum coniuge vix reuersum, Ericus in arce Wiburgensi obsedit, ac tandem ad deditionem coegit, inter alia bis centies millium aureorum iacturam passum. Ioanni custodia incluso Orbeiæ in Phynlandia laudatissima vxor, spreta quam Ericus ei offerebat libertate, perpetua comes esse voluit, in eaque captiui ate filium & duas filias peperit; ad eas, Georgij Personi potissimum malitia, vterque redacti angustias, vt vix necessaria supperterent quibus vitam sustentarent.

III. Hæc Erici erga fratrem inhumanitas multorum procerum animos ab ipso alienauit, & plurimarum suspicionum ac perpetuæ diffidentiæ caussa fuit. Deferebantur fere quotidie nomina eorum qui contra regem machinati aliquid dicebantur; & falso accusati, aut per formam iustitiæ, aut per sicarios tollebantur. Quosdam etiam rex ipse manu sua occidit, & inter alios pueritiæ suæ formatorem hominem sexagenarium: à quo admonitus vt mansuetius ageret, nec se regnumque suum perditum iret, tyrannus ipso Nerone crudelior, homini optime de se merito pugionem in pectus adegit. Abeo tempore numquam mentis illum compotem fuisse ferunt, Manibus Præceptoris ab ipso pœnas exigentibus, & velut alterum Orestem in furorem agentibus, qui illi perpetuus ad mortem vsque fuit comes. Aiunt in ipso oculos ita scintillantes sæpe visos, vt eorum aspectum nemo ferre posset, nec propius quisquam accedere auderet. Inter hæc animo varijs curis distracto, præter omnium opinionem Ericus, exacto septennio, quod periculosum sibi fore ex fatidicis cognouerat, velut omni periculo defunctus, fratrem Ioannem in carcere accedit, eumque amicissime non sine lachrimis complexus, rogat vt ignoscere sibi velit: eductumque & libertati restitutum, regni gubernatorem pronunciat. Ioannes actis quam humillime regi gratijs, oblatum munus recusat. Rex nihilominus Stochólmiam reuersus, in conuentu procerum Ioannem regni Gubernatorem iterum designat: cui tamen illi, quibus regis ingenium perspectum erat, aperte contradicunt, ac nullius præterquam ipsius regis imperium ferre se posse aut velle dicunt. Rex tamen in sententia persistens, Ioannem Gubernatorem regni iterum pronuntiat, & ad se vocatum, magno honore excipit, omnibus parere ei iussis. Tum Dux, qua erat prudentia, fratri ministrorum circa se in tam diuturna custodia huc illuc dilapsorum solitudinem demonstrat, simulque rogat. vt de suorum numero aliquem vellet adiungere, qui omnium ipsius actionum arbiter esset & testis, & in cuius fide rex ipse posset acquiescere. Rex animaduertens Ducem interea dum hæc loquitur, oculos in Gallum quendam, Pontium Lagardam nomine, oculos habuisse defixos, malo genio (vt exitus postea docuit) instigante, Mi frater, inquit, Pontium hunc tibi, si ita vis, adiungo, cuius forti & fideli opera ego hactenus sæpe vsus sum, & tu porro vti poteris. Sed quia hominis huius etiam Posseuinus in Moscouia sua facit mentionem, isque non minimum ad rerum in Suecia mutationem attulerit momentum, sancto quodam zelo vnà cum republica religionem quoque mutare frustra conatus; breuiter historiam eius attingam, & posteritati, cuius memoria vir hic non indignus est, tradam.

IV. Pontius Lagarda patriam habuit ignobilem in Languedocia Galliæ prouincia pagum. Rieus oppido vicinum. Militiam sequutus cum Oisellio in Scotiam profectus est, bellum ibi Franciſci Galliarum regis auspicijs gerente: quo confecto, cum viginti commilitonibus in Daniam trajecit, cuius rex tum contra Sueciæ regem magnis viribus bellum gerebat. Quemadmodum enim pyraustes non nisi in igne splendorem emittit, & Camelus non nisi turbidam aquam potat, sic Lagardæ animus ab omni pace abhorrens, bellum, quo solo emergere se posse sperabat, vnicè quærebat & sectabatur. Nõ multo post idem in prœlio quodam in Ostrogothia commisso sauciatus, in hostium potestatem venit. Erico Sueciæ Regi inter alios militabat Gallus quidam è Picardia, Philippus Mornaius, Varennæ Dominus, præcipuum apud regem gratiæ locum obtinens, quem, vt & fratres, Gallicam linguam docuerat. Is quum accepisset Gallum hominem è prœlio captiuum esse adductum, eum ad se vocat, & monet vt dominum mutet, & ad Suecos transeat, vbi certios

hono-

honoris & luculentioris fortunæ apud regem nationi suæ valde amicum, locus ostendatur. Id consilium Lagarda amplexus, à Varennio Erico regi sistitur & commendatur: qui vbi hominem manu ac consilio promtum esse cognouit, domesticorum eum numero, attributo honorifico stipendio, adscripsit. Erat vero Ericus rex mira corporis agilitate præditus, vt etiam vno saltu viginti quatuor pedes superaret; in quibus alijsque corporis exercitijs Lagarda, non minus promto atque agili, colluctatore vtebatur: qui tamen ab alijs monitus, etiam quum vincere posset, regi non inuitus semper cedebat, ac victoriæ gloriam relinquebat Hac ille familiaritate fretus, paullatim in gratiam regis ita se insinuauit, vt etiam maximi momenti negotijs sit adhibitus; & à Finlandiæ Duce, rege postea, primarijs regni muneribus præfectus, vt paullo post dicemus. Ad Ioannem redeo:

V. Quo post diuturnum carceris squallorem à rege, vt diximus, in gratiam recepto, Lagarda in Angliam ab Erico ablegatus fuit, vt Elisabethæ nuptias ambiret. Cum repulsa inde ad regem reuersus, ab eodem cum exercitu contra Danos missus est. Interea Georgius Personius varijs suspicionibus & criminationibus regis animum per se leuem & inconstantem, exulcerare non desinebat: ex quo factum est vt regem non modo collati in fratrem beneficij pœnituerit, verum etiam immani consilio eundem cum fratre Magno & procerum quibusdam, quorum fidem suspectam, habebat, è medio tollere decreuerit. Quem in finē nuptijs suis diem dixit, IV. Iulij, An. M. D. LXVII cum lictoris filia (concubina sua hactenus, quam ob singularem formæ elegantiam perdite amabat, iamque duos ex ea susceperat liberos) Stocholmiæ celebrandis: à quo instituto quum Comes quidam sanguinis cognatione ipsi iunctus, eum dehortaretur, per omnia sacra obsecrans, ne regium sanguinem cum tam vili & abiecta persona misceret, rex iratus hominem statim interfici iussit. In his, inquam, nuptijs Ericus constituerat, eodem modo quo patres ipsorum antea in illo ipso loco à Christierno rege tractati fuerant (quam lanienam Olaus Magnus oculatus testis in Historia sua describit) tam fratres suos quam reliquos proceres excipere ac tractare.

Hoc consilium quum rex inter mutuos complexus coniugi aperuisset; illa, vt erat non corporis modo, sed etiam omnibus animi virtutibus ornata, illo vno infelix quod tam humili loco nata esset, tantum facinus sub nuptiarum suarum prætextu patrandum detestata, Ioannem Finlandiæ Ducem monuit vt ab insidijs sibi caueret. Ita enim in regij nostri Oratoris commeatarijs scriptum inuenio. Eorum vero quæ postea contra Ericum suscepta & gesta sunt, quidam solum Pontium Lagardam auctorem faciunt; qui die quodam cum Ducis vxore hunc habuisse sermonem fertur: *Miror equidem, Domina, qui fiat, quod Dux serenissimus, maritus tuus & herus meus, non animaduertat, vniuersi regni, fratris insolentiam & crudelitatem iamdudum pertæsi, oculos in se defixos esse, & expansis brachiis auxilium & liberationem à tyrannide, ab ipso vno petere atque exspectare, vt qui regia ista corona non minus dignus sit, quam immanis iste tyrannus est indignus. Facile ipsi erit, modo velit regnum hoc occupare, & ex paupere Duce in potentissimum Principem euadere. Quod si cunctetur, periculum sane est ne in perpetuam captiuitatem, è qua non multo ante liberatus est, rursus incidat. Equidem qui cum omnibus militia ducibus familiariter sum conuersatus, illud scio. Sex illa Scotorum regi militantium millia, ob non soluta stipendia iamiam secessionem siue rebellionem moliri. Magnus certe & Carolus Duces ac plerique proceres non minus moleste ferunt, regem thorum suum regium vilissimæ concubinæ & lictoris filiæ nuptijs commaculasse, nec quidquam aliud magi quarunt aut optant, quam occasionem, illam cum omni prole sua exstirpandi. Apprehendenda est occasio; quam fugientem frustra deinde requiras. Iam nimis diu tyrannus ille regnauit.*

In hunc modum peroranti Pontio Ducissa nihil aliud respondit, quam, *Ista quidem dictu, non ita factu esse facilia: simulque hominem monuit, vt in omnibus summa cautione & prudentia vteretur.*

VI. In hoc rerum statu Dux Ioannes vndique de insidijs sibi à rege fratre suo structis, tum etiam de consilijs, quæ cum Mosco agitabat, certior factus, Lagardæ consilio à coniuge accepto vti constituit; ac tentatis procerum, atque etiam Scotorum stipendiariorum animis, quum plerosque conatibus suis fauere animadverteret, sumta à Strenone Erisconio mutuò pecunia, ducentos equites primum conduxit; deinde Vasteno occupato, & è gaza ibi reperta cusis numis aureis & argenteis, iustum exercitum è Scotis & Germanis conscripsit. Quo cognito, Ericus, qui nuper, vt diximus, cum concubina nuptias Stocholmiæ solenni ritu celebrarat,

brarat, eidem etiam regali corona impositâ tumultuarias copias ad duodecim virorum millia contra fratrem & proceres misit, quæ vbi primum in conspectum venêre, magna ex parte ad ipsos transfugerunt. His confirmatior Dux cũ exercitu ad vrbem accedit. Ericus crebris transfugiis territus, & à domesticis non minus quam ab externo hoste sibi metuens, vocatis ad se qui aderant regni proceribus, primo cum ipsis sermonem confert, nouũ fidelitatis exigens iuramentum: deinde populum tumultuantem alloquitur, & quidnã sibi vellet, aut de quo conqueretentur, rogat. Tũ omnes vna voce Georgium Petsonium (id est Petri filium ab epistolis, ac præcipuum libidinum ac flagitiorũ administrũ, ad supplicii postulare. Sic ergo rege non abnuere ausо, Georgius vnà cum matre scelerum conscia, & veneficii ac necromantiæ suspecta ad Finlandiæ Ducem in castra deducitur: in via vero mater ex equo se deiiciens, collo fracto, supplicii pœnam & ludibrium euasit: aiunt in via ex ipsa auditum, si filio vel vnum verbum in aurem insusurrandi sibi facultas daretur non dubitare quin statim liber futurus sit. Georgius ad Ioannem (quem captiuum antea tam humaniter habuerat) adductus, & duabus horis per exercitum circumductus, præcisis naso & auriculis ad furcã adfixis, ipse etiam viuus horã in patibulo pendens, & inde magno cum luxatorum membrorum cruciatu demissus, rursusque attractus, gratũ omnibus spectaculum præbuit, & inde depositus cruribus ac brachiis rota contusis, postremo in quatuor partes dissectus, & in compitis ac triuiis epulandus coruis fuit appositus.

Secundum hæc Ioannes Dux vrbem arctius obsediti & tandem amicorum, quos intus habebat, opera occupauit, Lagarda intra portam Septemtrionibus obuersam cum suis recepto: qui sub signis, sed sine ciuium maleficio ingressus, per plateas, *Viuat Ioannes rex*, ingeminauit. Ericus sub hæc in arcem se recepit, sed mox recollecto animo cũ satellitibus & corporis custodibus rursus egreditur ratus se sola præsentia sua hostes disturbaturum. Et primi quidem vultus maiestate territi de via ipsi cedentes, & honoris significationem exhibentes, intra ordines eum receperunt. Tum Rex Lagardam & Stenonem Erisconium aununculum aduenientes cernens, satellitibus imperat, vt ad nutum suum ambos conficerent. Rectà ad se euntẽ Lagarda vt se dederet imperat. Tum rex, Tibine, inquit, *pessime proditor, me dedam? Nunquam hoc fecero: sed iube aliquem mei sanguinis ad me venire;* Appropinquãtem Stenonem miles, Erico innuẽte bipenni in caput adacta, inermem prosternit & cõficit; ceteri Lagardam aggrediuntur, qui licet armatus, tribus acceptis vulneribus, sclopeto contra ipsum regem emisso, militum suorum opem inclamans, ægre fuit ereptus. Rex interim satellitio circumdatus ad arcem properabat: sed Lagardæ celeritate præuentus & excluſus, in vicini templi asylum confugit; vbi circumsessus, ingruente iam nocte fratri dedere se coactus est; qui eum mox Vestrantium (quam arcem pater ipsius ex Ecclesiarum ruinis ædificarat) sub custodia misit, vbi post decem annorum captiuitatem miserabiliter est exstinctus A. 1578. (*d*) Sic Ericus successorem habuit eum quem semper antea suspectum habuerat: eo saltim felix, quod in tam longa captiuitate tot tamque horrẽda flagitia & crudelia facinora, quæ durante regno perpetrarat, deflere potuit & apud Deum deprecari. Eius filiorũ vnus iam grandiusculus in Prussiam primum, deinde in Poloniam transfugit, cui *Sigismundus Ioannis filius, qui tum regnabat* in Polonia, suasit, vt Ecclesiastico ordini nomen daret, Episcopatum pollicitus: quo tamen ille consilio vti noluit, sed in Moscouiam profectus ducta in matrimonium magni Ducis nepte, dotis nomine amplam admodum prouinciam regendam accepit. Et hoc quidem modo Ioannes Succiæ regnum occupauit; vel, vt melius dicam, magno omnium ordinum consensu & applausu rex fuit renunciatus. Hic mihi vide fortunæ ludibria, quæ tam potentem regem à tam excelso fastigio in carcerem detraxit; e contra Lagardam ex infimo loco ad supremum fere eduxit: quem Ioannes rex non solum amplissimæ prouinciæ Liuoniæ Proregem fecit, verum etiam generum sibi elegit, elocata ipsi filia notha, & Baronatibus quibusdam in dotem assignatis. Non multo post eundem exercitui contra Moscouiæ Ducem summo cum imperio præfecit, quum is Lutheranorum ignauia, Torpatum insignem ijs locis vrbem occupasset, & multa passim damna dedisset. Iamdudum enim magna pars Teutonicorum, qui antea summum ijs locis obtinuerant imperium, Equitum, deserta Catholica ad Lutheranam religionem transierant; tum vero non pauci hac itidem deserta,

d *Henninges Orbeiam vocat, in qua etiam Ioannes captiuus fuerat.*

Græcanicæ seu Ruthenicæ nomen dederant; sic vt nec Pontifici nec Imperio Romano quidquam amplius iuris in se esse vellent. Ex omni oppidanorum numero quingenti vtriusque sexus & omnium ordinum homines reperti fuerunt, qui inde profugiendo fortunarum potius, quam inter Schismaticos (quibus Lutherani non grauatim se adiungebant) viuendo, animæ iacturam facere maluerunt. Tum quidem antiqua illa Teutonicorum in Liuonia Equitum, Moscouitis antea tam formidabilis generositas plane emarcuerat, alijs Lutheranismum, alijs Zuinglianismum amplexis, alijs abiecta S. Cruce militiæ illius insigni, vxorem ac liberorum greges secum ducentibus: quæ tam morum dissolutiones quam religionum dissidia Liuoniam miserrimis calamitatibus inuoluerunt. (e) Lagarda suscepta contra Moscouitas expeditione non solum impetus eorum repressit, verum etiam Naruam maritimum emporium ab eis antea occupatum, a perrima hyeme obsessum, & sexaginta machinis verberatum, sex hebdomadarum spacio expugnauit, magnam & fortis militis & prudentis ducis laudem adeptus.

Hic iterum aliud ecce tibi fortunæ ludibrium! Varennius enim ille, cuius ope & commendatione Largardam emersisse supra diximus, accusatus quod Scotos milites corrupere aggressus esset, vt Ericum è custodia liberarent capitis supplicio non multo post fuit affectus. Habeo penes me exemplum litterarum, à Ioanne Sueco ad Carolū IX. Octob. XIV. Anno M.D.LXVIII. scriptarum, quibus de immani erga se ab Erico concepta proditione conqueritur. Ea vero sic habet *Basilius Magnus Moscouiæ Dux Polonia Regis sororem in matrimonium sibi expetierat: verum illa Ioannem Finlandiæ Ducem et prætulerat, quum aliis virtutibus, tum formæ commendatione capta. Ioanni enim sedenti summam formæ gratiam ac proportionis elegantiam fuisse aiunt, quam tamen instante aut incedente non parum deformabat illud, quod erura breuiuscula haberet. Præter multas animo dotes in Principe requisitas, multarum habebat linguarum notitiam, sic vt cum variarum nationum Legatis sine interprete loqui posset. Repulsam hanc quum Ericus Moscum agre ferre sciret ad gratiam eius ineundam per legatos promisit, se fratris interfecti vxorem vnà cum vtriusque sorore, virgine pulcerrima, ad eum missurum, vt illa ipsius Ducis, hæc filii viginti tum circiter annos nati coniux esset. Nec mora mittitur statim à Mosco in Sueciam Legatio, in qua sexcenti Nobiles fuisse dicuntur, qui Sponsam vtramque domum deducerent. Quum vero Ioannis ad hunc vsque coniugem Ericus tradere non posset, pro ea Gustaui viduam, ætate ad huc & forma florentem (vt quæ trigesimum quintum ætatis annum vix expleuerat, vnà cum duabus sororibus offert. Omnibus iam fere ad profectionem in occulto paratis, femina de iis quæ clam ipsis rex constituerat, monentur. Tam tristi nuncio perculsæ miseræ, cum Magno Duce agunt, eiusque opem implorant: & petito ab Erico comeatu, nauigio quasi animi gratia exspaciaturæ vrbe exeunt: quumque aliquot passus processissent, à Magno, qui cum trecentis equitibus eas de compacto exspectarat, excepta, magna celeritate ad Ioannem Finlandiæ Ducem deducuntur.* Rumor tum percrebuit, Ericum spe sua frustratū ira & indignatione in desperationem versa, vrbē Stocholmiam incendere, & collectis rebus pretiosioribus in Moscouiam transfugere decreuisse. Verum enimuero multa eiusmodi sæpe contra Reges ac Principes confingi, & ad conciliandum ipsis odium, ac subditos ad rebellionem excitandos in vulgus spargi solent, vti tum Erico accidit; qui, vt diximus, miserabili morte in carcere fuit exstinctus.

QUOMODO IOANNES REX CAtholicam religionem in Suecia restaurare conatus sit, eoque defuncto Sigismundus filius regno priuatus.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

I. *Ioannes Rex Suecia Catholicæ religioni clam addictus.*
II. *Lagardium ad Pontificem mittit.*
III. *Quid eius conatibus obstiterit.*
IV. *Infelix mors Lagardii.*
V. *Ioannis Regis dissimulatio in Lutheranis doctrinis & Catholicis cæremonijs.*
VI. *Eius filius Sigismundus, Rex Suecia, paterno regno spoliatus.*

I. IOANNES III. quam Sueciæ regem factum diximus, quamvis Lutheranā toleraret, animo tamen Catholicam colebat religionem: in cuius

e *Russouius Lutheranus Scriptor in Liuonica Historia fuse describit Calamitates Liuoniæ post Lutheranismum Inuectum.*

ius rei signum multa à Possevino colliguntur ab eodem pie facta, & Catholicam fidem sapientia: vt *quod sexta cuiusque feria ac statorum dierum ieiunium coluerit, quod Quadragesimale, vt Apostolicam traditionem, obseruarit; quod S. Erici & S. Birgitta corpora & ossa thecis argenteis rursus inclusa, per Catholicos sacerdotes in pristina loca reponi iusserit; quod denique multa alia fecerit quibus animum eius Catholica fide imbutum fuisse, facile probari possit.* Ad vxorem eius Catharinam quod attinet, numquam illa apertum Catholicæ religionis exercitium intermisit, in qua & Sigismundum filium diligenter reducauit. Quinetiam, marito nondum ad regium fastigium euecto, proprium sacellum habuit in quo sacrum Catholico ritu peragebatur: ad quod multi quoque incolæ confluere solebant. Missus est eo Annæ Poloniæ reginæ (quæ Catharinæ soror & Stephani Battorij vxor erat) rogatu à Gregorio XIII. PP. Sacerdos quidam singulari doctrina & vitæ integritate præditus, ad Catholicam Ecclesiam restaurandam, & cum rege clam congressus, etiam atque etiam ab ipso monitus fuit, vt zelo suo moderaretur, nec quam ob caussam venisset, statim omnibus aperiret, atque ita ipse sibi in limine aditum obuallaret. Quo tamen eius opera ad eamdem rem cõmodius vti posset, eidẽ in Stocholmiensi nuper ab se instituto Gymnasio Theologiæ professionem demandauit: quo quidẽ munere ita ille perfunctus est, vt breui non exiguam studiosæ iuuentutis partem à Lutheranismo abstraxerit. Quum vero diutius latere non posset, Catholicum aperte se professus, in templo quod Lutherani antea tenuerant, & frequentes magna omnis ordinis & ætatis accurrente hominum multitudine, conciones habuit, & sacrum Catholico plane ritu celebrauit. Inde nonnulli in spem erecti Reginam obsecrarunt, *vt pro Catholicæ religionis, qua florente, regnum etiam totum omni prosperitate floruerit, instauratione apud Regem intercederet.* Quin etiam ipsum Regem adierunt, idem petentes verum ille simulare, procrastinare multa impedimenta causari, nec tamen spem omnem præcidere: Regina interim apud maritum vehementer instante, *vt quandoquidem regnum pacate possideret, ac non solum pacem cum vicino Dania rege, verum etiam eam ad rem à fratre suo Polonia rege parata auxilia in propinquo haberet, vt tam iusto subditorum desiderio satisfacere, ac tam sanctum opus, quale est Catholicæ Ecclesiæ restauratio, aggredi vellet. Etsi enim hæresis omnia longe lateque tenere videbatur, nondum tamen Catholicæ religionis radices ita exstirpata erant, quin viridantes quidam rami ac stolones quotidie progerminarent.* In eo sane vehementer tum peccatum fuit, quod accensis tam sancto desiderio hominum animis non statim plures doctrina & integritate præstantes homines eò ablegati sunt, qui bono illi homini in re tam ardua auxiliares præberent manus. Neque enim facilius est hæreticum quam infidelem conuertere. Nam vt populi sub imperium redacti facile in officio contineri, subditi vero semel rebellionem moliti difficulter admodum ad obedientiam reduci possunt, vt qui peccati sibi conscij, nec aliorum fidem experiri sibi tutum ducant, nec suæ ipsi fidei idoneos obsides dare queant: eodem modo difficile admodum est obedientiæ iugum ijs rursus imponere, qui semel id abiecerunt, & ab Ecclesiæ gremio sese subduxerunt. Vulgatum est verbum, *non esse peius hominum genus, quam apostatarum siue Mamuluchorum,* quibus Turcarum tyranni vires præcipue innituntur. Sic *nullos infestiores hostes habet Ecclesia quam hæreticos,* qui vbi semel Ecclesiæ valedixerunt, raro aut numquam ad eam reuertuntur. Deo certe, vt quidam ex Patribus ait, *multo minus laboriosum esset* (si modo in Deum caderet labor) *Mundum fabricari, quam hominem deuium ad Ecclesiam reuocare: quid ibi nihil nisi obedientiam, hic nihil nisi resistentiam & contradictionem sit reperturus.*

II. Porro Ioannes Rex quamuis, vt Possevinus contra Chytræum testatur, Catholicæ Ecclesiæ restaurandæ esset cupidus, lente tamen admodum progrediebatur, conatus suos, quantum poterat, occultans. Lagarda ab eo in consilium adhibitus suasit, vt rem cum Romano Pontifice ac Poloniæ rege affine suo communicaret, interim vero caute omnia ac prudenter ageret, ne immature prolatum consilium disturbaretur, & turbis occasionem daret. Idem Romam proficiscendi negocium in se suscepit, Pontifici regis desiderio aperturus, & de modis tantã rem perficiendi consulturus. Vix vllum aliud impedimentum obstare videbatur, quam bona Ecclesiastica à Nobilitate iamdudum occupata, Episcoporum ac sacerdotum coniugia. Huic quidem posteriori obstaculo illud remedium quæsitum, *vt Rex promiserit, si cum Pontificis venia miserit illis maritis munia sua quoad viueret, obire liceret, curaturũ se ne posthac quisquam admitteretur, qui non fidẽ daret Romanæ Ecclesiæ legibus se pariturum. Ad prius quod attines, idem rex*

pollicitus est, se è prouentibus Ecclesiasticis ducenta librellarum millia è fisco, cui olim illata erant, restituturum: dum interim alij proceres ipsius exemplo moti idem facerent; quibus illa vi sine maximo periculo eripi non possent. Additum & hoc fuit, vt Pontifex communionem sub vtraque specie populo id voce flagitanti concedere vellet. Cum his mandatis Lagarda, aliam Legationis caussam prætexens, Romam profectus est: sed mox re siue coniecturis & suspicionibus, seu rectis indicijs deprehensa, Magnus & Carolus Duces Regis fratres & regni primores, ac Nobiles, metu ne prouentus ac decimas tum etiam Abbatias, Prioratus, aliaque Ecclesiastica beneficia à Ioanne Rege sibi ac maioribus in natalæ operæ compensationem assignata amitterent, Regem adierunt, ac multis verbis rogarunt, *vt domum reuocato Legato, ab incœpto desisteret, nec nouis turbis regnum involueret.* Similiter boni illi, matrymes scilicet, Episcopi & prælati vxorati sub Gustauo non ignorantes, Apostolicis legibus maritis nequaquam permissum esse res sacras tractare, aut diuinis fungi officijs, nec Pontificem in Ecclesiasticis legibus tot Conciliorum auctoritate confirmatis, dispensare solere, querelis omnia miscebant, omnemque mouebant lapidem, ne feminas dimittere cogerentur, aut ex ijs nati liberi pro spurijs & illegitimis haberentur.

II. Itaque prium hoc ac sanctum opus reginæ feminæ religiosissimæ mors interrupit: quæ si diutius aliquanto vixisset, procul dubio, qua erat incredibili animi magnitudine & ardore, omnes difficultates & impedimenta facile superaturam fuisse, spes erat. Summam eius pietatem & vnicũ vorum vltima verba demonstrant, quibus regem sic affata esse dicitur: *Post meum*, inquiens, *excessum iube vt veri, id est, Catholici Christiani, qui in tuo regno sunt, pro me Deum orent; & si coronam hanc ad posteros tuos transmittere cupias, ante omnia operam da vt Ecclesia Catholica restauretur.* Cui optimæ coniugis voluntati rex obsequutus, iusta ei Catholico more persolui curauit, ac per vniuersum regnum pro anima ipsius preces fieri iussit. Dum vero frequentissima Nobilitate in magno illo Vpsaliæ ab se instaurato templo, demortuæ exsequijs interessent, audita sunt (sapienti, sine dubio regis consilio) inter multa alia elogia, à pseudoarchiepiscopo eius ciuiratis, è suggestu declamante, hæc ipsa verba: *Regina inter ceteras præstantissimas dotes, auitam Iagellonicorum & aliorum Christianorum regum religionem Catholicam, sine qua nemo saluus esse potest, constantissime semper retinuit.* (a)

Post coniugis excessum rex multis vndique difficultatibus circumseptus Lagardam domum reuocauit, qui rem ob quam missus fuerat, multo quam potuerat impeditiorem Romæ deprehendit. In sacro enim illo Consistorio nihil nisi matura habita deliberatione, omnibusque in quamcumque partem accurate pensiculatis decernitur, nec facile à legum norma deflectitur. Lagarda Roma discedens Catholicos quosdam sacerdotes secum adduxerat, qui miseris Catholicis tam diu religionis suæ exercitio destitutis, solatium aliquod afferrent: sed in Sueciam reuersus, cum rerum statum deprehendit, vt metus esset ne regi Catholicæ religionis instaurationem molienti, ab ijsdem à quibus illi imposita fuerat, regia corona de capite decuteretur. Quum ergo rex ipso facto hac in re quidquam aperte moliri nec posset nec auderet, quod proximum fuit, cum Archiepiscopis, Episcopis & alijs Prælatis Lutheranis agere statuit, vt ab ijs quas haberent coniuges retinerentur, Eucharistia populo sub vtraque specie præberetur, ac Missa vulgari lingua perageretur in ceteris Catholici ritus obseruarentur. Et cum his quidem non difficillima fuit transactio, facile cetera ferentibus, modo nuptiæ ipsorum & coniugia non interpellarentur; Nobilitas nequaquam potuit induci. Et hoc quidem modo res omnis in suspenso manfit, imo spes omnis eius perficiundæ plane decollauit, non sine suspicione etiam ab ipso Lagarda multas remoras fuisse obiectas, ne tot bonis Ecclesiasticis à rege, quem totum sibi habebat obnoxium, muneris loco acceptis, exueretur.

IV Vidimus hactenus Lagardam in summa collocatum dignitate, ac præcipua Suedici regni negocia nutu quasi administrantem: ac tempus iam est vt idem insigne summæ in humanis rebus inconstantiæ nobis spectaculum præbeat, nec opinato & mirabili casu tum potissimum deiectus, quando iam trabali veluti clauo fortunam sibi confiram posidere videbatur. Missus n. à rege ad renouandas cum magno Moscouiæ Duce inducias, confectis mandatis, maritimo itinere domum reuertens, quum iam fere Reualiæ portum teneret, allisa ad scopulum naui proraque ita ableuata, vt puppis in qua sedebat, in aquam subsideret, excussus ac fluctibus haustus perijt, numquam

a *Possuin. in Refut. Resp. Chytrai.*

quam postea visus Hic Lagardæ fuit exitus, qui è milite gregario dux, ac tandem Liuoniæ Prorex, ac regis gener factus, quod fortunæ debuit ludibrium, ignobili morte persoluit; ex vxore notha regis filia, duobus filijs & vna filia relictis.

Diximus paullo ante, reginam morientē vltimis suis votis regē obsecrasse, vt Catholicā Ecclesiam restauraret: quibus etsi rex satisfacere vehementer cuperet, metu tamen regni amittendi (videbat enim Mundum opponere se ei quod cœlum ab ipso flagitabat) tentare nihil audebat: quamuis interim non obscuras daret significationes, tam sanctæ rei exsequendæ non voluntatem, sed facultatem sibi deesse, adeo vt multa contra animi sententiam permittere cogeretur. Cuius insigne hoc loco ponam exemplum.

V. Erat Stocholmiæ Curio quidam seu sacerdos, homo bene doctus, qui sacra munia ad formam Lutherano-Papisticam, toto regno vsitatam, obibat: qua in Baptismo infantium exorcismi, crucis signationes, cerei, aliæque Catholicæ Ecclesiæ ceremoniæ ac ritus adhibentur, & puerperæ à puerperio in Ecclesiam primum ingressæ, cereum & panem offerunt. Narrarunt mihi duo nostrates Nobiles, qui Pontij Lagardæ supradicti vxoris, naturalis Ioannis regis filiæ, exsequijs, ab ipso rogati, interfuerunt, ijsdem fere quibus apud Catholicos fieri solet, ritibus eam fuisse elatam & sepultam. *Nam & funus præcessisse sacerdotes & clericos ac scholares, crucis signum præferentes, & funebres cantilenas concinentes. Demortuam feretro impositam iacuisse, aperto vultu, quasi viua adhuc esset: sandapilam vero panno serico albo, argento & intertexto, & insigni argentea cruce decussato fuisse contectam. Eunere ad sepulchrum delato, à sacerdotibus preces recitatas; deinde duas cruces, vnam ad caput, alteram ad pedes fuisse collocatas, ac tandem eleemosynas inter pauperes fuisse distributas. Nec vero in hac tantum re, sed etiam in omnibus pene alijs Lutheranos illos ijsdem quibus Catholicos vti ceremonijs, vestitu ac precationum formulis, sed in doctrina Lutheri sequi dogmata, iidem oculati testes mihi affirmarunt.* Sed ad rem. Curio ille, siue sacerdos, de quo dicere cœpimus, licet in externis rebus ad reliquorum sui ordinis vitam ac mores plane se conformaret, numquam tamen, vt vxorem duceret, induci potuit. In concionibus vero *idem S. Petri & successorum primatum, & clauium Ecclesiasticarum potestatem, itemque Ecclesiæ antiquitatem & vniuersalitatem vt & sacerdotum cœlibatum tanquam Apostolicam traditionem, strenuè propugnabat.* Episcopi & reliqui quorum id intererat, regem adeunt, *sacerdotem illum Papistam esse aiunt, qui proculcatis regni legibus à superioribus regibus iam pridem abolita dogmata asseret, magno cum populi vndique ad eius conciones audiendas accurrentis applausu.* Rex vicissim eis hominis doctrinam & egregiam apud omnes existimationem proponit, *monens vt errores ei suos veris argumentis ac rationibus demonstrent:* verum illi regem ac regium Consilium non prius vrgere cessarunt, quam bono illi homini mandatum fuit, vt à publicis habendis concionibus posthac abstineret. Ac quamuis rex importunas Lutheranorum Prædicantium flagitationes surda aure non semel accepisset, tandem tamen ijsdem victus, eo ipso tempore quo nuptias cum Gonella Bielkia, quam priore mortua, vxorem duxerat, celebrabat, hominem ad se accersit, & septem præsentibus Episcopis, eorum quæ publice docuisse diceretur, rationem reddere iubet. Quod quidem intrepide ille fecit: multis rationibus *demonstrans, nullam aliam esse Ecclesiam quam eam in qua S. Petrus Apostolorum Princeps, eiusque successores Romani Pontifices continua serie præsederint: ceteras vero omnes spurias esse & adulterinas.* Quem eius sermonem Episcoporum quidam interpellans, *Patres ipsius aiebat esse, non docere suos superiores, sed eis obedire. Vocatum esse vt errorem agnosceret ac deprecaretur, non vero vt facundiam suam ostentaret. Reuocaret ergo errorem, ac Papæ dominationem, tamquam tyrannicam, detestaretur, ac regni legibus ac regijs Edictis obediret.* Rex etiam ipse hominem obsecrabat, vt temporibus cederet, ac periculo se liberaret, multa emolumenta & honores pollicitus. At ille in sententia immotus persistens, *paratum se esse aiebat, doctrinam hanc sanguine suo obsignare; neque coram hominibus id confessurum, quod coram Deo negaturus esset.* Tum Pseudoepiscopi multo magis fremere, & hominem quamprimum exterminandum dicere. Regis tamen intercessione factum est, vt mitior in eum pœna lata fuerit, degradationis scilicet, quæ ijsdem quibus apud Catholicos ritibus fuit peracta. Die ad eam rem constituto Catholicus hic sacerdos in Cathedrale templum deductus fuit, vbi tum rex quoque, licet inuitus, erat, vt actui interesset. Tum loci Episcopus, & sex alij Episcopi Pontificalibus induti, & infulsas capitibus, ac pedamanibus gestantes, præeunte Crucis signo, eadem pompa & maiestate quæ in Catholica visitur Ecclesia, processerunt. Post lon-

gam habitam ab eorum vno orationem, hæreseos scilicet, damnato capilli abraduntur, raditur etiam locus qui sacro oleo quum sacerdotio inauguraretur, vnctus fuerat, vt & digiti, quibus sacram hostiam tractarat. Tandem sacerdotali exutus habitu, & laicali seu vulgari amictus, ex Ecclesia eliminatur. Eum rex in remotam valde ab ijs locis prouinciam secedere iussit, & discedentem non solum viatico iuuit, verum etiam ad reliquum vitæ honeste transigendum, annuos prouentus assignauit. Meræus quidem, qui actum hunc præsens spectauit, in suis ad me literis testatur, non se tantam, sed multos quoque alios insignem huius hominis constantiam valde esse admiratos; quumque illo ipso die in Sigismundi Principis, regis filij, ædibus hominem forte vidisset, dicentem audiuisse: *Parum esse hoc quod illo die pertulerit, præ illo quod pro Christi ac veræ religionis amore pati porro paratus esset.*

VI. Hic rerum in Suecia fuit status, vsque ad regis Ioannis mortem, qui defunctus filium reliquit Sigismundum, è Poloniæ regis sorore natum, & à matre in Catholica religione à teneris vnguiculis diligenter educatum: qui concordibus procerum ac statuum suffragijs rex electus ac coronatus, patris sequutus exemplum, religionem in quo eam acceperat statu reliquit. Idem Stephano Battorio mortuo Anno 1586. Idib. Dec. Poloniæ rex electus Caroli, Austriæ Archiducis, &c. maiorem natu filiam Annam vxorem duxit. E Suecia discedens, quatuor proceribus regni gubernationem demandauit, *Carolo patruo* (qui vnus ex Gustaui progenie superarat, Magno (post occupatum quoddam S. Brigittæ cœnobium, in furorem verso & miserabiliter exstincto) diffidens: qui non multo post quatuor vitos illos regnum auare & crudeliter administrantes comprehendit, ac supplicio affecit: nec contentus vicaria regni administratione, & subditi ac patrui officium oblitus, regnum ipsum affectauit. Quo cognito, Sigismundus classe conducta, in Sueciam traiecit, & ad Calmariam tempestate eiectus magis quam expositus, cum tribus hominum millibus recta à Stocholmiam contendit: Carolus medio fere itinere cum quatuordecim Dalecarlorum, qui totius regni bellicosissimi habentur, millibus sese obiecit. Cum eo colloquutus Sigismundus, iniuriam quæ sibi & legitimo regi & patrueli fieret demonstrauit. Carolus vicissim (vt numquam deest rebellioni prætextus) regi exprobrauit, *quod ad mutandam religionem & restituendum Papismum in regnum venisset, quod sine summa rerum omnium perturbatione fieri non posset, si præsertim bona Ecclesiastica à proceribus & ijs qui hactenus ea possederunt, repetantur. Eum scilicet in finem ab ipso Iesuitas adductos, idque Pontifici ab ipso promissum, vulgi rumore circumferri.* Sigismundum liberius forte quam temporis ratio postulabat, loquutum, Carolus, commisso leui prælio superior, capit, ac Stocholmiam abducit: vnde ille paullò post assumto naucleri habitu profugiens, in Poloniam redijt, nondum etiam dum spe regni recuperandi, & Catholicæ religionis restituendæ abiecta. Hoc successu fretus Carolus, regem postea se tulit. Ad hunc modum florentissimum quondam Sueciæ regnum sub Lutherano schismate varias mutationes sensit, tribus legitimis regibus intra breue tempus è regio throno deturbatis: & quod longe pessimum est, in locum religionis Lutherano Papisticæ passim, vt etiam in Dania, Caluinismus sese ingessit. Sed spes est, fore vt per acerba illa hæreticorum dissidia & factiones, in Septemtrionalibus illis regnis, crebris mutationibus obnoxijs, sed erga legitimos reges bene affectis, Catholica tandem religio reflorescat, omniaque in melius restituantur.

APPEN-

APPENDIX

DE SVCCESSIONE ET CONTENTIONE REGVM Sueciæ, Daniæ ac Norvegiæ

ILlustrabit hæc appendix ea, quæ de regibus hisce capite 14. ac 15. dicta sunt, æque enim Genealogia Regum, ac Chronologia cum Topographia illustrat historiam. Sic igitur habe ex ipsorum Acatholicorum Scriptorum Geneologicis libris, nempe Eliæ Reusneri & Hieronymi Henninges Familijs epitomen successionis & fortunæ. Septentrionalium Regum, quo facilius vtpote domesticis eorum scriptoribus fides habeatur.

Haquinus Rex Norvegiæ

Ingeburga nupta — — — — — — Erico Duci Sueciæ, ex familia Regum Sueciæ orto.

Magnus Rex Sueciæ factus est, emortua alia linea cognatorum suorum Obijt Anno 1320.

Magnus Smechus Rex Sueciæ post patrem, ac Norvegiæ post proauum. Regnum Sueciæ amisit ab Alberto II nepote ex sorore ereptum,

Euphemia nupta Alberto I. Megapolensium Duci dedit occasionē Regni filio Alberto, II.

Haquinus Rex Norvegiæ, vxor Margarita Filia VValdemari IIII. Regis Daniæ, & hæres, capto Alberto II Rege Sueciæ A. 1388. Tria Regna Daniæ, Norvegiæ & Sueciæ Coniunxit. Adoptauit post mortē filij sui Olai, Ericū ex sua sorore Ingelburga neporem, natū Ducem Pomeraniæ, qui tenuit A. 1411. tria Regna Daniæ, Norvegiæ & Sueciæ Obijt sine prole A. 1438. Successit ei

In Nor-

In Norvegiæ & Daniæ Regno Christophorus natus ex Sophia (sorore Erici Regis sine prole defuncti) & Ioanne Palatino Comite Bauariæ Duce (filio Ruperti imperatoris). obijt A.1448. sine prole Vxor eius fuit Dorothea Brandeburgica quæ nupsit Christiano I. ex stirpe Comitũ Aldenburgicorum, qui per eam Rex Daniæ ac Norvegiæ factus est. Et A.1457. etiam Sueciæ, sed non vltra septem annos cum Sueci Carolum reuocarunt. Vnde iterum ad arma ventum est, vltro citroque damnosa. Obijt non recuperato regno Sueciæ A.1482.

In Sueciæ Regno Excluso Christophoro electus fuit Carolus quidam Filius Canuti Torde. inteſtinis diſſenſionibus, & bellis à Christiano I. Rege, Daniæ ac Norvegiæ impetitus Anno. Regni octauo in exilium ſeceſſit Dantiſcum Anno 1457. & Sueci ſe Christiano I. Daniæ & Norvegiæ Regi ſubmiſerunt. Sed ſeptennio elapſo Carolus reuocatus eſt An. 1464. obijt. A.1470. relictis ſolum filiabus duabus.

Exinde Gubernatores Sueciæ fuerunt aliquot.

I. Steno Suer A.1470 qui obijt ſine prole A.1504.

II. Suanto Stur cognatus eius obijt A.1512. eius filius

III. Steno Stur Iunior ſuccedit, fuit particeps Schiſmatis aduerſus Pontificem Romanum excitati in Suecia. Obijt. A 1520.

IV. Guſtauus Trollius obſes Christiani II is è Dania profugiens bello feliciter geſto vindicauit Sueciam, ſibi & libertati Lutheranæ & A.1518. factus eſt Rex Sueciæ. Hic bona Eccleſiaſtica per regnum confiſcauit, & proceribus ex parte diſtribuit, arcem ex quodam Monaſterio extruxit, in qua filij eius continuo captiui fuerunt, obijt demum A.1560. 29. Sept.

Ioannes II. Rex Daniæ & Norvegiæ recuperauit quidem A.1597. regnum Sueciæ, cornatus 26 Nou. Sed eo breui per Stenonem excidit. & obijt Anno 1513.

Fridericus Dux Holſatiæ &c. Lutherizans Daniæ ac Norvegiæ regna Christiano I. excluſo eſt nactus, quæ etiã A.1532. captum ad vitã detinuit. obijt A.1533.

Christianus II. Rex Daniæ & Norvegiæ ius in Regnum Sueciæ bello requiſiuit, & demum A.1520. recepit. Sed exequendo ſententiam papæ aduerſus ſchiſmaticos ab offenſis A.1521. deiectus eſt dum abeſt à Regnis, in Germania agens apud Carolum V. Guſtauo Trollio Sueciam: Daniam ac Norvvegiam præripiente Friderico patruo ſuo,

Christianus III. Rex Daniæ & Norvegiæ, Lutheriſmum Stabiliuit confiſcatis bonis Eccleſiaſticis. Obijt A.1559.

Christianus IV. Rex Daniæ & Norvegiæ,

Ericus Rex Sueciæ factus An. 1560. fratrem ſeptem annis captivum tenuit, in maniam verſus amotus eſt A.1568.

Ioannes, poſt fratrem ob maniam captivum factũ, Rex conſtituitur, A. 1568.

FINIS LIBRI QVARTII ET PARTIS PRIMÆ.

FIORI-

Florimundi Ræmundi

DE ORTV, PROGRESSV & Ruina Hæreseon huius Sæculi.

HISTORIÆ PARS ALTERA

LIBER QVINTVS.

ARGUMENTUM.

In hoc libro Autor demonstrat quomodo & quibus remediis magna Germaniæ pars ab hæresis contagione fuerit præservata. Quomodo etiam Italia & HIspania eandem contagionem effugerint. Tum quomodo Carolus V. imperium abdicarit, præter alia regna, Belgii regiones filio regendas commiserit: & quam magnæ ac continuæ calamitates glisscentem ibi hæresin consequutæ sint. Quid Ferdinandus Imperator in religionis negotio egerit ac statuerit. Quam frequentes religionum in Germania mutationes acciderint; subditis partim vi, partim vltro ad Principum ac Dominorum nutum sese applicantibus. Multa denique tam ad Reipublicæ quam Religionis statum pertinentia, & inprimis Hæreseos decrementa exponit.

INDEX CAPITVM
LIBRI QVINTI

CAPUT I.

I. LVtheri hæresi multi Catholici è somno quasi excitantur.
II. Quinam ex ijs fuerint præcipui.
III. Admirabilis Dei erga Ecclesiam Providentia.
IV. Quomodo Sathanas spe sua frustratus sit.
V. Multi à Lutherana hæreseos contagione præservantur.

CAPUT II.

I. Deus malo bonum opponit.
II. De Ignatio Loiola, Societatis Iesu Auctore.
III. Is Romam profectus, multis superatis difficultatibus Societatis sua confirmationem impetrat.
IV. Socios ad omnes Christi nomen profitentes populos, dimittit.
V. Origo nominis Iesuitarum.
VI. Ex eorum Societate omnis ambitio exclusa.

CAPUT III.

I. Iesuitæ in Germaniam veniunt.
II. Romanorum Pontificum in salute hominum promovenda Providentia.
III. Quibus artibus Iesuitæ juventutem imbuant, & informent.
IV. Magnus Societatis Iesu Collegiorum in Germania numerus.
V. Nec non in Polonia & alijs locis.
VI. Societas Iesu per universum Mundum dispersa.

CAPUT IV.

I. Hæresis non caput aut jugulum Ecclesiæ, sed ea tantum membra ubi minus periculi, invasit.
II. Italia ab hæresi immunis.
III. Quibus contra eam remedijs usa.
IV. Italia religionis & sanctitatis mater. Hæreticorum in eam calumniæ diluuntur.
V. Quanta pietate & devotione, Romæ præsertim, ibi vivatur
VI. Clementis VIII. Pontificis sancta vita.

CAPUT V.

I. Caroli V. Imperatoris consilia & conatus.
II. Oratio qua ad proceres belgij usus est.
III. Philippus II. paternas ditiones regendas capessit;
IV. Caroli V. Imperatoris secessus.
V. Eius religio & devotio.
VI. Alia insignes virtutes.

CAPUT VI.

I. Hispania tribus rebus ab hæresi præservata.
II. Fraternitates religiosæ.
III. Cruciata: eius institutio, ordo, & proventus.
IV. Inquisitio, & ad quid instituta.
V. Inquisitio in Gallijs ob hæreticorum crudelitatem, eiusque necessitas.
VI. Inquisitio Hispanica quæ crimina puniat: Pontius Leo cur condemnatus. Casallo ante supplicium, ad Catholicam fidem conversus.

CAPUT VII.

I. Lutherani è Colloquio VVormatiensi turpiter discedunt.
II. Miraculum Augustæ Vindelicorum factum.
III. Maximilianus Ferdinando Imperatori succedit.
IV. Protestantes de auxilijs contra Turcam sollicitat, qui tergiversantur.

CAPUT VIII.

I. Pace inter principes facta, calamo inter doctos dimicatur.
II. Quid Calvinus de Luthero senserit & dixerit.
III. Faceta Narratio de Quodam qui nullibi repertis eiusdem religionis socijs, ad Catholicam Ecclesiam redijt.
IV. Colloquium Naumburgense.
V. Brema religio mutata & Calvinismus sensim introductus.

CAPUT IX.

I. Lex in Germania, ut subditus Principis religionem sequatur.
II. Beza Caluini jussu ad Comitem Palatinum proficiscitur, & fictam de Cœna Domini confessionem edit.
III. Comes Palatinus abdicato Lutheranismo Caluinismum amplectitur.
IV. Ejus filius & successor Ludovicus, Caluinismo profligato, Lutheranismum reducit.
V. Iohannes Casimirus administrator & tutor Friderici, patris in Electoratu successoris, Lutheranis ejectis, Caluinisticam religionem restituit.
VI. Scholares Lutheranismo addicti, discedunt.

CAPUT X.

I. Lutherani multorum librorum scriptores.

II. Con-

II. *Conventus & Colloquia religionis ergo vbi & quando celebrata.*
III. *Bucerus Zuinglianismo nuncium remittit.*
IV. *Conventus Ratisbonensis.*
V. *Colloquium Maulbrunnense, in quo Vbiquitatem Brentius defendit.*
VI. *Colloquium Mompelgardense.*

CAPUT. XI.

I. *Dux Wirtenbergicus novam Fidei formulam conscribi jubet.*
II. *Eius auctor Iacobus Andreæ, vulgo* Schmidlein.
III. *Eam circumfert, ab alijs receptam, ab alijs explosam.*
IV. *Augustus Saxoniæ Elector Concordiæ librum approbat: quem Iacobus Andreæ Constantinopolim ad Patriarcham mittit.*
V. *Iacobus Andreæ Lutheri filio Medico comitatus VVitembergam proficiscitur, in magnum ibi periculum conjectus.*
VI. *Concordiæ liber ab Augusto Saxoniæ Electore receptus, à Christiano eius filio Calvinismum amplexo, reprobatur.*
VII. *Mortuo Christiano, Calvinismus è Saxonia proscribitur, Lutheranismus rursum stabilitur.*
VIII. *Caluinistæ Saxonia eijciuntur. Aquisgrani religio mutatur.*

CAPUT. XII.

I. *Argumentum huius capitis, quod est de diversis Lutheranorum Ceremonijs.*
II. *Lutherus complures Catholicæ Ecclesiæ ceremonias retinuit.*
III. *Lutheranorum quorundam templa eandem fere speciem & apparatum habent quem Catholicorum.*
IV. *Apud Lutheranos Episcoporum & sacerdotum nomina mutata.*
V. *Interimistæ quibus ritibus Missam celebrent.*
VI. *Lutheranorum quidam sacræ hostiæ elevationem admittere voluerunt.*
VII. *Eodem fere vestitu & ornatu Missam celebrant.*
VIII. *Quomodo cœnam distribuant.*
IX. *Forma Missæ quæ ab Augustana Confessioni addictis celebratur.*
X. *Modus Communicandi & Confitendi apud eosdem.*
XI. *Elegans ceremonia in oppido quodam Marchionatus Brandeburgici, præsente Galliarum regis Legato, vsurpata.*
XII. *Lutherani dies festos, veteres Baptismi & Matrimonij ceremonias observãt, & à cibis prohibitis abstinent.*
XIII. *De communi templorum, vbi Lutherani rerum potiuntur, vsu.*
XIV. *Lutherani Ministri, quos* Pfarrherrn *&* Helffer *appellant, vestitu à laicis diverso utuntur; & profanum Calvinistarum habitum damnant.*

CAPUT. XIII.

I. *Iniuriam facere eos Germaniæ qui totam Lutheranam appellant.*
II. *Ex ea reliquæ hæreses & secta proscriptæ.*
III. *Impostura Calvinistarum, Germaniam à suis partibus stare affirmantium.*
IV. *Reipublicæ & Statuum in Germania divisio.*
V. *Mos seu lex, de subditis in religione continendis.*

CAPUT. XIV.

I. *Archiepiscopi Colonienses in Germania auctoritas & vires.*
II. *Truchsesius Agnetem Mansfeldensem deperit.*
III. *Eorum amores diuulgantur.*
IV. *Femina causa religionem deserit.*
V. *A Gregorio XIII. PP. excommunicatus & depositus, Archiepiscopatum armis recuperare tentat.*
VI. *In eius locum novus Archiepiscopus è Bavarorum Principum familia surrogatur Ernestus.*

QVINAM PRIMI HÆRESEOS ET HÆRETICORVM conatibus sese opposuerint.

CAPUT I.

I. *Lutheri hæresi multi Catholici è somno quasi excitantur.*
II. *Quinam ex ijs fuerint præcipui.*
III. *Admirabilis Dei erga Ecclesiam Providentia.*
IV. *Quomodo Sathanas spe sua frustratus sit.*
V. *Multi à Lutheranæ hæreseos contagione præservantur.*

I. OMNES illi divinæ justitiæ adversus Prælatorum quorundam hypocrisin vel socordiam ac populi impietatem exsequutores; omnes, inquam, Lutherani, Zvvingliani, Anabaptistæ, Schvvenckfeldiani & ceteri id genus sectarij, à quibus tot populos seductos, & Christianitatem per septentrionem pene eversam, in superioribus libris vidimus quamvis extrema omnia conati essent, tandē tamen ab Ecclesia, contra quam ne Inferorum quidem portæ prævalebunt, repulsi ac victi discesserunt, & *ruinas* (a) ab se factas, quamtum fieri potuit Novi orbis ad fidem Catholicam accessione uberrima ad Orientem & Occidentem & Austrum, imo in ipso Septentrione *restauratas* viderunt. Ut namque cœlum numquam ita vaporibus ac nubibus tegitur quin splendor ejus aliunde se ostendat: sic tot præclara Ecclesiæ lumina fanaticorum ingeniorum opinionibus & commentis ita obscurari non potuerunt, quin ijs etiam in locis ubi tenebricosa regnabat hæresis, radijs suis alios percelleret, alios a diverticulis ad rectam semitam reduceret, alios denique languentes recrearent. Quumque res eo jam pæne redijsset, ut victrici hæresi Ecclesia, sola humilitate armata, succubitura videretur; plures tanquam classico è profundo somno exciti, ei auxilio accurrerunt, contra Lutherum, Carolstadium, Melanchthonem, Munzerum, Zvvinglium, & alios ad Ecclesiæ perniciem natos homines, acerrima susceptā dimicatione, vocatisque in subsidium Cyprianis, Irenæis, Tertullianis, Hieronymis, Augustinis &c. Quorum copijs novorum Evangelistarum manipulos ita profligarunt, ut magna Germaniæ pars salutem eis suam debeat: Et verum esse agnoscatur, *non esse consilium contra Dominum* (b) frustra diabolus ei se opponit, quod in cœlo est decretum.

II. Inter hos præcipui æque æterna memoria digni sunt Cardinales, Thomas de Vio seu Cajetanus, Hosius, Polus, Gropperus, Georgius Saxoniæ Princeps, Joannes Eccius Canonicus Ingolstadiensis, Hieronymus Emserus, Ambrosius Catharinus, Marinus Carraciolus, Cancellarius Badensis, Joannes Fischerus, Jodocus Clichthoveus, Joannes Dietenbergerus, Joannes Cochlæus, & alij tam virtute quam doctrina præstantissimi viri, quos supra in primis ordinibus velut antesignanos vidisti, & infra quoque videbis. Et quemadmodum Deus hominum conatus quantumvis exiguos adjuvat; sic etiam eorum laboribus, qui antiquæ conservandæ pietati, & profligandis, quæ totam Christianam Rempublicam pessundaturæ videbantur, Novitatibus, incubuerunt, mirum in modum benedixit. Utrum literatissimum Erasmum in illorum numero ponere debeam, dubius animi hæreo, ut qui, si non in Catholica fide aliquo modo vacillavit certe, inter personas hujus vel illius religionis anceps incesserit. Nam etsi acrem omnium Sectariorum inimicum fuisse constat; plerique tamen ipsius auctoritate ad errores suos defendendos usi sunt. (c) Sic Antitrinitarij in libro quodam ad Hungariæ Regem, cum Serveto ipsorum Prophera eum sensisse asserunt; & Picardi suarum eum partium faciunt, ut in Lasitij Apologia legere est, eo fortè quod Apocalipsin è Canonicorum librorum numero rejecerit, & testimonium illud quod D. Joanes in prima sua Epistola SS. Trinitati reddit, expunxerit. Illud quidem certum est, in plerisque eum scriptis Ecclesiasticos Satyrice incessere, sic, ut usque ad annum M D X X I X. Lutheri rebellioni favisse videatur. Unde Proverbium illud, cujus primo libro memini, *Aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat.* Ab Ecclesiæ tamen unione numquā seplane separavit: cæteri professi hæresin, ut ac tandem re ipsa ostendit, contra privatorum quorundam vitia, non vero contra Ecclesiam aut ipsius dignitatem à se quamvis scientiæ persuasione, modestiæ limites aliquantum transgresso, calamum fuisse strictum. Scite Scaliger, *Magnus*, inquit, *futurus Erasmus, si minor esse voluisset.* E quo (ut Manlius è Melanchthone auditum scribit) quum post Imperatoris coronationem Saxoniæ Dux Fridericus quæsijsset, *quid miser ille suus monachus* (Lutherum intelligens) *commisisset ut omnium fere odia experiretur, respondisse ajunt: Id unum, quod Papæ coronam, & mitras Episcopis detrahere, ac Monachis ceterisque Ecclesiasticis ollam evertere conaretur.* Verum utut sit, Erasmus certè longe aliter postea de Luthero sensit, quem pessimi & infelicis Schismatis auctorem esse sero sapiens aperte profitebatur

(a) *Ps.* 109. (b) *Prov.* 21. 30. (c) *Vid. Natal., Marian. Victor. & Ruar Cenomanum.*

batur. Quia vero non ea qua par erat prudentia & animi moderatione antea usus est, apud multos præstantissimos scriptores nomen ipsius infamiæ quadam nota aspersum videmus. *Sic factem parvus navus defædat honestam.*

Illud tamen fatendum est, ipsius exemplo & auctoritate multos fuisse cohibitos quominus Lutheri & Zvvinglij hæreses sequerentur, quum viderent eum hujus præcipuè somniatoris, & Achatis ipsius Oecolampadij odio, Basilea Friburgum, quæ civitas semper in Ecclesiæ obedientia permanserat, commigrasse. Dolendum sane est, morte præventum nec Retractationum libros, nec scripta sua contra Bucerum, quem capitaliter oderat, edere potuisse, quamvis ut id faceret à Thoma Moro sæpius fuerit admonitus. Sed audi ejus protestationem omnium oculis expositam, qua Lutheranæ hæreseos maculam coram abstergit. *Ego*, inquit, *Jesum Christum cognosco. Lutherum non cognosco, sed Ecclesiam agnosco. Illud pro certo habe, quisquis es, Lector quidquid Romanæ Sedi adversatur, Erasmi non esse.* Ipse quidem in scriptis suis passim quam sæpe Lutherum insectatur! per ludibrium eum rogans utrum Christus esset; & à quo protestatem illam sacros libros ita truncandi acceperit. Magnum hunc virum Lutherani in suorum numero ponunt. Zvvingliani vicissim suum esse contendunt. Utrique falso. Audiamus, quæso, quid ipse in epistola ad Helvetios, contra libellum falso inscriptum, *Doctissimi Erasmi Roterodami, & Martini Lutheri opinio de Cœna Domini*, de se protestatur. *Ego*, inquit, *nescio utrum in libro illo plus fatuitatis aut malitiæ sit. Sed ne ulla sub nominis mei umbra anima seducatur, illud coram toto Mundo protestor, non recusare me quin princeps hereticorum habear, si in omnibus meis scriptis, quorum plura edidi, unum verbum reperiatur, quo evinci possit, me de Eucharistiæ Sacramento aliter sentire quam Ecclesia Catholica hactenus senserit: simulque coram Deo protestor, me à fide universalis Ecclesiæ numquam deflexisse. Si quid aliis revelatum est, ipsi viderint.* Idem ad Malanchthonem scribens. *Quis hos*, inquit, *possit reprimere, qui neque summo Pontifici, nec Principi, nec magistratui, nec suo ipsorum Luthero dicto sunt audientes? Evangelio ajunt se credere: sed ipsi volunt esse interpretes. Et tolerari fortasse hoc posset, si ut ab antiquitate sese separarunt, sic in novitatibus suis concordes essent.* Hæc de Erasmo eam ob caussam hic repetenda existimavi, quod rari & Sæculo suo hic primarij viri memoriam & existimationem à quibusdam traduci animadverterim, quamvis nec Lutheranus ille, multominus è sacramentariorum numero umquam fuerit. Ut vero initio D. Semper Virginis honori non æquus admodum existimatus fuit, (a) ita postea singulari eam devotione coluit, facto Lauretanæ Virgini voto, hymnisque ac canticis in ejus laudem compositis, ut & Liturgia, ab Archiepiscopo Vesontino approbata, & sermone in ejus laudem valde eleganti. Versibus etiam idem Genovevam Parisiensium Divam tutelarem celebravit, cujus intercessione à febri fuerat liberatus. Beza illustrium hominum, eorum præsertim qui de hæresi bene senserant, effigies & elogia scribere aggressus, fatetur quum in Erasmi incidisset effigiem, de tabula manum tollere voluisse, eo quod ille superstitiones ridere contentus, religionem apertè professus non esset, sed malæ caussæ defensionem susscipere maluisset. (b)

III. Magna semper ac præcipue hoc tempore fuit Dei erga Ecclesiam suam providentia, major etiam bonitas. Quum enim illa à præcipitio jam parum abesset, per septentrionem ecce is qui hominum judicia plerumque fallit, misericordia motus auxiliatrices ei manus porrigit, & non multo post pristinum vigorem reddit. Et sicut *Deus malum numquam permittit, nisi ut bonum inde eliciat.* (c) sic hac Lutheri rebellione plures ille in obedientia confirmavit & loco paucorum hominum, locis infinitas & multitudine innumerabiles populos ad Ecclesiam suam aggregavit: fugatis quæ tum in multis Ecclesiæ officiarijs crassæ admodum erant, ignorantiæ tenebris, artium ac scientiarum lumen reduxit, adeo ut ipsi jam cœli ad inspicienda eorum mirabilia aperti videantur, ac verè dicere possimus, *per eos qui mortē nobis machinabantur, vitam nobis redditam.* (d) Et sicut olim nisi Arrius & Nestorius extitissent, nunquam S. Incarnationis mysteria tam clare fuissent explicata per Symbola Nicænum, Athanasij, Constantinopolitanum, Ephesinum &c. (e) sic nisi Lutherus prodjisset, plures articuli, ac præcipue qui est de Ecclesia, SS. Communione, Sacramentis, & eximie inter alia de augustissimo altaris Sacramento, tenebris adhuc involuti essent quæ jam ita dispulsæ sunt ut detracto velo ipsa caro nuda, ut sic dicā appareat. Jam Ecclesiæ Catholicæ pulchritudo in summo consistit fastigio, nec ullam in doctrina umbram de se jacit, non plus quam sol in Zenith constitutus, in urbe Sione. Oēs Catholicæ Fidei articuli ita jam explanati sunt, ut si diabolus vel crissam velcaudā paulluluū umquā movere cœperit, semper in stupendis nostri ęcuſi

(a) *Vid. Pontan. & Possevin. in Aparatu. Canisi. in Mariali.* (b) *Vide Bezæ Icones.* (c) *Augustinus* (d) v. *Cor.* 13. (e) *Vide Tomos Conciliorum, Surij, Mercatoris, Binij &c.*

scriptis *illud semen reperturus sit, quod caput ei sit contriturum* (a)

IV. Sicut ex malis moribus bonæ nascuntur leges; sic hæresibus Catholicæ veritatis dogmata stabiliuntur, & clare apparet esse illa dogmata æterna, & super æterno principio fundata. Antiquus ille hostis religionem Christianam funditus delere cogitabat; sed toto erravit cœlo, tot Novi Mundi populis ad eam tunc primum adjunctis. Et quemadmodum Syracusis aer nunquam ita nebulosus esse fertur quin solis radij semel aut iterum videantur: sic *Ecclesia Catholica* frustra *tenebrarum Principe* (b) ejusque satellite sive stella de cœlis decidua Luthero se se cum fumo suo abyssali interponentibus, *agnata sibi & nativa claritatis radios quam late patet mundus, de se spargere numquam cessavit.* (c) *Et sicut aurum igne* mollitur, non frangitur; purgatur, non consumitur, uti nec usu: *sic Ecclesia omnibus illis persequutionibus & hæreseon incendijs multo pulchrior emersit,* (d) quam temporis ei affricuerat longinquitas, detersa rubigine. Jam diabolus totam Germaniam *reti suo* inclusam habere se putabat; *sed eo rupto,* (e) major pars evasit.

V. Horum aliqui piscem, quem Glanum Latini vocant, imitati sunt. ut enim hic hamo inverso admorso & cibo degustato, salvus abit: sic illi extremis labris percepto Lutheranæ doctrinæ gustu, ubi sub ea nihil nisi meram, quidquid lubet faciendi, licentiam, & earum rerum quæ tot jam sæculis in honore fuerunt, contemtum latere deprehenderunt, (f) ab ea abstinendum sibi rati, quamprimum refugerunt. Alij devoratis esca & hamo, Scolopendræ exemplo, omnia intranea quoque evomuerunt donec hamum egessissent; ijscilicet qui pro salutis via perditionis semitam ingressos se, adeoque jam ad præcipitium perveniße animadvertentes, uti Wicelij, Staphili &c. tandem errore agnito & abjecto, ad mentem & Catholicæ Ecclesiæ unitatem redierunt. Soli fere illi quorum Deus venter est, quique forte seminam aliquam miseram incestarunt, firmiter apostasiæ adhæresciunt, fæx hominum & opprobrium Mundi; sive ut S. Joan. loquitur in Apocalypsi sua (g) *Homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.*

VI. Germaniam quidam totam Lutheranam appellant. Quam recte, infra dicetur. Ut enim in præcedentibus 4 libris Hæreseos in ea ortum & mirabiles, velut nobilissima & amplissima provincia in triumphum ducta progressus ostendimus; sic in sequentibus ejusdem decrementa ac ruinam, quæ sensim appropinquat, exponemus. Nam veluti torrens momento temporis excrescit, & alveo egressus, impetu suo obvia quæque abripit, paullatim dein pluvia cessante subsidet, & rarescentibus aquis alveum fere siccum relinquit: sic hæresis postquam ad summum pervenit fastigium, paullatim jam descendere & ad interitum vergere incipit; cum prædictum sit loco citato Apocal. istas Locustas non nisi mensibus quinque annorum scilicet cruciaturas Ecclesiam, quod tempus ad Annũ 1667. fere pertingit, sic ut non solum sperare, sed certo statuere debeamus, Catholicam Ecclesiam, *veterem illam & gloriosam Bellatricem*: (h) uti alibi à nobis appellatur, plenas de hostibus suis victorias tandem reportaturam, adeoque multo majores vires post assultum hunc recollecturam. Quod si quæ restant adhuc reliquiæ, commiseremur potius quam metuamus. Ipsi Lutherani instantem suæ doctrinæ interitum hariolantur, ac præcipue is qui Lutheranissimi Restaurator fuit. Sed videamus jam cœlitus missa ad destruendam hæresin auxilia.

(a) *Gen.* 3. (b) *Ephes.* 6. 12. (c) *Matth.* 5. 14. (d) 1. *Pet.* 1. 7. (e) *Ps.* 115. 16 (f) *Ulenberg in Vita Luth. Passim. & Luth. ipse in Captiv. Babylon. & libert. Christiana &c.* (g) *cap.* 9. (h) *Cantic.* 9.

ORIGO SOCIETATIS JESU, firmissimi contra hæreses valli.

Caput Secundum.

ARGUMENTUM.

I. *Deus malo bonum opponit.*
II. *De Ignatio Lojola, Societatis Jesu Auctore.*
III. *Is Romam profectus, multis superatis difficultatibus, Societatis suæ confirmationem impetrat.*
IV. *Socios ad omnes Christi nomen profitentes populos dimittit.*
V. *Origo nominis Jesuitarum.*
VI. *Ex eorum Societate omnis ambitio exclusa.*

I. QUemadmodum Natura communis hominum parens, & cui etiam minima vitæ nostræ momenta curæ sunt, serpentes è cavernis suis, ubi hyemis asperitas mille nodis contortos & implicatos eos continuit, ante prorepere non patitur quam fraxinus eis inimicissima florere incipiat, ut contra venenatos morsus antidotum inde nobis parare queamus; nec prius ejusdem arboris florem decutit quam illi jam in latibula sua se absconderint: (a) sic Naturæ auctor, & Pater communis, nihil magis quam hominum salutem desiderans, numquam ab infernali

sede

(a) *Gesnerus, Aldrovandus, Plinius &c.*

sede hæresin ad inficiendam terram erumpere permisit, quin eodem tempore salubrem aliquam plantam produxerit, cujus succo contra pestiferum ejus venenum uti ac præservare nos possimus. Sed apertius, & sine metaphora loquamur. In eo admirabilis Dei providentia elucet, quod quanto hæreses magis invaluerunt, tanto fortiores Antagonistas excitavit contra Albigenses, (a) *quorum reliquiæ adhuc extant*, Deus beatum illud par S. Dominicum & S. Franciscum misit, utrumque magnum magnæ religiosæ familiæ conditorem, quorum ope & ægrotæ animæ sanarentur, & ceteræ à contagione præservarentur. Certe omnes auctores unanimi consensu prodiderunt, à duobus his Christianitatem ab interitu vindicatam. *Deus* ajunt, *voluit, ut sub Innocentio innocens nasceretur, qui sponsæ suæ innocentiam defenderet*: Et alius qui ab illorum ævo non procul abfuit, ac ipse nihil aut parum religionis habuit, *Nisi Christiana religio*, inquit, *à S. Francisco aut S. Dominico in pristinam integritatem fuisset restituta, jam dudum plane esset exstincta.* Hi enim duo paupertate & vitæ Jesu Christi imitatione, eam cordibus hominum rursus insculpserunt, in quibus omnino fuerat obliterata. *Duo hi pauperes Innocentio Pontifici in visione quadam apparuerunt, D. Joannis Lateranensis Ecclesiam, quam in somnio ille ad ruinam inclinatam viderat, manibus suis sustentantes.*

Sic eo tempore quo Manichæorum & Pelagianorum hæresis Mundum tenebris involvit, à Deo præclara illa Ecclesiæ lumina accensa sunt, S. Ambrosius & S. Augustinus, qui errantibus facem præluerent, & Ecclesiam perpetuo lumine illustrarent. Sic idem B. Cyrillum Nestorio, B. Hieronymum Joviniano, S. Athanasium, S. Basilium, utrumque Gregorium, in Oriente; in Occidente S. Sylvestrum, S. Martinum, S. Hilarium Arrio ejusque sectatoribus, qui magnam Regum, Principum & Episcoporum partem laqueis suis irretierant, opposuit. Hi cœlitus tum missi Aesculapij languenti atque adeo animam agenti Catholicæ Ecclesiæ salutare pharmacum propinarunt, ac salutem restituerunt. Eodem plane modo eo tempore quo Lutherus abjecto cucullo ex optimo genere hominum nempe Religiosorum ordine decidens, ut stella non se tantum, sed alios quoque contra Deum & Ecclesiam armavit; Deus ex altera parte ex deteriore hominum genere nempe militari hominem excitavit, qui deposito sago, religiosum habitum assumeret. Hic ille est quem sub nominis Jesu vexillo Deus obsessæ suæ civitati in subsidium misit, ut eam non solum ab insidijs & stratagematis hostium contraque eorum dem assultus defenderet, verumetiam in hostes ultro irrueret, machinas eorum corrumperet, propugnacula dejiceret, cuniculos everteret, hostibusque depulsis profugos intra muros Ecclesiæ ab eis desertos reduceret, & ex persequutoribus defensores, ex hostibus redderet cives.

Hoc feliciter præstitit Ignatius Loiola, tam nobilis & validi exercitus, qui per totum terrarum orbem in manipulos dispersus, sub Jesu nominis vexillo hæresi continuum bellum facit, & Christianum nomen ad extremos usque terræ limites profert, dux & primus imperator. Anno MDXXI. Lutherus D. Petri Sedi & Vicario Wormatiæ sese tandem resolvit publicè coram Imperij Consessu maximo quod hæresim amplecteretur, dicens se *nulli Concilio acquiescere vel Papæ nisi Solis scripturis.* (b) Ibi igitur post minores prolusiones contra Ecclesiam ei nefarium bellum indixit ac paulo post mense junio cum dæmone, ut ipse scribit (c) congressus ei cedens fassus est non esse Sacerdotium nec sacrificium in Ecclesia Christi eodem anno Ignatius mense junio Francorum tormentis Pampilonæ verberatus vulneratusque in lectum doloris dejicitur, & lectis de imitatione Christi: & S S. libellis conversus ad meliorem vitam, S. Petrum tamquam patronum & præcipue venerari cœpit & experiri. Ille D. Petri Vicarium invidiæ suæ atramento fœdum in modum deformabat; hic eximio carmine seu cantico divinas eius laudes exornabat quod quidem Ignatij primum omnium fuit opus: omitto cætera ex vita Lutheri & Ignatij acta actis opponere, velut opus grande illud solum innuo, quod hoc divinæ tam sapientiæ quam omnipotentiæ non vulgare sit opus, quod in hac immensa mundi familia inimicas sibique mutuo infensas creaturas nasci vult, ita tamen, ut si opus, ab una contra alteram remedium petatur ad hominis utilitatem, & divinæ gloriæ manifestationem. Sic videmus *Lutheranorum factionem & Iesu societatem* uno fere eodemque tempore exstitisse, finibus plane contrarijs: illos ad devastandam; hanc ad defendendam & amplicandam Ecclesiam. Et utrique in una quidem, sed contratijs plane radicibus prognati familia, fructus etiam plane diversos ac contrarios pepererunt. Societatem illam quis non dicet *auxiliarem esse manum è cœlo contra novum Senacharibum submissam*? quam etiam firmiter sperandum

(a) *Vita S. Dominici. Annal. Eccles.* (b) *Vlenberg Via Luth. Cap. 6. num. 3. Bzovius in Annal. Surius &c.* (c) *Lib. de missu Angulari Serarius de Magistro Lutheri &c.*

dum est, non prius defecturam, quam omnes hæreses sint exstinctæ. Divinitus ad hoc missa est hæc Societas, ut Mundo felicitatem, Ecclesiæ salutem, sibi gloriam pareret & adferret. Sed primam ejus originem inspiciamus, initio, ut omnia, exiguam, sed quæ paucis annis per totum ferè terrarum orbem diffusa est, & sua magnitudine (quod absque injuria cæterarum dictum velim, ut quæ & ipsæ suum quoddam fatum & tempus habuerunt, atque etiam honorabilem suum quæque tenent in Ecclesia locum) omnes religiosorum familias sive Ordines, qui umquam in Christianitate fuerunt, superavit.

V. Ignatius Loiola, Societatis huius auctor atque institutor, nobili loco natus est A. 1492. memorabili rebus mirabilibus natura insitam animi generositatem nactus in ea Hispaniæ seu Cantabriæ parte quæ Guipuscoa vulgo vel Provincia dicitur. Puerili ætate transacta, in aulam Ferdinandi Regis à parentibus missus, sic inter delicias Mundi versatus est, ut omnium quæ ætas illa & vitæ consuetudo fert, vitiorum impetum fortiter perferret, neque vel transversum unguem abripi se pateretur ad viles res, sed in omnibus certissimas innatæ virtutis & pietatis notas præ se ferens, iam tum magnum quid & singulare promittere videbatur. Solet enim Deus eos quorum opera ad rem quampiam insignem usurus est, mature divina sua gratia illustrare, & deinde per omnem vitam deducere ac comitari. Et in hac quidem schola non effeminatus aulicus, sed fortis miles evasit; cujus virtutis specimen mox edidit. Vix enim per ætatem armis ferendis idoneus. Pompeiopolim à Gallis obsessam fortissimè propugnavit, suoque exemplo ceteros militiæ præfectos iam deditionem facere cogitantes, ad fortiter sustinendam impressionem animavit, donec ænea pila crus eius dextrum confregit, sinistrum lapis muro excussus læsit.

Ignatio prostrato, reliqui eius casu perterriti tanto facilius ad deditionem faciendam sunt inducti. Galli vero Ignatium humiliter habitum, non multo post ad suos dimiserunt. Interea quum in lecto partem anni iaceret, esset que in profanis libris legendis auidus ad doloris oblivionem iussit sibi aliquem eiusmodi librum dari cuius lectione tempus falleret. Quum alii ad manum non essent, puer boni cuiusdam Angeli instinctu duos ei porrigit, quorum alter Christi Salvatoris alter Sanctorum vitas continebat. His ille legendis, Dei in creaturis admirabilia opera, quæ mira quadam varietate ibi depicta videntur, contemplatus, & eorum qui Mundi vanitatibus dediti, perpetuis curarum fluctibus agitantur, infelicitatem considerans, vitam commutare, & relicto sæculo, cœlo se devovere constituit. Ex quo apparet, brevem calamitatem nonnunquam perpetuæ cuidam felicitati viam sternere aditumque aperire. Simili inspiratione duo Imperatoris Theodosij Nobiles aulici, S. Antonij vitam legendo, è Mundi militibus, Jesu Christi milites facti sunt, & relicta aula, in solitudinem, ut liberius Deo ejusque cultui vacare possent, se contulerunt. Ignatius sancta hac inspiratione quam libri illius lectio pepererat, diu noctuque agitatus, quam primum è vulnere convaluit, Mundi jam pertæsus, quem tamen vixdum xxx. annos tantum natus salutaverat, amicos invisendi prætextu, *de domo (a) & cognatione sua, adeoque de seipso egressus est.* Anno 1522. initio veris & rectà Montem Serratum, aptissimum devotioni & miraculis valdè celebrem locum, profectus, dimissis in itinere duobus famulis, ne quem vitæ suæ austeræ præter Deum haberet testem, E via mendicum pannosumque hominem adit, suas vestes sibi detractas illi dono dat, ipse vero optato illo suo vestitu, quem ante sibi paraverat, induitur, gladium vero & pugionem ante aram beatissimæ Virginis appendi jubet; deinde noctem illam ante aram procumbens, insomnem traducit. Sic novus Jesu Christi miles cilicio indutus, cineribus conspersus, jejunijs & vigilijs confectus ad religiosam peregrinationem se præparabat, Dei opem assidue implorans, interea dum furiosus Lutherus longe diversa agit tantum à Deo recedendo quantum ille accedebat. Siquidem eodem plane Anno & mense quo Ignatius de sæculo exijt Manresanum in secessum sanctum, Lutherus à suo Alstetensi seu Wartbergensij Patrono redijt Wittebergam ad operanda mala quæ deinde gessit. Ex Hispania Ignatius in Italiam profectus est. Anno 1523. stipem mendicans, & pane & aqua vitam tolerans, & sub dio ferè humi cubans: sicque Romam tandem pervenit, sacra urbis loca obivit benedictionem que summi Pontificis reverenter accepit. Inde capto jam ante Hierosolymas navigandi, sanctum que Salvatoris Sepulchrum visitandi consilio, Venetias venit: ubi dum moraretur, navigandi commoditatem exspectans, in platea nudus quidem vestibus & algens, sed preciosissimis virtutibus ornatus, & ardentissimo Dei amore flagrans, noctes agebat: adeo ut ex Senatorio ordine quidam Marcus Antonius Trivisanus nomine, ad Ducalem postea dignitatem evectus, noctu domi suæ quum esset excitari se repente hujusmodi vocibus senserit: *Tune ferre potes, ut mollibus vestitus domi tua sis, & servus meus*

(a) *Gen.* xx.

meus seminudus in porticu jacentem in lecto precioso suaviter dormias, ille dura cubet humo? Visione hac stupefactus surgit statim Senator, & per incerta vagatus, tandem Ignatium cubantē offendit, frigore pœne enectū domū perducit, & liberaliter tractat.

Venetiis Ignatius in Palæstinam sive Terram sanctam navigavit, cum proposito totius ibi vitæ suæ cursum exigendi, & peregrinorum qui eo ex omnibus Mundi partibus religionis ergo confluunt, servitiis immoriendi. Sed quemadmodum boni odores etiam è laceris centonibus spirant: sic Franciscanorum præfectus, pulcram & sanctam quandam animam sub tenui illo corpusculo, & vili habitu latentem facilè deprehendit, Animadversa ergo in tam juvenili ætate matura quadam & senili prudentia, tum præcipue insigni quadam pietate & numinis reverentia, Ignatio suasit ut in Hispaniam reverteretur, animumque bonis discendis litteris applicaret, quarum imperitiam ajebat vivi esse hominis sepulturam. Et sicut aliàs divinæ illæ inspirationes consilia & actiones nostras ad ea dirigunt, quæ ad Dei honorem nostramque salutem promovendam pertinent; sic huic consilio locum dans Ignatius, in patriam est reversus, ac litterarum studiis sese dedidit, brevique inde magna sibi ad Philosophiæ cognitionem adjumenta comparavit. Caput vero omnium ipsius exercitationum erat pietas & religio, quam unà cum studiorum sociis numquam intermittebat. Sed ut umbra corpus, ita invidia virtutem comitari solet. Et innocentia suos quoque persequutores habet inter privatos. Vix innotescere cœperat Ignatius: quum ecce diaboli, magnum hunc suis conatibus adversarium fore jam tum subodorantis, instinctu ab inimicis ad Inquisitionem tanquam hæreseos suspectus defertur. Id crimen etiam tanto magis credibile videbatur, quanto atrocius passim per Lutherum tum introducta exsultabat hæresis, ac quanto major hominum numerus ad Ignatium accurrebat. Verum auditus atque examinatus, innocentiam suam Inquisitoribus facilè probavit, ab iisdem statim absolutus. Nolo hic omnia divino huic viro objecta incommoda recensere, quibus ille coactus ex Hispania in Galliam venit, & ad Parisiensem Academiam Anno M. D. XXVIII. se contulit ubi ille æque sua sancta consilia, ac alii quidam è Germania advecti impias meditationes, maturavit, ut & in hoc antagonismus Ignatii ac Lutheri appareat, si ibi pararetur remedium à Deo, ubi dæmon parabat per apostatas submissos exitium. In hac igitur universitate orbis omnia litterarum ac Philosophiæ exercitia feliciter tractavit, & Theologiam in primis, cui totum se dedicarat, absolvit.

Septem illis annis quibus Lutetiæ operam dedit litteris Ignatius, morum amabilitate, vitæque sanctitate ac innocentia magnam apud omnes non solum benevolentiam, verum etiam admirationem conciliavit; ut qui inter homines divinam quandam vitam ageret, Ecclesias, si quando prodiret, xenodochia, carceres visitabat, ægris serviens, afflictos & captivos consolans. Divitiæ ejus omnes & supellex erant cilicium & flagellum; deliciæ, librorum sacrorum lectio; epulæ frequens S. Eucharistiæ communio, qua omnibus diebus festis utebatur; sermones, de virtutum pulcritudine & vitiorum deformitate. Dum hoc modo vitam agit Angelicam, majus aliquid moliri constituit. Ut enim ad militiam nati homines ludicris armorum exercitiis delectantur quidem, at quamprimum ingruit bellum, in serium certamen descendunt, & tam suæ quam suorum saluti invigilant: sic Ignatius, cui hactenus sua tantum salus curæ fuerat, ubi à Lutheri hæresi longe lateque propagata magnum Ecclesiæ vulnus inflictum vidit, tot animarum perditionem miseratus, de remedio aliquo, quo publicæ huic calamitati succurreret, cogitare cœpit. Accedebat Turcarum non auditus modò, sed & à se visus, per iter Jerosolymitanum, Dominatus armis prolatus & serpens ut cancer. Multum quoque eum angebat quod tam frequens esset de Novo Orbe & immensis ejus divitiis sermo, ad quas asportandas totus undique Mundus convolabat, nemine tamen ut miseri illi vera fide imbuti, & ad Christum conversi, æternæ salutis efficerentur participes, curante. His igitur ille curis incensus, sed & ut grassantem Lutheranæ hæreseos vim retunderet, novam Societatem instituere decrevit, quamvis magnæ molis opus id futurum non ignoraret. Electis igitur ex omni amicorum numero novem sociis animo & voluntate sibi concordibus, tam præclarum opus auspicatus est, & ad id perficiendum eosdem socios animavit. O Beatum chorum Novenarium, non novem sororum quas Musas appellant, Mnemosynes filiarum sed novem fratrum, vere divinæ misericordiæ filiorum, sub ductu novi Phœbi, non illo ex Aganippe Poetico furore, sed divino cœlestis spiritus enthusiasmo afflati! [f]

[f] *Vita Ignatii per Ribadeniram Maffeium, Quaremont, Bidermannum, &c. Orlandinum tom. 1 Hist. Soc. Iesu, &c. Bulla Canonizationis S. Ign. per Vrbanum VIII. edita.*

Primi ex his fuerunt Petrus Faber Sabaudus natione, & Franciscus Xaverius Hispanus; hic quidem exquisita scientia vitæque magis admirabili quam imitabili sanctitate conspicuus, & plurimis miraculis postea illustris [a] quæ licet veritatis hostes obscurare connentur, ipsa tamen pro se loquũtur. Et hic quidem initio nimiam Ignatii, uti putabat, devotionem, ridere solitus, tandem tamen, si non superior, par certè evasit. His se adjunxerunt postea *Paschasius Broetus, Ioannes Codurius Galli; Iacobus Laines, Alphonsus Salmeron & Nicolaus Bobadilla Hispani; Claudius Iaius Genevensis, & Rodericus Lusitanus.* Et hi quidem decem è sex diversis Nationibus collecti, decem primi fundamentales fuere lapides, in Franciæ metropoli, quæ post Romam, parem non habet, institutæ hujus Societatis laudem. Decem hi quasi ad Christianæ Reipublicæ salutem pia conjuratione facta, arctissimis sese vinculis mutuo obstrinxerunt, ut propagandæ fidei Catholicæ apud infideles & consequenter Lutheri aliorumque hæreticorum sese opponerent furori. Ut vero Deus *in numero, pondere & mensura omnia disposuit*; sic denarius hic non sine caussa mirabiles res ab hac Societate effectum iri, præsignificasse existimatur. Hic ille est numerus quem Arithmetici primum inter digitos agnoscunt, nempe qui duobus pollice scilicet & indice [b] exprimi necesse habet, cũ minores, denario numeri digitis cæteris tribus exprimantur [c] Eundem denarium sine O figuræ jungere cum aliis aut concludere nequeunt; quo monemur, ut numerus hic nullum alium finem habet quam rotundum illum orbiculum, sic res ab hac Societate gerendas iisdem quibus terrarum orbis spaciis terminatum iri; huncque Decumanum illum fore fluctum, qui Lutheri myoparonem obruturus atque in profundum demersurus sit imo ab Angelo illo Apocalyptico [d] denotatum, qui habebat Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem & tribum & populum. Decem hi Anno M.D.XXXIV. die Assumptioni B. Virginis sacro, ad ædem B. Mariæ quæ Mons Martyrum vulgo dicitur, & ab urbe Lutetia non procul abest, unà omnes convenerunt: ibique ritè confessione facta, & sacra Synaxi percepta, voto sese obstrinxerunt. [e] Antequam vero progrediar, lubet Francisci Montani verba hic adscribere, quibus Lojolam & Lutherum inter se comparat. *Martinus Lutherus,* inquit, *ab Ecclesia ut Ecclesiam oppugnaret; Ignatius Loiola è Mundo ut Mundum oppugnaret, profugit. Vterque ab Ecclesia initio nati, in iisdem visceribus concepti, & ab eodem ventre, uno eodemque ferè tempore tamquam duo gemini, Esau & Iacob prognati. Lutherus velut Esau postquam adolevit, diabolo instigante Ecclesiam turbare aggressus, & magnus venator animarum ad eas perdendas factus est: Ignatius vero tamquam Iacob à Deo Ecclesiæ defensor & propagator, ac verus animarum salvandarum pastor fuit electus. Ille relictis vitæ cœlestis seu contemplativæ deliciis, & religiosa austeritate, carnalibus voluptatibus totum se tradidit, ab jejunio ad epulas, ab humilitate ad vanitatem, à paupertate ad avaritiam, à regula ad dissolutionem desiliens, atque ut omni proculcata obedientia, tanto securius in omnium turpium voluptatum sordibus sese volutare posset, supremo suo capiti bellum nefarium indixit simul & intulit. Hic vero relictis mundi divitiis, honoribus & deliciis, expresso voto, Ecclesiæ capiti & se adjunxit, & ad defensionem Ecclesiæ novum exercitum conscripsit. Lutherus ex Arrii, Manichæi, Donati, & aliorum veterum hæreticorum reliquiis novas contra Deum copias collegit: Ignatius econtra è SS. Ecclesiæ Doctoribus recentem ad Lutherum ejusque sequaces internecione delendos exercitum confecit. Lutherus Mundum flagitiis replere, & bonas è Religiosarum familiarum hortis plantas radicitus exstirpare studuit: Ignatius vero universale velut omnium virtutum seminarium & pulcerrimum religiosæ vitæ exemplar instituit ac posteris reliquit.*

Porro Ignatius ille, postquam adjuncta ipsi fuit exigua fratrum aliquot chorus,

Parva quidem numero, sed bello vivida virtus,

in Italiam, atque inde in Palæstinam proficiscendi consilium cepit, designato ubi convenirent, sociis loco, nimirum Venetiis, & Fabro ætate & vocatione inter eos priore reliquis per suam absentiam præesse jusso. Vide hic Lector hunc Fabrum, is enim est qui vitæ & doctrinæ suæ malleo hæresin per Germaniam per sibi junctos deinde Lovanii ac Coloniæ fortissimè contrivit; interea dum alius in Gallia Faber ex infernalis Vulcani officina progressus, socios suos Cyclopas contra Ecclesiam armat, ut infra suo loco videbis. Antequam vero Italiam peteret, Ignatius in Hispaniam rediit, ut parentibus ac patriæ extra Europam abiturus valediceret, & sociorum quædam negotia curaret, quacumque iter

[a] *Vita S. Fran. Xaverii per Tursellinum Masseum &c. Indica Historia, Bulla Canonizationis ejus. Tomus* 1. *Hist. Soc. Iesu. &c.* [b] *Sap.* 11. 21. [c] *Vide Bedam de Indigitatione &c.* [d] *Apoc.* 14. [e] *Hist. Soc. Iesu Tom.* 1. *vita Ignatii. &c.*

irer faceret, aut ubicumque commodos esset auditores nactus, vitiorum fœditatem & virtutum pulchritudinem ostendens, & acerrimos ad pietatem stimulos subjiciens. Ex Hispania inde in Italiam solvens, non sine magnis difficultatibus Venetias pervenit, quo socii ad eum peregrinorum habitu venerunt. Ibi omnes omnia pietatis officia obibāt, pauperibus, & ægrotis inserviendo, & captivos visitando ac consolando. Dum Ignatius itineri in Terram Sanctam necessaria Venetiis præparat, socios Romam mittit, ut sacris locis visitatis, benedictionem à Papa Paullo III. acciperent. Eorum aspectu plurimum exhilaratus Pontifex, ut erat doctorum amans, quos etiam inter prandium aut cœnam disserentes lubenter audiebat, voluit, ut se præsente de quæstione Theologica disputarent. qua in re magnam illi exquisitæ scientiæ & doctrinæ laudem sunt consequuti. Venetias inde reversi, bello inter Christianos & Turcas renovato, res ita impeditas offendunt, ut nulla Hierosolymas proficiscendi votique exsolvendi spes esset. Ne ergo suos ociosos esse sineret Ignatius, per Italiæ urbes eos distribuit; ubi brevi tempore tam vitæ sanctitate, quam singulari juventutem instruendi seu catechizandi dexteritate, magnum sui amorem & admirationem in omnium animis pepererunt, adeo ut magnus quotidie ad eos fieret concursus, insigni cum juventutis emolumento, & incredibili parentum lætitia. Non multo post Ignatius cum Fabro & Laine Romam profectus est, ut à Pontifice Societatis à se institutæ confirmationem impetraret. Hactenus enim ut simplices Sacerdotes vixerāt, sine voto aut regula particulari. In itinere non procul ab urbe templum desertum pro more ingresso Ignatio, ante aram prostrato & ardentius oranti Jesus Christus apparuit, & ad Ignatium conversus, *Ego*, inquit, *Romæ vobis propitius ero.* Hac ille visione mirum in modum recreatus, & in certissimam spem erectus, à Jesu Societati nomen dedit. Ad Pontificem Cardinalis Contareni doctissimi viri opera admissus, vitæ ac Societatis suæ institutum aperuit, nimirum *sub perpetuæ castitatis, paupertatis & obedientiæ voto, Ecclesiæ periculosissimo schismate laboranti, quà possent succurrendi, Evangelium vel extremis terrarum incolis annunciandi, in omnibus denique quæ summus Pontifex jusserit, sine ulla contradictione obediendi.* Verum sicut Romæ nova omnia suspecta sunt, ut quæ solis antiquitatis fundamentis nititur, petitioni eorum Pontifex statim assentiri noluit, sed tribus Cardinalibus eos examinandi ac rem totam discutiendi negocium dedit. Inter hos fuit Bartholomæus Guiditio, magnæ ob eximiam doctrinam & vitæ integritatem apud Pontificem auctoritatis. Hic initio acriter se Ignatii petitioni opposuit dicens, *Religiosarum familiarum multitudinem & diversitatem plus turbæ & confusionis quam utilitatis afferre, easque reformandas potius quæ sint, quam novas formandas esse.* Sed ignatius Deo confisus, & virtuti omnia facilia esse non ignorans, non propterea animum abiecit, sed tanto majori zelo & studio quod instituerat, perficere laboravit. Qua in re dici vix potest, quot ei labores, partim invidia partim ignorantia aliorum, fuerint objecti. Ipse nihilominus auxilia omnia conquirebat, Deum precibus, Pontificem obsecratione, Cardinales sollicitatione defatigabat, ne tam sanctum institutum, quod ille ad Dei honorem & Ecclesiæ salutem ac gloriam suscepisset, rumpi aut impediri paterentur. Revocatis ergo Patavio, Senis, Ferraria, Bononia & aliunde, quo eos miserat, sociis, tantum effecit, ut communi hominum desiderio satisfaciendum ratus Pontifex, ex Cardinalium consilio Societatem hanc assensu suo approbarit & confirmarit, inspecta tum Exercitiorum libello & Regularum, quas illa sibi præscripserat, Synopsi, quam idem Paulus III. æterna memoria dignus in sua bulla inseruit, in hæc verba erumpens: *Spiritus* Dei *hic est.* Quod judicium omnes deinde sequuti. Pontifices, ut & S. Concilium Tridentinum, ratum habuerunt. Confirmatio hæc facta est Anno M. D. XL. die XXVII. Septembris, eo tempore quo nova è Lutherana hæresi enata & matrem supergressa hæresis Genevæ potissimum stabulabatur, ut infra in Franciæ Schismate ostendetur. Initio vero Pontifex sociorum numerum *ad sexaginta restrinxit*, eo consilio ut novum Ordinem probaret prius, quam omnino approbaret, ac deinde pro fructus inde sperati modo, numerum vel minueret vel augeret.

IV. Jacto sub Dei in terris Vicarii auctoritate bono ac solido fundamento, Societati deinde facilius omnia successerunt; adeoque sub tam favorabilibus auspiciis nihil difficile videbatur. Ignatius igitur operi manum admonens, Socios per Italiæ urbes distribuit, ut depravatis moribus medicinam facerent, & ad pietatem omnes erudirent. Et illi quidem per oppida & villas circumeuntes, *vitia reprehendebant, laudabant virtutem, errores confutabant, veritatem stabiliebant, juventutem ac rudes homines, qui non nisi ex consuetudine sacra officia adeunt, instruebant. In foro sæpe, nacti hominum*

minum multitudinem, conscenso scabello aut editori loco, conciones habebant, id unice in oratione sua spectantes ut populum à vitiis absterrerent, & ad virtutes incitarent, magna cum omnium qui zelum & charitatem eorum facile perspiciebant, admiratione. Tum quidem Christianæ pietatis ardor penè refrixerat; quem tamen Ignatius incredibili sermonis ardore rursus accendit, adeo ut impietatis glacies paullatim liquescere, & frigidissimæ multorum animæ divino & cœlesti igne mirum in modum incalescere inciperent: quod omen è nomine ejus quidam singulari dexteritate exsculpserat, invento hoc Angrammatè:

IGNATIUS DE LOIOLA,
O IGNIS A DEO ILLATUS.

Novæ hujus Societatis fama pervulgata, Lusitaniæ Rex, qui tum maximè Christianæ doctrinæ sementem in India facere satagebat, à Goveano viro doctissimo, bonarum litterarum olim Lutetiæ Professore, qui istic agentis Ignatii ac Sociorum virtutem penetrarat, monitus, ex ea idoneos sibi aliquot ad eam provinciam homines mitti petiit, dato ut id à Pontifice impetraret, Petro Maskarenæ Oratori suo, negocio: quod quidem diligèter ille tractavit, plures tamen duobus impetrare non potuit, nimirũ *Franciscum Xaverium Hispanum, & Simonem Rodericum Lusitanum.* Ex his alter, Rodericus scilicet, à Rege in Lusitania retentus fuit, ut ejus opera in instituenda Conimbricensi Academia uteretur: quæ quidem fertilissimum postea fuit seminarium multorum felicissimorum ingeniorum, quibus non vetus tantum, sed Nova quoque Hispania, adeoque utraque India mirificis fructibus repleta atque illustrata; immo ad Persas, Æthiopas, Japonios & Sinenses usque Evangelii lux perlata est. Xaverius summa cum voluntate ad tam amplam messem profectus, infinitas sub altero illo cælo Orientis solis animas Christo lucrifecit: de quo alibi dicendi erit locus. Nos jam novo & Christiano huic Argonautæ, vellus aureum in novam Colchidem, draconibus, tauris ignivomis, & Medæis veneficis refertam, apportanti, ac Crucis trophæum ultra quasi Mundi limites cum immortali nominis sui gloria, statuenti, bene precati, ad propositum redeamus.

V. Mirum est quam magna paucis annis societas hæc sumserit incrementa. Pontifex enim uberrimis qui ex hac Societate in Christianam Rempublicam magis magisq; indies redundabant, fructibus permotus, priori statuto abrogato, omnibus qui vellent huic Societati nomen dandi potestatem fecit, sic, ut brevi magnus eorum fuerit numerus qui ad Jesu militiam sunt adscripti. Hoc enim nomine tãquam pro vexillo seu insigni Societas hæc utitur, cujus auctor *non de suo Ignatianos, sed Societatem* Jesu *appellari voluit, ut non in hominis alicujus ordinem adscriptos, sed ad Societatem* Jesu *vocatos se agnoscerent, sub illo summo imperatore mererent, & ejus signa sequerentur.* Hoc ei nomen tam ab ipsis Pontificibus quam generali Ecclesiæ Concilio fuit confirmatum. Nec vero ab hoc nomine propterea ceteri homines excluſi censendi sunt ut quidam Calumniantur imperitè, quemadmodum nec ceteri Principes minus pro Christianis habentur atque agnoscuntur, eo quod Francorum Rex *Christianissimus* appellatur. Eodẽ jure Ecclesiastici dicũtur ii qui divini cultus servitiis sunt cõsecrati; quamvis ab Ecclesiæ societate idcirco nemo omnium excludatur. Qui Jesu Christi doctrinã susceperunt, initio Christiani vocati sũt, à Christo seu unctione Domini, quod nomen apud Judæos pluris æstimabatur quã nomen Jesus, multis inter ipsos cõmune: sicut Judæos magis inde offensos videmus quod Salvator noster Christus, quam quod Jesus fuerit appellatus. Et Apostoli quidem eorumq; successores Christianorum nomen, vere Dei filiis debitum, sumpserunt; Ignatius vero Jesu nomen Societatis suæ attribuit, ut non ipse, sed Deus auctor ejus esse intelligeretur: quod nomen tam Catholicis est venerabile, quam vile schismaticis, quibus Christus, non Jesus in ore est. Et hæc est Jesuitarum, ut vulgus eos appellat, nominis origo; quod nomen in hac rerum omnium cõfusione & summa hujus sæculi impietati multis odiosũ est, uti & olim paganis Christianorum. Sed cur, quæso, nomen crimini datur? Quæ nova hæc est nomina accusandi formula? Jesuita quidem nihil aliud sonat, quã Jesu Christi servum, non ut Chemnitius & Schlusselburgius è vernaculo Jesuvvider ineptà argutantur, adversarium. Nec hoc nomine indigni videri debent ii, quorum opera tot animæ ab interitu vindicatæ, & supremo illi animarum Pastori Jesu Christo, quasi novum Ovile in novo illo Mundo est constitutum.

Societas hæc ita amplificata, huc atque illuc sese diffudit. Ignatius Romæ, quæ est commune velut terrarum Orbis domicilium vel curia remansit, retentis secum Codurio & Salmerone, ut inde Societatis negociis prospiceret, & novorum militũ supplemẽtum submitteret. Primum ejus opus fuit Lutherani conversio, qui clanculum venenum suum spargere

spargere incipiebat. Hunc ab omnibus Theologis frustra tentatum, Ignatius accepta licētia, brevi ad Ecclesiæ gremiū reduxit, publice abjurato errore. Rogatus quanam re potissimum Ignatius ei tam cito persuasisset, quod alii persuadere non poterant, respondit, *Fieri non posse ut ibi vera fides ac vera religio non sit, ubi tanta concordia, tanta charitas, in voluntate tanta bonitas, in actionibus tanta integritas reperiantur.* Idem alterius cujusdam, Augustiniani monachi habitu concionantis, & Lutheranum virus tecte disseminantis, conatus repressit. Sed è Judæis multos, in Fidei principiis diligenter instructos, ad Christianismum convertit, & ut vetus lex, qua iis qui Christianæ Fidei nomen dederint, bona omnia adimūtur, eum in finē olim lata ne utilitatis aliqua specie conversionem simularent, antiquaretur à Pontifice facile impetravit. Nihilominus Ignatii in vitiis insectandis libertas multorum ei odia atque etiam insidias conflavit; quas tamen omnes Dei omnia hominum cōsilia & actiones dirigentis benignitate euasit. Nec minori curæ Deo fuerunt Ignatii socii huc illud dispersi: adeo ut tamquam veri & generosi Hirpini super incensis passim sibique subjectis invidiæ ac calumniæ rogis ambularent, ac sine noxa evaderent.

VI. Porro Ignatio major cura & ab hoste magis metuendo objecta fuit. Non ignarus enim quā dulcis esset & cæca ambitio, tum etiam quanto plures ex arbore rami decerpuntur, tanto magis eam sterilescere, atq; hoc modo plures Religiosorum familias ad interitum pæne redactas, præstantissimis inde viris ad alia munera translatis: cujus rei illustre exemplum præbet S. Benedicti Ordo, è quo uno XXIV. ad Pontificatum, CC. ad Cardinalatū, DC. ad Archiepiscopatus, M M M M. ad Episcopatum acciti sunt: statuit, ut ne quis hunc Ordinem ingressus ad Officium aut dignitatum quamcunque adspiraret, sed ut Ecclesiæ quacunq; in re jussus esset, in gradu simplici deserviret: quæ lex etiā non tam Principū quam Sociorum voluntate diligenter fuit observata, adeo ut quum Claudius Jaius ad constituendum Viennæ gymnasiū ab Imperatore evocatus, ab eodem ad Tergestinum Episcopatū designatus esset, multos dies in continuo pæne luctu jacuerit, quod eum effugere se posse diffideret. Instabat quidem assidue apud Pontificem Imperator, cujus precibus victus Pontifex tandem annuit, & Jaium Episcopatum accipere jussit, sed eo audito, Ignatius ad Pontificis pedis advolutus, per omnia sacra obtestatus est, ne in ipsis velut incunabulis Societatem fato, ut videtur, ad hæreses reprimēdas destinatam, horum illecebra exstingui, aut certe enervari pateretur. *Si enim mitris Episcopalibus & Cardinalitiis galeris semel sociorū suorum capita onerari magis quam ornari cœperint, statim fore ut non solum aliorum incurrant invidiam, verū etiam levitatis & ambitionis notentur, qui sæculi gloriam per fugam felicius quæsissent. Qua vero fronte,* ajebat, *alios exhortabuntur, ut Mundi gloriam, omnesque ejus vanitates, ac seipsos cōtemnant? quando ipsi promptis amplexibus hæc ipsa amice attingant? Brevi etiam Societati viros quos habuerit præstantissimos, subtractum, atque eam viduam relictū iri.* Tandem Margaritæ Ferdinandi filiæ, singulari favore societatem prosequētis intercessione Jaius hac sollicitudine fuit liberatus. Similiter quū postea Pius IV. Franciscum Borgiam, & Sixtus V. Toletum in Cardinalium numerum aggregare vellent, ad Generalis præfecti instantiam à proposito destiterunt. Ac quāvis postea idem Toletus à Clemente VIII. Pontifice in Cardinalium collegium sit cooptatus; Claudius tamen Aquaviva, Ducis Atrienfis Neapolitani filius Societati universæ eo tempore præpositus, multū reclamavit, rogans atq; obsecrans ne Societatis regulæ infringerētur. Poterat quidē Pontifex absoluta in eo sua potestate uti, illo tamen excusare hoc factū suum maluit, quod Toletus XXV. annis Pii V. Gregorii XXIII. Sixti V. Gregorii XIV. & Innocentii VIII. fuisset domesticus, & Concionatoris & Theologi munere perfunctus, ac tunc etiam extra Societatem vixisset. Toleto mortuo, Sua Sanctitas Bellarminum surrogavit, magnū illum, inquā, Bellarminū, cujus laudibus mea oratio longè impar est, nisi fortè hoc ipsum novū laudandi genus est, eo aliquē laudare nolle quod omni laude superior videtur. Perpetua nihilominus hæc lex Societati tot tamq; illustria pietatis & eruditionis decora conservavit, Borgiam, Mardonatum, Turrianum, Riberam, Canisium, & infinitos alios, qui sanctam illam suam quietem cum omnibus Mundi honoribus & divitiis non permutent. Nempe qui Deo dicati sunt, extra se nihil quærunt.

Sed ut ad Ignatium redeamus, is post difficilem admodum parvæ quidem adhuc naviculæ suæ toto tamen orbe protensæ, gubernationem, in qua nō minus prudentem quam fortem nauclerum sese ostendit, tādem è procelloso hoc mari in cœlestem portum fuit invectus, laborum ibi suorum mercedē recepturus: felix quum aliis tum hoc potissimum, quod postquam à Deo vocatus fuit numquā non de successu suo cogitabat, ac omnes peregrinationis suæ dies rimabatur. Sic ergo accepta à Pontifice ex-

trema benedictione, omnibusq; quæ ad societatem pertinent rite dispositis, animam inter suos Deo reddidit Anno M. D. LVI. natus annos sexaginta quinque; non minus placida morte quam omnis ejus & conversatio fuerat dulcis. Et certe nihil homini melius atque optatius contingere potest, quã bonus ex hoc vita exitus. Nos quidem priscæ illius sanctitatis omnium illustrissimum in hoc viro habemus exemplar: cujus mortem non Roma tantũ, sed totus mũdus quam late patebat Societas, deflevit. Sic vixit, sic mortuus est Ignatius, magnæ illius & doctæ Societatis auctor, quæ firmissimum contra omnes hæreses est & fuit monimentum. Eprimis decem sociis quatuor ante ipsum decesserant, Codurius Romæ Anno M.D.XLI. Faber itidem Romæ Anno M.D.XLVI. Xaverius apud Sinas Anno M.D.LII. Jajus Viennæ eodem anno. Quinque ipsi fuerunt superstites, è quibus Broetus in Franciam missus, Lutetiæ anno M.D.LXI. Laines post Ignatium Præpositus generalis, Romæ Anno M.D.LXV. Rodericus Olysipone Anno M.D.LXXIX. Salmeron Neapoli Anno M.D.LXXXV. & Bobadilla Laureti Anno M.D.XC. obierunt.

Quum vero hæretici tam calamo quam penicillo præcipuas sectarum suarum conditores affabre summaque cum industria delineare studeant; quis mihi vitio vertat quod sanctis his hominibus divinæ doctrinæ nunciis & cœli alumnis, eorumque vita & meritis in Christianam Rempublicam recẽsendis paginas aliquot confeci? O terque quaterq; beatos, quibus procul ab omni cura & invidia, quibus reliquorum hominum vita consumitur, in sũma ac dulcissima animi quiete vitam licet exigere! Antequam vero Caput hoc concludam, facere non possum quin duorum ex hac Societate præstantissimorum quos unquam Francia habuit divini Verbi præconum memoriam repetam. Ii sunt Edmundus Augerius Campanus; & Clemens du Puy sive Puteanus Parisiensis, Philosophi & Theologi doctissimi simul & eloquentissimi, ad hominum animos commovendos & quocumque vellent inflectendos ab ipsa quasi Natura facti. Ex his prior homo fuit cordatus admodum & laboriosus, qui summos Reges ac Principes lubenter alloquebatur, & ab ipsis humaniter accipiebatur; sic ut Henrico III. Franciæ Regi fuerit perfamiliaris. Hujus potissimum opera Collegia, Dolæ, Lugduni & Burdigalæ jacta sunt. Ætate provectus, aula relicta, Lugdunum commigravit, ut mortis meditationi tanto melius vacare posset. Non multo post, allato de Guisii cæde nuncio, quum populus furore correptus arma passim contra regem arriperet, dici non potest, quam graviter ac serio bonus ille Pater publicis in Concionibus rebelles ad obedientiam, ostensa periculi magnitudine, & caussam regis ac Principis sui, cujus conscientiam non semel antea direxerat, quantum poterat defendens, sit cohortatus. Quum vero apud homines ira & dolore percitos ac plane excæcatos parum proficeret, non Lugdunum tantum, verum etiam ipsam Galliam reliquit, ac Comum secessit, ubi Anno M.D.XCI. diem extremum obiit. [a] Alter de quo loqui institui, ab adolescentia usque ingenio fuit simplici, miti ac placido, homo vere religiosus, ut cujus omnes curæ & cogitationes à terra abstractæ, in cœlo versabantur. Tanta in eo Naturæ erat temperantia, tanta in omnibus rebus moderatio, tanta præterea ingenii acrimonia, tam exquisita doctrina, tam prompta tamque mirabilis non solum ad describendum, verum etiam persuadendum quidvis eloquentia, ut in eo Natura & Ars omnes suas vires experiri voluisse videantur. Præcipue in publicis concionibus tanta ille dulcedine in animos auditorum influebat ut facile quos vellet affectus eis imprimeret, atque suos quodammodo instillaret. Sed ad Clementis eloquentiam ostendendam, vix alia quam Clementis eloquentia suffecerit. Horribili illa contra universam Societatem in Galliis excitata tempestate, in Aquitaniam profectus est, ut ab altero illo cœpta absolveret; nec tamen quem speraverat, fructum aut attulit aut cepit, in ipso ætatis flore ex hoc Mundo sublatus. Non sine lachrymis, amoris erga eum mei, testibus, hoc loco rem miram, quæ paullo ante obitum ipsius contigit, narrabo. Pro concione Clemente nostro quatuor hominis novissima explicante, & Mortis dolores, horrorem extremi Judicii, ineffabiles cruciatus Inferni, & incomprehensibilem æternæ vitæ gloriam ac felicitatem admirabili eloquentia repræsentante; Lacurius honestus & doctus vir, in somno eum vidit in sandapila jacentem; sicq; dormiens, in scribendo ei epitaphio erat occupatus. Postquam evigilasset, jubet sibi dari lucernam, & illos ipsos versus quos in somnis fecerat, chartæ inscribit; & sequenti die in templo D. Petri, quo ad audiendam prædicti Patris concionem venerat, nobis ostendit, jam ante mortem denuncians ejus quem nos sanum & valentem in cathedra stantem, & de æterna Paradisi, ad quam paucos post dies abiit, felicitate cum summo nostro omnium stupore

[a] *Bibliotheca Soc. Iesu, in voce Emundus.*

pore & admiratione cœleſtia verba fundentem audiebamus. Eos vero verſus ita uti auctori eos in ſomno animus dictavit, nec ulla deinde cura expolitos, hoc loco inſerere volui, exiſtimans non minus eos gratos fore poſteris, quam tum dolenter ab omnibus augurium illud vehementer extimeſcentibus, fuere accepti. Sic vero habent.

Præpete dum toties errabat ad aſtra volatu
Mentis, & hinc animi motu dum cœrula Cœli
Templa frequentabat, tandem hũc ſuſcepit Olympus
Æternum, ipſe prior cœleſtis imagine formæ
Captus. Acerba igitur nobis non mortis ademit
Te, Puteane, dies; ſed dum te ad ſidera tollis,
Iſque rediſque animo conſuetum limen Olympi,
Terrea ſublimem te vita reliquit in aſtris,
Candidus ut degas cum DIs cæleſtibus ævum,
Luceat & nunc te cœlo non purior ignis.

QVOMODO SOCIETATI IN GERMANIAM aditus ſit patefactus; eaque deinde per totum terrarum Orbem ſe diffuderit.

Caput Tertium.

ARGUMENTUM.

I. *Ieſuitæ in Germaniam veniunt.*
II. *Romanorum Pontificum in ſalute hominum promovenda Providentia.*
III. *Quibus artibus Ieſuitæ juventutem imbuant & informent.*
IV. *Magnus Societatis Ieſu Collegiorum in Germania numerus.*
V. *Nec non in Polonia & aliis locis.*
VI. *Societas Ieſu per univerſum Mundum diſperſa.*

I. AEmulatio quæ inter duos potentiſſimos Chriſtiani orbis Monarchas, Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum Galliarum Regem excitata primum, deinde tanta cum populorum ab utraque parte ſtrage, ad Philippum & Henricum eorum ſucceſſores derivata fuit, Lutheraniſmo, tot capitibus & anteſignanis orbato ac pœne proſtrato, ſpacium reſpirandi ac ſe recolligendi dedit. Nec mirum, tanta principibus inter ſe contentione pugnantibus, ut ad mutuam invaſionem, ſexaginta octo exercitus conſcripti dicantur. Qua in re uterque Proteſtantium non accipiebat ſolum, ſed quærebat etiam auxilia; qui tum in Imperio Novum ſibi alterum Imperium formarant, & fœdere ſtabiliverant. Sed iis quæ ad politicum ſtatum pertinent omiſſis, religionis ſtatum explicemus. Quemadmodum vero atrox hoc contra Eccleſiam bellum in Germania primo fuit excitatum, ita ad domandos, aut ultro etiam oppugnandos perduelles in eadem auxilia quamprimum comparari, aut aliunde acciri & novis copiis veteres ſuppleri neceſſe fuit. Primus ex Jeſuitarum Societate in Germania hæreſi bellum intulit Petrus Faber, Anno 1541. ineunte is Germaniam, juſſu Pont. cũ Petro Hortizio in Hiſpanias ituro & ab Imperatore comitia tũ Wormatiæ celebrante, evocato ingreſſus eſt. Natus hic fuit in pago quodam Genevæ vicino, qui puer anno ætatis duodecimo, paſtoritiam vitam agens perpetuæ caſtitatis votum Deo fecit, ex ovium paſtore magnus poſtea animarum in ovili Jeſu Chriſti paſtor factus; primus ex illis qui ſub Jeſu nominis vexillo, ſpirituali militiæ ab Ignatio adſcribi voluerunt.

Fuit hic præter inſignem doctrinam, amabili quadam vitæ gravitate ad conciliandum, & ſingulari prudentia ad retinendum hominum amorem præditus: quibus ille virtutibus quum aliorum Catholicorum Principum animos mirifice ſibi obligavit, tum Cardinalibus imprimis tam Moguntino quam Auguſtano, pergratus fuit. Hic primus Societati in Germaniam aditum aperuit, quæ tantopere poſtea ibi multiplicata eſt, ut in ea LXX. Collegia numerentur. Brevi mora in Hiſpaniis verſatus, in Germaniam rediturus juſſu Pontificis Faber nactus eſt viæ Comites & vitæ duos ex aula Regia Sacellanos Joan. Aragoniũ & Alvarum Alfonſum quorum prior Coloniam ad SS. Trium Regum, alter ad S. Urſulæ memoriam ſtudiaque amplius excolenda miſſi in Montano Gymnaſio Petro Caniſio Neomagenſi innotuerunt, quem fama Fabri excitatum & Colonia ipſum videndi deſiderio Moguntiam profectum, Chriſto Faber lucrifecit. Interea dum hi boni ſucceſſus veluti vadum in Germania tentant primo Coloniæ incepto Collegio; Cardinalis Moronus, Pontificis in Concilio Trident. Legatus, Ignatii ſuaſu Germanicum Collegium Romæ inſtituit, in quo ejus nationis adoleſcentes ſelecti bonis literis, ac præcipue pietate & virtutibus inſtruerentur, ut pro virili quiſque ſua bonam deinde patriæ operam navare poſſent; additis proventibus ad eam rem neceſſariis, quos Gregorii XIII. Pontificis liberalitas deinde plurimum auxit.

II. Quis hoc tam ſanctum Parum iſtorum inſti-

tutum

tutum satis digne laudaverit? qui in tanta hæresoon tempestate, è multis undique ædificatis à se speculis, errantibus non lumen tantum, verum etiam portus & tutas periclitantibus stationes ostenderunt. In hoc illi vera doctrina ac Catholica fide imbuuntur, ut quum studiorum finem facere visum fuerit, in patriam reversi, Domini vineam ab hæresibus evastatam restaurent Neque vero uno Germanico Collegio cæpto contenti præter illud ibidem in usum Græcorum, Anglorum, Illyricorum, Armeniorum & aliarum nationum videntur Collegia, ut Lauretti Illyricorum exorsi, tam adversis cum rebus, quam hominibus luctati, semper in salvum consilia pia eduxerunt. O pulcram & admirabilem Ecclesiæ politiam! O summam ejus cujus auctoritate in ea omnia diriguntur, & ad cujus nutum totus pæne terrarum Orbis movetur, sapientiam! Romani hujus collegii fundationem multum adjuvit Franciscus Borgia Dux Gandiæ, Hispaniarum regi necessitudine conjunctus: qui Mundo abdicato, è Duce opulento pauper Jesuita factus est, tanto majori cum omnium admiratione, quanto certior dignitatis ejus indies amplificandæ in sæculo spes erat: Hujus exemplum sequutus Antonius de Cardona, ex illustrissima Hispaniæ Magnatum familia ortus, eidem Societati nomen dedit; tum Sanctius de Castilia, Petrus de Lodosa, Jacobus de Guzman, & alii illustribus & nobilissimis familiis prognati qui omnes sub Ignatio, Generali militiæ præfecto, spiritualem militiam sequuti sunt, dominationem servitute, imperium obedientia, divitias paupertate, & libertatem subjectione permutantes. Omnibus vero illis cujuscumque nationis Collegiis & Seminariis Jesuitæ præsunt, quorum admirabili prudentia juveniles animi, è terra jam ad cœlum adspirantes, tam humanis quam divinis litteris imbuuntur. In hac officina assiduo ad bellum tenebrarum Principi inferendum necessarii apparatus comparantur, & novi exercitus subinde formantur.

III. Hi magni isti sunt & sapientes tam corporum quam animarum ductores, quibus ex omni vita vix una horula perit, quæ non in expoliendis & ad virtutem & pietatem informandis teneræ juventutis animis collocetur. Ego in ipsorum collegiis non ordinem tantum & dexteritatem docendi, verumetiam miram temporis distribuendi sollertiam vehementer sæpe sum admiratus, quæ tanta est, ut non dies, sed vix ullum momentum sine linea abeat, & nec studia devotioni obstent, nec devotio studia retardet. Omnia vero ea fiunt moderatione, ut nec ingenia exhaurianturr, nec corpora assiduis laboribus inutiliter conficiantur. Quemadmodum enim prudens venator nimium odori sequi canis impetum retrahit; aut bonus agricola fertilem terram non sine omni quiete subigit & fatigat, ne scilicet assiduo illo & nimio cultu tandem exhauriatur; sic illi eos, quos nimiopere ad studia inclinatos ac propensos vident, frænis quibusdam retinent, & ad liberales animi remissiones indies hora post cibū ultro deducunt. Eorum uni singulis noctibus per omnia cubicula circumeundi, & post certam horam lumina exstinguendi munus demandatum est, ut omnes nocturna quiete recreati, mane tanto alacrius ad laborem consurgant. Novi ego quosdam, qui lucernæ inopia ad Lunæ lumen quod poterant noctis legendo aut scribendo exegerunt tantus in plerisque impetus ad ea quæ illi instituto sunt propria ornamenta. Præterea, ut medici eis qui visus infirmitate laborant, repente copiosum lumen adspicere vetant, sed è locis primo obscurioribus ad clariora paullatim deducunt, ut lucem tandem sine ulla oculorum læsione ferre queant: sic illi eos præsertim qui ad Ecclesiæ ministeria destinati sunt, non statim ac humaniorum litterarum periti sunt, aut Philosophiam emensi ad S. Scripturæ solem exponunt, sed paullatim per inferiora magisque facilia docendi usu confirmant & sensim per Gradus Scholarum ad difficiliora perducunt. In hac Societate ordine & sub certis regulis omnia fiunt. *Alia hic observatur ratio quam in novellis illis, Reformatis scilicet nostri sæculi Ecclesiis, ubi sine ulla linguarum aut artium ad Theologiam necessariarum cognitione, imperiti adolescentuli è schola prorepentes in suggestum producuntur, nullam, nisi velut picæ aut psitaci, sine ratione garriendi artem edocti.* Porro in Jesuitarum illa seminaria nulli suscipiuntur, nisi qui ad Philosophiam discendam apti judicati fuerint: cujus studiis tres impenduntur anni. Hoc decurso spacio, Theologiæ admoventur, cui totum quadriennium est constitutum. Septem his annis exactis, prævio examine quam ad quisque provinciam maximè sit idoneus, de generalis Præfecti voluntate diversas in partes ad Ecclesiastica obeunda ministeria ablegantur. In solo illo Germanorum seminario, è quo præter ceteros, tres magni viri prodierunt, continuo circiter trecenti adduntur qui velut promtum Christianæ Reipublicæ subsidium in omnes partes censeri possunt. Omitto Nobile illud in media Germania Fuldense Seminarium S. Apostolicæ sedis sumptu multis

multis annis plurimo cum fructu provinciarum illarum & bono sustentatum, & à Societate gubernatum.

IV. Societas hæc postquam in Germaniam ad commune restinguendum incendium venit, magna multorum alacritate excepta est, inprimis Ferdinandi Regis & Imperatoris, cujus liberalitate Collegium Viennæ primùm, deinde Pragæ quoq; fuit institutum: unde statim vox veritatis in mendacii regiones spargi cœpit, secundum illud Prophetæ. [a] *Super muros tuos, Hierusalem, constitui custodes tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Hujus exẽplo alii Principes & Respublicæ Catholicæ religionis observantes eidem Societati scholas passim erexerunt, Collegia instituerunt, ac certos reditus, quo ceteris curis vacui, instituendæ juventuti & communi saluti procurandæ unice invigilare possent, assignarunt, iis præsertim in locis ubi Lutheranorum & Anabaptistarum hæreses invalescebãt: ex quo factum est, ut non pauci, errore suo agnito, ad Catholicam Ecclesiam velut postliminio reversi sint. Sed & multi ex Ecclesiastico ordine, qui olim in puppi sedentes clavum tenere solebant, tum vero vilia tantum mesonautarum munia obibant, Societatis quasi celeumate exciti, ad pristina sua munia accurrerunt, sic ut conjuncta horum operâ Catholica religio multis in locis unde turpiter profligata fuerat, restituta sit. Germaniæ Civitatum *Colonia Agrippina* una ex primis, sub hunc Ajacis validum cõtra omnes hæreticorum impetus clypeum, admissa Societate, sese recepit, magno cum Reipublicæ fructu: quod plures quotidie à sectis & hæresibus ad Catholicæ Ecclesiæ communionem rediret; sic ut hodie etiam Civitas illa firmissimum sit Catholicæ religionis iis in locis propugnaculum & Catholicæ fidei per Germaniam Seminarium, de qua recte dici possit;

Quod Roma est Italis, hoc sancta Colonia Teucris.

Eadem Societas pari humanitate & alacritate *à Trevirensi Archiepiscopo & Electore* susceptа fuit, in cujus diœcesi brevi magnus tam sectariorum quam Judæorum numerus Catholicæ se Ecclesiæ adjunxit. In metropoli hujus Archiepiscopatus Academia est pervetusta: quæ Societatis industria è ruderibus quasi excitata & pristino splendori restituta est. Sed & *Moguntiæ* Archiepiscopi & Electoris liberalitate duo eis Collegia constituta sunt, in quorum uno Patres degunt, in altero juventus certo precio alitur, & incredibili præfectorum sollertia eruditur. *VVirceburgi* quoque, quam Herbipolim appellant, Episcopus magnificum ei Collegium ac seminarium ædificavit, in quo plures adolescẽtes Episcopi sumtibus educantur, è quibus decurso Philosophici & Theologici studii spacio, ad varia Ecclesiæ ministeria idonei evocãtur. Quamvis autem tota hæc diœcesis (quæ pars est non minima Franconiæ) ab hæreticis undiq; circumsessa sit, Societatis tamen potissimum industria ab hæresis cõtagione fuit præservata: quinetiam proximis quindecim annis multi ad ovile Christi reducti sunt. *Fuldæ* quoq; Abbatis, qui Princeps est Imperii, beneficio, præter Patrum Collegium, Seminarium Nobilitatis fuit institutum, ut Nobilis juventus in Catholicæ Ecclesiæ gremio educata, & à tam peritis magistris erudita, ad ejusdem defensionem olim tanto promtius accurrat. Sic legimus apud Gallos olim magnatum filios, ubi septimum ætatis annum attigissent, Druydum curæ fuisse commissos, ut ab iis, tam in religione & majorum sacris erudirentur, quam ad patriæ defensionem animarentur. Quod si optimus ille Abbas, singulare doctrinæ & virtutis exemplar, non ab iis qui omne ei debebant auxilium, destitutus atque impeditus fuisset, majores certe à Collegiis illis fructus sperari poterant, quorum tamen ne sic quidem pœnitere bonos cives potest, & uberiores forte per Dei gratiam in posterum inde redundabunt. *Confluentiæ* quoque Jesuitarum est Collegium, ut & *Paderbornæ in VVestphalia.* Sed & Argentoratensis Episcopus eisdem in oppido *Molshemensi* Collegium instituit, ut in medio quasi hæreticorum Catholicæ religioni esset præsidium. *Aquisgranum* iidem à Senatu admissi, Imperatoris verojussu Lutherani & Calvinistæ inde ejecti sunt, quod nefas videretur, Thronum magni illius Imperatoris, qui primus Christianissimus fuit appellatus, hæreticorum esse asylum & receptaculum. Sed & *Augusta Vindelicorum* sedem eis non negavit, Cardinali Othone Truchsessio potissimum allaborante, qui nobilissimam & amplissimam urbem ab interitu vix aliter conservari posse animadvertebat. Eo missus Claudius Jaius, Anno M. D. LIV. prima Collegii fundamenta jecit, Joannis & Georgii Fuggerorum liberalitate; tali cum fructu ut vicini qui antea magna ex parte hæresi infecti fuerant, jam ad Catholicam religionem plane sint adscripti. Sed injuriam facere videor sapientissimo & Catholicæ religionis servantissimo Principi, Alberto Bavariæ Duci, quod eum inter postremos nominem qui primus Societatem hanc ad se

 euoca-

[a] *Isaiæ 62.6.*

euocavit, & quatuor illi præcipuas sui Ducatus civitates inhabitandas concessit, *Monachium* scilicet *Frisingam* Episcopatu insignem, *Lanspergum*, & *Ingolstadium*. Academia celebrem, Sed ecce optimi Principis ad Generalem Societatis præfectum Jacobum Lainem litteras: ut inde intelligas, quosnam fructus iis in locis Societas attulerit, & quid de hæreseon exstirpatione sperari possit.

ALBERTVS, DEI GRATIA, COMES PALatinus Rheni, utriusque Bavariæ Dux; Reverendo in Deo Patri Iacobo Layni, è Societate Iesu.

EX litteris quas superiori anno ad Paternitatem Vestram misi, rogans ut viri aliquot graves & docti è Societate vestra ad Nos mitterentur, existimationem Nostram de vestro ordine satis potuisti intelligere, & quam magnos inde fructus ad universam Rempublicam Christianam inde redituros speremus. Quæ spes nostra nequaquam nos fefellit: siquidem quos postea ad nos misisti Patres, tam bene ac feliciter auspicati sunt, ut vitæ sanctitate, salubritate doctrinæ & admirabili docendi labore alios suos fratres Collegii Ingolstadiensis, vincere velle videantur: idque laudabili quadam & Ecclesiæ utili æmulatione. Et illi quidem jam in eo sunt, ut super solidis his fundamentis ædificium superstruant & absolvant integra conversatione, sermonibus & exhortationibus altius quotidie educendo, tum etiam sepem vineæ Domini diligenter reparando ac muniendo, ne à bestiis irrumpentibus vastetur, tum spinis excindendis & zizaniis evellendis, sacra denique illa vinea modis omnibus excolenda. Equidem ex his Societatis vestræ seminariis speramus Ecclesiam aliquando reformatum & pristino splendori suo restitutum iri. Quis enim homo vere Christianus non ex animo gaudeat, videns per excellentem filiorum Paternitatis vestræ doctrinam vitamque laudabilem hæreticorum vires debilitatas, & pertinaciam confusam ac pudefactam? De quo merito tibi tamquam ejusmodi filiorum patri, congratulamur, quorum opera unice speramus hæreses tandem exstinctum, & Catholicam religionem restitutum iri. Huic gaudio nostro & spei unum obstat, quod Patres Societatis vestræ his in locis parvo esse numero videmus, pro ea qui sustinendi ipsis sunt, laborum magnitudine. Augescente enim quotidie Catholicorum numero, multa eis onera simul subeunda sunt, docendi in scholis, prædicandi, audiendi Confessiones, infirmos confirmandi, lapsos sublevandi, multa denique alia ministeria obeundi; quæ omnia, humano more loquendo, sine summo valetudinis incommodo fieri ab ipsis non possunt. Quare Vestram Paternitatem rogamus, ut filiorum, ob onera & labores quas supra vires perferunt, commiserata, alios ad nos mittat, qui in partem laboris veniant, & in magna hac messe quæ in terris nostris est colligenda, hoc denique Collegium ad requisitam perfectionem perducendo, operam suam cum reliquis conjungant. Ex nostra parte Nos quidem eorum necessitatibus ita providebimus, ut omnes insignem nostrum amorem & benevolentiam qua venerabilem vestram Societatem prosequimur, cognoscant; eum in finem consilia nostra omnia dirigentes, ut in Collegio nostro Sancta & Catholica religio semper sarta tecta conservetur. Mandavimus etiam ut sumtus omnes quos Patres ad nos mittendi in itinere facturi sunt, de nostro exsolvantur, ut Pater Canisius vobis ostendet. Monachii XXVII. *Iunii,* M.D.LX.

Sed jam alia Societatis in Germania Collegia persequamur. Habent iidem Patres Collegium *Oeniponti*, quod præcipuum est opulentissimi Comitatus Tirolensis oppidum. Ibidem Imperator Ferdinandus Anno M.D.LXII. Illustrem Scholam seu Academiam aperuit, exstructis eum in usum magnificis ædibus, & tanto auctore dignis. *Dillingæ* quoque Otho Truchsessius à Walpurg, Cardinalis & Episcopus Augustanus, eorumdem suasu & ductu, nobilem Academiam instituit, è qua tamquam ex cornu copiæ multi docti viri prodierunt. *Fribugi* quoque in Brisgoia, & *Braunsbergi* in Prussia Societas sedem fixit, magno cum juventutis fructu: adeo ut Lutherani quoque filios suos erudiendos eis passim tradiderint, hac tamen conditione, ut conscientia ipsis libera permittatur. Sed plerumque fit, ut novellæ hæ plantæ, quæ nullo peccato actuali gratiam baptismi perdiderunt, fidei infusæ virtute inclinentur, in ea dogmata & mores, quæ sunt secundum Deum, & non secundum adinventiones cordis Lutheri, ut omittam illud, quod quocumque per ætatem flecti faciles tam consuetudine pia quam exemplo ad Catholicam religionem efficaciter perducantur, ut multis exemplis est manifestum. Porro qui exacte scire cupit quibus in locis & Civitatibus quum in Germania tum alibi Societas hæc Collegia habeat Geographiam Ecclesiasticam à diversis editam, uti & chartam expansam Provinciarum Soc. Jesu aliquoties typis repetitam.

V. In his omnibus Collegiis infinitus quasi est Jesuitarum numerus, quorum de doctrina tanta est existima-

existimatio, ut scientiæ omnes perditæ eorum operâ restitui posse videantur, ex quo teterrima eorum apparet invidia, quos Societati huic ignorantiam exprobare non puduit. Sed hoc convicium non minus in ipsis locum habet, quam in Hercule, ignaviæ & formidinis crimen. Hi assiduas cum Lutheranis aliisque sectariis contentiones suscipiunt, atque inprimis ne juventus eorum veneno corrumpatur, operam dant. Eorum præsidio *Austria* quoque & *Polonia* contra hæreticos utitur. Nam à Ferdinando *Viennam* evocati, mox per reliquas quoque civitates diffusi sunt, in convertendis Turcis, Anabaptistis, Antitrinitariis & aliis, nulli labori parcentes. Cujus rei exempla nobis suppeditant *Praga, Olomutium, Gracium, Labacum, Lincium*, &c. quibus in locis Hussitarum, Picardorum & Lutheranorum numerus, post Societatis adventum fere ad nihilum est redactus. *In Polonia & Lithuania plurima quoque. Collegia numerantur, Cracoviense, Brunsbergense* (quod in Prussia est ad Poloniæ tamen ditionem pertinet) *Pultaviense, Vilnense, Posnaniense, Iaroslaviense, Pultaviscience, Lublinense, Rigense, Calissense, Miesvicense, Leopoliense*: in quibus omnibus mira est tam doctrina omnigena quam virtute præstantissimorum virorum atque adolescentum copia, ut iis locis ab hæresi non valde metuendum sit. Braunspergense Collegium in Episcopatu Varmiensi Stanislaus Hosius Cardinalis & Episcopus, Anno M.D.LXIV. è consilio Tridentino reversus, fundavit, ut Prussiæ inde diversis sectis laboranti succurri posset. *Gallia quoque Belgica* frequentibus ejusdem Societatis Collegiis abundat, quæ sunt *Lovanii, Tornaci, in fano S. Audomari, Duaci, Antuerpiæ, Trajecti, Brugis, Iperis, Cortraci, Valencænis, Gandavi, Insulis, Montibus Hannoniæ, in Atrebatibus, Bruxellæ, Cameraci, Lucemburgi, & Leodii*: quæ tamen primo illo populi regi rebellantis & hæresin defendentis motu ac funesto bello omnia fuerunt eversa, exceptis Lovaniensi, Sant-Audomariensi, & Leodiensi; sed deinde à magno illo Demetrio Poliorcete, Alexandro Farnesio Parmæ Duce, restituta, & è lateritiis marmorea, ut Roma ab Augusto, facta sunt; præsertim Antuerpiense, Brugense, Valencænense, Iperense, Duacense & Tornacense. De novo vero postea ædificata sunt Cameracense, Montense, & Cortracense. Iisdem præsidiis pagi Helveticorum Catholici contra Zvvinglianos sese muniverunt, Lucernates scilicet, & Friburgenses, quorum civitas unius diei itinere à Lausanna abest. Quam ob caussam Bernates Zvvingliani Lausannæ quoque Collegium seu scholam instituerunt, & Friburgensi quasi opposuerunt. Cupide etiam hanc Societatem amplexus est & in sua passim oppida recepit prudentissimus Dux Lotharingiæ, ejusque ope potissimum ditionem suam ab hæresæos contagione liberam conservavit, quamvis mediam inter Gallíam & Germaniam interjectam, & Sedano, Jametio, Mezeris, & Mediomatricum urbe, locis hæreticorum plenis, undique cinctam: exstructa *Pontemussi* insigni Academia, cui deinde Collegium quoque *Virdunense* accessit.

IV. Sic Ignatio ex Dei gratia ea contigit felicitas, ut vivens ac videns tam admirabiles laborum suorum fructus ceperit, & incredibilem Dei benignitatem in Societatem à se institutam senserit, qua illa intra paucos annos per totum terrarum orbem sese diffudit. Ipso enim vivente, duodecim constitutæ sunt provinciæ, nimirum Lusitania, Castilia, Andalusia, Arragonia, Italia, Neapolis, Sicilia, Belgium, Germania superior, Francia, Brasilia, & India Orientalis, in quibus centum fere erant Collegia seu domicilia Societatis; è quo Lutherani facile conjiciebant doctrinæ suæ propagationem iam in puncto esse solstitii civilis & retrogradationis; ac præclare secum actum iri, si omisso omni ulterioris acquisitionis conatu, se suaque possent defendere. Hoc illud fuit quod Melanchthonem morti vicinum tam anxium habuit, ut audiens Iesuitas flumina & maria transmittere, & culta omnia atque inculta peragrare, nec quemquam fere jam orbis esse angulum quo non penetrârint, & ubi non semen, sanguine suo non raro tinctum ac rubefactum, reliquerint, ductis ex intimo corde suspiriis exclamârit: *Ah quid hoc esse dicam? Video sane totum Mundum brevi Iesuitis repletum iri.* Quid hic dicturus fuerat, si hodie videret XXIX. Provincias, II. Viceprovincias, inque iis Collegia CCXCIX. (quamvis pauca ex illis nondum restituta sint) XXIII. domus Probationum separatas. XXXI. Novitiatus separatos, & XCVI. Residentias: in quibus Anno M.D.XCIV. recensita sunt octo Jesuitarum millia quingenti & undeviginti. Quid idem Melanchton dicturus fuerit, si iterata editione huius adversus hæreses historiæ, intelligeret jam ad XL. Provincias numerum excrevisse, & proportione Domos professas ultra XXX. Collegia plura quam 10. Residentias fere totidem & Missiones multo plures, Sociorumque ad XX. Millia numerum excrevisse. Ignoscat mihi Lector tam multis Societa-

tis hujus instituta describēti. Per horū enim potissimum latera hæretici Ecclesiam petunt, hos tamquam victimas gladiis suis destinant, hos cane pejus & angue oderunt, *extremum eos Sathanæ excrementum, & postremum ventris crepitum* (venia sit mihi ab honestis auribus) appellantes [a] At Vos, O invicti & indefatigabiles Æacidæ, cœlitus vos missos credimus, ut tam longo ac funesto bello finem imponatis. Vobis, ut à Mercurio olim Ulyssi, divina illa herba Moly à Deo data est, ut tantam miserorum hominum à venefica illa Circe, hæresi nimirum excantatorum & in bestias transmutatorum multitudinem pristinæ formæ restituatis, aliosque quos mali illius vis nondum attigit, præservetis. A vobis, duces fortissimi, ultimus ille ictus Lernæo monstro infligendus exspectatur. In fatis nempe est, ut sicut Troia sub Pyrrho, sic sub vobis hæresis pereat atque exscindatur. Quamvis autem merita vestra & labores non ut par est ab omnibus accipiantur & compensentur, ne tamen cessate victorias vestras persequi, donec hostis plane prostratus & devictus, in triumphum à vobis ducatur. Vidisti supra hæreseos ortum & progressum; hic ejusdem vides decrementa. Sed ad hæreseos in Germania historiam supra ad finem libri III. à me abruptam, redeo, ubi prius quomodo Italia ab hæresis contagione immunis conservata sit, indicaro.

[a] *Schlusselburg De Sect. Iesu in Præfat.*

QUOMODO ITALIA HÆRESEOS evaserit contagionem.

Caput Quartum.

ARGUMENTUM.

I. *Hæresis non caput aut jugulum, sed ea tantum membra, ubi minus periculi, invadere potest.*
II. *Italia ab hæresi immunis.*
III. *Quibus contra eam remediis usa.*
IV. *Italia religionis & sanctitatis mater. Hæreticorum in eam calumniæ diluuntur.*
V. *Quanta pietate & devotione, Romæ præsertim vivatur.*
VI. *Clementis VIII. Pontificis sancta vita.*

I. VEtus ille & versipellis Ecclesiæ hostis, cor Ecclesiæ ab ictibus suis esse tutū animadvertens, exteriora ejus & quæ circa eam, omnibus viribus oppugnanda sibi statuit, ratus hac ratione pedetentim ad ipsa viscera se aliquando penetraturum, ac plenam victoriam consequuturum. His artibus ante Lutherum quoque usus fuit in Bohemiæ schismate, quod veluti fermentum fuit nostri temporis hæreseon. Facile enim intelligebat vires suas tantas non esse ut capiti expugnando sufficerent: eoque, & si omnia egerit, numquam tamen totam Catholicam religionem penitus evertere potuit, quæ capite suo tuta, facile omnes ejus impetus excepit & elisit. Altissimi montes numquam ita nivibus & glacie tecti sunt, quin summa eorum fastigia cœlo proxima non vernent ac rideant, tum etiam quando omnia hæc inferiora frigore & gelu rigent. Ac licet sol aliquando deficere nobis atque obscurari videatur, numquam tamen hoc ita fit, quin pars aliqua Mundi lumine ejus colluſtretur. Idem nos de Ecclesia dicere possumus, de Spirituali illa Sion, de Monte illo sancto; qui etsi frigore ac glacie undique infestatus fuerit, summa tamen sui parte amabilem illam verni temporis viriditatem atque amœnitatem semper conservavit. Et quamvis glaciales illæ crustæ deficientis charitatis, tum horribilia monstra crepidini passim insidentia, teterrimæque hæreses undique assilientes, speciem ejus pulcherrimam quodammodo tegāt & obscurent, fastigium nihilominus, multo altius quam ut quidquam earum rerum eo penetrare possit, pristinum suum & nativum decus ac splendorem semper retinuit, ac porro retinebit. Sed nec sol ille Justitiæ radios suos Ecclesiæ ita umquam subtraxit, ut eam in tenebris destituerit, quæ nunquam in Ecclesia ingruunt, nisi quando lunatici seu fanatici homines, ira, concupiscentia ambitione & superbia inflati, miserabiles nempe hæresiarchæ, pertinaces Antæi & terræ filii, terram suarum opinionum inter nos & splendidissimum illud lumen interponunt, atque ita tenebras non soli, sed oculis nostris objiciunt: detestabiles & maledicti homines, qui serenum Ecclesiæ cælum tam atris nubibus obducunt, immo fœdis tempestatibus inquietant & turbant.

II. At, quæso, quam tu Mundi mihi partem ab hæresi mundam, quam regionem continuis ac numquam deficientibus omnes nubes penetrantis solis radiis colluſtratam ostendes, nisi sanctum illum Montem, pulchram illam & castam Sion? Italiam dico: Italiam, inquam, felicem religiosarum animarum secessum: Italiam fidei custodem, quæ saluti fuit ei, quæ salutem dat omnibus qui eam sequuntur: Italiam quæ durantibus apud nos turbis & confusionibus, quiete & gloria floruit.

floruit. O Italia, sponsæ Dei asylum, in qua illa rebus ubique perturbatis, magnitudinem & felicitatem suam invenit. Tu, inquam, sine qua omnis magnitudo nihil est, & sine qua ipsi felicitati deest felicitas. Italia, glorioſa provincia, quo Christus seceſſit postquam plerique omnes ab ipso receſſerunt. Italia, felix terræ Paradisus, in qua semina illa cujus semini Deus jam olim vires conterendi caput serpentis promisit (quæ Eccleſia est, inferni, diaboli, & omnium ejus satellitum victrix) tamdiu vixit, dum interea totus Mũdus moritur ad sui damnationem, & in sua condemnatione. *Iam aperta per Lutherum ſtellam de cælo lapſam, inferni cataractæ peſtiferas evomebant aquas, omniaque vaſtantes, jam novum diluvium, & primo quidem illo ſævius, toti terrarũ orbi minabantur; jam venenati magnæ abyſſi fontes aquas eructabant quæ ſub Firmamento ſunt (quas jam quidem cum Origene pro dæmonibus accipio) & Mundum univerſum deſolabant:* quum ecce sacra hæc Arca, ab illa ipsa quæ cœlos formavit manu constructa & super solidâ illâ & inconcuſsâ promiſſionis magno illi Cephæ & succeſſoribus ejus factæ petra fũdata, portas suas ingredi ac salvare se cupientibus aperuit; hæresi vero nunquam in ea pedem posuit, omnem ad se aditum præcluſit.

O Roma, terrarum miraculum, quæ infinita nobis indies miracula producis! quis non obstupeſcat, te non sine miraculo in tanta publicarum calamitatum quæ orbem terrarum inundaverant, colluvie, integram & incontaminatam videns? Roma, inquam, ubi Noe, id est, Eccleſiæ quies in medio confusionum diluvio, servata fuit. Roma, in qua velut in altera salutis Arca, tot felices animæ abdicata terra, ad cœlum adspirant; tot castitatis amantiſſimi homines, Noæ exemplo, à feminarum consortio se separant; in qua etiam ut in sacra illa Navi distinctæ fuerunt mansiunculæ, certi dignitatum & officiorum sunt gradus. Stupidus profecto sit oporter, qui non in summam rapiatur admirationem, animadvertens Italiam ab hæresi undique velut obsessam, nec à Germania audaciſſimorum hæresiarcharum seminario procul distantem, tum ceteris fere nationibus omnibus hac peste laborantibus inviſam, firmam tamen & constantem, ut sanctæ & immaculatæ caput decet Eccleſiæ, hactenus permansisse, & omnes inferorum impetus fregisse; immo indies in certiorem magis magisque spem erigi, hanc ei felicitatem fore perpetuam, Deo clementiſſime prohibente, ne viſio illa Pii V. Pontificis, quam de Italia defectura aliquando ei objectam Thomas Morus scribit, umquam effectũ sortiatur. Ad quam rem utiliſſime inducta est inquiſitio adversus hæreticam pravitatem.

III. Quod si præter Dei benignitatem, qui Eccleſiæ suæ promiſit & juravit portas inferorum numquam contra ipsam prævalituras, sed ipsam potius pulcherrimas de diabolis & omnibus hostibus victorias reportaturam, Si, inquam, alias quoque hujus felicitatis causſas inveſtigare lubet, non minimam ejus partem summorum Pontificum vigiliis & curæ adscribendam esse facile deprehendemus: Deo quoque hanc sanctis eorum laboribus mercedem retribuente. Ite homines invidia cæci, qui tantam gloriam non niſi ſimis ac ſiniſtris oculis intuemini, ite, si placet, & Romam Luxuriæ officinam, infamiam terræ, vitiorum receptaculum, voluptatum matrem, custodem impietatis, idololatriæ speculum appellate, unde nihil niſi homicidia, perduelliones, usuræ, & carnales abominationes procedant; Babylonem appellate in sua confusione perditam, Ægyptum Cimmeriis obrutam tenebris, alteram Sodomam, omnia denique convicia congerite, omnes calumnias quascunque poteſtis, confingite, malitiam malitia, falsitatem falsitate, injurias injuriis cumulate: maxima nihilominus hæc urbs, quam *Solis civitatem* veteres Prophetæ nominarunt, cujus imperium ab Oriente ad Occidentem usque extenditur, & iisdem quibus solis cursus finibus terminatur, magnum hoc, inquam, Mundi theatrum, terrarum orbis domicilium, mater & matrix omnium Eccleſiarum, splendorem & pulchritudinem suam retinebit. Esto, vituperent eam perverſi, quibus rosæ etiam & lilia male olent, damnent ac deteſtentur improbi; boni tamen omneſque tam veritatis quam virtutis ſtudioſi, integritatem prædicant & prudentiam Gubernatorum, religioſorum auſteritatem, devotionem populi, & ditiſſimorum civium vere Chriſtianis dignam charitatem. Qua fronte vos illam Luxuriæ officinam appellatis, quæ luxuriam non damnat tantum, verumetiam coercet, cui vos tanquam olentes hirci, immerſi hæretis? Quid ni enim hærere vos dicam, qui Lutherum illum ſequimini, qui magni facitis, ut Prophetam & Evangeliſtam & Eliam æſtimatis, ex cujus unius ore plures ſordes, turpitudinesque profluxerunt in veſtroſmet typos Wittebergenſes ac Jenenſes, quam omnium Italiæ, qui à temporibus Apoſtolorum extiterunt millibus profluxerint. Ipſi typi veſtri adverſus vos teſtimonium dicunt. Quo igitur niſi mendaciſſimo ore, Terræ

infamiam illam dicetis, quæ iamdiu nihil gravius fert quam infames & sacrilegos raptus atque incestus Deo dicatarum virginum? An vitiorum receptaculum illam appellabitis, cujus sanctitas & perfectio quum mores vestros perferre non posset, vobis profugiendi caussam dedit? Quomodo mater voluptatum dicetur, quam vos ideo fugitis quod à carnis voluptatibus ad castitatem & continentiam invitet? An illa custos sit impietatis, quæ ipsa est pietas, & qua nihil est religiosius, ut Sancta ab omnib. præterquã vobis, appelletur! Speculumne idolatriæ audiet, quæ tot gentes & nationes ab idolorum cultu ad Christianam religionem adduxit? & nunc per utramque Indiam adducere indies non desistit. An Babylonem dicetis, in qua vix quidquam admirabilius est quam decentissimus omnium rerum ordo, ac continua Episcoporum successio, qui omnibus omnium temporum sectis fuere formidabiles, & quos etiam illæ non minus universæ oderunt, quam singulæ inter se inimicæ sunt. Quibus Tertullianus etiam hodie, quod olim ipsarum similibus, exprobrat, *non posse eos tam continuam Episcoporum ordinem & successionem ostendere:* quo sane vel authentico & irrefragabili argumento Pontificum ostenditur auctoritas. Sed quo jure Ægyptum appellabunt, & quidem tenebricosam, eam quæ gratiæ lumen ad plerosque populos sparsit, quæque instar Phari est, ad quam omnes hæreseon agitati fluctibus navim suam, tamquam ad salutis portum, dirigant necesse est: in qua etiam Pontifex velut alter Moyses à Deo constitutus est, qui potenti virga Christianos regeret: qua ille tot tamque mirabilia fecit, & nos per medium Mare rubrum in terram promissionis deducit; non Pharao aliquis tyrannus, sed, ut S. Bernardus ait, [a] *magnus Sacerdos, summus Pontifex, heres Apostolorum, primus ut Abel. gubernator generalis ut Noe, Patriarcha ut Abraham. ordine Melchisedech, auctoritate Moses, Samuel justitia, Episcopatu Petrus, & unctione Iesus Christus.* An Sodomam dicent, cui Deus perpetuam & nunquam defecturam gratiam promisit? eam quæ sita est super ea petra, non quam olim augur quidam in Capitolio monstravit, exclamans, Romam prius non interituram quam saxum illud esset sublatum? sed super *Fide S. Petri, pro qua D. N. & Salvator ipse Patrem oravit, ne umquam deficeret.* [b]

IV. Quin potius oculos illi conjiciunt in populorum non minus perditorum vitia, non considerantes quam sæpe illi puniti sint. Peccatorem qui in peccatum labitur & pœnitentiam agit, justi nomen propterea non perdere Hieronymus inquit. Sic Roma, quamvis ejus incolæ Deum, ut cæteri quoque mortales, offendant, non propterea tamen non Sancta dici debet. Videamus quam multi sancti homines, qui in S. Petri cathedra sederunt, excommunicationibus aliisque remediis ovile suum, non sine maximis curis & laboribus purgare conati sint. Legantur Acta Adriani VI. Pii V. Sixti V. Clementis VIII. Quos illi labores non exhauserunt, ut omne id quod à se damnatum fuerat, exterminaretur! præsertim quum tandem animadvertissent, ipsa medicina morbos seu mala exasperari; non aliter quam in magnis fit ulceribus, per quæ mali & purulenti humores evacuantur: quibus consolidatis, illis alio defluentibus, totum sæpe corpus corrumpitur, & pro uno ulcere multa in partibus antea sanis enascuntur. Unum est, in quo secundum oculum humanum sibi videntur censores illi, qui se Reformatores vocant, pedem firmum accusando figere posse, nempe permissionem Malorum quorundam, uti sunt Ecclesiasticarum quarundam personarum vitia, & defectus quas illi mirabiles zelotæ, *nescientes cujus sint Spiritus,* confestim volunt de cælis igne devocato, tanquam Samaritas, vel Sodomitas, exuri. Hoc cum non confestim pro suo fatui judicii conceptu fieri conspiciunt, confestim murum Pharisaicum repetitur adversus Pontifices, adversus Episcopos; *Hic peccatores recipit, & manducat cum eis.* Audio Novos Novatianos, Novos Tertullianos, Novos tales, qui *non vident mantire* quod in tergo est. *Tecum habita,* ajebat prudens ille inter gentiles, *ut noris quam sit tibi curta supellex.* Censere facile omnia possumus, emendare non item. Judæi permittuntur habitare in ditione Episcopi Romani vel alterius, & hoc te Lutherane urit. Lupanar alicubi non incenditur, hoc calumniaris, & tu domi tuæ sentinam, & cloacam, & Sterquilinium te habere, & tolerare, imo extruere non damnas? Vide quæso, si æquus es; In bene constitutis civitatibus leprosi à sanis separantur, insani & mente capti includuntur ergastulis, domus etiam sunt peste infectis destinatæ, ne serpat contagio, aliaque nosocomia. Immo ipsa quoque ganea seu lupanaria eum in finem in populosis civitatibus feruntur, ut sentina illa eo defluente, reliqui à morte animæ custodiantur; quod

[a] *Ad PP. Eugenium & quotquot Controversias hujus temporis de Pontifice ediderunt ut Bellarminus, Becanus, Coturius, Forerus &c.* [b] *Luc. 22. 32.*

quod hoc morbi genus maximè omnium sit contagiosum. Quod vero hanc unam ob causſam dissolutæ illæ feminæ tolerentur, non jubeantur esse, manifestum est ex tot præclaris de castitate servanda legibus, ex tot laudabilibus custodiendæ pudicitiæ exemplis, ex severis denique regulis, quibus infelicia illa diaboli mancipia coercentur, adeo ut his præcipue Roma invisa sit, ob rigidam quæ in eorum vitam usurpatur, animadversionem. Non illis cum honestis matronis aut feminis Romanis conversari, non curru vehi, non noctu quemquam admittere, multo minus alios accedere licet: excommunicatæ sunt, privatæ Sacramentis, mortuarum cadavera in loca inhonesta abjiciuntur, & bona confiscantur. An ulla quæso severior à re supercilioſe Lutherane aut Calviniane excogitari possit ratio à vitii hujus fœditate ad frugem & honestam vitam eas revocandi? Nolo tibi regerere sordes Doctrinæ Luthericæ libro 3. obiter monstratas; nolo regerere Confessionem ejusdem Evangelistæ de suo populo reformato editam.

Cur non potius illi, quæ assidue ibi fiunt, bona opera considerant? Cur paucissima lupanaria potius, quam monasteria inspiciunt? in his enim infinitum sanctorum hominum videbunt numerum, qui Dei servitio seipsos impendunt, vitæque austeritate cœlum acquirere studeant. Templa ingrediantur; nec fieri poterit quin exquisitum ornatum, hominum sacra frequentantium tam multitudinem quam devotionem, frequentes, ut vocant, stationes, ac copiosas indulgentias admirentur. Quodnam illud putas esse spectaculum, videre omnes quasi Italiæ civitates ad unam Romam concurrentes, ac Principes viros, cilicio indutos, pedibus incedentes! Quid de processionibus dicam? quæ frequentissimæ sunt, Paschali præcipue tempore.

V. Nocte ea quæ Salvatoris nostri diem emortualem præcedit, Romani omnes sacco induti, cereum singuli manibus gestantes, Cardinalium aliquo singulis cohortibus, eodem vestitu crucem præferente, ad Basilicã D. Petri proficiscuntur, Deo ibi pro peccatorum venia supplicantes, ac pœnitentiam agentes. Quid de Hospitalibus dicemus, quorum proventus annui ad tercentena aureorum millia æstimantur? nec umquam quotidianæ stipes desunt: ubi etiam singulis fere septimanis Cardinalium aliqui pietatis ergo pauperibus pedes lauant tantæ ædificationis piæ vi, ut non raro Acatholici Romam venientes & hæc virtutum exempla spectantes cum lacrymis fateantur sese in patria sua mendaciis per Prædicantes suos fuisse circumventos, credendo eis, cum de fastu, de impietate Romanorum Pontificum & Cardinalium verba darent. Quid de Xenodochiis; in quibus nonnumquam XVIII. aut viginti peregrinorum millibus, ipsis Cardinalibus ministrantibus, victus gratis suppeditatur? Quid de reliquis quotidianis eleemosynis? de tot magnificis ædibus ad varios usus, vel educandæ juventuti, vel alendis orphanis ac pueris expositis, exstructis? ubi illi, ac præsertim filiæ, magna tura ad nubilem usque ætatem aluntur atque educantur. Jam quot ibi sacrarum Deo Virginum sunt monasteria? quot pœnitentium? ad quæ tota vere Roma cum incredibili gaudio concurrere solet quoties peccatrix aliqua relictis Mundi vanitatibus ac lenociniis, se vitamque suam in posterum Deo consecrat & consignat. Cui ignota est Romanarum matronarum ac virginum pudicitia & castitas? quæ tanta est, ut non colloquia solum, sed etiam aspectum virorum fugiant, fratrum & cognatorum non secus atque ab exterorum consuetudine abstineant, multum in his à Gallorum moribus abhorrentes, atque adeo oscula non secus atque ipsum adulterium detestantes: ut singulæ familiæ religiosarum sacraria esse videantur. Videant ergo quam inique faciant, qui ob unius aut alterius dissolutionem omnes impudicitiæ, & ob unum Judam omnes proditionis damnant. Plutarchus ait Romam à prima sua origine incendiis valde fuisse obnoxiam: at profecto meliori jure dicemus, eam hodie maledicentiæ & calumniæ igni esse expositam. O quantam vim gratiæ suæ in illam Deus effudit! ut omnes qui æquis eam adspiciunt oculis, tam ament eam quam admirentur. ROMA, inquam, ad Orbis terrarum nata imperium: quæ à *Robore* nomen accepit, nomen ejusdem si converso ordine literarum legas, merus est AMOR cujus denique nomen in sancta lingua ad significandam Dei benedictionem, *Mammellam* significat. *Hæc sancta illa est Ecclesiarum mater, in cujus sinum omnes tamquam filiæ confugiunt:* hæc nutrix est, è cujus uberibus omnes sanæ doctrinæ lac hauriunt. Omnes veteris illius Regum victricis, domitricis populorum, imperiorum moderatricis triumphi nihil sunt, ad ea quæ hodie ibi admiramur trophæa, collati, quorum fastigia ad ipsum cœlum pertingunt: ipsique Angeli Sedi illi triumphali lætum carmen atque ovationem accinunt. Hujus potissimum ductu atque auspiciis falsorum deorum colossis & idolis passim dejectis, Deo vivo ac vero templa atque altari-

caria constituta, & polluta illa & cruenta Ethnicorum sacrificia, *in purissimum & incruentum illud sacrificium, quo Iesus Christus quotidie omnibus locis in hostiam vivam Deo patri offertur* (ut est apud Malachiam) & sic diaboli cultus in Dei cultum commutatus fuit. Et quemadmodum Roma pagana nihil majus & potentius; ita Roma Christiana nihil sanctius est & glorioſius, in qua non jam illud Capitolii immobile saxum, sed augustissima D. Petri Basilica est admirationi, à magno Imperatore Constantino primum ædificata, sed ad eum jam splendorem perducta, ut superbissimis quibuscumque veterum substructionibus non modo non cedere, verum etiam longe anteire videatur; tum infinitis thesauris repleta: in qua etiam sacrosancta illa Ecclesiæ Sedes, cujus imperium Angelus nullum finem habiturum prædixit, fundata cernitur.

VI. Sed cur isti calumniatores in religiosum & sanctum Pontificem Clementem VIII. dentem Theoninum figunt? cur vitam ejus & actiones allatrant? ejus, inquam, qui in conservanda inter Principes Christianos pace, & Poloniæ, Transilvaniæ, Germaniæ, Hispaniæ, & Franciæ, quiete procuranda tantos labores exhausit, ac tantos fecit sumtus? Cur non recensent illi exercitus, contra Turcas juratos Christiani nominis hostes ipsius stipendiis conductos, & laborantibus Christianitatis partibus summissos? Sed ut Christi in terris regnum amplificandi singularis huic Pontifici semper fuit cura; sic multo maxime oves dispersas, & diabolo atque inferno mox prædæ futuras, ad spirituale ovile reducendi. Quid ille non facit ut collapsa erigat, infirma sustentet, perdita restauret? Annon ipse Conventus religiosorum obit, ut vitam eorum & mores tanto certius exploret? Annon ipse nudis pedibus in sacris Processionibus incedere visus est: tum maximè quum de Rege nostro ab Excommunicatione absolvendo & in gremium Ecclesiæ recipiendo ageretur; & ad tam arduum negocium Dei auxilium atque inspiratio imploraretur? Hic thesauros Ecclesiæ aperit & Indulgentias proponit; primus vero ipse eas acquirere studet. Quam sæpe non impedientibus gravissimis podagræ doloribus, utroque genu innixus per gradus illos sanctos in quibus Salvator noster omnibus membris cruentatis à Pilato constitutus ac populo his verbis, *Ecce homo*, ostensus fuerat, ascendit! Annon idem die Jovis sancto quotannis velut sacerdotum minimus, peregrinorum audit Confessiones? Annon quotidie, si per valetudinem ei licet, sacrum Missæ officium seu Liturgiam ipso Apostolorum tempore indies usurpatam ipse celebrat? & quidem tanto ardore ac zelo, ut cana ejus facies lachrymarum guttis ubertim sæpe irrigetur, præcipue ubi ad consecrationis verba pervenit? Nos quidem ipsum feria sexta sacræ hebdomadæ, quum historia passionis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi recitaretur, tormentis ac doloribus ejus illachrymantem vidimus; dulci & admirabili animæ perquam devotæ compassione. Quot ille quantasque eleemosynas quotidie in suo cubiculo distribuit? Nonne decem ibi pauperes, mutati indies, singulis diebus aluntur? Hi prodeunte ad prandium aut cœnam Pontifice, ad pedes ejus se abjiciunt: quos ille suis manibus sublevat, deinde aquam eorum lavandis manibus affundit, ac mensam suæ oppositam, & iisdem cibis instructam consecrat, & ubi singulis potum infudit, suæ demum mensæ assidet, à pauperum mensa parvo intervallo distanti: tandem vero ita refectos, cum benedictione & munusculo dimittit. Inter prandendum vero semper liber aliquis sacer legitur. Feria quinta sanctæ hebdomadæ, & sæpe alias idem sanctus Pontifex vigintiquatuor pauperibus pedes lavat & osculatur, deinde in novo S. Petri Palatio prandentibus per duas aut tres horas ministrat. Interea vero diversæ fiunt exhortationes, quibus charitas illa cõmendatur; tandẽ vero aureo nummo in quo Pontificis expressa est imago, & nova veste donati singuli dimittuntur. Quam multos vero pauperes idem Pontifex visitavit, suaque voce exhortatus & consolatus est in extremo agone constitutos? quam multis sua manu SS. Eucharistiam præbuit? Quam magnum ille captivorum & remis addictorum numerum ab infidelibus redemit? Quot ille tandem coronis, quot laureis Pontificalem suam tiaram seu mitram exornavit? neque jam quidquam aliud restat quam ut caput ipsius æterna coronetur gloria, inter Beatos illos sanctos & Martyres qui Sedem hanc B. Petri tenuerunt receptus, ad quorum pedes quisq; se humiliat, *ut in Iesu Christo exaltari possit, tamquam ad speciosum illum pedem, pacem Evangelizantis.*

(:)

QUO-

QUOMODO CAROLUS V. IMPERII Ferdinando fratri, & suarum ditionum administrationem Philippo filio commiserit.

Caput Quintum.

ARGUMENTUM.

I. *Caroli V. Imperatoris consilia & conatus.*
II. *Oratio qua ad proceres Belgii usus est.*
III. *Philippus II. paternas ditiones regendas capessit.*
IV. *Caroli V. Imperatoris secessus.*
V. *Ejus religio & devotio.*
VI. *Alia insignes virtutes.*

I. CUm igitur ad hunc modum Italia ab Hæresi immunis persisteret Dei beneficio, Germania autem veluti Colicis passionibus & torminibus viscerum suorum dilaniaretur, Imperator Carolus V. variis fortunæ casibus exercitus, tandem rerum humanarum pertæsus imperio ac regnis omnibus abdicare se, eaque tantum quæ ad animæ salutem pertinent curare, post Imperium triginta sex annos feliciter administratum, decrevit, quamvis ab hoc consilio multa eum revocarent, cum primis incerta Germaniæ pax, quam ob non adversam jam, sed adflictam valetudinem, quibus opus erat præsidiis stabilire, nondum licuerat, necessaria morbis ejus remedia adhibere hactenus neque potuerat. Nihilominus tamen, & ut afflictæ valetudini consuleret, & florentem filii juventutem potentissimi ac felicissimi hactenus Galliarum Regis fortunæ opponeret; missis ad Electores litteris, & ad Ferdinandum fratrem Imperii insignibus, privatam posthac agere vitam, & quod ejus superesset, in solius Dei servitio exigere constituit. Hunc in finem mense Septembri Anno M. DLV. Philippum filium ex Anglia, cujus Rex per Mariam uxorem erat, Bruxellas evocatum, diligenter de rebus omnibus quæ ad imperium pertinent, erudivit, inter alia monens, ut cum Franciæ Rege, quo potentiorem magisque formidabilem hostem non haberet, pacem faceret, aut temporibus obsecundaret: inprimis vero, ut Ferdinandi patrui sui Romanorum, Ungariæ ac Bohemiæ Regis, ejusque filiorum amicitiam omnibus modis conservaret. Deinde ad XXIII. Octobris omnium Ordinum conventum Bruxellas induxit; in quo quum in amplissima palatii aula, frequenti Senatu, magnaque Nobilium & omnium Ordinum corona consedisset, hanc fere in sententiam loquutus fertur.

II. *Mihi varios ac dubios fortunæ meæ casus, ab eo tempore quo vix undevigesimum ætatis annum ingressus, post mortem Maximiliani, Imperio admotus sum, reputanti, quum multa alia Dei in me beneficia occurrunt, tum illud præcipue, quod è tot hominum millibus unum me ad summum hunc dignitatis gradum velut sua ipse manu perduxerit, & ab hostium insidiis semper huc usque clementer custodierit, ipsis etiam meis inimicis in casses quos mihi struxerant, conjectis. Deo ergo immortali ago gratias quantas animi mei angustia capere potest maximas, quod post tot labores exhaustos, tot pericula tam mari quam terra superata, hanc mihi gratiam fecit, ut tantum ejus beneficium, quo me ad hunc usque diem incolumen conservavit, mihi hoc ipso loco vobis præsentibus, agnoscere & prædicare liceat. Ex altera parte non possum non deplorare eorum infelicitatem, quibus magna imperia commissa sunt, ob infinitos labores & pericula quæ comitari eos solent: illud verissime asseverans, postquam à morte domini ac patris mei, deinde aut materni, tot tantisque regnis ac ditionibus administrandis præfectus fiem, non diem, non ullum fere temporis momentum ocio aut privatis voluptatibus me dedisse, quod non multis molestiis fuerit permistum. Hujus rei testes sunt corpus hoc laboribus fractum, & caput hoc jam olim ante tempus canescens. Sunt inter vos multi qui horum meorum laborum aut participes fuerunt, aut certe conscii sunt; testes mearum actionum fideles. Norunt illi utrum ego caussa sim earum calamitatum, quæ jam triginta & amplius annis Christianam Rempublicam afflixerunt. Dicant ipsi, quoties pacem ex animo me optasse audierint, adeo ut jure meo non semel cedere voluerim, quo nostra arma contra immanem Christiani nominis hostem conjungerentur. Quin ut viam aliis monstrarem, & exemplo præirem, bis, ut ipsi nostis, non sine magnis periculis ipse barbaro hosti caput hoc meum objeci, exercitumque opposui, veteris vero temporibus laboranti Hungariæ auxilia contra Solimanum summisi. Quod si omnia ad votum non successerunt, Dei voluntatem agnoscamus, omnia manu sua tenentis, qui ob peccata mea permittere voluit, ut tot tantisque victoriis, quas mihi clementer largiri dignatus est, his adjunctis, insolescerem. Quamvis autem ceteris Principibus ad inferenda infidelibus arma viam aperuerim; tantum tamen abest ut illi me sequuti sint, ut etiam eorundem auxilia contra vos evocarint. Iidem ditiones meas invaserunt ac vastarunt,*

starunt, nescio quid juris in Mediolanensem Ducatum prætendentes. Notum est plerisque vestrum, & Deus mihi testis est, quæ illis obtulerim, quæ tamen accipere illi pertinaciter recusarunt. Nunc illa sola me consolatio sustentat, quod Deus optime novit, quam invitus ad arma venerim, & quidem contra eum hostem, qui ægre ferens quod in sede mea collocatus non fuisset, deturbare inde summis viribus me velle visus est. Sed conatus eius repressi; quibus modis tacere malo, ne per arrogantiam iterum quasi de hoste triumphare velle videar. Ego per vitam meam magnos & potentissimos habui adversarios, qui plurimum mihi negocii facessiverunt, divina tamen benignitate factum est, ut non illi meum, quod optabant, sed ego illorum finem viderim: quibus illud à Deo precor, ut qui in hac vita quiescere numquam potuerunt, in altera illa placide ac beate quiescant. Ex omnibus vero, Illustres Domini, nihil mihi molestius est atque acerbius, quam quod antequam ex hoc Mundo à vobis discedo, nullam adhuc rationem turbas illas, quæ ob religionis diversitatem passim exortæ sunt, componendi ac sedandi video: quamvis nulla in re plus curæ atque operæ posuerim. Deus ignoscat illis qui meis conatibus obstiterunt (& certe bonus hic, & arthritide fractus senex non raro sub onere succumbere quodammodo, atque aliorum potius quam sua consilia sequi fuit coactus) sed quia facta revocari non possunt, tempus est ut junioribus locum dem, idque, quod jam olim constitui, tandem exsequutioni mandem: id est, ut humeros meos tam gravi onere liberem. Illud vero ego vobis affirmo hunc ipsum diem non minus gratum mihi ac lætum fore, quam eum quo Imperialem suscepi coronam. Mihi quidem vires meas expendenti, consilium hoc ita necessarium videtur, ut velim nolim, aliter facere non possim: quumque mortem jam impendentem mihi non procul videam, par est ut vestris rebus prospiciam, ne illa, me defuncto, aliquid accipiant detrimenti. Vnicum mihi filium Deus dedit, quem præsentem videtis, quem ego ut pater unice amo, quem vos etiam tamquam naturalem vestrum Dominum, diligere & colere par est. Hunc ego vobis, illustres Domini, & quotquot adestis, vobis commendo: rogans vosque adjurans ut juvenem hunc Principem pro decrepito hoc sene accipiatis, natum, uti spero, ad vestram omnium utilitatem & salutem. Hoc à vobis impetrare debent non tam preces meæ, non tam mea imbecillitas, quæ quo me redegerit videtis, quam ipsum jus, atque Dei voluntas; qui nascendi conditione hunc vobis Principem dedit: hacque ipsa acceptatio in vestram præcipue cedet utilitatem. Pro omnibus vero quæ in vos à me umquam profecta sunt beneficiis, pro tot laboribus quibus sacra, libertatem, focos, uxores ac liberos vestros defendi, pro omni denique benignitate & mansuetudine, qua erga vos semper usus fui, hoc unum à vobis peto, ut filio huic meo eundem amorem, eandem obedientiam atque observantiam præstetis quam mihi patri ejus hactenus præstitistis. Huic ergo regna, Principatus ac ditiones meas omnes jam trado. Vestrum est in conservando Dei cultu, in tuenda patriæ libertate, in defendenda justitia, auxiliares ei manus præstare. Ad me quod attinet, rebus gerendis jam porro inutilem, de medicorum consilio (etsi spes meas omnes in uno illo & cœlesti medico collocatas habeo) in Hispaniam secedere, ibique quod reliquum mihi vitæ restat, exigere constitui: extremum hoc à vobis petens, ut interim mei memoriam quæ par est benevolentia, tamquam ejus qui vestris commodis omnia posthabuit, usurpetis. Quod si aliquando tributa vobis imposui, id sane invitus admodum, & non nisi extrema necessitate coactus feci. Filio vero quibus vestris necessitatibus succurrere atque onere vos ex parte sublevare possit, jam ego rationes commonstravi. Hunc ego iterum à vobis peto, ut tamquam legitimum meum successorem recipiatis. Quod si alacriter vos facientes videro, tanto lubentius ex hac vita discedam, relicto subditis meis bono Principe, & filio meo populo fideli. Hunc vos, tamquam caput vestrum, amate: hunc tamquam à Deo vobis præpositum, observate, pacem & concordiam colite, & in primis Catholicam religionem curæ habete. Extremum hoc est quod à vobis spero & peto: nec sane ita de vobis meritus sum ut hoc mihi negare possitis aut debeatis, &c.

III. Hæc Cæsaris oratio plerisque adstantium lachrymas expressit: quumque nemo esset qui non optimi Cæsaris voluntati morē gerendum censeret, Philippus filius assurgens, capite detecto, in genua coram patre procumbit: *quem ille manu capiti imposita, Belgii & omnium patrimonialium regnorum ac ditionum Principem pronunciat, & ut religionem ac justitiam colat, hortatur. Sic enim divinum ei auxilium numquam defuturum.* Quod ille facturum se recepit, ac Deo simul, patri ac circumstantibus gratias egit, seque commendavit. Post hunc Maria quoque Cæsaris soror Vidua Ludovici Hungarorum Regis, Belgii nuper Gubernatrix surrexit, seque Imperio Belgii abdicavit ruptisque Caroli sigillis, Philippus omnem administrationem in se recepit: Carolus vero, reditibus tantum

tum quibusdam sibi reservatis, mense Augusto Anno M. D. LVI. in Hispaniam navigavit, maximus omnium post Carolum M. Imperator, &c.

IV. Antonium Peresium, eum qui tam Philippum regem quam res Hispaniæ pleraſque suis consiliis rexit, quoad à fortuna ex alto dejectus fuit, narrantem me audiisse memini, Imperatorem exscensione facta, ubi primum in terra pedem posuerat, in genua provolutum, corpus suum his verbis terræ primæ suæ matri reddidisse: *Garda te Dios, ô Madre muy que rida y desserida ausine, &c.* id est: Salve chariſſima multumque mihi desiderata mater! Sicut nudus è ventre matris meæ egressus sum, ita nudus ad te velut secundam meam matrem revertor: & pro multis meritis quæ à te accepi, corpus hoc meum ægrum, hæcque debilia & lassa mea ossa tibi dono, quum aliud jam non habeam. Quæ verba multis adstantium lachrymis fuerunt excepta.

V. Sic igitur optimus Imperator in monasterio quodam Hieronymianorum, ad vitam solitariam valde commodo, dies noctesque in orationibus aliisque pietatis exercitiis transegit, donec tandem Anno M. D. LVIII. die Septembris XIV. animam Deo reddidit, in altera vita laborum suorum mercedem recepturus. Antequam moreretur hæc ei quoque felicitas obtigit, quod res à filio sub primis regni auspiciis prospere gestas accepit, profligato Gallorum exercitu, & fano S. Quintini capto; tandem etiam ad Gravelingam eorundem concisis copiis: qua cladium frequentia Gallorum res admodum fluctuabant, mox tamen Henrici II. Regis virtute fuerunt recreatæ.

Fuit vero Carolus omnibus virtutibus tanto Principe dignis ornatus. Fuisse fertur omnium suorum Consiliariorum prudentissimus, omnium militiæ præfectorum fortissimus, omnium Judicum justissimus; felicior tamen in bellis per Legatos, quam ipsius ductu administratis: in rebus prosperis temperans; in adversis constans: tanta vero erga Deum religione & pietate, ut nullum diem abire pateretur quo non sacrum audiret, à quo non ulla eum negocia seu pacis seu belli revocabant. Certis diei horis consuetas precationes, easque satis longas, recitabat; neque ullam tum ferebat interpellationem: *hæc* inquiens *arma esse quibus terra oppugnetur, ac cœlum expugnetur.* Quam ejus devotionem præfecti militares impatienti animo ferentes, dicere solebant: *Imperatorem sapius ac longius cum Deo quam cum hominibus loqui.* Quum aliquando precibus intentum quidam è domesticis à Galliæ regis Legatis exoratus, interpellasset, utque eos ad audientiam admitteret, rogasset; exspectare eum iussit dum preces absolvisset. Illo vero dicente, jamdiu eos exspectasse, ac res magnas habere, quas cum ipso communicari quamprimum, regis ipsorum plurimum interesset. *Et mea*, inquit Imperator, *cum rege meo ista communicari quæ jam communico, multo magis interest.*

VI. Solebat optimus hic Imperator quotiescumque bellum contra Turcas, Hæreticos, Gallos, Anglos, Italos aut quoscumque susciperet, precationum libellum sibiipsi conficere, quas pro re nata formatas, quotidie recitabat. In secessu illo suo mirum est quam religiosam & asperam vitam duxerit, cilicia lacerna sæpe indutus, ac loris corpus castigans, nihil denique meditans nisi mortem; cui vicinus flagellum illud & cilicium Philippo II. filio, ut perpetuum paternæ pietatis mnemosynon, asservanda dedit. Hic quoque decurso jam vitæ spacio, Mundum jam & omnia, quæ paternis adjunxerat, regna relicturus, vocato ad se Philippo III. filio, qui rerum nunc potitur, hoc idem præstantissimum, & ultimum quod à manu ipsius accepturus esset, donum obtulit, inquiens, *in nodis illis sanguinem hærere, non suum quidem, sed patris sui: monensque, ut avitæ pietatis numquam oblivisceretur; ac simul ostenso corpore male affecto & ulceroso, Vide,* inquit, *mi fili, quo etiam maximos Reges terræ mors redigat.* Sed frustra ego ingenii mei vires Caroli V. secundi Constantini laudibus defatigare ac perdere nolo, quas plures Iliades non capiant. Illud tantum addo, quemadmodum in Germaniam à Carolo Magno Christiana religio primum introducta fuit, sic ab hoc altero Carolo, nec minus Magno, eam in Germania fuisse conservatam.

Sed quia eum in Hispaniam usque deduximus, non abs re erit ostendere quibus modis ea ab hæresi fuerit præservata.

):(

DE HISPANIA, ET QUIBUS MODIS ea ab hæresi fuerit præservata.

Caput Sextum.

ARGUMENTUM.

I. *Hispania tribus rebus ab hæresi præservata.*
II. *Fraternitates religiosæ.*
III. *Cruciata: ejus institutio, ordo, & proventus.*
IV. *Inquisitio, & ad quid instituta.*
V. *Inquisitio in Galliis ob hæreticorum Crudelitatem, eiusque necessitas.*
VI. *Inquisitio Hispanica quæ crimina puniat. Pontius Leo cur condemnatus. Casallo ante supplicium, ad Catholicam fidem conversus.*

I. QUemadmodum experientia docuit nonnullos, fulmen perrupta horrendo cum tonitru nube, in terram dejectum, eorum in quæ recideritanimalium corpora, si viva ipsi occurrerint, non comburere: sic hoc loco similiter nobis ab omniscia illa magistra discendum est, Deum, qui hæreseos fulmen sua manu tenet, si quando illud in terram & magna imperia ejaculetur, non tamen ea perditum ire quamdiu suæ ipsa invigilent saluti, ac vitam aliquam in se habeant. Hoc pulcherrimo symbolo adumbravit S. Joannes in Apocalypsi sua cap. 9. loquens de Lutheri locustis: *præceptum est illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* nempe Confirmationis: Itaque hæresis quæ nihil aliud quam animarum quærit exitium, omnia illa regna vastat quæ vita ac spiritu vacua fuerint, id est, in qua omnis religionis cura velut intermortua fuerit atque exstincta. Germania quidem, Francia, Anglia, Polonia, Bohemia igne hoc fere penitus conflagarunt; at Hispania ingruenti hæresi viva ac valida occurrens, flammam illam hæreticæ contagionis evasit. Id quidem post divinam gratiam, Catholicorum Regum curæ, diligentiæ & pietati acceptum ferendum est, qui memores vulgati istius,

Tunc tua res agitur, paries quum proximus ardet,

& ipsi nascenti, aut nondum etiam nascenti malo remedium adhibuerunt, & aliis rationem prohibendæ hæreseos commonstrarunt. Sed quoniam huc nos oratio deduxit, vehementer sane peccare mihi viderer, si remedia hic non indicarem, quibus omnia Hispaniæ tam longè lateque patentia regna contra fulmen hoc, quod in ceteris Orbis partibus tot tantasque strages dedit, fuerint præmunita, & illæsa conservata; & illo quidem tempore quo Turcæ ab Oriente arma minabantur, ad Occidentem tumultuabantur Saraceni seu Mauri, ad Meridiem Arabes, ad Aquilonem vero hæresis pleno gradu grassabatur. Nemo hic sibi fingat quod Hispania ideo tuta constiterit quod ipsa in formam bubulæ pellis extensa à tribus partibus duplici mari, Oceano nempe & mari Mediterraneo, & reliqua parte naturali quodam vallo, montibus nimirum Pirenæis, clausa ac munita sit; in his enim omnibus contra hoc mali genus nihil ei fuit præsidii; sed potius in summa Regum diligentia, qua illi operam semper dederunt, ne quid Catholica religio acciperet detrimenti. Horum singulari prudentia tres præcipue res institutæ sunt, quibus potissimum hæreses profligatæ & Catholica conservata est religio: videlicet *Hermandatus sive sancta Fraternitas, sancta Cruciata* (*Croisade* vulgo) *& sancta Inquisitio.* Hæc ærea illa scuta, vel cœlestia potius sunt ancilia, quorum nitor Lutheri oculos ita perstrinxit, atque excæcavit, ut velut Democritus ille, in tenebris hinc inde palpans, nullum in Hispaniam aditum reperire, aut vel paullo in ea longius progredi potuerit, quamvis animus & conatus numquam deessent. His tam laudabilibus tamque salutaribus circa animarum curam institutis factum est, ut Hispania hæresis jugum evaserit, quod tamen illa toti Mundo imponere, sibique in terra velut monarchiam instituere cogitabat. His in tanta rerum omnium confusione ordo conservatus: his à superbo diaboli, infausti infelicium hæreseon architecti, dominatu vindicata fuit Hispania. Rigor ille contra hæreticos adhibitus optatam Dei sponsæ quietem & tranquillitatem reddidit, & nativum splendorem ac pulchritudinem conservavit. Ringantur infruniti hæretici, fremant & frendant quantum volunt, calumnientur justitiam, inhumanitatis, crudelitatis accusent: nos certe tot tantaque bona ex his nata ac quotidie nascentia videntes, sancta hæc instituta non possumus non laudare, cum regna quæ illis caruerunt, centuplo majoribus malis bellorum civilium fuerunt implicata per hæreticos, quam mala illa sint, quæ in solos fontes per Inquisitionem, &c. illa remedia sunt inflicta. Cujus &c. quanta sit utilitas & bonitas, nullum certius arbitror reperiri argumentum, quam quod ea malis & hæreticis non placent? Equidem vix quid-

quidquam est quod pluribus turpioribus atque atrocioribus calumniis petitum atque diffamatum sit quam istæ in Hispania usitatæ administrandæ justitiæ ac conservandæ Catholicæ religionis rationes atque instituta. Nos tamen nihilominus justis & idoneis rationibus facile, spero, evincemus, & æquo Lectori persuadebimus, Reformationem hanc, quam Novi isti Reformatores Ecclesiæ (qui omnia deformarunt) cane peius & angue oderunt, reipsa sanctam, justam atque utilem esse. Ordine ergo quid sit Hermandatus, tum Cruciata & Inquisitio, explicabimus.

II. *Hermandatus*, quod verbum *Fraternitatem* significat, exacta justitiæ species est, persequendis maleficis, qui se fuga subduxerunt, inserviens. Hac utuntur, ad comprehendendos facinorosos, quum alia media desunt: insequunturque eos, qui magnum aliquod crimen admiserunt, quocumque etiam se contulerint, sive ea ditio Regi Catholico pareat, sive non. Quam ad rem exploratores adhibent, qui se in familiaritatem eorum, quos quærunt, insinuant: nec cuiquam rei parcunt, quæ huc faciat, sed omni industriâ, atque omnibus, quos excogitare possunt, modis conantur reum molliter ad se retrahere, atque in eam regionem, unde elapsus est, revocate. Adeunt hominem sub specie alicujus amicitiæ, ac intimam familiaritatem cum ipso contrahunt, indigentem pecunia, ægrum, aut in alia necessitate constitutum omni ope juvant: atque ita hac amoris simulatione inescatum, in plagas jam antea præparatas conjiciunt, & in manus justitiæ tradunt. Quod si diffidentia hoc consilium remoretur, tentant persuadere homini, ut vel navi vel curru quem ipsi in hoc emerunt, iter aliquod animi gratia faciat: quo perductos abducunt quo volunt. Hac arte non raro Lutetiæ, Constantinopoli, & in Germania abrepti sunt nobiles viri, & in Hispaniam ducti, ingentibus in eam rem impensis sumtibus, magnaque industria captatæ rei absque tumultu gerendæ opportunitate. Qui in sanctam hanc Fraternitatem adscripti sunt, in ipso muneris sui exercitio, viridi vestitu, & pro armis, arcu fere utuntur. Habet hæc societas ad sustinendos tanti oneris sumtus, ingentes reditus, quibus, quum enormis alicujus facinoris reus persequendus est, minimè parcunt. Non admittuntur ad Fraternitatem, nisi delecti, inculpati, vitæ probatæ, honesto loco nati, munerum & corruptionis aspernatores, validi, & ad tale negocium apti. Utque promtior fiat negocii ipsis commissi expeditio, cautum est per totam Hispaniam, ut in quovis oppido, castello, aut pago, ubi magnum aliquod facinus commissum est, continuo campanarum sono signum detur omnibus, indagandi quid sit, ac omni studio explorandi, quonam sese recipiat is, qui fugit: statimque Hermandatus socii ad suas partes agendas sese accingunt. Hodie hæc Fraternitas in multis Hispaniæ locis tanta religione observatur, ut homicidia, rapinæ, aut alia crimina ibi raro committantur, aut certè, si qua commissa fuerint, præsentissimam pœnam non effugiant. Præclara sane Fraternitas, cujus tam admirabilis est fructus, ut virtutis augmentum, & tam opulenti Imperii (Justitia enim Regnorum est conservatrix) merito basis appelletur, dixi breviter quid sit Hermandatus. Jam, quid sit *Cruciata*, videamus.

III. Cruciata duas ob causas constituta est: primum ad colligendam pecuniam, quæ bono orbis Christiani, redimendis apud Infideles factis mancipiis, faciendoque infidelibus & hæreticis bello impendatur: deinde, ut constet, num quis pietatis, & Sacramentorum frequentationem negligat. Observatur hæc Cruciata etiam in Italia, & Romæ quidem, eum in finem instituta, ne quis Mahumetano, aut Judaico, aut hæretico more vivat. Huic ordini omnes & singuli, sine discrimine sexus, anno ætatis septimo nomen dare tenentur: nec quisquam admittitur ad confitendum, nisi bullam Cruciatæ habeat, quam redimunt plebeii quidem binis, ut vocant, Regalibus, magnarum vero familiarum principes, octonis. Res in hunc modum administratur confessus ex Ecclesiæ Catholicæ præscripto circa Paschatis tempus ad mensam Domini participaturus ejus corpus accedit: quo sumto, tesseram accipit, qua scriptum est, *eum hoc anno & hoc die sacra communione usum esse*. Post Octavam festi, parochus, aut alius, cui hoc negocium datum est, per totam parochiam capitatim tesseras istas colligit; teneturque paterfamilias aut hospes sistere omnes illos, qui octiduo ante festum Paschatis domi ipsius, habita inquisitione, inventi fuerant. Quod si quis tesseram, aut justam excusationem non habeat, in vincula conjicitur, & pecunia multatur; si vero hæreseos suspectus sit, ad Inquisitionem mittitur. Muneri huic præsunt Archiepiscopi, Episcopi, & alii integræ & irreprehensibilis vitæ homines: qui etiam summam judicandi potestatem habent. Commissarius generalis Anno M.D. XCV. fuit Cardinalis Franciscus Avila. Reditus Cruciatæ opulenti sunt admodum: Sancta vero ap-

pellatur, ob fructus quos sanctæ Catholicæ religioni affert.

IV. Etsi vero duo illa quæ jam recensuimus Justitiæ tribunalia ad pacis & Catholicæ religionis in Hispania conservationem plurimum attulerunt adjumenti, non minus tamen utile fuit Inquisitionis munus; quod veluti firmissimus agger, fœdissimam hæreseos eluvionem coercuit. Quia vero tam odiose à nonnullis Inquisitio hæc traducitur, formam procedendi quæ in ea observatur, describere operæ precium mihi videtur. Inquisitionis origo non ad Lutheri, sed ad ea tempora refertur quibus Saracenis à Ferdinando Aragoniæ Rege devictis, in Hispania vivendi certis conditionibus permissa fuit licentia, ut nimirum certum persolverent tributum, atque interim religionis caussa vis eis nulla inferretur. Bello confecto, & barbaris illis subjugatis, dictus Rex imperium suum ita constituendum sibi existimavit, ut Ecclesiæ dignitati ac saluti simul prospiceretur; atque in primis damnabiles superstitiones eradicarentur. Doctis ergo quibusdam viris negocium dedit in ea quæ ad Religionem pertinent inquirendi, & cavendi, ne Judæi vel Mahumetani, quorum adhuc ingens erat in regno numerus, zizania sua disseminarent. Hæc conservandæ Catholicæ religionis diligentia tam ipsi quam successoribus Catholici nomen ac decus peperit; quamvis nonnulli titulum hunc Alphonso Galæciæ regi à Papa Gregorio III. tributum ferunt, eo quod regnum suum Arriana hæresi purgasset. Tum temporis *Iacobini Monachi* (quorum ordo à Dominico Hispano Caliguritano, Lexoviensis diœceseos institutus fuit) in tanta erant existimatione, ut Rex Catholicus in omnibus quæ ad religionem pertinent; eorum staret judicio: quod illi magna severitate exercebant, In Cataloniæ enim regno, instituta contra Albigenses inquisitione, ossa Arnoldi Castelboni & Ermosynes de Bronicende filiæ, qui avus fuit Rogerii Bernardi Comitis Foxiensis, effodi atque exuri, ac cineres in aerem projici jusserunt, quod hæresis crederentur fuisse participes. Sed res tota Anno M. C. D. XXV. per Cardinalem Petrum Consalvum Mendozam, Sixti IV. Pontificis interveniente auctoritate, fuit composita. Et hi quidem primi fuerunt Inquisitionis auctores; sed quia devictis Saracenis severius aliquando illa contra Judæos & Mahumetanos fuit exercita, origo ad Ferdinandum refertur. Hæc jam olim à Papa Sixto IV. & Rege confirmata fuit, circiter Annum M. C. D. LXXV. ob innumeras nequitias quas Judæi in contumeliam Christianæ religionis committebant: eademque postea Luthero dogmatizare incipiente, antiquæ conservandæ religioni magno fuit adjumento, atque obstitit, quominus tam ipse, quam alii novarum sectarum conditores in Hispaniæ quoque regnis novam Babylonem, ut in Polonia, Germania, Bohemia, Anglia & Belgio exædificarint. Ejus vero hic est ordo & processus. *Quicumque hæreseos suspectus fuerit, ab officiario quem Familiarem vocant, coram Inquisitoribus comparere jubetur. Nulla hic fuga, nulla dilatio. Nihil fassus, liber dimittitur, constituto tamen Corycæo qui omnia ejus nihil tale cogitantis dicta & facta observet. Si quidquam Romanæ Ecclesiæ contrarium in eo animadvertatur, Inquisitorum jussu comprehenditur, & judicio sistitur. Illud vero notatu dignum est, quod tam contra accusatorem quam reum diligens habetur quæstio, utrum scilicet vir bonus sit, ac præcipue num inter ipsum & delatum inimicitiæ intercedant. Sed & quem Familiarem vocari diximus Officiarius talis eligitur qui in iis quæ ad religionem pertinent inculpatus, & qui à quarto gradu usque tam paternæ quam maternæ cognationis è Christiana prosapia sit ortus. Audito ac dimisso reo, Provisor, seu Vicarius, vel Diœcesanus vocatur, & ad eius relationem accusatus vel liber pronunciatur, vel in vincula conjicitur. Fugientem Alguazil seu lictor Inquisitionis persequitur; itemque Hermandatus seu Fraternitas, de qua supra: tantoque major hic adhibetur diligentia quanto fugiens majoris est auctoritatis & conditionis. Capti bona omnia consignantur; damnati, confiscantur. In his omnibus administrandis Iudices summam adhibent integritatem: qui omnes opulenti sunt, & ab avaritia aut corruptionibus alieni. Vt vero leves ac temerariæ accusationes impediantur, is qui falso aliquem aut per invidiam accusasse deprehensus fuerit, severe puniatur. Captivis omnia præter vestem auferuntur. Vbi octiduum circiter in carcere desederit, à custode carceris monetur ut à Iudicibus audientiam petat: qua impetrata, ab iisdem monetur, suppresso interim accusatoris nomine, ut culpam sua sponte fateatur, promissa, si id fecerit, impunitate; & econtra terrore mortis ob oculos posito. Si nihil fassus fuerit, in carcerem reducitur; ac deinceps iterum atque iterum judicio sistitur, utque suæ conscientiæ rationem habeat, monetur. Si omnibus artibus nihil ab eo exsculpi queat, crux & Missale apportantur: super quibus juramentum facere recusans, statim damna-*

damnatur. Iuratus, non tamen ſtatim abſolvitur, ſed infinitis quæſtionibus, de patria, amicis, &c. urgetur. Vbi nihil fateri eum Iudices vident (qui enim bene inſtructi ſunt, numquam ſeipſos accuſant, nec prius loquuntur quam ea quorũ accuſantur intellexerint) tum accuſationem ei aperiunt, teſtium tamen aut delatorum nomina reticent, de quibus divinare magis ex priuatis inimicitiis quam certi aliquid ſcire licet. Inde Procuratorem ſeu Advocatum ſibi eligit, qui ab eo informatus, ad ſingula reſpondeat: quod melius eſt quam ſi è veſtigio reſpondere cogatur.

Duo teſtes fide digni atque irreprehenſibiles, ad rei damnationem ſufficiunt, non tamen ſemper, præſertim ſi de capite agatur: prætor vero, apud quem captivi aſſervantur, ſolus ſufficit; unus tamen teſtis ad torturam non ſufficit, niſi certas conjecturas aut alias graves habeat rationes. Poſtquam diebus aliquot reus de teſtibus ſeu delatoribus conjecturam fecerit, productus Inquiſitores interrogat: num ab his vel illis inimicis ſcilicet ſuis, ſit delatus. Quamvis autem teſtium nomina divinare aut ſcire non poſſit, aliis tamen rationibus purgare ſe poteſt, nimirum ſi probaverit ſe cum Eccleſiaſticis habuiſſe amicitiam, obſervaſſe præcepta Eccleſiæ, dies feſtos, jejunia, Miſſas audiiſſe, & cetera quæ hæretici impugnant, obiiſſe. Ad hæc producenda novem dies integri reo conceduntur. Exploratis omnibus, Inquiſitores, qui ſunt Eccleſiaſtici ordinis & Theologi, de fide reſponſa examinant: quibus ſi innocentiam illi ſuam ſufficienter probaverit, abſolvitur, non tamen ſine dura aliqua pœnitentia, ſi metus aut ſuſpicionis cauſſa adhuc ſubſit; ſicque in carcerem ducitur donec de fide eius plene cognoſcatur. Quod ſi ex ore eius nulla probatio extorqueri poſſit quæ vel ad condemnationem vel abſolutionem ſufficiat, tortura res agitur, quæ in Hiſpania fidiculis tantum fit aut aqua, etiam quodcunque ob delictum. Sed & ſupplicia ibi non tam atrocia ſunt, ut in Germania, Gallia, & Italia. Hæretici igne puniuntur. Cetera ſupplicio-rum genera quæ rota, corporum diſſectionibus in quatuor partes, equorum diſtractionibus, &c. hunt, Hiſpaniæ ignota ſunt. *Ad incutiendum vero terrorem, reus cum vicario ſuo in locum ſubterraneũ, horroris plenum ducitur, ubi iam ante Iudices conſederunt. Interim carnifex nigro habitu ac tecta facie, ſpiritus infernalis ſpecie, ei occurrit, & ad Iudices abripit: qui precibus & minis ab eo contendunt, ut ultronea confeſſione tormentorum dolores redimat. Nihil fateri volentem, Iudices carnifici torquendum tradunt. Si quæſtione hac quoque nihil ab eo exprimatur, infinita alia artes illaqueandi hominem adhibentur. Subornantur qui hæreſis cauſſa ſe quoque captivos ſimulant & familiariter cum ipſo converſantes, omnia eius dicta & facta obſervant. Vbi certis argumentis reus hæreſeos convictus fuerit, igni adjudicatur: ſicque flava tunica, in qua diabolorum horribiles ſpecies picta ſunt, (id genus veſtis Sambenit vocant) indutus, & pileo ad turricula inſtar, in quo homo ardens, & diabolus capiti eius inſidens, itidem pictus cernitur, ad ſupplicium educitur, epiſtomio prius ori inſerto, ne ad populum loqui poſſit, ſi obſtinatus maneat; ſi vero confeſſus fuerit & ante ſententiam de ſe latam, pœnitentiam egerit, incredibili omnium gaudio, pœna expiandis ipſius delictis impoſita excipitur.* An ulla juſtior aut lenior hæreſin, quæ tantopere Mundum afflixit, coercendi ratio excogitari poſſit? Quod ſi quis inſtitutum hoc cum iis legibus quas hæretici in locis imperio ſuo ſubjectis de religione tulerunt, comparaverit, Inquiſitio multo illis tolerabilior videbitur. Id ſi cui dubium eſt, videat, quæſo, quam multa crudeliter paſſim ac nefarie hactenus, ac præcipue quam primum emergere cœpit hæreſis, patrarint. Quot rapinæ, quot cædes ab ipſis ſine ulla inquiſitione, ſine ulla judicii forma deſignatæ ſunt? ut ipſis Arabibus & Mauris deteriores merito videri debeant. Quid quod ſolum ſacerdotis nomen in multis juſta ſupplicii cauſa viſa fuit? quod ipſo Chriſto Domino noſtro ſacerdote in æternum, haud dubie clam ſupplicio iidem perſequuntur.

V. Inquiſitio porro ejuſmodi ob juſtitiam Franciæ ita placuit, ut ipſo effectu ab ea fuerit recepta. Et quidem *Edictum illud Romorantinum*, à privato Regis Conſilio omnibuſque Franciæ Parlamentis approbatum, hæretici Hiſpanicam Inquiſitionem nominarunt, ut in quo de hæreſi quæſtio ad prælatos tantum & Eccleſiaſticos remittitur, omni de ea cognoſcendi poteſtate ſæcularibus Iudicibus ademta; & omnes alterius quam Catholicæ religionis exercendæ cauſſa inſtituti Conventus, læſæ Majeſtatis crimine condemnantur. Sic enim Edictum habet:

Vt vero ſecreta ejuſmodi conjurationes in lucem protrahantur, mandamus ſub iiſdem pœnis ut omnes qui quoquo modo conſcii fuerint aut conſenſerint, ſtatim rem omnem Iudicibus aperiant, & reorum ſive complicium nomina deferant: quo in caſu bona fide & ſub verbo regio impunitatem reis, non reis vero, quingentas libellas Turonenſes, è damnatorum bonis confiſcatis ante omnia ſolvendas, promittimus. Omnes etiam Prædicantes, qui à Prælatis aut iis qui eius rei poteſtatem

rem habent, non ordinati fuerint; itemque omnes libellorum famosorum & aliorum scriptorum quæ ad nullum alium finem, quam ad seditionem spectant, auctores; tum impressores, venditores, & quicumque eiusmodi libellos & scripta disseminaverint; declaramus & haberi volumus pro rebellibus, nostris & publicæ quietis inimicis, ac reis criminis læsæ Majestatis, eosque iisdem pœnis quibus seditiosos & clandestinorum conventiculorum auctores, supra dicto modo ab iisdem Iudicibus puniri jubemus. Ne vero Edicto hoc nostro quisquam per malitiam ad calumniam abutatur: volumus & mandamus ut omnes calumniatores, & qui falso aut malitiose aliquem detulerint, iisdem pœnis afficiantur, quibus rei peracti erant afficiendi.

Quod si Edictum hoc quam sancte conceptum & promulgatum, tam strenue exsequutioni demandatum fuisset, tot tantisque malis ac miseriis Francia numquam esset involuta. Rigidum quibusdam visum fuit, at profecto, si tempora ista consideremus, asperioribus etiam remediis erat opus. Nullum umquam sæculum atheismi aut hæreseon, ex Calvinistica novatione exortarum, fuit feracius. Quamvis autem omnia quæ hac de re dici possunt, vel enumerare admodum difficile sit, pauca tamen, velut exempli caussa, indicabo. Promulgato, uti diximus, regio Edicto, ne quis hæreticus in Francia publicas conciones haberet, Rector quidam Collegii Rothomagensis, quatuor linguarum peritia se jactans, in vetitum nitens, & Regiæ Curiarum auctoritati medium quasi ostendens digitum, suggestum cõscendit, ac conciones habuit, magna accurrente Hugonotarum multitudine; quamvis Anabaptista esset, dicens inter alia, *Propinquam Antichristi ruinam divinitus sibi esse revelatam: à Deo se electum ducem, ut ipsius voluntatem exsequeretur: specialiter sibi à Deo mandatum esse, ut omnes malos Principes ac magistratus interficiat; promissumque, non prius moriturum, quam novus sit & ab omni peccato purgatus ac purus. Mundus constitutus.* Idem Prophetam se simulabat, & vaticinaturus, tamquam ad tripodem Apollinis se prosternens, horribiles gestus edebat. Certiores hac de re facti curiæ Iudices, hominem comprehendi jusserunt: verum is præfecti, qui Calvinista erat, opera ex urbe evasit ruri tamen ab agricolis agnitus, & in carcerem traditus, ac tandem unà cum duobus cognatis, ad ignem damnatus fuit. Sed illi spectato miseri hominis vivi combusti supplicio, hæresin ejurarunt, ac pœnitentiam egerunt. Dici vix potest, quam multi libelli à furiosis hominibus scripti undique prodierint, quibus Regia auctoritas turpiter pecibus proculcatur, & optimi quoque Principes ut tyranni Nerone ac Domitiano crudeliores diffamantur. Quam tu mercedem hos meruisse putas? Qui volet, legat Calvini eo tempore scripta edita: nulla pagina occurret quæ non injuriosis contra Principum auctoritatem, contumeliosis ac seditiosis vocibus plena sit. Quid Amboſiana illa contra Franciscum II. Regem conjuratio? quam pœnam meretur? Tum Quid Guiteriana illa contra Carolum IX; Quid Hugonotarum cum Turcis confederatio Basileæ concluſa? ubi Beza, Mallotus, Viretus, Segurius, Clemens, Rentius, Damursius & alii præsentes fuerunt. Quid de cædibus dicam innumeris per omnes totius Franciæ provincias commissis? Rupellæ triginta sacerdotes ferreis hamulis in turri speculatoria cæsi; & mox inde in aquam præcipitati sunt. Quis nescit apud Engolismenses, Petracorios, & alibi sepulchra aperta, & cadavera in quibus parum adhuc carnis restabat, pugionibus confossa? Anne hæreticæ crudelitatis sufficientia sunt testimonia & argumenta, puteus Nemausensis, cædes Fumellana, inhumanum genere quidem nobilissimi, sed flagitiis multo nobilioris factum, qui tanta cum infamia in femina quadam, ad quam apud Petracorios diverterat, hospitalitatis jura violavit. Annon Monbrissonii Hugonotæ Catholicos ut se ipsos de turri præcipitarent, coegerunt? Fleaci iidem sacerdotum capitibus tamquam globis luserunt. In parochia Callenevillana hæretici Ludovicum Faiardum probatæ vitæ & doctrinæ sacerdotem nova forma degradarunt, immissis in lebetem oleo ferventem ipsius manibus ac deinde oleo super caput atque in os infuso. Quid hac crudelitate magis barbarum atque inhumanum dici aut excogitari possit? Quod si tum in hoc regno uti in Hispania Inquisitio in usu fuisset, facile quum hæc aliaque innumera scelera, tum illa mala quæ ob religionis dissidium misera Francia pertulit, præcaveri potuissent, cujus honor tot tamque infamibus flagitiis valde fuit conspurcatus; tum suprema Regum auctoritas ab ipsis subditis pessumdata, ut qui ceu Furiis acti, suorum Principum cineres in ventum projicere non dubitarunt. O igitur jam felix, O beatum sæculum, quo nihil tale videtur vel auditur!

Hanc tibi debemus, Rex Augustissime, pacem,
Cuius monstra manus compescuit omnia: munus
Hocce tuum est, quod iam voces, Hugonota, Papista,
Desierunt. Omnes titulo censentur eodem

Iam

Iam Cives. Peragit tutus sua sacra sacerdos:
Pastor tutus oves agit, & mare navita sulcat.
Nimirum hanc nobis peperit tua cura quietem:
Subque tua dextra tuti requiescimus umbra.

VI. Sed in Hispaniam redeamus: in qua ad Inquisitionis tribunal non quæstiones tantum de hæresi, verum etiam blasphemiæ, & in Deum ac Sanctos contumeliosæ voces deferuntur. Sic Michael de Barro Navarræus & de Rege suo bene meritus, Ordinis S. Jacobi Commendator, quum aliquando *por vida de Dios*, id est, *per Dei vitam jurasset*, triginta & unum dies in compedes fuit conjectus. Qua de re quum apud Regem esset questus, Rex filium suum ipsi socium se additurum respondit qui catenarum pondus dimidiatum cum ipso ferret. Ita enim de se meritum esse, ut lubenter juvare ipsum velit: hac vero in re nullam aliam gratificandi rationem dispicere. Et conclave quidem carceris hic habuit aulæis ornatum, & cetera omnia non minus quam extra carcerem magnifica: compedes tamen ac catenas non minus duras ac graves quam de vulgo quis ferre cogebatur. Beza ut Imagines suas auctiores faceret, etiam Pontium Leonem admiscuit, tamquam glorioſum martyrem ad cœlum usque laudibus efferens. Sed nihil hoc mirum. Ejusmodi hominibus liber ille plenus est: qui diaboli potius quam Dei sunt martyres. Pontius enim hic præter hæresis crimen, peccati quoque nefandi convictus, & ab Inquisitione damnatus fuit. Sed cur Bezæ non liceat eos laudibus ornare, quibus idem, quod ille cum amasio suo commisit, (ut ipse non dissimulat, & alibi nos indicavimus) peccatum placet? Habeat ergo suum sibi Pontium qui sub tali iisdem vitiis infami præfecto, optimo jure hæreseos signifer esse meretur. Sed idem Beza alium suis adnumerat, qui tamen suus non est. Casallum dico, qui præceptor fuit Joannæ, Caroli V. Imperatoris filiæ, Joanni postea Lusitaniæ Regi, Sebastiani patri nuptæ, ejus quæ insigne Xenodochium & monasterium Madriti ædificavit, in quod postea Maximiliani Imperatoris vidua, ejusdem Caroli V. filia, concessit. Sed de Casallo res sic habet. Postquam suo ipsius testimonio hæreseos convictus, & ab Inquisitione ut vivus combureretur, damnatus esset, multi Hispaniæ magnates, ut vitæ ei gratiam faceret, apud Regem interceserunt, spe facta fore ut hæresin ejuret ac detestetur. Quibus Rex respondit, si filia quoque sua vel micam haberet hæreseos, eam se justitiæ ultro traditurum. Casallus damnatum se videns, boni angeli inspiratione monitus, de animæ suæ salute sollicitus esse, erroresque quos amplexus fuerat considerare cœpit. Cum docto ergo homine colloquutus, & tandem, quamvis doctissimus esset, erroris convictus, publice hæresin ejuravit, & remisso Novatorum doctrinæ nuncio, Catholicæ Ecclesiæ fidei se consignavit, & ad Romanæ Ecclesiæ unionem rediit. Hac victoria lætus Rex, supplicium homini leniri jussit: qui ad locum supplicii productus, *longam & doctam de conversione sua orationem ad populum habuit, ac protestatus est, se non ut Protestantem infidelem, sed fidelem ac bonum Catholicum, in fide Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ, extra quam salus non sit, moriturum.* Quam confessionem etiam mox sanguine suo obsignavit, glorioso triumpho in cœlestem Beatorum sedem receptus. Hoc modo vitam Casallus clausit, cum æterno hæreticorum opprobrio, qui impudenti sane mendacio suis eum accensere non verentur, mentitis martyribus.

DE IIS QUÆ IMPERATOR FERDINANDUS post Caroli fratris discessum, ad Catholicam stabiliendam Ecclesiam egit.

Caput Septimum.

ARGUMENTUM.

I. *Lutherani è Colloquio VVormatiensi turpiter discedunt, inter se divisi & se mutuo damnantes.*
II. *Miraculum Augustæ Vindelicorum factum.*
III. *Maximilianus Ferdinando Imperatori succedit.*
IV. *Protestantes de auxilio contra Turcam sollicitat, qui tergiversantur.*

I. Ferdinandus quamvis ut Imperii, ita & studii fraterni in Ecclesia Catholica tuenda successor esset: tamen quum à Turca, qui Hungariam pœne totam jam pervaserat, externum bellum immineret, coactus est, ut Germaniæ statum talem, qualem à Carolo acceperat, conservaret, ad pacem domi constituendam omnem operam conferre. Itaque conventu imperii Ratisbonam indicto, qui ad finem Anni 1556. cœptus in sequentis anni ver protractus est, Protestantes Principes non semel interpellavit, *ut in federis adversus Turcam societatem secum venirent, reliquiasque Hungariæ & Transsilvaniæ conjunctis copiis defenderent.* A quibus contra petitum est, *ut Religionis controversia decideretur, quoniam id à Consilio, ob incidentes bellorum motus, factum non esset.* Imperator quem cautiorem jam

fecerant præteritarum rerum documenta, *æquum non esse respondit, ut causa ad Ecclesiam universalem pertinentis, soli Nationi Germanorum permitteretur diiudicatio:* victus tamen ad extremum tum importunitate Protestantium, tum Catholicorum spem certam victoriæ Imperatori facientium, confidentiâ; *ut ad colloquium veniretur VVormatiæ ad* XIV. *Cal. Octob.* concessit.

Quia vero tota Germania spem conceperat, fore ut dissensiones Religionis causa obortæ in illustri hoc conventu dirimerentur, propositum est mihi formam ejus, ritum & eventum breviter enarrare. Indictum erat Colloquium Anno M. D. LVII. inter duodecim Theologos Catholicorum, & totidem Doctores Confessionistas, præside Spirensi Episcopo. Notarii constituti erant ad Acta Disputationis excipienda, hac conditione, ut ea scrinio inclusa, cujus clavis penes Præsidem una, penes Doctores Catholicos una, & penes Lutheranos item una esset, ad diem Comitiorum Imperialium asservarentur. Et ne res abiret sine fructu, tum Principum tum Theologorum causa, decretum erat, ut quatuor utrimque Principes negocio interessent: quibus vel morte, vel morbo, vel alia ratione impeditis, alii qui eorum vicem supplerent, nominati fuerant. Numquam uti dicebam, tanta spes pacis, quanta tunc temporis, affulsit. Magna pollicebantur de se utrique. Catholici, scientes causam suam *fundatam in soliditate petræ, adversus quam portæ inferi non prævalebunt,* & habentes viros illustri experientia, ex versutiis Protestantium 40. annorum decursu inspectis, conscii etiam discordiarum grandium & multiplicium, quæ inter ipsos Lutheranos aperte grassabantur, constitutis, quasi aciebus, Flaccianorum, qui erant *Rigidi,* & Adiaphoristarum, qui erant *Molles,* item Osiandrinorum, & Majoristarum, qui omnes de Justificatione, & bonis operibus &c. credendis aliter quam alii, sentiebant. Itaque ante constitutum diem Wormatiæ adfuerunt Catholici: Item Flacciani cum Brentio: at Melanchton primum cum Sociis ad initium Septembris advenit, quoniam hic Conventus, de Religione etiam suorum Symmystarum Horrebat, conscientia defertæ suæ, quam ipse Augustæ conscripserat, Confessionis. Horrebant igitur Molles venire in congressum Flaccianorũ, & tamen declinare hoc tẽpore impossibile eis videbatur, utpote à principibus suis missos. Tentarunt igitur hi inter se ipsos discordes Reformatores, an aliquo Syneretismo sua Schismata possent componere, tum Francofurti tum Wormatiæ, antequam cum Catholicis congrederentur, sed Spiritus vertiginis, qui erat in his rotis, neutro loco in concordiam viros discordiæ pervenire permisit. Brevissime res ita cecidit. Ante congressum cum Catholicis Theologi Lutherani *Rigidiores,* jussu suorum principum, videlicet Vinariensium Saxoniæ Ducum, sub quibus Lutherus Schisma suum cæperat, urserunt Molles, ut anathematizarent saltem secreto Zvvinglianos, Osiandrinos, Majoristas, & Adiaphoristas, quod coacti demum revera fecerunt Molles traditis clare subscriptionibus, quæ ad Principes per Legatos referrentur. Atque hac larva concordiæ, Mollibus clam damnatis, cum Catholicis in colloquium venerunt. Cum igitur consedissent, Catholici Doctores opus esse affirmabant, *quum inter Catholicos & Confessionis Augustanæ Theologos instituta sit disputatio, seclusis reliquis sectis omnibus, ut personæ conferentes, religionem aperte suam profiteantur: si quidem omnes esse Catholicos, & unam fidem uno ore confiteri. Idem igitur velint Theologi Protestantes profiteri, ut constet mundo solum inter Confessionis Augustanæ & Catholicæ fidei professores colloquium esse habitum, & de religione concordatum.* Profuit in hoc articulo Protestantibus ad bene tempus quod larvatam saltem concordiam inter se iniissent, ante Disputationem. Itaque eam professi, cum Catholicis rem egerunt de Judice Controversiarum, & hujusce disputationis: in qua actione, *Catholici Ecclesiæ authoritatem decidendi vindicabant, cujus sententia in Conciliis Generalibus, item perpetuo PP. consensu expressa, sit audienda.* Melanchton contra ad Sacram scripturam & Tria symbola (Apostolicum, Nicenum Constantinopolitanum) atque Confessionem Augustanam, authoritatem hanc revocabat, satis fatuè utpote adversus suæmet Religionis principia, excludens Conciliorum sententiam, & eandem in symbolis illis, præter scripturam assumendis, admittens, quodque multo erat turpius, *Confessionem à semetipso compactam & solum quinque principum Germaniæ & duarum urbium subscriptione initio firmatam,* in locum Generalium Conciliorum surrogando. Disputatum est igitur acriter ab utraque parte. Catholici objiciebant Lutheranis arrogantiam, quod nimirum se ipsos Sanctissimis omnium sæculorum Patribus, & suas opiniones, judicio universæ Ecclesiæ, & consensui totius Antiquitatis anteponerent, hi, qui Novi essent ab heri & nudius tertius, coaliti, & tamen ne quidem inter semetipsos consentientes, quod satis convincant plures eorum

factiones,

factiones, Accidit hoc per molestũ Protestantibus, præsertim cum à Catholicis urgerentur *ut, si admittere debeant Confessionis Augustanæ dogmata, ipsi se prius redigerent in unum de illa sensum, & subreptitios sub ejus prætextu sectarum authores anathemate notatos rejicerent, atque à Consortio suo authoritate publica excluderent. Datam esse pacem Confessioni Augustanæ decreto publico, id beneficium ad alias sectas non pertinere.* Facile videt Melanchton hic procellam in caput suum parari, itaque demisse rogabat, ut de controversiis ipsis ageretur, sed zelotæ Flacciani intendentes detriumphare Melanchtonem & in eo alteram Saxonum, Vinariensibus infestam, domum, parendum postulationi huic Catholicorum censuerunt, & offerendas Præsidi Disputationis hujus condemnationes domesticarum hæresum, quas antea Legatis principum privatim obtulissent. Frustra deprecabatur hoc Melanchton, Flacciani enim tam propinqui victoriæ, anathema dicendum palam urgebant. Itaque Melanchton, cedens tempori, seipsum anathemate ferit aliquot conscriptis anathematismis, inter quos etiam Adiaphoristarum secta, cujus ipse author erat, condemnabatur. Interim protestabatur etiam de injuriis Flaccianorum. Brentius vero Osiandrũ noluit damnari, qua in re & Melanchtoni & Flacianis se opponebat. In hac perturbatione voluntatum Flacciani Julium Pflugium præsidem colloquii sponte accedentes ei *protestationem offerunt in qua Zvvinglianos, Osiandrinos, Maioristas sive Synergistas, & Adiaphoristas prompte damnabant, veluti alienos à Confessione Augustana, ideoque quoad religionem attinet, nihil sibi cum iis sectariis fore commune.* Atque in hunc modum Melanchton, qui Confessionem Angustanam ipse compegerat ab eadem post 27. annos, per suos discipulos fuit exclusus, & veluti è Lutherana Rep. proscriptus, & quod amplius est ipse sibi anathema, justo Dei judicio, vivens dixit. Et Flacciani quidem exhibita sua protestatione quasi ad hanc damnationẽ solum venissent, confestim iter ingressi sunt domum revertentes. Cæteri autem quinque Theologi Protestantium, nempe Schaeppius, Strigelius, Stosselius, Morlinus & Sarcerius recedentibus à communione aliis VII. Lutheranorum Theologis perstiterunt. Unde colloquium hoc primo suspensum fuit deinde vero etiam plane dissipatum. Siquidem consulto Cæsare, quid in discordia Lutheranorum agendum esset, Lutherani, ne quidem eo jubente, & optante, conciliari deinceps non potuerũt, & Catholici ignorabant cum qua parte eorum qui se & damnabant, & tamen Confessioni adhærere asserebant, agendum esset. Nihil itaque actum est aliud eo colloquio, quam quod *turpitudo Hæresis Lutheranæ indies in fœtissimas maiores prolabentis, mundo apparuit*, quam Fridericus Staphylus, Jureconsultus, nuper è Lutheranismo ad fidem Catholicam reversus, præsens huic colloquio, utpote Ferdinandi Cæsaris & Ducis Bavariæ Consiliarius, qui cuncta Lutheranorum secreta noverat, edito libello vulgavit, sub titulo *Trimembris epitome Theologiæ Lutheranæ*, in cujus tertia parte de variis Lutheranorum sectis disserit, etsi eædem se Confessionis Augustanæ professores esse affirmẽt. (*a*) Ita Lutherani, priusquam ad manus ventum esset, pugnæ se subduxerunt, Catholicis instructa acie frustra prœlium exspectantibus. Mox ecce tibi scriptorum aculeatorum & mordacium certamina, Nicolao Amsdorffio & Nicolao Gallo, qui erant ex numero Excommunicatiorum, adversus Melanchthonem & Brentium qui alterius erant factionis, insurgentibus, eosque hæreticorum fautores, Zvvinglianos & Osiandrinos appellantibus, qui veluti impii suis opinionibus Augustanæ Confessionis velum prætexant. *Nam in VVormatiensi Colloquio* (scribit Amsdorfius) *Brentius & Philippus Melanchthon, quum ipsi Zvvinglium & Osiandrum damnare recusarent, nos deridiculo habuerunt, & à Colloquio prorsus ignominiose repulerunt, quod ad disputationem progredi, nisi illorum prius damnato errore, nollemus. Quumque ii, qui post nostrum discessum remanserunt, aliam doctrinam ab ea, quæ Augustana Confessione explicatur, se non propugnaturos scriptis suis testati sint, nihil minus tamen faciunt quam quod sunt professi, & non Zvinglianos tantum, sed & Osiandrianos sese ostendunt. Controversia nostra* (dicebat Ratisbonẽsis Minister) *de gravissimis Fidei capitibus fuit, qualia sũt de Lege, de Evangelio, de Iustificatione, de bonis Operibus, de Sacramentis, de Ceremoniis: de quibus non potuit inter nos convenire.* Hic exitus fuit istius Conventus, aut potius Comœdiæ, & sumtu Lutheranorum, & cum eorundem ignominia actæ. Miser Melanchthon, vultu in terram dejecto, & corrugatâ fronte, pudore suffusus perpetuo suspiria ducebat: *Deus bone*, inquiens, *cum qualibus & quam cerebrosis hominibus negocium nobis est? Actum est de Ecclesia Domini.* Dixerit hic non nemo: *O miseros Babylonis ædificatores!* alius *Parturiunt montes unde*

[*a*] *Vlenbergius vitæ Melancht. cap. 23 ex AA. Lutheranis ibi cit.*

nihil nisi fumus & orbis risus. An non jure omni hanc Babylonem compos mentis vitet?

II. Porro Ferdinandus septemdecim imperavit annis, quibus omnibus nihil in religionis negocio memorabile gestum est, nisi quod scriptis & libellis inter partes acerrime dimicatum fuit, interim ut sequenti Capite ostendam tum inter Protestantes, tum Catholicos, imprimis Staphylum, nam in hunc omnes pariter insurrexerunt, qui in Trimembri epitome Theologiæ Lutheranæ, sese in lucem aliter, quam vellent protractos è suis latibulis, dolebant. Ex Protestantium numero quidem Melanchton Anno 1558. Atro felle scriptum edidit, eo quod ipse esset creatus Dux ternæ Phalangis Evangelicorum, & tunc sumtus est Flaccius Illyricus, Andreas Musailus, Jacobus Smidelinus, & Longinus Schvvenckfeldianus, &c. quibus omnibus idem Staphylus unam nervosam responsionem opposuit, hoc titulo insignitam; *Contra ædificatores turris Babylonicæ Responsio.* quo viso Melanchton se pugnæ subtraxit; nec Staphylum deinceps lacessivit. Cum vero turpitudo illa Lutherani Schismatis indies magis pervulgaretur, acrius de medicina luxato corpori adhibenda cæptum est cogitari, quam cogitationem Melanchton probavit; sed opere impleri posse desperans dixit demum verissimum hoc inter plurima falsa verbum, *Quod nostri principes tolli controversias cupiunt, voluntas laudanda est, sed conantur hydræ caput præcidere hoc Sycophantico sæculo.* prædixerat hoc Lutherus ipse in captivit. Babylon. libro [a] *Dabo operam ut negocium* scribendi *habeant copiosum, præcurram enim, ut dum glorioſissimi victores de una aliqua mea hæresi, ut eis videtur, triumphant, ego interim novam moliar.* Synodus opportunissimũ videbatur esse remedium sopiendæ discordiæ, sed Melanchton restitabat, æque à suis, quam à Tridentinis PP. timens fulmen anathematismi. In hac trepidatione & angustiis miser Melanchthon reliquum vitæ exegit, adeo ut ne quidem Wittebergæ sibi videretur esse tutus, uti ipse in Epistolis queritur, & sane fugam aliquoties tentavit, maxime initio Anni 1559. quo Flaccius invalescens Decem sectis è Luthero ortis, anathema procuravit publice dici à Winariensibus Ducibus. contra quod Wittebergensis Academia insurgens, scriptum plane maledicum emisit. Sed dum se Lutherani concidunt Calvinismus sensim in Germaniam, & primo Palatinatum irrepit. [b] & Melanchton Anno 1560. moritur. Pacem optimus Imperator unice spectabat; quæ tanto magis Christianæ Reipublicæ erat necessaria, quanto ei majora à potentissimo hoste pericula impendebant. Paullo vero ante mortem ipsius Augustæ Vindelicorum res accidit miraculo plena, quæ multos ad Catholicam fidem convertit. *Filia civis textoris à dæmone insessa, à patre ad Prædicantes Lutheranos liberanda deducitur. Hi exorcismis rem privatim aggrediuntur, sed frustra; diabolo omnes eorum conatus irridente. Itaque excusare se Ministri, & æterni Patris voluntatem ac decretum, qui pœnæ tempus nondum abbreviare vellet, obtendentes; patrem ad patientiam cohortari. Forte aderat è vicinia Chirurgi cujusdam Matthiæ nomine filia, Catholicæ religioni addicta. Hæc dæmoniaca patrem rogat, ut sacerdotem quendam Catholicum, Patrem Simonem nomine, qui in templo Mauritiano concionabatur accersiri curaret. Patre assentiente venit sacerdos, homo ceteroqui inculpatæ vitæ, & in his rebus non inexercitatus; precationibus se dat, & aquam lustralem secum ad obsessam adfert. Quo illa conspecto, mirum in modum angi atque horribiles ululatus edere cœpit. Quum vero ardentissima siti torqueretur, ex aqua lustrali haustum sumere coacta, ingravescentibus tormentis, multo crebrioribus atque atrocioribus iniuriis in sacerdotem; exorcismis intentum, debacchabatur, tanta cum vehementia, ut vix à sex robustis viris teneri ac constringi posset. Post longam quasi pugnam & frequentem divini nominis invocationem, diabolus taurina voce omnibus audientibus exclamavit, Nequissime sacerdos, numquam tu me hinc expelles: cedere tamen fortiori tandem & creaturam hanc Dei relinquere compulsus fuit: quæ non pristinæ tantum formæ & corporis valetudini restituta fuit, verum etiam animæ salutem recepit, cum suis ad Catholicam Ecclesiam, in qua sola vera miracula fiunt, reversa.*

III. Defuncto Ferdinando VIII. Kal. Sextil. Anno 1564. Maximilianus filius successit natus Anno 1527. cum jam ante Anno 1562. VIII. Kal. Dec. in Regem Roman. esset Electus. Ei vix Imperium ingresso Turca omnibus viribus incubuit. Solimanus enim jam ætate provectus, ut victoriis suis colophonem imponeret, cum exercitu Hungariam pervagatus, Sigethum, positis castris, acerrime oppugnabat. Imperator accepta periculi magnitudine, Principes Augustam convocat, ut de auxiliis conferendis ageretur. Ibi Protestantes alia atque alia obtendere; nonnulli bellum quod tum inter Daniæ & Sueciæ reges gerebatur, in quorum regnis

[a] *Anno 2. b.* [b] *Vlenberg. Vit. Melanchton. cap. 23. & 24.*

regnis jam ante quoque religio mutata fuerat, uti supra libro 4. diximus; alii contentionem, quæ inter duos fratres Duces Winmarienses, Electoris Palatini generos, exarserat, quam tam dictus Palatinus quam Saxoniæ Elector plurimum ad res suas pertinere dicebant. At Philippus Hassiæ Landgravius, & alii Principes tredecim ejusdem religionis, Marpurgum ab eo invitati, se per nuptias filii sui cum Ducis Wirtenbergici filia excusabant. Horum vero Principum nomina erant. Philippus Hassiæ Landgravius, Gulielmus & Ludovicus ejus filii, Philippus Dux Holsatiæ, Ernestus Dux Brunsuicensis, Christophorus Dux Wirtenbergicus, duo ipsius filii, duo filii Comitis Palatini Electoris, Wolfgangus Dux Bipontinus cũ filio, & Joannes Georgius filius Marchionis Brãdenburgensis. *Et iis quidem qui inviti aliquid faciunt, excusatio numquam deest.* Non parum tum Imperator indignabatur, quod tam propinquo sæviissimi hostis metu, Principes genio & conviviis indulgerent; simulque verebatur ne per hanc occasionem aliquid in religionis negotio de novo tentarent; præsertim quum ex omnibus Principum familiis qui religionem Protestantium sequebantur, illo in conventu quidam præsentes essent. Præcipua ipsius cura fuit, ut Comitem Palatinum tam ad antiquam religionem, quam officium reduceret, qui Augustanæ Confessionis adeo inter se dissidentis pertæsus, Genevensem cujus vulnera tunc veluti recentis mercis latebant, fuerat amplexus, ut alibi ostendam.

IV. Itaque Maximilianus, quod periculum in mora esset, solo Bavariæ Duce comitante, Augustam profectus est. Miserunt quidem eo Protestantes Legatos suos; sed Imperator, quod de magnis & ad totius Christianæ Reipublicæ salutem pertinentibus rebus agendum esset, Principes per omnia sacra obtestatus est, *ut ipsi eo venirent, nec bello inter Danos & Suecos decipi se sinerent, sed Iesu Christi honorem suis nuptiis & epulis, ac publicas utilitates privatis anteponerent.* Interea Solimanus maximis viribus Hungariam pervagatus, pleraque suæ ditionis fecit. Comitiis tandem celebratis, deliberatum fuit, de hæresibus Pace religionis non comprehensis, immo Augustani Conventus Anno M.D.LV. habiti decreto damnatis, ex Imperio profligandis ac penitus exstirpandis: tum etiam de auxiliis contra Turcam conferendis. Facile tum videbat Elector Palatinus, non solum Anabaptistas, Arrianos & alios hæreticos, verum etiam se suosq; Calvinistas, quorum Confessioni sese adjunxerat, isthac propositione designari. Quare omni studio eo elaboravit ut hac de re eo in conventu nihil omnino fuerit decretum: de altero vero facile assensit, ut nimirum contra Turcas auxilia contribuerentur; cujus expeditionis eventum libro IV. explicavimus. Et hic tum quidem rerum erat per Germaniam status: quem crebris offensionibus, ac præsertim religionis dissidiis vehementer labefactatum, mors Solimani non parum recreavit. Deo providente, ne dum suos flagellat & terret ad pœnitentiam, hostis nihilominus sanctam Ecclesiam non plane conculcet.

DE VARIIS AC DIVERSIS FIDEI CONfessionibus, Principum jussu cusis, & per ipsorum ditiones divulgatis: deque altercationibus Theologorum.

Caput Octavum.

ARGUMENTUM.

I. *Pace inter Principes facta, calamo inter doctos dimicatur.*
II. *Quid Calvinus de Luthero senserit & dixerit.*
III. *Facetà Narratio de quodam qui nullibi repertis eiusdem religionis ociis, ad Catholicam Ecclesiam rediit.*
IV. *Colloquium Numburgense.*
V. *Bremæ religio mutata, & Calvinismus sensim introductus.*

I. PAce cum Protestantibus in Germania Principibus post Saxonem & Landgravium liberatis, ita tamen accisis viribus ut movere nihil amplius possent; Mauritio etiam in prælio occiso, & crudeli illo Alberto Brandeburgico profligato, à Carolo V. facta, & à Ferdinando Imperatore prudenter continuata: bellum inter Theologos acerrimum fuit exortum; compositoque ferreo bello, papyraceum actius geri cœpit. Novæ ac multiplices prodeunt undique Fidei Confessiones, tam Principum quam privatorum Theologorum nomine. Unam Saxoniæ Dux edidit, aliam Comites Mansfeldienses; rursus aliam Christophorus Dux Wirtembergicus: quibus non solum Zvingliani & Calvinistæ, quorum secta tum in Germania gliscebat, sed Melanchthoniani etiam & Majo-

nistæ, quamvis fideles olim Lutheri amici, hæreseos condemnantur. Tum quoque odiosa illa & tot disputationibus vexata, lapis offendiculi hæreticorũ, *de Cœna Domini quæstio* inter Theologos rursus summa contentione agitata fuit: de qua quid sentiendum esset à Wolfgãgo Comite Palatino rogatus Melanchthon, more suo ita ambigue respondit, ut miserũ Principem ex in certo multo fecerit incertiorem. Quia tamen Melanchthon Sacramentariorum sententiæ subscribere quodammodo videbatur; idem Princeps *formam quandam religionis constituit, & in sua ditione tantisper observari jussit, donec aliter à se fuerit statutum.* Idem in ditiuncula sua fecit Georgius Princeps Anhaldinus quietiã assumto Prædicantis habitu, propria auctoritate è suggestu ad populum est concionatus. Hinc Beza *simul & boni Principis & vigilantis Pastoris munus ab eo impletum scribit ac subditorum quidem Principem in terra, eorundem vero ducem ac ductorem ad cœlum fuisse. Ab hoc etiam longinquas nationes consilia petiisse*, idem auctor est. Tanta hujus Principis primi & ultimi inter prædicantes erat auctoritas. Sed & alii Principes suas quisque Confessiones promulgarunt, pleraque à Melanchthone cusas ac formatas. At Nicolaus Gallus Prædicans Ratisbonensis contra Melanchthonem stricto calamo, *ambiguitatem ei exprobrabat; Lutheri de reali Corporis Christi præsentia in Sacramento altaris sententiam strenue propugnans.* Similiter Brentius junior, Professor Tubingensis patris sui opinionem acerrime defendebat, *qui Zvinglianam & Calvinisticam doctrinam tamquam diabolicam & plenam impietatis condemnarat;* Principemque induxit, ut Zuinglianos & Sacramentarios publico Edicto proscripserit. Sed & inter Joachimum Westphalum Lutheranum & Joannem Lascum Polonum Calvinistam acerrimæ contentiones exstiterunt, ut scripta utrimque edita testantur. Nec minus civiliter magnus ille Superintendens Heshusius Calvinistas tractavit. Sed & Calvinus egregie se ultus est: cujus scripta tam mordacia atque aculeata sunt, ut hac in palæstra omnibus qui ante eum fuerunt, palmam præripuisse videatur.

II. Calvinus vero Lutheranos perstringens, immemor ejus fuit quod antea scripserat; *Lutherum divino Spiritũ afflatu & à Deo missum fuisse. Hoc sine ulla assentatione* (ait quodam loco) *nos Luthero testimonium perhibemus, fuisse insignem Jesu Christi Apostolum. Res ipsa testatur, non Lutherum, sed Deum per Lutherum loquutum esse, & ex ore eius fulminasse.* Si ergo Lutherus est Jesu Christi Apostolus, Calvinus diaboli erit Apostolus; ut quem Lutherus in persona Zvinglii & aliorum Sacramẽtariorum hæreseos damnavit, ejusque doctrinam currum esse scripsit, quo innumeræ animæ ad Infernum deducantur. Sed & Calvinus ejusque assecłæ Lutheranorum doctrinam pestilentem esse ac morte dignam: & vicissim Lutherani Calvinistarum errores flammis expiandos esse scribunt.

Porro Brentius & Martinus Chemnitius Prædicans Brunsuicensis ex una, & Henricus Bullingerus ab altera parte acerrimas inter se dimicationes susceperunt. Et illi quidem ad Georgium Brãdenburgicum scripserunt, *ut si salus sua sibi cura esset, Calvinistas non solum à se segregaret, verum etiam è tota sua ditione eiiceret, ac pœnis coerceret; ut qui venenum suum longe lateque spargere satagant.* At Calvinistæ econtrario hortati sunt, tam hunc quam alios Principes, *ut Crassiores Lutheranæ doctrinæ errores emendarent, ut quibus homines ad perditionem perducerentur. Et sub Lutheranismo merum adhuc Papismum latere.* Inprimis vero Calvinus Melanchthonem ad suas partes pertrahere studebat. *Et tu quidem*, inquit, *te occultas: at quid si mors interim te opprimat?* Neque tamen quidquam ab hoc polypo certi exprimi potuit: de quo Lutherani in Apologia de Cœna Domini, *Negate*, ajunt, *non possumus Melanchthonem non tam serio ac par erat, Sacramentariis sese opposuisse, qui parum sincere cum eo agebant. Debebat ille considerare, quantopere vulgi, qui fidem ipsi habuerunt, animos & conscientias incertitudo illa perturbatura esset; & Calvinistarum artes & fraudes melius perspicere, qui hoc modo parvam suam doctrinam propagare conantur.* Tandem vero Imperii Statibus Francofurti, ut novo Romano Imperatori fidem & homagium præstarent, congregatis, Protestantes Principes quum apud alios suos Theologos, tum Melanchthonem præcipue institerunt, ut sententias suas aperte proferrent, & quid de singulis articulis & controversiis credendum esset, statuerent. Habito super ea re concilio, post multam disceptationem à prædictis Theologis in hanc sententiam concluſum fuit. *Quantum ad doctrinam de Cœna Domini, nos recipimus Catechismum Lutheri, Confessionem Augustanam, Articulos Smalcaldicos, secundum eum intellectum qui Apologia continetur, & Locos Communes Philippi Melanchthonis: quemadmodum etiam recipimus Reconciliationem & concordiam inter*

Luthe-

Lutherum & Bucerum Anno M.D.XXXVII. *multis piis & doctis hominibus præsentibus, VViteberga factam.* Hæc vero ambigua responsio è Melanchthonis tripode profecta, per eosdem postea amplius declarata, & realis corporis Christi præsentia approbata fuit, ut è scriptis Apologiæ de Cœna insertis videre licet: ad quæ tamen Sacramentarii nequaquam muti fuerunt. In omnibus his nullum de antiquis Conciliis verbum, nulla SS. Patrum, *qui fideles Christianæ Fidei custodes fuerunt, mentio.*

III. Cadmæa hæc progenies, vix terra è draconis dentibus exorta, statim versis in mutuam perniciem armis, ita invicem sese invaserunt, ut nullus conviciorum quibus alter alterum incessebat, modus, nullus ditarum quibus una secta aliam devovebat, fuerit finis: ut scriptæ ab his atque illis edita testantur. *Qua in re non veritatis studium, sed sua cuique ambitio dux erat.* Et sane *mos est hæreticis,* ut S. Gregorius inquit, *in disputando suam gloriam cum Veritatis jactura ambire.* Nihil minus illi quam Veritatem quærunt: sed hæreseos vino ebrii, quid faciant, aut quam viam ingrediantur, nescient, hinc inde tamquam in tenebris oberrantes, & jam ad hanc jam ad aliam partem deflectentes. Talis fuit ille Melanchthonis discipulus, quem Staphylus narrat omnes sectarum portas pulsasse, & apud omnium religionum, quæ in Septemtrionalibus vigent regionibus, socios Ministerii munus quæsiisse, sed post editam Fidei confessionem æque ab omnibus repudiatum. Nam è Saxonia ab Illyrico, è Prussia ab Osiandro ejectum; in Polonia ab Antitrinitariis & Deistis, aliisque novis Evangelicis, quorum sectæ ibi prævalebant, locum ei denegatum; in Bohemia ab Hussitis & Picardis, in Silesia à Schuenckfeldianis, in Moravia ab Anabaptistis suas sibi res habere jussum. Post longam discursationem, miserum hominem qui nullis aliis armis quam S. Scripturæ textibus & Lutheri ac Melanchthonis auctoritate suam religionem defenderet; nec tamen qui pro Christiana & Evangelica agnoscere eam vellent reperiret; tandem Viennam delatum, & tam de aliis suis miseriis quam de tam longa & laboriosa peregrinatione apud viros quosdam eruditos Catholicos conquestum: se nimirum omnes fere regiones objisse, ut gentem aliquam seu nationem inveniret quæ in omnibus Lutheri & Melanchthonis doctrinam sequeretur; sed unum tantum Prædicantem reperisse, qui suggestum conscendendi, & eandem Veritatem secum prædicandi potestatem ipsi facere voluerit. Idem deinde melius instructus, relicta hæresi ad Catholicam Ecclesiam fuit reversus.

IV. Principes Augustanam sequentes Confessionem, frustra tentata inter Superindentes & Pastores suos concordia, Naumburgi in Thuringia Anno 1561. conventum habuerunt, [a] ad quem Papa Pius IV. Nuncium suum misit, exhortans ut Concilii decreta de religione exspectarent, quod Imperator, Galliarum Rex, & alii Principes Christiani magno tum studio iterum flagitabant. Sed non plus hic conventus momenti ad consensum attulit, quam reliqui fere omnes. Quotiescumque enim de religione instituta fuerat disputatio, primo statim congressu quando de Judice agebatur, factaque illis optione, ut doctrinam suam ei quæ primis quinque sæculis viguisset, quamque puram & incorruptam fuisse ipsi fatebantur, conformem esse demonstrarent, Conciliorum proferebatur in Scriptura interpretanda auctoritas. *Nos,* ajebant, *quatuor illa prima Concilia, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonium admittimus, quatenus tamen S. Scripturæ sunt conformia.* Sed hic velim mihi dicant suaviludii isti, ad quid opus sit quatuor illorum Conciliorum ab aliis distinctione, si cautio hæc addatur, ut S. Scripturæ sint conformia? O ineptam ac turpem non tam elusionem quam illusionem! Idem enim de Porphyrii & aliorum scriptis, ac de Alcorano quoque dici possit, quatenus scilicet S. Scripturæ sunt conformia cujus testimoniis tam Mahumetes quam plerique alii utuntur. *Sicut sepia,* inquit Gregorius Nazianzenus in oratione ad 61. Episcopos, *ubi in rete incidisse se animadvertit, effuso atramento, quod pro sanguine ei est, aquam infuscat, sicque evadit: ita & hæretici semper posticum aliquod reperiunt, per quod se subducant;* nullum vero commodius quam quod Conciliorum decreta & SS. Patrum judicia libere, quando & ubi lubet, aspernantur, S. Scripturæ, id est, interpretationi in ipsorum cerebro nitæ, dissentanea esse caussantes. Hoc vero modo nullus unquam controversiarum erit finis, ut libro VIII. clarius ostendam.

Dum itaq; Lutherani Molles cum Rigidis, & utrique cum Zvinglianis de concordia nequidquã tractãt [b] Calvinistæ, vafri & versipelles homines, Geneva

[a] *Anatomia Eccl. Cathol. pag.* 109. [b] *Vlen. in vita Luth. Melancht. Flacii, &c.*

Geneva egressi, omnes undique suam propagandi doctrinam occasiones captant; eumque in finem varios libellos passim spargunt, ii quum Bremam, quæ Archiepiscopalis est inferioris Saxoniæ civitas, irrepsissent, frustra indignantibus ac frementibus Lutheranis paullatim magis magisque invaluerunt. Horum præcipuus fuit Albertus Haldenbergius, qui Lutheranum hactenus se simularat, sed paullatim ad Calvinistarum doctrinam deflexit. Senatus cui novitas hæc initio non valde placebat, Theologorum Witenbergensium, à quibus, uti ajebant, repurgati Evangelii veritas profecta esset, sententiam exquisivit: qui unà cum Melanchthone (is enim adhuc tum, scilic. A.M.D.LVI. in vivis erat) Augustanæ Confessioni inhærendum responderunt. Vocatus Hardenbergius, & Witembergensis Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum matris sententiæ subscribere jussus, *Augustanam Confessionem*, ait, *plenam esse errorum: tum etiam diversas eius exstare formas quæ Papismum redoleant.* Illud probandum, ejus auctores divino spiritu illustratos fuisse. Quum ergo ut Augustanæ subscriberet Confessioni impetrari ab eo non posset, jubetur saltem Concordiæ inter Lutherum & Bucerum Anno M.D.XXXVI. factæ articulos approbare. Ille vero sæpius ex Melanchthonis ore audivisse se ajebat, articulos illos numquam communi consensu fuisse approbatos ac signatos. Mittitur ergo ad Melanchthonem, qui Wormatiæ tum erat, Joannes Schlungravius, qui rei veritatem exquirat. Is reversus longe aliud quam Hardenbergius dixerat, responsum attulit, nimirum articulos illius Concordiæ à Melanchthone, Pistorio, & aliis Theologis tanquam Christianos & Evangelicos recipi atque approbari. Quo minus ergo tum Hardenbergius institutum perfecerit, quum hoc tum bellum exortum obstitit: ut & Danorum regis intercessio, qui ut regnum quod legitimo domino extorserat, stabiliret, Saxonicam Confessionem amplexus fuerat, & Bremenses tum ne quid innovarent, sollicitabat. Nec tamen animum abjecit Hardenbergius, ad Danos nequaquam pertinere dictitans, Germanorum conscientiis vllas leges præscribere. Interim Tilemanus Heshusius in Superintendentem eligitur, qui non Hardenbergium tantum sed omnes quoque Calvinistas acerrimis scriptis insectatus est: Hardenbergio ad Heidelbergenses, Lipsienses & Witenbergenses Academiarum judicia frustra provocante.

Tandem vero Hardenbergius non Brema tantum, sed tota etiam Saxonia ejectus, Habito Conventu Lunæburgi mense Maio [a] Embdam Frisiæ orientalis metropolim profugit, ibique apoplexia fuit exstinctus, divisionis & seditionis post se relicto inter auditores suos spiritu è quo postea mutuæ exsecrationes, ac præcipuorum civium proscriptiones exstiterunt. Sic ejectis Calvinistis, Bremæ Lutheranismus rursum fuit stabilitus. At biennio post Calvinistæ, ut de ipsorum doctrina plenius cognosceretur petierunt, & ut *Colloquium Mulbrunnæ* institueretur, Anno 1564. mense Aprili [b] impetrarunt, cui Elector Palatinus & Dux Wirtembergicus interfuerunt, Brentio & Smidelino è Lutheranorum, & Boquino cum sociis è Calvinistarum partibus ad disputandum delectis. Sed æque, immo magis incertis animis hinc discessum fuit. Non multo post Brema, charissimi quondam sui patris Lutheri abjecta memoria, Genevensem Confessionem recepit. Anno 1562. Est vero hæc Imperialis civitas, quæ tamen in quibusdam Archiepiscopi, qui Protestantium doctrinam sequitur, & è Ducum Brunsuicensium est familia, imperium agnoscit, eodem modo quo Brandenburgicus superioribus annis Argentoratensis Episcopatus Administratorem se tulit, nullo alio sacro fungens officio, quam quod Ecclesiasticos capit proventus, ut suo loco dicam. At tu, Lector, hic Septentrionalium populorum infelicitatem considera, qui ad Principis libidinem religionem mutare coguntur, ut sequenti capite apertius ostendetur.

[a] *Anatomia Eccl. Cathol.* [b] *Eadem.*

DE FREQUENTI ET MISERABILI Religionis in Palatinatu ad Rhenum mutatione.

Caput Nonum.

ARGUMENTUM.

I. *Vsus & Lex in Germania, ut subditus Principis religionem sequatur.*

II. *Beza Calvini iussu ad Comitem Palatinum proficiscitur, & fictam de Cœna Domini confessionem edit.*

III. *Comes Palatinus abdicato Lutheranismo Calvinismum amplectitur.*

IV. *Eius filius & successor Ludovicus, Calvinismo profligato, Lutheranismum reducit.*

V. *Iohan-*

V. *Ioannes Casimirus Administrator & tutor Friderici, patrui in Electoratu successoris, Lutheranis ejectis, Calvinisticam religionem restituit.*

VI. *Scholares Lutheranismo addicti, discedunt.*

I. ILlud non tantum velut communi more receptum, verum etiam quasi lege sancitum in Germania passim observatur, *ut subditi vel Principum religionem quacumque illa sit, amplectantur, vel tamquam bestiæ sine vlla vivant religione.* Hinc fit, ut quotiescunque Princeps Nova doctrina afflatus, religionem mutat, mutare & ipsi religionem, & tamquam acus nautica, quacumque à magnete ducuntur, sequi cogantur. Necesse est itaque ut subditi cum Principibus ad Infernum aut Paradisum vadant; aut si plus apud ipsos conscientia quam obedientia &, qui Principi debetur, respectus possit, suis fortunis venditis, collectisque sarcinis alio migrent. Mihi quidem hi priscis illis Galliæ militibus similes videntur; qui dominis suis ita erant obnoxii, ut eandem cum ipsis fortunam, immo mortem quoque subire non vererentur. Nam quemadmodum Luna quæ pene nullum aliud lumen habet quam quod à sole mutuatur, illud ipsum quoque sole pereunte amittit; at rursus nato recuperat: sic miseri isti homines postquam à Catholica Ecclesia discesserunt, nullam aliam agnoscere videntur religionem quam eam, quam à dominis suis mutuantur; eamque eum ipsorum imperio sumunt, & cum morte deponunt. Subditis hic nullæ aliæ quam obediendi partes relictæ sunt. Hoc loco memorabilia aliorum stultitiæ & levitatis, aliorum vero calamitatis & miseriæ exempla nobis occurrunt. O miseram miserorum hominum servitutem! qui conscientias suas aliorum libidini ita prostituunt, & non aliter quam prædia beneficiaria pignori & nexui addicunt. O duram & crudelem legem! quæ subditorum animos omnibus opinionum fluctibus exponit, & alienæ voluntati ac libidini adstringit.

II. Quomodo vero Palatinatus ad Calvinianum dogma amplectendum inductus sit, per principem suum nunc penitius inspiciamus. Ex Ruperto Rom. olim Imp. nobilissimi rami diversarum Familiarum in Germania descendunt, unus per Ludovicum II. alter per Stephanum natu minorem, filios Roberti Imp. An. 1410. defuncti. Horum Ludovicus II. dictus Barbatus item cæcus, An. 1429. moriens reliquit filios Ludovicum III. An. 1451. defunctum & Fridericum Victoriosum qui ante mortem suam quam Anno 1476. obiit, Tutor factus & fidus Philippi Posthumi, è fratre suo Ludovico III. nati hic Philippus Posthumus obiens An. 1508. III. Kal. Martii reliquerat filium minorennem Electorem Ludovicum IV. dictum Pacificũ. Is est qui oriente Lutheranismo & Protestantium secta, ipse plerumque pacis se arbitrum vel procuratorem inter partes interponebat, quanquam ipse Lutheri Novo Evangelio, seductus per suos Doctores, inhæreret. cujus adhæsionis Schismaticæ primum fructum tulit, ut sine benedictione propagandæ stirpis improlis obiret. Atque ita frater ejus Fridericus II. nativitate inter fratres tertius (nam natu secundus Rupertus jam A. 1504. obierat) Elector factus, An. 1546. 4. Ianuarii religionem pristinam [*a*] palam mutavit, Itaque & hic sine benedictione prolis decedens An. 1556. natus annos LXXIII. Successorem habuit Ottonem-Henricum Filium Ruperti Virtuosi fratris sui, qui An. 1556. factus elector post patruum, Lutherani dogmatis fuit sectator, sed & illius breve imperium fuit & ipse nulla prole relicta decessit An. 1559. Ita Electoratus ad Stephani supra memorati filii Ruperti Imp. lineam alteram, nempe Fridericum III. qui fuit Ioannis II. filius, nepos Joannis I. pronepos Friderici Simmerensium & Spanhemensium progenitoris, abnepos Stephani ex Ruperto nati. Hic Fridericus III. Elector creatus An. 1559. Calviniani dogmatis fautor An. 1576. decessit relicto hærede Ludovico V. Electore, &c. iste vero An. 1583. moriens filios Fridericum IV. & Joannem Casimirum reliquit. His [*b*] prælibatis ob arcendam obscuritatem nominum in re nupera venio ad explicandum modum, quæ Calvinissimus omnium primo in Germania & quidem ab Electore præcipuo inter sæculares nimirum Palatino sit receptus. Accidit autem id hoc modo. cum inter Lutheranorum & Zvinglianorum Colloquia & disceptationes Fridericus III. Genevensis Confessionis à Saxonica valde discrepantis, frequentem mentionem fieri audivisset, eorum librorum qui ad eam pertinerent, mira cupiditate fuit accensus. Ea re animadversa, Calvinus, Argo in ejusmodi rebus oculatior, & in omnes occasiones propagandæ suæ doctrinæ intentus, Theodorum Bezam, è Francia fugitivum, Geneva ad eum ablegavit, ut Helveticam ac Genevensem Confessionem ipsi offerret (Fabritius dicit Farellum ejus legationis

[a] *Reusnerus in opere Geneal.* [b] *Reusnerus in opere Genealogico.*

fuiſſe ſocium) Nec illorum adventus ingratus fuit Palatino. Erant enim in Beza tum juvene adhuc multæ tam corporis quam animi dotes, & inprimis grata quædam & amabilis facundia, ut quem tamquam alterum Ariſtippum omnis color & res decebat; vel qui ſe tamquam alter Alcibiades, omnium regionum moribus accommodare noverat: quibus artibus jam dudum Candidam illam ſuam, Parſienſis ſartoris conjugem, in Veneris pellexerat rete. Nihil vero æque quam diſſimulandi artem callebat, *ut qui uno pectore duo corda gerebat.* Et quemadmodum aſtutus imperator locum aliquem oppugnaturus, ad primum impetum nequaquam omnes vires educit, ſed vineas & aggeres ſubinde propius muris admolitur, donec tandem foſſam & vallum tranſcendat: ſic Beza, quo Principem hunc acerrimum alioqui Lutheranum, ad ſuas partes traduceret, ad colloquium admiſſus, *primum de intolerabili Galli tyrannide* (ſic enim Henricum II. regem appellabat) *cuius juſſu fideles* (Novi ſcilicet, ex puteo abyſſi tanquam vaporario emiſſi) *vivi cremarentur, graviter conqueſtus fuit: deinde ad controverſiam de cœna Domini tot diſputationibus agitatam delapſus, verum Ieſu Chriſti corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini dari ac recipi confeſſus eſt, nulla facta fidei aut ſpiritualis, verſuta & quæ in omnes ſenſus torqueri poteſt; manducationis mentione,* Tum vero Lutherani ſimplices adhuc gaudere, exſultare ac triumphare, velut jam in ſuam ditionem redacto præcipuo Sacramentariorum duce ac Legato. Nec mora: res ubique diſpalatur, & à Palatino ad Ducem Wirtembergicum non ſine gratulatione perſcribitur, magni triumphi opera & pretium, qui mihi ſimillimus videtur ei, quo Phryges equum Duratæum à Græcis conſtructum in urbem receperunt. Beza conciliato ſibi hac ratione Principe, ad Calvinum reverſus, Legationis ſucceſſum exponit: *qui cum falſitatis & perfidiæ à Tigurina Eccleſia Miniſtris accuſaretur* (nã rumor ediderat jam Bezam in Lutheranorum ſententiam conceſſiſſe) reſpondit, *id eo à ſe factum, quod animadverteret cæcos illos Lutheranos ad Evangelii lucem aliter adduci non poſſe, ut qui minime intelligerent, quomodo verum Ieſu Chriſti corpus in cœna Domini fide tantum perciperetur. Non leonina ſemper, ſed vulpina aliquando utendum.* Sic enim animarum illi ludificatores loquuntur. Idem tamen homo eodem ore profitetur multis in locis aitq; *Chriſti corpus in cœna non magis recipi quam in Baptiſmo.* E contrario vero in libro ſuo II. De Sacramentis, *Nos*, inquit, *confitemur Chriſtum in cœna præſentem eſſe, non per imaginationem, ſed corpore ſuo circumdatum*, in quibus omnibus loquendi formulis vafritiem ſuam deſultoriam abſcondunt Calviniani Miniſtri. Reliqua ejuſdem hominis tam quæ ad doctrinam quam ad vitam pertinent, ad eum locum remitto, ubi de Colloquio Poſſiacenſi tractabimus, ne res Gallicas cum Germanicis confundamus. Illud tantum verbo dicam, his artibus omni in re Bezam ſemper fuiſſe uſum, & inſtar polypi, omnium ingeniis quibuſcum ipſi negocium erat, omnique tempori ac loco ſeſe accommodaſſe. Ejus rei ecce tibi notabile exemplum. *Quum Anno* M.D.LVII. *regnante Henrico II. Sacramentarii, qui falſo Lutherani videri volebant, ad ſupplicia paſſim traherentur, illi qui Genevam, omnium Sacramentariorum aſylum* (ut libro VIII. exponam) *profugerant, Legatos in Germaniam miſerunt Gulielmum Farellum, Theodorum Bezam, Gaſparem Carmelum, & Ioannem Budæum, magni illius Budæi bonarum litterarum parentis, filium* (quem quidem, ut hoc obiter addam, Beza in ſuis Iconibus, velimus nolumus, perſuadere nobis vult, de religione non idem; quod Catholicos ſenſiſſe. In quo eadẽ, qua in ceteris fide, utitur. Budæus enim de patre loquor, receptis ex inſtituto Eccleſiæ Sacramentis, in ſuis ædibus quæ ſunt in vico S. Martini, deceſſit, in parochia S. Nicolai in campis, ſepultus. Anno 1549. [a] Quod vero ſine ulla pompa ſepeliri voluit, non hæreſeos, ſed modeſtiæ eſt argumentum: Sed ad rem.) *Legati illi, ad Proteſtantes Principes eo miſſi, uti interceſſionem pro ipſis ad Galliæ regem impetrarent, quum eo tempore in Germaniam veniſſent quo conventus VVormatiæ habebatur nimirum menſe Auguſto, ut cap.* VII. *relatum eſt hoc ipſo libro, Auguſtanæ Confeſſionis doctoribus Fidei ſuæ Confeſſionem eidem plane conformem exhibuerunt, ut Hiſtoria Cœnæ Auguſtanæ teſtatur.* Atque ea verſutia, etiam ipſos Lutheranæ factionis præcipuos Doctores Wormatiæ congregatos ferme decepiſſent, niſi quidam Zelotæ Melanchtoni infenſi, per ejus latus ipſos quoque Sacramentarios confodere in animum induxiſſent. Siquidem is Sacramentariorum cauſæ renitentibus cunctis ſerio Lutheranis, colludere cum eis videbatur. Sane Wolfius auctor eſt hanc Cõfeſſionis ſimillimæ exhibitionem Melanchthonis factam eſſe opera, qui hoc modo Bezæ cauſſam favorabilem reddere voluerit: ſed Proteſtantes id negant, quum ipſe Melanchthon in epiſtola

[a] *Vide Teſtamentum eiuſdem in Antiq. Pariſ. cap. 43. fol. 414.*

epistola ad Ducem Wirtembergicum conqueratur, *articulum de Cœna Domini in Confessione illa non satis dilucide esse explicatum, quem tamen ait in Synodo aliqua legitime congregata plenius ac melius explicari posse.* Id nihilominus *tunc ea Confessionis sua amphibologica exhibitione Calvinistæ effecerunt, ut Melanchton Sacramentariis Zvvinglianis, & in eis Bezæ anathema dicere noluerit, & Genevenses Bezæ artibus Augustanæ Confessioni sese insinuaverint, ac sub eius nomine latuerint, quo scilicet tanto facilius à Protestantibus auxilia impetrarent, de quibus alibi opportunior erit dicendi locus.* Nunc paucis mores hujus Protei indicare volui: *qui ad suos reversus, factum hoc suum zelo fratrum è captivitate & miseriis liberandorum excusavit quidem, non tamen omnibus probavit.*

III. Elector Palatinus, lectis Calvini libris ejusque Catechismis in Germanicam linguam translatis, tum frequentibus Calvini, nullam occasionem prætermittentis, epistolis sollicitatus, ac præterea Lutheranæ religionis, cui novitatis gratia jam decesserat, satur, uti Pater ejus Joannes II. avi sui Joannis I. ita & ipse patris sui religionem deserere, & Calvinismum amplecti statuit. Lutherani doctrinam hanc à Clebitio ætate & ingenio feroci homine primò in Palatinatu sparsam ac traditam ferunt. Sed & Melanchthon, à quo Princeps per litteras consilium rogaverat, Sacramentariorum partibus favisse dicitur; eoque nomine hodieque apud Lutheranos exsecrationi habetur. Quum vero neminem in tota Germania reperiret, qui ad hoc reformandi munus satis videretur idoneus; à Calvino hominem aliquem, sanctæ, ut ipse censebat quidem, sed lubricæ ac periculosæ provinciæ parem; mitti sibi petiit. Non enim ignorabat, huic suo instituto omnem fere Germaniam, tum inprimis præcipuos Augustanæ Confessionis doctores adversaturos. Calvinus, habito juvētutis in sua schola educatæ delectu, Danielem Tossanum Aurelianensem, satis postea Germaniæ notum, ad hanc provinciam delegit, & præceptis bene oneratum dimisit: cui Rheni Palatinatus Calvinismum debet acceptum. Is postea hinc inde ac præsertim Basilea, laboris sibi socios adscivit, & Principis jussu per oppida & agros passim distribuit, *cum mandato, ut subditi aut novam illam Genevensem Confessionem, Verbo Dei, scilicet, conformem, amplecterentur, aut cum rebus suis alio commigrarent. Hoc modo Calvinismus in Palatinatum Electoralem fuit introductus.* Ceterum hac de mutatione certior factus Joannes Fridericus Dux Saxoniæ Vinarius Princeps Lutheranus, qui filiam Palatini Elisabeth dictam An. 1558. pridie Id. Iun. ductam in matrimonio habebat, ægerrime factum hoc tulit, ipseque Heidelbergam profectus, Theologos aliquot, inter quos erant Maximilianus, Martinus, & Joannes Stossçlii, secum adduxit, qui cum novis illis Calvinisticis Prædicantibus de controversis inter eos religionis articulis conferrent. Inter hos quum Thomas Erastus Principis Medicus & in Philosophia exercitatus disputandi in se provinciam suscepisset, Stosselius, *Facile iam*, inquit, *video, vestram causam male habere, ut quæ Medicis opus habeat.* Sed in hac tota re non Deo gloriam, sed suum quisque honorem ab utraque parte quærebant.

IV. Sed quemadmodum Friderici Principis levitas Calvinismo aditum aperuit; ita successoris Ludovici V. inconstantia nondum adultum ex omni ditione rursus profligavit: Triennio enim post Fridericus II. mortuus tres filios reliquit, Ludovicum, Joannem Casimirum & Christophorum: quorum duo natu minores Calvinismum sequebantur, ille vero, in quem ut natu majorem tam imperium quam dignitas Electoralis derivata fuerat, rerum potitus nihil prius habuit quam ut Calvinismo, quem numquam approbaverat, ejecto, avi religionem sive Lutheranismum velut postliminio restitueret. Sic igitur Calvinistis qui cum Tossano Geneva & aliunde venerant, cedere coactis, & in eorum locum Lutheranis substitutis, in templo Heidelbergæ primario, quod S. Spiritui dedicatum est, Principis mandato organa Musica, baptisteria, altaria, Crucifixi imagines, & alia ornamenta Ecclesiastica, quæ *Calvinistæ, quibus sicca, macra, & omnibus ceremoniis denudata placet religio*, penitus amoverant aut confregerant restituta sunt. Quinetiam ut calices aurei & argentei fierent ad Cœnæ Dominicæ usum, viritim indictum fuit tributum: quos deinde post mortem Ludovici Joannes Casimirus involavit, & in alios usus convertit. Ad Calvinisticam enim cœnam vitrum aliquod vilis precii, uti quibus merum vinum contineri & propinari debet, sufficit, & quorum Deus vasa preciosa ad sui cultum minime desiderat. Nec vero Heidelbergæ tantum, sed & per universum Palatinatum reformatio hæc instituta & exsequutioni mandata fuit, *addito mandato, ut subditi omnes abjecta Calvinistica, quam vix primis labris degustarant, Lutheranam religionem amplecterentur.* Sed paucis post hanc reformationem annis Ludovicus

quoque, homo valetudinarius, è vita diſceſſit, An. 1583. 4. Id. Octob. relicto filio novem aut decem circiter annorum, & ejuſdem cum pueri avo nominis, Friderico, & alio Joan. Caſimiro.

V. Quo tempore Ludovicus è vivis exceſſit, Joannes Caſimirus in Colonienſi diœceſi pro Gebhardi Truchſeſii Electoris & Archiepiſcopi Colonienſis (qui deſerto voto, Canoniſſam è Mansfeldenſium Comitum familia violarat, cognatis urgentibus uxorem duxerat, ac religionem mutarat) amoribus bellum gerebat: cujus quum tædere ipſum inciperet, cæteris Proteſtantibus auxilia pro tantæ rei magnitudine parce admodum conferentibus, de morte fratris certior factus, magna celeritate, relicto exercitu domum contendit, & quorundam ipſius rebus faventium opera caſtellum Heidelbergenſe, ubi domicilium fere Electores habere ſolent, ſuam in poteſtatem redegit, atque inde pro Principe ſe geſſit. Tam improviſo adventu & mandato in legitimi Principis præiudicium promulgato, nec non præſentis periculi (neque enim procul copiæ aberant) metu conſternati, ſubditi, Joanni Caſimiro fidelitatis juramentum, tamquam nepotis ex fratre tutori & Adminiſtratori Electoralis Palatinatus, in novem annos præſtiterunt, eundem humilime precati atque obteſtati, ne in religione à Ludovico introducta & ſtabilita, quidquam mutari pateretur: quod & ille promiſit, ſed & rerum potitus, contra fidem & promiſſa non multo poſt pleraque innovavit, miſeris Lutheranis ne fortunam quidem ſuam omnium ventorum injuriis expoſitam deplorare audentibus, Calviniſtis econtra quamvis paucis, Principis tamen auctoritate ſubnixis, criſtas rurſus erigentibus, & à quibus antea acceperant, leges præſcribentibus. Quo vero Calviniſticam ſectam, à qua non parum in iis quæ hactenus tentarat, adjutus fuerat, firmioribus radicibus ſtabiliret, non religionem tantum, ſed Conſilia etiam & magiſtratus à fratre ſuo prius ordinatos, per omnem ditionem mutavit, aliis in eorum qui ſuſpecti erant locum ſubrogatis: Lutheranis vero Prædicantibus juſſit ut & à concionibus ad populum habendis, & claſſibus ſeu ſynodis inter ſe celebrandis abſtinerent.

VI. Eſt vero in civitate Heidelbergenſi Collegium quoddam (vulgo *Sapientiam* vocant) in quo viginti ſex juvenes Principis ſumtibus ad Theologiæ ſtudium educari ſolent, antiquitus à Catholicis fundatum, ut inde tamquam è ſeminario homines ad Eccleſias regendas depromantur. His quum Joannis Caſimiri nomine propoſitum fuiſſet, mallentne novam illam & Calviniſticam, quam invehebat, religionem amplecti, an cum Lutherana exſulatum abire, & fortunam alibi quærere, unus tantum inventus fuit qui conditionem à Principe oblatam acciperet, ceteri vero omnes unà cum præfecto ſuo Marbachio, Theologi illius Argentinenſis filio, alio profecti ſunt. Baſilea deinde venit Joannes Jacobus Grynæus, magni inter ſuos nominis Theologus, à Ioanne Caſimiro evocatus, qui unâ cum Toſſano diligenter omnia quæ ad Genevenſem ſtabiliendam religionem pertinebant, procuravit. Marpurgo quoque ab eodem Principe accerſitus Sonnius quidam, in Marbachii locum Sapientiæ Collegio præfectus fuit: inter quem & Toſſanum acres deinde de Prædeſtinatione diſſenſiones exſtitere, & ad Auditores quoque ſeu ſcholares proſerpſerunt. Pupillo Principi idem Joannes Caſimirus præfectos ac rectores dedit puros Calviniſtas; nec quemquam qui aliter ſentiret, ullam publicis aut privatis Principis negociis manum admoliri paſſus eſt. O deliros, atque ipſo etiam communi ſenſu deſtitutos homines! Non videtis quanto melius ſit legibus ſummi Eccleſiæ præſulis, cõtinua ſucceſſione perpetuam in religione uniformitatem & conſenſum tuentis, ſeſe ſubdere, quã ſtultis excerebrati alicujus Principis perſuaſionibus & à religione alienis affectibus, non optima, ſed prima ſequentis, ac ſæpe è duobus malis deterius eligentis, obtemperare. Verum enim vero non Caſimirus tantum, ſed etiam pupillus rerum adminiſtrationi admotus, religionem in qua educatus fuerat, quoad vixit, in ditione ſua retinuit, atque etiam omnibus qui ob eam aliunde ejecti fuerant, receptaculum præbuit: quæ res non parva attulit Palatinatui compendia; ut qui velut portus ſit ad quem omnes qui fidei fecere naufragium, appellunt. Et quo patet, quomodo quarta religio in Imperium nullo ſuffragio ſed ſola velut uſucapione irrepſerit, & adhuc in eo toleretur. Primo Catholica, quæ maximam partem amplectitur: ſecundo Lutherana, quæ duplex eſt, eorum qui formulam Interimiſticam, & qui Auguſtanam puram Confeſſionem ſequuntur: ac tandem Calviniſtica: quamvis hæc Palatinatu fere & aliis quibuſdam exiguis ditiunculis circumſcribatur, quamque ceterarum religionum homines capitali odio perſequuntur, ut commodius alibi dicam. Quantum ad Anabaptiſtas, Tritheiſtas,

Antitri-

Antitrinitarios & id genus sectarios attinet, iis neque in civitatibus Imperialibus, neque in Germanorum Principum ditionibus ullus locus conceditur, sed vel in angulo aliquo Poloniæ, Moraviæ, Silesiæ, aut Belgii latent, in quibus scilicet omnis generis sectæ tolerantur, ut præcedenti libro ostēdimus. Francofurtum tamen Calvinistis hospitium præbuit, quod eo ob celebrem mercatum, variæ nationes confluere soleant, eoque etiam variæ ibi sectæ reperiuntur: imperium tamen penes Catholicos est & Lutheranos, quibus solis etiam in publicis sacra peragere licet, ceteri vero in privatis domibus & horreis religionis suæ exercitium frequentant.

DE DIVERSIS AC QUAMPLURIMIS hæreticorum Synodis ac conventibus, ac frustraneo eorundem exitu.

Caput Decimum.

ARGUMENTUM.

I. *Lutherani multorum librorum scriptores.*
II. *Conventus & Colloquia religionis ergò, ubi & quando celebrata.*
III. *Bucerus Zuinglianismo nuncium remittit.*
IV. *Conventus Ratisbonensis.*
V. *Colloquium Mauerunnense, in quo Vbiquitas à Brentio defensa.*
VI. *Colloquium Mompelicardense.*

I. EX omnibus hæreticis, qui à primis usque cunabulis, à Simone Mago primum inquinatis, Ecclesiam à qua desciverant, multiplici arte ac vi oppugnarunt, nullos umquam acrius *scribendi cacoethes & insanabilis pruritus* tenuit quam Lutheranos. Testatur hoc multitudo scriptorum non contra Catholicos tantùm, sed Sacramentarios quoque, sobolem suam, editorum uti liquet ex Catalogis annuis ac semestribus Nundinarum Francofurtensium, in quibus libri in Classes Catolic. Lutheran. & Calvinianorum discerni solent. Sed neque hæresis ulla plures synodos, Colloquia & Conventus habuit quam Lutherana; Catholicis interim miserorum hominum fortunam vera pietate commiserantibus, ut qui semel à regia via Ecclesiæ digressi, aut velut cæci in tenebris palparent, aut vagabundi atque errantes, in se mutuo incurrarent, nec pacem inter se facere possent Dictatore omni destituti, vel tanquam milites sine Duce oves sine pastore sensibili. Omniū verò istorum Conventuum exitus docuit, ut hominum ejusmodi congressibus controversiæ finiantur, tantùm abesse, ut etiam magis inde augescant, suam opinionem singulis mordicus tuentibus, & gloriam magis quam veritatem quærentibus. Et quidem operæ pretium non esset, ejusmodi malos infelicesque conventus recensere, quia tamen eorundem Acta peritura sunt, & ut aliorum insipientia sapientior fiat posteritas, præcipuos hæreticorum conventus exponere non gravabor.

II. Initium horum conventuum infelicium factum est An. 1517. Wittebergæ, Joanne Tetzelio Ord. Prædic. celebri viro, 106. Theses opponente Thesibus Lutheri, [a] quas opportuerat Romam ad censuram transmissas fuisse, ne, uti evenit, animi religiosorum inter se exacerbati, collisione grandi fulgura excitarent adeo magno animarum detrimento. *Primus* igitur ex principio infelici conventus celebratus est Augustæ in ipsis sub Maximiliano I. comitiis, ad quæ citatus Luthetus, ut cum Cardinali Cajetano cōtroversia ab ipso mota componeretur, quo tempore ita Lutherus sese gessit ut *ipse Maximilianus in ejus humeris insidentem Cacodæmonem conspexerit* [b] & ille Cardinalis postulata generalibus verbis errorem confitentibus usus, in specie ullum de se agnoscere recusavit [c] *Secundus* conventus fuit Lipsiensis Disputatio, inter Joannem Eckium & Lutherum, in qua etsi Lutherus ita pressus sit, ut cōfessus sit palam, *Motum à se concitatum, nec propter Deum esse cœptum nec propter Deum finiendum esse*, nihil tamen emendationis, sed multum mendaciorum pro Luthero scribentium subsecutum fuit. [d] *Tertius* Wormatiæ An. 1521. Aprili, ubi Lutherus ipse violati salvi sui conductus reus, nisi Sturmius caduceator Cæsaris proditor fuisset capi pertinax potuit, ita tamen pressus est, ut fassus fuerit cordis sui arcanū, nempe se nec Conciliorum sententia stare, sed solis sacris Scripturis, nempe ex suo cerebro explicatis, quam næniam hodieque omnes ejus sequaces cantillant [e] uti ipse orsus est. *Quartus* Norimbergæ An. 1522. cœptus & seq. terminatus, ubi inter Im-

[a] *Anatom. Eccl. Cathol. Tract.* 2. [b] *Vlenberg. Vit. Luth. cap.* 3. *& Anatomia cit.* [c] *Ibid. iid.* [d] *Anatomia ibid. Vlenberg. Vit Lutheri cap.* 4. [e] *Anatom ibid. & Vlenberg. Vit. Lutheri cap.* 6. 7.

perii senatum absente Cæsare imprudenter in præjudicium proscriptionis Cæsariæ actum est per Lutheri subornatos [a] imprimis Osiandrum. *Quintus* Tiguri An. 1523. ad Novæ hæresis Zvinglianæ, exemplum Lutheri secutæ exortum, ubi Magistratus civilis judicandi potestate in sacris assumpta, colloquium inutile effecit Catholicis. [b] juxta id Tertulliani de Resurr. carnis. *Hæretici conscientia infirmitatis nunquam ordinate tractant. Sextus* iterum Norimbergæ An. 1524. ubi distractis consultantium animis absente Cæsare conclusum est ut Concilium generale postularetur indici, & spiram indictus conventus ad disquirendum quæ forent proponenda. Frustra jam enim olim fuerant definita per Concilia quæ Lutherus loco movebat. [c] *Septimus* Lucernæ in Helvetiis, A. eodem 1524. mense martio, ubi saniissimo Consilio decretum est à pagis Catholicis, *Catholicam fidem, contra Zvinglium & quosvis Novatores esse firmiter retinendam.* quod illis saluti fuit & laudi æternæ accrescet, [d] *Septimus* æque salutaris Ratisbonæ, ubi Card. Campegius, Ferdinandus Rex, & Catholici convenientes, decreverunt standum esse proscriptione Cæsaris in Lutherum promulgata An. 1521. Wormatiæ, ereptæ sunt eo decreto hæresi plures ad Danubium provinciæ. *Octavus*, eod. A. Spiræ ab Imperii civitatibus celebratus circa Julium, ubi magistratui civili cujusque urbis censendi res religionis male concessa fuit [e] *Nonus* Duorum Hæresiarcharũ Lutheri videlicet & Carlo. stadii Jenæ ad 22. Augusti ubi Lutherus aureo dato subarravit alterum ad scribendum adversus se, Sacramentariæ ex hæresis penu. [f] *Decimus* An. 1525. Halæ Suevorum, ubi Ministri Lutherani Syngramma ediderunt, quo Oecolampadii & Zvvinglii dogma damnarunt, Bucero & Brentio in medio se tenentibus, juxta id S. Vigilii Martyris l. 2. contra Eut. *Inconsona perfidorum sententia, nostræ victoriæ eorum cassa certamina* [g] *Vndecimus* Badenæ eod. A. ubi Zvvingliani damnati, nisi idem sit hic conventus cum xv. *Duodecimus*, Francofordiæ, qui tamen potius fuit rebellio, cum Lutherani senatum aggressi exauthorant, & è suis 24. præficiunt, eisque 47. articulos credendos, & observandos, & alia iniquissimæ acta [h] Recte Augustinus his inclamat: Tract. 11. in Joan. *Talia facere volunt Catholicos affligendo, & saltem talia pati nolunt. Sempiternas mortes faciunt & temporales se perpeti conqueruntur. Tredecimus* eodem jure inseri potest, Aliquot Centenorum millium Rusticorum per Germaniam incentore Luthero, & ejus sequacibus. nam & hi articulos ediderunt, scripturæ ex suo ingenio aptatos, quibus omnem magistratum pro suo libitu reformare intendebant, ignibus & tormentis ac gladio, quibus grassabantur absumpti [i] *Decimusquartus* Comitia spiræ An. 1526. ubi V. D. M. I. Æ. symbolum, verbum Domini manet in æternum exortum est, postularuntque Templum in ea urbe, uti Gainas ab Arcadio constantinopoli, sed repulsi, in hospitiis inter musicam culinarum & canum dignum suæ religionis præstiterunt sibi exercitium, juxta id Tertulliani lib. de præscript. construunt sibi synagogas sine Deo, orbas fide, extorres, [k] *Decimusquintus* Badenæ in Helvetiis An. 1526. Disputatio inter Catholicos & Zvvinglianos, ubi Zvvinglio non audente comparere vis tota in Oecolampadium versa, concluſum in Catholica fide majorum tutius persisti, quam transiri in novam religionem, tam ægre defensam [l] *Decimussextus* Bernæ Helvetiorum, An. 1527. indictus, sequente finiendus, inter Sacramentarios & Catholicos, sed quoniam Magistratus Civilis iniquas Catholicis posuerat leges, Catholici comparere recusarunt, & Zvvinglianizantes Victoriam interpretati, quæ voluerunt, decreverunt, [m] *Decimusseptimus* in Saxonia, ubi ad arbitrium Electoris Saxoniæ & quos adhibere voluit facta est Ordinatio seu Visitatio Ecclesiarum Saxonicarum Luthero Germanice, Melanchthone Latine scripturiētibus, & sibi mutuo contradicentibus [n] more hæreticis usitato, cõmodo nobis, *nam inconstantia hæreticorum fidem nostram confirmat, dum illi instar Chamæleontum mutantur, qui florum colore vestiuntur*, ut ait Theodor. ep. 140. ad Asparem Cos. *Decimusoctavus* Anno 1529. Spiræ Comitia ibi contra sana & temperata Decreta, Saxo & Landgravius appellando & Protestando, *Protestantium* nomini initium fecerunt, [o] secuti in hoc Donatistas, apud Aug. ep. 48. & lib. 3. contra Cresc. cap. 46. &c. *Decimusnonus* Disputatio Flensburgi in Dania præsen-

[a] *Anatom. l. c. Vlenb. vitæ Luth. cap.* 10. *num.* 4. *& 5. & vitæ Osiandri cap.* 1. [b] *Anatom.* [c] *Vlenb. Vit. Luth. cap.* 12. *num.* 1. [d] *Anatomia Eccl. Cathol. pag.* 91. *& Vlenb.* [e] *Vlenberg. Vitæ Luth. cap.* 12. *n.* 2. [f] *Vlenberg. fuse Vit. Luth. cap.* 13. [g] *Anatomia & Vlenberg. c.* 18. [h] *Anatomia. l. c.* [i] *Vlenberg. & alii plurimi A. R. ipseque Lutherus.* [k] *Anatomia fol.* 92. *Vlenberg. Vit. Luth. c.* 18. [l] *Anatomia.* [m] *Anatomia* [n] *Anatomia.* [o] *Vlenberg. cap.* 2. *& Vitæ Luth. c.* 1. *Anatomia p.* 94.

præsente Regis Friderici filio Christiano III. Cum reliquis regni proceribus multis, inter Lutheranos & Hofmannum Zvvinglianum negantem præsentiam Christi in Eucharistia, qui obrutus à multis exulare coactus est, [a] juxta id Tertull. sive Novat. de Trinit. *dum nostra profitentur dogmata, veritas etiam ab inimicis probatur.* *Vicesimus* Marpurgi in Hassia, inter Lutheranos & Zvvinglianos, & medios utrorumque seu Bucerianos, ubi omni virtute humana tentata est concordia duarum hæresum, eodem principio, Sacra scriptura se defendentium, & sine capite seu judice effectum est concordiæ nihil, simulationis aliquid, nam, ne vulgo irriderentur, aliquid in quo conveniebant jam antea consentienter definierunt; ob quod convenerant, nempe Sacram cœnam infectam reliquerunt. digressi vero quod occulte egerant manifestarunt. Sacramentarii dicendo se trecenta argumenta attulisse, quæ Lutherani non solvissent: Lutherani duce Melanchtone ad Catholicorum armaturam nempe SS. PP. unanimem consensum in interpretandis verbis *Hoc est corpus meum* confugere sunt compulsi [b] quasi SS. PP. valeant contra Sacramentatios vincere, quos nolunt contra se adduci victores æque ac Sacramētarios. *O, miseri, qui omnes contra Ecclesiam veniunt, sed dū vincunt se invicem, nihil tamen sibi vincunt,* ut ait Hilar. 7. de Trinit. In hoc dissidio Lutherano-Zvvingliano Landgravius, oleum pro aqua affudisse se sensit, utpote quod ex eo tempore irreconciliabile evasit. *Vicesimus primus* Conventus Norimbergæ, habitus à Protestantibus, qui tacti cōscientia, quod incunte anno Spiræ turpiter contra jus omne protestando *Protestantes* facti essent, autumno sarcire voluerunt fastum suum, & de modo excusandi apud Cæsarem in Concilium venerunt, concluseruntque per legatos Cæsarem in Italia Placentiæ commorantem esse placandum, & decipiendum, ut deflecteret in partes hæreticorum, quem in finem ei per unum Legatorum Michaelem Cadenum libellum insigniter adornatum, breviter omnia Lutheranæ religionis capita continentem, offerri jusserunt, authore Landgravio sed gratiæ loco Cadenus carcerem, reportaturus erat, nisi per Venetias effugisset [c] *Vicesimus secundus* Conventus Suabaci inter eosdem habitus circa cœnæ articulum, sed & ibi magis aucta est eorum discordia, [d] apparuitque iterum verum esse dictum S. Hilarii 7. de Trin. *Victoria eorum triumphus est Ecclesiæ ex omnibus, dum in eo hæresis contra alium pugnat, quod in hæresi altera Ecclesiæ fides damnat.* *Vicesimus secundus*, iterum Smalcaldiæ An. eodem 1529. sub finem Novemb. non jam inter Lutheranos & Zvvinglianos desperatam ob concordiam, sed inter meros Lutheranos, ubi intellecta ex Cadeno ira Cæsaris sese fœdere conjungere intenderunt & initium fœderis Smalcaldici fecerunt [e] *Vicesimus tertius,* Norimbergæ An. 1530. Januario, eorundem Protestantium de promovendo fœdere Smalcaldico adversus Cæsarem munimenta quærendo [f] *Vicesimus quartus* Augustæ Vindelicorum, in comitiis generalibus Imperii, ubi primum Fides Augustanæ Confessionis nata est, cum jam Ecclesia Christi 1500. annis in orbe à fine ad fines terræ fuisset dominata. sed quæ fides? Discordium inter se Authorum, nam cum Confessionis illius articulus XII. expenderetur in quo satisfactio negatur esse pars pœnitentiæ, & Collatione tertia Cochlæus ex Lutheri ipso ostenderet, satisfactionem debere admitti, ibi Sneppius & Brentius signiferi à Luthero apostatarunt recusantes ejus scripta defendere, quibus & ipse Melanchton, faber Confessionis ipsiusmet, accessit, ipsam damnans Confessionem in crastino, quam scripserat in pridiano. Sed & ibi Catholici detriumpharunt Miseros Confessionistas, cum dictio *Sola* à Confessione eorum debuit ipsis fatentibus expungi [g] sed & ibi iterum Sacramentariorum Confessio oblata ab utrisque Catholicis & Protestantibus est damnata [h] circa Augustū. Hoc ulcus jam olim in hæreticis tetigit Athanasius or. 1. cōtra Arianos dicens: *admirabile est omnes quotquot sunt hæreses in fingendo diversa, pugnantia adferre, nec alibi nisi in falsitate sibi invicem consentire, & copulari, nec illud mirum, cum unum habeant authorem, qui ipsis ubilibet mendacia spargit. Vicesimus quintus,* Smalcaldiæ Tertius conventus An. 1530. 22. Dec. indictus à Saxone Joanne Electore, ut jam non rationibus vel scripturis, sed armis fidem suam defenderent, quod decretum Lutherus animosè suo calculo, veluti pontifex quidam confirmavit, dictabat tunc Catholicis S. Hilar. hoc ex ad Constantinum Aug. contra Arianos scripto verbum:

Si autem

[a] *Cyprianus in Historia Ecclesiastic. Sessuvic. lib. 3. cap. 5. pag.* 420. [b] *Anatomia. Vlenberg Vit. Lut. cap. 20. num. 2.* [c] *Vlenberg Vit. Luth. cap. 20. nu.* 5. [d] *Anatomiæ pag.* 95. [e] *Vlenberg. Vit. Luth. cap.* 20. *ad finem Anatomia pag.* 95. [f] *Vlenberg. ibid.* [g] *Vlenberg. Vit. Luth. cap.* 21. & 22. *fuse breviter Anatomia Ecclesiæ Cathol. pag.* 96. [h] *Ibid. & Vlenberg. c.* 23. *n.* 1.

Si autem rapacia luporum oves peragunt, lupi esse per opus suum intelligantur. Talia sunt lacerare, mordere, proscindere, &c. *Vicesimus sextus* celebratus A. eodem exeunte Coloniæ, ubi præter Ferdinandi I. in Rom. Regem 5. Jan. Anni 1531. electionem, protestante contra eam Saxone per filium suum Joan. Fridericum [a] *Vicesimus septimus Conventus.* Smalcaldiæ IV. An. 1531. sub finem mensis martii à Protestantibus indictus, ubi existentes multos, etiam extra imperium, ut Daniæ & Angliæ Regem ad suum fœdus pellexerunt, [b] *Conventus Vicesimus octavus* eodem Anno mense Junio à Protestãtibus est celebratus Francofurti, ad corroborãdum fœdus suum, ubi Sacramentarios visum est fœderi esse adscribendos; sed id ne fieret Saxo literis [c] datis ad congregatos ex Lutheri voluntate impedivit. *Vicesimus nonus* ibid. Francofurti eod. An. ad 20. Augusti, in quo Albertus Moguntinus & Ludovicus Palatinus Electores inter Protestantes & Catholicos pacem politicam sancire aggressi sunt, quæ actio in seq. Annum 1532. producta fuit, & demum pax ejusmodi 23. Julii concluſa est. [d]

III. *Tricesimus Conventus* Ratisbonæ initio anni 1532. habitus ob Turcas ingruentes, & dissidia Religionis componenda, in quibus Pax cum Protestantibus cæpta, amplius Moguntino & Palatino commendata est. [e] *Tricesimus primus* Spiræ futurus fuit, at quia Saxo istuc invitatus voluit salvum conductum non solum suis concionatoribus aliis, sed & Luthero, pridem proscripto ad docendum ibidem concedi, negato quod tantopere Majestati Cæsaris adversabatur, infectus ille conatus transiit, Interea Schweinfurti Protestantes convenerunt, ubi de concordia religionis & civili pace tractatum fuit, ibi extorsere demum *Concilium convocandum, & libertatem Conscientiarum,* ut vocant, ab Imp. coacto ob imminẽtia pericula à Turcis, [f] Volebant autem Concilium fieri non eo quo hactenus more, sed suo ex dictamine, nempe *Liberum*, quod neminem obligaret, ad recipiendum decreta, & in quo nemo præ alio plus haberet potestatis, sed omnes æquarentur, deinde Nationale, in quo omnes è Germania qui vellent comparerent & sederent, exclusis aliis nationibus, ut docuit eventus, & Protestantes ipsi declararunt, An. 1533. cum Smalcaldiæ quintò conventum celebrarunt, qui fuit *Trigesimus primus*, ubi scrutati sunt, quid Legato Pontif. ad Saxonem misso respond. in causa celebrãdi Cõcilii [g] implevernnt enim quærelam veterem S. Hilarii ac Tertulliani in lib. de præscript. *Vbi impietatis occasio, novitas admittitur, ubi autem religionis maxima & sola cantela est, (per conciliorum celebrationem) excluditur per iniquas conditiones ad solam scripturam provocando, ut hac via firmos fatigent, infirmos capiant, medios cum scrupulo dimittant*, ibidem Galliæ Rex prensavit Protestantium amicitiam mense Decembri [h] *Tricesimus secundus* celebratus est in Hassia apud Landgravium intentissime cupientem è Lutherana & Calviniana unam conflare religionem cõcordem, & eam ob causam anno 1534. istuc Melanchton evocatus advenit, qui perscripsit modos concordiæ, qui illico Constantiam missi sunt, ad Helvetios ubi eadem de causa adhuc celebrabatur Conventus *Tricesimus tertius* Bucero tentante concordiam inter eosdem conflare, sed dicit propheta, *non est pax impiis*, itaque laboratum est iterum irrito conatu, aliis recipientibus consilium Buceri, aliis aspernantibus inter quos Tigurini & Bernates, veruntamen ubi ab Hasso literæ venerunt Bucerum evocantes, is eodem accurrit ocyssime, quasi prædajam capta, divisurus spolia pervenitq; in Hassiam Ann 1535. initio, ubi explorata diligenter mente & sensu Buceri ac Zwinglianorum, quod Melanchtoni Lutherus mandarat, tamẽ verbis aliud sonantibus, aliud secreto significantibus Melanchton & Lutherus decepti sunt, ita ut opinarentur, Zwinglianos in articulo de cœna fore Lutheranos, & ideo Novus Pontifex assumpta ex semetipso potestate synodum indixit celebrandam Isenaci in Thuringia A. sequente 1536. ad 14. Maii, ut dicam infra [i] Interea *Tricesimo quarto conventus alius* celebratus fuit 11. Kal. Jul. An. 1534. Cadami in Bohemia pro pace quæ ibidem coaluit, [k] *& Tricesimus quintus*, Francofurti An. 1535. cum Henrici Regis Angliæ legatis, qui Protestantibus nuntiarunt, quomodo Rex ejectis Pontificiis præsulibus, impense faveat Protestantibus, quodque Christi doctrinam, uti ipse, promoveant: quibus Protestantes vicissim suam operam obtulerunt, & in seq. Annum ad Aprilem de Legatis in Angliam destinandis, synodum indixerunt [l] Vide *quomodo*

[a] *Vlenberg. cap. 24. Vit. Luth.* [b] *Vlenb. in Luth. c. 24. n. 1. Anatomia pag. 97.* [c] *Vlenb. ibid. & Anatomia. ibid.* [d] *Vlenberg. in Luth. cap. 24. num. 1. Errat Anatomia, alio fine opinata factum.* [e] *Bzovius in Annal.* [f] *Anatomia, & Vlenberg. c. 24.* [g] *Anatomia, Vlenberg. Vit. Melancht. c. 10. n. 2.* [h] *Vlenberg. in Melancht. c. 11. Anatomia pag. 98.* [i] *Bzovii Annales.* [k] *Anatomia, & Vlenberg. in Melancht. c. 11.*

modo hæretici etsi multis erroribus sint diviſi, tamen communi nomine adverſus Dei Eccleſiam conſpirent. 24.q.3. *Triceſimus ſextus Tiguri* An. 1535. 6. Aug. à Zvvinglianis, adverſus Lutherum iratis, quod Lutherus Oecolampadium ſcripſiſſet à diabolo præfocatum exſpiraſſe; decreta eſt itaque Apologia contra Lutherum, cujus executio tamen impedita tunc fuit, eo quod Lutherus datis ad Argentinenſes literis, oſtentaret concordiæ ſpem cum Zvvinglianis [a] Itaque *Triceſimus ſeptimus Conventus* Aroviæ in Helvetiis Anno eodem 1535. indictus à Zvvinglianis, ut demum in Fratres à Lutheranis reciperentur; ſed nihil effectum, imò etiam interdictum eſt, ne Iſenacum adirent, ubi à Lutheranis erat ſynodus celebranda, [b] Secuta eſt ſynodus Iſenacum indicta An. 1536. quò à parte quadam Zvvinglianorum (nam hi in binas aut ternas ſectas ſe diviſerant, nempe Bernates nolentes concordiam in Luthero; Bucerianos, qui cõcordiam quærebant, & medios horum Tigurinos, qui attendebant ad eventa fortunæ) nempe Buceriſtarum, ipſe Bucerus, Capito & alii novem miſſi jverunt, qui Iſenacum delati, intelligunt Lutherum Dictatorem ægrotare, & ab eo Grimmam itinere diei ab Witteberga diſtantem locum translatum eſſe ſynodum, deſignatis Melanchtone Grammatio & Crucigero Medico ad paciſcendum cum Zvvinglianis. Itaque Bucerus & Socii prævertentes Wittebergam Novam Romam adierunt, ipſum Lutheranorum oraculum conventura & ea ratione Conventus *Triceſimus octavus* Witteberge eſt celebratus in domo Lutheri ad 21. Maii diem [c] Acta extant memorabilia, quorum ſumma eſt Zvvingliani cedendo continuò Luthero, eumque & ſocios ſub umbra verborum ambiguorum circumveniendo, ejuſmodi pepigerunt concordiam, ſub qua diſcordes manerent, mundo opinante eos amicitiam compegiſſe, & opinio invaluit Bucerum Zvvinglio valedixiſſe. Capita concordiæ Melanchton ſextus Evangeliſta Luthero Zvvinglianorum concepit & ſcripſit, quæ utrique Magiſtratibus ſuæ partis proponerent Confirmanda. Lutherani facile approbarunt, cum ſcriptum hoc in modum Cothurni concepti omni pedi conveniret. Apud Helvetios autem ſciſſuræ apertæ ſunt. Buceriani ſubſcripſerunt, major pars Zvvinglianorum Magiſtratuum reſtiterunt captioſæ concordiæ verbis, & pro ratificatione ejus Luthero civiliter officia ſua obtulerunt, juſto Dei judicio, ut qui contemſerat patres ſuos, à ſuis quoque filiis contemneretur, & ludificaretur. [d] Interea Proteſtantes Aprili menſe anni ejuſdem 1536. Francofurti *Triceſimum nonum Conventum* effecere, in quo ad VIII. Kal. Maii deſignati ut in Angliam irent Jacobus Sturnius Melanchton, Bucerus, Draco, ſeu Draconites. Melanchton horrebat id iter ob ſupplicia anno ſuperiore illata his qui matrimonium Regis cum adultera prætenſum improbabant, ſed metum deterſit mox enuntiata mors adulteræ Annæ Bolenæ. Sed & Bernæ apud Helvetios eo tempore ſynodus celebrata narratur in qua CCC. ferme excucullati Monachi more SS. PP. in Nicæno Concilio conſediſſe dicuntur, credo magis ut fæminam quiſque ſibi unam conquererent quam Veritatem, aut faciendæ concordiæ inter Lutherum & Zvvinglianos viam invenerent. [e] erit igitur iſte *Quadrageſimus Conventus* quo tempore Calvinus primum Inſtitutiones ſuas impias Kal. Aug. Baſiliæ excuſas emiſit, & IV. Non Junii Paulus III. Concilium Generale Mantuam in ſeq. annum per Chriſtianum orbem indixit. [f] ſecuti ſunt breui innumeri conventus per Germaniam conſultantium & diſputantium quid circa indictum à Papa Concilium foret agendum Melanchton & quidam experti infelices eventus ſynodorum ſuarum acephalarum, acquieſcendum eſſe Generalis Concilii decretis aſſerebant, Alii nequaquam, & *erat ſciſma in populo* etiam de Concilio, & vertebatur gladius uniuſcujuſq; ad proximum ſuum 1. Reg. 14 Celebris enim inter has ſynodus fuit Smalcaldica VI. *Quadrageſima prima* Anno 1537. celebrata occaſione indicti à Papa Concilii, toties flagitati à Proteſtantibus. Ibi ut Zvvinglianis eſſent terrori Lutherus, Melanchton, Bucerus & Oſiander ſimularunt, ſe ad Concilium indictum acceſſuros, ſed larvam hanc ipſi brevi detraxerunt ſibi, & Zvvinglianos terrore liberarunt, ſiquidem Latinam & Germanicam excuſationem, cur ad id Concilium nollent venire ediderunt, & profeſſi ſunt ſe velle ſentire juxta capita Confeſſionis ſuæ Auguſtanæ, toties mutatæ, quod dum fit etenim in novas ſectas fundũtur Lutherani, nempe Magiſtratũ Civilem in Eccleſiaſticis rebus agnoſcentes & reſpuentes. Lutherus pro Reſpuentibus mox Librum edidit (hi deinde Antinomi dicti ſunt) capiſtra principum miſera in ora ſua intromitti permiſerunt,

[a] *Anatomia p. 99. Brou. in Ann.* [b] *Vlenberg in Melancht. cap. 11. n. 1.* [c] *Prolixe Vlenberg. in Luth. cap. 27. & Melancht. cap. 11. Anatomia pa. 99.* [d] *Vlenberg. ibid.* [e] *Relationes Gallicanæ.* [f] *Brou. annal.*

serunt quod eos postea vehementer male habuit, cum pro uno papa remoto tot pontifices se nactos esse viderunt], quot Senatores in quavis curia reperiebantur simili modo Zvvingliani conventum *Quadragesimum secundum* efficientes Bernæ ultima die Maii, sese in sectas Lasci & Westphali & Oecolampadistas discissos videntes expulso spiritu vertiginis, in unum corpus redigere sunt conati, sed & ibi magis aucta est discordiu discordia *Confusi sunt operarii Babelis, ut non audiret unusquisque vocem proximi sui.* Gen. 11. [a] Transilientur deinceps plurimi Conventus, cum lector videat, infinitum eorum numerum fore coacervandum, & paucos saltem attingam nempe An. 1537. Nickelsburgi inter Anabaptistas, & Smalcaldiæ iterum inter Cadmæos fratres. Anno vero 1538. mense Aprili Tiguri, ubi Bucerus bilinguis exsufflatus est, & mense Majo Brunsvvici, ubi se Rex Daniæ Protestantibus conjunxit, & brevi post Isenaci ob ingruentem Turcam, ubi 24. Julii in Cæsarem Cameramque Imperialem Protestantes convocati conjurarunt, libere pronuntiantes *sepotius Turcicam captivitatem pati velle, Christianamque religionem extingui, quam vel unum Iota de Lutheri doctrina*, uti Saxo Francofurti An. 1539. semalle de S. Pauli Epistolarum, quam Luthericorum scriptorum veritate dubitare, neque se Ferdinandum Cæsarem Rom. agnoscere. Eodemmet Anno Arnstadii Protestantes convenere de Fœdere suo firmando, & Bonis Ecclesiasticis expilandis, legatione ad Cæsarem & Reges Angl. & Franciæ mittenda, & ad Kal. Martias alia synodus indicta est Smalcaldiæ anno 1540. in quo de vera Augustanæ Confessionis intelligentia sive interpretatione quæsitum fuit; qua in re licet tum Melanchthon, Jonas, Pomeranus, Bucerus & Cruciger vehementer desudarint, exitum tamen reperire aut certum quid statuere non potuerunt, singulis eam ad suum sensum interpretantibus. Eodem Anno Hagenoæ Comitia cum perguntur Eckius & Melanchthon de pace Religionis colloquium cæperunt, Wormatiæ continuatum, Ratisbonæ finitum anno 1541. mense Aprili cui ipse Imperator interfuit, unà cum Gaspare Contareno Cardinali & S. Sedis Legato: ubi Bucerus novam Confessionem protulit, modumque conciliandarum religionum ostendit. Spiræ an. 1542. & Norimbergæ anno 1543. in quo malus Protestantium animus in ferenda afflictis Christianorum rebus ope apparuit. Et Wormatiæ anno 1545. qui conventus animum Protestantibus addidit Concilii auctoritati sese opponendi.

IV. Sed inprimis celebris fuit post Francofurtensem Protestantium conventum, (ubi de suppetiis Hermanno Colon. Archiepiscopo Apostatanti ferendis egerunt) ille Conventus, Ratisbonæ habitus anno M. D. XLVI. quo Imperator ipse venit, instituto inter Catholicos & Protestantes Colloquio. Et ex illis quidem præcipui fuerunt Gropperus & Eccius, ex his vero Melanchthon & Bucerus quorum hic pro more suo rursus intermediam quandam religionis formulam fuit commentus. Quum in mensem fere protracta fuisse disputatio, undecim Lutherani Prædicantes, uti & Witebergenses, ea impedimenta objecerunt, ut nullo operæ precio facto discessum sit, & quidem tanta inter ipsos sententiarum discrepantia, ut relicta illa nova concordiæ formula, ad Augustanam rursus confugerint Confessionem, & tandem variis quæsitis caussis sese subduxerint, ut libro III. dictum est. Interea moritur Lutherus vir discordiarum an. 1546. 18. Febr. & mox secuto bello Smalcaldici fœderis Protestantes eidem conati sunt vivorum hominum hostiis, qui unicam Christi hostiam abrogarant, parentare; nisi is conatus in capitæ eorum, ut sagittæ parvulorum recidisset, captis antesignanis ejus fœderis Saxone & Landgravio anno 1547. quo etiam Franciscus Galliæ & Henricus Angliæ Reges decesserunt. Victoriam grandem Caroli V. secuta sunt Comitia Augustæ Vindelicorum, ubi annus is Concordiæ in Religione tractatu est extractus, & sequens in majum usque consumptus, quo demum *Liber Cæsarii Interim*, mediam inter Lutheranam & Catholicam religionem, Bucero ut creditur authore, complexus est publicatus, & imperii protestantibus imperatus anno nimirum 1548. Acceptatus à plerisque est, solus Saxo Mauritius, novus Elector pro captivo nuper institutus, metu suorum subditorum restitabat. Cujus mora multorum in Saxonia Conventuum, & talium quos mirari oportear, occasionem dedit, Deo sapienter agente, ut ex cordibus Lutheri asseclarum cogitationes eorum eruerentur, & revelarentur. Hos Conventus exactè libro 3. cap. 12. num. 1. recensitos habes, ne actum agi queraris, quibus adde illum conventum qui ante illos Lipsiæ an. 1548. cum Interim Cæsarium parabatur, celebratus esse videtur, in quo Lutheri opera sub

[a] *Vlenb. in Osiandro c. 2. n. 1. Melanchton c. 12. & in Luthero cap. 28. Anatomia pag. 100.*

sub incudē revocata sunt, eo quod discipulos ejus subpuderet paulatim antilogiarum & obscænitatum sui Magistri, cujus verba oportebat esse purum verbum Dei [a] Item Borussicum Colloquium, inter Osiandrum & Staphylum, tunc adhuc Lutheranum [b] Successit his an. 1549. Conventus Lipsiensium & Wittebergensum Theologorū, qui Ordinationem Ecclesiarum, jussu Mauricii cōscripserunt, quam alii Lutherani Zelotæ irrisorie *Volumen Novæ legis* appellarunt. [c] Prætereo hoc loco Oxoniensem hujus Anni Disputationem in qua Petrus Martyr in eas angustias est redactus, ut à suis Zvvinglianis sibilis & clamoribus è cathedra fuerit deturbatus, [d] secuta sunt Comitia Augustana. an. 1550. in mensem Julium indicta, in quibus Saxo protestatus est Tridentinum Concilium se non approbaturum, nisi Theologi Augustanæ Cōfessionis definiendi in eo habeant potestatem, [e] visa est ea protestatio altiores spiritus & arma sapere nova, quæ sane subsecuta fuerunt, nā an. 1552. bellum ineunte vere Mauricius inopinatum Cæsari intulit, quod Conventu Passavienſi est terminatum [f] circa medium Julii, ubi nemini circa religionem negotii aliquid facessendum esse declaratum est. Mortuo subhæc Mauricio Electore A. 1553. mense Julio, Augustus frater hæreditatem & dignitatem adiens Augusto mense præcipuos Lutheranæ Opinionis sectatores convocavit, ut eos sibi faventes faceret, & per hos plebem adversus Joannem Fridericum repetentem terras & dignitatem parenti suo ob rebellionem ablata [g] synodum illam Wirtenbergicam secuta est alia qua inter Augustum Sax. & Joan. Fridericum disceptatio composita est Augusto vincente æmulum, qui an. 1554. obiit Catharro in martio: & Naumburgi celebrata est, magna Lutheranorum synodus, ut suæ Opinionis Schismata multa & grandia sanarent Maio convenere undique, eo, effecerunt nihil, usi Chartaceo glutino manente & crescente judiciorum dissidio, [h] Eodem anno Bernæ in Helvetiis Zvvinglianorum synodus celebratur, in qua Calvinus in xv. articulis, ex Institutionibus ejus collectis, Hæresios damnatur, & Institutiones eædem edi aut vendi vetitum fuit [i] Itaque Sacramentarii ipsi pro Ecclesia Institutiones eas damnarunt prius, quam probarent quibus nunc gratiose utuntur, suaves homines; secutum est. A. 1555. Norimbergense certamen inter Osiandrinos, & alios Lutheranos, quod Melanchton chartaceo emplastro conatus est sanare, verum ille tantum obtinebat ulcus, nā vehementius infumuit zelo Flaccianorum [k] adeo ut Wittebergensium libros vetuerint legi An. 1556. secuta est Francofurtensis Disputatio in qua Calvinus cum Justo Velsio publice disputavit de libero arbitrio, cumque idem cum ejusdem loci ministris de causa Sacramentaria vellet disputare, tanquam Zvvinglianus est rejectus, [l] anno sequente Colloquium illud Wormatiense sæculis secuturis celebrandum vix cœptum absolutum fuit, cum Schismate inter Augustanæ Confessionis addictos, erumpente, sibi mutuo anathema dicentes, profugerunt, Catholicis cedētes, [m] Recte Beda in cap. 5. Marci dicente: *Reprobos plures secta, quam lingua dissecando confundunt*. Amplius id apparuit, cum an. 1559. Duces Vinatienses cum ministellis suis Græco & Germanico stilo Novem fastiones Lutheranæ opinionis exploserunt, [n] Comites vero Mansfeldenses xi. alias sectas Fratrum suorum, tanquam execrabiles hæreses damnarunt; quibus gratis etiam Catholicos Jesuitas adjecerunt, uti Calviniani in forma quadam cœnæ suæ ipsum Deum Anathematismo perculerunt, dum omnibus qui creaturam aliquam benedicunt, anathema dixerunt. Eæ damnationes Saxonicorum, effecerunt, ut Hildelbergenses de iis triumpharint, nam Clebitius videns discordiam tantam, librum vulgavit hoc titulo: *Victoria veritatis, & ruina papatus Saxonici* [o] eodem an. 3. Aprilis Disputatio Hæreticorum Angliæ contra Catholicos iniquis legibus, & Judice illiterato Batono, imperata est ab Elisabetha Regina, [p] an. 1560. Cabilone hæretici Laicam & Ecclesiasticam potestatem synodo sua tollere conati sunt, affirmando omnes homines paris esse gradus, uno Rege excepto, ad tempus, quo anno Melanchton 19. Aprilis invitatis qui aderant ad prandendum secum, repente obrutus deliquiis ita ut ne quidem testamentum condere potuerit, decessit, [q] in medio bellorum inter Lutheranos ipsos æque ac Sacramentarios, à quibus undiq; impetebatur. an. 1561. Luneburgi Lutherani quidam damnarunt Zvvinglianum, Zvvingliani quidam

[a] *Anatomia p.* 105. [b] *Vlenberg. in Osiandro c.* 2. *n.* 3. [c] *Supra lib.* 3. *c.* 12. *n.* 1. [d] *Anatomia pag.* 109. [e] *Anatom. pag.* 106. [f] *Anatomia p.* 106. *Vlenb. in Melanch. c.* 21. *Brou.* [g] *Vlenberg. in Melanch. cap.* 21. [h] *Vlenberg. in Melancht. c.* 22 [i] *Anatomia.* [k] *Vlenberg. in Melancht. c.* 22. [l] *Anatomia p.* 107. [m] *Vlenberg. in Melancht. c.* 23. [n] *Vlenberh. c.* [o] *Anatomia pag.* 107. [p] *Anatomia p.* 108. [q] *Vlenberg. in Melancht. ad finem.*

in transylvania Lutheriсam, Bernenses Lutherum sequentes in exilium egerunt [a] Eodem anno Nurimbergæ tentata à Confessionistis damnatio Zvvinglianorum, sed frustra, multis ad Zvvinglianos propendentibus, Hinc per Germaniam immane chaos libros scribentium adversus adversarios in omni pago pene contradictio & disputatio audiebatur, [b] & Joan. Fridericus Saxoniæ dux Vinarius, cum multa contra Palatinum indignatione discessit. In Transylvania Conventus Megyesicus eod. anno de ultima cœna conventus celebratus est [c] & Disputatio Possiaca in Gallia (de quo postea) an. 1562. Luneburgi mense Majo Principes Inferioris Saxoniæ convenientes Calvinismus Brenur & alibi nidulari incipientem damnarunt. [d] Halberstati idem factum est mense Septembri anno 1563. Calvinicolæ Lausannæ comitia celebrarunt, in quibus Calvinus rejitiens symbolum Athanasii & Joan. 10. dictum: *Ego & pater unum sumus*, de sola voluntatis unitate interpretatus & Arrianus apparuit. [e]

V. *Maulbrunnæ anno* M. D. LIV. mense Aprili [f] cui à parte Calvinistarum Elector Palatinus, adductis secum Boquino & Oleviano, qui post Wirtembergici adventum cum Comite Witgestenio in Westphaliam discessit, & à parte Lutheranorū Ludovicus Dux Wirtembergicus interfuerunt, adductis Jacobo Andreæ Smidelino & Brentio qui Ubiquitatem Christi magnis conatibus propugnarunt. Conventus hujus Acta Germanica lingua postea promulgata sunt, in quibus inter alia Lutherani de Calvinistis sic loquuntur: *Ineredibilis est Calvinistarum impudentia publice jactantium se à nobis pro fratribus haberi, quos tamen neque in Ecclesiis nostris ferre, neque pro fratribus, sed potius pro inimicis Iesu Christi, & à mendacii spiritu agitatis agnoscimus.* Petriceviæ etiam an. 1566. habitus fuit conventus, in quo Calvinistæ susceptа contra novos Arrianos disputatione, rem ad exitum perducere nō potuerunt. [g] Eodem anno Parisiis habitum est Colloquium 9. Julii inter Catholicos & Calvinianos: & Londini. [h] Varadini in Transylvania anno sequēti, inter eosdem hæreticos, in quo convitiis & exsecrationibus res acta fuit. [i] Altenburgi an. 1567. in Misnia inter Lutheranos Molles & Rigidos, in quo pars una magistrum suum in cœlum extulerūt, alii ejusdem cum ceteris hominibus conditionis esse voluerunt. Transacto mutuis contentionibus integro fere semestri, tandem Molles Lutherani suis Lutheri, Rigidi vero seu Flacciani, Melanchtonis librorum & Augustanæ Confessionis lectione, earumq; ceremoniarum & Ecclesiasticorum ornamentorum quæ hactenus in Missa apud Witebergenses usitata fuerunt, usu interdixerunt, ne cum illis quidquam commune haberent. [k] an. sequente 1568. in Dominiis Geran. Conventus Protestantium Confessionem Augustanam definivit esse Cothurnum omni pedi aptum, & in conclusione precum Per Dn. N. Jesum Chr. *filium*, jusserunt dici ut Mahumetani, *fidelem servum tuum*. [l] Eodem an. Sendomiriæ Calviniani cum Trideitis confluxerūt frustra ex scripturis Albæ Juliæ an. 1570. inter Tritheistas & Calvinianos disceptatū. Dresdæ a. 1571. in quo Lutherani Lipsienses à Flaccianis hæreseos sunt dānati. Bernæ anno sequēti, ubi Sacramentarii in tot sectas hactenus distracti, contra Ecclesiā cōmune fedus fecerunt. Cracoviæ, an. 1573. ubi omnes diabolorum qui in Polonia passim & Transylvania sunt, cœtus fuere congregati: in quibus Daniel, Georgius, Jurequius Cerdo, detestabilium hæreseon antesignani, dum sibi quisq; suisque dogmatis fidem arrogare & alteris detrahere nititur, operam & oleum perdiderunt, ab adversariis turpiter explosi. Remburgi anno 1574. ubi Principes aliquot Imperii convenerant, adductis Ecclesiarum suarum ministris, sed sine ullo itidem fructu, singulis in sententia sua persistentibus.

VI. Venio nūc omissis multis ad celebre illud Mōpelicardense Colloquiū, in quo Theodorus Beza, & Jacobus Andreæ Smidelinus, Professor Theologiæ & Cancellarius Universitatis Tubingensis in Ducatu Wirtembergico, inter se congressi sunt. an. 1585. Id Colloquium concordiæ inter Lutheranos & Calvinistas tentandæ causſa magno apparatu, magnaque hominum exspectatione institutum ac celebratum, longe diversum finem habuit, utriusque partis animis multo magis contra se mutuo exacerbatis. Beza enim dicebat corpus Christi tantum esse in cœlo, Smidelinus vero esse ubiq;. Tunc nova verborum monstra nata sunt. [m] *Visus cœna Oralis, naturalis, Sacramentalis, omni majestaticū &c*, Posnaniæ eodem anno inter Calvinistarum 300. ministros conventus est celebratus ad edendum unam conformem per omnia professionem fidei, rogatu Palatini Posnanensis. Sed effectum nihil dissensione concordium in apostasia, [n] anno 1587.

[a] *Anatomia.* [b] *Anatomia.* [c] *Supra lib. 4. c. 7. n. 9.* [d] *Anatomia.* [e] *Anatomia p. 3.* [f] *Anatomia l. cit.* [g] *Anatomia.* [h] *Anatomia.* [q] *Anatomia.* [i] *Anatomia p. 113.* [k] *Anat. p. 113.* [l] *Anatomia. p. 117.* [m] *Anatomia p. 118.* [n] *Anatomia ibi.*

1587. Genadense colloquium celebratum est, ut concordia inter Lutheri & Calvini opiniones conficeretur. Magistratus Luthero plebs Calvino inhærebat: exitus fuit, ut quique quod vellet credere pergeret. [a] an. 1588. Vilnæ, quasi in portu omniũ qui fidei naufragium fecerunt, synodus est habita, præter alias innumeras, illa in qua definitum est adorandum esse Patrem & Filium & Spiritum S. sed non Trinitatem. [b] Item alia similis Genadensi definitioni. Item alia in qua Nobiles exprobrarunt ministris, *se nescire quid crederent.* quibus ministri responderunt, *quod quamdiu Domini illi essent in curru nullus esset ordo.* His illi reposuerũt: *quamdiu nos isti scholares docebunt, errabimus.* post hæc probra mutua inita est concordia per amnistiam. Alia an. 1589. ibid. coacta est, in qua Decretum fuit, *ut ministri de Trinitate rectè sentirent, in prædicatione tamen à Trinitatis voce abstinerent. Ne illegitimos filios baptizent, &c.* [c] Eodem an. 1589. Badenæ in Marchionatu ad Rhenum habita est Disputatio inter Pistorium & Smidelinum, &c. super Marchionis ad fidem nuper reversi Confessione, ubi Smidelinus noluit Dialectica forma coarctari suam loquacitatem, sed ex suo contra Schvvenckfeldium libro ad eam adactus, asserit ab Apostolis disputationes esse veritas [d] Eodẽ anno Lavingæ de bonorũ operũ necessitate disputatũ est, inter Catholicos & malos Evangelicos; Illi probabant bonorum operum necessitatem sic: Omne quod est necessarium Christiano ut perveniat ad terminum, est necessarium ad salutem: Ex Apostolo Paulo Ephes. 2. Opera bona sunt ejusmodi; ipsius factura sumus creati in operibus bonis, ut in illis ambulemus: ergo. Ibi mali Evangelici, dixerũt esse necessaria non ut salutis causas, sed ut merita, vel effectus fidei, ex præcepto requisita. Ad quæ Catholici: *Ergo neque fides est necessaria, quia est præcepta.* mali Evangelici vero *Fides non est opus:* Catholici Joan. 6. *Hoc est opus Dei ut credatis in eum,* ait Dominus. Et confusi sunt adversarii, non tamen emẽdati. [e] anno 1590. Alia mense Maio Vilnæ Colloquium est habitum de ordine Ecclesiæ, quoad Catechistas, & Ministros, & editione librorum, nempe Catechistæ penes ministros habitent, nec Sacramenta ministrent, sed neque matrimonio copulent ullum Minister distribuens cœnam & non sumens suspendatur ab officio. Editiones librorum non fiant absque censura deputatorum. plane uti Tertullianus 4. contra Marcionem docet: *quod quotidie reformant, illud prout à nobis quotidie revincuntur.* Ulmæ habitum fuit Colloquium, ubi inter utriusque partis colloquutores de armis quibus in conflictibus ejusmodi sit utendũ, & unde illa petenda, non potuit convenire. Wittebergæ an. 1591. conveniunt Prædicantes, ut unam fidei regulam communem conderent, controversos articulos definirent, Ordinationem Ecclesiæ generalem conficerent. [f] an. 1592. Visitatio Saxonica damnavit Calvinianos, quod in Eucharistia nuda symbola & signa Corporis Christi obtruderentur de persona Christi, baptismo, prædestinatione & perscientia impie sentirent. [g] Sic Ægyptii adversus Ægyptios concurrerunt. an. 1594. Wittebergæ disputatum inter Hunnium, & Huberũ, & adhærentes singulorum, Hunnius ad solos Electos, Huberus ad omnes homines prædestinationem extendebat: simili modo de aliis plurimis discrepantes inter se conflixerunt, volubiles in omnibus viis suis, sed nunc in hanc nunc in illam partem sese vertentes, modo vituperantes quod paulo ante laudaverunt, ut ait Athanasius de synodo Nicena. Lepidissimum inter confligentes fuit, quod Huberus docebat Lutherum revocasse sententiam de servo arbitrio: Hunius vero negabat. Unde Huberina pars Hunium ut Calvinistam damnavit. [h] Infinita alia colloquia, & conventus diversis temporibus habitos prætereo: in quibus Catholici cum omnium sectarum hominibus congressi, palmam semper obtinuerunt, numquam ulla inter ipsos secessione facta: quum econtra Lutherani, Zvingliani, Arriani, Tritheistæ, Antitrinitarii, Svenckfeldiani, Anabaptistæ & Calviniani in varias sectas & factiones scissi ac misere divisi sint, ut omnium synodorum eventus monstravit. Sicubi vero Catholicos vicere acatholici mero dolo & armis. Siquidem hæreticæ fraudis ista est solennis regula, Jactare Fidem esse donum Dei: esse fundendam non cogendam: nemini propter religionem persecutionem esse movendam: Libertatem conscientiis esse permittendam: at ubi invaluerint multitudine plebis, tunc conspirare, tunc persequi eliminare, multare, in carceres agere, & in vitam animadvertere. Exẽpla habet quotidiana Germ. Anglia, Dania, Suecia. &c.

Verum hoc loco facere non possum quin præcipui unius ex ejusmodi conventibus, in quem tota Germania oculos, ob spem concordiæ, conjecerat, ceremonias & exitum paucis describam.

[a] *Anatomia ib.* [b] *Anatomia p.* 118. [c] *Anatomia.* 119. [d] *Anatomia p.* 119. [e] *Anatomia ibid.* [f] *Anatomia p.* 120. [g] *Anatomia ib.* [h] *Anat. p.* 121.

Anno M. D. XVII. Imperatoris permissu, inter duodecim Catholicos, & duodecim Protestantes Theologos instituta fuit disputatio: præsesque designatus Episcopus Spirensis, & Notarii quidam, qui Acta exciperent, & in arcula quadam, cujus unam clavem Catholici, alteram Protestantes habebant, ad comitia asservarent. Adjuncti etiam quaterni ab utraque parte Principes: tum etiam si qui forte è Colloquutoribus decessuri essent, alii in eorum locum denominati. Quid multis? A Protestantium parte parturiebant montes, sed natus est ridiculus meus, cum æterna hæreticorũ ignominia. Facto enim initio, Catholici sibi cum Augustanæ Confessionis Doctoribus disputandi negocium datum ajebant, ceteris omnibus sectis exclusis. Quare videndum ut utrimque designati tales sint quibus nihil ejusmodi possit objici. Se quidem omnes unam eandemque fidem profiteri, & idem per omnia sentire. Sic res dilata, & per dies aliquot acerrime inter ipsos disceptata fuit. Misera enim Augustana illa Confessio in Confusionem abire cœperat, uno hoc, alio aliud dicente. Porro è duodecim illis Augustanæ Confessionis Doctoribus, quinque secessionem fecerunt à septem protestati numquam se iis subscripturos quæ certi ipsorum collegæ de libro Arbitrio, de Justificatione, de bonis Operibus, de Sacramentis, & de Eucharistia conceperant, ut in quibus ab Augustanæ Cõfessionis textu longe admodum sit discessum, & ideo eosdem septem uti hæreticos privatim, inter se damnarunt, & illos septẽ ad anathemati suo subscribendum compulerunt, quo peracto cum spem haberent se concordes futuros in colloquio contra Catholicos, publice erupit, privatim facta septem virorum à quinque viris damnatio, & quinque illi à septem uti ab Hæreticis recedendo fugerunt è colloquio. Quamvis enim numero vincerentur, æque tamen pertinaces, post longam altercationẽ septem illis cedere coacti, & à suis ipsorum collegis & fratribus irrisi, maledicti atque excommunicati fuerunt. Sed & septem illi quum ejusdem coloris homines in decessorum locum substituendos non reperirent, & ipsi ante conflictum receptui canentes, facilem Catholicis victoriam reliquerunt. Vix inde digressi, mordacibus & virulentis admodum scriptis mutuo sese insectati sunt, ut videre est ex iis quæ Nicolaus Amsdorfius & Nicolaus Gallus contra Melanchthonem & Brentium, qui è septem illorum numero fuerant, ediderunt, in quibus eos hæreticorum fautores, Zvvinglianos, Osiandrinos, qui Augustanæ Confessionis velum impiis suis & tetris erroribus prætexant, appellant. Habes exitum huius conventus, vel Comœdiæ potius, in quo Lutherani tamquam inepti histriones, omnium risui & ludibrio sese exposuerunt. Dicamus O ærumnosos Babylonis ædificatores! qui dum velut Cadmea illa progenies, inter se digladiantur, Catholici unanimi inter omnes consensu (qui in sola Catholica Ecclesia semper reperitur) meliora exspectant & optant, tam ridiculam quam miserabilem ambitiosorum hominum divisionem considerantes.

DE CONCORDIA RELIGIONUM A JACOBO Andreæ Smidelino tentata: & quæ circa eam in diversis Germaniæ locis evenerint.

Caput Undecimum.

ARGUMENTUM.

I. *Dux VVirtembergicus novam Fidei formulam conscribi jubet.*
II. *Eius auctor Iacobus Andreæ, vulgo* Schmidlein
III. *Eam circumfert, ab aliis receptam ab aliis explosam.*
IV. *Augustus Saxoniæ Elector Concordiæ librum approbat: quem Iacobus Andreæ Constantinopolim ad Patriarcham mittit.*
V. *Iacobus Andreæ Lutheri filio Medico comitatus, VVitembergam proficiscitur, in magnum ibi periculum conjectus.*
VI. *Concordiæ liber ab Augusto Saxoniæ Electore receptus, à Christiano ejus filio Calvinismum amplexo, reprobatur.*
VII. *Mortuo Christiano, Calvinismus è Saxonia proscribitur, & Lutheranismus rursũ stabilitur.*
VIII. *Calvinistæ Saxonia ejiciuntur Aquigrani religio mutatur.*

I. LUdovicus Dux Wirtembergicus, è Protestantium Principum numero unus, animadvertens Evangelicos, uti se nominant, tot factionibus distractos, non Catholicis tantum, sed Genevensis etiam religionis asseclis nuper in lucẽ progressis risui esse, Doctores suos rationem aliquam faciendæ saltem inter Augustanæ Confessionis socios concordiæ comminisci jussit; Superintendentes suos non semel ita affatus. *Quid? nullusne omnino restat modus certum aliquid de controversiis illis articulis*

ticulis ſtatuendi, ac concordiæ reducendæ? ne adverſa-riis noſtris & inimicis, non ſine cauſſa inconſtantiam noſtram, levitatem, & diviſionem ridentibus, fabula ultra ſimus? Omnes enim qui hactenus fuerant habiti conventus & colloquia illum diſcordiæ ignem auxerunt magis quam exſtinxerunt, ſingulis opiniones ſuas mordicus tuentibus. *Non facile*, inquit Chryſoſtomus de hæreticis loquens, *ſententiam ejuſmodi homines mutant. Quicquid evenerit, numquam illi à ſuo diſcedunt propoſito etiamſi veritatis lux clariſſima ante oculos proponatur: ut quibus durum ſit caput, collum ferreum, & frons area, ut Eſaias dicit: eoque emolliri non poſſint.* Id certe in Novis noſtris Evãgelicis veriſſimũ compertum fuit, apud quos omnes vix cœptæ actiones abruptæ, omneſq; cõventus ſine ullo fructu ſoluti fuerunt. Quis enim non miſerabilem illam confuſionẽ dixerit, videns ab una eademque civitate jam hos ejici, illos vocari; mox rurſus his expulſis illos revocari? uti Magdeburgi accidit, ubi Heshuſius Superintendens Senatus juſſu de nocte in currum cũ ſuis conjectus, & alio evectus fuit, eo quod doctrina ipſius Senatui per omnia non probaretur. Idem Ratisbonæ & alibi evenit. Quocirca his incommodis remedium adferre ſatagens Dux prædictus cum Jacobo Andreæ, Theologiæ Doctore & Academiæ Tubingenſis Cancellario egit, ut manũ operi admoveret, & ex omnium religionum centonibus, unam aliquam bonam, ſi fieri poſſet, concinnaret.

II. Erat vero Jacobus Andreæ raræ doctrinæ & magni ingenii homo, ac, ſi Lutheranis credimus, qui poſt Lutherum in Theologiæ ſcientia facile ſecundas obtineret. Hic idem Mompelicardi cum Beza congreſſus, nec canitie nec calvitie ejus adduci potuit, ut amicam ipſi manum porrigeret, aut inter fratres locum daret. Sed & idem in conventu Wormatienſi viſus fuit pallio aulicum in morem facto manicisque exornato indutus, cultro venatorio ad latus accincto, ut Reſcius teſtatur. Tandem ambitioſus hic Faber, Snepfii & Brentii Junioris, collegarum ſuorum opera adjutus, librum procudit, quem *Concordiæ Formulam* inſcripſit, quod eo omnes articuli comprehenſi eſſent, in quibus ille conſenſum inter Lutheranos introducere ac firmare volebat, ſperans hac ratione ſe Catholicos quoque ineſcaturum. Eſt vero libro hoc in ſuperiori Germania nihil tritius, Bibliorum fere magnitudine, & vernacula lingua cõſcriptus, ut ab omnibus legi, & quid credendum ſit, ſciri poſſet. In hac ille tam Calviniſtarum errores quam Catholicam fidem in quibuſdã articulis damnat, optans inter alia, ut Deus horrendis tam Papiſtarum quam Calviniſtarum blaſpemiis finem imponat. In multis vero liber hic à primis Proteſtantium fidei Confeſſionibus longiſſime diſcedit, ut notat *Harmonia Genevenſis*. Speciatim quædam enarrare non poſſum, quod Latina lingua, quod quidem ſciam, numquam liber ille ſit editus. Veruntamen alii gnari Germanici idiomatis, interque hos etiam Saxo quidam plures novas hæreſes, præter infinita mendacia, notarunt. Quid doctiſſimus ille Cardinalis Bellarminus hoc de libro ſentiat, ſcripta ejus teſtantur. eundem Lindanus quoque ſcripto cui titulus eſt. *Cõcordia diſcors*, refutavit. Sed & Sturmius novam quandam ad cœlum viam monſtrare nobis voluit, publicato anno M. D. LXXVIII. libro, cui titulum fecit, *Media via*; qui tamen nequaquam effecit quo minus Argentoratum eidem libro Concordiæ multis poſt annis ſubſcripſerit.

III. Librum hunc à Smidelino cuſum, Dux Wirtembergicus ad pleroſque omnes Imperii Principes & civitates Auguſtanæ Confeſſionis circumviſit, nequaquam eodem vultu ubique receptum. Ex omnibus vero Principibus nemo faciliorem ſe præbuit quam Auguſtus Dux Saxoniæ Elector, qui operæ precium judicabat, *communi hac doctrinæ Formulâ* omnes Lutheranos, tot factionibus hactenus diſtractos, colligari. Eundem librum amplexi ſunt. Ulma, Biberacum, Norlinga, Dunckelſpülium, Heilbrunna, & aliæ Sueviæ civitates, Principis potiſſimum Wirtembergici ipſis finitimi commendatione, uti & Argentina tandem, nimirum Anno M. D. XCIX. licet Scholæ illius quondam Rector Sturmius, cui Beza tantum tribuit, ſcriptis ſuis librum illum jam olim valde infamaſſet. At aliæ civitates tot mutationum pertæſæ, Confeſſioni ſuæ inhærebant, tam librum quam auctorem irridentes. In illum circumfertur diſtichon perquam argutum:

R. habet Auſonium liber hic, R. habetque Pelaſgum,
R. habet Hebraum, præterea que nihil.

Hæc quorundam tergiverſatio fecit ut auctor ipſe rheda hinc inde circumvehi voluerit, *Formulam hanc Concordiæ* tamquam Palladium aliquod aut Arcam Federis circumferens, locis quibuſdam magna cum gratulatione exceptus, aliis explosus, prout ſtultarum opinionum venti hos vel illos afflarant. Ille maximos minimos ubique prenſare, rogare ut ſubſcriberent, ne Collegiorum quidem Rectori-

Rectoribus præteritis, ut scilicet multis doctorum hominum nominibus librum suum impleret atque illustraret, quæ ad X. millia eo in libro leguntur. Et plures quidem vix inspectum auctoritate magis Principis quam ratione ducti, approbarunt: alii diu tergiversati sunt, non sine mutuis altercationibus, alio quod alius approbaverat improbante, & Superintendente à parocho parocho à diacono (**Helffer** vulgo) dissidente; omnibus interim ex suo arbitrio conscientias suas moderantibus. Facete quidam librum hunc Germanice **Wapen oder Gesellenbuch** nominarunt, quod mos sit Germanis peregrinantibus libellum circumferre, qui amicorum aut clarorum virorum arma depicta, & nomina consignata ostentat. Alii gravius in hunc librum & subsignatores luserunt, hoc disticho:

In libro vitæ qui non potuere notari,
Nomen in hunc librum composuere suum.

A Daniæ rege quum oblato libro uxor charissima, à Smidelino subornata, ut subscribere petiisset, ille librum in ignem conjecisse fertur.

IV. Postquam ita consarcinator hic multorum nomina emendicatus est, & aliorum sententias exquisivit, primo ad Augustum Saxoniæ Ducem profectus, cui præ ceteris Concordia hæc placuit, liberaliter admodum receptus est, & post longam habitam cum eo ejusque Doctoribus disputationem (quod non omnes idem sentirent, Smidelinus vero non aliter quam à Spirito Sancto dictatus fuisset, à libro suo ne jota quidem discedi vellet) tantum effecit ut liber iste non in Germania tantum circumlatus, verum ad Patriarcham quoque Constantinopolitanum missus fuerit, cujus plurimum intererat cum Catholica redire in gratiam Ecclesia, à qua seipsum jam ante separarat. Et hunc quidem multis precibus obtestatus fuit Smidelinus, ut tum miserabilem illam, quæ ob intolerabilem Romani Pontificis auctoritatem, jam olim acciderat, divisionem, tum eorum qui sancto quodam tacti desiderio, remedium aliquod reformandæ Ecclesiæ adferre satagerent, divortia cordi haberet. Sed Patriarcha consideratis mature omnibus, & ad singulos crassi istius voluminis articulos notis appositis, auctorem rogavit, ut ne posthac ejusmodi ineptiis molestus sibi esse vellet. Quod si integrum Patriarchæ responsum hoc loco apponere voluissem, nimia sane prolixitate fastidium lectori parerem: quod curiosus lector ab aliis scriptoribus petet. Licet autem Smidelinus à Patriarcha ludibrio se habitum animadverteret, non tamen animum propterea abjecit, sed per literas eundem rursus sollicitavit: ut & reliqui Lutherani, missis ad eum Fidei suæ Confessionibus: quas tamen *ille omnes tamquam adulterinam monetam, licet diversa forma, eiusdem tamen materia, remisit.* Verum ecce tibi nigram & inveteratam hominum istorum malitiam, qui hoc velut præjudicio læsos se existimantes Anno 1581. eundem Patriarcham postea apud Turcarum Imperatorem, Bassæ cujusdam opera, perfidiæ & proditionis accusare non dubitarunt, tamquam cum Papa communi Mahumetanorum & Lutheranorum hoste conspirantem: unde etiam misero illi in exsilium ejecto, alter fuit substitutus. Facta sunt hæc paullo post eam quam Christiani à Turcis apud Echinadas reportarunt victoriam, Pio V. S. federis istius auctore, S. sedem tenente. Sed ad Jacobum Andreæ revertor.

V. Is frequentes diversis in locis passus repulsas, & supradicti Principis consensu ad Witebergensem & Lipsiensem Academias profectus est, ut Theologiæ studium ejusque Doctores reformaret. Quâvis autem Lutheri filio, Principis Medico comitatus venisset, ut hominis istius tanquam Saxonum popularis & ob patris sui Saxonii prophetæ memoriam vulgo charissimi præsentia ac societas Smidelino Novo Moysi, in sua Lege nova promulganda invidiam minueret & excusaret ac tanto plus adderet auctoritatis: paucis tamen librum suum probare potuit, imo plerique mirabantur, reprobum sensum in Filio Lutheri, quod is talem operam Smidelino, paternæ gloriæ æmulo, & substractori, præstaret. Quum ergo postridie conscenso suggestu, magna accurrente hominum, scholarium præsertim (qui cives fere numero superant) multitudine, concionem ad populũ haberet, & in sermone Philippum Melanchthonem quondã ibi Professorem, perstringere cœpisset: ecce tibi obscurum initio murmur & strepitus, mox ingens clamor præsentis juventutis exoritur, Prædicantem illum primo verbis & convitiis, mox libris, lapidibus, & quidquid ad manum, insectantis, tanto impetu ac furore, ut pacis hic & Concordiæ præco, in ipsa Ecclesia novo belli genere deprehensus, ægre Rectoris & amicorum operâ studiosorum manus evaserit, ac lapideo huic imbri sese subduxerit. Hoc modo evitato periculo, miser hic Theologus Dresdam profectus, graviter de hac injuria apud Electorem cõquestus est:

verum

verum quia verendum erat ne tumultuantium & Magistri sui honorem tam strenue vindicantium pœna Vniuersitati (id enim genus scholas Germani Principes magni faciunt, tam ob emolumenta quæ inde ad subditos redeunt, quam vt maiori in existimatione apud exteros habeantur) non parum adferret detrimenti, verbis amicissimis hominem consolatus, tantæ insolentiæ rationes propediem exacturum se promisit, interim acquiscere iussit. Quum vero Smidelinus, ne eandem quam VVitebergæ fortunam subirēt, Lipsiam ipse proficisci non auderet; Augustus Elector tam VVitebergenses quam Lipsienses Theologos per litteras, *vt Formula huic Concordiæ subscriberent*, grauiter est cohortatus. Et plures quidem subscripserunt, non tamen sua sponte quam Principis auctoritate permoti. Nonnulli vero dubijs admodum verbis vtebantur, nimirum: *Hanc formulam vt probo ita subscribo.*

IV. Porro Iacobus Andreæ de eorum qui, vt diximus, non tam sponte quam alijs rationibus persuasi subscripserant, fide & constantia dubitans, è Tubingensi Academia (quam ille non modo tunc temporis regebat, verumetiam ipsius Principis conscientiam pro suo lubitu moderabatur) Theologum euocauit, qui omnium per Saxoniam Ecclesiarum inspectionem ac curam haberet, & vt Formula illa ab omnibus Doctoribus & concionatoribus accurate per omnia obseruaretur, inuigilaret. Is vero fuit Polycarpus Leyserus, homo vulgaris, vt in quo nihil singulare erat, adeo vt ceteris VVitebergensis Academiæ Theologis nulla re superior, multis vero esset inferior. Licet vero plerique ægerrime ferrent, hominem nulla eximia eruditione aut rara aliqua dote eximium, sed multis, vt diximus, inferiorem sibi præpositum, ei nihilominus tamquam Superintendenti obedire, & Formulæ illi, quoad vixit Augustus, insistere coacti sunt. Defuncto vero Augusto Anno 1586. III. Id. Febr. Christianus vnicus ex octo fratribus superstes patri suo Henrico (a) tantarum opum & Electoralis dignitatis heres, alio impulsus spiritu, ejecto Polycarpo, Formulæ illi nuncium remisit; & ne ad vomitum, id est, ad Lutheranismum redijsse videretur, repudiata tam Lutheri quam Smidelini doctrina, Caluinismum aperte est professus. Quod quidem quum subditi tum confederati illius, inprimis è Saxonica familia Principes permoleste tulerunt. Ille nihilominus vlterius progressus, Lutheranis in Academia Professoribus, ijs inprimis qui cum Smidelino sentiebant, Caluinianos substituit, à Ioanne Casimiro adfine suo ex Heidelbergensi Academia sibi missos.

VII. Dum hæc ita fiunt, miseri subditi è Catholicis primo *Lutherani* sub Luthero; deinde sub Melanchthone, *Semilutherani Confessionistæ, vel Interimistæ*, ac nuper *Smideliniani* seu Fabristæ, & ad extremum Caluinistæ facti, sub tanta mutationum vicissitudine suspirantes & ad desperationem pæne redacti, exitum tandem aliquem exspectabant. Quid fit? Biennio post è vita decedit Christianus Anno 1591. Dresdæ VIII. Kal. Octob. (b) relictis heredibus masculis, sed teneræ adhuc ætatis. Christiano; Ioan-Georgio; Augusto. Nouenni, Septenni & bimo. Vnde iterum, Religio Saxonum cæpit fluctuare sub arbitrio Tutorum & Administratorum. Quis hic non dixerit, religionem Acatholicorum hanc illud singulare habere, vt cum domino & ipsa mutetur, quasi mutabilitatis homagium ei præstans? Subditi interim singulis annis nouas ac diuersas Fidei Confessiones alioque libros eo pertinentes emere coacti, Smidelinum, Selneccerum, Brentium & Caluinum exsecrabantur. Post mortem Christiani, quippe A. 1591. vti dictum est defuncti, religionem iterum mutarunt. Dux enim Vinariensis Fridericus VVilhelmus Christiani defuncti cognatus, è Saxonica familia alterius lineæ natu maximus, Electoratum affectabat, eo quod auo suo Ioanni Friderico, magno illi Lutheri Achilli, ereptus, & in Mauritium, porro in Augustum, cuius filius erat Christianus, translatus fuisset. Quocirca vt non dignitatem solum Electoralem, verumetiam regiones ad eam pertinentes, quæ auo ipsius, post prœlium ad Albim, in quo captus fuit, Imperatoris sententia ademtæ fuerant, recuperaret, copias contrahebat. Et magno quidem tum in metu ac periculo versabatur Germania, ne in eas miserias quas olim bello Smalcaldio senserat, rursus incideret; cuius quidem cineres etiam tum adhuc calebant. Nam & Principes diuersa partium studia sequebantur; vt res omnino ad maximas turbas & rerum mutationem spectare videre-

H tur.

a *Reusnerus in opere Geneal.* b *Idem ibid. in stirpe VVitikindea.*

tur. Tandem vero Imperatoris interuentu Vinarienſis, omiſſo bello, Adminiſtrator Electoratus & pupilli tutor electus fuit, tamquam ſenior & proximus eius adgnatus: qui ſtatim Academias VVitebergenſem & Lipſienſem denuo reformauit, & eiectis Caluinianis Doctoribus & Miniſtris, Lutheranam religionem reſtituit, vſus ad hoc Ægidij Hunnij, magni nominis inter ſuos Theologi, è Marpurgenſi Academia à Ludouico Haſſiæ Landgrauio, eum in finem ſibi miſſi, opera; qui miſeram plebem ad Lutheri Catechiſmum remiſit, vnà cum Polycarpo Leiſero & Georgio Mullero, Auguſtano quondam concionatore. De tribus his Doctoribus ſtudioſi per ludibrium dicterium hoc iactabant. *Polycarpus pulcherrimus* (erat enim egregia corporis ſtatura ac forma) *Mullerus grauiſſimus* (vt qui tam in verbis & inceſſu ſingularem quandam grauitatem præ ſe ferret) *Hunnius doctiſſimus*: quod hic quamuis exiguæ ſtaturæ & ſubfuſci coloris homo, quoad externam ſpeciem, ceteris contemptior videretur, ingenij tamen acrimonia & eruditione duos illos longe ſuperaret. Quia vero metus erat, ne trium horum Doctorum æmulatio in Academia turbas excitaret, Mullerus Vinarienſis Ducis iuſſu ad Academiam Ienenſem conceſſit, Profeſſoris ibi ſuſcepto munere, duo vero illi VViteber genſi Academiæ operam ſuam diu vnà nauarunt.

VIII. Eo quidem tempore plerique omnes alicuius notæ homines, qui Caluiniſticam aperte profitebantur religionem, in magno erant vitæ diſcrimine, vt contra quos vulgus per totam fere Saxoniam inſurrexerat, inprimis Lipſiæ, quæ populoſum admodum & præcipuum ijs in locis eſt emporium; adeo vt domus nonnullæ oppugnatæ, & effractis ianuis direptæ fuerint, eorum vero domini, vt & alij Caluiniſmo infames, ægre tumultuantis plebis manus euaſerint, & in Palatinatum ſe receperint, quod ſcirent, religionem ſuam nullibi in tota Germania quam in Palatinatu tolerari: quamuis paucis abhinc annis eadem in alias quasdam regiunculas, quæ ſcilicet Principum Anhaltinorum, Comitum Hanoviæ, Wedæ, Iſemburgi, Furſtenburgi, & paucorum aliorum ſubſunt imperio, irrepſerit. Et quamuis varia ac multiplex ſit Lutherana religio, ſola tamen in Germania illam habet prærogatiuam, ob multas retro Imperij pactiones initas cum Catholicis, quæ nunquam fermento Lutheri inquinatæ ſunt, aut ſeſe deprehenſo veneno medicamentis expurgarunt. Inter quas eſt etiam Ciuitas Aquisgranenſis, Thronus Imperij, vt vbique toleretur, exceptis Catholicorum quorundam Principum ditionibus ac ciuitatibus Imperialibus, quæ ſupremum ius imperandi habent, in quam Anno 1524. Albertus Munſterus Terræ filius, Lutheri vt profitebatur diſcipulus aduenit, docens, Catholicam Eccleſiam procul à veritate deflexiſſe, & errare in multis. 2. B. V. non eſſe meliorem alijs fœminis. 3. SS. Inuocationem & cultum nullius eſſe vtilitatis 4. vanum eſſe fructum Sacrificij Miſſæ 5. Reliquias à Carolo M. iſtuc inductas, non eſſe pluris, quam centonem mendicabuli. 6. pecunias melius impendi in Lupanaria, quam peregrinationes ad loca ſancta. 7. per indulgentias non plus lucrifacere in Eccleſia, quam in porcili. Imo porcilia abundare remiſſionibus. Ob has blaſphemias breui comprehenſus à Magiſtratu, dum in vinculis teneretur, aliunde Traiecto de homicidio ſub circumforanei ſpecie, & VVeſalia ob aliud homicidium carceremque perfractum accuſatus, pœnas ſuppliciodedit, ex quo Senatus illius Reip. intellexit quales Apoſtolos Lutherus in orbem emitteret. Imperita eſt nihilominus aſſidue & vaferrime ea ciuitas ab hæreſibus, quaſi ea capta, Thronus Imperij Romani ac B. V. Mariæ in ſeruitutem eſſet addictus, donec Magiſtratum Catholicum abrogantes rebelles Sectarij ſeſe ingeſſerunt & Cæſar cognita cauſa Catholicorum & proteſtantium, hos nullis mandatis parere volentes proſcripſit Anno 1598 30. Iunij & militari manu Archiepiſcopi Colonienſis Trevirenſisque, nec non Ducis Iuliæ, & Alberti Archiducis, Brabantiæ Ducis proſcripti Magiſtratus perſonas & bona capienda decreuit, quod ſequenti Auguſto euenit, reſtituto in locum ſuum Catholico Magiſtratu ad 1. Diem Septembris (c) qui vrgente Pontifice Romam demum Patres Societatis Ieſu aduocauit ad opem ferendam Catholicæ rei, quod illi Anno 1600. autumno ingreſſi grauiter præſtare cæperunt. Incredibile eſt quantis Acatholici molitionibus illos eo loco deturbare ſint, famoſis libellis, interceſſionibus Ordinum fœderatorum Belgij, criminationibus & omnibus

(c) *Hiſtoria Aquisgran. & Acta publica.*

omnibus inferorum artibus. Illi tamen locum suum non deseruerunt, sed pedem pedi opponentes exitium hæresi, quod sibi moliri non desistit, hodies machinatur (d). Hæc de ea vrbe dicenda duxi, vt intelligatur Catholicos in Germania tota, non accipere ab Hæreticis Leges, vt quidam exteri opinantur, sed ipsos quoque in certis territorijs sceptrum, imo suprematum Maiestatem obtinere. Ex quo summa eiusmodi hominum patet imprudentia, qui dum Ecclesijs suis pacem & libertatem quærunt, bellum sibi, turbas & confusionem pepererunt. Miseri homines! qui continuo velut in armis sunt, iam alios eijciunt, iam ipsi eijciuntur, iam hoc, iam illud credunt, prout scilicet domino ipsorum visum fuerit, aut nouitius aliquis apostolus nouam ipsis fidem annunciarit. Bis, inquam, miseri! qui in eo quod maxime firmum ac stabile esse debet, nullam stabilitatem habent. Interim vero qui veterem Lutheri religionem sequuntur (neque enim ille nouos Lutheranos, neque Confessionistas, neque Interimistas vidit) non doctrina tantum, verum etiam ceremonijs immane quantum discrepant! de quibus sequenti capite dicemus.

DE FORMA RELIGIONIS AC Ceremonijs, quibus Lutherani in Germania passim vtuntur.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

I. *Transitus ad diuersas Lutheranorum ceremonias, à Magistratibus, vt Pontificibus inductas.*

II. *Lutherus complures Catholicæ Ecclesiæ ceremonias retinuit initio.*

III. *Lutheranorum Mollium, siue Interimistarum templa eandem fere speciem & apparatum habent, quem Catholicorum, vnde subtilius fallunt.*

IV. *Apud Lutheranos Episcoporum & sacerdotum nomina mutata.*

V. *Interimistæ quibus ritibus Missam celebrent, quos omittant male.*

VI. *Lutheranorum quidam sacræ hostiæ eleuationem admittere voluerunt.*

VII. *Eodem vere vestitu & ornatu Missam celebrant, Interimistæ quo Catholici.*

VIII. *Quomodo Cœnam distribuant.*

IX. *Forma Missæ ab Augustana Confessioni addictis celebratæ.*

X. *Modus Communicandi & Confitendi apud eosdem.*

XI. *Elegans ceremonia in oppido quodam Marchionatus Brandeburgici præsente Galliarum regis Legato, vsurpata.*

XII. *Lutherani quot dies festos, veteres Baptismi & Matrimonij ceremonias obseruant, & à cibis prohibitis abstineant.*

XIII. *De communi templorum vbi Lutherani rerum potiuntur vsu.*

XIV. *Lutherani Ministri, quos* Prædicanten *&* Helffer *appellant, vestitu à laicis diuerso vtuntur, & profanum Caluinistarum habitum damnant.*

I. EGo si hæresin omnibus suis cum lineamentis & coloribus depingere, omnesque furias, quibus illa inter tam varios opinionum fluctus agitata, & in diuersas partes distracta fuit, representare velim, Deus bone, quam inextricabilem Labyrinthum sim ingressurus! Equidem centum mille speluncarum, tamque difformes inter se formas, quam nubium in aëre volitant, exprimendas mihi videam, si hoc labore defungi velim. Vnde enim, quæso, initium faciam, tam diuersarum sectarum, quæ in Morauia, Transyluania, Valachia, Polonia & Belgio imo Germania ipsa, hæresum matrice vermiculantur, & quæ II. libro à nobis partim (omnes enim impossibile est) indicatæ ac descriptæ sunt, synagogas repræsentaturus? Quare satis mihi erit, earum omnium matrem hoc loco velut in tabula depictam exhibere, atque inspiciendam proponere eam, inquam, quæ Lutherana dicitur: qua quidem appellatione tantum abest vt illi hactenus offendantur (vt Caluinistæ in Francia & alibi, Caluinistæ audire nolunt) vt etiam ea glorientur imo dolose

d *Annua Soc. Iesu Anno* 1600.

passim sub nomine Euangelicorum, Augustanæ Confessionis &c. latere gaudeant. Sed cui potius sectam hanc similem dicemus quam tricipiti cuidam & centimano monstro? In qua describenda operæ pretium facturus mihi videor, quod à nemine, quod quidem ego sciam, ordo, ritus, & cæremoniæ, à Luthero eiusque successoribus in ipsorum Ecclesijs sanctæ, litteris consignatæ extent, sic vt neque nobis Gallis Lutheranorum in Germania, neque Germanis Caluinistarum viuendi ac sacra celebrandi modus cognitus sit & exploratus. Caluinistæ quidem, multo illis astutiores, omnibus viribus persuadere nobis conantur, *se à Lutheranis pro fratribus haberi, eundem esse cœtum & eandem Ecclesiam* quamuis constet, inter Catholicos & Lutheranos aliquas esse inducias, & aliquem consensum vel tolerantiam; inter Lutheranos vero & Caluinistas bellum esse ἄσπονδον, sic vt frigus cum calore, & tenebræ cum luce facilius conciliari possint, quam Lutherani cum Caluinianis. Ordo vero, vel confusio potius Nouæ huius religionis, quæ nondum vnum integrum vidit sæculum, & sacrorum forma in libris passim editis, vt Statutis ecclesiasticis Marchionis Brandeburgici, anno MDXXXIII. Mauritij Saxoniæ Ducis anno MD.XLIV. Wolfgangi Comitis Palatini anno MDLVII. & postea anno MDLIX. recusis, Christophori Ducis VVirtembergici anno MDLIX Reformatione religionis per Ioannem Gulielmum Ducem Saxoniæ Ienæ anno MDLXIX. facta in qua ille quasi nouus Pontifex, ait, *Se ex potestate clauium à Deo sibi traditarum, statuere, &c* item in Visitationibus Saxonicis, sub titulo, Verordnung / &c. anno M.D.LXXIV. & LXVIII. institutis atque editis; nec non Ludouici Ducis Wirtembergici anno M.D.LXXXVIII. Tubingæ, & alijs alibi excusis, descripta exstat. Vt de liberis Imperij ciuitatibus nihil dicam, quæ singulæ quoque fere propriam religionis formam sibi consinxerunt.

II. Sed videamus quibus sacrorum ritibus ac ceremonijs Lutherus primitiuam suam ecclesiam instruxerit atque exornarit, vt diuersitas illa tanto magis appareat. Is non ignarus, religionem sine cæremonijs diu consistere non posse, multas res ac ceremonias ex antiqua illa Catholica ecclesia in suam transtulit, quæ adhuc in eius, quod etiamnum in Germania superest, ecclesiæ simulacbro vsurpantur. Idem ad Francicum Galliarum regem scribens, ait: *quandoquidem Mundus cæremonijs carere non possit, nequaquam id se velle, vt veteribus abolitis, noua introducantur.* Nouerat quippe bonus hic Machiavellista, ei qui statum aliquem reipublicæ mutare, & nouum stabilire velit, quandam antiquæ faciem retinendam esse, quo populo persuadeatur, integra adhuc esse omnia, & in mutatione illa parum aut nihil esse momenti. Et templa quidem, quæ in Germania plurima sunt & sumtuosa, initio integra & inviolata manserunt, etiam monasteria, medijs in syluis ac solitarijs locis posita, sic vt nihil deiectum aut fractum fuerit, præter diuorum statuas, & ijs tantum in locis vbi Carolstadiani grassati sunt, aut Caluinistæ in Palatinatu: quam regionem solam illi antehæc tempora suæ ditionis fecerunt. Hinc si quis Catholicus in Lutheranorum templum ingrediatur, facile fiet, vt existimet se in Catholicorum esse templo, quum maior hominum pars rem ex specie externa potius quam interna atque ex ipsa veritate diiudicet.

III. Videbit ibi, si Molliorum degenere fuerint, vti in Dania & Suecia, & aliquot Germaniæ locis *chorum à reliqua templi structura seu naui separatum.* Occurrent ibi non minus quam apud Catholicos, *summum altare, cum appositis Crucifixi imagine, duodecim Apostolorum statuis, diuersa sacella seu oratoria, baptisteria, & in plerisque organa Musica, cerei & lampades ardentes, aliaque ornamenta ecclesiastica: quæ omnia expressas maiorum religionis notas pra se ferunt. In compitis etiam Crucifixi imagines adhuc à Lutheranis reuerenter habentur, vt & sacra in campis adicula, quas etiam ingrediuntur, & ante aram genibus innixi preces suas fundunt. Sacella etiam diligenter sartatecta conseruant. Numquam vero templa* (ecclesias enim dicere iam mihi religio est) *ingrediuntur, quin, vt dixi, in genua prouoluantur, conuersa ad summum altare facie, eisdem fere quibus Catholici ritibus & externa deuotione.* Id enim Caroli V. Interemistica Religionis forma induxit, cui Rigidiores sese vehementer opposuerunt, malentes exulare quam tales cæremonias pati.

IV. Quamuis autem Lutherani suos etiam veluti laruatos Episcopos habeant & sacerdotes, qui ijsdem fere quibus Catholici ornamentis vtuntur: tamen quemadmodum Turcæ oppidis & locis à se occupatis alia nomina imponunt, quæ scilicet victorias suas & imperij magnitudinem ad posteros testatam faciant, & pristini status eorum

eorum populorum quos perdomuerunt, suoque subijcerunt imperio, memoriam penitus aboleant; sic Lutherus quoque prisca illa sacrorum officiorum & dignitatum nomina nequaquam ferre potuit, sed noua, tamquam facinorum suorum contra Ecclesiam monumenta, induxit. *Episcopi enim loco, Superintendentem* (Græca voce in barbaram Latinam translata) *instituit.* Talium vero superintendentium vnus plures sub se habet parochias; quælibet vero parochia suum parochum siue Curionem, quos Pfarherrn; & quilibet parochus suos diaconos, quos Helffer, id est, adiutores appellant. Superintendens vero qui Episcopi est loco, aut reditus quosdam è bonis Ecclesiasticis, vel stipendium è publico ærario accipit, eiusque auctoritatem velut superioris & Episcopi agnoscunt ipso minores. Exempli gratia Argentorati, quæ ciuitas Lutheranam religionem sequitur, & maxime Franciæ nostræ vicina est, septem sunt Parochiæ, quibus singulis præsunt vnus Pfarrerus siue Pastor, & terni Helferi seu Diaconi. Ioannes vero Pappus Laicus sub nomine Superintendentis, Episcopi personam gerit. Episcopales vero reditus quidam è Brandeburgicorum familia, Administratoris titulo, sibi vsurpauit: quod munus ille postea Ducis Wirtembergici filio eandem religionem profitenti consignauit. Eius vero Administrationis nemini quam sibiipsi rationes reddebant. Quare eam ob caussam bellum inter Lotharingiæ Ducem & Electorem Brandeburgicum, Administratoris patrem, exortum, tandem vero his conditionibus compositum fuit, vt reditus, non solum inter Episcopos, Catholicum vnum, alterum Lutheranum, verumetiam inter Capitulum & Ecclesiæ ministros diuisi sint, sic tamen vt duæ tertiæ ad verum & legitimum Episcopum redeant.

V. Quod vero antea dicebam Molliores Lutheranos & Interimistas habere cæremonias & templa valde affinia Catholicis ritibus, eo ipso alios Rigidiores alijs cæremonijs vti indicabam & idcirco esse non leuem diuersitatem, quæ vt tanto melius intelligatur, notandum est Lutheranorum duas esse sectas præcipuas, vti alias dixi. Vnam eorum qui Augustanam amplectuntur Cõfessionem à Melanchthone Anno MDXXX. compositam, & Imperatori exhibitam, alteram eorum qui Interimistæ dicuntur, à Libro quodam *Interim* vulgò dicto, in quo præscripta fuit formula quædam religionis, quæ interim ab Anno MDXLVIII. dum decisis religionis controuersijs, certi quid à Concilio determinaretur, in magna Germaniæ parte, nempe in tota fere Saxonia, ac multis Imperij ciuitatibus in plaga Septemtrionali positis, vt Hamburgi, Lubecæ, Lunæburgi, Magdeburgi, Halæ, Norimbergæ; nec non in Marchionatu Brandeburgensi & alijs in locis recepta fuit. Liber hic in Germania passim videtur, sub vernaculo titulo Kirchenordnung, id est, *Statuta rerum Ecclesiasticarum*, quod in eo quum alia, tum ceremoniæ in Ecclesijs ac præsertim in Missa ipsorum vsitatæ præscriptæ sint quæ quidem Missa etsi nouam habeat faciem, multa tamen ex antiqua illa retinet. Nam & in illa frequenter audias repeti *Kyrieeleison*, *Alleluia*, *Dominus vobiscum*: & sacrum faciens Pfarrerus (sic enim Pastores suos appellant) postquam ad altare accessit: *Confiteor* suum: aliasque preces recitat, consecrat etiam & communicat Catholicorum more, tum lingua vernacula conceptas multas precatiunculas intermiscet, Euangelium etiam eadem lingua decantat. Lutherus quidem ipse in libro De captiuitate Babylonica ait, *Missam ab Euangelio non esse separandam, quum Missa Euangelij pars sit, vel summarium potius & compendium.* Et alibi fatetur, *maximam partem, tam Sacramentorum quam Missæ verba esse & promissiones ipsius Dei.* Quin etiam grauiter conqueruntur Lutherani, *iniuste sese accusari & calumniose, quod totam Missam aboleuerint, quum ea* (sic enim Augustana loquitur Confessio) *reuerenter apud se celebretur, omnibus fere consuetis ceremoniis obseruatis.* Apud Lutheranos tamen nulla fit hostiæ eleuatio, vt qui credant corpus Christi nõ alio modo aut fine ibi esse, quã vt manducetur, non vero adoretur, nisi ab eo qui illud accipit. Quasi vero non verbũ Iesu Christi, sed sola acceptio seu manducatio, præsens eius corpus statuat. Ergo Saluator non dicere debuit, *Hoc est corpus meum*; sed: Hoc corpus meum erit si vos illud acceperitis. Deliriũ hoc primus Lutherus delirauit, dicens, *Qui Sacramentum illud extra acceptionem seu manducationem adorauerit, idololatriam committere; quum illud ex rebus creatis seu elementis compositum sit; eoque manentibus speciebus, panem adorari: Christum autem vere & realiter in hoc Sacramento esse, vt animarum tantum nostrarum sit pastus ac cibus.* Sed facile hoc refutari potest. Quemadmodum enim humanitas, quam Christus ad nostri redem-

Ptionem assumsit, ea adoratione quæ ipsi debetur, priuari non potest nec debet, nec quoque Sacramentum hoc, in quo ille sese animabus nostris volatt communicare. Nemo ergo carnem hanc manducabit, nisi prius eam adorauerit. *Non solum vero non peccamus ipsam adorando, verum etiam peccamus non adorando*, vt Sanctus Augustinus dicit: (*f*) Aurea sunt S. Chrysostomi verba, quibus Christianorum animos ad Sacramentum hoc adorandum accendit, inquiens (*g*) *Magi infideles & barbari è longinquis locis venerunt ad Christi corpus in præsepi adorandū. Eorū nos qui fideles sumus, imitemur exemplū. Nihil illi viderunt præter pauperē casā stramineque contectam, & præsepe: tu vero altare vides, sacerdotem, & Spiritum S. abundanter in hoc sacrificio effusum. Contremisce ergo, sollicitus ne parum reuerenter accedas tuamque pietatem offende, maiorem etiam quam reges illi barbari & infideles.* Sed obijcit Lutherus. *Christū corpus suum in hoc Sacramento non iussisse adorari.* Bella profecto argumentatio. quid ergo? Angeli non dicunt pastoribus vt Christum in præsepi adorent: ergo pastores eum adorantes, fuerunt idolatræ? Angelus Virginem adorare non iubet, ipsa nihilominus eum adorat. Ergo idololatriam commisit? Si Christi corpus in hoc Sacramento præsens est, certainde & necessaria consequentia euincitur ibi adorandum quoque esse? atque vti idfieri possit, eleuandum & populo commonstrandum. *Quamuis enim eius rei nullum præceptum exstet, tamen nihil quoque exstat quo id prohibeatur.* Sacrificium est, quo in altari offertur; eoque eleuandum ibi & adorandum, in eoque vetus mos & ceremonia à Deo ipso præscripta sequenda est. Hinc quidem morem omnes tam Græci quam Latini Christiani ab antiquis vsque temporibus diligentissime obseruarunt. *Apud Græcos sacerdos post consecrationem, calicem & panem manibus eleuatum tenens in medium vsque templi procedit; populus vero in terram prostratus, inclinato capite, adorat, diaconis inclamantibus vt reverentiam quam par est exhibeant.* Græci enim in liturgijs suis numquam in genua procumbunt, nisi in festo S. Trinitatis, eoque die solum Missam genibus subnixi audiunt. (*h*) Alibi dum fit eleuatio, diaconus ita populum affatur. *Ecce eum in quem creditis.* In hac ego vrbe sacris interfui, ab Episcopo Armenio & sacerdote quodam Abassino celebratis, qui eleuationem quoque & quidem non statim post consecrationem, sed ante ipsam communionem, vsurpabant. Breuiario ille vtebatur Arabicis characteribus conscripto, at è famulo ipsius, qui Italicam linguam callebat, intellexi, quando matus sacrum apud ipsos celebratur, tum quando fit eleuatio; sacerdotem populo dicere: *Vos estis pœnitentes? Humiliate vestra capita & adorate corpus Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, quod hic est, corpus, inquam, & sanguinem Dei nostri Emmanuelis.* Tum populum vniuersum exclamare: *Credo, credo, ex hoc nunc & semper.* De eadem eleuatione loquitur S. Dionysius, (*i*) S. Basilius, (*k*) S. Ioannes Damascenus, (*l*) & omnes vetusti scriptores, quorum omnium testimonia allegare superfluum videtur. Vnius tantum, nempe posterioris, dictum hoc loco addam, sic aientis: *Quando panis Eucharistiæ in altum eleuatur, non tres dicimus, Sancti, aut tres, Domini, sed vnus Sanctus.* Et hæc illa ipsa est elevatio, quam, Hippolyto martyre teste, Antichristus totam abolebit.

VI Ex Lutheranis quidam, vtramque religionem conciliare inter se volentes, hostiæ eleuationem atque adorationem inter adiaphora numerarunt. Exstant acta vetustæ cuiusdam synodi (vetustum appello quod cum noua hac religione simul fere cœpit) in Norwegia celebratæ Anno M D XXXVII. in quibus *sacerdos qui altari seruit, post consecrationem, si bonum ipsi videatur, hostiam decenter eleuare iubetur.* Et in alia Synodo, in qua Georgius Maior præsidem egit, Anno M D XLIX. *eleuatio hæc libero cuiusque permissa fuit arbitrio* quam etiamnum quidam vsurpant. Hæc sententia fuit Pomerani & Cameratij, à Mauritio Saxoniæ Duce super hac re exqu sita, nimirum *vt parochus vel diaconus sacrum celebrans post Introitum flexis genibus Confiteor recitet; tum Kyrieeleison; inde Præfationem Latina lingua, tum Sanctus, Pater Noster, & Euangelium vernacula lingua subiungat, ac tandem hostiam eleuet.* Eam tamen Lutherus prohibuit: Anno 1543. Cum eam vltra XX annos retinuisset (*m*) abrogauit autem in Mauritij Landgrauij gratiam, qui Lutheranos & Sacramentarios in vnum corpus coagmentare studebat. Hinc quosdam, apud Lutheranos quando Missa celebratur, nulla fit eleuatio, & siue ministro seu populo communicante, alij operto capite assident

f *in psal.* 69. g *Hom.* 61. *ad pop. & super* 3 *ad Eph &* 17. *ad Rom.* h *Vid. Lesiard. in Epist. hist. vni lib.* 3. *c.* 53. i *De eccles. hierar. cap.* 3. k *De Spir. S. ca.* 35. l *In epist. de Trishagio*, m *Vlimberg in Luther. cap* 31. *num.* 4.

dent vel assistunt: quasi nulla huic Sacramento, nisi ad manducationem, reuerentia debeatur. Fuit illa eleuandæ hostiæ abolitio gradus insignis ad Zvvinglianismum, per quem Lutherus ipse viuens descendit, & suis exemplo præcuit. Vnde ingens irreuerentia subsecuta est, exemplo sit illud. In Aquitania nostra quidam fuit nobili ortus familia, qui quum Missæ interesse religioni non duceret, quemadmodum interfuit in exsequijs Riberacensis Vicecomitis, reliquorum more genibus innixus singulos actus frequentauit: sacerdote vero hostiam eleuante, sine vllo reuerentiæ signo consedit, non sine magna assistentium admiratione, qui fatuam eiusmodi hypocrisin numquam antea fortasse spectarant. Sic Angliæ regina Elisabetha, quum initio multos Catholicorum ritus obseruari iussisset, adeoque Catholicam se simulasset, mox hac sanctæ hostiæ eleuatione prohibita, animum hæresi infectum prodidit, vt VI. libro dicemus. Iam Missam Lutheranam absoluamus.

VII. Qui eam celebrat, *epomide linea & palla sacerdotali Catholicorum more amictus est. Adstant ei duo diaconi, quorum vnus Euangelium, alter Epistolam, alibi Latina, alibi vernacula lingua recitat. Ad consecrationem & alias ceremonias quod attinet, vulgari lingua eadem verba profert quæ Catholici, hostiamque & calicem simili tenet modo; eodem fere ornatu conspicuum altare visitur, cereis vel lampadibus ardentibus vtrinque ad cornua constitutis.* Hoc quoque addendum existimo, vt Gallis nostris ruborem incutiamus quod in omni Germania tam in Lutheranorum quam Catholicorum templis calices sæpe ex solido auro facti sunt, vel saltem argento eoque affabre deaurata intus & foris nostris etiam maiores. Vile putatur ex argento non inaurato constantes habere. Omnes vero ad eiusmodi vasorum emtionem vtitim contribuunt: à quibus Lutherani quidem sacrilegas hactenus abstinuere manus; nequaquam vero Caluinistæ in Gallia, vel etiam Palatinatu, Friderico Electore rerum potente: quæ tamen sub Ludouico, populi liberalitate denuo magnis impensis comparata & in templa, etiam apud rusticanos illata sunt. Et certe illud pretiosissimo Sanguini Iesu Christi, apud nos ruri passim, contemtum aliquo modo affert, quod is stanneis calicibus, & quidem talibus quales quisque domi suæ ad vsum vix ferret, infusus videtur *Absolutis precibus, celebrans ad populum conuersus, salutari Crucis edito signo, adstantibus benedictionem impertitur, quam omnes flexis genibus & inclinatis capitibus accipiunt.* Talis vero Missa non nisi vna de die in quocumque templo celebratur; eandem vero reiterare, piaculum habetur, quod, vt ipsi dicunt, Deus toties a nobis fatigari nolit; ijs similes, quos Augustinus suo tempore breues ait liturgias amasse (*n*).

VIII. *Eucharistiam sumturi, ante altare ingenua Catholicorum more prouoluuntur: tum concionator siue minister quæ supra diximus ornamentis indutus, & ad præsentes conuersus, post factam benedictionem seu consecrationem, hostiam eis in os immittit, vt in Saxonia, Prussia & alijs in locis fieri videmus* (neque enim hostiam consecratam in manus dant communicaturis, vt Caluinistæ bucellam panis) *Postea vero diaconus ijsdem calicem vnà cum vino consecrato porrigit. Numquam vero apud Lutheranos Missa celebratur qua populus non communicet.* Id enim nefas esse, Lutherus pertinacissime asserit, Missas priuatas singulari libello de Missa angulari edito exsecratus. Sic enim eas appellat, licet male: quum omnis Missa etsi publico & cunctis conspicuo loco non fiat, publicum sit ministerium pro cunctis oblata hostia, vt in qua omnes Christiani si non sacramentaliter tamen communicantur participes facti meritorum Christi. In primitiua quidem Ecclesia mos fuit vt omnes fideles in Missa communicarent, qui vero communicare nolebant, egredi debantur, vt S. Chrysostomus in III. homelia super Epistolam ad Ephesios, & in Expositione ordinis Romani notat: eademque Apostolica traditio etiamnum apud Armenios obseruari narratur, etsi Armenium illum Episcopum, cuius supra feci mentionem, quotidie Missam dixisse seu celebrasse, nemini tamen Eucharistiam dedisse notarim. Postquam vero ardor ille vehemens Christianæ deuotionis refrigescere cœpit, Ecclesia filios suos ad tam crebram tanti mysterij vsurpationem obligare noluit, ne forte indigne aliquando illud sumerent. Nihilo tamen minus qui Missæ assistunt, huius sacrificij fiunt participes. Hoc enim Sacramentum, vt D. Thomas testatur (*o*) *prodest eis qui recipiunt, tamquam Sacramentum, & eis qui assistunt tamquam sacrificium, in quantum scilicet pro ipsorum salute offertur.* Et nostri Theologi dicunt, *duplicem in sacrificio Missæ esse Communionem, vnam Sacramenta-*

n *Serm 15. de Temp.* o *3. part. q. 79. art 7.*

mentalem, alteram Spiritualem: sicut & ipsa & Sacramentum est & Sacrificium. Lutherus ait, male facere eos qui sine populo communicante Missam celebrant. Ergo, mi Luthere, & S. Ambrosius & S. Chrysostomus male fecerunt. Uterque enim sæpius Missam celebravit, nemine communicandi gratia ad altare accedente: de qua populi tepiditate graviter illi conqueruntur. Ipse Salvator noster S. Jacobo soli Eucharistiam dedisse narratur. Serapion solus communicavit; uti etiam sacerdos ille S. Augustini, Missam in domo ab immundis spiritibus infessa celebrans. (p) Sic etiam apud Gregorium Nazianzenum solus quidam communicasse legitur. (q) Quocirca ad sacerdotem sacrificantem accipere illud pertinet, qui neminem ibi se sistentem excludit. Sed ad Interimistarum ceremonias redeo, qui *vespertinas preces alterno cantu, uti ex Gregorij Magni præscripto in Catholica Ecclesia fieri solet, celebrant ac decantant.* Et hi quidem ritus sunt ceremoniæ, apud Interimistas, quorum magnus est in Germania numerus, usitatæ. Videamus iam eorum sacra qui Augustani seu Confessionistæ dicuntur, ab Augustana Confessione, quæ meliori iure à nonnullis *Augustana Confusio* appellatur.

IX. Hi vero per pleraſque Imperij urbes ſparſi ſunt, quales ſunt Auguſta Vindelicorum, Ulma, Dinckelſpula, Norlinga, Biberacum, Hailbrunna, & aliæ, in Suevia ſitæ; ad Rhenum vero Colmaria, Argentoratum, Haganoa, VViſſenburgum, Lindavia, Spira VVormatia, Oppenhæmum, Francofurtum. Inter Principes vero etiam complures ſunt qui Auguſtanam religionem ita amplectuntur, ut nullam aliam religionem in ditione ſua permiſuros iuramento ſeſe adſtrinxerint; ut Dux VVirtembergicus, Landgravius Haſſiæ, Marchio Brandeburgicus, multique alij Comites & Barones quā quam, ut verum fatear, eadem libertate qua hanc aſſumpſerunt religionē indies dimittere, poſſunt, & forte dimiſſuri. Apud hos vero Miſſa illa Lutherana nunquam ijſdem quibus apud Interimiſtas ritibus & ceremonijs celebratur. *Templa tamen habent eodem ornatu ac ſimilibus veteris Chriſtianiſmi notis inſignia utpote erepta Catholicis. Certis horis parochus aut diaconus, candido amiculo indutus, ſuggeſtum conſcendit, & orationem ad populum habet, qua finita, ante altare provolutus, primum tacitus, deinde ad populum converſus, alta voce precatur, Miſſam celebrantium more, niſi quod ea ceremonia quæ apud Interimiſtas, non adhibeantur. Sed nec eadem hic ornamenta ſeu veſtes Sacerdotales in uſu ſunt: nec diaconus, ſed ipſe celebrans tam epiſtolam quam Evangelium legere ſolet.*

X. *Finitis hiſce precibus, idem miniſter Cœnæ inſtitutionem lingua vernacula recitat, deinde hoſtias conſecrat. Poſtea communicaturi ad altare accedunt: cui adſtans Superintendens vel parochus, patena aurata hoſtias quaſdam exiguas imponit factoque Crucis ſigno, unam ſingulis communicātib' in os immittit, hiſce verbis* Accipe & manduca, hoc eſt verum Corpus Jeſu Chriſti quod pro te oblatū eſt. *Ex altera parte Diaconus communicantibus calicem porrigit dicens:* Accipe & bibe, hic eſt verus Sanguis Jeſu Chriſti, qui pro te effuſus eſt. *Porro tam ante quam poſt communionem ſinguli Catholicorum more pro ſe quiſque precantur, contra quam faciunt Calviniſtæ, qui nonniſi per os miniſtrorum Deum precari audent,* ut libro VIII. explicabo. *Actione hac abſoluta, & accepta benedictione, unuſquiſque in locum ſuum recedit. Ante dies feſtos & ſolennes concionator populum ut peccata confiteantur, & ad ſacrā corporis Chriſti communionem diligenter ſe præparent, exhortatur: ex præſcripto* Lutheri in libro, de Viſitatione, & Melanchthonis in tractatu De Pœnitētia, & in Locis communibus, ubi antiquam hanc & ſalutarem Eccleſiæ conſuetudinem accurate obſervandam eſſe monet. Calvinianorum quidem, temere nulla prævia peccatorum confeſſione, ad Cœnam accedentium, conſuetudinem ſummopere ipſi deteſtantur. Sed quid hoc mirum in Calviniſtis? qui dicere non dubitant, Chriſti corpus tam longe à Cœna, quam cœlum à terra abeſſe, & tamē ſe illud manducare, quod eſt omnium miraculorū maximum. Ad Lutheranos redeamus: apud quos *pridie eius diei quo Cœna celebranda eſt, apertis templi oſtijs communicaturi miniſtros ibi præſtolantes accedūt, & peccata confitentur. Laicus Laico ita in rebus ſacris diabolus tamquam Dei ſimia ludit. Si qui in fide inſtrui debeant, terni aut quaterni ſe ſiſtunt. At ſi quis ſecretum quid habet, unde conſcientia morſus ſentiat ſeorſim illud miniſtro aperit, & veniam à Deo precatur, Miniſter vero illum conſolatur ex verbo Dei, ſeu annuntiat Evangelium, & ſic virtute verbi annuntiati, vel ſi placet alijs verbis adiectis, abſolvitur, quilibet enim prædicans eſt ſibi regula agendi. Multis locis pœnitentes ſeu confitentes in genua procumbunt: nonnullis vero novi coniuges prius non copulantur quam peccata confeſſi, ſacram acceperint communionem. Ad ægrotos etiam, ſacramentum hoc deſiderantes, parochus ſeu miniſter accerſitur, hoſtiam non*

p De civ. Dei. q Homil. 61. ad pop. Antio. & ſup. 3. ad Eph.

non consecratam apportans. Cubiculum ingressus, ceteris omnibus secedere iussis, solus ægrum exhortatur, ut conscientiam suam exoneret, & si quid eam mordeat, confiteatur. Quo facto, absolvitur ille, signo Crucis capiti ipsius impresso. Qua de re Lutherus in Sermone de Præparatione sic loquitur. *Volo, ut homo in extremo agone constitutus, dicat: Si sacerdos vel minister me absolvat, equidem verbo ipsius non aliter quam Dei Verbo me submitto. Tam enim firmam sacerdotis absolutioni fidem habere debes, ac si Deus ipse iudicem aut Apostolum eius rei caussa ad te misisset, immo ac si Deus ipse peccata tibi remitteret. Data absolutione, mensa sternitur, eique calix & patena imponuntur. Tum parochus verbis institutionis non aliter quam in templo recitatis, panem & vinum consecrat. Interim assistentes rursus ingressi, in genua provolvuntur. Tandem parochus ad ægroti lectũ accedit, eique hostiam & vinum porrigit, verba illa solennia pronuncians, Crucisq; signum edens.* At non omnium locorũ idẽ mos est, Luthert affectis, sed quot pagi & quot Ministrorũ capita, totritus. Verum enimvero summa illa credendi quod quisque vult licentia, in caussa est vt apud Lutheranos nonnullos panis hic consecratus minus reuerenter habeatur. F. Nasus Centuria II. facetam historiam recitat, Prædicantem nempe quendam prope Argentoratum, è Buceri secta ac disciplina, quum ad ægrotum accersitus esset, negotijs impeditum, filium suum misisse, qui facta consecratione, his verbis Sacramentum ægro porrexerit. **Trinck vnd iß/Gottes nicht vergiß/** id est, *Bibe homo & manduca, mente à Deo non caduca.* imo vero repertus est, qui cum hominem peste laborantem propius accedere horreret, venabulo affixum panem per feneſtrã ægroto porrexit. Alij vero Prædicantium, vt Albertus scribit, consecrationem his verbis faciunt: *Accipite & manducate, & memoriam Domini vsurpate.* Alij nihil aliud, quam Dominicam recitant orationem. Alius quidam Prædicans, vt Aurifaber folio XLVI. testatur, calicem oblitus, nec vitrum quo vteretur reperiens, cochleari culinario vinum infusum ægroto dedit, his verbis: *Accipe & bibe cochlear noui Testamenti, in remissionem peccatorum.* Lutherus id quosdam narrantes audiens, cum risu dixisse fertur: *Ego si consul Norimbergensis essem* (in horum enim territorio id factum fuerat) *hominem istum in carcerem statim iubeam recondi, quod tali cochleari eiusmodi theca quam optime conueniat.* Hostias vero consecratas non asseruant, quod Lutherus, quamuis tota repugnante antiquitate, extra communionem corpus Christi ibi esse neget. Audiamus vnum Cyrillum qui Ephesino interfuit Concilio, dicentem; *Esse quosdam qui existiment mysticam illam benedictionem* (de Eucharistia loquitur) *inutilem esse, si quid mane superſit. Grauiter vero eosdem errare, Iesum Christũ enim non esse alium, nec corpus ipsius mutari, sed virtutem benedictionis & gratiam vinificantem semper in eo manere. Virtutem enim vinificantem Dei Patris esse Verbum vnigenitum, quod caro factum sit, nec tamen vnquam Verbum esse desierit, sed carnem suam viuificam reddiderit.* Ad Lutheranos iterum iterumq; reuertamur: qui in locis quibusdam Vespertinas preces decantant, sicut Interimistæ, etiam in Ducatu VVirtembergico, ac præsertim diebus Sabbathi. In vniuersum Musicis organis vtuntur, alternatis cum cantu vicibus. Pueros quoque habent sacris eiusmodi, ac porissimum cantui seruientes, quos Chorales vocant. Diuersis vicibus de die, mane scilicet, meridie & vesperi, eodem quo ante schismæ modo campana signum editur, olim ab Ecclesia ad honorem Deiparæ Virginis institutum. Sed magna passim tam in hac quam alijs rebus est diuersitas, vti apud Rescium ista enarrantem videre est. Ait enim, *Missam quibusdam locis apud Lutheranos totam, aliis dimidiatam Latina linguæ celebrari. Alibi cantores certos esse ad hoc in choro ecclesiæ constitutos, alibi omnes promiscue cantare. Quibusdam locis pueros, & quandoque etiam fœminas scripturam sacram de pulpito prælegere. Alios habitu ecclesiastico, alios populari vti. Alij hostiam eleuant* (vt Clebitius contra Heshusium scribens testatur) *alij consuetudinem hanc repudiarunt. Alia forma sacrorum est VViteberga, alia Norimberga: alia in Marchionatu Brandeburgico, alia in Ducatu VVirtembergico: alia Cracouiæ, alia Vilnæ, Lublini, Posnaniæ, &c.* quare? quoniam omnia hæc sunt humani capitis inuenta, substituta in locum eorum quæ Apostoli, & eorum successores Ecclesiam docuerunt. Hoc loco facere non possum, quin elegantem valde ceremoniam, quam à nobili Gallo qui præsens ista vidit atque audiuit, accepi in Lutheranorum sacris vsurpatam, describam.

XI. Anno M.D.LXV. quum Carolus IX. rex Franciæ Baionæ esset vt sororem suam Hispaniæ reginam inuiseret, venit eodem Turcicus Legatus, ducenta scutatorum millia, quæ pecuniosus ille Iudæus Mignes regiis oratoribus & ministris Constantinopoli agentibus mutuo dederat, repetiturus. Hac arrepta occasione, Nouatores nostri Reformantes & Reformati Regem nostrum

calumniati sunt, quasi is Turcis in portum Tolomienſem classem subducendi, ad bellum inde Christianis inferendum, potestatem feciſſet. Hoc passim rumore divulgato, Rex ut suspicionem hanc à se amoliretur, Lansacum iuniorem in Germaniam ablegavit, cum mandatis, ut Principes omnes, Episcopos & dominos cuiuscumque religionis conveniret, & hanc ab inimicis in se confictam calumniam, ad conflandum ipsi odium, esse doceret. Post varias obitas ejus Nationis regiones, Lansacus tandem Berlinum venit, ubi Brandeburgici Electores (Joachimus tunc erat) domicilium ut plurimum habent. Ibi quum esset, cum suaipsius curiositate incensus, tum à Joachimo Marchione rogatus, templum intravit, vt ceremonias ac formam sacrorum ibi usitatam videret. *Preces vespertinas decantabant eius templi Canonici, superpelliceo & candidatuniculo nostrorum more amicti* (est enim diabolus Dei simia) *vernacula tamen lingua pleraque peragebantur, nisi quod Hymni quidam Latina lingua intermiscerentur*. Sed nihil mirabilius Legato nostro accidit, quam quod *sub finem cuiusque Psalmi loco clausulæ illius apud Catholicos usitatæ, Gloria Patri & Filio, horribilis scloporum, quos aulici ac satellites Principis tam manibus quam cingulis appensos gestabant, ac contra templi fornicem exonerabant, strepitus audiretur, sic vt tota ædes ardere videretur*. Quem quidem illi ludum aliquot vicibus repetebant. Quid tibi, Lector, de eiusmodi sacris & Dei cultu videtur? Numquid Scythas illos tonanti Ioui obstrepentes audire tibi videris? *Interim tympana quoque & taratantara non aliter quam olim in sacris Berecynthiæ matris ita resonabant, vt in castris potius aut media armatorum turma quam in Christiana Ecclesia esse quis sibi videretur*. In quo paganorum illi superstitionem imitati mihi videntur, solis lunæque labores siue defectiones lituorum ac turbarum clangore tympanorumque strepitu iuuare conantium, vt Liuius & Tacitus scribunt. Equidem puto ceremoniam hanc magis Legati nostri honorandi causſa tum adhibitam, quam quod ipsorum consuetudo in sacris celebrandis ita ferat. neque enim credibile est vsque adeo illos insanire, vt religionis ergo Martios eiusmodi & profanos actus vsurpent & templum nitri & sulphuris fætore pro thure impleant. Quidquid sit, inferni potius quam paradisi illam repræsentationem fuisse; quilibet facile cogitare potest.

XII. Omnes Lutherani in Germania, tam Confessionistæ quam Interimistæ, dies festos aliquos obseruant. Sic enim docet ipsorum Apostolus Lutherus, *quamuis à Deo nobis mandatum non sit, vt die Sabbathi nullum omnino opus, sicut Iudæi, faciamus; certos tamen dies festos & solennes obseruandos esse, quibus populus ad audiendum Verbum Dei ac preces conveniat*. Idem Proteo mutabilior, in libro quem scripsit ad Nobilitatem Germaniæ, *suadet vt omnes dies festi abrogentur*. Nihilominus tamen etiamnum apud Lutheranos complures dies festi celebrantur, sed magna inconstantia, *alij eos, quos ipsi è sacr. literis eruunt, alij hos, qui à Luthero tamquam summo Pontifice sunt designati*. *Ijdem ferias quartam & quintam sacra hebdomada ieiunio, confessione & communione celebrant*. Dies festos S. Virginis, Apostolorum & Martyrum quorundam, Catholicorum more obseruant: alij aliquos eorum expungunt. Sed in his ipsis vetus, vt vocant, Calendarium sequuntur. Ex quo fæpe fit, vt Lutheranis apertis tabernis opus facientibus, Catholici ferientur; & viciſſim illi præsertim Augustæ, Spiræ, VVormatiæ, Francofurti, Ratisbonæ &c. Contumaciam quidem in hoc suam ipsi fatentur, adeo vt ex ijs quidam scripserit, *Quum tam Astrologorum quam Chemnitij iudicio Calendarium necessario corrigendum sit, idque cœlum clare edoceat, non immerito pro contumacibus haberi, qui quod verum esse agnoscunt non tamen sequuntur, sicque hac re ab omnibus Mundi nationibus separari se quodammodo patiuntur*. Sed cur obsecro ita? quia inquiunt, Papa Romanus Novum vetusto Calendario substituit, à quo ne quidem bonam rem recipere sibi fas esse arbitrantur: adeo religiosæ sunt mentis. Miror quod non ipsum Cœlum, quo Papa tegitur amoveant, utpote nihil cum eo commune volentes.

Ad baptismi ceremonias quod attinet, *apud eosdem baptisteria qua ab antiquissimis usque temporibus, etiamnum in usu sunt, ad quæ infantes baptisandi apportantur. Tum Minister Baptismi recitata institutione, baptisandũ à peccato originali absolvit, adhibito exorcismo, & S. Crucis charactere ter impresso; sic ut eorũ in hac sacra actione ritus à Catholicæ Ecclesiæ ceremonijs parũ absint, sed hæc ipsa miris modis indies mutantur. In matrimonijs etiã eadẽ fere ceremonias obseruãt. Iidẽ fe-*

ria

via quinta & sexta ab esu carnium abstinent, vt & toto tempore Quadragesimali. Cœmiteria in quibus defunctorum corpora quiescunt, non minus quam Catholici sacra & inviolata habent. Funera cum cantu efferuntur: quem in finem pueri quidam aluntur, qui funus præcedentes, vernacula lingua Psalmos aut alias cantilenas tam per plateas quam in templo decantant. Multi inter ipsos Purgatorium esse credere videntur quoniam pro defunctis orant. Nam & ipse Lutherus quodam loco dicit, *tutius esse & ad salutem certius pro animabus quæ in Purgatorio sunt, preces ad Deum fundere, & misericordiæ opera erga proximum exercere, quam Indulgentijs fidere.* Quin idem Lipsiæ cum Eccio disputans, *quod Purgatorium sit, pro certo credere se affirmauit.* Eandem illic sententiam pluribus alijs libris repetiuit, ac præcipue in *Fidei Confessione, biennio ante mortem ipsius edita, in qua vult, vt pro defunctorum quiete preces fiant.* Alter Lutheranorum Apostolus Melanchthon idem sentit ac docet. Insuper Apologia Augustanæ Confessionis, vbi ait, *Non ignorare se apud priscos Ecclesiæ doctores extare passim orationis pro defuncto mentionem, neque illam à se prohiberi.*

III. Ecclesiastici quidam qui in ciuitatibus degunt Imperialibus alicubi reditus suos etiamnum percipiunt, vt & religiosi quidam Conuentus. In ijs vero Monasterijs quæ in Lutheranorum Principum, Comitum ac Dominorum sunt ditione, electis religiosis, loco Monachorum, pueri iam educantur, & literas discent. In quibusdam ciuitatibus, vbi Lutherani præualent, ijdem partem aliquam templi occupant, mediam nempe, in eaque conciones & alia religionis suæ exercitia frequentant; chorum vero religiosis permittunt. Argentorati Lutherani primarium templum sibi vindicarunt, & religiosos omnes Ordines expulerunt, excepto eo qui Ioannitarum dicitur, & quatuor aut quinque religiosorum Conuentibus. Quum tamen nuper ob bellum quod inter Ducem Lotharingiæ & Marchionem Brandeburgicum ac Senatum Argentinensem, de Episcopatu inter se contendentes, gestum fuit, Argentinenses Carthusiensium ædes quæ extra ciuitatis mœnia fuerant, flammis aboleuissent, facta pace, a Camera Imperiali contra ciuitatem latum decretum est, vt ædes illas suis expensis reædificarent, ita vti antea fuerant. Vlmenses itidem primarium vrbis suæ templum tenent, religiosos tamen adhuc ferunt. In ciuitatibus Lutherani in monasterijs & alijs locis passim fornicem aliquem ad religionis suæ exercitium sibi quærunt.

XIV. Sed & antiquam illam Ecclesiæ consuetudinem Lutherani in Germania retinere voluerunt, vt nimirum personæ Ecclesiasticæ à laicis habitu seu vestitu discernantur, veruntamen alio fere, quam Catholici, nempe Senatoria toga, aut Tobardo quemadmodum passim videre est. Ecce quomodo speciem aliquam Ecclesiæ Lutherani quodammodo habeant. at si de vera Ecclesia quæstio sit, nec illi profecto nec quisquam alius eam extra Catholicam Apostolicam Romanam reperiet. Hinc non sine caussa Lutherani si quando in Galliam veniant, satis mirari non possunt nouam illam quæ inani Reformatæ titulo gloriatur, religionem sic omnibus ceremonijs & externis pietatis ac deuotionis signis nudatam esse ac plane quasi informem. Idem habitum Caluinisticorum ministrorum nihil à plebeio differentem rident. Quod vero in horreis passim & profanis locis & conciones habentur, & Cœna Domini sine vlla reuerentia & respectu ab ijsdem celebratur, id permirum ipsis videtur. Ante omnia tamen Caluinistarum de præsentia & participatione corporis Jesu Christi in sacrosancta Synaxi incredulitatem, rum eorumdem impia de Christi natiuitate, morte descensu ad inferos; de Spiritu Sancto, de Trinitate, de Prædestinatione, Prouidentia, & Omnipotentia Dei, de Sacramentis, de libris Biblicis, de fide iustificante, de libero Arbitrio, de baptismo, alijsque articulis, in quibus salutis nostræ cardo vertitur, doctrinæ quæ apud illos viget, plane contraria dogmata detestantur. Hinc magni nominis inter Lutheranos Theologus(r) quodam loco exclamare non dubitat: *Et, ô Deum immortalem! qua concordia inter nos & Caluinistas esse possit? qui Deum accusant mendacij, qui omnipotentiam, quantum in se est, ipsi detrahunt, qui Euangelium corrumpunt. Dicamus cum Luthero: Maledicta sit illa concordia quæ Verbo Dei periculum affert.* Et Schlusselburgius aperte testatur, nos fore vt contentio illa inter Lutheranos & Caluinistas vmquam finiatur, priusquam supremus Mundo dies illucescat. Idem in Præfatione scripti sui Apologetici pro libro Concordiæ, *protestatur se intra viginti tres annos ducentos è Caluinistarum*

r *Vid. Stur. de concordia ratione ineunda.*

officina progressos libros euoluisse, sed vere & sancte affirmare posse, nihil in ijs firmi ac solidi, & in quo Christi amans anima acquiescere possit; sed econtra mille blasphemias, conuicia, mendacia, falsa & scurriliter dicta, colluuiem denique errorum & contradictionum reperisse. Ex quibus facile intelligi possit, Caluinistas non eodem duci spiritu. Sed de hac discordia eiusque effectibus latius infra. Constitutum enim mihi est, in quadam huius operis parte duas has religiones inter se componere ac comparare, quo intelligatur Caluinisticam ab illa ipia damnatam ad quam originem suam refert.

IN HOC CAPITE AUCTOR INcipientem hæreseos ruinam demonstrat. Deinde de statu Imperij in Germania aliqua dicit.

Caput XIII.

ARGUMENTUM.

I. *Perperam Germaniam totam Lutheranam censeri.*
II. *Ex ea reliqua hæreses & secta proscripta, excepta Augustana Confessione.*
III. *Impostura Caluinistarum Germaniam à suis partibus stare affirmantium.*
IV. *Reipublicæ & Statuum in Germania diuisio.*
V. *Mos seu lex, de subditu in religione continendis.*

I. ET hactenus quidem originem hæreseos, eiusdemque apud septemtrionales populos progressum enarrauimus: sequitur vt exponamus, quemadmodum eadem decrementum accipere cœperit. Ex cuius rei particulari descriptione, diuersarumque Prouinciarum, apud quas diuersarum Religionum Professio viget, enumeratione manifestum fiet, adhuc eam partem, quæ Catholicam fidem retinuit, fortiorem esse, reliquasque quando libuerit, posse sub iugum denuo mittere. Nam quidquid ab Ecclesia Romana secessionem fecit, eo ipso ab vnitate corporis sub vno capite Christi in terris Vicario, recedens, necessario in varias partes dissectum, quasi humi repit, nihil aliud quotidie exspectans, nisi talem paralem tristemque suam ruinam & extremum interitum dicente Domino: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Nec minus iniuste Galli Germaniam Lutheranam appellant, quam Galliam Caluinisticam Germani. Sed omissa hoc loco Gallia, propositum est mihi ab iniuria vindicare Germaniam: bellicosissimam profecto nationem, quæ pro Ecclesiæ incolumitate tot cruenta prœlia iniuit, tot glorioſas victorias reportauit: quæque non modo armorum, sed & litterarum laude cereras omnes Nationes prouocare non erubescat. Apparebit, quo pacto initio decimi septimi sæculi, ad quod post tot naufragia appulimus, in ijs locis, vbi eradicata fuerat Religio Catholica, eadem regermineret atque reflorescat, non secus ac nouella arbor, quamuis ferro subinde accidatur, nouos tamen ramos producit. Videbimus, ea, quæ iam perijsse arbitrabamur, adhuc magna ex parte agnoscere summum Pontificem, Dei in terris Vicarium, adhuc patrum suorum Religionem sequi, adhuc Ecclesiæ Romanæ antiquis legibus regi, & non solum Husij & Munceri veteres reliquias paulatim profligare, sed cum ijs etiam, qui Lutheri, Zuinglij & Caluini ductum sequuntur, certamen impigre suscipere.

II. Nam quod attinet ad cœteros hæreticos, qui ductâ à Lutheranis origine, non aliter ac viperæ quædam matres suas, à quibus conceptæ, in lucem editæ, quarumque adeo lacte enutritæ fuerant, tentauerunt suffocare: illis nullus iam in Germania, neque in Ciuitatibus Imperij, neque in ijs ditionibus, quæ Principum aliorum & particularium Dominorum imperio subsunt, locus per Imperij Constitutiones datur, vnde nec patere deberet. Loquor autem de Anabaptistis, Antitrinitarijs & alijs id genus sectis. Hi enim in latissimis hisce prouincijs nusquam habent iure vbi tuto consistant, sed omnis generis persequutionibus sunt obnoxij. Quo fit, vt hæ sectæ cogantur, sese aliquò recipere in Poloniam aut Moraiam, aut Silesiam, item in Zelandiam & Batauiam, vbi eos Caluinistæ receperunt, & omni fauore complexi sunt. Quod si etiam ab Austriæ Principibus alicubi tolerantur, non aliter id fit, quam quomodo etiam Iudæos patiuntur in ditionibus suis habitare, grauissima enim tributa coguntur pendere, & de cetero viuunt tanquam mancipia: quinetiam politicis constitutionibus pœnæ ipsis per Magistratum inferendæ à Principibus decernuntur.

III. Restant ergo ibi Lutherani tantum, qui diuisi

diuisi sunt in Augustano-Confessionistas siue Lutheranos Stoicos seu Rigidos (sic enim eos qui Lutheri dogmatis mordicus adhærent; alios vero aliquanto magis remissos, Molles appellant) & Interimistas, qui ab alijs se iuncti sunt; & quamuis sub Lutheranorum nomine comprehendantur, ac per omnem fere Germaniam, inprimis vero per vrbes septemtrionales sparsi sint, nequaquam tamen iam Catholicos virtute æquant, quamuis eosdem antea longe superarint. Hic vos, ô Galli Caluinistæ, qui nouæ vestræ Ecclesiæ limites tam longe lateque protensos dicitis, è chartis ac tabulis quibus vestræ Mundum religionis depictum ostentatis, Germaniam, quæso, expungite. Quos enim vos *fratres* vestros esse vultis, ij vos Sacramentarios appellare omnibusque conuitijs insectari non dubitant quoties in vos anathema dixerunt? quoties æternum irreconciliabiles vos esse declararunt? Nescitis quid hæc elogia sibi velint? Teuffelen / Durchteuffelte / Vberteuffelte / Verteuffelte Ketzer? Equidem interpres esse nolo, ne crabrones in me iritem. Mihi quidem vos idem facere videmini quod ære obruti mercatores; qui ad mendacitatem redacti, vt fidem quà possunt tueantur, aliena pro suis ostentant. Quod si recte rationem inieritis, vix angustum aliquem angulum vbi latibula vestra habeatis, solo quippe Palatinatu, & paucorum Comitum ditiunculis inclus. Omnes enim qui Augustanam Confessionem sequuntur, omnes Interimistæ, omnes Lutherani, molles, rigidi, & quicumque alij vobis contradicunt atque etiam anathema hodiedum annuneiant. Numquid Lutherus nihil cum Sacramentarijs rei sibi esse voluit? numquid societatem eorum maledictam pronunciauit, idque verbum sæpius postea repetiuit? Numquid eorum quos vos fratres vestros esse iactatis, contra vos strictos gladios? numquid fumum è sclopis contra vos displosis in media Gallia vidistis, atque etiam corpore excepistis? Noti sunt vobis Comites Valdecij, Reingrauij, Comites, Barbienses, Landgrauij Dietzæ, Comites, Marchiones Badenses, Ernestus Mandeslous, Otto Potitius, Carlouitius, & alij equitum peditumque præfecti, qui maiorem vestrorũ in Druydum campis, ad Moncõturium, Iarnacum, & alijs locis prœlio victorum cruentas strages ediderunt, ac cæsorum corporibus terram fecundarunt. Sed vt & vanitas vestra & ipsa eci veritas tanto melius appareat, calculum accuratius aliquanto subducamus, ac rem ipsam veluti ob oculos proponamus.

IV. Germania omnis in tres ordines siue Status diuisa est. Primus ordo est Ecclesiasticorum, qui potentes admodum sunt, vt inter quos complures pro Imperij Principibus censentur. Ex horum numero sunt primo Archiepiscopi Moguntinus, Colonienſis, Treuirensis, qui etiam Electorali gaudent dignitate; tum Salisburgensis, Magdeburgensis, Bremensis, &c. Post hos sunt Episcopi Bambergensis, VVirciburgensis, Leodiensis, Vormatiensis, Spirensis. Argentinensis, Curiensis, Augustanus, Tridentinus, Brixiensis, Vesontioneosis, Constantiensis, Hildesheimensis, Ratzenburgensis, Frisingensis, Osnaburgenses, Monasterienſis, Ratisbonensis, Passauiensis, Basileensis, Cameracensis, &c. Tum Abbates, Fuldensis, Hirsfeldensis, & alij; qui omnes, vti diximus, inter Imperij Principes numerantur. Secundus ordo est Principum sæcularium, in quo sunt multi Duces, Comites, & Barones magnæ potentiæ. Ad tertium ordinem pertinent ciuitates, quæ liberæ & Imperiales nominantur, vt quæ præter Imperatorem dominum non agnoscunt, eique leue tributum pendunt: quamuis nonnullæ sub patticularium quorundam Principum sint patrocinio. Earum ciues summa fruuntur libertate, & vtram volunt, vel Catholicam vel Lutheranam religionem sequuntur. Ad ceteras enim sectas quod attinet, nulla hic fertur, nec quisquam vllam profiteri publice audet. Ex his vero vrbibus nonnullæ tanta sunt potentia, vt etiam cum potentissimis Principibus bellum suscipere ausint, vt post bellum Smalcaldicum Magdeburgensis ciuitas non Imperatori tantum, verum etiam tori fere Imperio sese opposuit & nostro tempore Brema, Norimberga, Lubeca potentissimis Principibus restiterunt. Porro tres hi ordines omnes & singuli ad comitia ab Imperatore indicta veniunt, aut Legatos suos mittunt: in quibus controuersiæ religionis magnis contentionibus & varijs studijs sæpe hactenus disceptatæ sunt, dum vtrique tamquam pro aris & focis pugnant, & maiori fere quam religionis quisque suæ progagandæ desiderio tenentur.

V. In Germania vero instar sanctæ & inuiolabilis legis hoc obseruatur, vt dominus subditis quam vult religionem præscribat: sic vt Prin-

cipes Eccleſiaſtici qui merum habent imperium, nonniſi eos qui Catholicam profitentur religionem, in ditione ſua ferre neceſſe habeant. Idem ius eſt Principibus ſæcularibus. Quod vero non nulli diuerſas toleranti religiones, fit metu rebellionis ſiue tumultus. In libro Concordiæ exſtat decretum, quo cauetur, ne vel Princeps vel quicumque Status Imperij alterum Statum aut Principem, ſuam recipere cogat religionem, multo minus vero alterius ſubiectos, in contumeliam legitimi magiſtratus, in patrocinium ſuſcipiat. Quamuis autem lex illa rigida videri poſſit, facit tamen pacis deſiderium vt non iniquiſſimo animo feratur. Quod ſi apud aliquem plus poſſit conſcientiæ vis quam domini metus, ei alio commigrandi datur facultas; recipiendi tamen eundem contra legitimum magiſtratum defendere licet. Si vero Princeps aliquis Eccleſiaſticus deſerta religione, vxorem velit ducere (vix enim alia eiusmodi metamorphoſeos cauſſa occurrit) ei ditio ſtatim aufertur, atque omne quod habuit imperium, vt quod ab Eccleſia dependet, abrogatur. Hanc quidem legem Proteſtantes non ſemel infringere atque abolere conati ſunt. Vidimus in campum productas acies, & muros paſſim ariete percuſſos, in diœceſi maxime Colonienſi, vbi duo Epiſcopi à Catholica defecerunt religione, Principatum nihilominus ac ditionem retinere ſummis viribus annixi. Veruntamen effecere nihil, fugati ſunt & miſere vitam terminarunt. Hermanni Epiſcopi hiſtoriam ſupra explicauimus; alteram Gebhardi etiam breuiter recenſeamus: quorum vterque in ſumma Electorali dignitate antea conſtituti, poſtquam Lutheraniſmo nomen dederunt, ad ſummas miſerias atque inopiam fuerunt redacti.

DE ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS ſanctimonialem vxorem ducentis apoſtaſia & ruina.

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

I. *Archiepiſcopi Colonienſis in Germania auctoritas & vires.*

II. *Truchſeſſius Agnetem Manſfeldenſem deperit.*

III. *Eorum amores diuulgantur.*

IV. *Feminæ cauſſa religionem deſerit.*

V. *A Gregorio XIII. PP. excommunicatus & depoſitus, Archiepiſcopatum armis recuperare tentat.*

VI. *In eius locum nouus Archiepiſcopus è Bauarorum Principum familia Erneſtus ſurrogatur.*

I. QVandoquidem de hæreſeos decremento dicere cœpimus, ab inſtituto non alienum erit infelicem Colonienſis Archiepiſcopi fortunam hoc loco commemorare, Dudithio illo Quinqueeccleſiarum Epiſcopo, de quo præcedenti libro diximus, multo infelicioris. Ex qua narratione liquido conſtabit, Lutheraniſmum ea in regione vbi regnum obtinere videtur, ibidem iacere, ac pæne animam agere. Eſt vero Colonienſis Archiepiſcopus inter Germaniæ proceres magnæ admodum potentiæ, & inter Eccleſiaſticos maximas poſſidere diuitias exiſtimatur. Hinc vt Conſtantienſis Epiſcopatus in Germania ampliſſimus (vt cuius iuriſdictio longe lateque pateat) Argentoratenſis nobiliſſimus, Spirenſis religioſiſſimus, ſic Colonienſis opulentiſſimus prouerbio apud Germanos, ac poſt Romanam vrbem, Colonienſis ciuitas in fide Conſtantiſſima, & ipſi B. M. V. coæua æſtimatur. Huius Eccleſiæ prima fundamenta a Materno S. Petri diſcipulo iacta ſunt: cuius etiam ſingularis in fide Chriſtiana conſtantia, & perpetua erga S. Apoſtolicam Sedem ad hoc vſque tempus fuit reuerentia; adeo vt publico hoc elogio gaudeat: COLONIA FIDELIS ROMANÆ ECCLESIÆ FILIA (a) Archiepiſcopi huius loci fere ex Principum numero aut illuſtri aliqua familia leguntur; idemque Septemuirali ſeu Electorali dignitate ſunt conſpicui. Ditionem habent quam amplam tum opulentam; qua plurima ac pulchra oppida comprehenduntur, in qua ſummum Archiepiſcopus habet imperium. Ad Archiepiſcopatum hunc pertinet Principatus Agrippinenſis tempore Ottonis Magni valde auctus, per Rheni ripam à Confluente Moſella & Rheno ad Rheni diuertigium iuxta Inſulam Batauorum protenſus,

a *Videatur Colonia Gelenij. Sacrarium Agrippinæ. Vvinhemij. Broelmanni Epidigma &c.*

sensus. Cui deinde accessit Angariæ & VVestphaliæ duplex Ducatus, à Friderico Imperatore Henrico Leoni proscripto ereptus, & Ecclesiæ huic donatus, Comitatus item Arnsbergensis & alia.

II. Luthero in Germania Christianam concordiam ac pacem turbantur, Hermannus Comes de VVeda, qui tum Episcopatum regebat, à Bucero incantatus, de mutanda religione & Lutheranismo intio ducendo cogitare cœpit: cui tamen Capitulum seu Canonicorum Collegium, in quo plerique magnis ac potentibus familijs erant oriundi, sese opposuit: ac tandem eò res deuenit, vt Pontificis atque Imperatoris decreto, omnis tam politica quam Ecclesiastica administratio Hermanno ablata, eique alius à Capitulo, frustra renitentibus Lutheranis confederatis, fuerit surrogatus qua in causa etiam & Canisius operam suam perorando posuit. Coloniæ tunc P. Petrus Faber, primorum vnus ex Societate Iesu, Ignatij contubernalis, Catholicam religionem non parum promouit, quamuis Latine tantum concionaretur (quod eius loci ciuibus Latina lingua ita communis sit, vt vernacula vel domesticæ ipsis videri possit) inter alios à Carthusiensi ordine benigne admodum ac munifice susceptus & adiutus, vti ex litteris eius Conuentus Anno MDXXIV. à Ribadeneira historiæ suæ de Ignatio insertis, videre est. Quemadmodum vero Bucerus miserum hunc Principem ad ruinam impulit, sic Faber Buceri conatibus in primis obstitit, adeo vt is Argentoratum vnde venerat, Hermannus vero abdicato Episcopatu & Electorali dignitate, ad priuatam atque inopem fere vitam redire sint coacti (b).

Nihilo Hermanni exemplo & ruina sapientior factus Gebhardus Episcopus, ex illustri Truchsessiorum VValdburgensium familia (quæ præclarissimos bello & pace viros aduersus hæresin propugnatores etiam optimos Germaniæ dedit) ortus, & ipse simílem insaniam insaniuit. Hic quum in Comitijs quibusdam Coloniæ celebratis, conspexisset forte fortuna, alij in magico Scoti illius celebris præstigiatoris speculo formosissimam quandam Canonissam, è Mansfeldensium Comitum genere prognatam, contemplatus esset, vehementissime statim eam deperire, adeoque nihil aliud quam quomodo ea potiretur, cogitare cœpit: nec prius conquieuit quam eam seductam, Brulæ clam apud se domi haberet. Quamuis autem facinus hoc suum magno studio celare cupe-

ret (siquidem etiam ipsum vitium suæ turpitudinis quodammodo pudet) tamen vt ignis sub cineribus aliquamdiu latens, mox fumo sese prodit; ita turpis hic amor vel incestus potius diu latere non potuit.

III. Vt ergo etiam occultissima quæque tempus aperit & in lucem protrahit; sic incestuosus hic amor tandem ad omnium fere notitiam peruenit. Mirari omnes, queri ac detestari iniuriam Deo, Ecclesiæ, religioni, Archiepiscopali dignitati, adeoque publicæ honestati factam, atque ad eam vlciscendam Catholicos Principes cohortari. Agnetis (id enim nomen feminæ huic fuit) cognati, familiæ suæ honorem hoc facinore periclitari ægre ferentes, precibus, minis, conuicijs apud ægrum amore animum instabant; vt incestum nuptijs honestaret, sic vt miser ille extremo huic malo extremum quærere remedium decreuerit.

Audiens ergo quotidie miser Ecclesiam sibi incestuosos amores ac raptum Deo dicatæ virginis exprobrantem, animo fluctuans, tandem omnia miscere constituit, ac non cœlibatui tantum & castitati, verum etiam ipsi Deo nuncium remittere.

Nam quod non facinus designet, qui semel omnem
Expulit ex animo spreta virtute pudorem?

IV. Vt ergo amoribus suis honestatis aliquod velum prætexeret, maiorum deserta religione, ad hæresim deposita qua hactenus vsus fuerat simulatione, transiuit, noua religionis forma partim è Lutheranismo, partim è Caluinismo conflata. Sacrorum igitur hunc ritum induere tentauit; *vt ante Missam cantaretur Psalmus, inde caput aliquod è Nouo Testamento legeretur; adiuncta Collecta Tum aliud caput è veteri Testamento legeretur, ac rursus alius cantaretur Psalmus. Tum Fidei recitato Symbolo concionator sermonem haberet: quo finito, generalis explicanda Fidei Confessio, & Cantillaretur rursus. tum S. Cœna institutio recitaretur, vnà cum verbis Consecrationis. Iterumque breuis cantaretur hymnus, & Eucharistia sumere volentibus administraretur: tandem vero tota actio Collecta & benedictione clauderetur. Et in his quidem omnibus vernacula tantum lingua liceret vti.*

b *Vide Meshouium de Hermanno Coloniensi Archiepiscopo exauthorato excuso Coloniæ &c.*

vti. A quibuſdam proditum inuenio, quum aliquando Monachus ex ea quæ Obſeruantium dicitur, Franciſcanorum familia, ad portam aulæ Epiſcopalis Bonnenſis veniſſet, eleemoſynæ petendæ cauſſa, Gebhardi iuſſu in cœnaculum vbi cum ſua nupta erat, introductum, ac depoſito cucullo, cum gynæcei puellis ſaltare iuſſum: ſi aliquamdiu ludibrio habitum atque irriſum, ſine eleemoſyna abactum, addita interminatione ne vmquam vel ipſe vel quiſquam alius eius ordinis rediret, niſi probe depecti vellet. Sic reformatus ille Epiſcopus cum femina ſua præſenti voluptati velificabatur, futuri ſecurus.

V. Interea Gregorius XIII. Pontifex Maximus, è ſuprema illa ſpecula in quam diuina prouidentia collocatus erat, tam pernicioſos Epiſcopi huius conatus animaduertens, pro ea qua totam Chriſtianam rempublicam complectebatur vigilantia ac ſollicitudine, litteris hominem admonere, & modis omnibus in viam reuocare, tentabat. Sed fruſtra id fuit: quod apud hominem amore irretitum plus Agnetis blanditiæ quam Pontificalia iuſſa poſſent. Hic vos, ô Mundi reformatores (ſi dijs placet) omnem reformationis veſtræ hiſtoriam euoluite, vitamque primorum veſtræ religionis auctorum ob oculos ponite. Diſpeream, niſi prima fundamenta à feminarum fere amoribus iacta conſtabit, iuxta Apocalypſi carum Locuſtarum figuram, quarum facies erant vti facies fæminarum, & ora, velut i leonum, in maledicendo & proſcindendo papam & probos. Illorum exẽplo ergo Gebhardus Agnetem quoque vxorem duxit, Ducis Bipontini concionatore inceſtas nuptias copulante: ad quas ac ſimul ad Catholicæ religionis funus & exſequias, non cognati tantum Agnetis, verum etiam alij Principes ac proceres Lutherani fuerunt inuitati. Exiſtimabat quippe Gebhardus, lectum ſuum nuptialem ſepulcrum fore Eccleſiæ, & Muſica inſtrumenta ac nuptialia organa atque epithalamia, mortuæ religionis velut næniam fore funebrem. Quinetiam tanta ſpe facinus hoc aggreſſus erat, vt iurare non dubitaret, aut moriturum ſe, aut Agnetem ſuam Archiepiſcopiſſam Colonienſem facturum. Quod vt melius perficeret, Bonnam præcipuum Archiepiſcopatus ad Rheni ripam ſitum oppidum, quatuor Colonia diſtans milliaribus, vnà cum alijs nonnullis munitis locis, in poteſtatem ſuam redegit, & direpto per nefarium ſacrilegium Eccleſiæ theſauro, militem conduxit, qui non per diœceſin tantum Colonienſem, verum etiam vicinas regiones grauiſſima damna dedit.

Noui huius mariti cauſſæ fauebant Comes Palatinus, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgicus, Electores, itemque Dux Bipontinus & alij Lutheranæ religioni addicti, eius contra Imperij leges & decretum Auguſtanum ſuſcepta defenſione. Sic enim habent verba decreti: *Si quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Prælatus, aut quiſquam alius Eccleſiaſtici ordinis, veterem religionem deſtruerit, is Epiſcopatui, Præpoſituræ, aut quibuſcumque alijs beneficijs Eccleſiaſticis & prouentibus quos hactenus percepit, renunciet: ac tum Capitulo, vel ijs ad quos id pertinet, alium eligendi & in eius locum ſubſtituendi ius ſit.* Cui vt ſatisfieret, Capitulum Colonienſe, Ducibus fere, Comitibus, Baronibus & magna auctoritate præditis viris conſtans, quum Pontificem tum Imperatorem alioſque Catholicos Principes de Archiepiſcopi ſui conatibus certiores fecit, rogans vti ſua interpoſita auctoritate, tam pernicioſis conatibus obuiam iretur, & tantis deſignatis flagitijs debita pœna infligeretur. Et quidem tam Capitulo quam Senatui Colonienſi Ferdinandus Dux Bauariæ, Dux item Cliuiæ & alij Catholici in Germania proceres auxilia promiſerunt: Comes vero Arembergius à Parmenſi Principe, ſupremo tum Hiſpanici in Belgio exercitus duce miſſus, copias ſuas cum Capituli copijs coniunxit, dum interim ſpiritualia arma à Pontifice expediuntur, quibus inceſtuoſo huic non Epiſcopatus tantum ablatus, verum etiam ſacris atque omni Chriſtianorum communione fuit interdictum, Capituloque mãdatum, vt alium in eius locum eligeret.

VI. Huic Pontificis mandato obtemperantes Capitulares, Erneſtum Bauariæ Ducis fratrem Gebhardo ſurrogarunt: qui interea dum ille cum noua ſua nupta ſe oblectat, per omnes Eccleſias paſſim preces & publicas proceſſiones fieri iubet; deinde diuinæ benignitati & iuſtæ ſuæ cauſſæ cõfiſus, quantum poteſt armorum apparatum conquirit. Contra Truchſeſſius quoque Proteſtantium opem implorat, & magnam ditionis partem Ioanni Caſimiro Comiti Palatino oppignorat. Nec mora. Contracto vtrimque exercitu, miſerum in modum tota vaſtatur regio, committuntur prœlia & conflictus; quibus plerisque victus Ioannes Caſimirus, domum tandem magno cum damno redijt. Caluiniſtæ quidem in Gallia quum Truchſeſſianis opem ferre molirentur, à Lotharingiæ Duce cæſi ac diſſipati ſunt. Sic ergo Erneſtus

ſtus Epiſcopus oppidis fere omnibus ac locis munitis intra breue tempus potitus eſt, bonam ei ac Capitulo operam nauante Friderico Duce Saroniæ Lauenburgico diœceſin in priſtinum ſtatum reſtituit. Ad hunc Hulſam arcem obſidentem, præſidiarij loci equum claudicantem Sanctorum ſtatuis oneratum miſerant, ad quos ille eundem lignis patibuli in formam conſtructis onuſtum, remiſit. Bonnam adhuc tenebant Truchſeſſiani, Carolo apoſtatæ fratre præſidij præfecto; ſed & ipſa tandem, notho Bruſuicenſi, & Adolpho Nuenario, qui cum lex hominum millibus alimoniam inferre conati fuerant, profligatis, obſeſſa & ad deditionem coacta fuit, prædicto Carolo in Bauariæ Ducis poteſtatem à præſidiarijs tradito. Bonna reddita, ceteræ quoque arces & oppida partim vltro ſeſe dediderunt, partim vi expugnata ſunt: ſic vt miſer hic maritus, non fortunæ tantum verum etiam Proteſtantibus, à quibus in tam ſancta (ſic enim aiebat) cauſſa tam turpiter deſertus eſſet, conuicium faciens, in Hollandiam ſe recipere, & apud Arauſienſem Principem perfugium quærere coactus fuerit, non multo poſt Argentoratum inde translato domicilio, viginti quatuor eius loci Capitularium collegio quorundam opera adſcriptus, vbi reliquum vitæ cum Agnete ſua in ſumma paupertate exegit. Quum poſtea Lutheranis quidam exprobrarent, quod Truchſeſſium in tam bona & ſancta cauſſa deſeruiſſent, cuius acceſſione ac defenſione communis Proteſtantium cauſſa, præſertim in ſuffragijs de Imperatore eligendo, multum adiuuari potuiſſet, reſponſum fuit à Lutheranis, certis indicijs ſibi compertum, Truchſeſſium ad Caluiniſmum magis quam ad Lutheraniſmum propendiſſe; eoque Ioanni Caſimiro Palatini Electoris fratri, qui ſolus tum in Germania Caluiniſmum fouebat, & ad bellum hoc ſuis ſumtibus vltra viginti armatorum millia coegerat, patrocinium relictum. Habes hic, Lector, paucis verbis totam belli Colonienſis comprehenſam hiſtoriam ab alijs (c) prolixe deſcriptam: è qua inprimis illud patet quam infirma ſit ac caduca hæreſis, adeo vt Catholicis, modo ſuis vti viribus velint, Babel hanc funditus deſtruere atque exſtirpare facile ſit futurum.

c *Michaele Iſſelt de bello Colonienſi libris* 4.

Ad Lectorem admonitio.

Dolendum ſane eſt, Auctorem neque extremam huic operi manum imponere, nec felicioris initium ſæculi videre potuiſſe: quamuis eius filius, eiuſdem ſtudij ac voluntatis heres, capita quædam V. huius libri quæ deerant, ac ſextum integrum ſuppleuerit. Vt mirum non ſit ſtili ac iudicij acrimonia quædam à prioribus diſcrepare. Eoque illud vbi Auctor de ſanctiſſimo Patre Clemente VIII. Pontifice loquens ait ſe eundem vidiſſe lectioni Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti illachrymantem, non de patre huius operis auctore, ſed de filio intelligendum eſt, qui anno M D C. patris librum de Antichriſto eidem Pontifice Romæ exhibuit. Interim vero dum quod deeſt ab eodem aut alio quodam ſuppletur, hoc quod iam damus, vtere, fruere, ac vale.

FLORIMVNDI RAEMVNDI DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA HÆRESEON NOSTRI SÆCVLI, *HISTORIÆ*

LIBER VI.

ARGUMENTVM LIBRI SEXTI.

Sexto hoc libro schisma Ecclesiæ Anglicanæ explicatur, è diuorttio Henrici VIII. & Catharinæ Hispaniarum regis filiæ, Caroli V. sororis natum: tum quæ ab eodem & Eduardo eius filio & successore crudeliter ac nefariè perpetrata. Additur deinde, quomodo Catholica religio à Maria regina Henrici VIII. & Catharinæ filia, Philippo Hispaniarum regi nupta, velut postlimino restituta; post eius vero obitum ab Elisabetha eiusdem Henrici VIII. & Annæ Boleniæ filia rursus exterminata, & varijs atque inauditis modis contra Catholicos sæuitum fuerit. Tandem exponuntur res in Scotia turbatæ, & miserabilis mors reginæ Mariæ in Anglia crudeliter occisæ, &c.

INDEX CAPITVM LIBRI SEXTI.

CAPVT I.

I. *De mixtura boni & mali, vitij & virtutis.*
II. *Matrimonium regis Arturi cum Catharina Ferdinandi Aragoniæ & Catharinæ Castiliæ reginæ filia, eiusque dissolutio.*
III. *Henricus viduam Arturi fratris defuncti, Pontificis interueniente auctoritate, uxorem ducit.*
IV. *Henricus regnum præclare ac feliciter auspicatur, sed infami peste amori succumbens se ac regnum perdit.*
V. *Volsæus Cardinalis diuortij inter Henricum & Catharinam auctor.*
VI. *Itemque Franciscus Episcopus Darbiensis.*

CAPVT II.

I. *Anna Boleniæ natales & mores.*
II. *E Francia reuertens singularem castitatem simulat.*
II. *Quibus artibus Volsæus Cardinalis diuortium inter Henricum*

Henricum & Catharinam apud Pontificem procurare conatus sit.
IV. Noui à Pontifice iudices qui de diuortio Henrici regis cognoscant, constituuntur, Laurentius Campegius & Thomas Volsæus Cardinales.
V. Campegij Cardinalis in Angliam profecti, cum Rege congressus & colloquium.
VI. Volsæus sententiam pronunciat, non accepta prius à S. Sede Apostolica potestate.

CAPUT III.

I. HEnricus rex Academias aliquot suarum facit partium. Volsæum munere submouet, non multo post defunctum.
II. Crammerus Cantuariensis Episcopus Henrici flagitijs subscribit.
III. Henricus Annam Boleniam, diuortij lite adhuc pendente, uxorem ducit.
IV. Curtam Pontifex quam Imperator iustam de Henrico ultionem non sumserint; à Pontifice tamen non multo post excommunicatus est.
V. Prophetissa quadam matrimonium Henrici & Annæ scelestum pronunciat.
VI. Fischerus Cardinalis & Thomas Morus per summam iniustitiam supplicio afficiuntur. Catharina regina diem suum obit.

CAPUT IV.

I. REx Henricus, Anna Bolenia repudiata, Ioannam Seimeram ducit, illam vero adulterij damnatam supplicio affici iubet.
II. Ritus sacrorum ab Henrico rege instituti. Contra eundem ob religionis mutationem arma sumta. Mors Ioannæ Seimeræ. Reginaldus Polus ad Cardinalatum euectus.
III. Henrici regis impietas in Sanctorum Reliquias.
IV. Eiusdem nouum cum Anna Cliuensi matrimonium.
V. Qua itidem repudiata, Catharinam Hauardam sibi copulat, Cromuelo prius sublato.
VI. Henricus flagitia flagitijs cumulat. Interim nihilominus de reconciliatione sua cum Ecclesia cogitationem suscipit. Catharina itidem Hauarda supplicio affecta, Catharinam Parram ducit.

CAPUT V.

I. HEnricus ædes sacras, hospitalia, Seminaria, Collegia, diripit ac destruit, & Thomam Hauardum supplicio addicit.
II. Morbo affectus, magna animi consternatione ab Episcopis ad se accersitis Consilium ac modum reconciliationis cum Ecclesia exquirit.
III. Fratrum Franciscanorum templum restaurat, ac solenne Missæ sacrificium restituit: testamentum condit: sub una tantum specie Eucharistiam sumit, summa cum reuerentia & honore: ac tandem obit.
IV. Leonis X. Bulla seu decretum, quo Henrico Defensoris Fidei titulus tribuitur.
V. Mores & ingenium Henrici VIII. regis.
VI. Monumentum eius memoria à Cardinali Polo exstructum.

CAPUT VI.

I. HEnrico post mortem falsum testamentum supponitur.
II. Eduardus Seimerus regis auunculus, nepotis ac hæresis tutelam ultro suscipit, ac proregem se constituit.
III. Lutheranismus in Anglia publice concionibus habitis, primum diuulgatur. Cramerus Archiepiscopus Cantuariensis ex sacerdotum numero primus in Anglia uxorem ducit. Hugonis Latimeri, primi Anglorum (scilicet) Apostoli historia.
IV. Martinus Bucerus, Petrus Martyr & Bernardus Ochinus in Angliam profecti cuntur.
V. Noua religionis forma ab Anglicana Curia præscripta.
VI. Sola Maria Eduardi regis soror, Catholicam religionem in aula Anglicana profitetur.

CAPUT VII.

I. EDuardus Seimerus prorex Thomam fratrem seminarum ambitione impulsus supplicio affici curat.
II. Dudlæus Comes Varuicensis Catholicis contra proregem se coniungit, sed post eius obitum ipsos deserit. Mirabiles & absurdissima temporum illorum hæreses.
III. Eduardus Seimerus prorex, Duldæo accusante, ad supplicium raptus.
IV. Mors regis Eduardi, & testamentum.
V. Ioanna filia Ducis Suffolciæ regina proclamatur.
VI. Ex altera parte Maria Catharina filia regina eligitur, & Londinensem urbem ingreditur.

CAPUT VIII.

I. MAria regina, arcem Londinensem ingressa, superbum illum à prædecessoribus usurpatum

patum titulum, Supremi Anglicanæ Ecclesiæ capitis, abdicat.

II. Dudlæus vna cum quatuor liberis ad mortem damnatus, ad Catholicam religionem se conuertit.

III. Catholica religio in Anglia restituetur. De Curia seu Parlamento Anglicano.

IV. Conditiones matrimonij inter Mariam Angliæ reginam & Philippum Hispaniarum Principem.

V. Maria regina contra Viatum & alios rebelles exercitum mittit, & captos supplicio afficit. Ioanna Suffolcia eiusque mariti funesta mors.

VI. Cramerus præcipuus schismatis & diuortij inter Henricum & Catharinam auctor, vna cum Ridlæo & Latimero Episcopis viuus comburitur: alijque supra centum hæreticis supplicio afficiuntur.

CAPUT IX.

I. DE Prophetissa quadam Zuingliana Hæretici ex Anglia proscripti.

II. Sacerdotes debito modo non consecrati sub Henrico VIII. Missæ sacrificium celebrant, Cardinalis Polus in Angliam ad restaurandam Catholicam religionem mittitur.

III. Eodem Philippus Hispaniarum Princeps appellit, nuptiasque cum Maria regina celebrat.

IV. Ab ijsdem Ordinum regni conuentus habetur, in quo de Ecclesiæ restauratione actum fuit: & quomodo Legatus Pontificius populum ab Excommunicatione absoluerit.

V. Quanta prudentia in negocio restauranda Anglicana Ecclesia Cardinalis Polus vsus sit.

VI. In Anglia passim obedientia S. Sedi publice præstatur, tum Coniuratio quædam detegitur.

CAPUT X.

I. INfans in cunis loquitur, quod sequentium malorum fuit præsagium.

II. Philippus ex Anglia in Hispaniam nauigat, numquam eo postea reuersurus.

III. Maria regina moritur: cui Elisabetha, si regno potiretur, multa præclare promittit.

IV. Sed Londini recepta ac regina proclamata, religionem mutat, & cur? Qualia eius regni fuerint initia.

V. Episcopi publico in conuentu Reginæ primatui contradicunt: sed illa varijs prætextibus vtitur.

VI. Schisma Anglicana Ecclesia ab ipsis regibus profectum.

CAPUT XI.

I. DE religione Anglorum: & quomodo ea, tam ab alijs hæresibus quam Catholica fide differat.

II. Disputatio inter Catholicos & Caluinistas habita: post quam Missa abrogata, & Episcopi atque alij Catholici variis modis fuerunt afflicti.

III. Pius V. Papa Angliam anathematis fulmine percutit.

IV. Elisabetha regina in rebus spiritualibus & ab Ecclesia dependentibus magnam sibi auctoritatem impie sumit.

V. De Anglicanis in Belgio, Gallia, & Roma Seminarijs. Item de Martyrologio hæreticorum.

VI. Elisabetha S. Crucis signum in honore habet: & Caluinistas reformationem à se præscriptam amplecti cogit.

CAPVT XII.

I. SAcerdotum in Anglia vxores & spurij in summo sunt contemtu.

II. De Puritanis hæreticis.

III. Rigidum contra Catholicos Edictum.

IV. Catholici quidam Angli martyrium passi.

V. P. Patissonij martyrium; & incredibilis quarundam feminarum constantia.

VI. Sex Religiosorum conuentus ex Anglia emigrant: moniales vero quod Anglos aliquot ad Catholicam fidem conuertissent, puniuntur.

CAPVT XIII.

I. ETiam infantes & pueri ab hæreticis Anglis martyrio affecti.

II. Catholici in Anglia nullam ob aliam quam religionis caussam puniti.

III. Iesuitæ in Angliam ingrediuntur.

IV. Edictum contra eos qui publicis hæreticorum concionibus interesse recusant. P. Campianus capitur & martyrio afficitur.

V. Itemque septem alij.

VI. Ioannis Nelsonii martyrium constantia, & miracula in ipso & aliis diuinitus facta.

CAPVT XIV.

I. NObiles aliquot martyrio affecti.

II. P. Casparis Haimodi & aliorum Catholicorum martyrium.

Nico-

III. Nicolaus quidam apostata, multorum in Anglia malorum caussa. Rothomagi ad caussam dicendam pertractus quid confessus fuerit.
IV. Catholici in Anglia denuo proscripti.
V. Curia seu Parlamenti ea de re sententia.
VI. Insignis haereticorum pertinatia.

Caput XV.

I. Miracula quorundam martyrum. De Fischero Rossensi Episcopo, & Thoma Moro.
II. Alia quadam miracula.
III. Judices quidam Angli ob iniuste latam sententiam subitanea morte à Deo Catholicorum caussam agente puniti.
IV. Elisabetha cum exteris Principibus confoederationes. Mors VValsingami, Catholicorum, dum vixit flagelli.
V. Lamotta Fenelonius aetate venerabilis Eques; Galliarum Regis in Angliam Legatus Cardinalis Castillonius Hugonotarum defensor eiusq; mors.
VI. Soli Gallorum regis Legato in Anglia permissum domi suae sacrum Catholico ritu celebrare.

Caput XVI.

I. Odium inter Angliae & Scotiae reginas.
II. Scotiae regina in Scotiam revertitur, & cū Angliae regina in gratiam redit.
III. Darlaus de regina tollenda, ac regno in se transferendo deliberat. Riccium Pedemontanum interfici curat.
IV. Darlaus à Moravio Regina fratre spurio, aliisque, quorum Princeps fuit Comes Bothuelius, tollitur. Regina Bothuelio nubere coacta.
V. Eadem captiva in lacum Lavinum ablegatur.
VI. Religionis in Scotia status forma & summa.

Caput XVII.

I. Iacobus VI. Scotiae Rex coronatur.
II. Regina è custodia evadit.
III. Elisabetha promissis confisa, in Angliam se recipit.
IV. Inter eam & Ducem Norfolciae de matrimonio tractatur, cum huius exitio.
V. Mors Comitis Moraviae, nothi, Reginae fratris.
VI. Reginae sibi mutuo reconciliantur.

Caput XVIII.

I. Lex ab Elisabetha lata, unde postea supplicii de Scotiae regina sumendi occasio sumta est. Babingthoni epistola.
II. Scotiae regina arctiori custodia mandatur.
III. A quadraginta octo viris caussa eius ventilatur.
IV. Quibus de rebus interrogata fuerit, & quid ad singula responderit.
V. Eiusdem de Bulardi facto responsio seu confessio.
VI. Capitis damnatur. Aliquot eius ad Galliae regem & Elisabetham Angliae reginam epistolae.

Caput XIX.

I. Capitalis sententia contra Scotiae reginam publicatur, & exsequutioni demandatur.
II. Bellievraus Gallorum regis in Angliam Legatus ut exsequutionem latae sententiae impediret, quae tres menses ipsius respectu dilata fuit.
III. Quid Scotiae regina mortis sententiam indicantibus responderit.
IV. Tentatur ut à Catholica deficiat religione. Ante mortem Pij V. Papae permissu, Eucharistiam ex suis ipsa manibus sumit.
V. Quanta constantia supplicium adierit: eiusque extrema verba.
VI. Magna gloria martyrium pro Catholica religione consummat, animamque Deo reddit.

Caput XX.

I. Elisabetha regina quomodo Hiberniae imperio potita sit.
II. Vulgus apud Hibernos ad conciones haereticorum vī cogitur; nobilitatem interim Catholicae religionis exercitium domi conceditur, ad confusionem haereticorum.
III. De Ultoniae provincia, & praecipuis eius magnatibus.
IV. De Momonia, & seditionibus in ea excitatis.
V. De Conacia, & miraculis quorundam martyrum in Hibernia.
VI. Patricij Ochelij Episcopi sanctitate conspicui martyrium &c.

FLORIMVNDI RAEMVNDI
DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA HÆRESEON NOSTRI SÆCULI,
HISTORIÆ

LIBER SEXTVS.

ORTVS SCHISMATIS ANGLICANI, EX DISSOLUTIONE MATRIMONII INTER HENRICUM REGEM VIII. ET CATHARINAM HISPANAM.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

I. *De mixtura boni & mali, vitij & virtutis.*
II. *Matrimonium regis Arturi cum Catharina Ferdinandi Aragonia & Catharina Castilia regina filia, eiusque dissolutio.*
III. *Henricus viduam Arturi fratris defuncti, Pontificiu interueniente auctoritate, vxorem ducit.*
IV. *Henricus regnum praeclare ac feliciter auspicatur; sed infami postea amori succumbens se ac regnum perdit.*
V. *Volsaus Cardinalis diuortij inter Henricum & Catharinam auctor.*
VI. *Itemque Franciscus Episcopus Darbiensis.*

I. *Ieri haud potest, contagionem quin mali, Ipsum bonum etiam sentiat:* Ait Euripides, loquens de mixtura boni & mali, quæ in rebus mundanis inuenitur, vbi omnia continuo atque instabili motu ita agitantur, nihil vt certius sit, quam, nihil esse certum.

Rebus in humanis nulla est constantia certa.
Vna dies versat sursum infima, summa deorsum.

Diem Poeta ponit: at Demetrius Phaleræus, vt melius exprimeret conuersionis istius celeritatem, punctum maluit ponere, aut momentum, siue minutum. Porro ex hac confusione boni & mali (quæ quum maximè inter se aduersa fronte dissideant, mirum est tamen quam arcto fœdere in his sublunaribus coniungantur) mali quoque cum virtute, similiterque boni cum vitio coniunctionem, progredientes deducemus; nec dubitabimus ea in re Stoicis contradicere, qui illud pertinaciter contendebant, nec mali quidquam virtuti, nec vitio aliquid boni admixtum esse posse, eò quod virtus incursantium malorum speciem immutet, vitium vero, si qua ipsum sequantur bona, continuo corrumpat. Et quanquam malum ex se

se producere non possit, Deo tamen non est infrequens, de malis facere bona; ut genij mali assiduum est studium ex bonis elicere mala. Docebit autem progressus tristis huius historiæ (cuius infelicis eventus hodieque existant vestigia) extremam vitij turpitudinem adiunctam habuisse speciem boni, quæ acerbitatem suam atque aculeos fuco oblinens, decepit iudicia eorum, qui non alò oculos suos conjciunt, quam in id quod amant, nec quidquam facile amant, quam quod admirabilitatis humanæ quandam speciem habet. Notabo præterea, quomodo castissimæ atque ornatissimæ principis matronæ singularem virtutem comitata sit immanissima calamitas, & tanta fortunæ adversitas, quantam vix assequi cogitatione licet, magno cum orbis Christiani incommodo. Cuius narrationis pelagus ingressus, vela faciam Londinum versus, spectaturus initum tot Tragœdiarum, quarum illic exhibita sunt spectacula: ordiarque à Rege Henrico VIII. eiusque uxore Catharina, hoc solum infortunio infami, quod tot calamitatum ipsa fuerit veluti fermentum.

Hic, de quo loquor, Princeps Henricus VIII. A. 1509 coronatus in Regem Angl. VIII. Cal. Julij, inde ab exortu Lutheranismi malcule sese obiecit consilijs excuculiarti illius Germani, scabiem suam Ecclesiæ Anglicanæ affricare conantis: eiusque scriptis maxime de Capt. Babylonicæ librum opposuit, quo ejus hæreses docte refutavit An. 1521. In eo enim tanta elucebat eruditio, ut proditum sit, ad primam ejus consultationem & congressum Franciscum I. Galliarum regem, mirifico literarum amore fuisse incensum. Itaque Ecclesiæ bono hunc librum composuit, planè dignum illa purpura Religiosi Regis, tantoque illustriorem, quanto auctor in sublimiore fastigio constitutus erat, quamis, quem in ea scriptione Aduersarium sibi delegerat. Hoc suo illo labore à Pontifice Anno 1521 obtinuit titulum plenum dignitatis, vt appellaretur DEFENSOR FIDEI: honorificum sane titulum, & dignum illo, qui eum sibi posteritatique suæ acquisiuit, si quidem tueri eum voluisset, ac non fœdissima infamia eum maculasset, optimamque nominis sui existimationem obduxisset turpissimis, quæ ab impotentissimo tyranno proficisci possunt, actionibus. At ipse, velut alter Nero, post primum quinquennium tanti Tituli assumpti funestissima temporainuexit, cœptumque summa cum lenitate imperium insigni crudelitate clausit. Vt enim monstrum illud Naturæ Neronem imitaretur, Henricus VIII. primis regni suis annis tam bonam de se spem ac rem præbuit, ut ex ætatis suæ principibus parem haberet nullum, at postea, Deus bone! quantum insequutum est vitiorum incendium, quanta peccatorum criminumque colluvies, quæ dissolutio, quot cædes, quanta crudelitas, quam detestabilis luxus! quanta denique vitæ religionisque mutatio, quam pestilens flamma, quanta incendia latuerunt sub prioris istius tranquillitatis felicitate que favilla! Mallem equidem cohibere calamum, nec pascere sequentis ætatis curiositatem tot spurcarum actionum memoria, quarum tragica spectacula in hoc quoque exiguum theatrum producentur. Sed quid faciam? Equidem eorum, qui priores hunc callem triverunt, vestigijs insistendum, & ut integram hæreseos historiam conficiam, in Angliam trajciendum mihi esse video, ut illic velut catastrophen extremos spiritus ducentis Ecclesiæ videam, & ex causa pudenda abominandum schisma natum, explicem.

Itaque ut infelicis huius regni tristis ruinæ causa intelligatur, res ab origine arcessenda est, quam quum *Sanderus Ribadeneira*, & alij nonnulli prolixe descriptam reliquerint; optimum fuerit ut & ipsorum ego vestigia sequar, ne videlicet alicubi impingam in itinere adeo salebroso, utque, si forte aliquando rerum, quas narrabo, enormitas impediat lectorem amantem veritatis, quò minus fidem narrationi adhibeat, habeam ejus auctores fide dignos. Fit enim non raro, ut difficulter admodum fidem inveniant nimis enormia flagitia. Quamobrem eos auctores sequar, qui quum sint ipsi probati & fide digni, auctoritatem ijs quæ scripturus sum, facile conciliabunt.

Dum S. Romanum Imperium felicibus auspicijs Maximiliani (qui Anno 1518. in Januario obijt) administraretur; Franciæ regnum, nulli secundum, magna cum gloria sua pareret Ludovico XII. (qui Anno 1515. Kalend. Januarij decessit) utenti consilio optimi Legati sui Georgij Cardinalis Ambosiani (de quo vulgo iactatum est proverbij loco illud, *Laisse faire à Georges*, hoc est, *Georgio manda si quid rectè cura-*

euratum velu) Ferdinandus vero in Hispania qui An. 1516. x. Kal. Jan. obiit, & Henricus VII. in Anglia An. 1509. decessabat, (a) feliciter rebus præessent: mira prosperitate gaudebat res Christiana, planeque optata & fere vniversali tranquillitate fluebatur. Adeo enim illustrissimis hisce Principibus in Europa dominantibus, res ex voto fluebant, nihil vt videre esset maius Maximiliano; Ludouico Christianissimo nihil fortunacius, Italicis triumphis glorioso; nihil Rege Catholico, seu bello seu pace, felicius; nihil denique Henrico VII. Anglorum Principe, cuius etiam nomen erat formidabile, vel animi magnitudine, vel dignitate regali illustrius. Et vt certius agnoscas numinis fauorem, quemadmodum Christianus orbis communi pace erat inter se colligatus; ita ex aduerso communes Religionis nostræ hostes in factiones scindebantur. Iam enim Mahometanæ legis variæ sectæ Alcorani sui doctrinam quasi in partes & frustra discerpserant cui re occasionem dedit noua superstitio (adeo nouitate Religiones etiam firmissime constitutæ concutiuntur! & ausim dicere, ex his ipsis cauernis prodijsse ventos, qui nostram in Europa labefactarunt) *noua*, inquam, *superstitio Ismaelis Sophi, ex magni Assum cassani filia nati*, cuius errores ac nouas interpretationes occupati ab ipso Persici Regni maiestas (vt fere honores magnis conatibus lucem præferunt) commendatiores populo reddidit. Iam Saraceni, post Bæticam octingentis fere annis possessam, magno cum eorum gaudio, quibus cordi est fidei Catholicæ gloria, tota Hispania exterminati erant. Quumque supereesset adhuc nouus quidam orbis, sub spissis tenebris paganismi, inferos pro dijs colentis sepultus: vt nihil isti sæculo deesset ad summam rei Christianæ promotionem, vilus est Iustitiæ sol radijs suis, Europæ subtractis, collustrare hanc gentem in abyssо abominationis perditam, gratiæque suæ, sub occasum nostræ felicitatis, participes facere nouos hosce populos, qui recepto Euangelio, militum Iesu Christi ordinibus adicripti sunt. Quarum rerum initio facto à Lusitanis versus Meridiem, & Hispanis versus Occidentem, adeò felix sequutus est progressus, vt infinita amplissima regna (nobile profectò tropæum) Ecclesiæ postea adiuncta fuerint, deuotissima illa Societate Jesu, plurimorum Martyrum gloria insigni, neque sanguine, neque vitæ iuæ parcente, in apertam per Lusitanos & Castellanos apertam ianuam in aream messis ingressa.

II. Hic erat rerum, tum Politicarum, tum Ecclesiasticarum status, hæc cœli terræque facies; quum Anno M. D Ferdinandus & Elisabetha Reges Catholici nulla masscula prole, sed Ioanna, quæ Philippo I. Austriæ & Maria, quæ Emmanueli Lusitani Regi & ea, de qua dicam Catharina felices, cum Rege Angliæ affinitatem iungunt, data in vxorem filia sua Catharina, virgine summis dotibus instructa, optimeque educata, Principi Arturo, Henrici VII. Anglorum Regis filio natu maiori. Constituta dote digna tam matrimonio, nuptiæ anno sequente An. 1500. Londini, in Ecclesia S Pauli celebratæ sunt, decimo octauo Calendas Decembris, qui dies apud Anglos D. Erchenualdo sacer esse consueuit. Principes, pro more, ad thalamum nuptialem regia pompa deducti sunt. Ceterum Henricus VII. qui excubaret pro salute filij sui, de Medicorum consilio cauerat, vt grauis quædam matrona, in eodem cum illis thalamo cubans, videret, ne Princeps, iuuenili ardore abreptus, cum præsenti valetudinis periculo, carne cum sponsa sua coniungeretur: eò quod Arturus decimumquintum ætatis annum vix dum attingens, tener adhuc atque inualidus, ex lento præterea morbo laboraret, cuius tabe post quintum mensem confectus, ex hac vita migrauit: quæ tamen valetudinis labes probe nota coniugium istud non impediuerat, propterea quod spes esset, fore vt tempus omnia in integrum restitueret: præterquam quod fere Reges non sui caussa matrimonia contrahunt, sed ob bonum quietemque subditorum suorum, & ad proferendos Regnorum suorum terminos. Atque ita in ipso ætatis flore exstinctu est regius adolescens, sine fructu eius boni, quod ipsi acquisitum fuerat: id quod ob progressum historiæ notari meretur. Iam mihi vide, quid simus! *manipulus dierum præterfluentium, & vno momento euanescentium* Et liberi maximum plerumque spei nostræ fulcrum quid sunt aliud, quam *granula arenarum, quæ turbo aliquis nullo negocio humo sublata, in gyrum torquet & dissipat?*

III. Nondum absterfis luctus huius lachrymis, Catholici Principes filiam suam repetunt. Nihil accidere poterat tristius Henrico VII. patri Arturi, dissolutione tam præclaræ affinitatis,

a *Henninges in Genealogia parte 4. Reusnerus.*

tis, cujus non minus fuerat miser eventus, quam infaustum initium. Gloriæ sibi ducebat, tam benignam, amabilem, liberalissimeque à natura dotatam Principem feminam circum se habere: vehementerque animum ipsius permovebant regiæ, quæ in Catharina elucebant, virtutes. Itaque quum nihil antiquius haberet, quam eam in Anglia retinere; petiit à Ferdinando, ut Henrico filio suo, Arturi principis fratri, duodecimum ætatis annum tum agenti, Catharina desponderetur. Nec abnuit Ferdinandus, hac lege tamen si à summo Pontifice legitima dispensatio impetrari posset. Caussa primum in Anglia examinata fuit, sed non decisa. magis enim magisque eventilata, summam tandem calamitatem in florentissimum hoc regnum invexit. Adhibita sunt ad decisionem negocii doctissima quæque ingenia: sed rem, quæ explicanda ipsis erat, magis implicuerunt. Inquirentes enim, an contrahi salvâ honestate tale matrimonium posset, quum omnem lapidem moverent, inventus est tandem, ad quem offenderent. Nihilominus ad extremum (non tamen extremum hoc fuit, extremæ calliditatis hominum nequissimorum commentum, qui postmodum eadem vulnera, sane cruenta, refricuerunt) responsum est uno ore à doctis, idque ex auctoritate Legum Imperialium, & Canonum Ecclesiasticorum, novam istam affinitatem honori defuncti fraudi esse non posse. Reges tamen Ferdinandus & Henricus, ut major esset tutiorque rei auctoritas antequam quidquam statuerent ulterius, rem retulerunt ad Pontificem, tamquam supremum judicem, tum jure, tum ipsorum consensu, Alexandrum VI. tum Romanæ Sedi præsidentem: qui non ita multo post moriens, Pio III. successori suo hoc oneris reliquit. Sed & ipse Pius prius vita, quam hoc negocio defunctus est. Ita magna istis Pontificibus, initio primum Pontificatu, negotiorum moles incumbebat. Re diu protracta, tandem Iulius II. majore cura post illos in caussæ hujus cognitionem incumbens, quum hominum totius orbis doctissimorum, qui fere, tamquam ad universale orbis theatrum, Romam confluunt, sententias collegisset, pronunciavit, ob Regum publicum bonum, ob pacis inter duo orbis Catholici tam præclara Regna confirmationem, denique ob federis inter hosce populos constitutionem, juris humani, quod solum obstabat, vinculum, in hac quidem caussa locum non habere, eoque dictos Principes eo solutos fore, Atque ita nuptias illas contrahendi veniam potestatemque fecit.

Initis sponsalibus, non aliud quam nuptiarum tempus atque festivitas exspectabatur. Sed ut pertuo versatur instabilis rerum humanarum rota, deprimens quæ fuerant sublimia, eandemque horam uni natalem, alteri fatalem faciens; dum præparatur pompa nuptialis, evenit, ut cogitandum esset de pompis funebribus. Elisabetha enim, Infantis Catharinæ mater, in Hispania, Anno VI. Kal. Dec. itemque post Henricus VII. in Anglia Anno 1509. diem suum obierunt: cumque his etiam Angliæ felicitas finem habuit, extrema impietate postea contaminatæ, quæ ex istis cineribus subitò emicuit.

Attamen in Henrico Octavo, ad quem, post obitum patris, devoluta est corona, renasci videbatur Anglici Regni magnitudo. Erat enim eximia corporis forma, benigna indole, & Majestate regia præditus: elucebatque in tot dotibus, quibus erat à natura affatim ornatus, nescio quid magnum, quod eum & gratiosum & formidabilem omnibus reddebat: judicio vero atque ingenio ætatem adhuc teneram longè superabat. Is igitur sui juris factus, & in ea auctoritate constitutus cui nihil non videtur licere, quum etiam nequissimis consiliis nomen regium obtendatur, non nupturam sibi Infantem Catharinam, seque huic affinitati renunciaturum professus est. Ad quod eum incitabant adulatores nonnulli, quorum vox multorum malorum plerumque est caussa. Vt enim non statim noceat, semina tamen quædam relinquit in animo, quæ suo tempore germinantia, pestilentes fructus producunt. Non tamen effecit horum impulsio ad malum, quin Rex ad bonum pronior, consideratis omnibus argumentis matrimonium illud oppugnantium, & ex altera parte trutinatis rationibus idem suadentium, interveniente dispensatione Pontificis, quæ publice recitabatur; præsentibus, negotiumq; urgentibus omnibus Regni Optimatibus; nulloque eorum, penes quos esset aliqua auctoritas, vel tantillum scrupulum opponente, toto etiam Senatu regni atque universo populo, publico consensu rem approbante; contrahere sibi & matrimonio copulare statuerit Infantem Catharinam: cujus quo die debebat initium sumere felicitas, is ei aditus fuit ad vitam longe miserrimam, & finis prosperitatis, quæ exstincta fuit intra quamvis legitimos illos complexus, ubi accrescere atq; augeri potius judicio omnium

nium debuisset. Atque in eo lecto, in quo omne Angliæ bonum concipi oportuerat, ruina atque exitium totius regni natum fuit.

Rex igitur, decimo octavo ætatis anno, tertio Nonas Iunii Anno 1510. Catharinam uxorem palam duxit: ac die Ioannis Baptistæ proxime subsequuto, non minus uxori, quam sibi, regium diadema, cum ingenti omnium lætitia, quam excitati per totam Angliam ignes passim testabantur, imponendum curavit. At ignibus istis alterius generis flammæ postea supervenerunt, quæ initium hoc felix atque fortunatum, in tristem ac crudelem eventum commutarunt. Ad hanc felicitatis speciem accessit cælitus demissum bonum, quod & ipsum tamen non nisi effigiem atque umbram quandam prosperitatis habuit. Nam quum Catharina filios tres, & duas filias enixa esset: maximus natu filius (cui etiam Henrico nomen fuit) nono post nativitatem mense, è vita sublatus est. Nec reliqui meliorem constellationem sive fortunam sortiti sunt, qui non diu, postquam nati sunt, vixerunt. *Magnis casibus obnoxia sunt Principum palatia, & quanto major eorum est magnificentia, tanto horribilior est casus ac ruina.* Sola restabat, tantæ jacturæ solatium, Princeps Maria, anno septimo Henrici VIII. apud Grenuicum Anno 1515. duodecimo Calendas Martias in lucem edita.

Tantum curæ atque studii adhibitum fuerat ad formandam Henrici Principis juventutem (ut naturalem indolis ejus bonitatē taceam) nihil ut de ipso quam præclara ac laudabilia quæq; sperandū videretur, nec nisi quod benignissimis regibus virtus vel juberet, vel permitteret, ipse de se promittebat. At nomen illud regiæ auctoritatis, & potestas illa absoluta, quâ pro arbitrio omnia imperabat, ita insuetum animum vicerunt, ut fervore quodam ætatis abreptus, mitissimam illam indolem cum naturâ omnium vitiosissimâ & perversissimâ commutarit. Solet is esse eventus nimiæ felicitatis, rei admodum turbulentæ, ut volutans sese, infinitisque modis agitans, evertat ipsa quidquid contulit commodi, & in medio bonorum quæ possidet, excitet mille mala. Itaque ocio nimio mores ejus corrumpente, virtutesque in vitia transformante, per omne genus fœdissimæ & maxime pudendæ nequitiæ volutabatur: eoque flagitia ejus progrediebantur ut vix etiam maxime creduli rebus quamvis verisimis fidem sint habituri. Prima hujus metamorphoseos præludia castissimæ quæque matronæ experiebantur: quumque animam suam turpitudine quotidie repleret, concupiscentiam tamen tot adulteriis, immo tot nefandis incestibus explere non poterat. Itaque si qua erat forma spectabilis, quamvis cum summa castitate atque constantiâ conjuncta, huic vim inferebat: prorsus quasi ad omnem honestatem hujus mundi oculos occlusisset, & gloriæ cœlestis memoriam simul & curam omnem depositisset. Et, ut hujusmodi animi pestis perpetuo longius proserpit, paullatim ille eo usque progressus est, ut omnis spes, fore ut umquam ad bonam ille frugem redeat, brevi decollarit.

Contra Regina, omni virtute, prudentiâ, & Religionis studio, ornatissima, ab ejusmodi vita, quam mortem rectius dixeris, quam alienissima erat, solis dedita cœlestibus curis, mundi, cujus amor omnes rapit, contemtrix. Terrestrium palatiorum magnificentiam atque pompas ita aversabatur, ut contemtui esset iis qui vitam cœlestem neglectui habent. Sæpenumero sacrarum virginum collegio ultro inclusa, tanto cum zelo & consolatione inter ipsas versata est, ut extremum vale videretur dixisse vanitatibus mundi: cui quidem mortua esse voluisset, aut certe mundum sibi mortuum fuisse optasset, ut ne in ipso moreretur. Media nocte surgebat, ut nocturnis Religiosorum precibus interesset. Mane horâ quintâ ornabat se, ornatu non regio, sed quam poterat simplicissimo, dictitans, animam, quum melior nostri portio sit, majore quoque studio exornandam esse, quam corpus, magisque annitendum, ut hæc Deo grata atque accepta efficiatur. Sub regio vestitu, D. Francisci habitu, ad cujus tertium ordinem (nam in hunc etiam nuptæ cooptantur) se adscripserat, utebatur. Omnibus sextis feriis & sabbathis jejunabat: omnibus B. Mariæ vigiliis solo pane & aqua vivebat: quarta & sexta feriis peccata sacerdoti confitebatur: Dominicis etiam sumebat Eucharistiam. Officium B. Virginis quotidie recitabat, sex horis continuis mane in templo sacris officiis vacabat hinc Sanctorum vitas, ancillis etiam adstantibus, ad duas fere horas legebat: inde templum repetens, ibi fere manebat, donec tenebræ discedere eam cogerent. Tantis igitur gratiis collustrata, adeo agebat puram vitam atque angelicam, ut, tanquam cœlestem vitâ in terra meditans, immo exercens, omnibus exemplo esset. Hoc unum quod commendaret eam superis

peris, restabat, ut vehementi aliquo tribulationis igne probaretur. is enim instar Lydii lapidis est illis, qui divino amore tacti, servitio Dei totos sese devoverunt.

Rex tam ardens Religionis studium, & tam indefessam sanctissimorum exercitiorum continuationem probabat quidem admirabaturque; sed ipse interim voluptatibus suis atque luxui indulgebat. Nec sine fructu: nam ex Elisabetha Blunta al. Blontia genuit filium Henricum Fitzrei Comitem Noringhamiæ, quem Somersetti al. Richmundæ Ducem creavit. [a] Mariam verò filiam, regio splendore educatam, & in disciplinam nobilissimæ sanctissimæque feminæ Margaritæ Sarisberiensis Eduardi regis quarti ex fratre neptis, Reginaldi Poli matri, traditam, jam grandiusculam, declaravit Britannorum, quos olim VVallos vocabant, Principem (qui populus & insulam primum occupavit, & ei nomen Britanniæ quo hodieq; utitur, imposuit. Nã Anglosaxones, in auxilium Britannorum adversus VVallos, hoc est, exteros, evocati, quum his devictis, animadverterent, nullo negocio se posse, pulsis iis in quorum auxilium venerant, rerum dominos seipsos constituere, arma in socios suos converterunt, subjugatosque, ut á veris Anglis distinguerentur, VVallos vocarunt.) In hanc ergo Provinciam, quæ ad occidentalem Insulæ oram, sub quatuor Episcoporum diœcesibus, longe lateque distenditur, Maria ablegatur. Nam quod apud Germanos est Rex Romanorum & Delphinus apud Gallos; hoc idem est apud Anglos VValliæ Princeps. Mariæ nuptias multi Principes magnis studiis ambiebant: inter quos erant, & Scotiæ Rex, Carolus V. Imperator, & Franciscus I. Galliarum Rex, qui eam alteri ex filiis suis in uxorem petebat: habebat enim duos, Delphinum, & Aurelianensem Ducem. Quorum quum nimis tenera judicaretur ætas, Rex Franciscus seipsum obtulit Mariæ maritum. Nec Henricus abnuit, si tamen Carolus Clementem Papam, quem eo tempore militum ipsius insolentia captivum tenebat, non dimitteret: nam bellum illi indicere cogitabat. Tandem Gallia abstulit præclarum hoc cimelium, in quod tot principes oculos animumq; conjecerant, non forma ejus illecti tantum, sed capti desiderio amplissimi hujus Regni, cujus ad illam hæreditas pertinebat. Despõsa est ergo filio primogenito Regis Galliarum, peractisq; apud Grenuicũ ceremoniis, jussus est Eliensis Episcopus in Gallias trajicere, & de tam optata affinitate Regi congratulari. Hinc facile apparet, quam constans apud omnes Principes Christianos fides ac sententia fuerit, de Catharinæ legitimis cum Henrico nuptiis; quum earum nuptiarum prolem, quæ non alia conditione, quam si legitima sit, regnandi jus in Anglia cõsequi potest, tãto studio in conjugẽ experierint.

V. Henricus interea, suis moribus utens, nõ minus perdite, quã Catharina sancte vivebat. Eo tẽpore Thomas Volsæus cœpit se in Regis gratiã insinuare, cõformãs actiones suas Regis actionibus, & à flagitiis ipsius minime alienus. Est hic modus Principibus placendi expeditissimus, favere illorũ consiliis, & ad exsequutionẽ cupiditatũ ipsorum maxime lubricarum, strenuam audacemq; operã navare. Sic olim Mithridatis aulici, ad imitationẽ domini sui, caput in alterum humerum deflexum gestabant: quod idem hujus quoq; Regis aulici factitabant. Volsæus igitur, vafer & carus homo, animum induxit, omnia assentari, nihilq; vel hiscere, nisi ad nutum sui Principis. *Humili loco natus, ad magna non pervenit nisi per animi abjectionem*; quippe quem captivũ & maxime infamibus Principis sui libidinibus obnoxium fecerat. Quum primũ in aulam irrepsisset; Regis Sacellanus fuit: nec multo post, Richardi Vintonienſis Episcopi opera, regiis eleemosynis præfectus. Sed quod ad magnitudinẽ ejus magis adhuc aditum patefecit, hoc fuit, quod Tornaco apud Morinos in potestatem Henrici redacto, Tornacensis Episcopatus vectigalia ex Regis donatione cepit. Et hoc quidẽ initium illi fuit firmandæ nascentis suæ fortunæ, quæ deinde solidũ robur acquisivit, hac ratione. Post fructũ Episcopalium redituum, etiam ipsi Episcopatus ad manus ipsius devoluti sunt, nimirum Lincolniensis, Dunelmensis, & Vintoniensis; tum autem Archiepiscopatus Eboracensis: atq; ita duobus maxime opimis Angliæ beneficiis fruebatur, Vintoniensi & Eboracensi: ut omittam locupletissimas Abbatias, in quas ubiq; terrarum involabat. Qui enim cupiditatũ suarum servitio sese semel obstrinxit, numquam postea se extricare potest: *nec ulla est tam magna liberalitas, quæ hominũ concupiscentias exsatiare queat: crescunt enim dum implentur*. Tantus erat blandientis fortunæ erga Volsæum favor, ut intra paucorũ annorum spacium fieret & Cancellarius totius regni, & Cardinalis, & ad universum Angliæ regnum de latere Legatus. Eratq; exterorum Regum is erga hominẽ amor, ut Volsæum pensionibus suis ditare, donisq; & muneribus amicitiã ipsius exãbire, pro accepto beneficio interpretarẽtur.

[a] *Henninges Geneal. parte 4.* Ipse

Ipse Rex Henricus totus erat in ejus potestate, omnia pro illius arbitratu distribuens atq; administrans. Tanta magnitudo homini contigit ab illo, qui facit omnia, ut eadem postmodū redigat in nihilum. Is hunc exaltavit, ut deprimeret alios, utq, ille instrumentum esset alienæ gloriæ, & suo exemplo nos instrueret, quo pede incedendum sit in hoc mundo; quumque is, qui ad tantum fastigium ascenderat, ad extremum lapsus sit, intelligamus quam parum sperandum sit illis, qui vix à limine bonam fortunam salutarunt, & tenuia dumtaxat quædam initia optatorum successuum assequuti sunt. Volsæus igitur, arrogantia atque ambitione turgens, non aliò jam aspirabat, nisi ut tiara caput suum redimiret, & sanctam sedem conscenderet. Quum animadverteret Carolus V. singularis prudentiæ Princeps, posse hominem suis rebus magno esse usui, cœpit eum suum facere, & comitate, tamquam ad inescandam ejus ambitionem commodissima, in suas partes pertrahere. Scribebat ipse manu sua ad Volsæum literas: subscribebatque in hæc verba: *Filius vester & cognatus Carolus.* Miseros, qui fumos, ventosque in aere pendentes venantur, quum sint ipsi magis etiam suspensi minusque stabiles, quam bona, quibus inhiant! quin & miseros Principes, qui, ut augeant triumphos suos, tot utuntur simulationibus dissimulationibusque, ad attrahendos nequissimos sceleratissimosque homines, qui suas factiones omni ratione juvent. Imperator spem fecit Volsæo (quæ tamen eum spes fefellit) si efficeret, ut Henricus Angliæ Rex perpetuum fœdus cum Cæsare coleret, Regemque Franciæ bello simul peteret, se ex altera parte effecturum, ut Volsæus, mortuo Leone decimo, fieret summus Pontifex. Implet Volsæus conditionem: sed exspectatione sua excidit, idque magna cum Cæsaris laude. Is enim, Leone vita functo, de Volsæo ne per somnium cogitans quidem, Adrianum sextum, sanctissimæ vitæ hominem, Papam creandum curavit. Quod quum Volsæus ægerrime ferret, tempori tamen cedendum ratus, etiam Adriani mortem exspectare decrevit. Sed & hic frustra fuit. Nam quum Carolus Franciscum I. in prœlio Papiensi cepisset, atque ita eum in potestate haberet, quem regno exuere, ut suas ditiones augeret, constitutum habuerat, Volsæi non magnam deinde rationem habuit: quumque ad ipsum scriberet, non aliud, quam nudum Caroli nomen subscriptionis loco apponebat. Quæ res ita animum Volsæi exacerbavit, ut ex eo tempore ruinam Imperatori meditaretur, ruptoque, quod cum ipso coluerat, fœdere, ad hostes ejus transiret, & Christianissimi Regis partibus totus accederet.

Initium vindictæ suæ inde sumsit, quod maxime erat ad manum. Nam quum intelligeret, Henricum Regē alieniore animo esse à Catharina (Nusquam est enim, ut proverbio dicitur, qui ubiq; est: quique amorem in multas dispescit, tandem nullam amat) ad inurendam familiæ Imperatoris maculam, matertera ejus à regio thalamo cum ignominia penitus disjungendæ consilium cepit. Quod animo agitans, Ioannem Longlandum Lincolnien sem Episcopum, qui Henrico erat à confessionibus, compellat, prætexens que veneno suo bonum publicum, & salutem Regis, rationes exponit, ob quas illegitimum esset Regis matrimonium: randē addit, ipsius esse, de remedio cogitare. Longlandus Volsæo contradicere non ausus, parē esse respondet, ut prior Volsæus Regem hujus rei admoneat, ipsique ostendat, quam sit grave peccatum, Regem tam pernicioso matrimonio implicitum teneri, & germani fratris sui thalamum polluere. Volsæus cum Rege sermonem ea de re confert, cui Henricus aurem accommodasset, nisi eum retinuisset alicujus infamiæ metus. Longlandus qui Regi & cōscientiæ ejus familiaris esset, id saltem petit, ut doctorum sententias exquirat. Annuit Rex haud difficulter, jādudū pertæsus Catharinæ, non ut duceret Margaritam Christianissimi Regis sororē, Ducissam Alenzoniā, id quod Volsæus mēte agitabat: aliò enim consilia ejus spectabant. In examinanda hac caussa quum annum integrū cum Consilio suo insumsisset, nihil tamen reperire potuit, super quod fundaret desiderium uxoris suæ dimittendæ, tam misere interim deperiens Annam Bolenam, ut non nisi per ipsam vivere videretur, nec quidquam desiderare præter ejus amplexus. *Ea est rerum pernicioſarum natura, ut nec nermam patiantur nec mensuram*: morbique leves imitio tempore ingravescunt. Sic accidit huic Principi, qui quum sentiret morbum suum paulatim augeri, nova hac accessione penitus oppressus est. Vehementer instabat Volsæus, ut missis in Franciam Legatis Magaritam sibi in uxorem peteret, & repudiaret Catharinam. Posterius Rex habebat in votis, sed de priori agere differebat, dū cognoscceretur, possetne fieri divortium. Videbatur enim res non parum difficultatis habere, quippe quæ tantis Theologis, quos Rex consuluerat, minime

plana

pliana visa fuisset, quin & Iulius Pontifex à prædecessore suo impetratam dispensationem novâ Bullâ confirmaverat.

VI. Accidit eo tempore, ut ex Francia legati adessent, qui Mariam Walliæ Principem, Delphino antea promissam, Aurelianensi nunc Duci nuptũ dari peterent. Henricus, postquam Legatos magnifice accepisset, auctor fuit Volsæo, ut ipse Episcopo Tarbiensi, qui fuit Legatorum unus, negocium aperiret, non quidem Regis sed suoipsius nomine, ut qui Francicam Anglicamque familias arctiore adhuc vinculo, per matrimonium Henrici cum sorore Regis Francisci, conglutinari summopere exoptaret. Volsæus cũ Tarbiensi congressus, rem ita illi exponit privatim, tanquam si nulli eam, nisi ipsi soli, aperuisset. Episcopus à Volsæo circumventus, facileque persuasus, rem esse non ita magni negocii, in senatu Regis (ut fere Legati in iis, quæ ad Principum suorum utilitatem spectant, minime muti sunt) bellam orationem habet, & non quidem jam VValliæ Principissam petit, sed matrimonii inter Henricum & Margaritam Francicam mentionem proponit: utque matrimonium illud, quo jam rex tenebatur, illegitimum esse probaret, mille mendacia verbis suis admiscet. Rex, tanquam si ea res sibi nova, atque antehac inaudita ad aures accideret, attonito similis, ægre ferre se simulat, quod controversia super ea re moveretur: tamen, ut conscientiam suam, majoribus, quam hoc erat, oneratam criminibus, exoneraret, deliberandum amplius censet, certus nihilominus apud seipsum, progredi ulterius, si quos in consilium prius adhibuerat, idem adhuc sentirent.

Dum hæc in Anglia geruntur, non longè abfuit Romæ excidium. Decreverat Carolus Burbonius crudelius eam tractare, quam olim fecerunt veteres Galli: & nisi Deus ejus conatibus obstitisset tum, quum sacra mœnia tormentis quateret, flamma & sanguine totam replevisset. Nunciatur in Angliam, Papam Clementem VII. captivum teneri. Quâ arrepta occasione Cardinalis Volsæus Regem monet, ut triumphos suos augeat, quumque scripto adversus Lutherum libro de septem Sacramentis, titulum Defensoris fidei sibi jam acquisiverit, gloriam istam nova gloria accumulet, Pontifice, quem Imperator captivum teneret, ex tam præsenti discrimine erepto. Rex, consilium istud sibi emolumento futurum ratus, sperabat, ita se posse suo sumptu Romanum Pontificem sibi demereri, ut novũ matrimonium contrahendi, uxoremque suam Cœnobio alicui includendi, facile veniam potestatemque sit obtenturus Itaque sine mora Volsæum in Gallias cum trecentis aureorum millibus, & collegis duobus mittit. Volsæo mandata quædam occulta seorsim dat ad Regem Franciscum I perferenda, de divortio Catharinæ, de matrimonio cum Regis sorore, & de filiis ejusdem duobus ex Cæsaris manu eripiendis Lætus legatione Volsæus, mare trajicit. Sed dum Caleti agit, novas ab Henrico literas accipit, ut ne ullum de novo matrimonio cum Regis Galliarum sorore ineundo verbum faceret, sed tantum de reliquis articulis. Vehementer indignabatur Volsæus, videns prohibitum sibi esse, quod omnium maxime in votis habebat. Erat enim illa propositum, per novas illas nuptias Regem Christianissimum totum sibi obstringere atque obligare, ut eo deinde contra Imperatorem uteretur. Legationem nihilominus confecit: cujus is fuit successus, quem Rex volebat, quemadmodam infrà à nobis dicetur.

HENRICVS VIII. PETIT A PONTIFICE judices qui de divortio cognoscant, qui dati mox revocantur. Volsæus gratia regis excidit.

Caput Secundum.

ARGVMENTVM.

I. *Annæ Bolenæ natales & mores.*
II. *E Francia revertens, singularem castitatem simulat.*
III. *Quibus artibus Volsæus Cardinalis divortium inter Henricum & Catharinam apud Pontificem procurare conatus sit.*
IV. *Novi à Pontifice judices qui de divortio Henrici regis cognoscant, constituuntur. Laurentius Campegius & Thomas Volsæus Cardinales.*
V. *Campegii Cardinalis in Angliam profecti, cum Rege congressus & colloquium.*
VI. *Volsæus sententiam pronunciat, non accepta prius à S. Sede Apostolica potestate.*

I. DVm Volsæus consiliis suis in Francia abripitur, Henricus in Anglia defixus, aliud nihil animo versat, nisi tædium Reginæ, & Annæ Bolenæ amorẽ. *Ingne non tantum spectatur, quam*

quam sit magnus, sed & quid urat atque depascat. Eodē modo & in hac animi passione, & in his flammis, quæ postea totam Angliam incendio compleverunt, non modo considerandū est, quam violentæ sint, sed etiam quod sit earum pabulū, & cujus gratiâ ardeant. Henricus nil nisi Bolenam deperit, & ex confusione inde in animo regis natâ, ortæ sunt omnes in hoc Regno turbæ. Matrem habuit hæc femina Thomæ Boleni uxorem, sed patrē incertū. Hic Thomas Bolenus, eques, biēnii legatione fūgebatur in Gallias. intra id tempus uxor ejus istam filiam enixa est. Ajunt, Regem Henricum VIII. quū feminam hanc adamaret, ut eâ liberius frueretur virum sub specie honoris, in Franciam ablegâsse, ipsumque ex ea hanc filiam genuisse, quam postmodum uxorem duxit. Thomas Bolenus in Angliam reversus, quum familiam auctam deprehenderet, uxorem in jus vocatam, apud Archiepiscopi Cantuarienſis delegatos judices adulterii convincere, & deinde repudiare constitutum habebat. Illa Regi, quanto in periculo, nisi ille opem ferat, constituta sit, significat. Is Marchionem Dorcestriæ ad Thomam Bolenum propere mittit, cū iis mandatis, ut abstineret à lite, condonaret uxori, eamque iterum in gratiam reciperet. Bolenus tamen mandatis regis non prius paruit, quam ab uxore audisset, se à Rege ipso corruptam, viroque absente pæne vi expugnatam, filiam istam non nisi ex Regis congressu habere. Ita tum uxoris deprecatione, tum Regis mandato, tum etiam Marchionis intercessione motus, cum uxore in gratiā rediit, Annamq; deinceps filiæ loco educavit. Iam prius Thomas Bolenus aliam filiā ex conjuge sua genuerat, cui nomen Mariæ impositum fuit. In hāc Rex, dum ad matrem commeat, oculos conjicit, eandemque deinde in aulam suam, immo & in adulterinum thalamum traducit. *Citius augentur vitia, quam minuuntur: & amor, ubi semel animum hominis occupavit, in eoque imperio potitur, rationem foribus exclusam & audire & agnoscere recusat.* Fertur, Regem aliquando ab equite quodam ex gente Bolenorum, cui Briano nomen esset, quæsivisse, quale peccatum videretur, matrem primum, deinde filiam cognoscere? Cui Brianus, Omnino, inquit, tale, ô Rex, quale gallinam primum, deinde pullū ejus gallinaceū comedere. Constabat Henrici aula ex genere hominum perditissimo, qui quasi palmâ propositā, ita inter se decertare videbantur, quisnā esset flagitiosissimus. Inter hos, si nequitiam spectes, facile princeps exstitit hic, quem dixi, Brianus, obque id vocabatur. *Inferni vicarius.* Henricus igitur, postquam filiam cum matre adulterando commiscuisset, ut nihil deesset ad cumulū omnis impietatis, & flagitii, quod excogitari potest, incestuosissimi, ad alteram quoq; filiā Annā Bolenā, animum adjecit: quæ credebatur ipsius Henrici filia esse, quemadmodum Thomæ Boleni uxor viro suo affirmaverat, Marchione Dorcestriæ, & aliis summæ dignitatis viris præsentibus.

Nescitur, quæ dementia Regē Angliæ ceperit ut ab ipsa deformitate fascinari se pateretur. Anna enim parum formosa fuit, corporis statura procerior, oblonga facie, capillo nigro, colore subflavo: nullus erat in vultu decor: os deturpabat dens unus in superiore gingiva prominens: in dextra manu sextus adnascebatur digitus. sub mento etiā succrescebat turgidū nescio quid cujus deformitatis tegendæ caussa colli & pectoris superiora, quæ ex more nuda gestabātur, ipsa operiebat. Nec deerat tamen, quod eam cōmendaret, quiddā majestatem præferens, & simul amabile: facetus sermo, saltandi, omnisque generis musicis instrumētis ludendi peritia. Ceterū imperiosa, morosa, gloriosa. Vix decimumquintum ætatis annum attigerat, quum ab eo, qui Thomæ Boleno à poculis fuit, deflorari se passa, deinceps cum eo, qui eidem à sacellis fuit, libidinem exercere perrexit. Inde in Franciam mittitur, ubi regio sumptu, non longe à Briero, apud nobilem quendam virum educata, paulo post ad palatium regis Galliarum se contulit. Ibi tam impudice vixit, ut vulgo à Gallis appellaretur Hacnea, seu *Equa Anglicana*, nihil Gallicarum matronarum gravitati simile habens. Quumque etiam ad regem salutandum progressa, ab eo aliquoties domi suæ familiariter inviseretur, cœpta est vocari ab Aulicis *Mula Regia.* Lutheranæ sectæ addicta quum esset, non tamen à solennibus Missarum Catholico ritu peractis abstinebat.

II. In Angliam reversa, Regis, qui unius amore non diu detinebatur, sed concubinas subinde mutabat, vagum inconstantemque animum facile cognovit. Fere enim turpes amores tædium rei amatæ post se trahunt. Igitur quum sui amore Regem captum animadverteret, ipsa sese duram atque inexorabilem adversus ejus blanditias ac pollicitationes exhibuit, castitatē simulans, à qua erat alieniſsima. Non enim ignorabat, ea, quæ parvi constant, etiam paruipendi, magisque juvare victorias diffici-

difficiliores: nec magni æstimari formas, quibus facile est potiri: adeoque difficilem se se præbens tum, vt omnium, quæ in aula erant, feminarum castissima & religiosissima haberetur, tum Regem prorsus suum effecit, qui se felicem iudicabat, si repudiata Catharina, hanc virginem matrimonio sibi copularet. Iã in Gallijs volabat rumor, Annam Henrico nupturam. Agebat tunc in Gallijs Thomas Bolenus, Annæ, vt credebatur, pater, Legatione fungẽs vnà cum nobilissimo equite Antonio Bruno. Is ergo, re intellecta, statuit reuerti in Angliam, detecturus Regi de Anna, quod magna eius interesset, quodque ab alio forte postmodum detectum, ipsi Boleno periculum creare posset. Reuersus, impetrata à Rege secreta audientia, rem totam, ob quam venerat, exponit, dum ipse in Francia olim degeret, natam vxori suæ Annam Bolenam: ac se quidem voluisse vxorem ea de caussa repudiare, nisi & Rex intercessisset, & vxor aperte fassa esset, Annam Bolenam esse filiam Regis: non debere ne per somnium quidem in mentem Regi venire tale matrimonium quod non posset illi esse non probrosum, immo exitiale, quippe si propriam filiam duceret. *Tace, ô stolide* (inquit Rex) *centum alij ex æquo tuam vxorem compresserunt: cujuscunque illorum sit filia, certe quidem erit vxor mea.* Tu ad legationem tuam reuertere, & si vis esse consultum vitæ tuæ, rem silentio preme.

Nemo erat in toto Angliæ Regno ex viris cordatis, qui non ab his nuptijs maiorem in modum abhorreret. Præter ceteros, ij, qui ex Regio Senatu erant, memores, sui officij esse Regem tanti erroris admonere, turpem Annæ vitam ipsi ob oculos ponere constituerunt Prius autem in rem totam inquirere ipsis est visum. Eminebat inter Palatinos insignis quidam aulicus Thomas Viatus, qui quum intelligeret, Senatum Regis hoc ipsum agere, ad eum vltro venit, ac se confessus est cum Anna Bolena rem habuisse, nihil minus cogitantem, quam Regem velle ipsam thori consortem facere. Senatus ita instructus, quantis infamiæ maculis, atque adeo apertis criminibus Anna Bolena implicata teneatur, quibusque id documentis compertum sit, Regi exponit, addito etiam eo, quod Viatus vltro confessus fuerat Rex amore (cuius ea est cæcitas, vt ne ea quidem cernat, quæ maxime omnium sunt oculis exposita) flagrans, respondet, nihil se dubitare, quin magna sui obseruantia & amore, publicique commodi studio adducti essent, vt & ista nunciarent, & tanta cura in rem ipsam inquisiuissent, se tamen certo credere, omnia illa esse à nebulonibus suorum consiliorum & pacis publicæ turbatoribus, conficta, atque adeo persuasissimum sibi esse, Annam Bolenam esse honestissimam castissimamq; virginem: nec vllam se ex omnibus, quaruum tentasset pudorem, constantiorem Anna expertum esse.

Thomas Viat⁹ ægre ferens, suo verbo fidem nõ esse habitam, quibusdam ex Senatu dixit; si hoc Regi videretur, se curaturum, vt Rex ipse, vera esse quæ dixisset, oculis suis videret, quantumque Annæ fidelitati fidendum sit, aperte cognosceret: valde enim amabat Anna Thomam Viatum. Quã rem quum Suffolciæ Dux Regi exposuisset, Rex indignatus, Viatum ex aula sua eijcit & Annæ totam rem narrat, quæ tanta astutia & calliditate crimen suum palliauit & quasi incrustauit, vt eius ream esse, minus etiam quam antea, Rex sibi persuaderet.

Cardinalis Volsæus, confectis ex sententia negocijs, præterquã eo, quod maxime omnium concupierat, matrimonio scilicet Catharinæ cum Henrico, in Angliam reuertitur: reuersum Rex monet, vt caussam repudij, quantum potest, apud Pontificem promoueat. Iam antea Volsæus Protonotarium suum Gamberum Romam miserat, qui Pontificem doceret, quantum ipsius in libertatem restituendi caussa fecisset, eique persuaderet, vt in grati animi testificationem Volsæum, constitueret generalem Vicarium suum per Galliam & Angliam, quoad ipse Pontifex libertatem reciperet, quod factum est septimo captiuitatis suæ mense. At Pontifex, cui ea res parum grata esset, rem distulit, quousque libertas sibi restitueretur. Vehementer abhorrebat Volsæus ab Annæ nuptijs: sed quum tanto studio diuortium Catharinæ sollicitasset, quamuis consilia sua cancrino more incedere animaduerteret, obloqui non est ausus. *Solent peccata secum trahere sua præmia*, ita hujus quoque, quod Volsæus procurauerat, mali compensatio fuit, quod spe boni sibi proposita prorsus excidit. Iam caussa diuortij in tota Anglia per omnium ora ferebatur, alijs aliter de ea sentientibus. Hi, qui nouis rebus studebant, quique camelorum instar non nisi ex aqua turbida bibendum sibi iudicabant, quum ex tanta rerum commutatione crescere se posse animaduerterent, nouum istud matrimonium approbabant, alterum omni ratione improbabant, alterum omni ratione im-

pro-

probantes, tanquam illegitimum. Contrarium tuebantur prudentiores, & qui pacem amabant. Quodam die, Rege apud Cardinalem Volsæum agente, lectus est liber diffamatorius, quo Catharinæ matrimonium impugnabatur: certatim enim libri ab utraque parte conscribebantur. Episcopi qui aderant, non aliud dicere ausi sunt, quam ex iis quæ illic in medium proferebantur, juste posse Regem scrupulum aliquem animo concipere. Est hic mos eorum, qui aulas Principum sectantur, ut malint omnia sursum deorsum ferri, quam ut ipsi veritatem libere profitendo, detrimentum aliquod accipiant. Linguis assentatorum nulla est pestis regibus perniciosior: nec magis metuendi sunt proditores, quam adulatores. *Socrates dicebat, rem eandem esse veritatem cum virtute: & certe qui alteram odit, utramque odit.* Non erat tam hebes Rex, quin placendi caussa hæc ab illis proferri intelligeret, detestabaturque in animo suo id quod tum quidem approbare videbatur. Vt verò machinationibus suis colorem aliquem faceret, suaque auctoritate etiam prudentiores in sententiam suam pertraheret, vocat ad se Thomam Morum, qui tunc quidem erat ex regio Senatu, sed posteatotius regni Cancellarius factus est, satagens eum, quod in magna æstimatione esset, suarum partium facere. Huic præcipit, ut cum Doctore Foxio Regii Collegii apud Cantabrigiam moderatore, de divortio Catharinæ conferat. Negante Moro, fieri posse divortium, & Foxio contra affirmante, Rex, Morum, quem in sententia perstantem animadverteret, largitione corrumpere aggreditur: sed & hic inexpugnabilis gravissimi viri integritas deprehensa est. Quapropter quum in Anglia parum rem succedere intelligeret, alia eam via tentare statuit. Stephanum Gardinerum jurisconsultissimum virum, qui nuper cœperat à secretis Regi esse, ad Papam unà cum Francisco Briano mittit, jubetque de libertate reddita Pontifici gratulari, eundemque hortari, ut ad fedus cum Rege Galliarum adversus Imperatorem sese adjungat, sic tamen, ut matrimonium Henrici cum Catharina, præter legem naturæ contractum, & temerè à Iulio II. Pontifice confirmatum, irritum declaret: fore eam rem gratissimam ipsi Catharinæ, cujus ea sit sanctitas, & tale Religionis studiū, nihil ut magis in votis habeat, quam se in monasterium aliquod abdere, utpote quæ omnem mundi pompam, omnem regium fastum contemnat & pro nihilo æstimet. Placeat igitur suæ Sanctitati judices hujus negocii dare Cardinales Campegium & Volsæum: quod beneficium tā grato animo Rex Henricus sit accepturus, ut stipendia sit persoluturus quatuor millibus peditum ad perpetuam custodiā suæ Sanctitatis, quam tot Principes destructum eant. Non moverunt Pontificem tam ampla promissa, nec tam strictæ obligationes, ut annueret Legatorum petitioni. Sed quum apud Vrbem Veterem (hodie Orvietum) quo primum ex Adriani mole liberatus se contulerat, Legatorum propositiones audivisset, gratias eis egit, & cur in Gallicum fedus intrandum sibi hoc tempore non putaret, rationem reddidit: addiditque, quod ad caussam divortii attineret, se, an legitime fieri posset, dispecturum: & si posse constaret, omnia Henrici caussa facturum, eosque, qui eo nomine molestiā ipsi exhiberent, adversarios habiturum: interim ipsi ea de re cum certis Cardinalibus & Theologis agerent, qui de negocio pronunciaturi essent. Non poterat aliud responsum Legatis dari: magnusque error foret, imprudentiæ Pontificem accusare, quum singulari sapientia in hoc negocio sit usus. Cardinales & Theologi, rationibus atque argumentis Legatorum perspectis, examinatisque omnibus, quæ in utramque partem disputari poterant, uno consensu responderunt, *rationes à Legatis adductas non sufficere ad divortium concludendum, minimeque esse matrimonium inter Regem Henricum VIII. & Serenissimam Catharinam illegitimum: ideoque opus non esse, ut alii hujus rei judices dentur, multoque minus, ut permittatur negocium Anglis, qui in gratiam Principis sui justitiam pedibus sint conculcaturi.*

Legati vehementer hac sententia offensi, benignius responsum se à sua Sanctitate exspectasse, apud Pontificē questi sunt, affirmantes, aliis Theologis Romanæ curiæ aliud videri: & si matrimonium Henrici jure divino interdictum non fuisset, tamen Regem ostensurum, ipsius Iulii dispensationem minime fuisse canonicam aut legitimam. Pontifex, cupiens & Regi gratificari, & conscientiam suam illæsam custodire, *Faciam*, inquit, *Regis caussa, quidquid jure facere mihi licebit. Ceterum agitur jam de Sacramento Ecclesiæ, quod quum sit juris divini, mihil in eo nobis innovare licet: & agitur de matrimonio fidelium, auctoritate decessoris mei contracto, viginti annorum cohabitatione firmato, & denique prolis fructu corroborato.* Addit, *prævidere se magnum bellū*

inter

Inter Regem ipsorum & Imperatorem, qui tantam injuriam non sit in ultam passurus: sui autem officii esse ut qui sit communis Christianorum pater, providere, ne quid turbarũ in Christiano orbe exoriatur. Nihilominus tamen, ut illius benevolentia, qua Regem ipsorum complecteretur, fidem ipsi faceret, efficeretque ne temere decisum fuisse hoc negocium merito alicui videatur, iterum se Regis causam aliis Cardinalibus & Theologis cognoscendam commissurum.

IV. Novi hi judices, quamvis judicarent, Romæ hanc litem decidendam esse, tamen ob Regis, qui & libro edito fidem Catholicam defendisset, & armis summum Pontificem in libertatem asseruisset, in Ecclesiam merita, cupientes ipsi gratificari, statuerunt judices in Anglia dandos, qui litem dirimerent. Existimabant enim, ut ut caderet, non futuram rem adeo difficilem, quin remedium è vestigio adhiberi posset, Pontifice judicum actare scindente, & causam ad se revocante.

Hæc autem posterior sententia valuit apud Clementem, partim gratiæ Henrici nimirum ut quidam suspicantur, dantem, partim nihil suspicatum, quod falsa essent illa omnia, quæ de Catharinæ vel assensu, vel monastica vita passim spargerẽtur. Dati sunt ergo judices. Laurentius Campegius, & Thomas Volsæus. Regina, cui undequaque insidiæ struebantur (Nam velut umbra, sole nubibus obducto, evanescit: ita qui nihil aliud, quam felicitatis eorum, quibus suam operam addixerunt, splendorem sequuntur, adversitatum nebulis prioris prosperitatis lumen offuscantibus, nusquam comparent) de his, qui ad urbem mittebantur, Legatis certior facta nõ fuerat. Attamen simul ac tale quid suspectum habere cœpit, *petiit à Pontifice per literas, nisi & se destructam, & causa sua justitiam oppressam vellet, ne quam legationem in Angliam de hoc divortio cogniturum mitteret.* Simulque à Carolo V. Imperatore summis precibus contendit, ne se afflictam desereret, cui vita mille mortibus sit molestior, cuique omnes iste inimicitiæ ob ipsius Cæsaris odium sustinendæ sint. Carolus, qui Pontificem dimittendo universum Cardinalium Collegium sibi demeruisset, Legatum summa diligentia Romam mittit, perque eum apud Pontificem quæritur, *tam de nuncijs à Rege Angliæ in Vrbem insciâ Regina (de cujus tamen honore præcipue agebatur) clanculum missis, quam de judicibus in ipsa Anglia, ubi omnia ad nutum Regis agenda sint, datis non defuturum se materiæ suæ, sed, nisi justitia causa sua obtineat, Angliam armis invadere paratum esse: solam fornicationem harum turbarum originem esse, nec aliam ob causam Regem uxorem suam repudiare velle, quam ut perditissimæ feminæ, quam perdite depereat, fœdis amplexibus fruatur.*

Pontifex quum intellexisset, suggestionem Regis Angliæ Legatorum falsam fuisse, quatuor nuncios celerrimo cursu, diversis itineribus ad Campegium misit, per literas ei mandans, *primum ut in itinere quam tardissime progrediatur: deinde quum in Angliam venerit, omnem operam ad Regem cum Regina conciliandum interponat, in quo si non profecerit, Serenissimæ Reginæ Religionis ingressum persuadere conetur; denique ne ullam in causa divortii sententiam absque novo & expresso ipsius Pontificis mandato ferat.* Hoc (inquit) summum maximum sit tibi mandatum. Aliis vero literis Viterbii datis, plane significat, *si de sua tantum persona ageretur, se omnia pericula in Regis Henrici gratiam subiturum:* sed nunc illius voluntati absque injustitia & publico totius Ecclesiæ scandalo satisfieri non posse.

V. Campegius nonis Octobris Anno 1528. Londinum ingressus, statim à Volsæo ad Regis palatium deductus est: ubi Rex & duo Cardinales de suis rebus multum diuque colloquuti sunt. Diebus aliquot interpositis, *Campegius Reginam hortatur, ut pacis causa tempori cedat, seque tot ærumnis, quibus quotidie angatur, eximat: longe & honestiorem & jucundiorem illi futuram vitam monasticam ea quam nunc agat, moriens, quamvis sit viva, quotidie.* Respondet illa, se quidem ultro dudum huc propendere, sed quum videat id agi, ut vi ad Religionis ingressum compellatur, constitutum sibi esse, eo magis resistere, matrimoniumque suum, ad quod divinitus vocata sit, constantissime, quoad vivat, tueri; *nec se Iudices istos recipere, utpote sibi suspectos, & per mendacia à Pontifice extortos: Volsæum totius hujus mali primum auctorem fuisse, propterea quod spe Pontificiæ dignitatis obtinendæ excidisset, nec Carolum Imperatorem conatibus suis faventem esset expertus.* vehementer offendit Volsæum (ut veritas plerumque odium parit) hoc responsum Reginæ, causæque ejus adhuc iniquiorem fecit. Verum est, quod dicitur, *linguam in corde esse, non autem debere cor vicissim esse in lingua:* & sæpenumero evenit, ut iis, qui ad optatos consiliorum suorum successos pervenire cupiunt, aliud sit expromendum linguâ, aliud pectore clausum gerendum. Aristo dicebat, *plurimum nocere eos ventos, quorum flatu denudamur.* Regina, cui plurimum ea res incommodabat, tot incurren-

tium malorum impetu concussa quidem, sed nondum fracta, sola in Deum fiducia suffulciebatur, adversusque tot arietes honorem ejus quatientes perstabat: & quamvis inimici ejus multas de ipsa victorias reportarent, virtus tamen ipsius & regia animi magnitudo adversus omnes fortunæ injurias invicta permanebat. Campegius intellecta & Reginæ sententia, & Regis pertinacia, & Volsæi ad obsecundandum Principis sui voluntati pronitate, Pontificem de omnibus edocet, rogatque, *ut primo quoque tempore, quid ei faciendum censeat, præscribat.* Pontifex quum humanis consiliis parum promoveri animadverteret, sperans Deum aliquando manum admoturum, rem procrastinabat, si forte tempus (quod non raro ad mundanorum negociorum eventus multum momenti affert) remedium aliquot ostenderet. Itaque ad sex integros menses, hoc est, à nonis Octobris, usque ad quintum Calendas Junii An. 1529. à causæ cognitione cessatum est.

Interea Rex, cujus moribus jam nihil erat corruptius, quum videret indignari populum tum ob adventum Campegii, tum quod unius meretriculæ causa ingens malorum & bellorum pelagus sese per totum Regnum effusum iret, convocatis aulæ suæ primoribus, tanquam si nec conscientiam nec animam haberet, in publico conventu protestatur, *se non alicuius fœminæ amore captum, sed solo conscientiæ scrupulo adductum tantopere urgere, ut an legitimum sit suum cum Catharina, fratris olim sui uxore conjugium, dijudicetur.* Sed falsa esse quæ diceret, nemo ignorabat. Paullo ante Theologi responderant, dummodo Julii Pontificis, qui leges Ecclesiasticas relaxarat, infirmaretur dispensatio, nullo negocio matrimonium dissolvi posse. Stephano igitur Gardinero, & Francisco Briano, qui Romæ agebant, mandatum est à Rege, peterent à Pontifice, primum, ut Julii Papæ, dispensationem pronunciaret legibus divinis & humanis contrariam, ipsoque jure nullam; deinde ut potestatem faceret, Mariæ Valliæ Principissæ Henrici & Catharinæ filiæ cum Henrico Richmundiæ Duce, ejusdem Henrici Regis filio notho, successionis Regiæ stabiliendæ causa, matrimonio conjungendi. Tanti faciebat Pontificis dispensationem, ut ea accedente, fratris cum sorore conjugium procurare non vereretur. Hoc autem Regem petiisse, ex ipsius Pontificis ad Campegium literis cernitur. Addidit Henricus, suarum rerum satagens, literas ad Pontificem, sua manu scriptas consignatasque, quibus petebat, ut Pontifex ejus fœminæ in uxorem accipiendæ, cujus sororem carnaliter cognovisset, gratiam sibi auctoritate Apostolica faceret. Erat Annæ Bolenæ soror Maria: hanc Henricus corruperat, quemadmodum ipsa Maria, sorori suæ tantum honoris fastigium invidens, palam dictitabat. Hoc igitur Henricus volebat, ut post Mariæ, quin & matris Mariæ & ipsius Annæ, stupra, Annam Bolenam in uxorem ducere sibi per Pontificem liceret. Quod ita esse, Polus Cardinalis affirmat eo opere, *quod de unione Ecclesiastica* scriptum reliquit: additque, Henricum ita demum hoc ultimum impetrasse, si ante constitisset, Julium Pontificem non habuisse jus, priore illa in causa (hoc est in nuptiis cum fratris uxore) dispensandi. Legatis vero Regis Angliæ Pontifex respondit, se acturum cum Imperatore, ut authenticum illud Julii decretum, quod apud Cæsarem exstabat, aut in Urbem Romam, aut certe in Angliam transmitteretur. Instabant Legati, ut nisi intra duos menses proxime sequuturos decretum Julii exhiberetur, sua Sanctitas illud irritum ac nullum pronunciaret. De qua petitione quum Cardinales de Monte, & Quatuor Coronatorum, Episcopus Simoneta, & Theologi quidam ex mandato Pontificis cognovissent, visa est omnibus iniquissima, tam ob temporis præscripti brevitatem, quam ob insuetum edicti modum.

Pontifex, cui molesta res esset, per literas cum Legato suo Campegio expostulat, *quod eiusmodi mandata Romam perferri passus sit, quæ in Angliæ præcidi oportuisset.* In earum literarum extremo questus est, qui Papæ fuerat à Secretis, Joannes Baptista Sangæ, Legatos Regis magnum malum Sedi Apostolicæ minatos, nisi Rex voti sui compos fieret. Ex quo constat, Regem eo animo fuisse ut potius Ecclesiæ, quæ Dei sponsa est, libellum repudii mittere vellet, quam libidinibus suis valedicere. In tempestate murmur quoddam prius est fulgure, in tonitru flamma emicat ante fulminis ictum & ædificiorum ruinas crepitus quidam præ-nunciat. Ita hæ quoque calamitates ingentesque ruinæ non sine antecedente minarum fragore evenerunt. Legati Brianus & Gardinerus per literas Henrico significant, quibus adjunctis conditionibus Pontifex ea, quæ petierant, concesserit: nunciant præterea, inter Papam & Cæsarem recentem pacem factam esse, qua omnia, quæ Borbonii milites eripuerant, Ecclesiæ restituerentur. Metuens ergo

ergo Rex Angliæ, ne per hanc concordiam & Papa illi minus deberet, & Galliarum Rex filiis à Cæsare receptis, sua ope minus indigeret, atque ita undique desertus, effectum dare, quod animo agitabat, non nisi difficulter posset: litis in Anglia decisionem omni ratione accelerare constituit, quamvis Campegio in judicio assistere recusante, eo quod nec Julii decretum coram exhibitum esset, & ipse à Pontifice absque novis mandatis de caussa illa ulterius cognoscere prohibitus fuisset. Hunc tamen minis, blanditiis, muneribus, importunitate eo adegit, ut tandem una cum Volsæo, Londini, quinto Calendas Junias, anno 1529. in cœnaculo fratrum ordinis D. Dominici, tribunal conscenderit. Mandatis igitur Clementis Papæ (sed non ejusdem revocatione) ante omnia recitatis, nominatim evocant, primum Regem Henricum, cujus vice procuratores aderant; deinde Reginam, quæ ipsa in medium prodiit. (O miseram! quæ propterea repudiata est, quod vir ejus turpissimos amores suos non nisi morte uxoris suæ stabilire, nec nisi ejus honore profanato, libidinibus suis pro voto obsequi posset.) Ingressa igitur in locum tam inauspicatum, judices illos protestata suspectos esse, recipere aperte recusavit. Responsum est à Legatis, non profuturam Reginæ appellationem, nisi doceret, mandata ipsorum esse revocata. Et hoc quidem die nihil decisum est. Proximo, quo in judicio consessum est, Regina iterum affuit, actum quidem, proposita solenni exceptione, ad Papam, omissa ulteriore litigatione, se provocare testata est, rationesque, cur id faceret, has expressit. *Primum, quod locus judicii parum æquus videretur. Nam se in Hispaniis natam, ibi esse peregrinam: ideoque litem suam in Anglia, ubi Rex omnia possit, decidi non debere.* Deinde, *personas judicum non solum Regi devinctas, verum & subjectas esse, Volsæum ob Vintonienſem & Eboracenſem Episcopatus, Campegium, ob Sarisburienſem.* Rex animadvertens, caussæ suæ remoram injectam, nec sententiam repudii à judicibus ferri, quamvis hi appellationem Reginæ non reciperent, ipse in judicio seipsum sistens, summa cum confidentia juratus affirmavit, *non odio Reginæ, sed scrupulo conscientiæ se impulsum, ut, an matrimonium suum ratum esset, judicio decidendum permitteret. Nam si vel odio aliquo, vel alicuius feminæ amore huc adductus fuisset, ut quidem vulgo crederetur, non se à Pontifice judices petiturum, sed in ipsa Anglia soli Eboracenſi Cardinali de tanta litem hanc decidendam permissurum fuisse. Nunc quum Cardinalibus hisce ea potestas à Pontifice delegata sit, se illorum sententiæ penitus acquieturum.* Regina quæ actioni intererat, quum animum Regis nec commiseratione emolliri, nec ratione flecti videret, de loco suo surgens, Regem ad dextram sub conopæo considentem adivit, genibusque ejus advoluta ab illo supplex precata est, *ut quoniam ipsa peregrina esset, litem istam, de qua ejus honor dependederet, non pateretur in Anglia disceptari. ibi enim quod non justum æquumque esset, sed quod Rex vellet, actum iri. Se quidem coronam, quam tam diu gestasset, ad pedes Regis deponere, omnibusque quæ sunt in his terris sublimia, renunciare paratam: ipsi tamen renunciare, aut vinculum, quo tam sancte colligati essent, rumpere non posse. Aliud supplicium quæreret, quo summum tum erga ipsum amorem, tum obsequendi ipsi studium nunquam à se depositum, compensaret.* Quæ quum dixisset, oculos suos erga regem sustulit plenos lachrymis, quæ etiam durissima corda mitigare debuissent, sed Henrici animum flectere non potuerunt, in quem omnes Tiberiorum, Neronum, Domitianorum perditos mores confluxisse diceres. Assurgens tamen, & sublatam benignissimis oculis intuitus, protestatem se illi facere dixit apud communem Christianorum patrem litem persequendi: populo interim, qui vultum ipsius, animi indicem, spectans, facile quid mente clausum gereret divinabat, minime sibi à lachrymis temperante, quod Reginam eo angustiæ redactam videret.

VI. Regina accepto hoc responso, statim actis gratiis, ex loco judicii discedit. Sed vix egressæ nunciatur, ipsam à Rege & judicibus revocari. Minimè obscurum videbatur, quin Regem promissi pœniteret: id quod acerbissimi mœroris & summæ indignationis Reginæ caussa fuit. Quæ, *Parebo* (inquit) *marito meo, non item iis, quos iudices non agnosco.* Jamque in judicii locum reversura erat, quum id caussæ suæ magnum præjudicium allaturum esse, à procuratoribus suis admonetur. Itaque hac proposita Regis nuncio excusatione, *Hodie,* inquit, *primum domino meo Regi non parui, sed quum proximè eum videro, hanc culpam deprecabor.* Henricus vero, promissi immemor, Legatos ad sententiam ferendā omnibus modis urgebat. Disputatur ergo, respondetur, replicatur, hinc Regis, illinc Reginæ procuratoribus caussā suā propugnā. tibus. *Nulla est tam injusta caussa, cui nō inveniatur patronus, & cujus deformitati non aliquis color detur.*

Et sæpe evenit causidicorum industria, ut bona causa iniqua prævaleat. Erant Serenissimæ Reginæ advocati, primum Gulielmus Varamus Cantuariensis Archiepiscopus. Deinde quinque Reverendissimi Episcopi, Guthbertus Tonstallus tunc Londinensis, postea vero Dunelmensis, Nicolaus Vestus Eliensis, Joannes Clercus Bathoniensis, Joannes Fisherus Roffensis, Henricus Standicius Asaphensis, optimi viri & doctissimi. Quibus adjungebantur alii Theologi quatuor, Abelus, Fetherstonus, Povellus & Ridlæus. Adversus hos quum Regis advocati, literas Adriani Cardinalis, qui Pontificis quæstor in Anglia quondam fuerat, recitassent, in quibus dixerat, se ex Papa Julio audisse, quum diceret, sibi non videri quod in matrimonio Henrici & Catharinæ dispensationem posset interponere, ex altera parte procuratores Reginæ in medium protulerunt ipsius Julii literas ad Henricum septimum conscriptas, in quibus hæc verba erant: *De dispensatione matrimoniali nunquam negavimus, nec suspicionem præbuimus, quo minus eam facere vellemus, ut aliqui minus vere dixerunt; sed respondimus, nos exspectare in illa concedenda tempus magis accommodatum, ut consultius & maturius fieret, cum hujus sanctæ Sedis & utriusque partis honore.* Hæc Julius. Quibus lectis, Joannes Fisherus Roffensis Episcopus, vir dignitate, doctrina & sanctitate excellens, librum pro defensione matrimonii Regis & Catharinæ doctissime scriptum Legatis exhibuit, simulque gravissimam de eodem argumento orationem habuit, ad quam audiendam omnium aures attentæ erant. Quum dixisset, quatuor Legum Doctores librum etiam à se super eadem re compositum obtulerunt. Mox idem tres alii libri in medio istarum tenebrarum lucem adspexerunt, Joanne Clerco Bathoniensi Episcopo, Guthberto Tonstallo Londinensi, & Vesto Eliensi auctoribus. Ridlæus autem vir ab omni assentatione alieniissimus, palam questus est de Legatorum iniquitate, quod jusjurandum calumniæ solis Reginæ procuratoribus detulissent, nihil eos aut dicturos aut scripturos Ecclesiasticis Constitutionibus contrarium: quum interea iis, qui erant ex parte Regis, libera facultas esset, quæcunque vellet pro se dicendi. Hæc quidem Ridlæus: quamvis non usquequaque tutum videatur vel ipsis juramentis confidere, quibus plerumque homines decipiuntur perinde ut pueri astragalis.

Rex omnia sibi contraria animadvertens, eo magis urgebat, ut ad sententiam ferendam Legati festinarent. Cui Campegius, excusatione usus, Non esse in re tanti ponderis, in quam omnium Christianorum Principum conversi essent oculi, præpropero & præcipiti gradu progrediendum. Campegius enim, quemadmodum jussus erat à Pontifice, dilationes quascunque poterat, interponebat; quumque ad finem usque mensis Julii judicium extraxisset, licere sibi negabat proximis duobus Augusto & Septembri totis mensibus huic negocio vacare, eo quod moris esset Romanæ Curiæ, ut à fine mensis Julii usque ad quartum nonas Octobris nullum exerceretur judicium. Rex vero comperendinatus istos molestè ferens, ut timorem Legatis injiceret, tertio Calendas Augusti Brandonum Suffolciæ, & Thomam Havardum Norfolciæ Duces, ad eos misit, qui sententiæ ferendæ accelerationem urgerent. Volsæo Regis voluntati suum accommodante, Campegius constantior, si quid post biduum, quod adhuc superesset, decideretur, id nullius roboris omnino futurum, respondit. Suffolciæ Dux quum nec impetrasset, ut intra id tempus, quod adhuc restabat, res tota definiretur, per sacram deierans Missam, neminem unquam Cardinalium quidquam boni in Angliam apportasse contestatus est. Quam severe autem Deus horum Ducum impudentem superbiam ac adulationem, per eundem Regem, cujus causam tam studiose egerant, ultus sit, infra videbimus. *Sat cito punitur qui graviter punitur: moraque ipsa supplicium auget.* Nec manum Deus retrahit nisi ut ictum fortiorem infligat: atque plus dolet si Deus per eos puniat de quibus præclare meriti nobis videmur.

Duces ad Regem reversi, nil nisi oleum camino addiderunt. Ut enim scintilla, levi aura agitante mox ingentem flammam excitat: ita isti iracundia inflammati ita Regis animum furoris & insaniæ facibus incenderunt, parum ut abesset, quin magnum aliquod scandalum publice daret, & sursum deorsum omnia misceret. Pontifex interim Reginæ petitioni acquiescens, Campegio & Volsæo Legatis ad se revocatis interdixit, ne amplius huic negocio se immiscerent: causam vero totam Paulo Capizuchio, sacri Palatii Apostolici causarum Auditori & Decano, cognoscendam, ipsique Pontifici demum referendam & explicandam commisit: quem jussit tam Regi quam Reginæ diem certum præscribere quo causam

cauſſam apud ipſum per procuratores ſuos dicerent. Quæ Pontificis conſtitutio Brugis & Tornaci promulgata, & deinde in Angliam ad Sereniſſimam Reginam transmiſſa eſt, ut per ejus operam Legatis innoteſceret. Regina, quæ aliquantum ex iſtis ærumnis emergere tum videbatur, illuſtrem Senatorem, decus illud Angliæ, Thomam Morum, ad Regem legavit, ſciſcitatum ex ipſo, utrum hanc revocationem ſibi per Viatorem aut ejuſmodi publicum præconem nunciari vellet, nec ne. Rex dolorem, quem ex ea re capiebat, diſſimulans, Moro reſpondit, Nolle ſe ut ſuæ perſonæ fiat denunciatio, non recuſare tamen, quo minus Legatis de more obnuncietur: ut autem Romæ cauſſa decidatur, vehementer ſibi placere. Hæc quidem Rex dicebat, ſperabat tamen ſe apud Papam, ut aliter eveniret, brevi effecturum. Interea Campegius per literas Pontificis ad urbem omni cum feſtinatione revocatur. Cujus diſceſſu Rex offenſus, jamque omni ſpe rei ex animi ſententia conficiendæ excidens, odio Pontificis flagrare, atque ex eo tempore id, quod poſtea indigniſſime effectum dedit, animo concipere ac meditari cœpit. Jam regii furoris univerſum onus unus Volſæus ſuſtinebat, Rege omnem horum malorum culpam in ipſum conferente. Quod quum multi ex Principibus viris (qui Volſæo Cardinali omnia ex ſuo arbitratu adminiſtranti jamdiu invidebant) intellexiſſent, ita fortunæ ejus rotam impulerunt, ut tandem eam plane everterint. Collatis enim conſiliis, multa criminum capita in illum collegerunt, eaque ſuis chirographis obſignata Regi tradiderunt: atque ita jam tunc plagas contexuerunt, quibus deinde miſer ille implicitus fuit, cujus maximam ambitionem maxima dedecora, & fortunam nimis blandientem ſummæ miſeriæ exceperunt. Rex, cui ea res non ingrata erat, tantiſper tamen diſſimulavit, donec Campegius è Regno diſceſſit: cujus etiam diſcedentis ſarcinas excuti juſſit, explorandi gratia, ſi quid forte litterarum Volſæi deprehendere potuiſſet, nullas autem deprehendit. Poſt Campegii diſceſſum, Volſæus ad Regium comitatum reverſus, quum nec in conſilium amplius adhiberetur, & negligi ſe ab omnibus videret, tunc demum ſenſit infenſum ſibi eſſe Regem. Nec ita multo poſt, juſſu Regis à Duce Norfolciæ apprehenſus, cogitur ſe abdicare primum Cancellariæ magiſtratu, quem Rex Tomæ Moro contulit, ſperans fore ut hoc honore & beneficio ad ſuas partes pertrahi poſſet, deinde Vindonienſi Epiſcopatu, quem poſtea Stephanus Gardinerus, qui Regi erat à ſecretis, & Romæ divortii cauſſam paulo ante egerat, ex dono Regis accepit, tum autem magnificentiſſimo à ſe Londini exædificato palatio, quod Rex ipſe invaſit: denique pæne omnibus bonis exutus, primum relegatur in villam Atherienſem, mox in Eboracenſem Archiepiſcopatum dimittitur. *En quomodo fortuna in rebus humanis tumultuetur.* Et quid aliud eſt humana felicitas, niſi beſtia, quæ quum ipſa ſit fame enecta, rictui tamen alterius expoſita eſt, ejuſque tandem fit præda & cibus. Volſæus male habitus ab eo ipſo, à quo ad tantum faſtigium evectus antea fuerat, Aulam deſerit, parum ſatagens rerum ſuarum, ut nos ſpectatores faciat ſuæ calamitatis.

HENRICUS REX CUM ANNA BOLENA matrimonium contrahit: ab Romanæ Eccleſiæ communione ſecedit: crudeliter multa perpetrat: excommunicatur. Regina Catharina diem ſuum obit.

Caput Tertium.

ARGUMENTUM.

I. *Henricus rex Academias aliquot ſuarum facit partium Volſæum munere ſubmovet, non multo poſt defunctum.*

II. *Cranmerus impius Cantuarienſis Epiſcopus fit, ut Henrici flagitiis ſubſcribat.*

III. *Henricus Annam Bolenam, divortii lite adhuc pendente, uxorem ducit.*

IV. *Cur tam Pontifex quam Imperator juſtam de Henrico ultionem non ſumſerint, à Pontifice tamen non multo poſt excommunicato.*

V. *Prophetiſſa quædam matrimonium Henrici & Annæ ſceleſtum pronunciat, ſed occiſa cum aliis.*

VI. *Fiſcherus Cardinalis & Thomas Morus per ſummam injuſtitiam ſupplicio afficiuntur. Catharina regina diem ſuum obit.*

I. HEnricus, toties re infeliciter tentata, eo magis tamen animum obſtinabat cœptam non omittere, donec effectam dediſſet. Itaque (ut ipſa deſperatio ſpem aliquam adhuc fovet) cum Cranmerum Cantuarienſem Archiepiſcopum Romam, qui cauſſam ſuam ibi ageret, mittit, tum An-

glicos Theologos eodem secum crimine involuturus, ut matrimonium ipsius cum Catharina illegitimum esse editis in publicum scriptis affirment, sollicitat: ut si forte summus Pontifex sententiam contra Regem ferret, fucata quædam species ad malitiam eius velandam non deesset. Quin & Reginaldo Polo Anglo qui tunc Parisiis degebat, viro & genere & virtute illustri, & cujus doctrina omnibus admirationi fuit, commissa est cura eos, qui in ista Academia doctissimi essent, in partes regias pertrahendi Sed quum ille tam turpe mandatum excusatione usus à se removisset, delatum est negocium Legato Billugio Comiti Anglico, Romam misso unà cum Doctore Leo, & Stocislæo Londinensi Episcopo, quibus additi sunt tres Iurisconsulti, & Vrigonelus, Carmus & Benedictus. Hi cum Langæo Gallo egerunt, qui inescatus auro Anglico Theologastros quosdam parvi nomis, quibus charior erat pecunia regia, quam animarum suarum salus, in suas partes adduxit. Testis est hujus rei Ferdinandus Brasilienſis Episcopus, cujus hæc sunt in epistola quadam verba: *Nonnulli ex Theologis* (inquit) *adulterantes verbum Dei, & ambientes favorem hominum, corrupti muneribus & largitione Anglorum (quæ moneta est Anglis familiaris) inciderunt in laqueum Diaboli, & faverunt partibus Regis contra sui animi sententiam; neque vereor tam aperte hæc proferre, quando testis hujus rei sum oculatus.* Idem in Academia Colonienſi tentatum fuisse Petrus Leidensis commemorat: sed frustra, recusante illa famam precio vænalem facere. De aliis item Germaniæ Universitatibus idem affirmat Ioannes Cochlæus, in iis verbis, quæ ad Richardum Morisonum Anglum partes Regis defendentem scripsit. *Offerabatur*, inquit, *mihi his annis superioribus ampla remunerationis & auri spes, si contra matrimonium Regis cum Catharina, vel ipse scribere, vel Vniversitatū aliquot Germaniæ sententias, quales aliquot Galliæ & Italiæ Academiæ dedissent, procurare voluissem. Sed quum esset ea spes contra conscientiam meam, dixi sicut dixerat in prima sui tentatione Balaam.* Idem etiam auctor memoriæ prodidit, Huttonum quendam Regis Consiliarium Hamburgenses & Lubecenses sollicitasse ad diuortii probationem, eundemque paulo post fero mortis genere Bruxellis periisse Quidam etiã Crocus simili apud alias gentes largitione Regis nomine usus dicitur. Denique nullus non lapis motus est ad satisfaciendum stultissimæ Regis spei, qui tanta pecuniæ vi non modo aliorum infamiam & proprium dedecus, sed & eam, quæ sequuta est postea, pœnitẽtiam emit. Omnium in veritatis defensione constantissimi fuerunt Anglici Theologi, qui nunquam eo usque Regi suo gratificari voluerunt, ut matrimonium ipsius cum Catharina improbarent. Testis est Polus, ad ipsum Henricum in in hæc verba scribens: *Non erat dubium, quin hæc tua causſa in disputantium scholas illata fautores habitura esset, quum Regem omni sua auctoritate ac opibus propugnantem haberet. Invenit illa quidem aliquos, sed ex iis, quos fames magis, quam fama moveret, nec tamen vel istos tam promtos, quam vos speraveratis, ut quæ initio cum iis, quæ ipsius patrocinium susceperant, in ipso tuo Regno, ex omnibus scholis explosa sit, ipsis etiam defensoribus vario genere contumeliæ affectis. Nec certe ullo publico ullius Gymnasii Anglicani consensu, ubi consisteret, inveniſſet, nisi ea, quæ plusquam præces valere solent apud multorũ animos, minarum referta Regiæ literæ, aciem jam inclinatam sustinuissent. Quod si his copiis tibi domi pugnare necesse erat: nihil attinet me nunc dicere quibusnam foris uterere.* En quid Polus ad Regem suum scribat, & quẽadmodum ipsi ob oculos ponat propriã malitiam, qua corruptus unà secum omnes corrumpere conabatur. Cantabrigiensis Academia Regi favebat: Oxoniæ vero publicum sigillum, doctissimorum hominum, penes quos ibi erat auctoritas communi suffragio sæpius negatum homines pessimi octoclam convenientes, effractis sacri loci foribus, literis in quibus Regis divortium propugnabatur, affixerunt.

Dum hæc aguntur, redit Lutetia in Angliam Reginaldus Polus, summæ eruditionis opinione florens. Hunc Rex aggreditur, eique, si suam sententiam probet, optionem dat ut utram malit ex duabus Ecclesiis deligat, Eboracensi & Vintoniensi, ex quarum fructibus plus quam sexaginta millia aureorum, eo tempore colligebantur. Quibus promissis quum nihil moveretur clarissimus juvenis, nondum trigesimum ætatis annum agens: fratribus eius tamen vehementer contendentibus atque urgentibus, tandem coactus est de ratione aliqua apud se dispicere, qua Regi satisfaciens, eius iram averteret. Eam à necessitate suggestam exsequuturus, Regem adit: à quo perhumaniter acceptus, quum ea pararet dicere, quæ cogitarat, Deo, qui & corda & linguas hominum dirgit, voluntate, repente sic hæsit lingua, ut verbis exprimere quod animo conceperat, nulla ratione posset. Quumque loquendi

quendi facultas rediisset, nihil eorum effari potuit, quæ meditatus venerat, sed è contrario ea omnia proloquutus est quæ tacere constituerat, Regi impietatem suam & causſæ iniquitatem ante oculos ponens. Qua re tam inopinata Rex mirabiliter commotus, quum sæpius Polum inter loquendum occidere cogitaret (ut uterque postea narrare solebat) orationis eius simplicitate ac submissione prohibitus fuit. Porro quidquid in hac matrimoniali causſa afferri potuit argumentorum ac rationum; id omne comprehensum conspicitur in iis libris, quos Ioannes Roffensis, Ioannes Holimanns Bristolienſis, Episcopi, Abelus presbyter, & ij septem Iurisconsulti, quorum antea mentio facta est, partim Latino, partim Anglico sermone conscriptos super ea re reliquerunt. Apud Hispanos vero idem argumentum tractârunt Franciscus Royas, Alphonsus Vervesius, Alphonsus de Castro, & Sepulveda: Apud Lusitanos, Alvarus Gomesius: apud Germanos, Ioannes Cochlæus. Erasmus, ne Regis gratiam amitteret, in nullam partem quidquam affirmare ausus est, donec Regem ab Ecclesia desciviſſe cerneret. Apud Belgas scripserunt Ludovicus de Schora; apud Italos Cardinales Cajetanus, & Ludovicus Nugarola Comes Veronensis: apud Celtas pauci quidem, sed tamen judicium suum interposuerunt de ea causa, Eguinarius Baro, Franciscus Duarenus, & Connanus Regius libellorum magister. Deniq; ut gerebatur hoc negociū in totius orbis theatro, ita omnium judicia subibat, aliis huic, aliis illi parti faventibus. Major tamen fortiorque pars ad Reginæ causſam probandam perpetuo inclinabat: quin ausim dicere & veritatem ab eadem stetisse, si modo communi & universali hominum opinioni recte plurimum à Philosophis tribuitur, & vulgo receptum est sine errore, ut quod omnium consensu comprobatum esse ostenditur, id tanquam Dei ipsius testimonio confirmatum admittatur. Henricus omnia infeliciter sibi succedere videns, ut rei suæ melius consuleret, terrorem aliquem Pontifici Romano injiciendum putavit. Itaque Anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo palam edixit, ne quis suorum subditorum in Romana Curia citra Regis voluntatem quidquam deinceps peteret aut procuraret. Dum tanto malorum pondere premitur Rex infeliciſſimus, Volsæus interim, qui eorum auctor fuerat, in Eboracensi arce inter gaudia & epulas splendide agit quin & mitram suam, quam Rex illi abstulerat, repetere audet. Id Rex Volsæi superbiæ imputans, nec ferendum judicans, jubet hominem, in ipso die inaugurationi destinato, præsente nobilium ingenti multitudine, ab Henrico Northumbriæ apprehendi, & Londinum captiuum duci. Atis in itinere ad Lancastriæ oppidum IV. Calendas Decembris è vita migravit. En scelerum eventum! en sortem hominum! quorum in vita si qua fuit ad tempus malacia & tranquillitas, mox ecce tibi rursus tempestates ac procellas, & post mundanæ felicitatis diem, atram noctem adversitatum. Et est viciſſitudo quædam adversæ fortunæ, quæ non simul & semel omnem suum impetum in Volsæum effudit, sed primum eum concussit, tum quum ex aula ejiceretur, deinde prorsus prostravit, quum è vivis sublatus est. *Parum fida res est, fortuna blandiens: nam in ipso illo fastigio, ad quod nos evexit, calamitatum nostrarum semina exsurgunt, ipsa felicitate, si sit nimia, ex se gignente & sibi accersente ruinæ suæ causſas.*

II. Illis ipsis diebus Gulielmus Varamus Archiepiscopus Cantuarienſis qui summo studio Reginæ partes defenderat, ex hac vita ad alteram illam evocatus fuit. Rex quum decreviſſet tanti honoris locum & tam opimum beneficium nemini præterquam tali viro dare, qui suæ libidini in omnibus obsequeretur, à Thoma Boleno rogatur, ut id conferat Presbytero cuidam, qui ipsi fuerat à sacello, quem dicebat divortium vehementer approbare atque exoptare, & in omnibus Regis voluntati suam accommodaturum. In quam sententiam quum & Anna Bolena Regi supplicasset, hujus maxime precibus motus dictum presbyterum, Cranmerum nomine, designat Archiepiscopum, sub hac fœdiſſima conditione (verum nihil est tam turpe, quod non ambitioni, nihil nisi proprium commodum spectanti, pulcrum gloriosumque videatur) ut etiamsi Romanus Pontifex secundum Regis & Catharinæ matrimonium sententiam ferret, ipse tamen ex adverso necessariò Catharinam esse repudiandam in Anglia pronunciaret. Quum autem Rex communioni Sedis Apostolicæ nondum plane renunciasset, necesse erat, ut Cranmerus à Romana Curia suæ dignitatis confirmationem peteret, Dolenda res & pudenda, ad Episcopalem dignitatem per favorem vel importunitatem evehi extremæ ignorantiæ homines. Itaque quum ille Regis quâ Ecclesiæ majore teneretur studio, & Regis eam esse mentem perspiceret, potius ut Ecclesiæ

vale-di-

valedicturus, quam Anna Bolena carituras esset; ubi ventum est ad jusjurandum sanctæ Sedi Apostolicæ præstandum, Tabellionem accersit, & coram eo contestatur, *se invitum obedientiam Pontifici Romano promittere, nec quidquam minus in animo sibi esse, quam ut in Regis detrimentum illi fidem servet.* Hoc facto, omnibus cæremoniis ab iis qui Archiepiscopalem honorem primum capessunt, observari solitis defungitur. Erat homo sceleribus oppletus, ingenio lubrico & vafro, magna moliens & audax, denique inquinatus hæresi: quam etiam ob caussam Maria deinde regnante, flammis traditum vidimus. è Germania adductam feminam, quum Episcopus esset, secum habuit, eandemque deinde mortuo Henrico palam in uxorem sub Eduardo Rege duxit. Henricus rex iis quæ hactenus in caussa sua gesta fuerunt, offensus atque irritatus, quotidie multo pejora moliri cœpit. Et quemadmodum in flumine, re etiam minima fundo affixa, quidquid defluentis aquæ lapsus in eam impingit, sistitur, atque rei illi sese applicat, ita ut ea initio parva & infirma, paulatim magna & robusta euadat; ita in torrente isto malorum qui Angliam inundabat, res nihili, Amor videlicet mulierculæ, universo Regno ruinam adduxit: & ut dicam apertius, Regi adversus Pontificem aliquid molienti res nihili fundamentum fuit schismatis, quod deinde omnes infelicissimi Regni Ecclesiasticas leges pessum dedit. Est Lex in Anglia, quam De Præmunire appellant. Rex, ut aliqua juris specie in Clerum grassari posset, re cum quibusdam Consiliariis, quos voluntati suæ assensuros sciebat, prævaricatæ hujus Legis litem Clero intendit *quod Pontificis & Legatorum ejus externam potestatem agnovisset*, eoque omnia ejus bona in commissum cecidissent, fiscoque Regis inferenda essent. Clerus ab Archiepiscopis suis & Metropolitanis, Cranmero, & Leio Eboracensi præsule, qui actores hujus erant Tragœdiæ, desertus, facile hujus accusationis onere oppressus fuit. Et hoc initium fuit eorum, quæ mox subsequuta sunt, malorum. Itaque Clerici, ut pro necessitate præsentis temporis, Regis voluntati concedendo sese ex istis calamitatibus eriperent, una voce Regi supplicarunt, ut aureorum quadringenta millia, quæ ad criminis commissi expiationē suæ Majestati offerebāt, benigne accipere, reliquamq; eis pœnā remittere, & condonare dignaretur: idq; pro summa illa potestate, quā in Regno suo eum, tam in Clerum quam in reliquum populum habere fatebantur. Ex qua dicendi formula prima occasio deinde sumpta est (frivola sanè & levis) ut Rex superbum illum & glorioſum titulum assumeret, *supremumque Ecclesiæ Anglicanæ Caput* diceretur.

Quæ quum viri nonnulli graves viderent, & tanquam periti naucleri impendentem tempestatem jam animo prospicerent; subtrahere se injuriis temporis, & in tutum recipere nitebantur. In primis Thomas Morus, vir doctrina, dignitate & virtute præcellens, rogavit, ut cum bona Regis venia abdicare se magistratu liceret, reddito Regi Cancellariatus sigillo. Huic Rex suffecit hominem valde tenuis fortunæ, Thomam Audlæum, simulque facultates ejus, pinguis in Londinensi civitate Abbatiæ accessione locupletavit. Quum autem hæc & alia ad aures Pontificis Clementis perlata essent, simulque didicisset, quam impotenter in Annam Bolenam affectus esset Henricus, quodque ejus caussa matrimonii sui dissolutionem tantopere expeteret: Pontifex, qui jam antea non semel literis precibusque suis Henricum frustra tentaverat, nunc aliis literis, in forma Brevis conceptis, Regi præcipere pro sua auctoritate sub anathematis pœna statuit, ne ad novas nuptias progredi indecisa lite, tentaret. At Henricus, cui molestum erat quidquid consiliis & libidini ipsius obstabat (Amor enim, quo magis cohibetur, eò magis exardescit, Euripide teste) omnem istam Pontificis actionem susque deque habuit, & Annam recusantem, nisi nuptiis intervenientibus, corporis sui copiam Regi facere, vehementius etiam deperire cœpit. Hanc Pembruchi Marchionissam primum abs se constitutam, ad decimum Calendas Decembris, Anno 1531. in uxorem clam ducere constituit, eo quod de divortio Catharinæ nondum esset neque Romæ neque in ipso Angliæ Regno pronunciata sententia.

III. Rolandus ergo quidam tunc Presbyter (quē postea Rex propter hoc obsequium in Episcopum Lichfeldiensem cooptavit) accersitur. Ei Rex narrat, *sententiam Romæ jam tandem secundum se pronunciatam esse, factumque sibi esse potestatem novam uxorem ducendi: ad eam rem perficiendam ipsius potissimum, quem honoratum cuperet, operam uti velle.* Rolandus Reges, qui potestatem jubendi & cogendi habent, non mentiri arbitratus, actis gratiis, ad rem divinam faciendam sese præparat. *Mox, credo* (inquit) *Majestatem tuam habere diploma*

Ponti-

Pontificis: id ut exhibeatur & palam legatur promulgeturque, sacri canones postulant, ut ne ignorantiæ causſam quiſquam obtendat. Tum Rex habere quidem ſe literas affirmat, ſed recluſas eſſe in ſecretiore loco; parum autem decere, ut eo tempore allatum illas prodiret. Acquieſcit Rolandus imprudens, completisque ceremoniis, Henrico ſecundam vxorem tradit, prima nondum per ullam omnino auctoritatem in ullo judicio interpoſitam repudiata: immo illam tradit, ſine ulla diſpenſatione cujus ſorori jam antea Henricus ſtuprum attulerat: qui quidem eam diſpenſationem per literas à Pontifice, ut ſupra vidimus, petierat. Atque ita idem Henricus & matre, & ſorore, & ea ipſa abuſus eſt, quam poterat ſuſpicio eſſe ab ipſo genitam fuiſſe. Quis unquam fuit tot incæſtibus pollutus? & quos incæſtus tantum malorum conſequutum fuit, quantum hos ipſos? Accepto de novis iſtis nuptiis nuncio, ſereniſſima Catharina, relicto Regis palatio, in villam quandam, cui nomen erat Cimbalton, in provincia Bedfordienſi, parva familia comitata ſeceſſit, ibique orationibus, jejuniis aliiſque ſanctis exercitiis vacavit. Nemo erat ex ijs, quibus Religio & fides Catholica cordi fuit, qui non abeuntem lachrymis proſequeretur: ita omnes miſeriarum ipſius ſenſu, & abſentis deſiderio tangebantur, & pro negociorum ipſius, tum nimis deploratorum, felici ſucceſſu vota nuncupabant: Aula interim in hilaritatem atque lætitiam ſoluta erat, videbaturque omnis dolor & triſtitia unà cum Regina abſceſſiſſe. Omnes ſolem iſtum recens exortum adorant omnes novæ Reginæ obſequia ſua deferunt, & placere ei omni opere ſtudent. Inter hos non poſtremi hæretici, *Pontifici Romano detrahentes, & tot annorum moram, quam in negocio divortii interpoſuiſſet, incuſantes, eius damnant & deteſtantur dominationem.* Hi apud Annam & Henricum valebant gratia, qui novæ uxoris ſtudio, acceſſum illis ad aulam liberiorem indulgebat. Inter ceteros, quos Anna his initiis Regi commendavit, fuit Thomas Cromuelus, qui Cardinalis Volſæi fortunam ſmmitatus, ad tantam auctoritatem pervenit, ut omnia Regni negocia ipſius conſilio & opera gererentur. Henricus eum Cranmero Archiepiſcopo, & Audlæo Cancellario ſociare ſtatuit: *quorum quaſi trimviratu nihil peius aut ſeditioſius fuit*, aut Eccleſiæ infeſtius. Primo igitur illum ſcriniis regiis præfecit; deinde ſibi à ſecretis conſtituit; poſtea Equitem auratum & Baronem; deinceps Eſſexiæ Comitem creavit, magnum etiam Regni Camerarium, & ſigilli ſecreti cuſtodem. Hanc opportunitatem nacti hæretici, ſub Annæ favore omnes plagas tendunt Catholicis, Clero inprimis adverſus quem libellum famoſum in vulgus edunt, cujus erat inſcriptio, *Libellus ſupplex mendicorum.* In quo exaggerant ex una parte pauperum extremam indigentiam, ex altera vero opulentiam & ditiſſimos proventus hominum Eccleſiaſticorum: *Clerum Anglicanum ſuo numero bis milleſimam partem aliarum perſonarum non æquare, mediam autem partem divitiarum omnium poſſidere: Rogant itaque ut Rex centeſimam tantum partem quæ habeant, Clericis permittat, reliquas in fiſcum ſuum redigat, in pauperes diſtribuendas.* Huic libello, quum eſſet in manibus omnium aulicorum, Thomas Morus alium audacter opponit, eumque inſcribit, *Libellum ſupplicem animarum in Purgatorio.* In hoc demonſtrat, *Cleri opes vere eſſe theſaurum pauperum, qui maxime omnium ex iis ſuſtententur.* Annæ tamen & Cromuëli & Cancellarii infeſtos Clero animos ea res non mutavit, qui Regi Ordinibuſque auctores fuerunt, exigendi ab Eccleſiaſticis, ut idem juramentum obedientiæ, quod Pontifici ſolerent, præſtarent Regi. Placuit Henrico vehementer conſilium, ſed quia res nova atque inaudita erat, vir aliquis magne apud Clerum auctoritatis, qui eam primo proponeret, deligendus videbatur. Propoſitus eſt Ioannes Fiſherus Roffenſis Epiſcopus, quem Anna Bolena capitali odio proſequebatur, & veneno tollere conata fuerat. Is accerſitus à Rege primum excuſatione & dilatione uſus eſt poſt, quum veniendum tamen eſſet, cognita Regis voluntate, omni ratione eximere ſe iſta provincia tentat. Rex contra juratus affirmat, *ſe experiundi tantum cauſſa hoc poſtulare, ut quis eſſet Cleri in ipſum affectus & fides, cerneret, nec velle illud juramentum ab Eccleſiaſticis præſtari, niſi hac expreſſa cautione, Quantum ipſis per Dei verbum permiſſum eſſet ac licitum.* Hic lapſus eſt Fiſherus, & Clerum unà ſecum in errorem induxit. Nam quum plerique jam Cantuarienſi & Eboracenſi Archiepiſcopis adhæſiſſent, ipſe reliquos, qui adhuc renitebantur, in ſuam ſententiam pertraxit. Hac igitur arte circumventus Clerus, cum exceptione prædicta obedientiam Regi in cauſſis Eccleſiaſticis ac moralibus jurat. Quum hac ratione Eccleſiaſtici volentes Eccleſiæ communioni valedixiſſent, jam nihil reſtabat, niſi ut ferreretur ſententia divortii. Cranmerus igitur Cantuarienſis Antiſtes ex Henrici arbitrio cer-

tos Episcopos, Procuratores, Advocatos, Tabelliones unà secum ducēs, ad pagnum Dunstallensem se contulit, qui proximè abest à Regia villa Amptilensi, in qua eo tempore degebat Sereniſſima Catharina; quam sæpius in jus vocatam, ubi per quindecim dies frustra exspectasset, sententiam contra ipsam nondum auditam (Rege eam rem sibi ingratam esse simulante) pronunciat, dicitque *necessitatem jure divino impositam Regi esse, ut Catharinam repudiet, & libertatem concessam, ut alteram ducat.* Sic judicato divortio per eos, penes quos eius rei potestas non erat, nuptiarum jam diu ante contractarum solennis pompa pridie idus Aprilis celebrata est Anno 1532. & Anna postridie Calendas Iunii Regio diademate coronata.

IV. Quum matrimonii huius fama, fines Angliæ egressa, ad Christianorum Principum aures perveniſſet, dici non potest quantum admirationis, doloris, & indignationis in omnium animis ea impietas excitaverit. Inprimis vero Carolus V. Cæsar, Catharinæ ex sorore nepos, adeo indigne rem tulit, ut injuriam generi suo factam graviter ulciſci statuerit. Erat eo tempore in Italia Carolus: itaque Pontificem obnixe rogavit, ut in hoc negocio se adjuvaret, armatumque Ecclesiasticis censuris bello Angliam petere pateretur, præsertim quum sit etiam ipse Pontifex graviſſime ab Henrico læsus. Clemens, quanquam & Caroli precibus, & tot querelis Anglicani Cleri vehementer ad auctoritatem suam interponendam moveretur, tamen quum Regis animum ab Annæ complexu nunc saltem post expletam libidinem sperare posse revocari, distulit rigidiora remedia, idque pro ea qua erat semper in Henricum indulgentia, quem non ut rebellem, neque ut læsæ Majestatis divinæ reum, neque ut fidei desertorem, sed ut dilectum filium tractabat, & salutem & existimationem eius omnibus modis promovens. Itaque inter suum, quod meditatus fuerat tr. Galliam perficit, conventus Massiliæ Franciscum primum Regem Christianiſſimum. Fuit hoc Anno 1533. Eo conventu transactum est de nuptiis inter Laurentii Medicis junioris filiam, neptem Clementis ex fratre, & Aurilianensem Ducem secundū Francisci filium. Massiliæ igitur Pontifice commorante, advenientes ex Anglia Legati, omnem deemendatione Hērici spem penitus sustulerunt: quorum eo usque progressa est quodam die impudentia, ut Apostolicæ Sedis potestatē per summam arrogantiam imminuentes, inque præsentem Pontificem contumelioſe dicentes, ab ipsius auctoritate ad concilium futurum provocare non erubescerent. Quæ res & Pontificem & Regē ita exacerbavit, ut prioris suæ erga Henricum lenitatis atque indulgentiæ pœnitentia ducti, deinceps pro hostibus eius sese gerere statuerint. Et Franciscus quidem apud Legatos Henrici professus est, se fœderi, quod ipsi cum Henrico intercederet, renunciare: simulque auxilia, quæ ab ipso petebant, Legatis negavit, respondens: *Aliis in rebus omnibus se fratris animum Henrico præstiturum, sed in iis quæ contra Religionem fierent, nec velle cuiquam associari.* Pontifex vero in Italiam reversus, caussa in sacro Cardinalium collegio cognita & examinata, sententiam tulit non longe ante mortem. Anno Dominī 1533. Pontificatus sui XI. in hæc ipsa verba quæ sequuntur.

Quum, pendente lite coram nobis, dilecto filio Capizzuccho cappellano nostro, ac sacri Palatij Apostolici caussarū auditori & Decano, à nobis in Consistorio Reverendiſſimorū commiſſa, inter chariſſimos in Christo filios nostros Catharinam & Henricum octavum Angliæ Reges, de & super validitate matrimonii inter eos contracti, præfatus Henricus dictam Catharinam rejecerit, & de facto eīt quadam Anna matrimonium contraxerit, contra mandata & decreta tam admonitionis quam inhibitionis in literis in forma Brevis, etiam de consilio fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium emanatis, contenta, temere & de facto attentando: Idcirco nos de illius potestatis quam Christus Rex regum nobis, licet immeritis in persona B. Petri concessit, plenitudine, in throno justitiæ pro tribunali sedentes, & solū Deū præ oculis habentes, per hanc nostram sententiam, quam ex nostro mero officio, ac de venerabilium fratrū nostrorum S. R. E. Cardinalium consistorialiter coram nobis congregatorū consilio, ferimus, ejectionem & spoliationem dictæ Catharinæ Reginæ à quasi possessione juris conjugalis, & Reginalis dignitatis, in qua tempore huiusmodi motæ litis erat matrimonium inter prædictū Henricum Regem & Annam prædictam contractū, quum prædicta omnia notoria & manifesta sint, prout ita esse declaramus, Nulla, Injusta, & Attemptata fuisse & esse, ac nullitatis, injustitiæ attemptatorumque vitio subjacuisse, & subjacere, prolemq; susceptam seu suscipiendam illegitimam fuisse & esse præfatamque Catharinam Reginam, ad suum pristinum statum & quasi possessionem juris conjugalis & Reginalis dignitatis restitui & reponi debere, dictumque Regem dictam Annam à cohabitatione sua & quasi possessione juris Conjugalis & Reginalis ejicere & amovere debere, in his scriptis pronunciamus, decernimus & declaramus restituimus & reponimus, ejicimus & amovemus. Eademque

demqua nostra sententia, & ex consilio & mero officio nostro prædicto, præfatum Henricum Regem majoris Excommunicationis & alias censuras & pœnas in dictis literis contentas, ob earum non paritionem & contemptũ damnabiliter incurrisse & incidisse, ac ab omnibus Christi fidelibus evitandum fuisse & esse, declaramus, mandamus. Et nihilominus volentes cũ eodem Henrico Rege nomine pii patris benigne & clementer agere, censurarũ prædictarũ declarationem, usque, & per totũ mensem Septembris proxime futurum, ad hoc, ut sententiæ & mandatis nostris prædictis commodius parere possit, suspendimus. Et si infra dictum tempus parere distulerit, ac dictam Catharinam in pristinum statum, quo tempore litis mota erat, non restituerit, præfatamque Annam à sua cohabitatione & quasi possessione juris Conjugalis & Reginalis non abjecerit, & dicta attemptata cum effectu non purgaverit, extunc præsenti declarationi locum esse volumus & decernimus. Ita pronunciamus.

Henricus hac accepta sententia, tantum abfuit ut eidem pareret, aut pœnitentiam cogitaret, ut perditorum potius hominum more, qui correctionem nullam admittunt, pervicacius multo progrederetur, & nihil aliud, quam vindictam, animo versaret: cujus primi impetus in Catharinam incurrerunt, feminam cujus inæstimabilis virtus, & regia animi magnitudo inter ea, quæ sunt in hoc mundo grandia, miraculo esse poterat. Itaque cæci affectus impetum per horribilia præcipitia sequens, & tanquam furore actus, palam edixit, ne quis in posterum Catharinam Reginæ nomine dignaretur; sed ut tantum Arturi principis defuncti vidua ab omnibus vocaretur. Deinde admonitus ab Anna, quod uterum ferret (unde postea fœtus prodiit Angliæ infaustissimus) Mariam ex Catharina filiam Walliæ principem, tanquam spuriam & ex incestuosis nuptiis procreatam, dignitate & regia successione dejecit. Simul etiam custodes & exploratores in ipsa Catharinæ domo constituit, nihil ut ibi gereretur, quod non resciscceret, Quia diffidentia factum est, ut crudeliter multa statueret in eos, qui bene cupiebant matroniæ omni calamitatum genere afflictissimæ. Tunc & Ioannem Forestum, divi Franciſci de observantia religiosum, qui Catharinæ à confessionibus fuerat, in carcerem conjecit, & paucis post diebus Thomam Abelum, Edoverdum Povellum & Richardum Fetherstonum qui Reginæ causſam coram Legatis defenderant, recludi in custodias jussit. Vix effluxerunt menses quinque ex quo Henricus Annam publice duxerat, quum illa septimo idus Septembris in ipso profesto natalis beatissimæ Mariæ virginis, Anno MDIII. filiam enixa est: quam certe non in legitimo matrimonio, sed ante nuptias ab Hẽrico, aut certe alio aliquo procreatã fuisse necesse est. Hẽricus quidẽ hujus feminæ quasi incantationibus fascinatus, suam esse persuaderi sibi passus est: & baptizandam curavit summo splendore ac celebritate, apud Grenuicum in Ecclesia fratrum Franciſci de Observantia. Nomen ei impositum est Elizabethæ. Vix edita erat in lucem, quum jam velut in ipsis cunis nil nisi cædem & sanguinem spirans, mortis causſa plurimis exstitit.

V. Erat illis temporibus virgo quædam insignis sanctitatis, Deo consecrata, in monialium collegio austeram vitam agens, quæ vulgo *Virgo sancta Cantiana* appellabatur. Hæc vaticinans prædicensque ea quæ postea evenerunt, clare & palam asserebat, Henricum non amplius jam esse Regem, eo quod ex Deo non regnaret: Elizabetham vero Annæ filiam non prius regnaturam, quam Catharinæ filia Maria ad regni, quod jure hæreditario ipsi deberetur, sedisset gubernacula. Ob quæ verba in jus vocata, & in publicis Regni comitiis unà cum duobus D. Benedicti Monachis, Eduardo Bochingo & Ioanne Deringo, duobus etiam sacerdotibus secularibus, Richardo Massero & Henrico Goldo (qui omnes eam spiritu Dei afflatam credebant) capitis condemnata fuit. Quam feminam quum Roffensis Episcopus & Thomas Morus jussu Regis diligenter examinassent, retulerunt Regi, se nullo indicio deprehendere potuisse, eam fanatico spiritu (quod tunc spargebatur) agitatam fuisse. Quo nomine Roffensis accusatus fuit, quasi cum illa sentiret, & Ioannes Adesonus, qui ei fuit à sacello, unà cum tabellione Cantuariensi; duo etiam nobiles laici, Thomas Goldus & Edovardus Ehuatus, in vincula eam ipsam ob causſam conjecti fuerunt. Quum autem varia essent hominum de Henrici actionibus judicia, Rex id ægre ferens, occurrendumque ratus, Londini optimates omnes jussit coram Consiliariis suis jurato profiteri: secundas eius nuptias legitimas esse, prolemque inde natam, Elisabetham nomine, verum esse Regni heredem. Quam jurisjurandi formulam qui suscipere nolebant, conscientia prohibiti, in custodiam dati sunt: & in his Episcopus Roffensis & Thomas Morus. Fratres autem minores,

qui de observantia vulgo dicuntur quum hac iniquitate permoti, liberius loquerentur tam in publicis disputationibus, quam concionibus sacris, & in Annæ matrimonium gravissime invehe-rentur, ex Monasteriis suis pulsi, & plerique in carceres conjecti sunt. Rex quasi sitiens subditorum suorum sanguinem, quum recens illud à se invasum in Anglicanam Ecclesiam spirituale imperium fulcire, & ne post obitum suum in controversiam veniret successio, nuptiis suis auctoritatem aliquam atque robur conciliare studeret, Comitia publica Regni indixit, ad tertium nonas Novembris futura. In his primas obtinebant Cranmerus & ij Episcopi, qui toti erant ipsius voluntati addicti: Roffensis in carcere tenebatur: Tonstallus vero Dunelmensis Episcopus Regis literis admonitus erat, ut Comitiis non interesset. Inter Principes auctoritate antecellebant, Carolus Brandonus Suffolciæ Dux, qui sororem Henrici matrimonio habebat, cujus tota postea familia miserrime perìit: & Thomas Havardus Norfolciæ Dux, qui Regis voluntati aperte contradicere non fuit ausus, cuius iniqui obsequii mercedem postea retulit, perpetuis carceribus ab ipso Henrico damnatus, filio eius etiam securi percusso. Tanti nimirum est Regibus illorum vita, qui animas suas pro ipsis exponunt: & sæpe Deus peccatorum punit per illum ipsum, in cujus gratiam peccatum commissum est. Sed quid actum fuit istis Comitiis? Non aliud certè, quam *ut Ecclesiastica disciplina everteretur, hæresis in locum eius succederet, & ab obedientia sanctæ sedis D. Petri homines eximerentur. Decretum est enim, ut Maria, quam antea Vallia principem populus professus fuerat, omni dignitate privaretur: honores autem omnes & successionis jura in Elisabetham, tunc adhuc in cunis vagientem, transferrentur. Deinde ut omnis potestas ac jurisdictio in Anglos Pontifici Romano adimeretur: Anglicanæ vero Ecclesiæ summum in terris caput, ut solus Rex haberetur, cujus solius esset errores, hæreses, abusus omnes auctoritate sua emendare. Atque illi propterea omnium sacerdotum integri proventus primi cuiusque anni, quo quis beneficium aliquod sortitus esset, solverentur: illi omnium Ecclesiasticarum dignitatum decimæ redderentur.*

O vos miseros defunctos, qui proprios amicos & cognatos exspectata hereditate defraudantes, tam amplos redditus Ecclesiarum præsulibus, Religionis causa constituistis! ut à pia vestra intentione excidistis! Nonne satius fuisset pecunias vestras in mare abijcere quam in hunc usum, qui nullam vobis utilitatem affert, frustra eas impendere? Quinimò ipsum Papæ vocabulum persequutus, *edici curavit, ut de cetero nullus Pontificum Romanorum vocaretur Papa*: quam legem tanta sævitia: exsequutioni mandavit, ut capiti damnaretur, si cujus in libro vel solum nomen Papæ non deletum exstaret. *In antiquorum Patrum operibus, ubi de S. Petri & successorum eius primatu præclarè multa disseruntur, singuli in fronte scribere cogebantur (& fiebat diligentissima inquisitio, si quis id facere neglexisset) si quid in eis operibus inesset, quod Pontificis Romani primatum tueretur aut confirmaret, se illud jam nunc reijcere, nec ullis patribus aut doctoribus in ea re assentiri velle.* In precibus seu Litaniis quæ pro Principibus Christianis, & pro Papa à Christi fidelibus publice fiunt, Henricus hæc verba apponi præcepit: *Ab Episcopi Romani tyrannide & detestandis enormitatibus, libera nos Domine.* Nec contentus his quæ domi pro libidine constituerat ac fecerat; tentare etiam foris voluit, an exterum aliquem principem ad furoris sui participationem, hoc est, ad fœdus secum adversus Carolum Imperatorem ineundum, & ad obedientiam Romani Pontificis abijciendam pertrahere posset Legatos igitur mittit ad Franciscum Galliarum Regem: à quo præter exspectationem suam malè accepti, ad certos Germaniæ Principes, qui jam dudum hæresi Lutheranæ se addixerant, profecti sunt. Illi quamvis lætarentur Henrici ab Ecclesia Catholica defectione; causam tamen eiusdem detestantes, ne ipsi quidem Legatis satisfecerunt: quibus re infecta in Angliam redeundum fuit. Ea res ita Henrici animum offendit, ut propterea Lutheri schisma amplecti, & nascentem eius religionem approbare nollet. Calvinum etiam Henrici primatum Ecclesiasticum improbasse, Commentarii ipsius in Amos Prophetam testantur.

Sed quum totus orbis abhorreret ab iis, quæ faciebat Henricus, mitram tiaramque coronæ suæ adjungere moliens: soli Angli errorem hunc tum voce tum scriptis propugnabant, inter quos erant Sampsonius, Foxus, Morisonus Gardinerus Vintonienſis, & Tonstallus Dunelmensis Episcopi. Sed & impugnabant eundem nonnulli, inprimis Polus: ad quem Rex Comitiorum acta per Cursorem suum Patavium usque transmiserat, literis humanissimè scriptis petens, ut quum Regi tam esset conjunctus sanguine, in eius gratiam Ordinum decretis subscribe-

scriberet, & ipse ad comprobandam novam Primatus auctoritatem opus aliquod edendo, suum erga Regem affectum testatum faceret. Hæsit aliquamdiu Polus dubius quid ageret: tandem statuit non modo non tueri primatum illum, sed & pro virili eversum destructumque ire. Laudabile profecto consilium, & dignum principe tam generosæ indolis & tam excellentis doctrinæ: quæ dotes ut raræ sunt in principibus viris; ita magnitudinem eorum insigniter illustrant. Nam quorum destituta scientia est magnitudo, magni sunt tantum inter parvos, ut qui stemmatis nobilitate à multis æquentur: at qui cum magnitudine sua doctrinam conjunxerunt, etiam inter magnos magni cluent. Ubi igitur excitavit se Polus, quatuor mensium studio, quatuor illos elegantissimos de Unione Ecclesiastica libros absolvit, quos Regi inscripsit. Quibus quum impium Regis primatum, quem is in Ecclesiam & in ipsum jus divinum sibi arrogabat, plurimis validissimisque argumentis doctissimè confutaret: tantum sibi odium apud Regem concitavit, ut Rex obliterata omni consanguinitatis, qua Polum contingebat, memoria, vitam ejus multis deinceps insidiis peteret, euundemque læsæ Majestatis reum declararet: quin & interjecto deinde aliquo tempore, matrem fratremque & avunculum ejus, eandem (ut fertur) ob caussam neci traderet. Et quamvis tot cædes crudelitatem Henrici exsatiare debuissent, tamen ferarum ritu, quæ etiam sedata fame nihilominus mordent, nihil de ea remittens, religiosissimos quosque ad primatum illum suum agnoscendum cogere sibi proposuit. Tres igitur ordinis Carthusiani Priores, Joannem Hogthonum Londinensem, Robertum Laurentium Bevalensem, & Augustiuum Vebsterum Exhamensem, comparere jussit coram consessu Ordinum, cui præsidebat Cromuelus. His proponebantur nova Comitiorum decreta, & jubebantur jurejurando affirmare, Regem tam in Ecclesiasticis, quam civilibus rebus supremum in Anglia esse caput. Quum illi nonnulla excíperent, & legis divinæ mentionem facerent, Cromvelus nullam se exceptionem admittere respondit; categorice illis, quæ proponerentur, affirmanda esse, sive lex divina permitteret, sive non, & quamvis aliter Romana sentiret Ecclesia. Quibus jurare recusantibus, res duodecim viris commissa est, secundum Regni consuetudinem, ut judicium ferrent. Illi vero quum nihil quidquam morte dignum invenirent, sententiam differebant, donec Cromuelus, se rem ad Regem delaturum, minitaretur. Quo nutu, qui etiam constantissimos nonnunquam labefactat, perculsi, sententiam tandem pronunciarunt, qua damnati Priores, eodem habitu, quo in monasteriis utebantur, in patibulum majoris ignominiæ causa acti sunt. nec enim Henricus tantum Religioni tribuendum existimavit, ut ex legum Ecclesiasticarum præscripto, vel gradu, vel habitu ante supplicium privandos curaret. Ad eandem judicii formam damnatus est Reginaldus Doctor, Brigittensis Monachus, Theologus insignis, & linguarum peritissimus; itemque alius quidam presbyter Joannes Hailus. Passi sunt omnes eodem die, *quarto nonas Maii*.

V. His editis suppliciis, Henricus ut terrorem ceteris Monachis injiceret, & Priores Londinenses occisi membra in ipsa Monasterii janua affigi jussit; & viros duos sæculares cœnobio præfecit, qui juniores monachos depravarent. Sed quum isti nihil proficerent, velut alter Nero incredibili furore actus, tres alios Carthusianos comprehendi jussit: qui quum prius per dies quindecim continuos, injectis ad collum, ad brachia, ad crura, circulis ferreis, erecti stare coacti essent, postea vimineis cratibus injecti, & per plateas urbis tracti, postquam laqueo ad breve tempus suspensi fuissent, mox vivi sectis funibus demissi sunt: tum autem carnifex pudendis præcisis, pectus ferro aperuit, & cor evulsum in ignem conjecit; demum capite abscisso, reliquum corpus in quatuor partes dissecuit, illasque partes elixas in locis publicis suspendit. Præter hos Joannes Rocestrius & Jacobus Valverus, & ipsi Carthusiani, *quinto idus Maii* in civitate Eboracensi, laqueo strangulati vitam finierunt. Decem alii ejusdem ordinis, quorum nomina Anglici scriptores commemorant, in carcere exstincti sunt. Adhuc Thomas Morus & Joannes Fisherus Roffensis Episcopus in custodia tenebantur. Roffensis post diuturnum carcerem, in quo agens à Paulo Papa tertio in Cardinalium Collegium adscriptus fuerat, ad judicium productus, & Regi, tanquam Anglicanæ Ecclesiæ capiti, jusiurandum præstare jussus, renuit. Interrogatus an ipse, ut Cardinalis denunciaretur, procurasset, negavit se umquam illum honorem appetiisse, multoque minus in ipsis vinculis eam dignitatem ambivisse. Quumque non tam

de sua salute, quam Ecclesiæ defensione sollicitus esset vir doctrina & sanctitate insignis, verumque pietatis Christianæ exemplar, cœpit de impietate nascentis schismatis gravissimè disserere, detestans Regis primatum, & legibus divinis contrarium, adeoque *viam mortis esse* affirmans: sed quum hæc dixisset, mortis sententia de ipso pronunciata est. Damnatus igitur & ad mortem productus vir dignitate & scientia longè excellentissimus, tam forti animo supplicium sustinuit, ut de occisorum suorum superbia triumphasse dicendus sit. Caput hastili affixum, & in ponte Londinensi omnium oculis expositum, quo diutius ibi suspensum manebat, eo magis floruisse, ac venerabilius factum esse dicitur, ob quam causam loco amotum traditur. Eadem quæ Roffensis, Mori fortuna fuit: qui Londini honestissimo loco natus, ob excellentem doctrinam & rerum experientiam in Republica per annos pœnè quadraginta versatus fuerat. Hic Roffensem ad mortem duci certior factus, quum eandem Martyrii coronam vehementissime desideraret; animo ad cœlum converso, *Confiteor* (inquit) *tibi Domine, quod tantam gloriam non sum meritus, non sum ego iustus & sanctus, sicut Roffensis tuus, quem elegisti.* Quæ verba quum pusillanimitatem quandam & mortis metum indicare nonnullis viderentur, Regi significata res est: qui ea de caussa ad Morum, primum principes aulæ suæ, deinde uxorem & liberos ejus misit, qui viro suaderent, ut vitæ suæ servandæ rationem amplecteretur. Sed quum à sententia dimoueri non posset, ablati sunt ei omnes libri, socii dulcissimi, & in his duo, quos ipse in carcere composuerat, unum *De solatio in tribulatione*, alterum *De passione Christi*, quem non licuit ipsi ad finem pertexere. Quum jam quatuordecim fere menses in carcere fuisset, è turri Londinensi extractus, adductusque ante Cranmerum, Audlæum Cancellarium, Norfolciæ Ducem & reliquos judices, interrogatus fuit, quid ei de publica lege videretur, super Ecclesiæ primatu comitiorum suffragiis sancita. Morus ignorantiam simulans, experiri statuit, an ambigue respondendo simul & animam suam & vitam posset conservare: malens tamen vitam amittere, quam cum animæ suæ jactura, precio nimis caro, redimere, de cetero sese illi commendarat, qui omnes vitæ nostræ dies numeratos in manu sua habet. Itaque quid illa lege contineretur se nescire, nec omnino quidquam de ea inaudiviſse, respondit. Audlæo vero Cancellario subinferente; At nos tibi denunciamus, quid illa lege cautum sit, nimirū, *Nullam cuiusquam deinceps in hoc Regno, tam in Ecclesiasticis quam in civilibus rebus, præter solius Regiæ Maiestatis Henrici VIII. supremam potestatem auctoritatemque agnoscendam esse, tu igitur visne cū concivibus tuis dicta legi subscribere? Si me,* inquit Morus, *pro cive habuisses, ego de vestro interrogato sententiam apud vos meam professus fuissem. Nunc autem me pro inimico vestro habuistis, eiectumque ex aula tam indigne modis tractavistis, minime ut decere existimem, me, quem à vestris constitutionibus removistis, nunc de iis iudicium meum interponere.* Iratus Cancellarius, *Iam*, inquit, *dissentire à lege te video, quum taceas.* Qui tacet, inquit Morus, consentire videtur. *Ergone*, inquit ille, *assentiris legi? Quomodo*, inquit Morus, *id facerem, quum nemo assentiatur ei quod ignorat?* Quum aliud responsum exprimi non posset, judices accusandum curarunt, *quod legi contradixisset, quodque Roffensem ad cōstantiam contra hoc Comitiorum decretum per literas animasset.* Quibus objectis, delata res est ad duodecim viros. Coram his aperte Morus sibi decretum esse professus est, nunquam ab Ecclesiæ Romanæ communione discedere, totum septennium in hunc curam se impendisse, ut investigaret, num Romani Pontificis Primatus legitimus esset? Eum divino iure niti, ex infinitis auctoritatibus deprehendisse: hanc suam esse sententiam, hanc fidem, in hac ut mori liceat, vehementer optare. Vix hæc dixerat, quum omnes magna voce conclamarunt, ob læsæ Majestatis crimen mortis reum esse Morū. Præter ceteros Norfolciæ Dux subintulit: *Num sic propositum est tibi, More, tuam erga Principem tuum ingratitudinem atque impietatem ostendere?* Cui Morus; *Tale de affectu meo testimonium nunquam perhibebit ea fides & obsequendi voluntas, qua erga Maiestatem suam sum maxima & constantissima. Ergone* (inquit Cancellarius) *tu vir melior aut sapientior haberi vis, quam tot doctissimi viri, Episcopi, Abbates, Senatores, Nobiles, qui omnes subscriptione sua hoc decretum comprobarunt?* Ad quæ Morus: *Absit, ut unquam timidissimorum hominum particularem sententiam, quibus quæ vos cupiebatis metus expressit, præferam tot antiquis Patribus, tot Martyribus, tot Conciliis, qui contrarium decreverūt, nobisque, quid in hac quæstione sequi oporteat, præscripserunt.* Plura dicturum vetuerunt progredi ulterius, simulque mortis sententiam dederunt:

quam

quam subiit *pridie nonas Iulias*. Corpus filia ejus Margarita inhumavit, adhibita etiam aliqua ceremonia. Sic occisis sanctis hominibus, non tamen sedatus fuit tyranni furor, sanguinem subditorum suorum sitientis: sed indies labebatur in pejora consilia. Itaque ratione excogitata, qua Monasteriorum bona sub aliquo prætextu ad se raperet, *dixit se velle, tanquam summum caput Ecclesiæ, sacra monasteria visitare.* Leum igitur quendam juris civilis professorem, ad inquirendum in monachorum & sacrarum virginum vitam ac mores misit. Quæ visitatio ita instituebatur, ut è monachis qui minor viginti quatuor annis fuisset, è monasterio exire cogeretur; qui vero major esset, non cogeretur quidem, sed tamen exire si vellet, impune posset: exeuntibus togam & aureos octo Abbas daret: de sacris etiam virginibus idem fieret: ut hoc modo brevi evacuatis monasteriis, Rex eorum bona invaderet, facta constitutione, *ut opimiores quique ipsorum thesauri, regiis quæstoribus traderentur.* Leus ergo iste commissum sibi officium tam dextre obivit, ut in publicis Regni comitiis minora quæque monasteria, quorum annui census non nisi ad septingentos ferè aureos æstimabantur, Regis libidini dederentur. Ita quum se caput Ecclesiæ Henricus jactaret, opus fuit tamen, ut beneficia Ecclesiastica Ordinum decreto ipsi assignarentur. Initio facto à minoribus, deinde & ad majora transivit, è quorum rapina divitiarum ingentem vim corrasit. Sed quamvis hic tamquam Tantalus tot tantisque velut immersus esset divitiis, momento tamen temporis justo Dei judicio pauper euasit.

Tanta rapacitas toti mundo errori fuit: omnesque, quibus tyranni immanitas innotuerat, Angliæ calamitatem deplorabant. Inprimis vero Paulus Papa tertius, ex nobilissima Farnesiorum, Parmæ Principum familia, ad Pontificatum, mortuo Clemente Septimo assumtus, tanquam communis Christianorum pater, vehementer indoluit. Is accepto tot malorum nuncio, quum quid futurum esset, animo prospiceret, tentatis omnibus remediis, ad extremum statuit potestate sua absoluta in Henricum uti, sperans eum censuris suis territum posse ab errore revocari. Unde ad tertium Calendas Septembris M. D. XXXV. Pontificatus sui Anno primo, Henrici vero Regni vigesimo septimo, Bullam edidit contra Henricum, cujus hæc erat inscriptio. *Bulla Pauli divina providentia Papæ Tertii, citatoria Regis Angliæ Henrici & sequacium, sub pœna excommunicationis, & privationis Regni, ac omnium aliorum bonorum, & sub nonnullis aliis gravioribus censuris.* In hac commemorata prius, qua ad ipsum excommunicandum impellatur, gravissima causa, ob tot scelera ab Henrico patrata, tot cædes, adulteria, incestus, sacrilegia, proditiones, hæreses, quodque se pro capite gerat Ecclesiæ Anglicanæ, rogat, & per omnia sacra obtestatur, ut revertatur ad gremium illius matris, quæ respiscentes ultro recipit. Nolentem, citat cum complicibus. Parere recusantem, Regno exuit; vetat ullum Religionis Catholicæ publicum exercitium in locis quæ ejus ditioni subsunt, fieri. Omnem Annæ Bolenæ sobolem illegitimam facit & infamem. Henrico ne pareant, subditis prohibet. Ecclesiasticos homines Angliæ finibus excedere jubet. Nobilibus præcipit, ut contra Regem insurgant. Mandat, ut Henrici sequaces & complices, ubicunque apprehendi possint, in servos capientibus cedant. Prælatis omnibus jubet, ut hanc Bullam in suis Ecclesiis evulgent, & Henricum excommunicatum denuncient. Eandem bullã Tornaci, Brugis, Dunkirkii, & per totam Angliam publice affigi decernit. Difficillimum factu est, ut corpori, quod totum corruptum est, sanitas restituatur: attamen extremum hoc remedium morbo quamvis itidem extremo remedium forte aliquod attulisset, si quidem fuisset adhibitum. Sed Pontifex exsequutionem in aliud tempus rejecit, quod sperabat summum illum mundanorum rectorem aliquam medicinam facturum, cogitans ab ipsius manu omnia, quæ fiunt in mundo, derivari, & ad increatæ illius potentiæ perstringentem fulgorem non minus cæcutire etiam lynceos oculos, quam noctuas ad radios meridiani solis. Eo tempore sereniſſima Regina Catharina, cujus contra tot adversitates immotam constantiam nullius fortunæ impetus labefactare poterat, sanctissimis pietatis exercitiis assidue vacans, quum inaudivisset Joanni Foresto Franciscano, qui ei fuerat à confessionibus, gravissimos cruciatus præparari, ingentem animo concipiens dolorem, literas ad eum consolationis plenissimas exaravit. Sanctissima hæc matrona, tantis calamitatibus undiq; pressa, vitam ægre trahebat: si tamẽ vita dicenda est ejusmodi cũ tot miseriis conflictatio, in quibus eodẽ tempore & moriens & vivẽs, nõ tamen vel moriendi finem, vel initium poterat facere vivendi. Affligebat eã omnibus horis lupa illa,

quæ

quæ lectum ejus polluérat. Persequebatur eam maritus suus, & qui eum sequebantur. Tot ergo modis divexata, in morbum incidit, quo decumbens quum mortem adventantem præsentiret, Henrico Regi scripsit in hanc sententiam.

Domine mi Rex ac conjux dilectissime. Adventante jam mortis meæ hora, amor quo te persequor facit, ut admonenum te paucis æternæ salutis animæ tuæ, quam universis hujus mundi bonis ac rebus mortalibus anteferre debes, neglecta etiam tui corporis cura; propter quam & me in calamitates multas, & te ipsum in plures sollicitudines conjecisti. Sed ego tibi ex animo omnia condono, precorque ut eadem condonet tibi Deus. Quod reliquum est, commendo tibi Mariam, communem nostram filiam, ut patris officium in illam præstes. Tres item ancillas, & ministros meos omnes, ut illæ nuptui commode tradantur, his autem præter id, quod jam eis debetur, etiam unius anni stipendium integrum, velut cumulus accedat, ne plane inopes deserantur. Postremo hoc unum testor, quod oculi mei te solum præ rebus omnibus mortalibus desiderant. Vale.

En testimonium sinceri animi, & generosæ indolis, quæ tot modis offensa jamque in mortis faucibus constituta, adhuc studebat sese illi probare, qui ipsa reprobata atque neglecta, terrenis voluptatibus sese mancipaverat. Harum literarum exemplum misit Cæsaris apud Regem oratori, ut si Henricus, quod petebatur pro famulis non faceret, Legatus curaret, ut Imperator curam protectionemque eorum susciperet. Obiit Catharina, omni laudis genere dignissima, in villa quæ Cimbaltona dicitur, in Comitatu Bedfordensi VIII. Id. Jan. Anno Christi 1536. ætatis vero suæ quinquagesimo, non sine veneni suspicione, [a] Henricus autem acceptis Catharinæ literis, temperare sibi à lachrimis non potuit, Eustathiumque Capucium (is literas attulerat) rogavit, ut statim ad eam proficisceretur, multamque salutem suo nomine diceret. Hoc ultimum officium Catharinæ præstitit Henricus. Sed prius mortua est Regina, quam Eustathius Cimbaltonam perveniret. Corpus ejus mediocri honore, in vicina civitate, quæ Petri-Burgum dicitur, sepultum fuit. Nunciata ejus morte, Henricus præcepit, ut omnes sui domestici lugubri vestitu verentur: cui tamen præcepto Anna Bolena parere noluit, sed in signum potius lætitiæ, flavi coloris ornamentis se suasque ancillas vestiri curavit: quamvis dolere se diceret, quod tam placido mortis genere Catharina obiisset, quodque non plus molestiarum ei fuisset à se exhibitum. Hoc videlicet male habebat Annam, quod Catharina in mediis afflictionibus suis solatium aliquod in virtute sua habuisset, mortemque ipsam ita prævertisset mortis meditatione, ut quod restabat dierum, summa cum animi tranquillitate exigeret, horam, qua ex his miseriis liberanda esset, placidissime exspectans.

[a] *Henninges in Geneos. parte 4. p. 104. & alii.*

HENRICUS REX ANNA BOLENA ob adulterium punita, Joannam Seimeram, deinde Annam Clivensem, hac rursus repudiata, Catharinam Havardam ducit; hancque etiam post Cromuelum supplicio affici jubet.

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTUM.

I. *Rex Henricus, Anna Bolena repudiata, Ioannam Seimeram ducit, illam vero adulterii damnatam supplicio affici jubet, cum adulteris.*

II. *Ritus sacrorum ab Henrico rege instituti. Contra eundem ob religionis mutationem arma sumta. Mors Ioannæ Seimeræ. Reginaldus Polus ad Cardinalatum evectus.*

III. *Henrici regis impietas in Sanctorum Reliquias.*

IV. *Eiusdem novum cum Anna Clivensi matrimonium.*

V. *Qua itidem repudiata, Catharinam Havardam sibi copulat, Cromuelo prius sublato.*

VI. *Henricus flagitia flagitiis cumulat. Interim nihilominus de reconciliatione sua cum Ecclesia cogitationem suscipit. Catharina itidem Havarda supplicio affecta Catharinam Parram ducit.*

I. QUod vulgo dici solet, *Dimidiũ facti, qui bene cœpit, habet:* id in iis, quæ mẽte atque ingenio perficiuntur, non ita se habere deprehenditur. In his enim ut initio etiam progressus respondeat, requiritur. Anna cœperat secundum sensum & Mundum bene: sed finiit male. Quum enim fortunæ suæ præclarum fundamentum jecisset, quod restabat ædificii non ea, qua opus fuerat, soliditate superstruxit. Ascenderat illa ad Regium culmen sed inde descendendum ipsi fuit iisdem ignominiæ & infamiæ gradibus, quos ad lasciviæ atque impudicitiæ suæ opprobrium velandum adhibuerat Henricus, cui jam, qua erat vaga libidine atque instabili

stabili, tædium amplexuum Annæ obrepserat, aversari & fastidire eam cœpit (hic fructus consequi solet, quũ re aliqua, cujus vehementi desiderio diu flagravimus, tandem potimur) & in aliam puellã, quæ Annæ inserviebat, Joannam Seimeram, simplici ingenio virginem oculos conjicere. Cujus pulchritudine captus, nec aliud præter eam cogitabat, & ne Annæ quidem blanditiis amplius delectabatur. Quod quum Anna intellexisset, continuo ita zelotypiæ stimulis agitata fuit, ut quietem nunquam capiens, & diversis cogitationibus distracta, quid consilii caperet nesciret. Unũ hoc Regi quasi frænum indebat, quod utrum Anna ferret. Sed quum proles exspectaretur, illa nihil nisi informen quandam carnis molem peperit, qui abortus fortunam quoque ejus, quæ post eam diem prorsus pedem retro tulit, abortire fecit. Quum autem sciret Anna, Regem nihil magis in votis habere, quã ut & Regni & cupiditatum suarum hæredem filium haberet, nec quam Joanna Seimera à Rege adamaretur ignoraret: spem concepit fore, si filium ipsa gigneret, ut ea res Regis animum ab aliis omnibus ad se revocaret. Itaque constituit experiri, an alia quapiam via, quæ Regis vxor jam esset, etiam Regis mater effici posset. Putabat autem adulterii sui crimen eo magis occultandum, si potius cum fratre suo Georgio Boleno, quam cum alio quopiam rem haberet. Quin etiam volebat (ut nihil est tam sublime, ad quod non etiam vitium aspirare audeat) de genere & sanguine Bolenorum ex utraque parte esse, qui Regnum in Anglia occuparet. Sed quum neque ex illo scelerato incestu, quod maxime cupiebat, assequuta esset, cœpit animum suum ad vagam libidinem eousque applicare, ut præter Norefium, Vestonum & Bruertonum, homines non ignobiles, etiam Marcum quendam Musicum suum, in regium thronum pelliceret. Nullum diu latet scelus: inprimis vero ea, quæ à libidine proficiscuntur, flagitia, quo majore studio occultantur, eo citius innotescunt. Rex malitiam mulieris ubi resciviſſet, attonitus admirabatur: indignatusque, quod ab ea, cujus gratia tam multa crudeliter designaverat, se deceptum videret (ut inopinati ictus magis feriunt, quam tela prævisa) furore dirumpebatur: quamvis se nihil scire ad tempus simularet. Quum vero Grenuici ludicris quibusdam spectaculis interesset, atque Annam Bolenam vidisset sudarium cuidam ex Nobilibus projicere, quo faciem abstergeret: ita ira & furore excanduit, ut statim è theatro prorumpens conscenso equo digrederetur, nemine salutato. Obstupuit tota Aula hoc discessu: Anna metu torpens, statim Regem consequuta est, hanc tempestatem blanditiis suis sedatura. Sed quum per Tamesim fluvium Londinum veheretur, & medio fere itinere esset, à ministris Regiis, qui eam operiebantur, comprehensa, & Arci, quæ ripæ fluminis imminet, inclusa est. Ibi Bolena primo mirari, atque adeo indignari, deinde queri, ac cœlum clamoribus complere; postremo supplicare ac instantissime petere, *ut si culpæ affinem existimarent, Regem alloqui, & culpam à se amoliri permitteretur.* Sed quum surdas aures pulsasset, ad extremum ad tribunal publicum educta, & ab ipso Thoma Boleno inter alios judices considente, adulterii & incestus condemnata, capite plectitur. Atque ita coronam eadem qua eum aliis eripuerat, crudelitate amisit: & Regiam dignitatem, quam per cædes inchoaverat, morte sua finiit: supplicio affecta ab illo, quem ipsa impulerat ad profundendum tot innoxiorum hominum sanguinem, quo se illa tanquam balneo quodam lavabat. Georgius vero Bolenus Annæ frater, Henricus etiam Norefius, Gulielmus Bruertonus, Franciscus Vestonus, & Marcus Smetonus Musicus, adulterii convicti, triduo post Annæ supplicium, eodem mortis genere affecti sunt. Vix per Annæ mortem Regia sedes vacabat, quum Joanna Seimera eandem occupavit, super Annæ ruinam, suam fortunam superstruens: quemadmodum illa suam, magnitudinis Serenissimæ Catharinæ parietinis super ædificaverat. Postridie igitur, quam Annæ cervices amputatæ sunt, Henricus Seimeram duxit. Qua de re Cochlæus sic loquitur ad Morisonũ scribens: *Misera* (inquit) *Anna, Reginæ pellex funesto exitu satis declaravit; & iniquũ fuisse Regis cum Regina divortium, & inauspicatum suum pellicatum potius quam matrimonium exstitisse.*

II. Henricus vero, qui nunquam fatigaretur turbis excitandis, quum vix ab Anna se expediviſſe, & Seimeram in uxorem accepisset, ad tollendam omnium rerum licentiam, quæ Anna pro arbitrio omnia administrãte in Ecclesiam subingressa, universa miscuerat, Comitia publica indixit; *Primatum tamen suum, ut illæsum cõservaret, ne quisquam de eo in hoc conventu verba faceret, præcepit: quem ut magis etiam nunc exerceret, tum Thomam Cromuelum generalem Ecclesiæ Anglicanæ Vicarium constituit, qui exinde ad Episcopatus, Abbatias & parochias, quos volebat, promovit: tum præter Comitia etiam Synodum Episcopalem cõgit.* In hac post disceptationem de

fidei capitibus habitam, sequentes constitutiones factæ, & in articulos sex tributæ sunt. *Horũ primus in Eucharistiæ Sacramento, transubstantiationem credendam esse jubebat. Secundus, unam speciem Sacramenti Eucharistiæ ad salutem sufficere. Tertius, cælibatum sacerdotum omnino retinendum. Quartus, votorum castitatis & viduitatis non temere factorũ, necessariam esse persolutionem: Quintus, non modo Missarum celebrationem juri Divino consentaneam esse, verum & Missas privatas fieri bonum & necessariũ esse: Sextus denique auricularem confessionem in Ecclesia necessario observandam asserebat.* Qui secus doceret, aut crederet, in eum tanquam hæreticum animadverteretur. Has constitutiones quamvis à se contra Lutheranos factas, primus tamen ipse Henricus violavit. Nam quum septem Sacramenta stabilivisset, *tria tantum à Christo instituta fuisse credidit.* In Missæ Canone, *ubicunque Pontificis nomen legeretur, suum supposuit: Precationes, quæ pro Papa fiebant, abrogavit. In Sacramento Pœnitentiæ satisfactionis nomen abolevit. Purgatorium denique esse negavit.* Et quum sanctus haberi vellet, res tamen sanctas ac Deo consecratas expilavit, & in profanos usus cõvertit. Quis diceret eum, quum in hunc modum secum ipse dissideret, sub Ecclesiæ, quæ tota uniformis & sui similis est, vexillo militasse? Ab his confusionibus quum populus abhorreret, Henricumque cum suo primatu detestaretur, tandem cogere illum statuit, ut ad Ecclesiam reversus, honorem ei debitũ, quem injuste sibi vindicasset, redderet. Itaque Lincolnienſis primum provincia, deinde Northumbria, Cumbria, Dunelmenſis & Eboracenſis agri arma sumsere, adeo ut quinquaginta virorum millia & amplius in aciem prodirent, quibus vitam suam pro Religione devovere decretum erat. Insignia horum erant, quinque vulnera Servatoris. Calix cum hostia, & nomen Jesu in medio expressum. Rex tãta multitudine territus. Norfolciæ & Suffolciæ Ducibus negocium dedit, ut quibus possent conditionibus tumultuantes compescerent: nam si semel ab armis discessissent, non facile postea coituri denuo videbantur. Itaque impetrato colloquio, *Henricus sanctissime promisit, se omnia illa, quæ fidei Catholicæ essent contraria, emendaturum.* Data fide quum omnibus satisfacturum esset, reversi sunt ad sua. At Rex violata fide, per speciem novi tumultus eisdem de causis postea excitati, plurimos ex nobilitate ultimum capitis supplicium subire coegit. In his fuerunt Barones duo, Darsius & Hussius: Equites vero aurati, aliique nobiles multi, Robertus Contestablius, Thomas Percius, Franciscus Bigotus, Stephanus Hamelthones, Thomas Gilbius, Nicolaus Musgravius, Gulielmus Lumleus, Nicolaus Tempestius, & Joannes Bulmarius: Abbates sex, Fontanenſis, Gernienſis, Riverius, Barlinghenſis, Saulienſis, Whalienſis, & Prior Berlingtonus, quique omnium caput exstiterat, Robertus Aschius. Quinque etiam sacerdotes Lincolnienſes, & septem laici: Monachorum denique ingens numerus. Quorum omnium mors non sine aliqua præsenti Dei ultione ab Henrico perpetrata est, filio ejus notho, quem ex Elizabetha Blunta susceperat, Richmundiæ Duce, quo nihil erat Henrico charius, eo ipso tempore è vivis sublato. Quum nihil Henricus de sævitia sua remittens, Anglorum sanguinem ubique locorum effunderet: in Somersetana provincia plurimos ob novorum vectigalium impositionem nonnihil tumultuantes occidit. Londini etiam uno eodemque die, illustrissimum virum Thomam Fizgaretum Comitem Childeriæ Hibernum, simul cum quinque ejus avunculis, lugubri plane spectaculo, interfecit. Per id tempus Jana Seimera gravida, & jam partui erat vicina: quum exactis mensibus tantus ejus exstitit dolor, & pariendi difficultas, ut Rege affirmante, facile se aliam uxorem reperturum, aperiendus fuerit matris uterus, ut ex eo Cæsar prodiret. Qua ratione servatus opera Medicorum partus, quum masculus esset, Eduardus appellatus est. Joanna Ann. 1537. Idib. Octob. mortua, & Vindesoriæ sepulta, statim Henricus de quarta uxore ducenda cogitavit. Jam magna spes erat de rerum Anglicarum meliore successu, Religionis præsertim, in cujus gratiam tam multa fuerant in eo, de quo supra egimus, Episcoporum conventu præclare constituta. Quumque jam Henricus Annam Bolenam è medio sustulisset, & Sereniſſimam Catharinam, ac Janam quoque Seimeram amisisset, intelligeret præterea, universum populum suum ab hoc schismate vehementer abhorrere: quis non existimaret fore, ut novo nuptiarum fœdere omnia in integrum restituerentur? Eodem Anno 1537. Paulus III. Pont. Reginaldo Polo, qui Henricum sanguine proxime contingebat, (quem ante Patavio evocatum, Cardinalem renũciaverat) legationem in Gallias decrevit, ut à Rege Galliarum adjutus cum Henrico ageret ut saniora tandem sequererur consilia. Lutetiam ergo quum veniſſet Polus, quam honorificentiſſime ab

ab om-

ab omnibus exceptus est. Quod quum Henricus audivisset, misit in Galliam citato cursu Nobilem quendam, qui omnibus modis à Rege contenderet, ut in suam potestatem Polum traderet; ni faceret, actum esse de amicitia. Rex nihil minus facere cogitans, quam quod Henricus petebat, Anglum autem infensum habere nolens cujus opera eo tẽpore erat ei utilis, recrudescente inter ipsum & Cæsarem bello (ut semper privato commodo omnia posthabentur) Polo clam denunciandum curavit, ut quam posset velocissime, fuga salutem quæreret, fide data, incolumem in suo Regno futurum. Itaque Polus postero die Cameracum quam potuit brevissimo itinere contendit; quo tamen non sine summo vitæ discrimine pervenit, eo quod universum illud iter non solum Germanorum Gallorumque militum, verum etiam Anglorum perpetuis excursionibus infestaretur: quo periculo territis Poli comitibus ac famulis, quum crucẽ, quæ Legatis Apostolicis anteferri solet, gestare amplius nemo auderet, Polus ipse invicto animo, insigne illud Salvatoris in manus assumsit, magnaque constantia, tanquam in hoc signo victurus hostes Dei, erectum gestavit.

Henricus spe frustratus, novas insidias Polo struit: præmium aureorum quinquaginta millium constituit ei, qui necem illi inferret. Sed ecce summis in periculis constituto Deus affuit. Everardus enim à Marchia, Cardinalis Episcopusque Leodiensis, qui Senatui Belgico eo tempore præfuit, Polo significat, tutissimum fore, ut Leodium, interposita fide publica, ad se veniat. Venit Polus. Quo audito, Henricus statim cum Senatu Belgico egit, ut Polum traderet, reum læsæ Majestatis. Se Galli partes relicturum, & quatuor peditum millia ad auxilium Cæsaris, suis sumtibus missurum, & sex mensium stipendia vestigio in Senatorum manibus depositurum, si id fiat. Ingens sane precium pro vita hominis tam arcto cognationis vinculo juncti. Sed novo huic Neroni exiguum videbatur. Cardinalis Leodiensis eam rem Polo exponit, qui miratur Regis amentiam, sibique cavendum ratus, Romam accepto Pontificis mandato se recepit. Cui reverso publica militum custodia, adversus Henrici furorem, à Pontifice assignata est.

Henricus quum Polum ex insidiis elapsum videret, in matrem ejus furorem convertit, Comitissam Sarisburiæ, Georgio Duce Clarentiæ natam, qui frater germanus Eduardo Regi quarto fuerat. Ea damnata capite, quod literas à filio accepisse diceretur, & quinque Christi vulnerum in pectore imaginem gestasse, ad V. cal. Junias, anni 1541. securi percussa fuit. Cum ea eodem in judicio sententia mortis lata fuit in Gertrudim Marchionissam Exoniensem, Reginaldum Polum Cardinalem, Adrianum Fortescutum equitem auratum, & Thomam Dinglæum equitem ordinis S. Joannis Hierosolymitani; quorum posteriores duo, VI. deinde id Julii capite sunt plexi. Quin & Margaritæ filius minor natu, Henricus Polus (adeo erat Henrico exosum nomen Poli) in custodiam traditus est. Marchio etiam Exoniæ, Eduardi Regis Quarti ex filio nepos, & Eduardus Nevellus eques auratus, ex illustrissimorum Comitum Varvicensium ac Sarisburiensium familia progenitus, eo quod Henrici decretis adversari crederentur, extremo supplicio affecti fuerunt. Eodem injustitiæ gladio multi quoque alii perierunt, quorum ut expeditius possimus contexere catalogum, omittimus hoc loco mentionem matrimonii cum Anna (Filia Joannis III. Cliviæ Ducis & Gulielmi Cliviæ Ducis, qui mortuo Geldriæ Duci successerat, sorore) An. 1540. contracti, quod Cromvelo summe expetendum fuerat visum, eo quod Dux ille hæreticis faveret, Catholicis autem adversaretur. Tenebantur in custodiis Religiosi multi ordinis S. Franciſci de observantia pro quibus intercedente Urisleo, Rex in ejus gratiam plurimis servatis quosdam solum ad varia supplicia delegit. Ex quibus Antonium Brorbeum linguarum peritia clarum, ad XVI. Cal. Augusti Anni 1538. strangulandum curavit. Thomam vero Belchiamum, fame enecavit in carcere, III. Nonas Augusti, & præter eum alios XXXII. Joannes autem Forestus ejusdem instituti monachus, ad X. Cal. Junias, Londini in campo Fabro, duabus furcis alligatus, & lento igne tostus fuit. Cum eo imago quædam ex Wallia allata, quod nimio populi concursu celebrari diceretur, combusta est. Quin & Nicolaum Careum, quem non solum sibi à consiliis, sed equorum etiam præfectum, & ordinis S. Georgii & Aureæ Periscelidis Equitem (quæ magna est apud Anglos dignitas) Henricus creaverat, securi percutiendum curavit: quod & Leonardo Graio Hiberniæ proregi fieri præcepit. Joannes vero Lambertus Zvinglianus, à Cranmero condemnatus, ad Henricum Regem, tanquam Ecclesiæ supremum caput, appellavit, isque recognita caussa, iterũ condemnatum, remisit ad Cromuelem, qui mortis

sententiam in Lambertum tulit, juxta quam ad x. Cal. Decembris publice crematus est.

III. Nec vero in viventes tantum & superstites Henricus desæviit, sed cum defunctis etiam & horum cineribus bellum gessit. Nam & S. Albani Anglorum protomartyris, & Edmundi Regis, ob martyrium Anno D. CCCLXXI. subitum, in Canonem relati, & Divi Thomæ Archiepiscopi Cantuarienſis tumulos expilavit. De quibus sacrilegiis Richardus Hilliardus in hæc verba scribit: *Si unà mecum lector, adfuisses, & vidisses templorum prosanationes, altarium eversiones, Donarionum seu oblationum direptiones, venerabilium reliquiarum & imaginum indignissimos cum blasphemiis contemtus ac violationes; non tibi (credo) temperasses à lachrymis à luctu, à singultibus; quū ea vidisses à Christianis viris fieri quæ à barbaris tyrannis, ac Christi juratis hostibus nulla in historia perpetrata leguntur.* Ceterum quam innumerabiles thesauros ex his expilationibus Henricus corraserit, ex eo conjicere licet, quod ex uno divi Thomæ monumento tantam divitiarum vim ablatam esse, is qui Regius quæstor tunc erat, confessus est, ut ex iis sex plaustra boum ingentia onerata fuerint. Verum ut incredibilis & à multis retro sæculis inauditæ impietatis cumulum expleret Henricus, hunc gloriosissimum Thomam, ab annis plusquam quadringentis, Anno videlicet MLXXI. pro fidei Catholicæ defensione occisum, sanctorum catalogo adscriptum, atque infinitis miraculis toto Angliæ Regno illustratum, caussam iterum dicere per appositos Advocatos, post tot sæcula coegit ipsumque perduellionis cōdēnatum, inter Divos amplius censeri vetuit: imo capitale esse jussit, si quis eum vel invocaret, vel diem commemorationis ejus sacrum celebraret. Plurimaque alia hujusmodi statuit ac perpetravit sævissimus tyrannis, mille Neronibus crudelior, Sardanapalis libidinosior, magis impetus Mahometanis, & Atheistis ipsis magis atheus: quæ ex sequentibus Pontificis maximi literis intelligi possunt. Pontifex enim Paulus Tertius, qui auditis Catholicorum in Anglia, tam horribilibus quasi lanienis expositorum, afflictionibus, justissima cōmiseratione commotus, ut publicis hisce calamitatibus finem imponeret, sententiam à se latam exsequutioni mandare constituit. Itaque priores suas literas continuans, hæc subjungit. *Dum autem postea ad dictarum literarum exsequutionem deveniendum esse statuissemus quum nobis per nonnullos Principes & alias insignes personas persuaderetur, ut ab exsequutione huiusmodi per aliquantum temporis superse-deremus, spe nobis data, quod interim ipse Henricus, ad cor rediret & resipisceret. Nos, qui (ut hominū natura fert) facile credebamus quod tantopere desiderabamus, dictam executionem hucusque suspendimus sperantes (ut spes nobis data erat) ex ipsa suspensione correctionem aliquam & resipiscentiam, nō autem pertinaciam & obstinationem ac maiorem delirationem (ut rei effectus iam docuit) proventuram. Nūc autem resipiscentia & correctio huiusmodi quam tribus fere annis exspectavimus, nō solū postea sequuta nō est, sed ipse Henricus quotidie magis se in sua feritate ac temeritate cō firmans, in nova etiam scelera prorupit. Quippe qui nō contentus vivorū Prælatorum & Sacerdotū crudelissima trucidatione, etiam mortuos, & eos quidem quos in Sanctorum numerum relatos, universalis Ecclesia pluribus sæculis venerata est, feritatem exercere nō expavit. Divi enim Thomæ Cantuarienſis Archiepiscopi & martyris ossa quæ in dicto Regno Angliæ, ob innumera ab omnipotente Deo illic perpetrata miracula, sūma cū veneratione in arca aurea in civitate Cantuarienſi servabantur, postquam ipsū D. Thomam, ad maiorem Religionis cōtemptum, in iudiciū vocari, & tanquam contumacem damnari, ac proditorem declarari fecerat, exhumari & comburi, & cineres in ventū spargi iussit: omnē plane cunctarū gentiū crudelitatem superans, quum ne in bello quidem hostes victores sævire in mortuorū cadavera soleant. Idem etiam Henricus omnia ex diversorum Regum Anglorum & aliorū Principum liberalitate donaria ipsi arcæ appensa quæ multa & maximi precii erant, sibi usurpavit; nec putans ex hoc satis se iniuriæ Religioni intulisse Monasterium ipsum Divo illi Augustino à quo Christianam fidem Angli acceperunt, in dicta civitate Cantuarienſi dicatū, omnibus thesauris (qui etiam multi & magni erant spoliavit: & sicut seipsū in belluam transmutavit; ita etiam belluas quasi socias suas honorare voluit, feras videlicet in dictū Monasterium expulsis Monachis intromittendo: genus quidem sceleris, non modo Christi fidelibus sed etiam Turcis inauditum. Quum itaque morbus iste à nullo quantumvis peritissimo Medico, alia cura sanari possit, quam putridi membri abscissione, nec valeat cura huiusmodi, absque eo quod nos apud Deū causam hanc nostram efficiamus Ulterius retardari nolentes ad dictarum literarum exsecutionem, quas ad hoc ut Henricus Rex eiusque complices fautores, adhærentes consultores, & sequaces etiam super excessibus per eū novissime, ut præfertur, perpetratis, intra terminū eis per alias nostras literas præfixum ut se excusent, vel alias pœnas in ipsis literis contentas incurrant, extendimus & ampliamus*

publica-

publicationem, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum calendis Ianuarii, anno incarnationis dominicæ, milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo, Pontificatus noſtri quinto.

Viſa I. Sauli Bloſius. Bap. Motta.

Et Pontifex quidem nihil aliud cogitabat, quam ut medicinam afferret morbo incurabili. Henricus vero hoc unum agebat, ut miſerias ſuas, quibus addi nihil poſſe videbatur, augeret. Cui Cormuelus conſilium ſugeſſit, quo omnium Angliæ monaſteriorum bona (qua erat inexplebili cupiditate) ad ſe transferret. Ita Henricus expulſis quatuor Fratrum Mendicantium, quos vocant, ordinibus, Auguſtinianorum ædes Cromvelo aſſignavit, donoque dedit quo ille loco, cœptum ſplendidiſſimum ædificium, fortuna eius mox pedem retro ferente, finire non potuit. IV. deinde Cal. Majas coactis Regni ordinibus, decretum eſt, ut omnia Religioſorum utriuſque ſexus monaſteria voluntati Regiæ permitterentur, bonaque univerſa fiſco cederent. Quo Senatus conſulto promulgato, vidiſſes illico vaſtata templa, ſacras domus dirutas, & eos, qui relicto mundo ſe Deo conſecraverant, ejectos, direpta denique & expilata cuncta. Cui injuſtiſſimæ uſurpationi, ut colorem aliquem faceret, non minus non quam deteſtando ſtrategemate uſus eſt. Inſtrumentum quoddam in formam libelli ſupplicis, Monachorum nomine conſcribi juſſit: in quo de amiſſa libertate, deque vitæ monaſticæ ſervitute conqueſti, monaſterii omnibus bonis ſeſe ceſſuros, omniaque eorum jura in manus ſuæ Majeſtatis reſignaturos teſtarentur, ſi hanc gratiam obtinerent, ut ex hac captivitate libere exire permitterentur. Hoc ſcriptum tranſmiſit Henricus ad omnia monaſteria per nequiſſimos quoſdam homines, qui variis artibus, ut ei ſubſcriberent. Religioſis perſuaderent, mentirenturque apud ſingulos conventus, id ab aliis jam eſſe factum, immo primam hujus rei cogitationem ac mentionem non niſi à Monachis optimis ac religioſiſſimis ortam eſſe. Qua fraude circumventis nonnullis, quum major pars talem agendi modum rideret, tandem ventum eſt ad apertam vim, ad rapinas, ad cædes: Richardo Vitingo Glaſconiæ, & Hugone Feringdono Redingi Abbatibus ordinis S. Benedicti, unà cum duobus Presbyteris, VIII. Cal. Decembris martyrio coronatis. Is quem nominavimus, Glaſconienſis Abbas, vir propter ætatem fere decrepitam venerandus, & magnæ in tota Anglia auctoritatis, accerſitus à Rege Londinum, rogatuſque ut publicæ iſti donationi ſubſcriberet, quum recuſaſſet, facta abeundi poteſtate dimiſſus eſt à Rege, ut qui videri vellet vi minime hoc exigere. Sub abitum, perſcrutatis illius ſcriniis, libellus quidam contra divortium Regis ſcriptus repertus eſt, quem ſatis eſſe ad mortis prætextum Henricus exiſtimavit. Itaque nonnulla parte comitatus ſui exutus Londino dimittitur, voluntatem Regis domi exſpectaturus. Quum autem non longe abeſſet à Glaſconia, intellexit in civitate Wellenſi Nobilium conventum haberi, ſeq; vocari ut adeſſet. Acceſſit ſtatim, & curiam ingreſſus, locum ſuum qui illi debebatur inter primos, accepturus aſcendebat: quum ecce eorum, quos Rex eo deſtinaverat, juſſu vetaturus locū ibi capere, quod perduellionis crimine teneretur, ſtatimq; diſceptata cauſſa damnatur. Ad Monaſterii autem mœnia quum appropinquaret, oblato ſacerdote, qui in ipſa lectica confeſſionem audiret, ne unum aut alterum diem quidem ad mortis præparationem impetravit. Lectica enim deturbatus; ac crati vimineæ impoſitus, ad montis editi cacumen, qui Monaſterio imminet, terra pertrahebatur: ubi Monachali in habitu ſuſpenſus eſt. Idem pluribus aliis Abbatibus factum fuit: quibus mortuis, facile reliquum Monachorum vulgus diſperſum eſt, quorum omnium poſſeſſiones Henricus invaſit. Quum hac ratione Satanas deſtruendis hominum Religioſorum florentiſſimis ordinibus per Angliæ infelix Regnum fureret debachareturque: ecce ex altera parte benigniſſimi Dei erga Eccleſiam ſuam, bonitatem & miſericordiam, qui ut tam inſigne damnum reſarciret, alium longe illuſtriſſimum Ordinem his ipſis temporibus excitavit. Is fuit maxima illa & celeberrima, inferorum poteſtatem ſub Ieſu vexillo & nomine impugnantium Societas quæ in omnes Orbis terrarum partes tanta celeritate & induſtria ſeſe penetravit, nullus ut hodie angulus exſtare dici poſſit, in quo illorum fructuum, quos venerabilis illa Societas mundo peperit, illuſtre aliquod teſtimonium conſpiciatur. Eadem plures populos Eccleſiæ lucrifecit, quam vel Lutheraniſmus, vel Calvinianiſmus, vel denique ille, de quo jamdudum agimus, Henrici primatus, ab eiuſdem communione animas abſcidit. Hujus ego & ortum & magnitudinem, & factorum gloriam, ex libro 4. cap. 2. & aliis qui de hoc argumento exſtat, intelligēdam Lectori permitto ipſe in tot atrociſſimarum cludelitatum, quarum mihi vel memoria luctuoſa & horribilis eſt, funeſta hiſtoria pertexneda progreſſurus.

IV. Iam advenerat tempus, quo Anna, Gulielmi Cliviæ Ducis soror ex pacto cum certis Germaniæ Principibus inito, Henrico nubere debebat: quam etiam ob caussam magno splendore ac pompa in Angliam adducta, & triduo post ab Henrico Grenvicum deducta est. Hæ nuptiæ magnum videbantur allaturæ rebus Protestantium incrementum; Cromvelo earum actori, non mediocrem felicitatem, longe maximam vero utilitatem Duci Clivensi, cujus hac ratione contra Imperatorem majores futuræ vires videbantur. Sed omnia in contrarium cesserunt, Deo ostendere nobis volente, *ea quæ humanis nixa consiliis etiam stabilissima videntur, arenoso tamen fundamento superædificata esse.* Nam & Protestantes à Cæsare debellati sunt, & Henrico ad partes Cæsaris transeunte Gulielmus Cliviæ Dux Geldrensi ac Iuliacensi amissis Principatibus, supplicem se Carolo sistere coactus est, & Comvelus denique justas scelerum suorum pœnas tandem incurrit. Nunc tamen voluit Deus ad tempus Comvelum evehere, cujus ego honores, quos hoc procurato matrimonio consequutus est, breviter recensebo. ut tanto major ac tristior agnoscatur eius calamitas & ruina. Idibus igitur Aprilis ipse ab Henrico Essexiæ Comes, simulque magnus Regni Camerarius creatur: filius autem eius Gregorius Baronis dignitate ornatur.

In quorum beneficiorum compensationem Comuelus rationem inivit, qua ex populi damno Regium fiscum locupletaret. Nam coactis comitiis publicis Londini, Comvelus censuit (nec, quamvis plurimis læderentur, quisquam refragari ausus est) *uti æstimatis omnium Angulorum bonis & possessionibus, Decima una, & quatuor Quinta decima Regi decernerentur; adeo, ut qui viginti aureis æstimaretur, octo; qui vero centum, quadraginta; id est, plus quam tertiam bonorum omnium partem, Regio fisco penderet.* Atque hoc ipsum eodem illo anno nondum plane elapso factum est, quo Rex omnium Monasteriorum bona ac census in suam potestatem redegerat, fisco eius tanquam inexplebili quodam gurgite omnia absorbente Eisdem Comitiis decretum est, *ut ordo sacrorum militum S. Ioannis, quos Rhonienses vulgo appellebant, qui quasi propugnaculum quoddam sunt Christiani orbis, in universa Anglia omnino tolleretur, eorum proventibus omnibus in fiscum Regium redactis.* Cromvelus, qui nihil jam posse existimaret fortunam & summam auctoritatem suam evertere, excæcatus magnitudine sua, intolerabilem exercebat in omnes crudelitatem. Nam & Doctorem Vilsonum, & Episcopum Cicestriensem, & Richardum Farmerum ditissimum civem Londinensem, in carcerem conjiciendos curavit: & Ioannem Novellum equitem auratum, delatum Regi ut suspectum, gladio feriri jussit: & plurima alia hujusmodi scelera perpetravit. Quin Legem quoque insuper tulit, *ut si quis in posterum etiam absens atque indicta caussa, læsæ Majestatis damnaretur, non minus rite damnatus haberetur, quam si omnibus adhibitis legitimis formulis per duodecim virale judicium, ad quod caussa criminales pertinent, condamnatus fuisset.* Quam Legem quum adversus alios à se latam arbitraretur, contra se ipsum tulit, nam per eam est ipse postea & condemnatus & capite plexus.

V. Henricus, quem libidines suæ defatigabant verius, quam exsatiabant tædio Annæ affici, & conjugium eius fastidire cœpit. Cujus rei caussam fuisse ajunt, vel quod, quum oratores suos ad conventum Smalcaldicum legasset, ut Anglicanam Religionem, suumque Schisma & Evangelicum Primatum, Protestantibus Principibus probaret, illud neutiquam obtinere potuerit, illis hæc omnia tanquam hæretica detestantibus: Vel, quod quum Carolus V. Cæsar cum Galliarum Rege federe percusso, in Belgium jam salvus pervenisset, & Ducem Clivensem in magnas angustias conjecisset, Henricus de ineunda iterum cum Carolo amicitia cœperit cogitare. Ad quas caussas hæc quoque accessit, quod Anna Clivensis quum Germana esset, nec Anglicanam linguam aut consuetudinem nosceret, non potuit Henrici animum, deditum luxui & voluptatibus, oblectare, aut in officio continere. Itaque in puellam quandam, cui nomen Catharinæ Havardæ fuit, quomodo Annam à se disiungeret, deliberavit.

Interea Saxoniæ Dux, & Hassiæ Landgravius, aliisque nonnulli Germaniæ Principes, arma in Cæsarem sumturi, Henricum sollicitarunt, ut eidem federi, quemadmodum se facturum primo conventu Smalcaldico promiserat, subscriberet. Henricus, qui postea mutatis nonnihil rebus, Cæsari fidem dederat, se federi illi renunciaturum, ne fidem violaret, aut denuo in se Cæsaris iram concitaret, negavit Germanis quod postulabant. At Cromvelus, cuius ministerio cuncta gerebantur, quod propter societatem hæresis Germanis gratificari cuperet, nec ignoraret Henricum sibi à Cæsare timere, & molestе

non

non laturum, si Cæsar bello Germanico detineretur, illo insscio, statuit ipsius nomine subscribere. Non desunt auctores, qui affirment, Cromvelum hæc Regis jussu fecisse, idque ut satisfieret Principibus Germanis, nec Henricus jusjurandum Imperatori datum nimis apertè violaret. Certe Cromvelus, quem Henricus propter Annam Clivensem, odio habebat, hoc facto imprudens incidit in laqueos, quos aliis tendebat. Imperator enim re intellecta, de non servata fide, & fœdere cum hostibus suis percusso, cum Henrico expostulavit. Henrico, sive quod conscius non esset, sive quod hoc per Comvelum fecisset, nihil sibi ea de re constare, interposito jurejurando, protestante: Cæsar fœderis exemplum ad Regem misit. Quod ubi Cromveli manu subsignatum didicit, culpam à se amolitus, in illius malitiam conjecit, affirmans id à Cromvelo & inconsulto se, & invito esse factum. Quam ob causam quum Cæsar aliis literis Cromveli perfidiam apud Regem gravissimè accusasset, & ut pœnas scelere dignas daret postulasset: Rex occasione à Cromvelo primum, deinde minore negocio ab Anna Clivensi eadem opera sese expediendi lætus, Cromvelum, quem blandissimo vultu exceperat, interea interitum ei machinas, jussit posterâ luce in Eboracensi palatio adesse, habere enim se non parvi momenti negocia consultanda. Venit Cromvelus magna pompa lætus, & insigni clientum stipatus multitudine. Ingressus Senatum ubi consedisset, & sermonem nonnullis de rebus exorsus fuisset: Thomas Hauardus Dux Norfolciæ magnus Regni Marischalcus, & Catharinæ Hauardæ, quam Rex erat ducturus, avunculus (ut appareret, hæc omnia Annæ odio, & ut Rex Hauarda sua potiretur, gesta fuisse) Cromveli sermonem interrumpens, *De his* (inquit) *Cromvele, videbitur alias: nunc autem de aliis rebus agendum est, respondendumque tibi coram Rege de criminibus quorum incusaris, ut qui iniquitate tua & proditione hanc fere Rempublicam perdidisti. Eaque ego de caussa te Regis nomine comprehendo, jubeoque ut me sequaris. Simulque pro more, virgula quam manu tenebat, Cromvelum Duxtetigit.* Ille adeo hoc casu obstupuit, ut vix auribus oculisq; suis, rē ita se habere, crederet. Quo stupore ligata lingua, tanquā inopinato ictu perculsus, nec quid diceret, nec quid faceret, in promptu habebat, sed necessitate compellente, Ducem egredientem subsequutus est. Dux autem inspectante universa multitudine, quam talis eventus non minor admiratio quam gaudium capiebat, cum militum præfecto captivum tradidit, ut in arcem duceret. Atq; hunc summus ille rerum omnium rector ac moderator Deus felicitatis Comveli voluit esse finem: qui, ut pœnarum suppliciorumque tempus cuique assignat, hac quidem vice in miserum Comvelum justam iram suam effudit, post mensem tertium nondum elapsum, ex quo ad summam dignitatem Henricus eum evexerat, hoc est, eo tempore, quo humanum judicium, cui ad providentiæ divinæ arcana non datur penetrare, nihil minus, quam hunc fore eius exitum cogitasset.

Actor, qui fuit Rex ipse Henricus, volebat ut secundum legem, qua paulo ante ipse rogaverat, absens atque indicta caussa condemnaretur, atque ita eodem, quem in alios acuerat, ipse gladio periret Convictus igitur criminum, hæreseos, perduellionis, feloniæ, quam vocant (cujus generis sunt furta, homicidia & similia) ac demum peculatus seu repetundarum, pronunciata sententia, publicè supplicio afficitur, & unà cum ipso crematur Gualterus Baro Hungerfordius, de scelere quodam infando condemnatus. Bona verò omnia, quæ ad Cromvelum pertinebant, statim publice sub hasta venierunt. Occiso Cromvelo Rex misit evestigio qui nunciarent *vxori Annæ, non expedire multis de causis, ut diutius matrimonio conjungerentur. Et quanquam Majestati sua non deesset legitimæ rationes, ob quas severius suo jure cū illa agere posset, maxime quod hæresi depravatam sciret; tamen in eorum gratiam, è quorum familia oriunda esset, quam posset, benignissime se eam dimissurum, & cupere ut à matrimonio ipsa discedat.* Anna cognito Regis morbo, quum amisso, quod habuerat præsidio, non jam disceptandi caussam suam adesse tempus probè sciret, morem gerere constituit, Sed ut prætextum ignominæ suæ haberet, & sinisterius suspicandi causas præcideret, in Senatu ultro fassa est, se ante nuptias Henrici cum alio quodam clanculum contraxisse: quod falsissimum tamen fuisse proditur. Audita Annæ confessione, Comitiorum auctotitate divortium interpositum est inter Henricum & Annam post sex menses quā ducta fuerat duxitque octavo deinde die Henricus quintam vxorem Catharinam Hauardam: ex quinque quinque vxoribus duæ Catharinæ fuerunt, & totidem Annæ, omnes ferè pares calamitate, & una prætèrea Java Seimera.

VI. Hoc-

VI. Hoc modo quum Henricus tum ab eo, qui Proteſtantium cauſſæ favebat, tum ab Anna Clivenſi ſeſe expediviſſet; non tamen deſtitit quidquid inviſum ipſi eſſet, cædi deſtinare, ita crudelitatibus aſſuetus, ut vix vivere ſibi videretur, niſi ſanguinem quotidie effunderet. Unde ad III. Calendas Auguſti, tres viri Catholici Theologiæque Doctores, Thomas Abelus, Edovardus Povelus, & Richardus Feterſthonus, extremo ſupplicio affecti fuerunt: quo etiam ipſo die tres hæretici Zvingliani, Barnus Gerardus & Hieronymus mortem ſubire coacti ſunt: ita quidem, ut ſinguli Catholici cum ſingulis hæreticis (deteſtabili prorſus copula) in eadem crate conjungerentur, hoc eſt, mors vitæ, tenebris lumen, & infernus Paradiſo ſociarentur. Cujus rei novitate quum omnes obſtupeſcerent, Palatinus quidam ex Henrici aula petiit, quænam cuique cauſſa mortis eſſet? quumque accepiſſet, alios ob Religionem Catholicam defenſam, alios ob eandem impugnatam morti eſſe adjudicatos: *næ* (inquit) *in poſterum ergo Regia Religionis ero, hoc eſt, nullius.* De aliis pluribus præterea, quod nollent Eccleſiaſticum ſuum Primatum agnoſcere, ſupplicium Henricus ſumſit.

Deſperata jam in Angliæ Regno cauſſa Religionis, quum aliud remedium ſupereſſe non videretur, niſi ut Religio omnis abjiceretur, ſpes tamen exorta eſt nova, omnia in integrum reſtituendi: ſed eam eventus fefellit. Anno 1541. habita ſunt Ratisbonæ Imperii Comitia, præſente Carolo Imperatore, de aliqua concordia in negocio Religionis, ſi fieri poſſent, ineunda, cujus etiam rei cauſſa Paulus III. Pont. Cardinalem Contarenum cum Legati auctoritate eo deſtinaverat. Rex etiam Henricus eò miſit Henricum Cnevetum, equitem auratum, & Stephanum Gardinerum Vintonienſem Epiſcopum, partim ut eam, quam in fidei negocio ipſe rationem ſequebatur, qui Lutheraniſmum amplexus non fuiſſet, ſed aliud à Catholicis & Proteſtantibus diverſum ſchiſma introduxiſſet, Germaniæ Principibus probarent: partim ut rationem quandam cum Cæſare inirent, qua ad Vniverſalis Eccleſiæ communionem Henricus rediret. Iam enim tot mutationum diſtractionumque quibus innocens Eccleſiæ tunica diſcindebatur, pigere ipſum incipiebat.

Sed non fuit ita firmus & conſtans hic Regis animus, quin decretum eius mundanæ rationes impedirent. Nam ut ſalvo ſuæ Majeſtatatis honore de hac reconciliatione ageretur, negocium ſuis dederat, honor autē iſte Deo & Eccleſiæ ipſius ignominiam cedebat. *Redire enim, vnde abierat, volebat: at reddere Eccleſiæ quod rapuerat, nolebat nec ullam admittebat mentionem pœnitentiæ, aut publicæ enormium ſuorum criminum confeſſionis, quam tamen in recipiendo peccatore pœnitenti intervenire deberet, Eccleſiaſticis Canonibus ſancitum eſt.* Itaq; negatus illi eſt ad Chriſti ovile aditus, propterea quod intrare, non revocata ab errore revocata, ſed ut lupus cogitabat. Quamquam neſcio an ſatius futurum fuiſſet, ſi ex præſcripto harum legum, quamvis nefas ſit eas violare, in hoc quidem caſu, qui poterat emendationem in aliud tempus promittere, actum non fuiſſet. Eodem tempore Henricus, quo de ſalute animæ ſuæ diſceptabat in conventu Ratisbonenſi, vxori ſuæ interitum in Anglia meditabatur: quæ adulterii apud Regni Ordines, ipſo accuſante, convicta, cum mœchis ſuis Thoma Colpepero ab Culpepero, & Franciſco Dirhamo ab Durantio necidata fuit. Henricus, quamvis poſt repudiatam Cæſaris materterā Catharinā infeliciſſime ipſi matrimonii cederent, non tamen à ſextis nuptiis contrahendis abſterritus, Catharinam Parram viduam, Baroni Latimero prius nuptam, quæ Comitis Eſſexiæ ſoror fuit, vxorem duxit Anno 1543. hoc ſolo beatam, quod Rex prius è vita ſublatus eſt, quam ex vita ipſam (id quod in animo habuiſſe dicitur) ob hæreſis crimen, cui ſe infenſiſſimum profitebatur, ſuſtuliſſet.

DE MORTE REGIS HENRICI, ET quamvis ſera eius reſipiſcentia, ac teſtamento eiuſdem.

Caput Quintum.

ARGUMENTUM.

I. *Henricus ædes ſacras, hoſpitalia, Seminaria, Collegia, diripit ac deſtruit, & Thomam Havardum ſupplicio addicit.*

II. *Morbo affectus, magna animi conſternatione ab Epiſcopis ad ſe accerſitis conſilium ac modum reconciliationis cum Eccleſia exquirit.*

III. *Franciſcanorum templum reſtaurat, ac ſolenne Miſſæ ſacrificium reſtituit: teſtamentum condit: ſub una tantum ſpecie Euchariſtiam ſumit, ſumma cum reverentia & honore ac tandem obit.*

IV. *Leo-*

IV. Leonis X. Bulla seu decretum quo Henrico Defensoris Fidei titulus tribuitur.
V. Mores & ingenium Henrici VIII. *regis.*
VI. Monumentum eius memoriæ à Cardinali Polo exstructum.

I. QVum huius quoque nouæ Catharinæ tædium Henrico obrepsisset, redijt ad mores suos, nec content⁹ sacrilegijs, cædib⁹, deuastationib⁹, incæstibus, nec satis habens, Ecclesiæ bona expilasse, omnia quæcunq; potuerat, iniustissime deprædasse, Monasteriorum etiam plumbum, & lapides, & ligna vendidisse, thesauros Reliquiarumque arcas diripuisse, & Martyrum cineres vento commisisse quinimmo parum existimans, ex insatiabili opum cupiditate populum suum nouorum vectigalium impositione exhausisse, æstimatis subditorum suorum bonis, eorum bonam partem ad se rapuisse, ad subueniendum luxui & stultissimis erogationibus suis monetam, per summam iniquitatem adulterasse: his, inquam, rebus omnibus nondum exsatiatus non modo Anno 1545. VIII. Cal. Decembris, ex omnibus censibus annuis totius Angliæ tam Decimam quam Quintamdecimam sibi soluendam instituit, verum etiam potestatem summam accepit in Ptochotrophia & Xenodochia, in omnia etiam Nosocomia, Seminaria & studiosorum Collegia, & in omnes denique Missarum fundationes, adeo vt nihil iam superesset ab eius tutum libidine. Et hic quidē Henrici aduersus Ecclesiam furoris vltimus impetus fuit. Crudelitatis vero suæ postremum exemplum edidit in Thomam Hauardum Norfolciæ Ducem, equitem auratum iam senio confectum, perpetuis carceribus adjudicatum: tum Henricum: Surriæ Comitem, securi percussit, quorum vtriusque opera in omnibus bellis, patris vero etiam in peruersis suis consiliis promouendis, vsus fuerat. In quo parem euentum sortitus est cum reliquis, quos vidimus, vt Henrico se probarent, patratis maxime omnium detestabilibus sceleribus in maximas cailamitates & ignominiosam mortem incidisse, vt Volsæum Cardinalem, Annam Bolenam, Grajum, Careum, Huttonum, Thomam Georgiumque Bolenos, Cromuelum: & infra videbimus Cranmerum Cantuarienſem Archiepiscopū, qui contra Serenissimam Catharinam sententiam pornunciauerat, à Maria Catharinæ filia, iustissimo iudicio flammis tradi: vt intelligatur, poenam cœlitus decretam, a nullo euitari posse, sed serius ocyus quibusque digna factis præmia reponi, Quin etiam postea, rerum potiente Elisabetha, illius quem diximus, Surriæ Comitis maior natu filius Thomas Hauardus postquam in euertendo bono publico Regni Anglici, & exstirpanda Religionis Catholicæ memoria quantum potuerat allaborasset, tandem ipse quoque existimationem vnà cum vita, publico affectus supplicio, amisit, Sed quum omnes fere, qui Henrici libidinibus manus administras præbuerant, per ipsius Henrici manus Deus puniuisset, ad extremum etiam ab ipso poenas repetere eidem est visum, vt intelligeret, quam sit forte brachium Domini: & vt pateret nunquam quemquam per aliena mala ad sincerum bonum peruenire, & quamuis per diuersa interualla eundem tamen omnibus finem instare.

II. Henricus igitur in morbum incidit, quo etiam exstinctus est. Hæc illi turpissimarum voluptatum, quibus animam suam inquinauerat, pendenda vsura fuit. Iam qui toti modo ruinam minitabatur, qui ipsi etiam cœlo machinabatur interitum, qui indomitus, inuictus atque adeo omnibus formidabilis fuerat; eum ecce momento temporis superatum, prostratum, & duobus aut tribus paroxysmis pæne oppressum! Morti vicinus, in magnam conijcitur trepidationem & metum, sola eius cogitatione finem ipsi accelerante. Iam omnium, quæcunque vnquam nequiter designauerat, animum subiens memoria territabat: Iam quantum cruciatum ipse subditis suis à se morte affectis, inflixerat tantum sibi in vnica morte paratum cernebat *Hæc illum hora docuit, vitam nostram nihil nisi Comœdiam quandam esse* (quamuis quæ ipse gesserat, potius cruentæ cuiusdam Tragœdiæ nomen mererentur) *nec quam diu, sed quam bene acta sit, referre: hac didicit, quamuis magnum annorum numerum, postquam effluxit, instar vnici momenti, aut vnius diei nobis esse, ideoque bene viuendo huc esse contendendum, vt vnicus dies sit nobis instar ævi integri.* In his augustijs constitutus, singulis horis in memoriam sibi reuocabat, exiguo illo, quod exegerat, vitæ spacio, quantis malis populum suum affecisset. Ita tacta diuinitus conscientia, quum penitus intimos eius recessus excussisset, iam incipiens meditari salutem suam Princeps miserrimus, statuit reuerti ad Ecclesiam, per

quam datur accessus ad cœlum, & in hanc sacram Arcam se recipere, vt à tam vasto hæresium diluuio, quod orbem terrarum inundabat, immunis esset. Conuocatis igitur Episcopis nonnullis, de hac re consultationem instituit. *Fit enim, vt malis calamitatibusque pressi, plus consilij, sapientiæ & sanctitatis habeamus, quam fortunam prosperam experientes, cuius fauore velut inebriati, amissa iudicandi facultate omnia nobis amica, nihil infestum opinamur: prorsus quasi irreconciliabile bellum esset prosperitati cum recto iudico, & blandienti fortunæ cum bona mente.* Deficientibus iam viribus, Henricus in ipso agone receptui canens, consuluit Episcopos, qua ratione ad Ecclesiæ vnionem, quam adeo crudeliter ruperat, redire posset. Illi quamuis quid factu opus esset, probe intelligerent, tamen quid Henrico responderent hæsitabant. nam eum, qui nihil non scelerum libere audebat, libere alloqui nemo audebat. Versabantur ante oculos complura exempla eorum, qui quum sententiam iussi à Rege dixissent, tamen neci eiusdem mandato dati fuerant. Hic eos metus reprimebat, ne pectoris sui sensa patefacerent aut veritatem Adeoque vnus ex Episcopis respõdit, *Regem omnibus viris sapientiorem esse, & diuino consilio Ecclesiæ Romanæ Primatum abdicasse.*

Ecce tibi in horum tergiversatione & adulatione tormenta & gehennam eorum qui Principibus placere vnice student: qui sane eo nomine infelices censendi sunt, quod veritatem raro audiant, vt quæ odium plerumque parere solet Nihil est aulicis hominibus fucatius simulatiusve Principis sui fauorem vel Cœli ipsius iactura emerent. Quanquam Vintonienſis Episcopus secus Regi suasisse dicitur, *vt conuocatis Regni Ordinibus, rem tanti ponderis, vnde Anglicani Regni vel felicitas vel exitium dependeret, cum illis communicaret; id ipsi, tum ad nominis gloriam, tum ad tranquillitatem conscientiæ plurimum profuturum. Quod si ad eam rem, vi morbi inualescente, spacium temporis non daretur, saltem voluntatem ipsam & conatum minime inutilem futurum. Deo enim vel solum cordis votum non minus gratum futurum, quam si voto suscepto per omnia respondisset.* Sed non ita firmas radices egit in Henrici animo hæc monitio, quin parasitorum superuenientium voces, quamcumque illa ingenerauerat bonam voluntatem, iterum evellerent. Verebantur enim, ne de bonis Ecclesiasticis, quæ ipsi inuaserant, controversia illis moueretur, & ne ad reddendum, quæ iniusto titulo possidebant, adigerentur. Ad nihil igitur aliud valuit hæc Henrici cum Episcopis de restituenda vnitate Ecclesiæ oratio, quam vt vermem quendam in peruerso & cauteriato eius animo relinqueret, qui tum quidem grauiter eum læsit, postmodum vero vsque adeo excarnificauit, vt post tam multa patrata scelera, voluntatem conciperet vnum opus bonum faciendi: quod quidem opus pauperibus in magnas angustias iam redactis, insignem commoditatem attulit.

III. Vigesimo enim & primo die ante mortem, iussit aperiri & purgari Ecclesiam Fratrum Sancti Francisci, quæ ad eum vsque diem, pulsis Monachis, clausa remanserat: voluitque Missam in ea celebrari, eamque parochialem fieri tertio Nonas Ianuarij Ad quam solennitatem congregato vniuerso populo, frendentibus ac pudore suffusis Lutheranis & Zuinglianis Hæreticis, Episcopus de Rochester, Regis Eleemosynarius, ad continuanda Religionis Catholicæ pia exercitia populum exhortatus, Regis pietatem ac munificentiam collaudauit, qui in medio tantarum confusionum in Regno suo, in quo Ecclesiæ honos nimium iam emarcuerat, eiusdem renascentis noua germina videre cuperet. Quæ res tantum excitauit in multitudine gaudium, vt vix à lachrymis sibi plerique temperare possent. Pergens Episcopus literas protulit, quibus sua Maiestas in vsus pauperum perpetuos, prædictam Ecclesiam Franciscanorum, iam Regia auctoritate parochialem factam, vnà cum Sancti Bartholomæi hospitali eidem annexo, annuisque censibus aureorum fere mille, duabusque alijs parochialibus Ecclesijs, Sancti Nicolai & Sancti Eduini, ciuitati Londinensi dono dabat; ea conditione, vt omnes istæ res Ecclesiæ, in vnam illam, quæ Monachorum erat, coalescerent, eaque perpetuis deinde temporibus hac inscriptione notaretur: *Ecclesia Christi ab Henrico octauo Angliæ Rege fundata.* Et hæc quidē quamuis nimis vilis & exigua admodum satis factio esset pro tot prius factis direptionibus, spem tamen atque ea spectationem hominum superabat. Semper enim ita crudeliter & barbare Regnum administrauerat, vt ne optari quidem ad extremum exigua illa restitutio, nec tam placidus vitæ exitus posse videretur. quamuis ne tunc quidem à perpetrandis ijs, quæ minime ipsi licebant, abstineret. Quibus ita constitutis, augescente ægritudine,

gritudine, de successore cæpit cogitare Præuidebat enim tumultus & bella, quæ exsistere possent propter implicatissimas tot vxorum rationes. Nam quum sex habuisset, tres Catharinas, duas Annas, & vnam Ianam: ex Catharinis primam repudiauit, secundam adulterio conuictam supplicio affecit, tertiam superstitem reliquit: ex Annis, Bolena quidem, plurimorum malorum radix, ob coniugij fidem violatam capite plexa est, altera vero dimissa: Iana denique aperto ad fœtum seruandum vtero perijt, Augebant hanc sollicitudinem varia sororum eius, in Scotia, Gallia, & Anglia matrimonia. Itaque rogatus ab Ordinibus Regni, vt ipse statueret, quid cuique in Regni successione iuris ac rationis esse vellet, Testamentum condidit, & in eo statuit, *vt Eduardus filius ex Iana Seimera, nouem annos natus primas omnium regnandi vices acciperet: cui sine legitimis hæredibus defuncto, Maria ex Catharina filia succederet: Maria similiter sine liberis mortua, ad Elisabethã Annæ Bolenæ filiam corona deuolueretur: postea his deficientibus, ad illos transiret successio, ad quos iure communi pertineret. Deinde impuberi filio sedecim constituit Tutores & Curatores, qui in fide Catholica eum educarent, quos adiurauit, vt in hæresibus tanquam peste hominum, ex Angliæ Regno exterminandis omnem operam collocarent.* Ad hunc modum in media illa perturbatione, compositis rebus, quum ægritudo maiores indies vires acquireret. Missam celebrari iussit: quumque sub vnica specie (quod semper obseruauit) cummunicaturus, de cathedra, in qua sedebat, assurgeret, vt genibus in terram defixis, Saluatoris nostri Corpus adoraret; Zuinglianus autem quidam, qui adstabat, diceret, *posse Maiestatem suam in hac imbecilli valetudine sedentem in cathedra Eucharistiam percipere:* diuino afflatus zelo respondit, *Si me non modo vsque ad terram dejcerem, sed & sub ipsam terram demitterẽ, ne sic quidem satis honoris huic Deo, à quo quicquid possideo profectum est, mihi viderer delaturus.* Instante mortis articulo, pateram vini albi popposcisse dicitur, & hæc verba dixisse: *omnia perdidimus;* deinde intermortuis vocibus, *Monachorum nomine aliquoties ingeminato exspirasse;* non alia relicta sui memoria, quam quod diu, quidem, sed male vixisset. An. 1509. VIII, Kal. Iul. orsus regnare Regnauit annis triginta septem mensibus decem, diebus sex, quorum fere viginti vnum in pace Catholica transegit, sed reliquo tempore supra fidem cruentas exhibuit tragœdias, desijt autem An. 1547. ætatis 66. Indole fuit generosa quidem, sed nimis mulierosus & voluptarius. Nam libidinis causa ab Ecclesia secessionem fecit, propterea quod Summus Pontifex non permitteret ipsi optimam Reginam Catharinam repudiare, vt in matrimonium assumeret lasciuam illam Bolenam, quæ postmodum effrenatæ libidinis condignas subijt pœnas. Literas amauit: & edito aduersus Lutherum libro, magnificum sibi titulum acquisiuit: quam rem quia supra quoque attigi, visum est operæ precium hoc loco apponere Leonis Decimi Pontificis Constitutionem, qua insignem titulum *Defensoris fidei* Henrico non diu inhæsurum assignauit.

Cum nuper dilectus filius Ioannes Clercus Maiestatis tuæ apud nos Orator in Consistorio nostro coram venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, librum quem Maiestas tua fidei Catholicæ zelo accensa, ac deuotionis erga nos, & hanc sanctam sedem feruore inflammata, contra errores diuersorum hæreticorum sæpius ab hac sancta sede damnates, nuperque per Martinum Lutherum suscitatos composuit nobis examinandum, & autoritate nostra approbandum obtulisset; ac luculenta oratione exposuisset, Maiestatem tuam paratam esse, vt quemadmodum veris rationibus, & irrefragabilibus Sanctæ Scripturæ ac Sanctorum Patrum autoritatibus notorios errores eiusdem Martini confutauerat; ita etiam omnes eos sequi ac defendere præsumentes, totius Regni sui viribus & armis persequi, &c. Nos qui Petri, cui Dominus gregis sui curam supremam commisit, successores sumus, & in hac sancta sede à qua omnes dignitates ac tituli emanant, sedemus habita super his cum ijsdem fratribus nostris matura deliberatione, de eorum vnanimi consilio & assensu, Maiestati tuæ titulum hunc, videlicet, Fidei Defensorem, donare decreuimus; prout te tali titulo per præsentes insignimus; mandantes omnibus Christi fidelibus, vt Maiestatem tuam hoc titulo nominent; & cum ad eam scribent, post dictionem, Rex, adiungant, FIDEI DEFENSORI.

Et profecto, huius tituli excellentia & dignitate, nullum neque dignius; neque Maiestati tuæ conuenientius, nomen, consideratis meritis, excogitare potuisse mus: quod quoties audies aut leges, toties propriæ virtutis optimiq; meriti tui recordaberis; nec huiusmodi titulo intumesces vel in superbiam eleuaberis, sed humilior & in fide Christi & deuotione huius sanctæ sedis à qua exaltatus fueris, fortior & constantior euades: ac in Domino bonorum om-

nium largitore, lætaberis perpetuum hoc & immortale gloriæ tuæ monumentum posteris tuis relinquere, illisque viam ostendere, vt si tali titulo ipsi quoque insigniri optent, talia etiam opera efficere studeant. &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo quinto Idus Octobris Pontificatus nostri anno nono.

Ecce ad cœlum vsque euectum laudibus nomẽ Henrici hac Pontificis Constitutione. Libro autẽ eius non parum territus Lutherus) indignabatur enim illum ex Anglico in Germanicum sermonem ab Hieronymo Emsero conuersum passim esse in Germanorum manibus) statim conatus est respondere. In cuius responsionis Præfatione in hanc sententiam scribit: *Ad me quod attinet, ego illis sive Patrum, sive hominum, sive Angelorum, sive dæmonum testimonijs, non inueteratam consuetudinem opponam, non hominum multitudinem, sed æternæ Maiestatis sermonem, sed Euangelium, quod ipsi cogentur approbare Hic sum, hic consisto hic maneo, hic me iacto, hic triumpho, hic Papistas, hic Thomistas, hic Henricistas, & omnes inferorũ portas subsannabo. Diuinæ Maiestatis suffragio nitens, non mille Augustinos non mille Cyprianos non mille Henrici Ecclesias aduersum me insurgentes reformido.* Hoc libro innumeris iniurijs onerat Henricum Lutherus, & cuius fuerat ab Henrico accusatus conuictusque, negat se vnquã inscriptis suis falsa testimonia allegasse. Pro Rege deinde complures viri docti replicarunt, Eccius & Murnerus in Germania, ex Anglis vero Rochestriæ Episcopus & Thomas Morus, Lutherus in Responsione sua protestatus fuerat, maledictis & mendacijs se nunquam, Regem vero in libro suo sæpius vsum fuisse: quæ quidem indignissima contumelia fuit, iniuste in hunc Principem iacta. Cuius contrarium Murnerus ostendit Quinquaginta enim mendatia, cum pudore impudentissimi hæretici, in libro eius notauit, collaudato præclaro illo *Defensoris Fidei* titulo, dato huic Regi, & Successoribus eius ijs, qui rebus laudabiliter & pro Ecclesiæ bono gestis sese eo dignos præberẽt. Quam duplicem gloriæ suæ coronam merito & virtute sua, Regiæ dignitati coniunxerunt: nec ea priuari possunt, nisi per contraria merita, hæresi fatendo amittant. Nam si male sentiant de Fide, non iam sunt eius legitimi Defensores, sed sua culpa huj⁹ se tituli honore spoliarunt. Nõ enim insigniri eo merentur, nisi quamdiu sub vexillo Ecclesiæ, à qua eum acceperunt, pergũt militare. Itaq; Elisabetha Regina nullo sane iure inter ceteros dignitatis suæ insigniores titulos, etiã hunc à patre suo relictum retinuit: quum potius odij illius, quo erga sanctam Romanam sedem Henricus flagrauerat, & barbaræ eiusdem immanitatis sit hæres, quã eius boni, cuius commendatione omnes seculi sui Principes anteiuerat, vt qui tam gloriose armis Fidei, à Spiritu submin istratis Ecclesiam propugnasset. Vsurpat illa quidem *Protectrici Fidei* magnificum titulum, sed simili prorsus vanitate qua alterum illum, Reginæ Franciæ, sibi vendicat. O inanes titulos, exstructos in aere, & vanissimæ vanitati superstructos! Quidam Minister Gallicus Serresius, Reginæ Franciæ appellatione eam ornat: & obseruatum est, ipsam in Edictis suis, quum nostrorum Regum meminit, Reges illos indigitare, non Franciæ, sed Francorum. Cupit illa audire *Protectrix*, sed *Infidelitatis & Irreligionis* (si ita licet loqui) verius quam eius fidei, quæ à Saluatore Mundi orginem suam habet. Et tamen inanissima hæc vanitas in Anglia omnium assentantium applausu comprobatur. Nulla re magis fascinantur, magisve delectantur Principes, quam huiusmodi assentatione: neque vllus est harum vanitatum terminus aut modus Facillime enim quorum pectora sapientiæ & veræ gloriæ inania sunt falsæ laudis vento inflantur & turgescunt, blandientisque linguæ veneno corrumpuntur. Simillima est gloria vmbræ: vtraque enim nihil est vanius. Sed eorum titulorum, qui nullo iure nobis conueniunt, honorem affectare, quid aliud est, quam ipsius vmbra, & nihili nihilum? Quod tamen facit Elisabetha, cuius omnia facta titulis eiusdem contraria sunt.

V. Sed redeamus ad Henrici capulum, in quo aliter eum considerare non possumus, quam considerando eius putredinem, corruptionem, spurcitiem, nequitiam, flagitia, & immanitatem. Tribus maxime vitijs inquinatus fuit, fornicatione, auaritia, & crudelitate. *Fornicatio* manifesta est in tot illegitimis nuptijs, exsecrandisq; libidinibus, quibus indulgens cum luxuria coniunxerat hæresin, quæ est animæ cum diabolo adulterium. *Auaritia*, in tot incendijs, expilationibus, sacrilegijs, per summã impietatẽ ab ipso commissis, in omnibus Regni sui Monasterijs, Ecclesijs & Hospitalibus. *Crudelitas* in eo, quod post dimissam Catharinam, è sex, quas habuit, vxorib⁹ quatuor morte affecit, & præterea duas Heroinas, & tres Cardinales, quorum postremus ob solã absentiam condem-

condemnatus fuit: Magnates, hoc est, Duces, Marchiones, Comites & filios Comitum, duodecim: Barones Equitesque Auratos novem supra viginti tres. Archiepiscopos : Episcopos octodecim. Monasteriorum Abbates sive Priores , tredecim numerantur: Monachi, aut presbyteri, quingenti: Diaconi, triginta: Archidiaconi, quatuordecim: Canonici, ad sexaginta: Doctores Theologiæ undequinquaginta. Ex laicis necavit Nobiles trecẽtos quinquaginta sex: plebeios, centũ viginti quatuor: & feminas centum & decem. Ex omni numero Martyres Solius Fidei Catholicæ causa occisi censentur centum quadraginta septem: quũ ante interpositum divortium , animumq; ad libidinem applicatum, non nisi Suffolciæ Comitem, & Eduardum Buchinghamiæ ducem, è medio sustulisset.

Viros literatos semper in precio habuit, curavitque ut ad publicas professiones homines docti promoverentur, quibus etiam auxit stipendia. Episcopos (præter unum Cranmerum Cantuariensem, qui ad hoc factus est, ut divortii negocio illius libidini subserviret) & doctos nominavit & minime malos; adeo ut plerique eorum postea , tam Eduardo quam Elisabetha regnante, ob Catholicę fidei confessionem carceres & vincula subierint, nec pauci martyrii coronam acceperint. Sacramẽtum Eucharistiæ, quamvis id impedire conãtibus hæreticis, summo semper in honore habuit. Iudicio exacto & gravi fuit, sed quod vini potu facile corrumperetur : quæ res non raro subditis ipsius perniciem attulit, lenonibus, adulatoribus atque hæreticis (quibus Aulam ejus Anna Bolena repleverat) quidquid vellent ab ipso impetrantibus.

Levitas in quibusdam ejus actionibus fuit. Nam levissimis atque adeo ineptissimis de caussis quosdam ab ipso magnis dignitatibus ornatos fuisse, historiis proditum est; ut intelligatur, posse etiam magnum Regem in stultitiam incidere, & se deridendum aliis propinare. Alius enim ob porcellum egregie assatum (quo genere cibi libentissime vescebatur) alius ob Exedram regiam commodiori ab igne distantia dextre locatam, alius denique quod in lusu aleæ elegantius se ac facetius gereret, nõ beneficio solum, sed etiam honore auctus dicitur. Quod genus compensationis tam male atq; inepte collocatũ, Regiæ liberalitatis nomen nõ meretur.

Sed omnia , quæ perverse ab Henrico patrata fuerunt, in compendium conferre, eorumq; summam quandam ad posteritatis memoriam monumenti loco transmittere, impossibile foret: & præstaret, æternis oblivionis tenebris eadẽ sepulta jacere. Et sane hæc via est, qua (ut Plutarchus ait) improbi ad mortem contendunt , quæ in abyssum quandam tenebrarum eos præcipitat

Quã Mortis tenebrosa palus Acheronte refuso
Evomit obscuras atro de gurgite noctes:

defodiens eosdem atque absorbens in oblivionem Plutoni & Manibus sacram.

VI. Polus Cardinalis quandam sepulchri inscriptionem commentus est, quæ Henrici res gestas, tanquam in brevissima tabella tribus verbis descriptas conspiciendas exhiber. Verba ipsius hæc sunt: *Si quis vellet* (inquit) *unica inscriptione probrosissima, omnium ejus scelerum ac iniquitatum quasi summam quandam simul complecti ; nihil esset tam efficax ac idoneum* (considerata Henrici vita) *quam si sepulchro ejus insculperetur titulus ille, quo ipse in vita tantopere delectus est* , Supremum Ecclesiæ In Terris Caput. Hæc Polus Vbi considera mihi, Lector, quid mors possit. Iacent jam tituli illi superbi , jacent coronæ, jacet fastus jacent inimicitiæ adversus Ecclesiam susceptæ : nec jam Henricus majorem vel in hoc seculo gloriam habet, vel in altero cruciatum, quam, *Fuisse*. Nam quæ communes omnibus sunt miseriæ, ab iis ne quidem Regalis dignitas est immunis. Monumentum Henrico magnificum positum est, quod etiam nunc Londini conspicitur, totum ex ære , vermiculato ad effigiem florum aliarumque figurarum opere circumdatũ. Quod diutius fortasse durabit, quam duravit ipse. De nostris Regibus canit Ronsardus quæ cuilibet aptes.

Sacra Dionysio cælato fornice templa
Lustrans, spectabam Regum monumenta potentum,
Imperio quorum quondam concussa tremebat
Francia, qui magnos animos spes pectore magnas
Gestabant, fastu elati, quorumque voluntas
Lex erat, & forti fera milite bella ciebant:
Hos ego quum in cineres & humum jam morte redactos
Nec plus quam truncum aut saxum jam posse videre,
Dicebam tacitus: Tantum sunt nomina Reges:
Nam quotus ex tanto numero post funera vivit?

At Henricus non vivet, nisi cum hac nominis sui perpetua infamia, quod infelicissimis auspiciis regnaverit, & hæresi viam patefecerit, quę per ipsius libidines ingressa pedem in Angliæ Regno fixit. Manebuntque in hominum memoria depravati ipsius mores, tanta varietate, & vitiorum virtutumque tam admirabili pugna inter se collisi.

DE EDVARDI VI. REGNO: CVIVS AVVNculus hæreseos & Regni protector, Lutheranissimum promulgat. De Cranmero primo Anglorum Apostolo : & quomodo Maria sola inter Principes Catholicam religionem professa sit.

Caput Sextum.

ARGVMENTVM.

I. *Henrico post mortem falsum testamentum supponitur.*

II. *Eduardus Seimerus regis avunculus, nepotis ac hæresis tutelam ultro suscipit, ac proregem se constituit.*

III. *Lutheranismus in Anglia publice concionibus habitis primum divulgatur. Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis ex sacerdotum numero primus in Anglia uxorem ducit Hugonis Latimeri, primi Anglorum (scilicet) Apostoli historia.*

IV. *Martinus Bucerus, Petrus Martyr & Bernardus Ochinus in Angliam proficiscuntur.*

V. *Nova religionis forma ab Anglicana Curia præscripta.*

VI *Sola Maria Eduardi regis soror, Catholicam religionem in aula Anglicana profitetur.*

I. IN sono, qui aures nostras ferit, ita se res habet, ut interruptus repetitusque, quam continuus, sit molestior. At malorum, quæ animum lædunt, alia est ratio. Ea enim leviora & tolerabiliora videntur, quum eorum per intervalla sunt quædam remissiones, quam si nunquam patiantur nos respirare. Illa quidem, sub cujus pondere etiam nunc Anglia gemit, calamitas, tantum abest ut cessaverit per mortem Henrici, cum quo unà & schisma, &, unde illud prognatum fuerat, odium eodem tumulo condendum putabatur, ut majus etiam incrementum acceperit, deincepsque indies in pejus progressa fuerit. Hæresis enim Henrici primum auspiciis concepta, edita in lucem fuit sub Regno pueri, cujus jam vitam describemus: at Elisaberha deinde regnante ad justam magnitudinem excrevit. Neque enim ullius magis idonea auspicia esse potuissent ad spuriæ illius Religionis augmentationem, quam illius, quæ publico Ordinũ Angliæ decreto spuria declarata fuerat. Vix exspiraverat Henricus VIII. quum qui lecto proximi erant, aliud testamentum, diversum ab eo quod ipse condiderat, suppositum fuerunt, & Henrici nomine obsignarunt. Quo scelere omnem Regiæ successionis legitimum ordinem interverterunt *Margaritam enim Henrici Septimi* filiam majorem natu, quæ Iacobo Scotorum Regi Anno 1500, nupta fuerat, & ad quam post Henrici Octavi liberos legibus Angliæ jus Regni pertinebat, prætermiserunt, reliquis, quæ Henrici testamento continebantur, nihil immutatis, intenti in hoc ut imbecilli stirpe sublata ipsi in Regnum sese insinuarent, uti docuit eventus, quamvis is fortuna adversa conciderit. Et tamen ne sic quidem Testamento obtemperatum est prorsus quasi Deus ipse (punire volens in hoc mundo eum, qui ex hoc mundo sublatus jam fuerat) curasset, ut cujus tam formidabilis auctoritas fuerat, eum omnes jam contemnerent, & extremam ejus voluntatem infringerent. Mors ejus per aliquot dies occultata nam, 3 Non. Ianuar. obiit, 7. Calen. Februar. evulgata est. & interea, quo facto opus esset, consultatum fuit. Tandem *Eduardus* Henrici ex Iana Seimera filius nonum ætatis annum agẽs, *non tantum Rex, sed & summum Ecclesiæ Anglicanæ caput* pronunciatur. Quo facto ii, qui detestabiliũ harum legum prima fundamenta jecerunt, quam parum cerebri haberent, testatum fecerunt, dum animas captivarunt sub illius spiritualem auctoritatem, cujus ob ætatem teneram & servili simile conditionem nulla erat auctoritas. Nam quũ omnium confessione nec infantium, nec puerorum, nec adolescentium ætas ad negociorum mundanorum procurationem sit idonea : multo minus ad cœlestia expedienda inesse illis aliquam aptitudinem existimandum est. *Sed ea est hæreseos cæcitas, ut maximos quosque defectus minime omnium agnoscat.* Equidem præviderat Henricus, quid ex filii sui imbecilli ætate eventurum esset mali: sed non satis providerat. Constituerat ille impuberi filio suo sexdecim gubernatores a quali potestate: ex quibus non pauci erant Catholici, nec quidquam antiquius habebant, quam exsequi, quod Henrico divinitus inspiratum fuerat, hoc est, ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem & Sacræ Romanæ Sedis obedientiam totius Regni statum revocare. Sed qui potentia prævalebant, quum lõge aliud animo agitarent, haberentque sibi propositum hæresin promovere, & nollent res Ecclesiæ ablatas restituere ; statuerunt impedire ; ne Princeps in horum sexdecim Tutorum potestatem veniret : qui si ad rerum gubernacula admoti

moti essent, haud dubie negociorum illas turbas confusionesque ad felicem aliquam tranquillitatem perduxissent.

II. Erat Ianæ Seimeræ frater, *Eduardus Seimerus*: hic quum esset Eduardi Regis avunculus, tunc Hertfordiæ Comes, sed paulo post Somersetti Dux, Zuinglianæ hæresios contagione infectus, statuit propria auctoritate seipsum creare Regis tutorem Regnique Protectorem. Quod & fecit, nullo contradicente, præter Thomam Vrislæum, virum Catholicum; quem Henricus summum Regis Cancellarium moriens reliquerat. Statim vero atque summam dignitatem adeptus fuerat, ut eam conservaret, non neglexit quãplurimos beneficiis sibi obstringere, eorumque benevolentiam comparare, quibus Reipublicæ salute privata utilitas est antiquior. Itaque (quod facile erat) Regi puero autor fuit, ut novorum honorum accessio Regis nomine iis fieret, qui eos mererentur. Factus est ergo *Protector ipse Somersetti Dux; Parrus vero Essexiæ Comes*, qui Catharinæ ab Henrico relictæ frater erat, Marchio Northamtoniæ declaratur; *Joannes Dudlæus Lislensis* Baro, Varuici Comes constituitur; *Thomas Seimerus Protectoris frater*, Sudliæ fit Baro & supremus Classis præfectus; *Richardus Riccius ac Edmundus Sheffeldus* equites aurati renunciantur Barones; *omnes hæretici*. Et his fundamentis Seimerus auctoritatem suam firmavit. *Thomam vero Vrislæum Cancellarium virum Catholicæ fidei deditissimum*. Suthamtoniæ Comitem declararunt quidem, sed eundem postea & Magistratu se abdicare coegerunt, & ex Senatu Regio tam illum quam *Arundeliæ Comitem*, quod essent Catholici, ejecerunt. Hoc modo quum omnium sibi animos conciliasset, simulque Regiam potestatem consequutus esset, pro libitu eam administrabat; adeoque absolutum imperium exercebat, ut omnia tam Ecclesiastica quam civilia non nisi ex ipsius mandato expedirentur: ipse & Gubernator, & Protector, & Prorex, & Propapa, & quid non? ita sui ex sorore nepotis puerilem ætatem gubernabat, ut quasi per ipsius os cuncta Rex loqueretur. Quare quum adhuc, licet in schismate, ritu & ceremoniis antiquis Clerici ordinarẽtur Zuinglianus ille voluit Ecclesiasticos omnes, ad nulla potestatis aut jurisdictionis exercitia aliter accedere, quam ex specialibus novi Regis mandatis, adimens illis Sacramentum Ordinis conferendi potestatem. *Cranmerus* ergo ipse, Archiepiscopus Cantuariensis, & ex antiquissimis unus, non aliter quam novis Eduardi mandatis, iisque non semper & absolute, sed pro beneplacito pueri, datis ac duraturis, potestatem suam exercere cogitur. Sed ut appareat hæreseos, serpentis Ecclesiæ hostis pestifero veneno inflatæ vanitas, ecce ipsas literas Regis, quibus ad istum Angliæ Primatem ita scribit

Eduardus Dei gratia, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, supremum in terris Ecclesiæ Anglicanæ & Hiberniæ, tam in causis spiritualibus, quam temporalibus, Caput; Reverendo Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo salutem: &c. Quandoquidem omnis juris dicendi auctoritas atque etiam jurisdictio omnimoda, tam illa quæ Ecclesiastica dicitur, quam sæcularis, à Regia potestate velut à supremo capite manat, &c. Ad ordinandum igitur quoscunque intra diœcesin tuam Cantuariensem, & ad omnes etiam sacros & presbyteratus ordines promovendum, per præsentes ad nostrum beneplacitum duraturas, tibi damus potestatem.

Has atque hujusmodi alias deteriores etiã Constitutiones Protector Eduardus Seimerus fecit, & Tẽpla, quę Henrici rabies reliqua fecerat, perrexit destruere. Henrico enim propositum fuerat, tantũ auctoritatem Pontificiam impugnare, & immotã illam rupem, cujus fundamenta is jecit, qui *oravit, ne deficeret fides illius visibilis capitis*, quod ipse ex hoc mundo migrans nobis reliquit. Sed ut melius res succederet, Novus hic Eduardi Protector publico edicto prohibuit, ne quisquam Catholicorum de cathedra ad populum verba faceret, aut Ecclesiæ Catholicæ doctrinam annunciaret, solis Lutheranis & Zuinglianis docendi permissa potestate, quibus facile erat, quum nemo publice contradicere auderet, dolis populum ductare. Hi, ut Foxius scribit, nihil urgebant majore vehementia quam *Regem, quum esset & Ecclesiæ & Regni caput, in utroque non minorem habere tum Ecclesiasticam tum civilem potestatem in hac tenera sua ætate, quam habiturus esset jam grandior effectus*. Cranmerus quoque ubique inculcabat, *Regem adolescentulum plus habere in capite scientiæ Theologicæ, quam cunctos Angliæ Episcopos*.

III. Factum est hoc edicto, ut quasi clausis cœli portis, obseratoque divini numinis favore, *inferni abyssus apertis faucibus* eructaverit ingentem numerum hæreticarum pestium sive locustarum, quæ certatim tum eloquentiam suam ostentabant, tum hæresim proseminabant. *Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus* inter primos prodiit in medium,

dium, jam palam scorto suo pro uxore utens is Catechismum erroribus, impietatibus & Atheismis plenum, Eduardo Regi inscriptum in lucem edidit, primum hæreseos fetum puero consecrans. Henricus non ita diu ante obitum, quendam Hugonem Latimerum propter suspicionem hæreseos, & comestam carnem in feria sexta septimanæ Sanctæ, de Vigornienſi Episcopatu deturbarat, (id quod argumento est, Henricum non nisi Ecclesiæ Romanæ primatum impugnasse.) Hic Hugo Latimerus ubi eam concessam potestatem accepit, cœpit passim ex publicis pulpitis detonare & conciones habere: quare comparato aliquo per Angliam nomine, vocatus est deinde *primus Anglorum Apostolus*, nimirum ex infernali illo Apostatarum cœtu delectus, nõ autem is quẽ olim beatus Gregorius Papa in hanc insulam ad fidem Christi annunciandam misit, Augustinus doctissimus Monachus, aut, talis qui Augustino illi præripere eã Apostolatus post tot sæcula laudem possit. Aduolarunt quoque ex Germania & Heluetia nõ pauci, relictis latebris suis, in quas eodem tempore ob victorias Caroli V. contra protestantes Smalcaldici fœderis cõsortes, abdiderant, apostatæ. In his erãt præcipui *Ioannes Hopperus, & Miles Coverdallus*. Quibus omnibus, Lutherano & Zuingliano more cõcionandi, ab iis, qui nihil nisi profanas hasce Religiones spirabant, continuo data copia fuit. Hi, de quibus loquor, quorum caput Protector erat, alia etiam ratione ad opprimendam Catholicam Religionem usi sunt. Regis enim Eduardi adolescentiam non nisi corrupto hæreseos lacte enutriendã curarunt, ut jam inde à teneris quasi unguiculis, pravis istis opinionibus imbutus, non facile postea ab eis recederet.

Dantur ergo Regi pædagogi duo hæresi inprimis insignes, qui Zuingliana doctrina illũ imbuerent, *Richardi Coxus* uxoratus Sacerdos, & *Ioannes Checus* Laicus; uterque Latinæ & Græcæ linguæ cognitione clarus: qui facile unà cum prima Grãmatices institutione hæreseos venenum puerili Regis animo instillarunt. Quin & seminarum ad hanc rem accessit opera. Neque enim una addita ipsi fuit vitæ morumque formatrix, velut Cornelia Gracchis, aut Aurelia Cæsari, aut Augusto Accia: verum plures huic Principi adjunxerunt principes feminas, easque hæresi deditissimas, imprimis duas Henrici adhuc superstites uxores, *Annã Clivensem & Catharinam Parram*, quarũ opera efficeretur, ut doctrinam propositam eo facilius Eduardus imbiberet. *Aulici quoque* ejus atque assecłæ cõmilitonesque ex Principum familiis adsciti, omnes erant hæresi infecti Iam, ut dictum est, præconibus fidei Catholicæ cathedras Protector ademerat: post vero etiam Academiarum pulpita Doctoribus interdixit; quã quidẽ ad rem magno molimine & artificio ipsi opus fuit. Nam quia Collegiorũ fere Rectores, homines sunt in illa natione magni loci & auctoritatis, referre solet in negocio Religionis plurimum, quomodo Universitates sint affectæ. Itaque quum fidem Catholicam maxima pars hactenus retinuisset, Protector submotis Catholicis omnibus, in eorum locum juvenes, quos Lutheri aut Zuinglii manus formaverat, substituit. Nec contentus Doctores profligasse, adversus libros etiam bellum suscepit, qui quidem (ut magni cujusdam Regis voce proditum est) Doctorum consiliariorumque nostrorum sunt præstantissimi. Nam eos auctores, qui Ecclesiasticam doctrinam tradiderunt, *D. Thomam*, *Lombardum*, *Scotum*, *legi prohibuit*. Quinetiam quasi horum clarissimorum Ecclesiæ luminum prorsus sepulturi memoriam, quorum tamen etiam in futuris sæculis laus reflorescet, quorumque nobis in tanta veneratione adhuc sunt nomina, petulantes juvenes horum Scriptorum ingentem conquisitam struem, per urbem in feretro circumtulerunt; & demum in ignem conjectos cremarunt. Qui quidem ignis aliquando ad æternum ignem illos condemnaturus est. Sed non fuit tum exstinctus ille ignis, verum vehementius etiam quam unquam deinceps exarsit; illiusque ardentis rogi fumo horum hominum animarum lumen suffocatum, mentisque oculi caligine obducti sunt. Sane per ludibrium, hoc appellabant *funus seu exsequias Scoti*: sed gloriæ potius ipsorum & fidei appellanda fuit funeratio, qua tunc exstincta, nihil illis præter infidelitatem remansit. Nihil in his Academiis vel componebatur vel exhibebatur, nisi versus, cantiones, orationes, comœdiæ, picturæ, ad exagitandam Religionem Catholicam concinnatæ: hæ sola erant tum styli tum penicilli exercitia.

IV. Ad firmius hanc rerum novationem stabiliendam, evocant ex Germania tres insignes hæreticos, *Martinum Bucerum*, *Petrum Martyrem*, & *Bernardinum Ochinum Italos*, tum Argentorati exsulantes, quibus ampliora præ aliis stipenda cõstituta sunt. Bucerum Cantabrigienſi Academiæ, Martyrem Oxonienſi præfecerunt: additis antiquis

antiquis Professorum honorariis, præbendis Canonicalibus, aliisque commoditatibus permagnis. Docebant autem ex suo quisque sensu. Protector Zuinglianismum tuebatur, Lutheranismum Cranmerus. Bucerus autem in Iudaismum putabatur proclivis, idque ob responsum quoddam illius datum Dudlæo Duci Northumbriæ, præsente Barone Bagetto, Hispaniarum Regis piæ memoriæ Consiliario. Quippe rogatus à Dudlæo Bucerus, quid ipsi de reali Corporis Christi in Sacramento Altaris præsentia videretur, respondisse fertur, *de vera corporis præsentia nullum merito dubitare posse, qui non dubitet de fide Evangelistarum: non tamen ita ego sum* (subjecit) *qui certo ea omnia credenda existimem, quæ in Novo Testamento de Christo & eius actis scribuntur, quanquam nec hactenus aperte negare libuerit.* Hæc est illa Religio, seu Religionis contemtus verius, cui superstructa est hæresis: huc tendunt tot dubia, quæ ab iis moventur, quorum pedes etiam in evidentissimis Scripturarum testimoniis, ad quemvis passum titubant. Hoc sapiunt illa Lutheri verba, ubi Monachis austeritates suas exprobrat: *Turcæ* (inquit) *pudore suffundunt nostros Monachos, qui vix umbra sunt, si cum illis componantur; vulgus autem, cum illis collatum, profanum prorsus: adeo ut nec Christiani, nec Apostoli, nec Prophetæ, nec ipse Christus unquam tantum zelum demonstrarint.*

Quæ etiam causa est, cur ad Mahometanismum non pauci hodie transeant. Calvinus etiam peius quiddam dixit. Sed horret animus, eiusmodi blasphemias hic recitare. Petrus Martyr, monachus excucullatus, qui Monialē apostatricem sibi copulaverat, quum primum veniret in Angliam, Lutheri imbutus opinionibus, sub illius signo militabat: post vero factus est transfuga. Ea erat hominis inconstantia, ut primum avita Religione, quam unà cum lacte imbiberat, relicta, ut Monachæ thalamo frui posset, Lutheranam amplecteretur; deinde vero quum in Anglia versaretur, ad Protectoris & Cranmeri arbitrium professionem fidei suæ conformaret. Sanderus optimæ fidei historicus, quique facile inter eos qui res Anglicanas memoriæ prodiderunt, palmam obtinet, se ipsum audivisse scribit, Martyrem docentem, & ita articulum de Sacramento Cœnæ Dominicæ tractantem, *ut anxius ac pendulus prorsus hæreret, Lutheranorumne an Calvinistarum partibus accederet.* Exspectabat enim indies, *ut quid sequendum esset, Parlamentum constitueret.* Itaque ut majore cum applausu exciperetur à populo, qui eum videret magna eloquentia (nam hac laude pollebat) publicis Ordinum suffragiis, & Magnatum, qui conciones ipsius præsentia sua frequenter cohonestabant, astipulatione receptam comprobatamque sententiam proponere: ratus est, suam tantisper suspendendam esse. Tandem significat illi Cantuariensis, *decretum esse à Parlamento, Calvinismum sequendum esse, non Lutheranismū:* nec tamen omnia immutanda esse, sed mansurum nonnihil inter ipsos & Galliæ Calvinistas discriminis Quo accepto nuncio, Martyr Sacramentariorum Calvinianorum hæresin libere amplectitur. Iisdem comitiis, quæ habita sunt Londini Anno 1547. pridie Non. Novemb. & quibus Martyri perditionis Leges præscriptæ sunt, formata fuit *Religionis formula adeo multiformis, ut vere eam centonem quendam dixeris ex variis diversarū sectarum partibus consarcinatum:* quemadmodum etiam de Calvini hæresi negari nequit, eam à singulis antiquorum hæreticorum, quos vetus Ecclesia damnavit, articulum aliquē hæreseos mutuatam esse. Id quod propositum mihi fuit aliquando exercitii causa accurate perpendere: jamque ad triginta hæreses collegeram, Latinaque lingua descripserā. Sed facile animadverti, majoris eam rem ingenii esse, quam ut à me feliciter absolvi possit: quamvis illi minime difficilem existimem, qui in antiquorum Patrum lectione vel mediocriter sit versatus. (a)

V. Hoc Parlamento factæ sunt *Novæ constitutiones, novaque & prioribus seculis ignota Ecclesiæ jacta fundamenta. Hoc Concilio statutæ sunt normæ & latæ leges, sub quarum jugo Angli & viverent & morerentur.* In natura admirabilis apparet Creatoris sapientia in hoc, quod quum tam multæ sint res creatæ nō tamē sunt aliæ aliis similes, & quæ est inter illas similitudo, non est sine aliqua etiā dissimilitudine. Eadem est ratio spuriarum istarum Religionum, quas ex cerebro suo homines produxerunt: quas si separatim omnes consideres, dispari vultu sunt; multumq; aliæ ab aliis discrepant, & si quo in dogmate congruant, nihilominus notabili

(a) *Præstitit id jam Anno 1653. dum hæc editio postrema adornatur, copiose & judiciose Author Anatomiæ Eccl. Catholicæ, Tractatu tertio, in unā facie ostendens doctrinas Veterum Hæreticorum, à Simone Mago exordiens, in altera Synereticismum nostrorum sectariorum apponens, quem suadeo, ut videat, qui hoc argumentum desiderat.*

aliqua differentia discriminantur. Apparet hoc evidentissime in Anglica Religione, quæ quum videatur esse eadem cum Calvinistica, peculiaria tamen non pauca habet. Quod ut intelligatur, animadvertendum est, quid in seculari illo, de quo diximus, Concilio constitutum fuerit, ubi homines militares de Theologia disputabant, quasique Regnum cœlorum partiebantur. I. *Lex fuit, ut sine ulla exceptione, quidquid vel temporalium rerum vel Ecclesiasticarum adhuc supererat, Sacella, fundationes, redditus, oblationes annuæ, Regis Eduardi esse deinceps censerentur.* II. *ut Episcopi, Archiepiscopi, presbyteri, aliique, quorum & dignitates & tituli manerent, alio omnino ritu, quam Catholico ordinarentur.* Hinc aliam etiam formam Sacramenta administrandi adjunxerunt. III. *ut Imagines & Cruces, quæ adhuc quibusdam in locis miraculorum gratia, colebantur, tollerentur. In locum verò insignium præpotentis Dei, Imperatoris cœli & terræ hoc est, sacræ Crucis, quæ Misericordiam ipsius repræsentat, surrogarunt insignia Regis sui, vel Reguli potius,* qui præter exiguum Orbis angulum, ambientis Oceani quasi sepulchro inclusum, nihil possidebat. Cruces dejecerunt, & in earum locum substituerunt gentilitias Anglicorum Regum imagines, nempe tres leopardos, & tria lilia, hinc serpentis (ut Sanderus ait) nempe Draconis inde canis seu Molossi Anglici pedibus expansis sustentata. Quin tantum potuerunt in his Comitiis Zvingliani, *ut Missæ sacrificium abrogarent, sancirentque, ut Eucharistiæ utraque species cuilibet de mysteriis participanti necessario traderetur. Consuetudinem sacra officia Latina lingua recitandi antiquarunt, eademque in vulgarem transtulerunt:* quo factum est, ut Hiberni & Cornubienses, qui forte assistebant, quoniam his peculiare idioma est, cum hi sacris quasi ritibus his Anglicæ religionis assisterent, æque ac ante nihil eorum, quæ dicebantur intelligerent. *Administrandæ autem Eucharistiæ ritum nihil aut parum immutarunt: Canonem enim Missæ integrum reliquerunt, conversum in linguam Anglicam.* Quamquam Calvinistæ postea, quibus hoc vidébatur nimis Catholicum, Canonem totum removerunt. Nemo erat ex Catholicis, qui Ecclesiæ causam defendendam ex animo susciperet, nemo qui mortem in tanta causæ æquitate contemneret. Nonnulli quidem depugnarunt pro fide Catholica in illis Comitiis, Stephanus Vintoniensis, Edmundus Londinensis, Cuthbertus Dunelmensis, Nicolaus Vigornienſis, & Dajus Ciceſtrenſis Episcopi potuissentque pro doctrinæ suæ excellentia non parum Dei causam adjuvare: nisi & ipsi victas manus terendissent, jugoque hæreseos sponte collum submisissent. Ne enim proventibus suis & Episcopatibus, quos ab Eduardo Rege, non autem per Pontificis nominationem aut consensum obtinuerant, privarentur, huc prolapsi sunt, ut perversis illis constitutionibus subscriberent. *Recte olim quidam felix pronunciavit illud sæculum, quod Episcopi aurei, Calices autem lignei essent.* Nihil enim miserius est, quam calices videre ex auro confectos, Episcopos vero ex ligno putri ac vermiculoso. Reditibus hi tales inhiant, non dignitati Episcopali. Et illi quidem tandē pœnas hujus sui criminis dederunt, partim sub Elisabetha, partim sub ipso Eduardo mulctati: nonnulli etiam in ipso supplicio pœnitentiam facti sui egerunt. His ergo approbatoribus multum adjuta est causa hæreticorum, qui Edicta ab illis subsignata statim per universum Regnum promulgaverunt, & immutata est Ecclesiæ forma, *splendorque Solis in Anglia est obscuratus à fumo putei Abyssi*, per Lutherum *aperti*, vel certe eclipsin quandam passa est Ecclesia, quæ cum non secus ac Sol quidam nos illuminat, & extra quam æterna tenebrarum caligine involuti degeremus, quamprimum illa ab humano cerebro procusa, & Lunæ lumine mutabiliora opinionū monstra, inter ipsam & eorum, qui sub eius regimine vivunt, mentis oculos sese interposuerunt, Eclipsin passa est, & splendorem suum offuscari uti saccum experta est quando ibi omnes illi, à qua profectum est, quidquid habemus, valedixerunt: omnes dilectissimæ hujus matris gremium reliquerunt: omnes relictis eius amplexibus in mortem & infernum sese præcipitaverunt. Et ut olim in primis illis persequutionibus, quum sub Ethnicorum Imperatorum crudeli tyrannide miseri Catholici gemerent, ita nunc quoque nonnulli clam divinum cultum exercebant, & Missæ officium in locis secretioribus, & ab accessu vulgi remotioribus celebrabant. Speluncæ tum, & rupes in plures cellulas excavatæ, erant illis loco sacrarum ædium, ubi omnium religiosissime Deus colebatur. O Nero, tu vidisti tunc barbaricam crudelitatem tuam inter eos, qui Christi gaudent nomine, reviviscere? Tu quidem in eos sæviisti, à quibus alius, quam abs te (cui mille erant numina) Deus colebatur: nos vero vidimus eos, qui eundem Deum profitebantur, eandem salutem sperabant, immani prorsus errore ruere in ruinam atque exitium & immaniore more alios secum

cum trahere in abyssum. Et quorsum hoc, ô Deus permisisti? *Iudicia tua abyssus multa.* Hæreo, & inter innumera video, quod hujusmodi permissionibus soles etiam mi Deus tuorum constantiam in calamitatibus & persequutionibus probare, ut electi manifesti fiant.

VI. Vnica fuit inter illustriores in toto Angliæ Regno femina, quæ constanter fidem retinuit. Maria O præclarum sui sexus decus & encomium! siquidem hanc virtutem familiarem fibi atque ordinariam haberet. Maria illa, Henrici VIII. filia natu major Eduardi autem Regis soror, cujus etiam postea caput Regio Angliæ diademate redimitum fuit, non exiguam hoc nomine laudem meretur, propterea quod invicta adversus omnem inimicorum Dei rabiem, magno animo antiquam fidem servavit, nec ab Ecclesia se divelli est passa, neque unquam defatigata est in Dei caussa propugnanda. Principes eam adjurant, urgent, premunt: at illa inexpugnabilis perstat. Rogata, *ut saltem publice missa celebrari, contra Regis edicta, non permittat,* respondet, *nunquam se antiquiorem melioremque colendi Dei ritum, à patribus acceptum, cum nova & nuper ad illorum arbitrium procusa secta commutaturum. Non esse paucorum quorundam, eorumque imperitorum homuncionum, & Episcoporum ad aenam libidinem metu compulsorum intricatas quæstionum spinas enodare; nec hominum præjudiciis præoccupatorum, ambigua distinguere, obscura atque abstrusa scrutari & in lucem proferre, nedum Leges salutis suæ conscientiæ præscribere.* Adjungens præterea, *futurum aliquando, ut hujus suæ administrationis tam insolentis eos pœniteat; cæveant igitur, ne fratris sui pueritia adistum modum abuterentur; fore tandem eius rei rationem reddendam.* Indignabatur Protector cum ceteris Aulicis, nihil nisi hæreseos promotionem procurantibus, auctoritatem suam contemni à femina: quam propter amorem, quo illam frater jam grandiusculus complectebatur, reformidabat. Et tamẽ, licet sub hac umbra Regali tuta videretur adversarii eius, ex cæco animi impetu eo temeritatis progressi sunt, ut Sacellanos eius, quum coram ipsa sacra officia pro more facerent, semel atque iterum conjicerent in carcerem. Sed re significata Carolo Cæsari, consobrino suo, is per oratores suos apud Regem Eduardum obtinuit, ne super ea re amplius molestia Mariæ exhiberetur; ipso etiam Eduardo ægre admodum ferente, quod tam inhumaniter cum ipsa ageretur. Itaque hæretici, quum hac non succedere animadverterẽt, alia via experiundum rati, ea, quæ Parlamenti auctoritate, uti diximus, sancita fuerant, exsequutioni mandare tentaverunt. Quam ob caussam à Protectore Regis nomine jubentur duo Primates, Cantuariensis & Eboracensis (quos solos Anglia Archiepiscopos habet) per utriusque suffraganeos Episcopos, diligenter curare, ut Parlamenti decreta recipiantur, & eisdem promulgatis obtemperetur. Visitatores præterea instituuntur, qui operam dent, ut factæ constitutiones observentur. Iam Biblia in Anglicum sermonem traducta fuerant, & cum his Erasmi in Novum Testamentum Paraphrases. Quæ vertenda, & cum approbatione sua edenda curaverat Henricus VIII. damnatis omnibus aliorum versionibus (quomodo etiam Lutherus non nisi suam admittebat: & Zuinglius eas omnes rejiciebat, quæ discreparent ab ea, quam ipse adornarat: ut & ceteris fere omnibus qui operam hac in re aliquam navarunt, nihil nisi quod ab seipsis profectum est, placet) & tamen, mira sane res! his reformatoribus ne illa quidem Henrici VIII. versio amplius placebat. Siquidem Protector eam quæ ab Henrico VIII. Rege approbata fuerat, versionem pro authentica publicare noluit, sed eas substituit quæ ab eodem damnatæ fuerant & igni adjudicatæ. *Hæ à Visitatoribus passim circumlatæ, adeoque in publico templorum valuis affixæ, & multò emere hos atque eiusmodi libros coacti fuerunt. Tum etiam salutare illud Christianorum signum, & omnia alia Catholicæ fidei insignia ex omnium manibus excussa sunt. Conciones nihil nisi Libertatem sonabant: Monasteriorum claustra, quæ Henricus VIII. refringere cœperat, quam lata erant ad exitum monachis & religiosis patebant; carnis voluptates quibus etiam optima ingenia corrumpi solent, non permittebantur modo, sed & laudabantur ac quasi imperabantur:* Quod si temporum eorum statum consideremus, videbimus sane omnium animos mira tum novandarum rerum cupiditate incensos fuisse, sic ut pudicitiæ illa olim claustra, facile à luxuria fuerint expugnata, atq; etiam homines ceteroqui non mali, ad mũdana inde negocia extracti. Sed tanta animarũ clade non contentus diabolus, simul ac semel omnẽ jacere aleã voluit. Supererant in Anglia pauci aliquot Episcopi, qui in tanta morum ac doctrinæ corruptione, quamvis ab Henrico Rege ad eum gradum fuissent provecti, aliquid de Catholicæ integritate Ecclesiæ in suis animis retinuerant, & secrero Catholicorũ more vivebant & sacris operabantur.

Hos quum frigidiuscule quam ceteros in traducendis ad errores aliis agere animadvertisset regni Protector, omnibus, etiam qui per ætatem minus erant idonei, vxoris ducendæ imposuit necessitatem. In his fuerunt Episcopus Eboracensis, Cestrensis, Monæ insulæ, & Sodorensis Idem sequuti sunt Ecclesiarum Decani, & Canonici non pauci. Alii quidam Episcopi masculè sese huic impietati opponentes, ut Vintonensis, & Guthbertus Dunelmensis de gradu dejecti, & in custodias dati sunt. Quos sequuti sunt postea Londinensis, Cicestrensis, & Vigornensis Episcopi, Deo illorum ignaviam præcedentem puniente. Res tamen vel sic erat miseratione digna, videre magnos illos viros Episcopatibus suis dejectos, & cathedras illorum hæreticos occupantes. Qua de re Ronsardus in hunc modum, Reginam Matrem alloquens, conqueritur:

Vah quam sæpe bilis mihi fervet cruda, videnti
Mangones, mimos, balatrones, arte carentes
Et virtute omni, sacris è censibus udum
Ventrem implere mero assiduo: & meliore palato
Dignis deliciis! Tantos tu cernis abusus.
O Deus, & meritos disperdere fulmine cessas?

Meo judicio, non quidem prorsus toto cælo errant, qui hæreseos ortum & progressum Ecclesiasticorum hominum ignorantiæ imputandum censent: qui dum, veterno quodam detenti, non nisi ventris curam gerunt, circumventi sunt ab illis, qui vividiore quodã ingenio, & majora sapere volente instructi, in Religionis negocio tantas turbas movendo, ad respondendum sibi imparatos aggressi. Ad quam rem haud ineptè accommodari potest illud Stoici cujusdam Philosophema, *tum defeciſſe Progeniem bonorum, quum Doctorum orta est familia*; propterea quod virtus sua natura simplex & omnibus exposita, mutata sit in spinosam quandam & subtilem scientiam, in qua didicerunt mortales magis disputare, quam ad primitivæ fidei præscriptum vitam instituere. Veruntamẽ non soli ignorantiæ tantum nefas est attribuendum quantum in Anglia est commissum. In Anglia enim omnia erant plena hominum doctorum & vigilantium: Rex ad exstirpandum monstrum illud, quod omnia vastabat, omnem operam interponebat: Academiæ erant bene constitutæ: Cardinalis Polus vivebat: Morus Cancellarius diligenter pro Religione excubabat: Episcopi quorum hactenus mentionem feci, omnis doctrinæ laude excellebant: quid igitur causæ dicemus? Culpa etiam tribuenda est cuidam mollitiei animorum, cedentium libidinosi Principis voluntati, primò deinde & Protectoris Zuingliani tyrannidi. Sed verbo absolvamus, Iustissime puniit eos Deus pariter, ob causas sibi non ignotas etsi nos lateant.

EDVARDVS SEIMERVS PROTEctor, à Dudlæo circumventus, supplicio afficitur.

Eduardus Rex è vita decedit, condito testamento, quo Ioanna Regina declaratur: cui ex hoc fastigio dejectæ, Maria succedit.

Caput Septimum.

Argumentum.

I. *Eduardus Seimerus prorex Thomam fratrem, feminarum ambitione impulsus, supplicio afficiendum curat.*
II. *Dudlæus Comes Varvicensis Catholicis contra proregem suam rem agens, conjungit, sed post eius obitum ipsos deserit. Mirabiles & absurdissimæ temporum illorum hæreses.*
III. *Eduardus Seimerus prorex, Dudlæo accusante, ad supplicium raptus.*
IV. *Mors Regis Eduardi, & testamentum.*
V. *Ioanna filia Ducis Suffolciæ, regina proclamatur.*
VI. *Ex altera parte Maria Catharinæ filia reginæ eligitur, & Londinensem urbem ingreditur.*

I. ECce ad quem gradum perducta sit hæresis, Edoardo rerum potiente! Vide nunc etiam quo evaserint consilia eorum, qui Regno Anglico primum, deinde sibi ipsis ruinam attulerunt! Polypus piscis, qui hamum non fugit, sed quærit, propriis dentibus carnem suam absumit, & brachia rodit. Hunc imitati ii, de quibus loquimur, Angliæ proceres, qui mortis æternæ hamum deglutiverant nec tam facilè, ac polypus, ab eo sese expedire poterãt, quum cætera omnia sibi subjecissent, nec haberent quod amplius morderent, conversio in seipsos furore, cœperũt inter se bello committi.

Vidi-

Vidimus hactenus partem Tragœdiarum, Catholicorum expensis exhibitarum : videamus nunc quoque, quomodo mutatis personis suas hæretici egerint. Horret animus, tantum cædium describere : attamen inchoata semel Anglicani Schismatis historia, sanguine imbuendus fuit calamus, innoxius ad describendum crudelitates istas extremas, & pœne fidem omnem excedentes, nisi Anglicano stylo descriptæ exstarent. Et leviora quidem leviter duntaxat perstringam, nec quidquam dicam nisi quod ad rem facit. Erat Edoardo Seimero Somersetensi Duci, & Regis Protectori, germanus frater Thomas Seimerus, mari & Classi regiæ præfectus. Is Catharinam Parram Henrici Regis ultimam uxorem, post Henrici mortem duxerat. Hæc Catharina, quæ se meminisset primam fuisse in tota Anglia, indignata est dignitatem suam minui, præcedendi honore in Protectoris uxorem translato. Ex adverso Protectoris uxor, mariti locum tenere, nec ulli volebat concedere. Hæc contentio non quievit in feminis, verum & ad viros transivit, qui una cum uxoribus etiam earum passiones domum duxerant. *Ambitio enim, quæ, eorum quæ sunt à tergo negligens, tantum ea quæ à fronte sunt spectat,* inter hosce fratres, velut furore percitos, indignissimas proditiones Deo ulciscente excitavit Protector, licet Regem regeret, tamen ab uxore sua ita regebatur, ejusque libidini obsecundabat, ut fratrem suum è medio tollendum unà cum eo statueret. Partes illas hinc inde pro virili animabat Comes Varvicensis, sperans utroque Seimero everso se posse eminere. Edovardus Seimerus, ut vindictam aliquo colore tegeret, decrevit perduellionis crimen fratri intentare. Itaque Hugonem Latimerum Ministrum Anglicanum subornavit, qui Thomam Seimerum pro concione traduceret, accusaretque, ut qui in Majestatem Regiam nescio quid molitus esset. Quo facto, Protector simulans se causam Regis agere, revera autem vindictam suam sub prætextu fidelitatis persequens, conceptam animo proditionem exsequitur, ac Thomam fratrem supplicio affici jubet. Fuit hoc an. 1549. 30. Martii. Dū hæ turbæ moventur, Catholici arma pro fide sumunt, Cornubienses primum ac Devonienses : & paulò post alii in Norfolciensi, Suffolciensi, Eboracensi & Somersetana provinciis : quibus in locis plebs adversus magnates, bonorum suorum injustos possessores insurgens in ipsorum domos & palatia impetum fecit, & obvia diripuit.

II. Et hactenus quidem Protectori satis ad votum res successerant. Sed ut mutabiles sunt res humanæ, nec usquam stabilis felicitas, facilè eversa est ejus magnitudo. Nam quum Galli, tumultibus hisce ad suum commodum utentes, circa Bononiense oppidum, quod adhuc Angli tenebant, eos vicissent : Varvicensis Comes, Protectoris inimicus, perfidiæ eum accusat. Edovardus unà cum Rege ad arcam Windesoriam præsidii causa confugit. Sed quum videret, se ab omnibus destitui, & illos etiam, quorum ipse promotor fuerat, pedem retroferre, se dedidit, & deposita Protectoris dignitate, traditus est in custodiam per Joannem Dudlæum Varvicensem Comitem XV. Octob. M.D.XLIX. ex qua post quatuor menses eductus fuit. Hic Dudlæus, ut viros principes in suas partes contra Protectorem protraheret, spem fecit Catholicis quibusdam in auctoritate constitutis, si fidelem ei operam in deturbando Seimero navarent se curaturum, ut fidei Catholicæ splendor in integrum restitueretur. Sed consequutus quod volebat, fidem datam postea fefellit. Interea hæresin, quotidie nova parientem monstra, non Catholicorū modo, sed ipsorum quoq; hæreticorum arma impugnabant quippe Zvinglianam novi suppullulantes errores infestabant. Inter ceteras sectas, Arriana cœpit vires resumere, Georgio quodam Paresio eam tuente : quem Zvingliani contra suum dogma, quo alias asserere solent, non esse cujusquam conscientiæ vim adhibendam publice combusserunt. Valentinianæ etiam hæreseos novus frutex exstitit in Cantiana provincia : quadam Lutherana muliere, Joanna Buchera, negante, Christum ex Maria virgine carnem sumpsisse, quem dicebat per illam non nisi velut per canalem transiisse. Hæc combusta est Londini, quarto Idus Maias. His dissensionibus, aliisque inter hæreticos oborientibus, circa conjugia presbyterorum, quorum etiam liberi tandem habiti sunt legitimi, excitati Catholici, animos sumpserunt, & Zvinglianis disputationes de fide palam cœperunt deferre. In primis Richardus Smithæus, vir doctissimus & Theologiæ Doctor, qui in Oxoniensi Academia cathedram tenuerat illum Pseudo Martyrem Petrum, de quo sæpe alias dictum est, jam ibidem prælegentem, qui maxima florebat per omnem Angliam doctrinæ opinione, provocavit. Martyr viribus diffisus, noluit cum eo in arenam descendere. Postea quum disputationis moderato-

rem commodum, hoc est, Zvinglianum postulasset, nactusque esset Richardum Coxum, hominem Zvinglianæ factionis, qui postea factus est Eliensis Episcopus: disputatum est de Eucharistia per triduum continuum. Sed quum videret Coxus, ex parte Martyris non bene rem succedere, disputationem abrupit, prætendens, se à Rege revocari. Nimirum hæretici non nisi in fuga victoriam collocant, nec fuga quidquam est illis in malitia sua inhonorificentius: quam deinde palliant coloribus quibusdam, quamvis nihilo, quam res ipsa est, honestioribus. Nunquam defuerunt hominibus malæ fidei prætextus. Jam passim disputabatur in Anglia. Fecnamus Westmonasterii Abbas, Hoperum Superintendentem Glocestrensem hæreticum, adversarium habebat. Henricus Joliffas Catholicus cum Harlæo Episcopo Herefordensi commissus erat. Contra hos & Petri Martyris quendam libellum, quo is Eucharistiam impugnaverat, Vintonienſis Episcopus in carcere librum composuit: & ejusdem argumenti alterum Langdaldus contra Ridleum emisit. Nec deerant illis temporibus eximii quidam concionatores, inter quos Crispinus, Normannus & Henricus Cotus erant formidabiles. Supererant etiam non pauci Episcopi Episcopatibus suis ob Catholicæ Religionis defensionem dejecti Edmundus Londinensis, Cardinerus Vintonienſis, Guthbertus Tonstallus Dunelmensis, Nicolaus Hethus Vigornienſis. Multi quoque ex Catholicis Lovanii exulabant, apud Antonium Bonvisum Lucensem. Alii Romæ, inter quos fuit Reginaldus Polus Cardinalis, qui Paulo III. mortuo Pontifex renunciatus fuisset, nisi sacrum Cardinalium Collegium censuisset, fore, ut ad illam dignitatem evectus, non posset ipse patriæ suæ salutem ore ac manibus procurare. Electus est ergo Joannes Maria Cardinalis Montanus, & Julius Tertius appellatus, anno M.D.XLIX. Præter Polum exulabant Romæ Thomas Goldwellus Assaphensis Episcopus, Mauritius Clenocus Bangorensis, & Patelus Vigornienſis, digni viri sub quorum præsidio Anglia, colligeretur uti sub gallinæ alis; sed fuit illud seculum vehementer infelix. Vix angulus erat in orbe terrarum, in quo nõ monstrum aliquod infernale exsisteret. Tholosæ (quæ Galliæ est Universitas) exstitit, qui Joannis Baptistæ habere se spiritum jactaret; alter Lutetiæ, qui Sancti Petri Genio se foveri affirmaret; tertius Basileæ, qui se Mosis Angelum possidere contenderet. Lutheri coquus culinæ fumo ebrius Justum se Jonam prædicabat. Pataviæ Rodulphus Moshan Lutheranismi & Papatus mediatorem se à Deo missum asserebat. In Hollandia denique David Georgius Sartor (ut historiæ testantur) palam profitebatur se verum esse Messiam, Regem Regum, ac Dei nepotem ita puteus abyssi fumabat. Pro! Unquamne proditum est, tam stultis persuasionibus fascinatos fuisse hominum animos? Quid enim in infimis inferni penetralibus potuit esse reconditum, quod non illo tempore in lucem protrusum fuerit? De novo in Anglia Arriano, & Joanna Buchera supra diximus. horum socius fuit Milo Covardalus, diu in Germania versatus. Is quum in Oxonienſi Academia, quæ arx erat Catholicorum, concionaretur, primum rejecit veram fidem Catholicam deinde in Lutheri, Zvingii, & Calvini Religiones, tanquam erroneas, invectus, dixit, se inter has omnes veram viam per totos jam quatuordecim annos indagasse, & cognitam tandem in lucem prolaturum esse. Nescio quid aptius in hasce res dicam, quam iterum fumum abyssi apertæ per Lutherum cui adjunctus fuit tunc quoque Novus cruciatus, nominatus *Sudor Anglicus*, de quo Sanderus Anglicus scriptor, inquit, *illis temporibus, præter frequentissimos tam animalium quam mulierum partus prodigiosos, contagiosam quandam luem, universam Angliam pervasisse, & paucorum dierum spatio infinitam fere hominum multitudinem prostravisse: Tamesin etiam fluvium, quo Londinum alluitur, ad decimum sextum Calendas Ianuarias, intra novem horas ter fluxisse & refluxisse*, quod alias singularum sextenarum horarum periodo semel contingere solet, sed pergamus Angliam contemplari.

Jam quinquennium Eduardus Regnum tenuerat, imaginaria potestate, plurimaque sub ipsius nomine indigne designabantur nam. Anno M.D.LI. miserandum in modum plebs oppressa est, ademta illi pecuniæ quarta parte & quadragesimo postea die alia quarta parte omnes & singuli per universã Angliam spoliati erant. Cui exactioni in privatorũ bonis factæ, aliam adjunxerunt, in bonis Ecclesiasticis. Emissi enim per universum regnum quæstores, Ecclesias omnibus ornamentis suis spoliarunt, Regi eis opus esse prætexentes, reliquiisque in quaque Ecclesia, unico calice, unica veste sacerdotali, & una campana, reliqua omnia abstulerunt. An non hæ vere Locustæ erant Apocalypticæ?

III. Diximus superius de Eduardi Seimeri Protectoris (qui fratrem suum supplicio affecerat, ipse

ipse eodem mox afficiendus) cum Joanne Dudlæo Comite Varvicensi simultatibus. Ad eas jam est redeundum, ut videatur, quantum earum caussa sit effusum in Anglia sanguinis: quo tantum abest ut turbæ illæ exstinctæ sint, ut etiam multo magis fuerint incensæ. Dudlæus, quum Protectorem, Anglis omnibus formidabilem, in carcerem conjecisset, ex ea re magni animi existimationem acquisivit, quamvis durius haberetur ipsius quam Protectoris imperium. Præter magnifica promissa, quibus Catholicos suos faciebat (quamvis postea eos destituerit) Russellum, dum Protector in carcere tenebatur, primò Comitem Viltoniensem, postea Marchionem Vincestriensem creari curavit; & Pauletum Comitem Bedfordiensem; Harbertum vero, Comitem Pembruchiæ; Marchionem Dorcestriensem, Ducem Suffolciæ: ipse autem pro se Ducatum Northumbriæ obtinuit Atque ita iisdem artibus, quibus Eduardus Seimerus ad summam dignitatem pervenerat, quamque diu nimis usurpaverat, Dudlæus eundē dejecit: cui universa hæc molimina & promotiones nulli quidem damno at insigni emolumento fuerunt. Nam & auctoritatem per eas est adeptus, & potentiam non parum Protectoris periculo & damno firmavit: haud immemor Philosophiæ, quæ docet unius generationē alterius esse corruptionem. Accusatur Seimerus, quarto à captivitate sua mense, quod Dudlæi cubiculum occulto thorace munitus intrasset, eo animo ut ipsum occideret: quo crimine intentato, unà cum uxore & amicorum fidissimis, in custodiam traditur, atque è carcere eductus XXIII. Januarii securi publice percutitur an. 1552. Paullo post Rudolphus Vanus, Milo Partrigius Michael Stanhopius, & Thomas Arundelius, Equites omnes aurati, ut consiliorum Seimeri participes, eadem pœna plectuntur. His ita gestis opinione sua fortunatius, Dudlæus majora animo concipere cœpit, non ignarus, *Fortunam audacibus sæpe præsto esse, ignavos vero repellere.* Sed spe sua longe frustratus, & in medio cursu à fortuna destitutus, quod alteri paullo ante eripuerat, ipse quoque amisit. Erant in eo vero omnes ipsius cogitationes occupatæ quomodo regnum in suam familiam transferre posset: quod quidem per matrimonia facile consequuturum se sperabat. Res igitur in hunc modum adornata est. Erant ex genere Henrici VII. filia Maria Juniore, Carolo Brandonio Duci Suffolciæ nupta, nata Franciscæ quæ nupta Henrico Graio Marchioni Dorcestriæ produxerat filias binas aptas matrimonio, proneptes Henrici VIII. ex sua, ut dictum est sorore Juniore Maria. Et quoniam Eduardus Seimerus proregis titulo ad se rapto, corruptoque Testamento Henrici VIII. exclusserat Margaretam Seniorem Henrici VIII. sororem nuptam pridem Jacobo IV. Scotorum Regi, ab Hæreditate Regni Anglicani; idcirco si Henrici VIII. Stirps extingueretur, indubiè videbantur proximæ fore istæ proneptes ex sorore Maria descendentes, quoniam etiam Joannes Dudlæus jam Eduardum Seimerum supplantaverat, acatholicus acatholicum, Hinc proxima spes transferendi regale Anglorum sceptrum in suam familiam Dudlæo affulsit. Quid fit? Ineunt Consilium Suffolcius Henricus Graius & Northumbrius Dudlæus de maritandis proneptibus antedictis & per eas aperiendæ Januæ ad regnum. Dictum, factum Gutfridus seu Guilfordus Filius Joannis Dudlæi Northumbriæ Ducis ducit Joannem Graiam proneptem Henrici VIII. mense maio. Anni 1552. alii alteras Atque ita Dudlæo via ad regnum aperta fuit. Hac apertâ, initur porro consilium perfidum de tollendis Henrici VIII. liberis, patri in regno successuris, ac tandem de regno inter se dividendo. Celebratæ sunt nuptiæ trium proneptium Henrici VIII. uno die Londini in Palatio Duramenti, ubi tunc Dudlæus Northumbriæ Dux morabatur, nempe Joannæ Græ æ cum Guilfordo Dudlæo primogenito Northumbrii, Catharinæ Graiæ cum Pembruchiæ Comite, & Mariæ cum Huntingtoniæ comite, & demum idem Northumbrius Dudlæus Eduardum Regem, quo citius consilium regni occupandi consilium exequeretur, Eduardum VI. veneno inficit, & Londino recedit. [a] Hæc dum ita geruntur ineunte Maio Noallius à Christianissimo rege in Angliam missus, Londinum appulit, ut Oratoris ibi munere fungeretur, Boisdauphino à rege domū revocato. Post octiduum uterque regem morbo correptum, salutandi & officii gratia adeunt. Ibi Noallius expositis adventus sui caussis & dolorem suum de regis morbo testatus, in mandatis habere se dixit, ut apud regem commoraretur, daretque operam ut amicitia inter utrumque sartatecta conservaretur. Quamvis autem Eduardus vehementer admodum ægrotaret, exhibitum tamen legationis diploma ipse legit, Boisdauphinum vero abaco argenteis vasis instructo donatū, honorifice dimisit; sinceram erga regem benevolentiam

[a] *Henninges acatholicus parte 4. Geneal. in Anglia Stemmatibus.*

lentiam omniaque inviolabilis amicitiæ officia Noallio pollicitus, & Dudlæus Eduar.

Initio Quintilis Dudlæus Northumbriæ Dux, Gallicarum partium suimet commodi gratia perstudiosus, magno comitante Nobilium globo Grenuico Londinum venit ad Noallium, tum in suburbio Australi diversantem. Cum eo aliquamdiu colloquutus, postquam intellexit Noallium eam ob caussam, uti sparsum fuit, præcipue missum, ut impediret, ne, si quid Eduardo humani accideret, Maria in reginam eligeretur, quod Imperatori Carolo addictam factionem omnibus modis moliri palam erat, omnem in eo operam promisit, ac de pleraque aulica Nobilitate idem sperare jussit, iis quidem verbis, ut ingens hominis ambitio facile appareret. Quumque minus salubri loco Legatum diversari animadvertisset, diversorii longe commodioris usum ei obtulit. Non multo post ejusdem Ducis instinctu Senatus habetur: ad quem introductus Noallius, sive sua sponte, sive à Dudlæo inductus, inter cetera à rege Christianissimo mandatum sibi esse dixit, *ut exponeret, compertum ipsi esse, quomodo Imperator Legationem, cujus principes essent, domini de Courrieres, de Tholose, & Vicarius Aumontius, in Angliam decreverit, sub pratextu quidem regem è morbo decumbentem, officii gratia visitandi, revera autem regnum pro Maria ambiendi.* Ad hæc, prius habita deliberatione, quum idem ex aliis quoque locis jamdiu esset nunciatum, aut nunciatum diceretur, regii Consilii nomine à Northumbrio responsum fuit: *qui primum pro tam insigni benevolentia & fraterno amore erga regem ac regnum gratiis actis, de ipso ac regno universo eadem regem Christianissimum sperare jussit. Ad Legatos vero qui ab Imperatore venturi dicebantur, quod attinet, excludi eos nequaquam posse; at si quid aliud sub ejus Legationis pratextu machinari conentur, jam provisum sibi esse ne quid effectum dare possint.*

IV. Tandem mortuus est Grenovici Eduardus 6. Julii Anno 1553. ætatis suæ anno decimo septimo, regni vero septimo, eodem mensis die quo pater ejus Thomam Morum capite feriendum ante aliquot annos curaverat: Deo justitiam suam testatam faciētem, peccata patrum in filiis puniri. Eodem pertinet, & ad eandem justitiam referri debet, quod nullus plane ex Henrici liberis (quos ille ut multiplicaret ac posteritati perpetuaret, toties matrimonia mutare se fingebat) sobolem ullam ex se reliquerit (licet omnes juventa florerent) sed steriles transierint, sine prole aut germine, ne patris tam impii propago ullas radices ageret, aut bonis Ecclesiæ per summum scelus ablatis frueretur. Eduardus moriens testamentum fecit, in quo inter alia coronæ hæredem instituit Janam Graiam, Suffolciensis Ducis filiam, Dudlæi Northumbriæ Comitis filio nuper nuptam; exclusis Maria & Elisabetha sororibus, ut quæ Henrico adhuc regnante, publico Curiæ decreto illegitimæ ac regni incapaces essent pronunciatæ. Quis vero dubitasset, quin Northumbrius tantis opibus instructus, ac Principis favore subnixus, & ad imperium evectus, factiosus insuper, vigilans, audax, mulierculis illis, in rebus Mundi parum versatis, nullo negotio regnum fuerit erepturus? Sed enim Deus Optimus Maximus, ut omnes intelligerent à se uno regna dari ac transferri, contra omnium mortalium judicia, Northumbrii ambitionem ita repressit, ut pro regio throno, in supplicii locum productus, caput suum publicæ quieti consecrarit.

V. Altero die post regis Eduardi mortem, circa vesperam, Dudlæus Northumbriæ Dux Clintonum rei maritimæ præfectum, & Jacobum Scroppium, una cū Nobilium globo ac novo præsidio in arcem Londinensem mittit, ac præcipuam fere Nobilitatem in verba Joannæ, Suffolciensis Ducis filiæ, jurare cogit. Paucos post dies eadem Joanna publico edicto, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ regina proclamatur: quam rem populus inusitato silentio indigne se ferre demonstravit, quorum unus, cui Gilberto Porto nomen, nescio quid obloqui ausus, ignominiosa pœna, defectis auriculis, castigatus fuit; alii in carceres conjecti sunt inter quos fuit Franciscus Inglefildus, Eques auratus. Sequenti Dominica nova regina per Tamesin fluuium regali pompa in arcem invecta fuit, multo tormentorum fragore excepta: eundem locum non multo post & vitæ & felicitatis sepulchrum nacta. Postridie ejus nomine Edictū publicatur: quod hic inserendum putavi, ut sciatur, quæ Angliæ reginis de illegitimis natalibus ab ipsis etiam Anglis objecta sunt, quibus fundamentis nitantur.

Ioanna, Dei gratia, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ regina, Fidei in terris defensatrix, supremum Anglicanæ & Hibernicæ Ecclesiæ sub Christo caput, omnibus & singulis nostris bene amatis & fidelibus subditis, Salutem.

Quando-

Quandoquidem Eduardus VI cognatus noster charissimus (cujus animæ Deus sit propitius) patentibus litteris, anno regni ipsius VII. *die* XXI. *Quinctilis, in præsentia & cum consensu præcipuorum Consiliariorum, Iudicum, & aliorũ gravium & prudentissimorum virorum, (quod id ad regni emolumentum & securitatem facere videretur) scriptis, regis ipsius manu subsignatis, & magno sigillo cõfirmatis declaravit, vi Actus cujusdam & diplomatis ab Henrico VIII progenitore nostro & magno patruo, felicis memoriæ ita constitutũ atque ordinatum esse, ut Eduardo filio sine hæredibus defuncto, Regni hujus corona & imperium ad Mariam natu majorem filiam; hac vero itidẽ sine liberis decedente, ad secundam filiã Elisabethã ejusque legitimos hæredes, iis conditionibus quæ à dicto rege Henrico ad limitandam successionem tum fuerunt appositæ, devolveretur: at vero postea prædictæ Maria & Elisabetha illegitimæ declaratæ sint, utpote illa quidem è Catharina Austriaca, hæc ex Anna Bolena progenitæ, quarum utriusque cum Henrico rege matrimonium, & secundum divinum Verbum & Ecclesiasticas leges, interposito divortio, invalidum & nullum declaratũ, & utrũque illud divortium Parlamenti auctoritate, specialiter vero* XXII. *anno regni ejusdem Henrici, approbatũ & cõfirmatum fuit, ac postea ratum & firmum mansit: Eamque ob causam prædictæ Maria & Elisabetha manifesto jure ad talem hæreditatem adeundam, & hujus regni coronam, imperium, honores, dominia, &c. accipienda inhabiles sint & incapaces, &c.*

Cætera quæ sequuntur nimis prolixa omitto; illa posuisse contentus, ex quibus quum appareat, Mariam Catharinæ filiam nullam aliam ob causam quam ob divortium regni hæreditate fuisse exclusam; divortium vero illud omnium recte sentientium calculo & Martyrum Sanguine illegitimum sit, & ipso jure nullum: luce sane clarius constat, Henrici cum Anna Bolena nuptias omnibus divinis & humanis legibus contrarias fuisse. Quumque Maria, ut postea videbimus, tamquam legitimo matrimonio prognata in reginam electa fuerit, facile intelligi potest quo jure post illam Elisabetha regnum usurparit. Dudlæus certe, ut eas excluderet sic uti dictum est, omnem movit lapidem ut in suam familiam regiam potestatem transportaret, usus inter alia Prædicantium sive Ministrorum opera, *qui è suggestu ad populum tam Mariæ quam Elisabethæ causam palam impugnabant, Joannæ vero defendebant, ejusque virtutes, ac præcipue summum religionis studium mirifice commendabãt. Quin etiam à regni optimatibus fidem jurejurando sanctam, & Syngraphas Joannam reginam agnoscentium & obedientiam ei spondentium Dudlæus idem exegit.* Cui quæso tunc non visa fuisset deplorata Mariæ causa? utpote adversarium eum habentis, in cujus manu titulus, dignitas, atque adeo totius regni opes erant, cujus partes proceres potentissimi sequebantur, cui etiam Galliarum Rex Henricus, quem Dudlæus tradita Bolonia sibi demeruerat, impense favebat & cui prædicantium greges prophetando ad plebem subserviebant! In Carolo Imperatore parum spei erat, multorum armis circumsesso, & immensa negociorum mole oppresso, ut licet maxime vellet, auxilium tamen mittere non posset. Iam enim Henricus Galliarum rex Protectorem se Germanicæ libertatis, & Protestantium Principum captivorum vindicem scripserat, ictoque cum Mauritio Saxone & Marchione Brandeburgico fedre Carolo Imperatori bellum moverat molestissimum ac periculosissimum, quo tres amplissimæ civitates & Episcopatus, Tullensis, Virdunensis & Metensis ab Imperio avulsæ sunt. Quin enim Oenipontano oppido, in quo Carolus eodem adhuc die fuerat, à Mauritio subito occupato, parum abfuit quin ipse Cæsar in Confederatorum potestatem fuerit redactus. Quibus difficultatibus circumventus Cæsar, eorum quæ in Anglia gererentur curam habere non potuit. Maria nihilominus per Secretarium quendam & amicos de morte Regis simul & de Northumbrii qui nonnullos jam ad eam in potestatem suam redigendam miserat, consilio certior facta, noctu conscenso equo summa celeritate ad Norfolciæ Ducem Thomam III. Havvardum se recepit. Erant vero tum Londini adhuc Cæsarei oratores, quorum persuasionibus & multorum procerum ultro accurrentium, nimirum Darbiensis, Hastingiæ, Sussexiæ Comitum, & aliorum studio effectum est, *ut Maria regina fuerit proclamata. Anno* 1553. 19 *Julii.* Mox ex omnibus undique partibus tantus ad illam factus est concursus, ut paucorum dierum spacio ad quindecim hominum millia circa se haberet. Ex optimatibus etiam plerique ad eam confluebant, ejusque sequebantur auspicia, his tamen conditionibus, ne Principi extero sive alienigenæ nuberet, nec quidquam in religione tum usitata mutaret quas illa accepit, ut quæ fortunam suam efflorescentem modis omnibus adjuvandam existimaret.

VI. Cum hoc comitatu, vel exercitu potius Maria rectà Londinum petit. Quum vero de tu-

multu per oppida & agros passim crescente, & multitudine ad Mariam deficiente, allatum esset, *Joannes Dudlæus* Northumbriæ Dux conscripto exercitu, & Henrico Grajo Duce Suffolciensi Londini ad res administrandas relicto, turbis obviam ire statuit: sed à militibus desertus, & in triumphum veluti à Maria ductus grato spectaculo eorum quos flagitiis suis multipliciter antea offenderat, oculos & animos pavit, *tamquam proditor & læsæ majestatis reus condemnatus & capitis supplicio demum* XI *Cal. Septemb. affectus.* Etsi vero Gallicus Orator Ioannæ reginæ caussam quantum poterat, agebat, habita ad XIX. Augusti diem coram regni Senatu eam in rem oratione: parum tamen admodum promovebat, præter spem & promissa nihil reportans, Nobilitate ac populo indies tanto numero ad Mariam confluente, ut minus quam decem dierum spacio triginta armatorum millia secum habuerit nihilominus vero tanta esset rerum ad victum necessariarum abundantia, ut cerevisiæ cadus uno Regali Hispanico, quatuor vero magni panes sexta Regalis parte vænierint.

Consiliarii & Optimates qui Londini manserant, animadvertentes magnam Nobilitatis partem Mariæ partibus se adjunxisse, tam Ioannam Grajam quam paullo ante Reginam proclamaverant, quam Henricum Grajum qui ducta Franciscæ nepte Henrici VIII. Regis Suffolciæ Dux erat creatus, & Ioannam procrearat, [a] custodia includunt, Mariam vero honori & regno restituunt, & reginam conclamant. Ioannes vero Dudlæus Northumbrius his acceptis, se ab omnibus desertum videns, & ipse solita acclamatione publicam lætitiam testatus est, Mariamque reginam Cantabrigiæ salutari jussit, decimo postquam Ioannam reginam Londini proclamaverat die sed uti dictum est in triumphum ductus XI. Cal Septemb. Londini supplicio affectus, de quo iterum cap. sequenti accuratius dicetur. Quis hic insperatam hanc mutationem, & victoriam solius Dei auxilio tam paucis diebus sine prœlio partam, non summopere admiretur?

MARIA REGNVM INIT. DVDLÆVM VNA cum filio & Ioanna regina capitis supplicio affici. jubet Catholicam religionem restituit. Matrimonium cum Philippo Hispaniarum Principe tractat. Thomas Cramerus igni crematur.

CAPUT OCTAVUM.

ARGVMENTVM

I. *Maria regina, arcem Londinensem ingressa, superbum illum à prædecessoribus usurpatum titulum, Supremi Anglicanæ Ecclesiæ capitis, abdicat.*

II. *Dudlæus una cum quatuor liberis ad mortem damnatus, ad Catholicam religionem se convertit.*

III. *Catholica religio in Anglia restituitur. De Curia seu Parlamento Anglicano.*

IV. *Conditiones matrimonii inter Mariam Angliæ reginam & Philippum Hispaniarum Principem.*

V. *Maria regina contra Viatum & alios rebelles exercitum mittit & captos supplicio afficit. Joannæ Suffolciæ ejusque mariti funesta mors.*

VI. *Cramerus præcipuus schismatis & divortii inter Henricum & Catharinam auctor, una cum Ridleo & Latimero Episcopis vivus comburitur: aliique supra centum hæretici supplicio afficiuntur.*

I. VT olim eis, qui durante adhuc Mosaica lege, ad sanctam illam Hierosolymorum civitatem, quam Deus sibi præ omnibus tamquam sedem elegerat, sese conferebant, & ut verum Deũ adorarent, magnificum illud à Salomone exstructum, & ab ipso Deo consecratum templum ingrediebantur, initio quocumque oculos verterẽt, nihil aliud occurrebat quam victimarum sanguis, cultri, ignis, holocausta, & victimarii, longius vero ad Sancta sanctorum usque progressos suavissimus balsami & incensi thuris odor reficiebat atque oblectabat: sic ego religiosam sacrosanctæ Veritatis ædem ingressus, ut hujus Historiæ filum inde deducerem, initio nihil aliud deprehendi quam proditiones, cædes, lanienas, & multiplices miserias; at ulterius nunc gressum nobis proferentibus, longe pulcrior rerum species sese offeret, ac regni multo tranquillioris ac lætioris: quod cum Henrici VIII. & Eduardi VI. imperio hactenus à nobis descripto comparatum, velut Sancta sanctorum Anglicani hujus templi dici merito potest Hic enim templorum superiori tẽpore eversorum instauratas parietinas, altaria rursum erecta, Crucis tropæa unde profligata erant reposita, sacra templis, templa sacris, toti denique Ecclesiæ pristinum nitorem restitutum videbis.

Illa quidem ut scissum studia in contraria regnum,
Hæresibus variisque infectum, haud segnis inivit;
Dissidia exstinxit regalis frontis honore
Omnia, & exemplo pleroſque ad liminæ sanctæ
Matris

[a] *Henninges Geneal. parte 4 pag. 121.*

Matris retraxit fugitivos, cœptaque rursus
Majorum ritu celebrari sacra sueto.

Sed pedetentim mihi placet progredi, tot animarum in præceps euntium, sed Dei beneficio ad salutis viam reductarum, & ad cœlum enitentium millia videre percupienti. Italus quidã vir magnæ experientiæ, qui legationem in Anglia obiit, in Commentariis, qui magno mihi fuerunt usui, testatur, *ex omnibus nationibus nullam esse Principũ suorum religioni magis obnoxiam, quam Anglicanam. Hoc certum est*, inquit, *Principis exemplum & auctoritatem apud Anglos non modo vim magnam habere, sed etiam omnia posse. Religioni quidem tantum tribuunt, ut in ea non unis vicibus mutanda, ad Principis nutum circumagantur: hoc affectioni & officio quo Regi tamquam subditi obstricti sunt, deberi existimantes. Vivunt illi ut Rex vivit; credunt quod Rex credit; & quæcumque imperat faciunt: idque non religionis interna veneratione, sed externo quodam obsequendi studio & cultu. Quid multis! Gratiam Regis pluris faciunt quam Dei. Quisi regem Mahumetanæ aut Judaicæ religioni addictum nacti fuerint, proculdubio eandem sequentur religionem. Unde tanto certior spes est, tandem ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem, à qua temere discesserunt, Principis qui ipsis contigerit exemplo facile rediturос; quemadmodum defuncto Eduardo illam post Henrici VIII tempora à se desertam religionem, rursus obviis ulnis ac cupide amplexi sunt.* Verum ut ad propositum redeamus, hoc loco diligenter illud considerandum est, quam prope ante à naufragio abfuerit Angliæ regnum, tam cito, Maria rerum potita iis malis, quæ ex hæresi nasci solent, liberatum fuisse. Diversabatur adhuc Maria in ædibus unius ex Secretariis, sex P. M. ab urbe Londinensi distantibus: quò Gallicus Orator ad eam salutandi, & de regno gratulandi caussa contendit. Non multo post ab ipso quoque Galliarum Rege allatæ sunt litteræ, quibus post gratulationem, pacem & amicitiam se cum regina colere paratum ostendebat. Tandem regina III. Sextilis, Anna Clivensi Henrici VIII. vidua, Elisabetha sorore, & magno Nobilium globo comitãtibus, cum quatuor circiter equitum millibus Lõdinensem arcem ingressa est, regali quidem corporis ornatu conspicua, sed internis animi tãto fastigio dignis virtutibus longe fulgentior. In hac arce quindecim dies circiter commorata, res regni vehementer perturbatas ordinavit, omniumque saluti, quantum fieri potuit, prospexit. Quemadmodum vero in ejusmodi ingressibus Reges ac Principes ad testandam liberalitatem suam, aurum & argentum in vulgus spargere solent: sic hæc quoque generosa regina hujus officii minime oblivisci voluit: in quo tamen ut diversam ab aliis, ita longe præstantiorẽ atque ampliorem liberalitatis suæ exercendæ rationẽ iniit, non humi monetam projiciens, sed ad cœlum præcipue munificentiam suam dirigens, atque in eo omnẽ superiorum Regum liberalitatem supergressa. Facto ergo ab Ecclesia initio, *Sanctæ Sedi Primatus Ecclesiastici titulum redhibuit, atque eum ubicumque à prædecessoribus aut sculptus aut scriptus fuerat, eradi ac tolli jussit. Deinde Episcopos aut ob religionem dejectos, aut in carcerem truses, honori & dignitati restituit, pulsis hæreticis, qui malo titulo dignitatem eam hactenus usurparant. Iniquissimam etiam superiori tempore contra Polum Cardinalem sententiam rescidit, eumque Roma, quo ille confugerat, revocavit. Gravissimum vectigal ab Eduardo impositum, populo remisit & ne adulteratæ pecuniæ permutatione tam misere expilarentur subditi curavit. Denique ut perpetua illa regno esset felicitas, Catholicæ religioni in omnibus pristinum splendorem restituit, & Ecclesiæ columnas, quibus Mundi salus innititur, ab hæreticis dejectas, rursus erexit.*

Quibus omnibus rebus factum est, ut universum Angliæ regnum brevi mirũ in modum reflоruerit: & Ecclesia inprimis fidelium bene cœptis precantium, votis adjuta, pristinum splendorẽ recuperarit: non aliter quam post longam & tristem hyemem verni temporis amabili jucunditate aer, terra, atq; adeo æther ipse permulcentur. Hymni & cantica ubique personabant, omniaq; plausu & publicæ lætitiæ indiciis ac festivitatibus perstrepebant: soli hæretici, cristis, quas contra Deũ hactenus erexerant, demissis, probro & ignominia pleni, ac piscibus magis muti, triste inter se intuebantur, nec quid sperarent habebant. Ad Ecclesias & sacra Catholicorum, rejecta novitiorum doctrina, magni fiebant procerum & plebis concursus, omnibus reginæ exemplum sequentibus, & eandem amplectentibus religionem. Nimirum ut aliàs dixi:

. . . . totus componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis,
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Primum vero religionis actum regina esse voluit exsequias, Eduardo regi magna pompa & Catholico ritu celebratas: in quibus sandapila holoserico

nigro contecta, candida cruce nitebat, duodenis è Nobilitate ad sepulcralem lectum continuo vigilantibus. Regina decē dies intra arcem Londinēsem, pro more Regū ejus gentis (nemo quippe legitimus rex habetur, qui non dies aliquot ibi pacifice ac tranquille se continuerit) cōmorata, rebus regni, quantum tā brevi temporis spacio fieri poterat, ordinatis, & proceribus quibus diffidebat, in potestatem redactis, Richemundam (quę arx nō procul Londino abest) profecta est, ut de captivorum caussis cognosceret, è quibus Dux Norfolciæ, Somersetani Ducis vidua, Vintoniēsis & Dunelmensis Episcopi statim custodia fuerūt liberati.

II. Ad XVIII. Iulii Ioannes Dudlæus Northumbriæ Dux, unà cum filiis, uno Northamtoniæ Marchione, altero Varuici Comite, diversi Vestmonasterium deducti sunt, ut coram à judicibus interrogarentur. Visebatur ibi haud procul ab eo loco ubi de reis supplicium sumi solet, tabulatum viri staturam altitudine æquans, exstructum: in cujus angulo septum erat, à reliquo corpore separatum, in quo Iudices, quorū præcipua est in regno potestas, consederant, numero viginti quatuor, præside Duce Norfolciæ. Aderant etiam Mariæ reginæ procuratores. Postquam suo quisq; loco consedissent, fecialis custodem arcis Londinensis, quem Conestabilem appellant, evocavit. & Northumbriū adduci jussit. Qui ubi Norfolcium inimicum suum judicis throno insidentem conspexit, vehementer animo fuit consternatus. Et sane res videbatur à justitia quidem & æquitate nihil abhorrens, ludibrii tamen aliquo modo plena, ad puniendum maleficium, inimici manum gladio & judicis potestate instruere atque armare.

Northumbrius ubi in conspectum Iudicum venit, venerabilem illum cœtum demisse salutavit. Ibi statim Norfolcius literas fiduciarias quibus à Maria regina de Northumbrii caussa cognoscendi potestas ipsi concessa erat, perlegi jubet. Quibus perlectis, Northumbrium interrogat, *Annon Joannam Londinum deduxerit, & reginam proclamari curarit: exercitum insuper quo Mariam urbis atque regni aditu prohiberet, contraxerit atque eduxerit.* Respondit ille, *Grave sibi ac permolestum esse, nō quod ad eum statum, quem omnes videant, redactus sit, sed quod coram infestissimis sibi inimicis, Judicum loco assidentibus, caussam dicere cogatur, immo coram illis ipsis ex quorum decreto omnia egerit, ut qui paullo ante non minus quam ipse quoque censuerint, Mariam non solum regni aditu prohibendam, sed ex Anglia quoque omnino ejiciendam. Atqui contra jus fasque esse, ut ii in aliquem judices sedeant, qui tamquam inimici merito sint suspecti. Hos vero quos inter ipsos videat, Marchionem Vincestriæ, Arondelii, Penbrochii & Sarisburiæ Comites, aliosque Barones non modo judices esse non posse, sed etiam ad caussam unà secum dicendam trahendos esse, ut ex quorum sententia & decreto res omnes ipse administrarit.* Verba hæc in nonnullorum animos tam alte descenderunt, ut silentio criminis confessionem testari viderentur. At Norfolcius, *Jam*, ajebat, *non alios accusandi sed ipsum purgandi tempus est.* Ibi Northumbrius *omnia quæ fecisset, libere fassus, illud tantum replicabat, se nihil nisi ex Senatus decreto egisse.* Qua excusatione non admissa, tamquam perduellis ad mortē damnatur, lata in eum sententia, *ut crati impositus, extra urbem ad locum maleficorum supplicijs destinatum pertraheretur, ibique laqueo strangulati corpus in quatuor partes dissecaretur.* Pronunciata sententia, Northumbrius supplex in genua procidens, *reginæ gratiam implorabat, vel ut saltem mitiori pœna afficeretur rogabat: item ut filijs parceretur, & eorum ætatis & innocentiæ ratio haberetur* Tum Northamtoniæ marchio interrogatus & similiter damnatus fuit, frustra lachrymis & singultibus Iudicum gratiam implorans: ac post eum Varvicensis Comes Northumbrii major natu filius, qui magna animi constantia sententiam mortis accepit. Postridie producti & ad mortem pariter damnati sunt, Andreas Dudlæus Northumbrii frater, ejusque filius Gilfordus, Ioannes Gattus prætorianorum sub Eduardo præfectus, Henricus Gatti frater, ac postremo Thomas Palmerius equestris ordinis vir. Regina interim de damnatorum salute sollicita Episcopum Vintoniensē aliosque Theologos ad Northumbrium & ceteros captivos in carcerem ablegavit, qui ex hoc mundo mox emigraturis viam in cœlum commonstrarent. Et ecce tibi rem admirabilem! Vix cœperat loqui Vintonienſis, quum Deus Northumbrii & aliorum animis sanctissimum inspiravit *Catholicam*, Lutheri & Zuinglii rejecta atque ejurata doctrina, *fidem amplectendi, & in vera & Catholica Ecclesia mortendi desiderium.* Insignis hæc certe & memoratu dignissima est conversio, ac tanto mirabilior, quanto majori studio hæresin illi antea & schisma foverant. Sed misericors est Deus, cujus auxilium omnibus eum invocantibus numquam deest, *Dominica ante supplicii diem proxima*

xima idem Episcopus sacro sanctum Missæ officium in carcere, præsentibus captiuis iam damnatis, deuote admodum celebrauit: quo peracto, Northumbrius coram uniuerso cœtu protestatus est, se ac socios in Catholicæ Romanæ Ecclesiæ communione morituros; vtque præsentes eius rei sibi testes esse vellent rogauit. Post hanc contestationem, quæ multis, audientium lachrymas elicuit, ijdē, quorum probrum iam in gloriam, tristitia in gaudiū, & momentanea miseria in æternam felicitatem mutata fuerat, prostratis corporibus, sacro sanctæ cœnæ viaticum acceperunt. Biduo post XXII. Augusti Northumbrius læto quasi vultu ad suppliciū producitur, cui magnæ consolationi fuit, quod liberis suis gratiam à regina factam accepisset. Vbi in pegma ascendisset, ad populum orationem habuit, qua inter alia dicebat, *existimare se, eiusmodi mortis genus à Deo ideo sibi impositum vt ad veram Catholicæ fidei, à qua antea defecerat, agnitionem peueniret, & Veritati quam vivus negarat, moriens testimonium perhiberet. Quocirca omnes adstantes etiam atq; etiam rogatos velle vt conuersionis suæ & reconciliationis cum Ecclesia, à qua ambitio eum antea abstraxerat fideles testes esse velint. Monuit etiam, vt nouæ religionis quæ malorum omnium qua hactenus passi essent caussa fuerit, concionatores, vt seditionum buccinas regno ejeferent, si innocentes se coram Deo, & saluam Rempublicam vellent. Germaniæ ob oculos sibi ponerent exemplum, quam Lutheri schisma inextricabili errorum ex se mutuo pullulantium labyrintho inuoluerit. Liberarent ergo animas à damnatis illis sectis & hæresibus, quibus paullatim Atheismo via sterneretur. Nouationis illius auctores opimis Episcopatuum & Ecclesiasticorum beneficiorum facultatibus inhiantes, non tam boni publici quam priuati emolumenti studio ductos. Id sed ipso fateri, quod scilicet damnabilem Caluini sectam sequutus sit, eam tantum ob caussam, quod eius ope supremam in regno auctoritatem sibi facile acquisiturum se speraret. Iam vero miserο experimento edoctum, omnia ista terrena nugas esse & somnia mera Eius & aliorum delictorum veniam se à Deo & regina petere.* Hæc aliaque quum dixisset Northumbrius, non sine circumstantium lachrymis, populo iterum monito, *vt in maiorū religione perstaret, & conuersa ad Nobiles præsentes oratione, Vos,* inquit, *iterum atque iterum rogo, vt testes mihi esse velitis, me in Catholica religione extremum vitæ diem clausisse. Recitato deinde* 11. *Psalmo, signoque crucis super locu in quo procubiturus erat facto, colluum trunco imposuit, & à carnificis manu lethalem ictum excepit.* Eadem pœna secundum eam Ioannes Gattus & Palmerius affecti sunt, quum & ipsi prius hæresin ejerassent. Illud notatu dignum est, quod Northumbrius eodem die capitis pœnam subijt, nimirum XX II. Augusti, quo pater ipsius & auus ante aliquot annos idem suplicium luerunt. Sed & Gatti patrem eodem quo filius die capite multatum à curiosis obseruatum. Hunc vitæ finem habuit Northumbri⁹, qui laqueis quos alijs tetenderat captus, seditionum ac conspirationum contra Mariam reginam postea quoque initarum fomites morte sua non tamen plane exstinxit.

III. Circa initium Septembris sacra officia Catholico ritu Londini & in suburbijs celebrari cœpta sunt. Obstinatiores nonnulli conquerebantur nequaquam hoc Reginæ promissis conuenire nimirum nullius conscientiæ se vim inferre velle. Edicto enim quo regina subditos vt ad Catholicæ Ecclesiæ communionem redirent, inuitabat, verba hæc adscripta erant, *Pro innata sibi bonitate & clementia neminem se ad amplectendos Catholicæ Ecclesiæ ritus coacturam, vsque dum communi statuum consensu certius quid ac melius ea de re statutum fuerit: modo interea à conspirationibus & prohibitis conuenticulis abstineant.* Riche mundæ quum esset regina, Cortinæum Deuoniæ Comitem creauit qui eius deinde matrimonio, cuius spes ipsi facta fuerat, frustratus, non parum momenti ad seditionem contra reginam postea exortam attulisse creditus est.

Pridie Calendas Octobris regina à Turri Vestmonasterium redijt, vt insequenti die more maiorum vrbem ingrederetur, & insignia reginæ sumeret. Id magna pompa actum, deducentib⁹ eam plus 10. ex proceribus, atque inter eos duobus primarijs, qui Normaniæ & Aquitaniæ ducum vice erant, in quibus amplissimis Franciæ prouincijs reges Angliæ jus sibi vindicant postridie Elizabetha sorore & Cliuensi Henrici patris olim conjuge, sed mox repudiata magnaque illustrium matronarum turba, & exterorum principum oratoribus stipata procedit, & per arcus triumphales in via erectos, continuis acclamationibus excepta transiuit, in quibus conspiciendi operis fuere quos Florentini & Genuenses adornauerant, cum inscriptionibus, quibus pietatem & iustitiam in Anglia restitutam Mariæ gratulabantur, ipsa pallio purpureo holoserico amicta, cuius longum ac sinuosum syrma à cubicula-

riorum principe, & Norfolcij ducis vxore sustinebatur, templum ingressa est, dextra innitens Dunelmēsi episcopo, & sinistra Salopiensi Comiti. sequebantur Elisabetha & Cliuensis, tum LXX circiter præcipuæ regni matronæ holosericis pallijs ac vestibus sebellinis pellibus fotis indutæ, coronas in capite gestantes. dein ordine duces, comites, marchiones, & alij regni proceres incedebāt, tandem regina in locum editum in templo exstructum perducitur à Vintoniensi & alijs x. episcopis, inde postquam eam diu Vintoniensis populo ostentauit, & veram reginam esse dixit, à circumstantibus quæsiuit, *an non illam pro legitima regni hærede agnoscerent?* assentientibus confuso vocum sono omnibus, regina ad altare descendit, ibiq; præstito sollemni regum sacramento ad audiendam sacram concionem se composuit, quæ ab episcopo de obsequio, quod regibus à subditis debetur, habita est: quo facto, exuto pallio ac veste, ante altare prostrata sacro oleo vncta est, & postea tribus coronis alia post aliam impositis, vltimam retinuit, tum decantato per symphoniacos BB. Ambrosij & Augustini cantico suggestum rursus ascendit. diploma mox à Vintoniensi recitatum, quo præteritorum venia omnibus concedebatur, & primo ipse ad obsequiū sollemni more (id impresso in sinistram malam osculo fit) defe-rendum ad reginam accessit: quem secuti sunt ordine Norfolcius ducum regni nomine, Vintoniensis marchio pro marchionibus, & Arondelius pro comitibus, tum reliqui Angliæ reguli. postea sacro celebrato regina eodem ordine & pompa qua venerat, in palatium reuersa est, vbi conuiuium magna lautitia apparatum erat. mensæ assedere infra eam Elizabetha soror & Cliuensis, & paullo inferius Vintoniensis episcopus, qui rem sacrā peregerat. dum prandetur, vir primarus Dēmockus nomine, qui hereditario iure honorarius est regum Angliæ miles & pugil, in equo armat⁹ aulam, in qua conuiuiū celebrabatur, ingress⁹ est, & per fecialem Mariam se pro vera & legitima regni hærede agnoscere pronunciari iussit, & *si quis adeo temerarius esset, qui contra dicere auderet, cum eo se duello decernere paratum ostendit, proiectaq; in prouocationis signum humi chirotheca semel atq; iterum mensas per aulam dispositas circumiuit, dein ante reginam consistens eam salutauit; quæ accepto aureo poculo summa humanitate equiti propinauit, moxque vbi hausit poculum vacuum, ipsi dono dedit; quod ille abiecta statim hasta manu cepit, & abiens secum abstulit.*

mensis remotis, postquam regina cum Principum oratoribus (ij erant Cæsaris ac Ferdinandi Romanorum, & Maximiliani Boemiæ regum legati, Io. Michaelius pro Venetorum rep. pro Cosmo Florentinorum duce Ioan. Bapt. Riscolius Cortonensis episcopus) familiaris sermones aliquanto tempore conseruit, in cubiculum se recepit.

Peractis coronationis ceremonijs, proxima cura de marito reginæ deligendo fuit: in quem finem regina ad V. Octobris totius regni comitia (Parlamentum vocant) Londinum indixit, vt ea de re quæ omnium intererat, omnium consilijs quod maxime expediens visum esset, decerneretur. Quo vero nonnullorum etiam exteras res scire cupientium satisfaciam curiositati; breuiter quid Parlamentum in Anglia sit explicabo. *Parlamenti nomine plerique Conventus designantur, vt quod etiam inter Concilia exstat.* In Gallia vero Parlamenta appellantur & Curiæ quæ supremum habent iuris dicundi potestatem, & comitia quibus regio orti sanguine Principes ac primi ac secundi ordinis proceres, ob res arduas & grauissimas deliberandas, ad regem conuocantur. In Anglia Parlamentum dicitur is Conuentus, qui ex tribus regni statibus constat: qui prout necessitas requisiuerit, bis aut ter quotannis celebrari solet. Vocantur eò toti⁹ regni primores itiā Ecclesiastici quam sæcularis ordinis, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Equites, ciuitatū & communitatum Syndici ac delegati. Diuisum est vero Parlamentum in duas partes, quarum vna Superior, altera Inferior Dom⁹ siue Curia dicitur. In illa sunt Regi cognati, Principes, Episcopi, Duces, Comites, Marchiones, & ij qui Milordi dicuntur, antiquioris stemmatis prærogatiuam habentes. In hac sunt Barones, Equites, Nobiles præfecti iuri dicundo, ciuitatum & communitatum Syndici, delegati ac procuratores. Absque huius quidem Parlamenti consilio aut assensu Rex in ijs quæ ad statum regni, ad leges scilicet, pacem aut bellum spectant, nihil potest decernere. Quū vero animaduertissent Reges, sæpe inde fieri vt quod volunt minime assequantur, operā dederunt vt quos vellent ipsi ad hunc conuentum mitterentur. Primo die Rex ipse comitijs intersit, & ea de quibus consultandum est proponit. Inde Superior Curia Inferioris sententiam exquirit; ac deinde communib⁹ votis quod maiori parti visum fuerit decernitur: quod tamen decretum à rege demum approbatur, eoque præsente promulgatur. Sed ad rem. Parla-

mento

mento regni Maria regina, vt de nuptijs suis deliberaretur proposuit; & plerisq; assentientib⁹, decretum, vt Philippus Hispaniarum Princeps Caroli V. Imperatoris filius, reginæ maritus adsciscereretur. Pactis doralibus hæ conditiones sunt appositæ: *vt Philippus omnium vxoris regnorum ac prouinciarum titulos sibi sumat, sociusque in negotiorum administratione sit, saluis tamen atque integris regni priuilegijs ac consuetudinibus. Vt omnium munerum & officiorum distributio penes Reginam sit, eaque nonnisi Anglis committantur. Ne Angliæ regnum bello quod inter Carolum V. Imperatorem & Regem Galliarum tum gerebatur, implicetur. Ne vlli exteri ad Reginæ consilium aut regni Senatum admittantur. Vt ex Hispanijs in Angliam quotannis xxx. scutatorum millia inferantur. Vt primus ex hoc matrimonio natus filius Angliæ regnum; alter, si natus fuerit, Flandriæ Comitatum obtineat. iuri vero omni in Hispaniarum regna renunciet, ob Belgij donationem, ut & illius iuris quod Angliæ reges in Aquitaniam Galliæ provinciam sibi vindicant. Vt Angli Carolo. V Imperatori in acquirendo Aquitaniæ Principatu suppetias ferant, isque deinceps in Anglorum sit potestate, &c. His ijsdem comitijs multa etiam decreta ad religionem spectantia facta sunt, & breui post exsequutioni mandata.*

IV. Carolus V. Imperator accepto de rerum Anglicarum nuncio, amplissimam eò misit legationem, cuius princeps erat Lamorallus Ecmondanus Comes, adiunctis ei Carolo Lalanio, & Ioanne Momorantio Currerio, & Nigro, aurei velleris Equitibus: qui sequentis anni die XVIII. Ianuarij in Angliam appulerunt. Hi quum Londinum venissent, post aliquot dies rem conficiunt, & matrimonium inter reges publicari curant. Ad huius rei famam proceres aliquot fremere cœperunt, indignati reginam in exteri siue alieni genæ Principis manus conuenisse: ac præcipue Cortinæ*, Deuoniæ Comes, cui regiarum nuptiarum spes facta fuerat, ea frustratum se ægerrime ferebat. Seditionis vero præcipui duces fuerũt Petrus Carreus, & Thomas Viatus: qui re clam cum Henrico Suffolcio adhuc in Turri captiuo, sed qui exorata vxoris precibus regina, prætextu morbi ad ædes suas fide data diuerterat, communicata, negotium differendũ esse censuerant in Philippi aduentũ, ne contra reginã, sed contra exteri Principis dominatum pro patriæ libertate arma sumsisse viderentur: sed Carreus, qui in mora periculũ esse existimaret, per Cornubiam occulte milites cogit, reque citius quam sperauerat detecta, oppressus, quum perfugium aliud non haberet, in Galliam transijt. Viatus qui videret iam euulgata sua consilia, diuersa parte in Cantio, regione Galliæ proxima, populum, ad seditionem vocat, quum diceret, *prauis consultoribus vsam reginam, exteris nuptijs grauissimum Angliæ seruitium parare, & religioni periculum creare: ad quod propulsandum Londinensis ciuitas vniuersa secum arma sumtura sit.* Missis etiam ad alias prouincias Harpero, Coulpello & alijs è Nobilitate, similiter seditiosas voces spargi, ac populum contra reginam armari curat. Tam vero gratum erat plerisque libertatis nomen, tamque odiosa exterarum nuptiarum mentio, vt breui Viatus ad mille & ducentos armatos ad se pellexerit, cum quibus Roffensem ciuitatem, à conscijs quibusdam admissus, occupauit. Ibi à circummissis socijs certior fit, iam ad VIII. virorum millia ad campanæ pulsum arma sumere parata esse. Eodem tempore duarum nauium, quas regina ad vehendos in Hispaniam legatos armari curauerat, præfecti ad Viatum transierunt; è quibus tormenta aliusque desumtus apparatus magno futura vsui Viato videbantur.

De his motibus vbi accepit regina, Suffolcium cum subitarijs copijs aduersus Viatum mittere destinauerat: verum ille conscientia territus, periculo præuerterat, & cum ducentis circiter equitibus in Varuicensem Comitatum se contulerat, frustra ibi homines ad arma vocare, & Ioannæ filiæ regnum rursus asserere conatus: cuius honori quanto magis studebat, tanto ei magis exitium maturabat. Missus à regina cum equitatu Huntingtoniæ Comes homo admodum ipsi infestus, qui vt perduellem antea iudicatum persequeretur. Dudlæus circumuentus vndique & ab omnibus desertus, destributa inter suos omni pecunia, in via dum hac illac salutis suæ incertus errat, rusticum nactus, rogat vt latebras quib⁹ hostes suos fallere posset, sibi ostendat, id beneficij liberaliter se remuneraturum pollicitus. Sic qui paullo ante totius regni possessionem sibi ac suis vindicandam somniauerat, iam vix latibulum vbi caput absconderet inueniebat. Annuit rusticus, & hominẽ noctu ad arborem annosam admodũ atq; cauam duxit, atque in ea se occultare iussit, sic vt vilis cortex tanto Principi pro tecto, atq; adeo integro esset domicilio. Eò noctu comeans rusticus, pulrem aliaque villatica esculenta afferebat, quibus

quibus miser vitam inter summas corporis atque animi angustias sustentabat, dum interea toto regno fugitiuus peruestigatur, ac non pauci quibus ea cura demandata erat, eundem locum equis ac pedibus præteruehuntur. Mox promulgatur Edictum, quo ei qui Suffolcium captiuum reginæ stitisset, magna merces promissa, econtra in eos qui ipsum celassent, atrox pœna constituta erat. Hinc rusticus ille siue metu seu præmij spe corruptus, ad Huntingtonium proficiscitur, & scire se indicat vbi Suffolcius lateret: qui biduum à rustico desertus, fame cogente interea ad rustici casam se contulerat. Adiuncti rustico armati aliquot, quum arborem illam indagine quasi cinxissent, vacuam eam reperiunt: sed alij interim ad rustici casam profecti, miserum ibi captiuum faciunt, & Londinum perducunt. Sed ad Viatum redeamus: ad quem opprimendum regina Norfolcium & Hauardum rei maritimæ præfectum, cum valida armatorum manu miserat. Ij de nocte profecti, Grauensindæ, quod est ad Tamesis ripam oppidum, sex milliaribus Rochestria, & triginta circiter Londino distans, aliquamdiu hæserant, dum aliæ copiæ quoque à regina aduenirent. Die XXIX. Ianuarij Norfolcius Grauesinda egressus cum nongentis circiter equitib⁹, ad pontem Toffensem Viatum obuiam habuit: vbi à quatuor ducibus, qui vnà cum militibus suis ad Viatum tranſfugerant desertus, ægre Grauesindam euasit. Hoc nuncio consternata regina & qui cum ipso erant, maiorem alibi tumultum veriti, quum à viribus quibus rebellium conatibus obuiã irent, imparati essent, Hastinguæ Comitem vna cum fociali ad Viatum & socios miserunt, qui belli ab ipsis susceitati caussas scisciterentur. *Quod si id factum dicant ob matrimonium cum Hispaniarum Principe, præcipitanter eos agere, quum nondum illud consummatum sit. Ponerent igitur arma; tunc q; regine grãtiam eis non defuturam.* Summissionem hanc reginæ victoriam suam interpretatus Viatus respondit. *Non passurum se vt verba sibi dentur. Habere se exemplum vnius è cognatis suis, qui dum blandis Henrici VIII. regis verbis auscultat, capitis fecerit iacturam. hæc arma non contra ipsam, sed contra exterorum machinationes pro patriæ libertate & gloria sumta esse. Se quidem reginæ potestati lubenter se permissurum, si vicissim illa Londinensis Arcis custodiam suæ & suorum potestati permittat, vsque dum ipsa Principi alicui indignæ nupserit.* Postulauit insuper: *vt quatuor viros regina è consilio suo eliminet, & prætorianorum siue satellitum præfecturam sibi credat.* Horum postulatorum impudentia offensa regina, in vrbem venit, & conuocatis tumultuarie populi comitijs, in Viatum vehementius inuecta, *quid illius consilij, quid contra voluntatis suæ sit ostendit de matrimonio nihil se statuisse nisi de procerum consilio. meliorem ætatis partem in virginitate exegisse, neq; nunc adeo nuptudire. quin si modo regni ordines ita expedire iudicent in eo vitæ genere libenter sit permansura. nam vt sui connubij caussa Anglia perclitetur & ferro flammaque omnia misceantur. id sibi futurum longe acerbissimum. Permaneant igitur in fide, & in perfidia scelleratorum hominum vlciscenda sibi præstent. Hoc enim ipsorum officij esse, qui se tamquam legitimam patris ac fratris hæredem communi consensu reginam salutauerint.* Proposita etiam sunt postulata Viati ad reginam missa, ac publice recitata, quorum illud, vti diximus, primum fuit, vt in custodiam se regina traderet, & de nuptijs illius, ac consiliarijs vel retinendis vel mutandis ipsi statuere liceret.

Confirmatis hoc modo ciuium animis, regina quæ ob comitatem & affabilitatem populo, & Nobilitati inprimis erat charissima, paullo securius agere cœpit. Interea Cæsaris legati seditionis minuendæ caussa, tum etiam vt proprio periculo præuerterent nauibus conscensis discedunt. Viato vero paullulum cunctante, mirum est quantopere eorum qui causæ ipsius fauebant animi interea refrixerint sic vt qui antea de rediganda in potestatem regina deliberarant, iam pro eius salute dies noctesque excubandum sibi existimarent. Quare nihil territus Viatus, quum citra sanguinem rem se confecturum speraret, cum copijs suis ad vrbis muros accedit, & in suburbio Austrino, in citeriori Tamesis ripa castra ponit. Sed vbi pontis portam nequaquam aperiri, neque se, vti sperauerat, admitti vidit, ablatis à Norfolcio, qui custodiæ vrbis inuigilabat, clauibus, & mutatis præsidiariorum stationibus, ne tum quidem desperato successu, quamuis de Suffolcij captiuitate iam cognouisset, x. supra Londinum milliaribus, quingentis equitibus qui intercludendo itineri appositi erant, in fugam coniectis, flumen transmittit, & ad Witthallæ (in qua arce tum regina & Consiliarij diuersabantur) portas accedit. Interea reginæ copiæ appropinquabant, Viatus nihilominus progreditur, & ad eam partem quæ S. Iacobi dicitur expugnato muro, regium

Palatium

Palatium præteruectus, ad vrbis portas accedit, easque gladij capulo pulsatas, quum minime, vti sperauerat, aperiri vidisset, ad suos frustra recipere se conatus, feciali impunitatem pollicito sese dedit, à regina in carcerem abduci iussus. Interea Pembrucius Comes alia porta egressus cum delectis, à tergo Viati milites per pratum iacentes nec opinato aggreditur, & absente duce confusos nullo negocio fundit: pugnam regina è palatio per fenestram inspectante, & suorum animos tam præsentia quam voce & signis confirmante. Paucos post dies Viatus læsæ maiestatis, in quatuor partes dissectus pœnas dedit, alijque ex Nobilitate non pauci. Ex alijs captiuis ducenti circiter strangulati sunt, vt eorum exemplo aliorum audacia reprimeretur. Non multo post Suffolcius quoque capite plectitur, quum ante diem quartum fuisset damnatus, quod contra reginam arma sumsisset. & Ioannæ filiæ regnum vindicare conatus esset: & paullo ante, nimirum Anno 1553. prid. Idus Februarij, Ioanna & Gilfodius eius maritus, Ducis Northumbrij filius securi essent percussi: quod spectaculum quum admodum fuerit miserabile, rem ipsam oculis subijciam.

Ioannæ quamuis Maria lubenter pepercisset, quod tamen res periculi plena videretur æmulam non paucorum fauore subnixam relinquere, reginæ Consilio supplicium de ea, vt criminis læsæ maiestatis rea, sumi placuit. Postremam certe coniurationem qua regina ipsa iterum proclamata fuit, perniciem ei attulisse constat: cui ceteroqui ignosci potuisset, vtpote ætate adhuc infirmiori quam quæ vitrici & matris, imperiosæ atque ambitiosæ feminæ imperio reluctari posset. Missus ad Ioannam, quæ paullo ante mortis sententiam ad se allatam nihil turbato vultu acceperat, Theologus, quum eam ad Catholicam doctrinam reducere tentaret, illa sibi non tantum temporis esse dixit, vt controuersijs de religione discutiendis vacaret: proinde quod superesset, pijs precibus & supplicibus ad Deum votis melius impendi posse. Erat vero Ioanna Græcæ & Latinæ linguæ supra sexus conditionem admodum perita. Quare Theologus reginam adit, & vt supplicium eius triduum differretur rogat, quo de religione melius instrui posset. Quod & facile obtinuit. Interea Gilfordus Dudlæus Ioannæ maritus securi percutitur: cuius corpus capite truncatum quum illa è superiori arcis loco in proximum sacellum ad sepulturam ferri vidisset, animi passa deliquium, quasi mortua concidit. Quum deinde paullulum ad se redijsset, in miseras querelas & lamenta erupit, quibus adstantium pectora effodiebat, sic inter lachrymas & singultus loquuta. *Ah charissimum mihi & exoptatissimum corpus! Siccine mutæ tuæ vmbræ extremum illud & triste Vale dicere mihi negatur? Atqui iam iam spiritus hic meus animæ tuæ mille atque mille Vale dicet. Tu quidem aliò abiens me præuertisti: at nihil ego hic cunctata, quantum potero felicitatem meam promouebo, & summa contentione ad te properabo. Equidem inibi iam sum vt omnes nostras miserias iam iam sim finitura: tu vero æternæ felicitatis gustum iam præcepisti. Morare paullisper, morare ô dulcis mea anima. Nefas sine me ad cœlum euola. Exspecta dum qui eodem infortunio perfuncti sumus, ad eamdem felicitatem vnà proficiscamur. Cor meum tuo tam tenaciter conglutinatum est, vt discessus tuus ipsam meam animam à corpore auulsisse secumque abripuisse videatur. Quid ergo restat, nisi vt quum iam abieris, desiderium videndi tui, quo flagro, vnà tecum auferas. Eamus, eamus ad mortem, mille vitis mihi exoptatiorem, vt qua viam mihi aperturæ est ad immortalem vitam. Quid exspectatis, ô crudeles homines? Cur supplicium meum differtis? Quid de me speratis, iam iam charissimi mihi quod in terris habui pignoris iactura ac morte sepulta? Quid restat porro, quam vt vitam inter suspiria & lachrymas mille mortibus cruciabiliorem exigam? Sed bene est. Expande brachia. Venio, venio ad te, anime mi, æternum tecum victura, &c.*

Ingens hic mœror omnem à Ioanna in melius mutandæ religionis cogitationem excusit: sic vt in ea conuertenda Theologus frustra laborarit. A Turris præfecto, qui sæpius ipsam visitauerat, rogata, vt sibi monumentum aliquod sui relinqueret, libellum popposcit, in eoque tres sententias breues Græce & Latine (nam vtramque linguam apprime callebat) & denique vernacule conceptas descripsit, quibus innocentiam suam testabatur; & quamuis culpam morte dignam nõ diffiteretur, tamen ignorantiam suam apud homines saluis legibus errorem eum excusare debuisse contendebat. Mane ex carcere producta pegma supplicio destinatum nihil turbato vultu ascendit, Theologum manu trahens; quem comiter complexa, *Deus tibi*, inquit, *omnia abunde tribuat, pro humanitate quam me prosequutus es: quamuis ex mora hac & supplicij dilatione plus fastidij quam ex proxima morte terroris ha-*

tenus sensurim. Quum deinde à regina veniam petijsset, & vicissim carnifici, qui lege in ipsam acturus erat, tribuisset, in genua procidens. *Dei misericordiam implorauit.* Finitis precibus, rursus in querelas & lamenta erupit; mox seipsam solata, quod iam iam maritum suum potiore loco & vitæ conditione visura esset. Tandem puellis pedisequis adiuuantibus, comam ipsa sibi soluit, reiectisque in oculos crinibus, funesto velo obductos, ceruicem gladio feriendam carnifici præbuit. Rogauerat quidem illa, *vt eadem securi qua maritus percuteretur:* sed hoc illi negatum. Iniuriam quoque sibi fieri dicebat, quæ quintum iam mensem vterum ferens, ad supplicium raperetur: quod verum fuisse, post mortem eius est deprehensum. Morti eius circumstantes plerique, etiam qui Mariæ causæ ab initio fauebant, illachrymarunt.

VI. Maria regina quum regnum aliquo modo sedatis tumultibus, stabiliuisset, ceterorum captiuorum quoque causam, qui aut læsæ maiestatis aut hæreseos rei erant, cognosci iussit. Id negocij datum Stephano Gardinero Vintonienſi Episcopo, qui collegas sibi adsciuerat. Tonstallum, Bonerum, Hetum, Dainum, & Vestonum: à quibus citati & intra triduum sistere se iussi Nicolaus Ridlæus, qui Eduardo VI. rege Londinensis fuerat Episcopus, Hugo Latimerus Episcopus Vorcestriensis, & Thomas Crammerus Archiepiscopus Cantuariensis, omnesque in Turrim Londinensem inclusi; postea vero Oxonium abducti, vt disputationem de religione cœptam absoluerent. Ridlæi in Theologia non mediocriter versati, magna fuit pertinacia, in qua ad extremum perseuerauit. Latimerus paullo erat flexibilior. Tandem in multos dies sine vllo fructu extracta disputatione, Iudices à regina dati in sacra æde Virginis Deiparæ conuenerunt, vbi à Vestono, qui tum Præsidis fungebatur officio, frustra, vt latis à Maria legibus subscriberent sollicitati, tandem excommunicati & degradati sunt. Sequenti de supplicatio siue Processio in eadem Ecclesia celebrata est, pro impetrando diuino auxilio & Ecclesiæ solatio. Vltimo Septembris Ridlæus à Lincolnienſi Episcopo frustra iterum tentatus, quum manus dare atque errorem agnoscere nollet, vnà cum Latimero æque pertinaci, capitis damnatus & flammis vstulatus est: ambo multarum blasphemiarum quas contra Deum & religionem effuderant, conuicti, & non minus quam antiqui illi hæretici, à quibus errores suos mutuati sunt, mortis rei. De Crammero operæprecium videtur vtrem paullo altius repetamus.

Thomas Cramerus patrem habuit cognominem, matrem vero Annam Hatfildam, è Comitatu Notinghamensi oriundos, in Cantuariensi Archiepiscopatu Gulielmi Varami successor. Hicille est qui sententiam diuortij contra Catharinam Henrici VIII. coniugem & Mariæ matrem, iniquissimam tulit, & Anglicano schismati primus aperuit fenestram. Flagitiosum hunc apostatam hæretici in Martyrum suorum ponunt numero; quem tamen Angli fide digni scriptores testantur, *Mariæ Catholicam religionem restituenti promisisse, in Eduardi VI. regis exsequijs sacrum Missæ officium Catholico ritu lubenter se celebraturum.* Quam promissionem quum parum ad reginæ impetrandam gratiam valere, apud hæreticos vero odiosam sibi esse intelligeret; publice protestatus est nihil vmquam tale sibi in mentem venisse, sparsis passim eam in rem per hæreticorum conuenticula libellis. Quibus ad reginam eiusque Consilium pelatis, Crammerus in carcerem Londini coniectus, & læsæ maiestatis reus peractus, à regina nihilominus in gratiam recipitur. At non multo post hæreseos conuictus, ad ignem damnatur: prius vero Oxonium ducitur, vt Theologorum opera ad Catholicæ Ecclesiæ gremium reduceretur. Ibi à Vestono argumentorum pondere eo adactus, vt quod responderet non haberet, nouos illos Euangelicos, qui in tanto & inuincibili, vt putabant, viro plurimum spei habebant, omnium ludibrio exposuit, hæresin iam tum eierare paratus, nisi quod nescio quæ Mundi impedimenta obstare sibi diceret. *O quam multi hæretici vltro ad Catholicam reuersuri sint Ecclesiam, nisi mundani respectus laqueis ita tenerentur impliciti, vt non facile expedire se possint?* Ad obiectas ab ipso difficultates responsum est à Catholicis, nequaquam tam leuibus caussis moueri eum debere quo minus obuiam gratiam amplectatur. Quum enim iam Ecclesia aditum ipsi aperiat, ne dubitaret quin simul omnium Catholicorum corda aperta ipsi futura sint, & ingentem ex eius conuersione (modo vera illa sit) lætitiam perceptura. In ijs quæ ad cœlestia spectant, oculos in terram non esse defigendos. Mundi huius dignitates meras esse offendicula, quibus impingentes, in æternum ruant exitium. His alijsque argumentis labefactatus Cranmerus, quum

quum diu secum ipse pugnasset, tandem hæresin eierare decreuit, solius veritatis, vt quidem aperte protestabatur, vi & studio adductus, veniam modo eorum quæ contra reginam & Consilium commisisset, stipulatus. Qua promissa, sequenti formula hæresin eierauit.

Ego Thomas Cramerus tam Lutheri quam Zuinglij, adeoque omnem quæ pure & sancte contraria sit, doctrinam reijcio & damno. Confiteor etiam vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, extra quam salus nulla est: cuius supremum caput Romanum agnosco Pontificem, tamquam summum sacerdotem, & Iesu Christi in terris Vicarium. Credo etiam sub panis & vini speciebus in Eucharistia sacramento verum Christi corpus contineri, & diuina virtute panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi mutari ac transubstantiari. Ad sex reliqua Sacramenta quod attinet, idem de illis credo & sentio quod Romana credit & docet Ecclesia. Purgatorium credo locum esse, in quo defunctorum animæ ad tempus expurgantur atque expiantur: eoque recte Ecclesiam pro ijs orare, & Sanctorum quoque intercessionem implorare. In summa, profiteor me credere omnia quæ Catholica Romana credit & docet Ecclesia, & quod vnquam aliter crediderim ac senserim, ex animo doleo: simulque Deum precor, vt ea quæ contra ipsum & Ecclesiam feci aut docui, clementer mihi condonet. Eos etiam qui meo exemplo aut doctrina seducti sunt, rogo atque oro per sanguinem Iesu Christi, vt ad vnitatem Ecclesiæ quam primum reuertantur; atque ita omne schisma tollatur. Denique quemadmodum Ecclesiæ Iesu Christi eiusque supremo capiti, sic etiam Philippo & Mariæ Angliæ regibus, eorumque legibus & statutis obedientiam spondeo: Deumque testem appello, hanc confessionem nec placendi hominibus spe, nec displicendi metu, sed proprio motu, ac tam meæ ipsius quam aliorum salutis respectu à me factam.

Reuocatio hæc & Confessio Cranmeri typis impressa & diuulgata multorum animos magna affecit lætitia reginæ inprimis, quæ tamen, licet vehementer deprecantibus Theologis, adduci non potuit, vt sententiam in eum latam reuocaret, vtpote præcipuum schismatis ac hæreseos, quę dubiam regni coronam ipsi fecerat, auctorem. Scribunt hæretici, miseri Crammeri res pessime tum habuisse, vt cui neque ad conscientiam, quam vehementer læserat, neque ad gratiam aduersariorum, quibus in omnibus satisfecerat, receptus pateret; apud bonos (hæreticos intelligunt) inconstantiæ infamia, apud ceteros periurij probro laboraturo. Instante reginæ Consilio vt sententia exsequutioni demandaretur, Colus ad Cranmerum in carcerem mittitur, qui cum in Catholica fide confirmaret; in omni sermone illud præ se ferentem, postquam Catholicorum cœtui se adiunxerit, indies plus solatij animo se persentiscere atque haurire. Quum postridie idem reuertisset, iterumq; Cranmerum hortaretur, vt in maiorum religione ad extremum vsque spiritum perseueraret, ac quum omnis nostra spes in cœlis reposita sit, mundana omnia nihili duceret: ille quamuis id quod erat aliquo modo suspicaretur, inter spem tamen ac metum dubius, rursus in Catholica religione viuere se & mori velle protestatus est. Quia vero mortis in ipsum lata sententia diutius celari non poterat, ab eodem monetur, vt patienter eam accipere & ad mortem se præparare velit. Insperato hoc nuncio perculsus Crãmerus, vbi moriendum sibi vidit, dici vix potest quos tumultus, quas turbas animo exortas senserit, sic secum ipse loquutus.

O me miserum! Quid agam? an ab ijs qui dum salutem meam studere se simulant, ruinam meam quærunt, bis in triumphum ducar? An scopus ero illorum rabiei, qui nihil aliud spectaui, quam vt erroribus quibus detentus fui, me extricarem? Vna illi manu vitam mihi offerunt, altera porrigunt mortem. Quomodo ergo vnum & alterum simul amplecti potero? Non faciam: quin potius me perdam, dummodo illi nullum lucrum ex me habeant. Licet illu promissa fallere? fallam & ego, neque patiar vt simul & seruatum me & perditum ab ipsis, gloriari possint. Moriendum est. Atqui morte mea tropæa illa quæ in Ecclesia ob mei conuersionem erecturi fuerant, deijciam & prosternam. Hoc modo rursus ijs animum addidero, qui meo exemplo impulsi, collum Ecclesiæ iugo subdituri erant, quos morte mea ad vindicandam meam iniuriam armabo.

Quum ergo miser ad vomitum redire statuisset, non infelicitatem modo suam, sed & cœlum ac terram detestari cœpit. Quia enim vitæ huius, quam vnice diligebat, spem omnem sibi præcisam videbat, nihil aliud spectabat quam vt anima simul cum corpore perderetur: adeoque magnæ sibi gloriæ futurum arbitrabatur, si Catholicos conuersionis suæ gloria defraudaret. Vt vero tanto esset paratior, preces ad Deum, & orationem quam ad populum habiturus esset, charta consignauit, & in sinu secum ad supplicium tulit.

Circa nonam pronunciata à Iudicibus sententia, Cranmerus è carcere ad ædem S. Virginis deducitur, latera eius claudentibus duobus religiosis. Ad fores quum peruenisset, intus hymnus Simeonis, *Nunc dimittis*, &c. decantabatur. Ademto sacerdotali charactere, obsoleta ad ludibrium, sed eiusmodi Angliæ Primate qualis ille erat, vel potius tanto hæreseos patrono digna veste indutus, pegma ascendit. Ibi quum eo ornatu assedisset, & Colus causas cur à regina damnatus esset, exposuisset, Cranmerus turbato vultu, animi desperabundi indice, plorabat & lamentabatur. Ad quem Colus accedens, monuit, vt errores suos coram vniuerso cœtu reuocaret. Ibi Cranmerus depromtas ex sinu preces, quæ Catholicam aliquo modo sapiebant religionem, coram populo recitauit; deinde ad populum orationem habuit, in cuius fine plurima dixit, omnino digna quæ æterna obliuione sepeliantur; protestatus ad extremum, *palinodiam illam suam contra conscientiam, solo vitæ amore factam: atque in eo detestabile à se crimen commissum.* Doctores Catholici videntes miserum ex eo quod vitæ spes ademta ipsi fuerat ad desperationem redactum, in viam eum modis omnibus reducere conabantur: at ille à diabolo iam possessus, omnibus contemtis monitis, horrendas ex impuro suo ore blasphemias contra Deum & Ecclesiam euomere non cessabat. Tandem ad supplicij locum raptus, & postquam vestes ipse exuisset, ligatis manibus, protensa dextra, *Hac*, inquit, *nefariè peccauit, quæ recantationi meæ & propositæ ab aduersarijs doctrinæ subscripsit. Prima ergo omnium pœnas luet.* Sic ergo rogo impositus, eandem dextram in flammas quam potuit longissime protendit; breui ignis violentia toto corpore in cineres redacto. Qui proxime astiterunt, aiunt, inter flammæ cruciatus, horribiles illum vlulatus edidisse, ac contra Deum ac Sanctos mille blasphemias euomuisse. Hunc vitæ exitum Cranmerus habuit: qui vt flagitiose vixerat, ita non minus impie, velut homo desperatus, extremum vitæ diem clausit.

HÆRETICI A MARIA ANGLIÆ regno eijciuntur. Philippus Hispaniarum Princeps in Angliam appellit, nuptiasque cum Maria celebrat. Ecclesiæ reformandæ curam suscipit. Angli ab excommunicatione absoluuntur: totumque regnum Pontifici obedientiam præstat.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

I. *De Prophetissa quadam Zuingliana. Haretici ex Anglia proscripti.*

II. *Sacerdotes debito modo non consecrati, sub Henrico VIII. Missæ sacrificium celebrant. Cardinalis Polus in Angliam ad restaurandam Catholicam religionem mittitur.*

III. *Eodem Philippus Hispaniarum Princeps appellit, nuptiasque cum Maria regina celebrat.*

IV. *Ab ijsdem Ordinum regni conuentus habetur, in quo de Ecclesiæ restauratione actum fuit: & quomodo Legatus Pontificius populum ab Excommunicatione absoluerit.*

V. *Quanta prudentia in negotio restauranda Anglicanæ Ecclesiæ Cardinalis Polus vsus sit.*

VI. *In Anglia passim obedientia S. Sedi publicè præstatur, tum Coniuratio quædam detegitur.*

I. QUemadmodum Pepusiani olim, Montanus, Marcion, alijque hæretici vaticinatrices suas singuli habuerunt; (a) sic & Zuingliana hæresis in Anglia similis mulierculæ opera ad astruendam sibi fidem vti voluit. Induxerant enim Noui Euangelij Ministri puellam quandam octodecim annos natam, hæresi simul & precio corruptam, in eam improbam simulationem, vt se permitteret in abdito inter duos muros cuiusdam domus angulo ad tempus includi, & per fistulam ad id aptatam eas voces ederet quas istius strophæ artificis suggererent. Nomen puellæ Elisabetha Crofta erat, Londini in suburbio quodam habitans. Ita ergo illa instructa, & in loco ad fraudem accommodato collocata, mirabiles emit-

(a) *S. Aug. de har. cap. 27. S. Hier. Epist. ad Ctesiph.*

emittit continuo ex antro suo voces, easque tam sonoras, vt per totam viciniam audirentur. Accurrunt vndique ciues, quid sit inquirunt, mirantur, *voces non mortalis hominis, sed Angeli esse aiunt.* Vbi vero ac toti regno spiritus iste miseriam, ærumnas & mala omnia comminabatur, *si nuptias cum Hispano, aut communionem cum Romano Pontifice admitterent. Multa item contra sanctum sacrificium & reliquam fidem Catholicam quasi oracula fundebat.* Erant ex conscijs, qui data opera se turbæ adstanti ingerebant, & huius spiritus propheticas & obscuriores sententias, ad religionis euersionem, & seditionem mouendam interpretabantur. Tandem Magistratus ad compescendam multitudinem, & lustrandum quid sit, accedit. Initio quidem fraus difficillime apparuit: sed tandem inito consilio de muro diffodiendo & vicinis parietibus, vnde voces reddi conijciebant, disturbandis, misera puella prodijt: & examinata quorum suasu & consilio hoc fecerit, confessa est statim, *se à quibusdam seditiosis sectarijs ad istam nequitiam inductam esse.* Sanderus ait *puellæ huic vitæ gratiam factam: at schedæ quas habeo, capitis eam supplicio affectam testantur.*

Stabilito quodammodo regno, regina ad Catholicam quoque religionem in integrum omnino restituendam rabimum adiecit. Quare promulgato Edicto omnes hæreticos, peregrinos inprimis, regni finibus quam primum excedere iussit. Aiunt ad xxx. hominum millia, qui sub Henrico Eduardo irrepserant, tum solum vertisse. De Petro Vermilio Martyre disceptatum fuerat in Senatu, seditum est in eã sententiam, vt quia publica fide in Angliam venerat, cum suis incolumis dimitteretur. Buceri & Fagij cadauera exhumata & combusta sunt: Catharinæ item Martyre vxoris cadauer effossum fuit, & in sterquilinio conditum. Mirum in modum tum Anglicana florebat Ecclesia. Magna vbique erat eruditorum virorum copia, qui tam è suggestu populo Verbum Dei pure annunciabant, quam in scholis è pulpitu doctissime explicabant, frementibus interim hæreticis, & quorundam vitæ, licet irrito conatu, insidiantibus.

II. In his vero primis restituendæ Ecclesiæ initijs non leuiter à Clero passim in eo peccatum est, quod regina, vti dictum est facultatem exercendæ Catholicæ religionis concedente, multi ex superiori Henrici & Eduardi temporibus schismate, canonum & regulæ Ecclesiasticæ obliti, ad sancta altaria & sacrificia conuolabant: ex qua irreligiosa negligentia factum est forte, vt Deo vindice Anglia tam cito cum pientissima Principe etiam hoc summum religionis bonum amiserit.

XVIII. Martij Elisabetha Mariæ soror, à Viato inter conscios nominata, in Turrim Londinensem inclusa est. xxvii. Aprilis Ioannes Graius Suffolcij frater, capitis pœnam luit. Cæterum vt tanto melius Ecclesiæ rebus prospiceretur, Regina Papam Iulium III. vt Polus Cardinalis ad se mitteretur rogauit: quia vero Pontifex tantum virum, nondum exploratis regni rebus, periculo obijcere nollet, Franciscum Commendonum Cubicularium suum, postea Cardinalem præmisit: qui de regni statu omnia certiora referret. nec multo post Commendono Romam reuerso Polus Legatus decernitur, cum amplissima potestate *Anglos ab excommunicatione absoluendi, & in Pontificis gratiam recipiendi; simul etiam de pace inter Cæsarem & Galliæ regem agendi.* At Carolus Cæsar, antequam nuptiæ Mariæ cum Philippo filio omnino transactæ essent, vt Polus in Angliam ingrederetur, numquam consentire voluit: quæ tandem V. Maij Parlamenti assensu certis conditionibus conclusæ & approbatæ fuerunt. Maria regina quæ venienti marito obuiam procedere constituerat, verita ne Londinenses in Elisabethæ gratiam quidquam molirentur, Londino Richemundam, atque inde Nolstochium abduci eam curauit, vbi diu illa, aula interim nuptialibus & alijs postea festiuitatibus perstrepente, captiua mansit. Inde Maria Vintonium profecta est, vt Philippum maritum ibi exciperet: qua Londino digressa, Consiliarij apud Noallium Christianissimi Regis Oratorem sese excusarunt, *quod ipsum ad regales eiusmodi ceremonias non inuitarent, vt qui verentur, ne ob honoratioris loci prærogatiuam inter ipsum & Romanorum Regis Legatum contentio oriretur.* Noallius ad hæc respondit, *numquam sibi auditum aut lectum, quod Romanorum reges vnquam Christianissimis Regibus, quantum ad loci prærogatiuam, prælati sint: se nihilominus regina & Consiliariorum voluntati hac in re velle atquiescere.*

Turbarum nouarum metus vndique tum ingruebat, frementibus plerisque, quod regina contra promissum extero Principi nupsisset, & eã

quidem, qui omnes suas cogitationes & conatus eo conuersurus esset, vt Angliam Hispaniæ adiungeret. Nonnulli vt Philippi caussam plausibiliorem facerent, Genealogiam quandam edi curarunt, in qua Philippi genus à Ioanne Duce Lancastriæ, qui Eduardi III. regis fuit filius reperebatur, & Leopardi atque lilia Anglorum Austriacæ domus insignibus coniuncta cernebantur. Quæ tamen res suspicionem magis accendit quam minuit. Anno M. D LIV. XVIII. Cal. Sextilis Philippus cum CXXVI. nauium classe, Iuli obriga Caletorum portu soluit, triduo, post Hamtonam appulsus, frustra mari infidiantibus Gallis. Postridie naui ad id superbe ornata exceptus, cum præcipuis Consiliarijs & proceribus, in Belgium remissa classe, ad portus molem in terram descendit: & equo regio apparatu strato, qui ad id paratus erat, inscenso, in oppidum venit, Die sequenti post missitata vtrimque munera, Princeps magna suorum & regulorũ Anglorum, qui partim reginæ iussu, partim vltro salutat ipsum venerant, caterua stipatus, Vintonium ad reginam venit, in Episcopi, à quo Latina oratione ante exceptus fuerat, ædibus diuersatus: ac salutata modo regina, sequenti die longum cum ea colloquium habuit: tunc que Cæsaris legati ipsius nomine regno Neapolitano cesserunt, & ius omne quod ipsi in eo competebat, in Philippum filium transtulerunt. XXV. Iulij ipso D. Jacobi festo Anno 1554 nuptiæ celebratæ sunt, rebusque omnibus rite confectis, proclamationes titulorum vtriusque publice factæ sunt, Latina, Francica & Anglica lingua. Peracto sacro, inter choreas ac conuiuia ac cetera regalis lætitiæ (quæ modica tamen fuerunt) oblectamenta, dies extracta est. Inde deducente regina, Philippus Londinum honorifico ac splendido paratu ingressus est, & in primario templo D. Paulli à Londinensi Episcopo habita Latina oratione de Ecclesiæ & regni conseruandis priuilegijs, VVithallam inde in regium palatium concessit. Non multo post Galliæ rex per Noallium regi ac reginæ gratulatus, omnem eis amicitiam & beneuolentiam pollicetur. Cardinalis quoque Polus, etsi Romæ, apud Papam & apud Cæsarem & Reginam Angliæ diffamatus esset per æmulos, mense Septembri Caleto in Angliam traiecturus soluit, & tam Caleti, quam Angli tenebant, quam Grauisindæ magnifice est exceptus, oblatam ei diplomate restitutionis suæ, contra id quod dum ab Henrico VIII. decretum fuerat. Inde IX. Cal. Dec. Londinum ad Comitia istuc inducta & cæpta contendit, prælata cruce Argentea, insigni Legationis Apostolicæ. (a)

IV. Philippus vt initio statim conceptæ de se spei aliquo modo satisfaceret, ad XXI. Nouembris eodem Anno Status regni conuocarat. Ad ea comitia Polus Cardinalis venit; & expositis legationis suæ caussis, omnes monet vt Deo gratias agant, qui talem ipsis Regem dederit atque Reginam. Postridie quum orationem & postulata Poli approbassent Ordines, concepta fuit petitionis formula, qua Regi ac Reginæ supplicant, vt apud illum intercedant. Eius hæc erat sententia. *Pœnitere se vehementer schismatis, quod obedientiam Apostolicæ Sedi denegarint, & quod decretis aduersus illam factis assenserint: in posterum vero se futuros in ipsius atque Reginæ potestate, & facturos quidquid omnino possint, vt eiusmodi leges omnes atque decreta his comitijs abrogentur. Maiorem igitur in modum orare vt interueniant, & efficiant vt censuris absoluti, in quas iuxta leges Ecclesiasticas per schisma inciderant, in Ecclesiæ gremium tamquam filij pœnitentes recipiantur, & deinceps in Romanæ Sedis & Pontificum obedientia seruire Deo possint, ad ipsius nominis gloriam; & suam ipsorum salutem.*

Altera die quum iterum adesset Rex, Regina & Legatus, consurgit Cancellarius, & quid super Legati postulatis decreuerint Ordines, clare pronunciat: deinde supplicem petitionem Ordinum scripto comprehensam & obsignatam Regi tradit atque Reginæ. Quam illi apertam Cancellario dant vt pronuncietur. Tum ille *rogat ab vniuerso cœtu (qui totam regnum repræsentat) num ratam habeant?* Illis affirmantibus, Rex atque Regina consurgunt, eamque Legato tradunt. Is quum legisset, diploma legationis suæ vicissim exhibet, mox illud recitatur, *vt ipsos absoluendi potestatem ei factam à Pontifice, omnes intelligerent.* Post orationem habet lingua vernacula, & quam grata sit Deo pœnitentia, multis exemplis ostendit; & beneficij quo ab orco ad cælum reuocarentur, magnitudinem exaggerat. Mox consurgit. Idem rex ac regina faciunt, & in genua vnà cum toto cœtu subsidunt. *Ibi tum ille Dei numen atque misericordiam implorans*

a *Bzouius Tomo 20. Annal. Anno 1555. num. 16.*

Plorans obtestatur, ut populum benigne respiciat, eique culpam ignoscat: seque Legatum à Pontifice Christi Vicario dicens, ut illos absolvat, de more benedicit toti multitudini, eamque absolvit. Ad sacellum deinde itum est, ibique Deo sunt actæ gratiæ symphonia cantorum, & festæ lætitiæ edita signa sunt: quæ tamen Angliæ non multo post in hæresin relapsæ, diuturna non fuit, ut sequenti capite ostendam. Reconciliatio hæc incidit in profestum Sancti Andreæ Anno 1554. decretumque fuit à Polo, *ut quotannis die festo S. Andreæ eius beneficij memoria singulari cultu celebraretur, & ut totus Clerus ac populus per universum regnum in sua quisque Parochiali Ecclesia, in genua provoluti, reconciliationis gratiam humiliter postularent.* (b)

In urbem mox missi Legati Elienſis Episcopus, Montiacuti Vicecomes, & Eduardus Carneus J.C. qui regni nomine obedientiam Pontifici præstarent. Dici sane vix potest quanto gaudio ijà Cardinalium Collegio & ipso Pontifice, adeoque universo populo accepti fuerint: statimque *supplicationes publicæ factæ Deoque gratiæ ob tantum beneficium persolutæ sunt: indulgentia insuper ad modum Jubilæi per Christianum orbem publicata est.* Ad publicam hanc lætitiam alia quoque causſa accessit, quod nempe regina fetum iam concepisse crederetur. Quam ob rem per totum regnum *supplicationes decretæ, & ab Ordinibus reginæ viginti librarum Sterlingensium millia dono missa sunt.* Anno sequenti 1555. Septimo Januarij Noallius à Galliæ rege missus in Angliam rediit, litteraſque secum attulit, quibus reginæ adeoque toti regno de reconciliatione cum S. Sede gratulabatur. Idem quoque rex ad Polum Cardinalem scripserat, eius industriam in promovenda hac sibi tantopere grata reconciliatione, mirifice commendans.

V. In hac tamen restitutione religionis graues quædam intervenerunt difficultates, è quibus si Polus se ipsum alioſque nonnulla Indulgentia non expediviſſet, Angli non ita prompte in hanc reconciliationem & Pontificiæ auctoritatis agnitionem consensuri nec in officio permansuri fuerant. Certum est, res omnes non eodem modo tractandas esse. Placidam alia, asperam alia vulnera manum requirunt. Et in his quidem casibus *faciendum est quod possumus, non vero tentandum quod volumus, si spes perficiendi absit.* Quum ergo Polus Cardinalis, qui liberam pro re nata ex suo arbitrio agendi potestatem à Pontifice acceperat, animaduerteret, difficile, atque adeo impossibile fore Ecclesiastica bona ijs qui sub Henrico VIII. & Eduardo VI. regibus ea ad se rapuerant, extorquere (*facilius enim reperias qui Deum pro Mundo quam qui Mundum pro Deo deserant*) summa prudentia, quam D. Bernardus omnium virtutum abyssum appellauit, in toto hoc negocio versandum sibi existimauit. Et bonorum quidem Ecclesiasticorum vsurpatores regibus ac Legato supplicabant, vt pacifice ea vti ante possidere sibi liceret. Quamuis autem petitio eiusmodi eis qui cum Deo & Ecclesia reconciliari optabant, nequaquam digna videretur: tamen ordinibus postulantibus eò ventum est, *vt publico instrumento Pontificis nomine & auctoritate edito omnes de huiusmodi bonis ac possessionibus in schismate acquisitis, quoad pœnas & censuras Canonicas, in perpetuum securos & absolutos Legatus declararit. In quo tamen omnes grauissime admonebat, vt quantopere iniusta hæc occupatio & Dei voluntati & ipsorum conscientiæ aduersaretur, mature secum perpenderent: quin potius regina, omnia ab Henrico patre Ecclesiæ ablata restituentis, ac monasteria & templa passim restaurare pollicita, exemplum sequerentur. In eodem scripto Legatus eum omnibus infra gradus ab Ecclesia prohibitos coniugatis dispensat, eorumque matrimonia & prolem iubet esse legitima: Episcopos etiam priori schismate factos confirmat.* Hoc velim attendant ij, qui in rebus arduis nimio zelo ac pertinacia vtuntur, ac de concepta semel sententia aut eo quod iustum ipsis videtur, ne latum quidem vnguem volunt discedere: atque ita sæpe rem ad extremam redigunt perniciem & desperationem. Zelus enim prudentia destitutus, boni nihil, sed potius mala omnia operatur. Imperent sibi ergo homines in magnarum rerum administratione versantes, & affectus suos ita refrænent, vt ne quod malum est pertinacia sua multo deterius reddant. Quod si tum Polus Cardinalis temporibus non obsecundasset, non modo nihil profeciſſet, verum etiam omnem rem & spem euertisset. Omnia vero à Polo tum acta, deinde Paulli IV. Pontificis assensu & litteris stabilita fuerunt & confirmata. Episcopi vero hac communi

b *Fusius hæc Bzonius & alij referunt.*

muni dispensatione ac confirmatione non contenti, singuli veniam prioris culpæ & confirmationē in suo quisque Episcopatu à Pontifice petierunt, uno Landaffensi excepto, qui solus postea sub Elisabetha in schisma relapsus est.

Circa id tempus Guilielmus Thomasonus, qui Eduardo VI. à secretis fuerat, ad furcas Tiburnas Londini laqueo strangulatus est, eò quod regis ac reginæ occidendorum, cum quibusdam alijs consilium cepisset. Hac coniuratione eo ipso die qui exsequutioni destinatus erat, detecta, rex à regina ac publico aliquamdiu abstinuerunt. Interea passim multi hæreseos damnati & combusti sunt, inter quos fuerunt Hopperus Episcopus Gloecstrensis, Bradfordus, Sanderus, alij, nobili plerique loco nati.

VI. Ad VII. Februarij ampla & honorifica legatio ad Pontificem decreta per Episcopum Elyensem Montis-acuti regulum & Eduardum Carneum I.C. Reginæ & Philippi nomine obedientiam supra memoratam Sedi Romanæ & Pontifici præstitere. Ad Academias autem, vehementer, vt ex Rescij & Andreæ Philopatri scriptis facile colligi potest, corruptas, in antiquum splendorem & disciplinam restituendas, Polus præter ceteros misit Nicolaum Ormanetum, Patavinum postea Episcopum, qui Oxonij & Cantabrigiæ Collegia omnia ad normam priscæ gubernationis reduxit. Nulla vero re & reges & Cardinalis de Academijs melius sunt meriti, quam quod Petrum à Soto, Dominicani Ordinis, Carolo V. olim à Confessionibus, Professorem Theologiæ constituerunt, ut à Petro Martyre omnia paullo ante diruta reædificaret: quod & ille brevissimo tempore perfecit. Ita ergo Academijs & Republica ab hæreseos fæcibus, quantum fieri potuit, purgatis, restituuntur ac ornantur passim templa, eriguntur & consecrantur altaria, collegia nova amplissimis cum dotibus fundantur, cœnobia reædificantur, tota denique Ecclesia mirum in modum reflorescit. Ad sanctum sacrificium & alia sacramenta plebs alacri studio concurrit: inprimis vero ad sacramentum Confirmationis, quod in illa gente supra quam in ulla alia natione frequentatur & colitur, tam frequens turba confluebat, ut Episcopi pæne opprimerentur. Certe constat Cestrensem Episcopum, quum nec irruentium vim ferre, nec omnibus satisfacere posset, vix & nonnisi magna Magistratus civilis superveniens diligentia, à plebis concussione liberatum fuisse. Mense Martio iterum coniuratio in regis, reginæ & omnium Hispanorum caput, in lucem protracta & punita est. Regina vero Hiberni cuiusdam Medici curæ valetudinem suam commisit, & pharmaco usa, nullum deinde amplius fetus, quem putabat, motum sensit. Multæ etiam Cruces & Sanctorum imagines, ignotis auctoribus, Londini deiectæ & contractæ sunt, adeo inquieta sunt regna quæ semel locustas illas apocalypticas de puteo abyssi emissas admiserunt, coronas in capitibus suis gestantes, magistratus deturbantes.

PHILIPPVS EX ANGLIA DISCEDIT. Maria regina moritur. Catholica religio proscribitur. Elisabetha regina proclamatur: & pro Capite Ecclesiæ se fert.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

I. *Infans in cunis loquitur; quod sequentium malorum fuit præsagium.*

II. *Philippus ex Anglia in Hispaniam navigat, numquam eo postea reversurus.*

III. *Maria regina moritur: cui Elisabetha, si regno potiretur, multa præclare promittit.*

IV. *Sed Londini recepta ac regina proclamata, religionem mutat & cur. Qualia eius regni fuerint initia.*

V. *Episcopi publico in conventu Reginæ primatui contradicunt: sed illa variis prætextibus utitur.*

VI. *Schisma Anglicana Ecclesia ab ipsis regibus profectum.*

I. CApiti huic tam Mariæ reginæ excessus, quam totius Anglicani felicitatis exitus initium dabit, Elisabetha ad regnum admota, quæ hæresin statim invexit. Præter cruces vero & imagines sanctorum deiectas, quæ non levia futurorum erant auguria, Londini & alibi multi tam in Deum & religionem quam regem & reginam contumelioſi libelli in vulgus sparsi sunt, quorum tamen auctores nullo modo pervestigari potuerunt. Et hæc quidem ab hominibus tum dicta & facta sunt: erat Deus ipse quo-

quoque loqui tandem voluit. Mense enim Aprili Londini infans natus fuit, qui morbo correptus, XV. dies nativitatis non minus articulate & distincte cum præsentibus loquutus est, quam puer aliquis septennis, illud subinde repetens, *Orate*, *Orate*: donec tandem die XXV. fato fuit perfunctus. Interim adolescens XVIII. annorum prodijt, ab Anglis quibusdam inductus, ut pro Eduardo VI. Rege, cuius vultum & lineamenta egregie referebat, sese ferret. Nonnulli hoc facinus eorum adscribebant malitiæ, qui misero illi hoc ita vere se habere persuaserant, & ei tamquam Regi hactenus servierant: alij vero rei quamvis fictæ lubenter fidem habebant. Fraudi eiusmodi color est inductus hac fabella in vulgus sparsa: nimirum, alium pro Eduardo VI. quasi mortuo suppositum fuisse, ipsum vero & Mariæ & Northumbrij, (Joannam reginam facere omnibus modis conantis insidias veritum fuga & occultatione saluti suæ consuluisse. Jamque fidem multis rei habentibus, parum a seditione aberat, nisi impostor comprehensus, & triduo virgis publice cæsus, ad perpetuam carcerem fuisset damnatus: è quo quum postea esset liberatus, nec tamen cessaret delipere, tandem ad furcas Tiburnas fuit suspensus. Nec sane novum hoc aut inusitatum impostoræ est genus, quo etiam mortuos adhuc vivere sæpe etiam prudentioribus fuit persuasum. Artemonem aiunt Antiocho regi totius corporis confirmatione ita similem fuisse, ut Laodice ipsius uxor, eius opera in regno cui vellet resignando, usa sit. Vibius artifex & Publicius servus Pompeio, Serapion Scipioni, Salustius petauriſta alteri Scipioni & vultu & omnibus corporis lineamentis persimiles fuerunt. Romæ quidem in arena duo gladiatores duos Consules, & Myrmillo bubulcus Seuerum Imperatorem vultu & corporis modo retulisse perhibentur, Etsi vero similium impostrarum exempla etiam alibi multa occurrunt; facile tamen prudentiores quum ex horum exalijs grande malum regno imminere augurabantur: quamuis tum omnia summam Ecclesiæ tranquillitatem vulgo spondere videbantur. Quod quidem augurium minime vanum fuisse exitus, cum magno totius Christianæ reipublicæ damno docuit.

II. Accessit ad publicæ hæc miseriæ indicia domestica reginæ calamitas, è duorum ipsi proxima cognatione iunctarum feminarum leuitate vel probro potius orta. Quorum vna filia sororis Henrici VIII. Suffolcio Duci ante nupta, post mortem mariti, refragantibus amicis, Nobili quidem, sed priuato homini nupsit, tanto maiori cum probro, quod ante nuptias consuetudinem cum eo habuisse diceretur. Altera vero Varuicensis Comitissa, Ducis Somersetani filia, mortem marito (quidam etiam viuo eo id factum affirmant) eodem tempore duobus ex infima Nobilitate, nec vlla opulentia, aut alia virtute commendatis, matrimonium promisit, & ad promissi confirmationem, corporis potestatem fecit, neutro quod alteri res cum illa esset, sciente, ac re tum demum quum ab illa promissum vterque matrimonium exigerent, intellecta. Id regina grauiter admodum tulit, & alteri quidem initio custodiam apposuit, postea vero ei qui primus consuetudinem cum ea habuit, nuptum eam dedit.

XVII. Junij An. 1555. Londini Ioannæ Aragoniæ, Caroli V. matris exsequiæ celebratæ sunt. XXVIII. Augusti tumor de reginæ morte incerto auctore percrebuit: quem vt refutarent, rex & regina, comitante Pontificis Legato, Grenuicum aspectante populo, secesserunt. Triduo post Philippus in Belgium ad Carolum patrem traiecit ob bellum graue inter Gallos ac Cæsarem, Magna tum erat per totum Angliæ regnum annonæ caritas. In agro Norfolciensi planities est, tota saxis & scrupis referta, vbi non frumentum, sed ne herba quidem vmquam antea prouenit: quæ sine vllo hominum labore tum magnam pisorum & radicum prædulcium vim produxit; singulari Dei miraculo, suos etiam in deserto pascentis Nobilem regij Legati Noallij familiarem narrantem audiui, è radicibus domum perlatis nouas protuberasse: eosque fructus, te præsente, prædicto Legato, vt & Portugalliæ regis & Veneto Oratori in conuiuio repræsentatos fuisse atque exhibitos.

Eodem tempore Oxonij & alijs locis hæretici aliquot supplicio affecti sunt & A. 1555. XXII. Martij Polus Cardinalis Archiepiscopus Cantuariensis renunciatus est & quoniam finitis inter Philippum II. & Pontificem Paulum IV. inducijs VI. Jd. Januarij in Italia bellum recruduerat An. 1556. & Galliæ Rex Henricus in Pontificis partes accesserat aduersus Albanum misso Guisio, Maria Angliæ quoque Regina in mariti gratiam bellum Galliarum Regi denuntiauit. Quod & ipsi & Angliæ

gliæ regno perniciem non leuem attulit. nam Calletum & alia quædam eis mare loca perdidit, & occasionem calumniarum male affectis imprimis hæreticis præbuit, qui suæ causæ quantumuis malæ stabiliendæ intenti calumnijs Mariam Reginam Catholicam proscindebant, & vulgus irritabant, & coniurationi nouæ flabellum adiecerunt. Itaque non multo post coniurato de regibus, Legato Pontificio, ac toto regni Senatu è medio tollendis inita, in lucem venit : eamque ob causam Thomas Hauardus, Graius, Tregmortonus, Careus, & alij partim in custodiam dati, partim etiam supplicio sunt affecti. Tum hæc tum aliæ atque etiam ab ipsius sacellano, qui post sacrum peractum occidendæ eius negocium suscepisse dicebatur, factæ conspirationes, reginam ita perterruerunt, vt in publicum vix prodire auderet : adeoque in continuo mortis metu versaretur. Neque solum in Anglia sermones varij sparsi sunt, sed etiam per Imperium, & Romæ aduersus Cardinalem Reginaldum Polum, Legatum Apostolicæ Sedis, quem Paulus IV. PP. intellecta denuntiatione belli ab Angliæ Regina facta Henrico Galliarum Regi à Legatione Anglica amouit, siue quod in dissuadenda ea denuntiatione officio pacificatoris apud Reginam defuisset, siue quod suspicaretur eum in partem consiliorum veniisse, siue quod opinaretur non decere si rationes pacis præsente Legato pacis penitus turbari, aut denique ideo quod Galli ita apud Pontificem vt fieret institissent. Accitus est igitur Romam Cardinalis Polus, magna omniũ admiratione, & quasi de religione esset suspectus, in eius locum substitutus est Guilielmus Pætus è Franciscano ordine Episcop⁹ Sarisburiensis, quem in Cardinalium numerum cooptauerat Paulus. Sed quominus ea assequeretur Pontifex interceserunt diu, nempe nuntij deferentes eam dignitatem Pæto, detenti peruiam, atque mors Pæti superueniens, deinde Philippi Regi & Mariæ Reginæ intercessio apud sedem Apostolicam, vt sententia de Polo mutaretur, alioquin reuocato illo fore, vt omnia in Anglia in peius ruerent, & Catholicæ religionis initia restaurata subneruarentur. Polus præclare tunc se sanctæ sedis vocem audire ostendit, siquidem à Roma adeunda retentus, insignia Legati crucem argenteam præferri solitam, aliaque seposuit, missique Romam Ormaneto, Pauli IV. animum ita placatum inuenit, vt Polum exemplo Christi ipsius, cui multa præter ius fasque obiecta sint, fuerit consolatus.

III Hæc ad initia An. 1557. fere gesta sunt, interea Maria Angliæ Regina, varijs curis domi pressa, & foris nullo solatio releuata quum esset etiam natura melancholica, viro etiam, cuius desiderium impatienter ferebat, absente, omni fere auxilio & solatio se destitutam cerneret, facile morbum contraxit : quo indies inualescente, Elisabetham, quam licet spuriam, ab Henrico VIII. successioni destinatam, eamque constitutionem à regni Ordinibus approbatam esse non ignorabat, è custodia ad se euocauit, eamque in hæc promissa adegit : vt Maria è viuis sublata, Elisabetha æs alienum omne è regio patrimonio dissolueret : vtque in religione vti ea nunc est, nihil mutaret, nec hæresibus vllum locum concederet. Quæ licet Elisabetha (quæ Catholicam se hactenus simulauerat, adeoque coram regio Senatu sanctissimum iusiurandum interposuerat, velle vt prius terra sibi dehiscat, quam Catholicæ religioni vllum detrimentum inferri pateretur) quæ, inquam, licet Elisabetha promptissime facturam se recepisset; postea tamen insigni erga Deum & homines perfidia susque deque habuit. Tandem vero Maria, accedente etiam aqua intercute, quum sacrum præsente se celebrari iussisset, febre paullatim consumta decessit : virilis animi femina, & tanto fastigio dignis virtutibus, ad inuidiam, dum vixit, ornata, dies mortis eius mansit incertus eo quod fuerit occultata mortis fama, vt interea hæretica factio rem suam ageret, telamque imposterum texeret. Hinc alij XV Cal. Nou. alij 5 Nou. alij 17 Nouemb. Anni 1558 mortuam scribunt(e). Eodem die sub tertiam noctis horam quum illa mane obijsset, è vita quoque demigrauit Reginaldus Polus Cardinalis, vt non amplius quam XVI. horarum spacium inter vtriusque mortem interfuerit; nec desunt qui venenis actum asserunt, sicque Anglia ab irato flagitijs quæ multa sibi quotidie committebantur, Deo grauissime castigata, hæreticis iterum in prædam cessit. Nata fuit Maria quum moreretur, annos XLIII. & IX. menses, vno die minus : regnum vero tenuit annos V. & menses IV. in eo qui-

e *Reusnerus parte 5. operu Geneal. Henninges parte 4. operis Genealogici in Hispan & Anglia Regibus.*

quidem felix quod summo restituendæ Catholicæ desiderio flagraret Ecclesiæ; sed in hoc valde infelix, quod Elisabethæ longe dispari feminæ regnum reliquit. Initio quidem Mariæ incredibilem magnitudinem omnia spondebant, utpote in familiam totius orbis potentissimam nuptum collocatæ: quæ tamen omnia mox instar fumi evanuerunt, magno rerum humanarum instabilitatis documento. Illud vere dicere possumus, cum Maria in Anglia eodem veluti tumulo Catholicam fuisse inclusam religionem; & Cardinalis Poli mortem, hæreseos vitæ dedisse initium. Neque enim contra Antæum ullus iam restabat Hercules, qui etiam deiectus, ex ipsa terra vires resumpsit.

IV. Defuncta Maria, Elisabetha Londinum ingressa, & magno, hæreticorum inprimis quibus dies tum primum exoriri videbatur applausu & lætitia excepta, pro regina se gessit: quæ licet sorore regnante Catholicæ religionis cultum simulaverit; vera tamen, ne ex quo nata fuerat matrimonio, iam ante summi Pontificis Ecclesiæque sententia etiam Augustanæ confessionis professorum e iudicio, damnato, de natalibus etiam suis & iure regnandi aliqua oriretur dubitatio, sacris canonibus subesse recusavit, & de religionis Ecclesiastici-que regiminis forma primo quoque tempore mutanda cogitavit. *Indicto ergo passim Catholicis circumcatoribus silentio, & hæreticis ex variis ubi exsulaverant hactenus, locis permisso reditu, quadam die Episcopo coram se sacrum facturo præcepit, ne hostiam populo adorandam ostenderet.* Quia enim Sacramentum hoc Catholicæ religionis præcipuam partem ac veluti fundamentum esse norat, in ceteris faciliora sibi omnia spondens, hoc primum abolere constituerat. Unde factum est, ut in reginam consecrare eam aut iniungere plerique omnes Episcopi recusarint, præter unum eumque ultimum. Ne tamen forte de regno tamquã minus rite id adeptæ postea moveretur controversia, *Catholico ritu inaugurari se permisit, & iusiurandum etiam Christianis Regibus de fide Catholica defensione ac libertatum Ecclesiasticarum conservatione more maiorum præscriptum præstitit: & oleo quoque inungi voluit,* sed non sine risu & fastidio. nam sub papilionem parumper pro more ad regales induendas vestes divertẽs, nobilioribus feminis circumstantibus dixisse fertur; *Abite, ne fetor huius olei vos offendat:* quum tamen oleum illud omnibus gratijs refertum, & omnibus Arabicis ungentis sit fragrantius. Habebat vero in familia & comitatu suo *homines nihil*: inter quos præcipua auctoritate apud ipsam erant Gulielmus Cæcilius Eduardo VI. quondam à secretis, & Nicolaus Baconus J. C. qui prolubitu suo omnia administrabant. Ex proceribus vero familiariter præ ceteris utebatur Roberto Dudlæo (Northumbrij supplicio sub Maria affecti) filio; cui etiam matrimonij spem fecit & illusit.

Nec contenta temporali regno, etiam in Ecclesiasticis rebus supremam auctoritatem ad se transferre statuit: iac communi Parlamenti, ut vocant, decreto, *suprema Ecclesiæ regnorum suorum, etiam in causis spiritualibus, Gubernatrix esse & vocari voluit: omnibus solemni iuramento id profiteri adactis.* Forma Sacramenti hæc est: *Ego N. prorsus testificor & declaro in conscientia mea, Reginam esse solam supremam Gubernatricem, & istius regni Angliæ, & aliorum omnium suæ Majestatis dominiorum & regionum. non minus in omnibus spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus vel causis quam temporalibus: & quod nemo externus Princeps, persona, Prælatus, status vel potentatus, aut facto aut iure, habet aliquam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam vel auctoritatem Ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno. Ideoque plane renuncio & repudio omnes exterorum iurisdictiones, potestates, superioritates atq; auctoritates.*

Quum vero iuramentum hocà Catholicis damnati, nec Calviniistis etiam placere animadverteret, ut qui dicerent, eo reginæ longe ampliorem auctoritatem quam Henricus aut Eduardus sibi vindicarint, tribui, eius expositionem seu correctionem quandam publicari iussit, nimirum se non aliud hic velle aut vindicare, quam quod prius patri fratrique ab Ordinibus regni tributum esset. Sed ut quibus in rebus hæc spiritualis seu Ecclesiastica potestas maxime consistat, intelligatur, breviter leges & decreta Parlamenti eam in rem facta commemorabimus.

In primis ista habet lex, *Omnia privilegia, præeminentiæ, prærogativæ, superioritates spirituales, quæ ab illa potestate, vel humano, vel ecclesiastico iure, haberi aut exerceri possunt, quoad visitationem, correctionem: seu reformationem cleri totius seu quarumcunq; personarum ecclesiasticarum: ad cognitionem etiã ac punitionem omnium errorum, ac hæresum, schismatũ, abusuum, &c. Volumus in posterum quod Regio sceptro in perpetuum sint annexa.*

Decernimusque Reginam suosque hæredes ac in regali dignitate successores, habere habituroque esse deinceps, omnimodam potestatem nominandi & substituendi quoscunque voluerint, qui eorumdem vice ac autoritate, eandem iurisdictionem ecclesiasticam exerceant pro beneplacito suo, personas visitent; hæreses, schismata, errores & abusus castigent, aliudve quidvis iuris vel potestatis exerceant, quod ab vllo vnquam ecclesiastico magistratu exerceri potuit aut oportuit.

Decernitur item, ne clerus ad synodum vllam, aliorum quam regiis literis & mandatis conueniat; neve vllam canonem, legem, constitutionem synodalem seu prouincialem, vel faciat vel exequatur, sine expresso maiestatis sua consensu & licentia huiusmodi canones faciendi, promulgandi vel exequendi sub pœna carceris & mulctæ pro Reginæ arbitrio imponendæ.

Decernitur ne quis exeat regnum ditioneque sua maiestatis, ad vllam visitationem, concilium, conuentum aut congregationem, una religionis causa vsquam fiet; sed vt talia omnia, regia autoritate intra regnum fiant.

Item, ne Episcopi, vel vllius nominatione, vel electione, vel vlla autoritate alia quàm regia creentur; neue iurisdictionem potestatemque Episcopalem teneant aut exerceant, nisi ad beneplacitum Reginæ; nec aliter nisi per ipsam, & à regali maiestate derivatam autoritatem.

V. Et hæ quidem spurij huius & Noui Pontificatus leges sunt & Constitutiones. Quo vero *proceres* tanto magis sibi ac facilius deuinciret, Ecclesiasticas possessiones à Maria Clero restitutas, rursus involauit, illis in partem prædæ vocatis: *Commissarios* etiam qui rerum Ecclesiasticarum curam haberent constituit, & in eis expediendis certo sigillo vti iussit: tum omnia contra hæreticos promulgata decreta abolevit, nec quemquam pro hæretico haberi voluit, nec aliquam opinionem pro hæresi damnari, nisi omnium Ordinum consensu. Atque ita exules hæretici sub Maria Regina depulsi in Angliam annuatim è Gallia Germaniaque &c. locis remearunt. quorum opera prima sui Primatus assumpti fundamenta iecit. nam Episcopatibus aliqua ratione vacantibus Hæreticos ex exilijs reduces imposuit. *Sarisburiensis* quidem Episcopatui, per mortem tam Petri Petouui Cardinalis, quam Cardinalis Poli, vacanti Ioannem Iewellum, qui deinde Apologiam Ecclesiæ Anglicanæ pro Elisabetha scripsit. *Herefordiensi* autem contra nominatum à Maria Regina Thomam Raynoldum Exoriensem Decanum imposuit Ioannem Soleium; Roffensi Edmundus Gueſt. *Glocestriæ* defuncto recens seu naturæ fato seu malis artibus hæreticorum (quorum non paucos exuri curauerat) Iacobo Broco Catholico An. 1559. Initio Februarij impositus est Richardus Cheynæus Lutheranus, vt Germanos protestantes sibi demereretur. *Bristoliæ* vacanti Richardum Cheyney, Menenensi An. 1559. 21. Ian. Thomas Yong. *Iſaphensi* Richardum Dauyes 21. Ian. 1550. & Dunelmensi Iacobus Pilkinson. denique Ioannes Parchurſt, qui *Norvvico* præpositus est. Omnes fere ex exilio reuersos, tamquam Fidei confessores, reuera subuersores (*d*).

Quum vero ne sic quidem satis omnia quæ vellet stabiliuisse sibi videretur, Ordinum consensum, sine quo nihil, & cum quo omnia poterat, procurandum sibi putauit. De Parlamenti Angliæ forma supra diximus. Postquam ergo regina operam adhibuisset, vt ex singulis prouincijs & ciuitatibus in alteram Curiam, quæ Inferior domus dicitur, ij cooptarentur quos ipsa suis maxime rebus commodos existimabat; facile obtinuit, vt quidquid proposuisset, ab hac comprobaretur. In prima autem Curia seu Domo superiore plerique illam deprimatu Ecclesiastico propositionē detestabantur, Episcopi in primis, quinon ita multo ante regni reconciliandi causa legationem obierant. Solus Cardinalis aliquis Polus desiderabatur, qui reliquorum sententijs sua auctoritate pondus adderet. At regina ad astum conuersa, quum Arundelio Comiti nuptiarum spem fecisset, ita tamen vt de generis dispensatione (erant enim cognatione iuncti) à Pontifice impetranda spem nullam esse diceret: facile eum ad suas partes adiunxit. Et profecto nihil est quod homines facilius decipiat, aut in nassam illiciat, quam summæ dignitatis spes. Quotusquisque Princeps est, qui vt regnum assequatur, non omnia posthabeat? *Violentissimæ res est ambitio; numquam ea qua retro sunt, sed qua oculus tantum obuersantur, aspiciens.* Cui licis aculeum prius vix sentias, quam tumore prodatur. Sic Arundelij Comitis animus promissis & blanditijs reginæ delenitus, venenum sub eis latens initio non animaduertit, at vim eius tandem magno cum suo malo sensit. Incautus ergo fallaci spei hamo, caussam reginæ strenue agebat.

Et

d *Godvvinus in præsulibus Angliæ.*

Et quamquam initio pauci assentirentur, tandem tamen schismata pars peruicit ea, quæ à Deo stabat, succumbente, & Ecclesia pessum eunte. Elisabetha voti compos, procum hunc postea neglexit. Interea *homines prophani controuersias religionis decidunt, & diuini cultus formulam præscribunt; inter mendaciorum strepitum Veritate prorsus silente.* Communi & vniuersali hominum opinioni multum tribuendum esse etiam Ethnici dixerunt. Apud Christianos quidem vniuersalis ille in fide consensus certissimum Veritatis testimonium esse debet. At hic contra vniuersalem consensum Ecclesiæ, contra communem totius Antiquitatis vocem, contra priscorum Patrum decreta confusum opinionum chaos miscebatur, quarum nec pes nec caput apparebat. Ægyptij olim Græcis exprobrasse dicuntur; *quod plerique inter ipsos pueri essent, id est, in antiquitatis cognitione parum versati.* (d) Quanto magis id de hæreticis vsurpari potest? vt qui in religionis negotio sui tantum cerebri commenta sequuntur; omni interim Antiquitatis & Ecclesiæ auctoritate contemta Sed ad Arundelium redeo; cui post hanc ludificationem multum auctoritatis decessit. Alter vero, Norfolcius scilicet Thomas Hauuardus quem itidem ad suas partes blanditijs allexerat, non auctoritatem tantum, postea verum etiam vitam, capite ex Elisabethæ iussu multatus A. 1572. amisit, veluti Natalis habet suspensus & in partes dissectus, veluti læsæ maiestatis reus. Episcopi qui Parlamenti decretis assentiri nollent, dignitatibus deiecti fuerunt, vno solo excepto. Accidit id A. primo Elisabethæ Christi 1559. quo Elienſis Episcopus Thomas Thirlbæus reformationi Elisabethæ resistens in Turrim Londinensem est coniectus, & Lincolniensis Episcopus Thomas Wathonus custodiæ datus, vti & Conuentrensis atque Lichfeldensis Radulphus Baynus, ac Gilbertus Bournus Bathoniæ ac Wellensis Episcopus tum Exoniæ Iacobus Turberuilius. Norvvici Ioannes Hoptonus. VVigorniæ Richardus Patus. Cistestrensis Ioannes Christopherſonus, Petroburgensi Dauid Poole. Eboracensis Nicolaus Heath. Dunelmensis Gutbertus Tonstallus. Carleolensis Ovvinus Ogelthorp. omnes exauthorati à Noua Primate & Parlamento, substitutis ijs quorum nomina describi censeo indignum. Vnus, inter omnes Episcopos sub Maria Regina receptos, Landauensis Antonius Kitchin Dunstan ex Monacho Westmonasterienſi Episcopus ad æternam nominis sui ignominiam Iuramento de primatu Elisabethæ subscribere non erubuit. Itaque sæculares principes clerum deserendo patriam suam infinitis calamitatibus subiecerunt, quibus ipsi postea miserabiliter inuoluti fuerunt. (e) Alias certè Clerus summa constantia vtebatur. Feriæ Dux, qui tamquam Legatus Cæsaris hactenus consilijs interfuerat, vbi miscери omnia vidit, impetrata à regina facultate è regno discessit, cumque eo Catholici non pauci, qui hæreseos iugum ferre recusabant: quibus deinde Hispaniæ Rex laudabili inprimis liberalitate ad subleuandas vitæ necessitates subuenit.

VI. Quum in ceteris Christianæ Reipublicæ regnis hæreses fere ab inquietis & turbulentis hominibus inuectæ & stabilitæ sint; in Anglia schisma ab ipsis Regibus ortum habuit, vt Regale merito dici possit. Primam ei fenestram aperuit Henricus VIII. quod ab Eduardo totum & auctū, tandem sub Elisabetha totum regnum occupauit. Ecce vero: vix regno inaugurata fuerat Elisabetha, quum ad eam fama perfertur, Mariam Scotiæ reginam, Galliarum regis filio primogenito Francisco Valesio quem Delphinū vocabant, nuptam Anno 1558 Aprili mense pro Angliæ regina se gerere, eumque titulum & insignia publice vsurpare. Credibile sane est. ob hanc iniuriam (vti videri volebat) Elisabetham postea in miseram illam reginam, defuncto marito, tanta perfidia sæuijsse: vt infra ostendam Elisabetha grauissimi belli metu implicita, à pecunia etiam & opibus pro necessitate parum instructa, regno insuper in factiones scisso ac distracto, quum omnia disperisset, non modo tantis se difficultatibus expediuit, verum etiam rete contexuit, quo miserabilem illam reginam inuoluit. Regnum sæuitiâ & crudelitate, vitam diffidentia tuebatur. Tantum vero aberat vt regni consortem sibi asciuerit, vt etiam potentissimos orbis Principes inani spe ludificarit, seque dixerit Virginem permansurum, ac velle vt in marmore sub quo sepulta iaceret, hæc verba inscriberentur: *Hic sita est Elisabetha, quæ (tot) annis Regina, & tota ætate sua Virgo fuit.* Pulcrum sane elogium, si re tam verum quam verbis splendidum fuisset.

Porro optimatibus iusiurandum illud salua conscientia se præstare non posse dicentibus, curauit vt sæculares Principes exciperentur, modo.

(e) *Herodotus.*

do suis suffragijs Episcopos clericosque ad hoc iuramentum lege compelli permitterent. Ita multi ex magnatibus hac cautione pulcre sibi prospectum putantes, de Episcopis ac Pastoribus suis non multum curarunt, eosque irreligiosis istis legibus obnoxios reliquerunt. Quod strategema illa in patris schola didicisse videbatur. Hic enim quum ad monasteriorum Religiosorumque bona occupanda animum adiecisset, facile in comitijs quod voluit effecit, non solum per Principes laicos, sed etiam Prælatos Ecclesiasticos sæculares, qui parum sua interesse putabant quid de Religiosis personis rebusve monasticis statueretur: sed tandem & ipsi postea in prædam cesserunt. In hac tanta rerum perturbatione Nobilitas fere omnis quæ ab aula aberat, vt & populus magna ex parte Catholicam sequebatur religionem. Sola Londinensis vrbs & aula regia maxime erant corruptæ. Principes plerique Caluinisimi studium palam simulabant, clam tamen Catholicorum more viuebant. Ne vero aut reginæ gratia aut muneribus & dignitatibus excíderent, Caluinistarum conciones quidem publice audiebant, domi vero sacrum Catholico ritu sibi peragi curabant; sic Deo & diabolo simul seruientes. Sed Principes illi Prælatos Ecclesiasticos desertos passi, & ipsi tandem à Deo deserti, miserabiliter perierunt.

ANGLORVM RELIGIO AB ALIIS sectis in quibus differat. Elisabetha religionem mutat, retentis tamen quibusdam ex Catholica Ecclesia, &c.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

I. *De religione Anglorum: & quomodo ea, tam ab alijs hæresibus, quam Catholica fide, differat.*

II. *Disputatio inter Catholicos & Caluinistas habita: post quam Missa abrogata, & Episcopi atque alij Catholici variis modis fuerunt afflicti.*

III. *Pius V. Papa Angliam anathematis fulmine persecutit.*

IV. *Elisabetha regina in rebus spiritualibus & ab Ecclesia dependentibus magnam sibi auctoritatem impie sumit.*

V. *De Anglicanis in Belgio, Gallia, & Roma Seminarijs. Item de Martyrologio hæreticorum.*

VI. *Elisabetha S. Crucis signum in honore habet & Caluinistas reformationem à se præscriptam amplecti cogit.*

I. NVmquam Africa, *monstrorum parens*, ob monstrosos diuersorum animalium inter se congredientium partus à veteribus dicta, vllam tigridem tam maculosâ, aut quamcumque aliam bestiam tam variegatâ pelle produxit, quantam Anglia in Leopardis suis, quibus pro insignibus vtitur, non quidem coloribus, sed religionum sectis, earumque legibus ac ceremonijs plurimum inter se discrepantibus, varietatem ac difformitatem ostendit: cuius nos hic aliqua lineamenta leui penicillo adumbrata, toti orbi spectanda proponemus, vt lectores hæreseos multiplices formas non cognoscere tantum & admirati, verum etiam detestari discant. Elisabetha quidem (cui Leopardos pro insignibus nemo inuidere debet) cæco conatu tam variam, versipellem, ac confusam ex omnibus sectis Ecclesiam ædificauit, vt quamuis nihil fere Catholicum habeat, tamen nec Hussitica, nec Lutherana, nec Zuingliana, nec Caluiniana, nec Catabaptista dici possit, & tamen ex omnibus aliquid in ea agnosci possit: à Catholicis rerum exteriorum cortices & ceremonias, à sectarijs cultus interiora & doctrinam mutuata. Primum ergo Visitatores constituit, qui religionem ad eam formam qua sub Eduardo VI. fuerat, reformarent. Dignitates Ecclesiasticas quibus vellet, distribuit. Episcopos consecrat, vestitum Ecclesiasticis præscribit, ceremonias aliaque quorum mysteria non caperet, proscribit, pro lubitu denique omnia fert & agit. Cum Gallis Caluinistis non leuis ei erat contentio, quos nimis multa reijcere, & religionem omni religione nudatam sequi dicebat: vt & Hugonota quidam Vasco, *Catholicorum religionem nimis pinguem, Caluinianorum nimis macram esse dixit.* Ecclesiasticos etiam à laicis vestitu discerni omnino volebat: quæ etsi tamquam superstitiosa & Papistica exploderent Caluinistæ, illa nihilominus in sententia perstabat, inquiens, *Deum semper externis ceremonijs coli voluisse, altaria, cereos, suffimigationes Veteris legis vsu esse approbatas,*

quum

quumque tam operose Principibus seruiatur, quanto magis Deo, regum regi, &c. Hanc vero externam religionis speciem conseruari volebat, vt populus tali mutatione minus offenderetur. Vnde Ecclesiastici non modo diuersum à laicis vestitum, verum etiam prisca Archiepiscoporum, Episcoporum, presbyterorum, Archidiaconorum, Canonicorum, nomina retinuerunt. *Relicta etiam in templis & compitis S. Crucis aliaque sanctorum imagines; & orationes pro defunctis haberi iussa.* Cum Abbate etiam Vestmonasterien sis egit Elisabetha, *vt vnà cum monachis in monasterio permaneret, & secundum leges praescriptas sacra administrarent:* quod facere illi recusarunt. *Organa etiam, cantus, cerei, cappa, in vsu manserunt; nec inusitatum erat baptismum sine concione administrare, aut frontem cruce signare Cœnam Domini celebrantibus ministrorum vnus panem, alter vinum porrigit,* idque Muscatellum nonnunquam. *In funebribus cantum adhibent, Adulterij convicti publice alba amicti veste producuntur. Regina in oppidum aliquod venienti clerus obuiam procedit. Elisabetha natalis in Calendario rubris, Deipara vero atris & minusculis litteris notabatur: & pro huius laudibus, illius Londini vesperi decantabantur. Ieiunia hodieque non religionis, sed publici commodi caussa observantur. Caluinista Galli, Belga, suas Londini habent Ecclesias:* è quibus illi immodestis studijs Cruces, imagines, altaria, festa, ieiunia profligan da esse assiduo clamant.

II. Hanc Ecclesiæ deformationem vel euersionem potius quum plures Catholici ægerrime ferrent ac hæresi, quamuis irrito tandem conatu fortissime sese opponerent; regina, vt imperitis aliquo modo satisfieret, publicam inter Catholicos & Protestantes disputationem instituì voluit. Dicebant Catholici *æquum non esse vt quæ iam à multis saculis tot Pontificum, Conciliorum ac Patrum iudicijs definita, & ab Apostolis quasi per manus accepta sint, in quæstionem vocentur; quia tamen regina id vellet, paratos se indubitatam suam fidem omni loco ac tempore defendere.* Propositis ergo in quæstionem aliquot articulis, dies & locus disputationis designati sunt. Iudex delectus Nicolaus Baconus, homo laicus, & pertinax hæreticus, assistente in speciem Archiepiscopo Eboracensi. Vix cœpta disputatio irruentis multitudinis impetu & clamoribus ita perturbata fuit, vt peragi nihil potuerit. Insignem animi magnitudinem ostendebant Episcopi, quorum plerique omnium periculorum secuti, Excommunicationis censuram contra Reginam aliosque adhibendam censebant: sed prudentioribus placuit, rem eam Romano Pontifici committendam potius. Nec multo post Pius IV. de tota hac re certior factus, Legatum in Angliam misit, qui tamen Insulæ ingressu fuit prohibitus. Et quâuis Pontifex reginam postea quoque sollicitarit, vt legatos suos ad Tridentinum Concilium mitteret, Episcopi tamen nouitij, ignorantiæ suæ sibi conscij, Reginæ id dissuaserunt.

Eodem anno Elisabetha publico Edicto, *nepost festum S. Ioannis Baptistæ sacrum Catholico ritu fieret, prohibuit, ijs qui quodcumque officium Ecclesiasticum Romano more administrarent, aut administrari sibi curarent, graui indicta multa; nimirum vt qui in hanc legem prima vice commississet, vel ducentos aureos penderet, vel sex mensibus in vinculis esset; secunda vice quadringentos aureos exsolueret, aut vnius anni vincula pateretur: tertia demum vice perpetuis carceribus addiceretur, omnibusque bonis multaretur.* E hic ille dies fuit, quo horæ Sathanæ & potestas tenebrarum in Angliam incubuit, sublato quotidiano illo & solemni siue *Iugi sacrificio* de quo prophetauit Daniel in diebus antiquis (a), Episcopi qui impietatibus his nullo modo consentire volebant, præter vnum omnes de gradu & dignitate depositi, & in carceres ac custodias conjecti sunt, & longo tandem miseriarum plerique tædio exstincti. Catholici magno numero ex Insula in varias orbis partes discedebant. Academiæ omni ornatu, pulsis Professoribus, spoliatas se lugebant.

Pius V. qui tum Catholicam Christi regebat Ecclesiam, vt gangrænam hanc sanaret, vel sisteret saltim, quum lenibus remedijs hactenus nihil profectum videret, asperis vti statuit; *lata in Elisabetham Excommunicationis ac depositionis sententia:* quæ quum passim exstet, repetere hic eam nolo. Ob hanc ad Episcopale palatium Londini affixam nobilis quidam capitis supplicio fuit affectus. Qua re offensa Elisabetha, leges valde cruentas contra veteris fidei cultores promulgauit, quibus cauetur, *Primo, Ne quis Elisabetham hæreticam, schismaticam, infidelem aut vsurpatricem vocet, sub pœna capitis. Ne quis aliam quamcumque certam personam nominet, cui regnum, vel viuente vel mortua Elisabetha, iure deberi dicatur, exceptis Elisabetha legitima prole. Ne quis asserat, acceptet aut*

a *Daniel. cap. 8 & 11. & 12.*

aut gestet vlla sacra munuscula, qualia sunt Agnus Dei, cruces, imagines, calculi benedicti, &c. Bullas autem, Breuia Apostolica, instrumenta &c. Roma deferre capitale statuitur, vti etiam Ecclesiæ Romanæ reconciliari, Crimen læsæ maiestatis pronunciatur. Eorum qui propter religionem in exteras regiones traiecerant, bona regio fisco addicuntur. Non tamen interea magni quidam viri Catholicam religionem scriptis propugnare cessabant; inter quos *Nicolaus Harpesfeldus* in carcere egregium opus contra Centuriatores Magdeburgenses, Copi nomine editum, conscripsit; item *Thomas Hardingus*, *Nicolaus Sanderus*, *Gulielmus Alanus*, & *Thomas Stapletonus*, offensi præcipue Ievvelli cuiusdam Superintendentis Sarisburiensis impudentia, qui in concionibus suis, vt erat disertulus & animosus, vehementer asserebat, *Protestantes nihil præter S. Scripturæ, & antiquissimorum Conciliorum & Patrum auctoritatem tueri*, &c. Retundebatur hoc palpabile mendacium stupidi hominis ab Hardingo Catholico & alijs multis; verumtamen ille quasi nihil audiret aut intelligeret, eadem mentiendo progrediens in concione ad crucem Paulinam habita enunciauit fidenter, nescio ex ignorantia, an malitia, certè falso: *Multa esse dogmatum Pontificiorum capita, quæ nullo vel sacræ scripturæ Testimonio possent comprobari, vel Patrum aut Conciliorum, dummodo sexcentis post Christum annis non essent recentiores, approbatione sulciri, speciemue veri accipere. Impudens dictum, hominis parum versati, præsertim pollicentis se continuo partibus aduersis accessurum simul atque vnicum huiusmodi Testimonium produxissent. Capita erant xxvii. quorum præcipua erant: De Missa priuata; de sacra synaxi sub vna specie: de lingua non intellecta vsu in precibus de primatu Romani Pontificis; de transsubstantiatione, de imaginum cultu, de scripturarum Lectione &c.* (b) His ille miser apud plebem rudem Historiarum & Conciliorũ & patrum domi suæ detriumphabat Catholicam Ecclesiam, perinde ac Thraso ille qui de lupo in silua sibi oblato vane iactabat, sese in victum eius immissæ brachio ad caudam vsque pertingendo, animal totum inuertisse, veluti quãdam rebus vacuam peram. Sed facile triumphabat, vbi omnium ora Edicto Reginæ, adeo erant obstructa, vt nec hiscere sine Maiestatis læsione liceret. Vt tamen vani hominis vel nunc, qui ista protrita scruta magni faciunt, intelligant ineptitudinem, videant obsecro Catholicos, qui ista tractarunt, quique maxillas illas leoninas fregerunt. Quid enim ais Ievvelli? An Missa priuata non habet apud te in scriptura sacra testimonium? obsecro te cum Christus Dominus in cæna vltima panem accipiens & gratias agens &c. *Obtulit corpus & sanguinem suum in remissionem peccatorum, & dixit eadem mysteria ita ab ipsis tractanda & offerenda esse pro multis*? An tunc in Templo Ierosolymitano erat, an in cænaculo? An quando Apostoli per domos frangebant panem, in templo coram populo vniuerso fregerunt? & cum S. Lucas Act. 13. scribebat λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ καὶ νηστευόντων εἶπεν, *illis autem Sacrificantibus & ieiunantibus*, (vti Vester Erasmus & ante & post Lutherum vertit) siue vt vulgata habet *Illis autem Ministrantibus Domino & ieiunantibus*, & vt habet Anglica versio. *As they ministred to te Lord, and fasted.* Hic tu Ievvelli strenue finge nullam esse missæ priuatæ mentionem in scriptura, & die ministrare Domino & sacrificare, & Liturgiam Græce, Latine Missam celebrare, non esse in scriptura, & similiter cætera capita tuæ impudentis assertionis pari modo die non esse in scriptura fundata, tunc sane rem tua fronte dignam præstitisti. Sed larua illa. quum sæpe, tum non ita pridem in Gallia Caluinistis detracta est, publice multipliciter commissæ falsitatis convictis, per Tabulam Chronologicam Gualterij &c. sed ad rem.

IV *Omnibus etiam Catholicis, qui religionem saluam cupiebant Elisabetha publicorum munerum & ærarij administratione interdixit.* Vnde factum est, vt non pauci dissimulatione sibi vtendum putarent, quo fortunis suis consulerent: quamuis maior Nobilitatis, vt & plebis pars adhuc esset Catholica, nec vere vllæ prouinciæ aut ciuitates, præter Londinum & quasdam maritimas hæresin amplexarentur. Multi tamen, vt dixi, dum reginæ gratiam venantur, longe grauissimum Dei odium incurrere non dubitarunt. Infelices, quicumque Deo imponere se posse existimant: qui vt non fallit, ita nec fallitur. Certe quoquot tum temporibus obsecundandum putabant, paullo post vel in hæresin inciderunt, vel alijs modis perierunt. Elisabetha interim *in eos qui ritu: Parlamentarios non sequerentur, diligenter inquiri, & eos qui diebus Dominicis conciones non frequentassent, duodenis solidis multari iussit*: quæ mulcta postea valde aucta fuit. Meliori certe sorte perfida illa Iudæorum natio Romæ est, qui non omnes, sed tertius quisque in sacram ædem Mineruæ

b *Godwinus de Præsulibus Angliæ in Episcopo Sarisburiensi.*

Mineruæ singulis diebus Sabbathi venire coguntur, vt vbi de erroribus suis admoneantur, & contra se condemnationem ex ipsis Rabinorum scriptis audiant. In omnibus porro Elisabetha summam tam de religione quam cæremonijs statuendi potestatem sibi arrogans, *ordinauit etiam vt diebus Mercurij, Veneris & Saturni ieiunium obseruaretur, cum admonitione tamen, ne quis existimet in eo religionis, sed reipublicæ potius habitam fuisse rationem.* Mercurianum vero illud, Cæcilianum à quibusdam dictum fuit, quod Cæcilius reginæ Secretarius auctor eius vulgo haberetur. Nec tantum vero regina in fide, cultu & doctrina normam clero præscribebat, facultatem concionandi dabat & auferebat pro arbitrio, sed etiam concionem habentes aliquando è regio solio alloquebatur: quemadmodum aliquando Ecclesiastem suum coram ipsa perorantem interrupit his verbis: *Domine Doctor vagaris, & effutis multa impertinentia. Recipe te ad textum quem exponendum suscepisti.* Galliarum regis Orator Lamotta Fenelonius duo tum in Angliam attulerat, insignia Ordinis S. Spiritus, & nouum Calendarium à Pontifice reformatum. Et illa quidem statim placuerunt: *Calendarium vero quia à Pontifice venerat, initio quidem suspectum, postea tamen quum iussu Reginæ examinatum ratione niti videretur, receptum fuit.* Et hic quidem religionis tum erat in Anglia status, Reipublicæ vero in speciem aliquam videbatur esse tranquillior; vtpote pace apparente per totum regnum constituta. Interim nuptias Elisabethæ multi magni Principes ambiebant, etiam Catholici, ea spe, fore, vt tam eam quã regnum ad Ecclesiæ vnitatem hac ratione aliquando reducerent. Et omnibus quidem illa tam exteris quam indigenis spem faciebat, ne bellum aut seditionem in se concitaret; tandem vero omnibus illusit, *Virginem se morituram dicens.* Quamquam autem Tridentinum Concilium Elisabetham Catholicæ religioni tot damna inferentem excommunicare statuisset; quo minus tamen id factum fuerit, Ferdinandus Imperator effecit, qui eam filio suo coniugem optabat & sperabat. Quæ spes quum deinde etiam euanuisset, excommunicationis in ipsam lata fuit sententia; sed absque vllo fere fructu, rebus iam valde mutatis.

V. Serpente per Angliam indies hæreseos latius contagione, aliquot docti viri in Belgium abierunt, & Duaci sub regimine D. Gulielmi Alani Copi, qui postea à Sixto V. ad Cardinalitiam dignitatem fuit euectus, in disciplinam collegialem coierunt, & paullatim in numerosum creuerunt Collegium, quod primò bonorum maxime eleemosynis, postea incredibili sedis Apostolicæ beneficio sustentatum, multos peperit optime institutos sacerdotes. Quum autem per id tempus Geusij in Belgio tumultuarentur, Collegium hoc, quod hæreticis maxime odiosum erat, Deo ita disponente, & Rege Christianissimo permittente, Rhemos migrauit, vbi postea feliciter floruit, multosque viros pietate ac doctrina præstantes produxit Anno MDLXXIX. Gregorius XIII. Pontifex aliud insigne Collegium Romæ, amplissimis dotatum reditibus, instituit. In quo illud stupendum fuit, quod quum alibi etiam apud Catholicos multi ad Ecclesiasticum ordinem emolumenti & honoris caussa festinent, Angli tamen, & in his Nobilium filij non pauci, sine vlla spe præmij, immo cum dispendio paternæ hæreditatis, & cum certa exspectatione periculi & ignominæ, sacros ordines susceperunt. Et ex his quidem Collegijs quamplurimi prodierunt, qui Catholicam rem non parum iuuerunt & recrearunt. Econtra hæretici vt suæ quoque Ecclesiæ splendorem aliquem conciliarent, noua Martyrologia & Calendaria ediderunt, in quibus Eduardum VI. Erasmum, Petrum Martyrem, Hussium, VViclefum, Latimerum & Crammerum notatos erat cernere. Buceri etiam quem Cantabrigiæ exhumatum & combustum fuisse diximus, cineribus vel vmbris potius honorem restitui volebant, publicis illi ac celeberrimis denuo peractis iustis. Oxonij vero Petri Martyris concubinæ ossa è sterquilino in quod iecta erant, summo studio collecta, non pristinæ sepulturæ, sed S. Fridisuidæ antiquissimo monumento illata, & venerabilibus reliquijs ita permista sunt, vt discerni non queant, hoc addito impio Epitaphio: *Hic requiescit religio cum superstitione.* Sed scribi profecto oportebat: *Hic iacet pietas cum impietate, sanitas cum corruptione, bonum cum malo.* Quis neget hanc illam Senecæ vrnam fuisse, in qua aurum & vipera simul inclusa fuisse dicuntur? Quæ communio Christi cum Belial? Non ita ambitiosi sunt Caluinistæ, qui in vepretis æque ac in locis consecratis humari, iuxta æstimant & recte illi de se sic statuunt, vtpote hæretici, legibus ciuilibus obnoxij. Alia conditio sanctorum quorum Deus ossa custodit, & de quorum honore, qui olim Martyrum sepulcris fuit habitus, totam Anti-

quitatem testem habemus. Sed non in hoc tantum, verum etiam alijs, ac potissimum in gradibus & dignitatibus Ecclesiasticis Angli à Caluinistis plurimum discedunt. Elisabetha quidem Henrici VIII. *legem de Episcoporum ordinatione restituit, qua cauebatur vt electus Episcopus nullas quidem Bullas Pontificias, sed regium tantum diploma adferret, secundùm quod à tribus Episcopis cum consensu Metropolitani ordinatus*, iubebatur esse verus Episcopus, atque ita dici: etiam solemni vnctione adhibita: quam tamen Eduardus VI. sustulerat. Accidit tum, vt quum noui quidam Episcopi creandi essent, Catholicus qui rite ordinandi potestatem haberet, quæreretur. Quum vero Catholicorum nemo id facere vellet, instabant vehementer apud Archiepiscopũ quendam Hibernum, quem in vinculis Londini habebant, vt hac in re operam ipsis præstaret, libertate & magnis præmijs propositis: qui tamen nullo modo adduci potuit, vt hæreticis sacras manus imponeret. *Et cur, quæso, illi in re cæteroquin etiam nihil valitura, tanta cura & sollicitudine elaborassent, nisi conscij sibi fuissent, nequaquam satis esse vt extraordinariam quis missionem prætendat, nisi etiam certa ac specialia eius signa proferantur? Quæ, obsecro confusio futura sit, si quisque annunciando Dei verbo se velit ingerere nisi vocetur à Deo vt Aaron.* Ridiculum est videre qualia sibi effigia quærant Ministri hi cum de Vocationis suæ certitudine examen subire coguntur. Alij Doctoralem ex Academia titulum, alij Baptismum, alij Magistratus iussionem, mox Bibliâ mox alia obtendunt. Quandoque etiam, sed frustra Hebræorum Prophetarum exempla obtendunt. Neque enim illi *altaria contra altaria erexerunt*, nullius schismatis auctores fuerunt, nullos sacerdotes aut Leuitas, quantiscumque etiam vitijs notabiles, ab officio deturbarunt, ut Nostri Noui Euangelici attentant. Quemadmodum vero Lutherus, etiam deserta Ecclesia, legitime se ab Ecclesia vocatum & ordinatum iactabat: ita Anglicani pseudo episcopi eodem fuco vtebantur, & tamẽ hi ipsi in omni sermone Ecclesiam totis viribus impugnarent. *At scitote, suaues homines, quamprimum contra Ecclesiam cristas erigere & vociferari incipitis, tamquam desertores vos è militum manipulo expungi atque exauctorari. Inepte Ecclesia prætendit auctoritatem, qui eam ipse non agnoscit.* Legatus aliquis contra dominum à quo missus erat conspirans, cumque hostibus ipsius colludens, iam non legatus, sed proditor dicendus est. eoque ab ipso acta dominum non obligant. Eodem modo hæretici postquam secessionem ab Ecclesia fecerunt, merito omni quam ab ea acceperant dignitate & officio excidisse censendi, adeoque pro hostibus eius habendi sunt. Tanto vero in maioribus angustijs Anglicanæ erant Ecclesiæ, quod nec à Caluinianis necà Lutheranis Episcopos petere possent, quorum opera vterentur, quum tam apud hos, quam illos nulli sint qui vllam iurisdictionem à Deo datam in animas habere noscantur. Ex quo apparet quam vere iactet Caluinus se primitiuæ Ecclesiæ, quæ scilicet primis quingentis annis fuerit integritatem sequi, quum munera hæc & titulos *Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Archidiaconorum, Diaconorum, &c.* omni antiquitati notissimos reijciat atque explodat. Eadem fide ait *Episcopi, Sacerdotis, Pastoris & Ministri nomen promiscue in S. Scriptura vsurpari*, quod eius mendacium tota facile refutat. Antiquitas, quæ munera hæc diligenter distinxit, & vt Sacerdotes ac presbyteri ab Episcopo ordinarentur sanciuit, vt ex præceptis Timotheo datis (*c*) liquet, sui imperat *ne manus cito imponat*, & ipsimet Timotheo etiam manus impositas fuisse demonstrat (*d*) & fortissime Titi Cretensis Episcopi exemplo liquet. quibus accedit Clemens qui huius modi munerum distinctionis ipsum S. Petrum Apostolum fuisse actorem, vti & S. Anacletus adstipulatur.

Sed vt ad Anglos redeamus, quum Noui Episcopi omni legitima ordinatione destituti essent, atque ipsis legibus Anglicanis vere probarentur non esse Episcopi; brachium sæculare inuocare coacti sunt, vt laici magistratus confirmationem in futuris comitijs acciperent: atque hinc nomen illis impositum, vt vulgi dicterio *Parlamentarij Episcopi* dicerentur. Atque hæc quidem prima fuit forma schismaticæ in Anglia Ecclesiæ. At obsecro vos, vbi legistis, vel Antiochiæ, vel Ephesi, vel Alexandriæ Episcopum à populo siue laicis fuisse electum? vel manus impositas? Nos ab Apostolis id factum scimus. Videte oro lepidam constitutionem: *Caluinus Episcopum à populo vult eligi: nec tamen ipse aut quisquam asseclarum à populo electus fuit.* Hanc eligendi potestatem non Papæ & Episcopis, sed populo tribuendam esse clamitant hæretici: interim ipsimet populo omnino vel de facie etiam ignotos in cathedram homines producunt: quos deinde ex vnius horulæ diu ante concepta, & ad verbum recitata concione de ipsorum

(*c*) 1. *Tim.* 5. (*d*) 2. *Timoth.* 1. 6.

ipsorum dotibus, collectis priuatorum aliquot suffragijs, æstimatione facta, populo obtrudunt. Sed quid? An Electionem hanc, an vero Electionis iam ante minus rite factæ male consultam approbationem potius dicemus? coniuratio. Coniuratio dicebat quædam in simili persona.

VI. Porro Elisabetha regina, vt Catholicorum, & inprimis exterorum Principum offensionum quodam modo mitigaret, multa ex Catholicis cæremonijs retinuit: inter alia vero publice in mensa; quam ad instar altaris in sacello collocari iusserat, cereos duos publice proponi voluit, sed eos numquam accensos ac crucem etiam in medio argenteam: sæpe etiam dictitans, vt tam regni sui quam exteris Catholicis facilius imponeret, *se non tam voluntate sua quam subditorum importunitate, vt religionem mutaret fuisse coactam; ea tamen in re magna vsam moderatione. Interim modestia semina dignitates ac functiones Ecclesiasticas distribuebat: quas sine vllo scrupulo illi ipsi qui Geneua & aliunde ad plantandam Caluini eiusmodi superbos, & vt ipse loquitur, Antichristianos in Prælatis Principatus ac dominatus detestantis, doctrinam venerant, auidissime captabant, omissa fidei, precum ac regiminis formula, quam præceptoribus suis in Ecclesias Anglicanas traducturos se receperãt, Reginali Prælaturæ & præscriptioni seruiliter se submittent*, verbis à factis suismet, & ab vtrisque sensu discrepantes, vt vel ex sua secum pugna sese hæreticos esse probarent. Vt tamen prælationis aucupes, & fæminei Pontificatus in Ecclesia Anglicana approbatores illi, extra Angliam existentes, & inuidia honorum offensos socios beneficio aliquo placarent, Caluinistis Gallis, Belgis, VValonibus certas Londini procurarunt Ecclesias; inter quas & Nouas has Anglorum synagogas accerrimæ postea digladiationes exstiterunt, adeo quidem vt ex ministris Gallicanis nonnulli sint postea coacti discedere dum in Puritanos & Caluino papistas scinduntur. Et ex illis contubernijs quidam etiam igni sunt traditi nam ad eas Ecclesias mox sub prætextu Caluinismi, ex varijs gentibus omnium sectarum impurissimi quique homines commigrarunt.

Alia etiam inter Caluinistas & Anglos dissensio nata fuit, de apparatu scilicet & vestitu clericorum. Regina enim mandarat, *vt tam in publico quam in templo Episcopi, Canonici, aut beneficium aliquod habentes, eodem fere vestitu, qui apud Catholicos vsitatus est, vterentur.* Cui decreto Caluinistæ numquam acquiescere voluerunt, sed nuncios & litteras ad consratres in Gallia, Germania & Heluetia, maxime ad Theodorum Bezam & Petrum Martyrum miserunt, eorum sententiam & consilium expetentes. Sed his omnibus posthabitis, *Regina decretum suum obseruari voluit, certo, qua in omnibus hæresibus est, confusionis testimonio, qua vt contra Ecclesiam vnanimiter omnes conspirant, ita singulæ mutuam sibi perniciem moliuntur.* Tandem vero, vt alibi dixi, Elisabetha omnis generis hæresibus tutum receptum dare coacta fuit, ad sui regni totale exitium.

Nam in Angliæ regnó quatuor potissimum sectæ sub ea sunt natæ, quæ ad Caluinianam proxime accedunt, cæremonijs tamen multum inter se discrepant. *Prima* eorum est qui Reginam pro Ecclesiæ capite agnoscunt, *Regia inde, vulgo vero Anglicana dicta*: cuius fundamenta Henricus VIII. iecit, Eduardus eduxit & Elisabetha stabiliuit de qua hactenus satis est actum. *Secunda est Catharorum seu Puritanorum, vel Consistoralium*: quod ex Consistorij præscripto omnia agenda esse censeant. De ijs sequenti capite dicetur. Tertia est *Baronitarum* à Barone quodam auctore nomen habens: de qua Beza Epistola LXVIII. Quarta *Domus seu Familia Amorus dicitur*, quæ cæteras omnes capitali odio persequitur. Huius auctor Batauus quidam Henricus Nicolai fertur. Omnes vero virulentissimis scriptis mutuo sese exagitarunt; quæ passim exstant. Inter alios VVittegiftus magnum contra Puritanos volumen edidit, quo Anglicanæ Ecclesiæ reformationem rite factam, nec à Geneuensibus formulam eius petendam esse contendit. Eosdem Baronitæ noua Angliæ Prodigia appellant. Stapletonus Puritanos ait reginæ primatum detestari, eamque ob causam duobus Reginæ iussu, laqueo gulam fractam; sexdecim vero circiter Geneuam ad Bezam aufugisse, sed non hic finis malorum.

DE ILLEGITIMIS HÆRETICORUM Ministrorum connubijs. De Puritanis. De Catholicorum quorundam martyrio: & inuincibili feminarum aliquot constantia.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

1. *Sacerdotum in Anglia vxores & spurij in summo sunt contemtu.*

II. *De Puritanis hæreticis.*
III. *Rigidum contra Catholicos Edictum.*
IV. *Catholici quidam Angli martyrium passi.*
V. *P. Patissonii martyrium, & incredibilis quarundam feminarum constantia.*
VI. *Sex Religiosorum conuentus ex Anglia emigrant: monniales vero quod Anglos aliquot ad Catholicam fidem conuertissent, puniuntur.*

I. POssumusne dicere, Thebanos iure merito in templo quodam super quadrata columna tabulam collocasse, in qua diræ & horribiles exsecrationes contra Minyn, eo quod Ægyptios à tranquilla & frugali vita ad voluptariam traduxisset insculptæ erant vtique dices. & non hæresiarchas illos detestabimur, à quibus tot homines *abiecto castitatis voto*, in immundam omnis immunditiæ abyssum præcipitati sunt, & tamquam Herculis olim sacerdotes, qui femineo habitu sacrificarunt, tandem à carnis voluptatibus victi, feminæ contubernium Deo prætulerunt? Apud Romanos Flamini Diali fermentum degustare nefas erat, eo quod corruptionis sit symbolum, & si nimium in farinam, mittatur, panem acidum & ingratum reddat. At quam multi sacerdotes Christiani fermentum illud corruptionis & immunditiæ degustarunt, quod postea panem illum Ecclesiæ sanctificatum, quo anima & corpus nostrum nutriuntur, corrupit? Fermentum hoc leues illæ & lasciuæ fuerunt feminæ, quorum impudico amore Noui illi Episcopi, excucullati monachi, perfidi sacerdotes, Canonici & quicumque alij Clerici, pudicitiæ & continentiæ non minus arce bellum indixerunt, quam prædecessores illorum & prisci sacerdotes contra carnis libidines gesserunt. Gulielmus Rossæus (a) *infamibus hæreticorum matrimonijs nihil frequentius esse dicit, quam adulteria & repudia*: vt litium inde natarum frequentia testatur. *Inter Anglicanos Ministros* Sebastianus Hasius inquit; *frequens esse velut mercimonij genus, vxorum permutationem. Poynetus* Vintoniensis Episcopus, sua non contentus, alienam etiam vxorem rapuit ac Maria regnum exorsa male conscius in Germaniam Argentoratum vsque profugit (b) *Cranmerus* ille Mulierosus, & bigamus Archiepiscopus, ducta in Germania Osiandri Hæresiarchæ nepte (c) quacumque iter faceret concubinam arcæ incluſam, inter supellectilia secum vexit; illam necessitatis vas appellans. *Castellio* concionator quidam, Crescens vulgi ioco dictus fuit, eo quod omni fere sermone illud, *Crescite & multiplicamini*, inculcaret. Quia vero vxorati hi Episcopi à regni ordinibus impetrare non potuerunt, vt proles ipsorum haberentur legitima, & plerique tam infelices erant vt scorta fere pro vxoribus duxerint: præscriptum est à regina, vt nec presbyteri nec Episcopi vllam deinceps feminam in coniugium acciperent, nisi prius certorum hominum iudicijs approbatam. Nihilominus tamen pauci inueniebantur, qui id genus hominibus etiam Archiepiscopis, filias suas vxores dare vellent; connubia hæc infamia esse existimantes. Collegiorum quidem Rectoribus permissus erat coniugij vsus interdicta tamen vxorum in collegijs cohabitatio, ne iuuentus scilicet corrumperetur. Nihil certe fere vmquam hæreticis tam probrosum fuit, quam ista tam coniugiorum quam prolis publica & omnium iudicijs approbata infamia. In lege Mosaica agnum paschalem manducaturis præceptum erat, vt à feminarum vsu abstinerent (d) at lasciui illi hirci nisi concubinam habeant, vix dignos se putant qui sacra tractent. Atqui dogma hoc nequaquam ex Conciliorũ canonibus hauserunt, qui cœlibatum sacerdotibus iniungunt. Concilium Nicenum I. (e) *sacerdotibus prohibet, ne vllam feminam, exceptis matre, auia & sorore domi secum habeant.* Quis vxorum mentionem non ibi facturum fuisse Concilium puter, si eas sacerdotes habuissent? Calixtus Papa expressis verbis cœlibatum presbyteris præcipit (f) Clemens I. (g) Leo I. (h) Gregorius, (i) Origenes (k) aiunt, *et tantum qui castitatis votum fecerit, licere sacrificium offerre.* Chrysostomus in Homilia II. super Ioh inquit, *Episcopum monogamũ esse oportere, non quod hoc ita in Ecclesia obseruandum sit, vt vxorem habeat vel habuerit. Sed quod sacerdotem omnino castitate ornatum esse deceat.* S. Augustinus in libro de adulterinis matrimonijs, *Solemus*, inquit, *clericorum continentiam tu proponere.* S. Hieronymus contra Vigilantium in hæreticos nostri temporis *sententiam damnationis pronuntiat, qui adulterium castitati præferunt, & ma-*

a. *Lib. de iusta Reip. in Hær. animad.* b *God vinus in Episcopu VVintonienſibus* c *Idem in Archiepiscopus Cantuarienſibus.* d *Exod.* 9. e *Conc Nic I can.* 3. (f) *Calix. apud Grat. dist* 27. *can presbyt* g *Clem.* 1. *in can. Apost. can.* 27. h *Leo I. epist.* 82. i *Greg. epist.* 42. k *Orig. hom.* 23. *in Num.*

matrimonium apud Deum in maiori precio esse dicunt quam ipsam virginitatem. Et quidem huic potissimũ Virtuti hæretici iugulum inuaserunt, vt per eius latus ceteras omnes peterent atque exstirparent. Negari certe non potest, plures libidinis flammis quam religionis studio accensos, in Anglia, Germania, Belgio & alibi passim ad hæreticorum castra transfugisse, & etiamnum transire.

II. Verumenimvero vt impurus hic Ministrorum concubinatus spurios quamplurimos exclusit; sic ipsa quoque hæresis notham quandam sectam exclusit, quæ olim tempore ita adoleuit vt matrem pæne ipsam suffocarit. Ex *Reformata* enim siue ea quam Elisabetha inuexerat, & Caluinistica secta inter se collisis alia quædam exstitit, quæ Puritanorum dicitur, eo quod ceteris puriorem religionem habere se iactent. Anno M. D. LXXXVIII. in Anglia libellus prodijt, in Gallicam linguam deinde ab Hugonota quodam traductus, cuius auctor id vnice persuadere conatur, inter Puritanos & Reformatos Christianos nihil interesse: idque nomen illis tributum, qui Ecclesiam ad eam normam quæ Geneuæ, in Gallijs & Scotia obseruatur, reformatam cupiebant. Idem tamen fatetur, Puritanos à ceteris Reformatis tamquam pestem aliquam odio atque exsecrationi haberi. Inter alia facinora *Puritani hi, vt Caluinistæ in Gallia, clausulam illam, Gloria Patri & Filio, &c. antiquitus ab Ecclesia ad refutandam Arrij & aliorum hæresin filium cum Patre adorandum esse negantium, Psalmis decantari solitus annexam, sustulerunt.* Quod si quis scire cupiat quid Puritani de Parlamentaria illa reformatione & vulgaribus Protestantibus sentiant; Rescij Atheismos legat. Quis vero non diuina quadam prouidentia factum dicat, vt dum in Anglia, Londini præsertim, persequutio Catholicorum summe feruet, *Puritani* ibidem contra *Protestantes* insurrexerint, eosque scriptis & concionibus mirum in modum exagitarint? Eorum tres tum erant antesignani: & quamuis omnes inter se dissentirent, singuli tamen Propheticum sibi spiritum arrogabant. Primus erat *Compingerus* quidam, qui *Patermisericordia* dici voluit. Secundus *Ardentonus* nomine, *Iustitiæ & vltionis præco*: Tertius, *Harquelotus*, fœdiori blasphemia *Christi imago* dici exoptans. Hi omnes Regiam seu Parlamentariam ecclesiæ formam vt superstitiosam & impiam redarguebant, vtpote coronas suis capitibus asserere volentes, iuxta Apocalypticarum locustarum naturam: Itaque in reginam etiam acerrime inuehebantur, quod à Cantuariensis Archiepiscopi & Hattoni Cancellarij nutu & arbitrio tota penderet: eò tandem progressi, vt dicerent, *dignam esse reginam quæ à Deo puniatur & regno etiam priuetur, nisi Prophetis ad salutem ipsius excitatis dicto esset audiens.* Nihil vero in omni Anglorum religione (si modo religio dicenda sit) tam religiosum erat, quod illi non vellicarent ac suggillarent. *Quin etiam futurorum prædictiones iactabant*, vti olim Pharisæi tempore Herodis fungentes à Deo constitutum esse vt ablato regno ab Herode in alium transferatur, cuius ipsi essent futuri nutritij qui Pharisæos foouerent, quibus alijsque artibus *non reginam tantum, sed & vniuersam aulam, adeoque totum regnum miris modis perturbabant:* sic vt quemadmodum hæresis Catholicam Ecclesiam persequebatur paulo ante, ita nunc non minus seipsam conficeret, ac secum ipsa digladiaretur. Illud non sine caussa miretur aliquis, reperros fuisse homines qui tam absurdis ac nefandis dogmatis assentirentur. Sed nihil mirum: quum natura hominis tam nouiratis sit auidissima quam corruptionis. Nefario cuidam nebuloni, qui Iesum Christum, vel imaginem eius se esse ferebat, Londini Anno M. D. XCI. die VII. Augusti publice in foro gula laqueo fracta est. Alius pseudopropheta, qui & ipse tamquam alterum Messiam, se ad dexteram Dei collocarat, morti iam vicinus, horribiles effudit blasphemias, Eliam inclamans, vt ignem cœlitus ad perdendos homines demitteret, eoque non cadente, pessimam rem facturus circumstantibus imprecatus est vt à Papa & peste pessimis modis perderentur. O homines, immo monstra plusquam furiosa! Atque vtinam cum huius vita inaudita hæc pessimorum hominum rabies fuisset exstincta! quæ multorum animis diu postea inhæsit. Eo tandem Puritanorum erupit audacia, vt *Nortonus* quidam librum, quo Reginales seu Parlamentarios Episcopos, eorum vitam & mores virulente traducebat atque oppugnabat, in lucem emittere conatus sit. Atque quod ille facere ab alijs impeditus non poterat in Anglia, Scoti quidam Puritani abunde præstiterunt in sua regione pro fratribus suis zelum assumentes, multis tam contra Reginam quam Anglorum Protestantium religionem libris vulgatis, ex quo factum est, vt regina Puritanos tandem ferre coacta sit, vt & ipsa toleraretur ab ipsis,

& uno hostiũ cuneo liberata, tanto melius Catholicos primatum ipsius oppugnantes, exstirpare posset. Mense Octobri Hattonus regni Cancellarius, extremum vitæ diem clausit, corde quidem Catholicus, sed qui totum Reginæ se dederat, cui dũ placere studet, in hæresias malis actis animam diabolo sacrificavit. Puritanos ille cane peius & angue oderat: sed ambitione excæcatus, ceteris Protestantibus facile sese accommodabat. Puritanorum vero præcipuus fautor & patronus erat Huntingtoniæ Comes, optimi Cardinalis Poli pessimus pronepos, ad regnum hæreticorum opem acquirendum aspirans.

Mortuo Hattono Cancellario (quod fuit XVII. Octobris) postridie regina Edictum ceteris quæ hactenus exierant multo rigidius contra Catholicos publicari iussit: quod nonnulli multo ante conceptum, sed quo minus promulgaretur, à dicto Cancellario impeditum fuisse dicunt, eam præcipue ob caussam, quod eius auctor Cæcilius regni thesaurarius putaretur, à quo Puritanos quos oderat foveri non ignorabat. Harum vero legum duo sunt genera. Aliæ enim sunt pecuniariæ: aliæ capitales.

Leges Pecuniariæ.

1. *Quicumque sedecim annos natus Protestantium concionibus & divino servitio interesse recusaverit, singulis mensibus vicenarum librarum Anglicanæ monetæ* (id est, septuaginta scutatos Gallicos) *mulctam persoluto. Qui in ære tantum non habuerit, tamdiu in carcere detineatur quoad persolvere queat.*

2. *Missæ, etiam secreto, interfuisse convictus, totum annum in carcere detineatur, nec prius etiam post id tempus emittatur, quam centum & undecim scutatos persolverit. Sacerdos vero qui Missam celebrarit, tamdiu & ipse detineatur, nec prius dimittatur quam quadringentos & viginti duos fisco regio penderit scutatos: idque tot vicibus quot Missam celebrasse fuerit convictus.*

3. *Nulli Ecclesiastico qui religionem Romanam & Papæ auctoritatem non publicè ejerarit, ullum beneficium possidere fas sit.*

4. *Qui eandem abiurationem non prius fecerit, ad nullum publicum munus administrandum admittitur.*

5. *Nullus scholarium aut litteratorum in Collegijs locum habere poterit, nisi prius in ingressu, vel graduum susceptione Papæ in caussis Ecclesiasticis auctoritatem ejerarit.*

6. *Pupilli hæreditatem adire, aut fructus bonorum percipere non poterunt, nisi publice prius iuramentum hoc præstiterint.*

7. *Qui supra Baronatus sunt dignitatem, & ad comitia vocari solent, nullum suffragij ius habeant, nisi Papæ auctoritatem prius ejerarint.*

8. *Si quis horum iuramentum hoc præstare: secundum recusarit, omnibus bonis multatus ad perpetuos carceres condemnator.*

9. *Qui Reginam supremum Anglicanæ Ecclesiæ caput esse negaverit, eadem pœna afficitor.*

10. *Qui munuscula illa consecrata, Agnus Dei rosaria Crucifixi imagines, & alia similia in Angliam intulisse deprehensus fuerit, omnibus bonis multator, & perpetuo carcere detinetor.*

11. *Qui pædagogum domi suæ habuerit Protestantium conciones & sacra non frequentantem, aut à Caluiniano Episcopo non approbatum, singulis mensibus tricenos ternos scutatos persoluito, quam diu eum secum habuerit.*

12. *Qui nouerit aliquem cuius opera alius cum Catholica Ecclesia reconciliatus sit, aut reconciliatorem illum iuuerit aut celarit, nec nomen eius ad magistratum detulerit, omnibus bonis multator, & in reginæ potestatem persona ipsius traditor.*

13. *Qui alteri suaserit vt ad Romanæ Ecclesiæ vnitatem redeat, etsi id non procurarit aut effecerit, eidem pœna obnoxius esto.*

14. *Qui auctor alteri fuerit, vt in caussis Ecclesiasticis Papæ obediat, aut talem adiuuerit, eandem pœnam luito.*

15. *Qui nouerit aliquem qui persuaderi sibi passus sit vt Papæ velit obedire, aut in futurum obedientiam promiserit siue hac in re vllum auxilium præstiterit, nec nomen eius intra vicesimum diem ad magistratum detulerit, eadem pœna afficitor.*

16. *Qui sacerdotem nouerit, qui alteri absolutionem dederit, aut illum iuuerit vel celarit, eandem pœnam subito.*

17. *Sacerdos qui absoluendi à Papa habet potestatem licet eam non exerceat, eadem tamen pœna punitor.*

18. *Qui talem potestatem habere se iactaverit, etiamsi non habeat, nisi rem ipse aperiat eandem pœnam patitor.*

19. *Itemque, qui absolutus fuerit, etiamsi id non petierit.*

20. *Qui religionem in Anglia iam usitatam contemserit.*

serit, eo fine vt alios ad Romani obedientiam Pontificis adducat, vel hoc ipsum effecerit, aut alij persuaserit vt quemcumque alterum ad Romanam religionem adducere conetur, eius bona fisco regio cedunt.

Sequuntur leges Capitales,

1. *Quicumque dixerit, scripserit, aut quocumque modo etiam rogatus confessus fuerit, Pontificem Romanum Anglicanæ ecclesiæ caput esse, aut quamcumque in id regnum potestatem habere in rebus Ecclesiasticis, reus sit Criminis læsæ Maiestatis, & tamquam proditor puniatur.*
2. *Eiusdem criminis reus esto, qui ad Pontificem Romanum prouocarit, & Pontificias Bullas in Angliam Romanas tulerit.*
3. *Item qui sacra illa munuscula, qualia sunt Agnus Dei, rosaria, calculi benedicti, aut alias res eiusmodi consecratas in regnum apportarit.*
4. *Qui tertium requisitus, Pontificiam auctoritatem tuerare & supremam in caussis Ecclesiasticis regiæ potestatem agnoscere recusarit, eiusdem criminis reus esto.*
5. *Nec non qui Reginam schismaticam aut hæreticam esse dixerit scripserit, aut alio quocumque modo asseuerarit.*
6. *Qui quamcumque personam ad Romanæ Ecclesiæ vnionem reduxerit.*
7. *Qui eidem reconciliari se passus fuerit.*
8. *Qui cuicumque persona cum Romana Ecclesia reconciliationem procurarit.*
9. *Qui cuicumque vt se reconciliet, auctor fuerit, etiamsi eam reconciliationem ipse non procurarit.*
10. *Qui alteri persuaserit, in rebus Ecclesiasticis Papæ obediendum esse.*
11. *Itemque ille qui persuaderi id sibi passus fuerit.*
12. *Et qui vt alij id persuadeatur procurarit aut consilium dederit.*
13. *Qui posthac in Pontificis futurum se obedientia promiserit.*
14. *Quicumque sacerdos Reginæ subiectum absoluerit.*
15. *Qui absoluendi in Anglia potestatem habuerit, etiamsi ea non vtatur.*
16. *Qui eam potestatem habere se iactarit, etiamsi non habeat.*
17. *Qui à sacerdote vel prauia vel non prauia petitione absolutus fuerit.*
18. *Qui aliam absolui procurarit.*
19. *Qui consilium dederit, etiamsi absolutionem non procurarit.*
20. *Qui vt alium quis absoluat, consuluerit aut procurarit.*
21. *Qui à religione in Anglia iam vigente alium dehortatus fuerit, eo fine vt Pontifici præstetur obedientia.*

Ecce tibi omnium quæ vnquam fuerunt, iniquissime in Anglia de religione & rebus Ecclesiasticis latas leges: quæ etsi ruinoso admodum, vel nullo potius niterentur fundamento, seuere tamen in transgressores facta inquisitione, multo seuerius ac crudelius exsequutioni demandatæ fuerunt Supplicij vero forma sic habet. *Damnatus erati supinus impositus, ad supplicij locum productus, & collo in laqueum inserto aliquam diu ad patibulum suspensus, incisso fune semiuiuus demittitur: mox sentienti adhuc virilia abscinduntur, inde aperto ventre intestina extrahuntur, & in ignem proijciuntur. Tandem amputato capite, corpus in quatuor partes dissecatur, eæque celebrioribus vrbis locis horribili spectaculo suspenduntur: bona interim omnibus fisco addictis, & si nobili sint familia, Nobilitatis insignibus detractis.* Vides, quod nihil profecto crudelius est hæretico in alios potestatem habente, vtpote in quibus nihil omnino est Christianæ humanitatis: qua feritate ita sunt imbuti, vt si Catholici deficiant tunc eadem in seipsos quoque grassentur. Noui isti Nerones & Christiani nominis persequutores in Anglia Catholicorum sanguinem ita sitiebant, vt eo tinctus Tamesis sæpe colorem mutarit. Interim tamen ijdem cum Catholicis quos funditus exstinctos cupiebant, multo quam erat mitius agi clamabant. Quod si mille nouorum tormentorum suppliciorum formas, tum infinitam hominum ob Catholicam religionem varijs cruciatibus sublatorum multitudinem enumerare hic velim; quauis Iliade maius, & cui nihilominus quotannis accessio aliqua fieri posset, opus mihi moliendum foret. Neque inter barbaras Indorum nationes, neque apud Margaiates & Toupinanbautios, neque inter Turcas & Arabes vnquam tot tamque crudelia facinora designata leguntur, qualia in Anglia inter Christianos, si modo Christiani dicendi sunt quorum crudelitas & tyrannis nullo modo satiari potest.

IV. Verum vt ex quamplurimis paucos aliquot recenseam, Anno MDLXXVII. Cuthbertus Mayous presbyter, primus ex seminarijs Anglicanis martyrium obiuit. Anno sequenti Ioannes Nel-

sonus

sonus idem martyrium sustinuit, eo quod etiam ex Calvini doctrina, Reginam hæreticam esse dixisset. Anno MDLXXX. Gulielmus Tirvitus, Clarissimi viri Roberti Tirvti equitis aurati filius primogenitus, religionis Catholicæ causa cõprehensus, quod in sororis nuptiis missam audivisse diceretur, in turrim conjectus est. Robertus Tirvitius Gulielmi frater, eadem de causa captus; & licet vehementer ægrotaret, nulla tamen intercessione aut fidei sponsione obtinere potuit, ut in turrim non conijceretur, unde paullo post mortuus est. Erant hoc ipso tempore in hoc eodem carcere Hiberni proceres Catholici, Archiepiscopus Armacanus, Comites Kilderensis, & Clanricandensis, Baro Delvinus, Nugentus item, Meuusque nobiles, Rudolphus Cervinus, Thomas Cotamus, Robertus Jonsonus, Lucas Kirbæus presbyteri, Nicolaus etiam Roscarocus, & Henricus Ortonus laici nobiles, ex alijs carceribus in Turrim perducti. Thomas Cotamus & Lucas Kirbæus presbyteri, Scavingeri filiam ad unam horam & amplius passi; ex quo prior copiosum sanguinem è naribus emisit. Rudolphus Cervinus, & Robertus Jonsonus presbyter, equulei tormento gravissimè vexati. Rodulphus Ceruinus iterum equuleo subijcitur. Joannes Bosgravius Societatis Jesu, & Joannes Hartus presbyteri. Joanes etiam Paschalis nobilis laicus, ex alijs carceribus in hunc commutantur. Idem Joannes Hartus postquam dies quinque in terra decubuisset, ad equulei cruciatum deductus est; idem factum Henrico Ortono.

Anno Domini 1581. Christophorus Tomsonus presbyter gravis, in Turrim deductus, eodem ipso die equuleo subiectus est: Nicolaus Roscarocus nobilis laicus equuleo tortus. Joann. Paschalis & Herramus Stevenus laicus, tormentorum metu adducti, ut in publico conventu, nonnulla contra fidem profiterentur, nominatim se hæreticorum sacra adire velle, insequente die ad aliorum allectionem, liberi dimittuntur. Eodem die, eodemque conventu, Odoenus Hoptonus, Turris præfectus, cum eos militum vi ad ecclesiam perttraxisset, publicè protestatus est, se neminem in suo castro habere qui libenter ecclesiam protestantium non adiret. Joannes Nicolaus Minister antea Calvinianus, postea fictè Catholicus ut quasi Roma rediens, & à fide excidens alios ad ruinam induceret exemplo, ultro se offerens ab hæreticis capitur & in Turrim conijcitur; ad quem Ministri statim tamquam cum eo argumentum acturi, accedunt; ille autem ad diem statutum fidem Romanam abiurat, & concionatoris munus contra Catholicos assumit, liberque statim dimittitur. Idem Nicolaus suggestum conscendit, in Romanum Pontificem, (cuius expensis se aliquot annis Romæ vixisse iactitabat) invecturus, omnes captivi ad eum audiendum vi perttrahebantur, quem tamen debacchantem aliquoties interruperunt, & finita concione communibus vocibus exagitarum, explosérunt. Atque ab hoc tempore ad festum usque Pentecostes sequentis, singulis Dominicis ac festis diebus custodum sive militum manibus, abrepti sunt ad conciones hæreticas, quæ à ministris ad hoc designatis fiebant, audiendas; quot semper è suggestu discedentes præsente populo, mendaciorum convincebant, & ad disputationem provocabant, exclamante interim & tormenta minante Hoptono præfecto, ni tacerent. Id sane est Libertatem conscientiarum dare & vrgere, pudeat tam splendide mentiri. Thomas Brucous laicus collegii Romani paulo ante alumnus, in porta captus & ad Turrim adductus, in lacu ad menses 5. detinetur. Georg. Duttonus laicus ex alio carcere in Turrim perlatus cruciatuum metu post 64 dies hæreticorum postulatis ex parte consensit; vt adiret eorum sacra: licet apertè profiteretur, se ipsorum communionem nunquam accepturum, ea tamen conditione libertate donatur. Ioan. Nicolaus iterum parata pro concione inuectura, pulpitum conscendit, cuius honestandi causa nonnulli proceres, alijq; nobiles aulici, affuerunt; sed ille tam ineptè se gessit, ut eos puduerit, & Cotamus presbyter mira spiritus libertate, gravissimè eos officij sui admonuit, quæ res mortis suæ deinde accelerandæ causa fuisse putatur, Nicolaum tamen omnes ex eo die contempserunt. Post Nicolaum diversi ministri varijs temporibus inducti fuerunt, qui vicissitudine quadam coram conviciarentur; singulis enim concionibus dum persuadere volebant, seditiosos, rebelles, idololatras, ac perduelles appellabant. Alexander Briantus presbyter ex alio carcere, ubi siti ferè enectus fuerat, in turrim conijcitur, compedibusque gravissimis per duos dies oneratur. Tunc aciculi acutissimi sub ungues ei immissi fuerunt, ut confiteretur quo in loco P. Personium vidisset,

disset, quod fateri tamen constantissime recusavit, Idem Briantus in lacum conijcitur, indeque post octo dies retractus est ad equuleum, quem passus est omnium gravissimum hoc ipso die semel & die postero bis, ex ipsius tamen ore post auditum se nihil quicquam doloris sensisse in ultima hac corporis sui dissensione, cum maximè sævirent tortores, ut ingentes ei afflictiones inferrẽt. Joannes Paynus presbyter, proditione cuiusdam Elioti, quem ille plurimis beneficijs affecerat, capitur, eodem etiam die Joannes Schirtus, & Georgius Godsalvus presbyteri comprehensi, omnes in turrim conijciuntur.

Ceteros vero omnes quis enumeret? Quæcumque horribiliora tormenta, quoscumque cruciatus exquisitissimos, quoscumque carceres spurcitiæ & horroris plenos cogitatione quis sibi fingat, vix tamen eorum quæ Catholici in Anglia passi sunt, vel minimam partem assequetur. Jnfiniti certe Prælati, Doctores & Confessores in carceribus passim mortui sunt: qui etsi olim ad nullum alium usum destinati fuerint, quam ut proditorum & sceleſtorum hominum essent custodiæ, tum tamen omnis generis, sexus & ætatis hominibus, eo tantum quod Catholicam profiterentur religionem, pleni erant. Jn Briduelum carcerem olim meretricum custodiæ assignatum, honestissimæ matronæ & virgines conijciebantur, inter quas iuvencula quædam Tonsonia nomine, miram constantiam præstitit. Jn Cornubia provincia carcer est, in quo captivis præter panem bene rancidum & aquam sicu corruptam nihil præbitum fuit. Jdem dum Londinum (quæ urbs centum leucis inde distat) deducuntur, equis macilentis per caudas invicem connexis sine fræno, sine sella impositi, cruribus infra equi ventrem, & manibus ad tergum colligatis abripiebantur: qua iter facerent, à vulgo passim irrisi, & iniurijs affecti. O præclaros conscientiarum Liberarum patronos!

V. Jnter alios P. Patesonus, in Collegio Rhemensi educatus, in eundem carcerem cum septem furibus detrusus fuerat: quos ille oratione sua & admonitione ita convertit, ut ad supplicium producti, Fidem Catholicam omnes constanter ad extremum usque spiritum professi sint. Qua de re accusatus ille & crudelissime tortus, inter summos cruciatus animam Deo placide reddidit. Tres præterea ex eodem Collegio sacerdotes, & duo Nobiles laici, quod cum ijs communicassent, extremo supplicio Londini affecti sunt. Nobilis etiam femina Coplæi filia, cum alio Nobili capitis pœnam luerunt, quod Catholicum sacerdotem hospitio suscepissent: & quamvis vitæ gratia ipsis facta esset, si Calvinisticam Synagogam frequentare vellent, ut tamen ea gratia uterentur, adduci non potuerunt. Tres filias Helenam, Catharinam, & Mariam, quarum maior natu vix XVI. ætatis annum attigerat, matrona quædam nobilis, Alano Cardinali cognatione iuncta, habebat: quæ quum accepisset Edmundum Traſordum Reginæ emissarium, pervicacem Calvinistam brevi affore, & grave periculum quum ob generis splendorem, tum opes (quas emissarij isti unice venantur) sibi imminere intelligeret, spiritualibus armis, & inprimis sacro illo viatico munita in turum locum sese recepit, relictis domi filiabus, quibus innoxiam ætatem præsidio fore sperabat. Nec mora. Domus omnis ab hæreticis perquiritur, filiæ ubi mater sit rogantur. Quam ut proderent, quum nullis precibus aut minis adduci possent, metuerent vero ne cruciatibus subiectæ fateri cogerentur; clanculum noctu & ipsæ discedunt, & quatuordecim dierum confecto itinere, tandem ad matrem perveniunt: cum qua in Galliam trajicientes, Rhemos ad cognatum suum Alanum confugerunt. Unius ex proceribus, Morganti nomine, uxori, ob Catholicam fidem accusatæ, Regina impunitatem promiserat, si modo templum, dum concionem haberent Protestantes, raptim vellet transcurrere: quæ quum respondisse, malle se mille vitas perdere quam quidquam in Catholicæ religionis præiudicium facere, multorum annorum carcere gravissimisque molestijs exercita fuit & defatigata. (a) Jn festo Paschatis tres itidem feminæ, cum sacerdote qui Missam celebrarat, captæ, & ludibrij causſa per frequentissimas plateas, & ille quidem sacris indutus vestibus, traductæ & in carcerem detrusæ, ex legis præscripto mulctam persolverunt: ex quibus una Clithera, quod mira constantia respondisset, crudeli mortis genere exstincta fuit, inter duas tabulas saxorum pondere exanimata.

VI. Jmprimis vero Religiosorum conuentus in Angliæ regno magnas sustinebant calamitates, adeo ut ex quatuor, omnes inde in Belgium transfugerint, Franciscani nempe & Carthusienses: tum

a *Vid. hist. Holings. Anno* 1574.

duæ Monachorum familiæ. Quum autem ea quæ S. Brigittæ consecrata erat, crescente quotidie monialium numero, sed reditibus decrescentibus, diu tueri se non posset, decretum inter Catholicos fuit, vt grandiores natu Rothomagum migrarent; iuniores ad parentes & cognatos se recipe rent. Id quum regina comperisset, vnice his persuadere conata est vt Caluinisticam doctrinam amplecterentur; eumque in finem per procerum hæreticorum familias (erant enim pleræque nobili ortæ prosapia) eas distribuit. At tantum abest vt hæreticorum eis conuersatio nocuerit vt etiam multas ipsæ suis persuasionibus, vita & exemplo ad Catholicam adduxerint religionem. Id quum magistratui innotuisset, in carceres inde & nonnullæ quidem perpetuos, detrusæ fuerunt Anno M.D.CII. quo auctor Gallicè hæc conscripsit, Burdigalam feminæ quædam religiosæ ex Anglia appulsæ sunt: quæ opibus non mediocriter, cognatorum opera instructæ, in Hispaniam inde profectæ sunt, monasteria ibi suæ professionis ingressuræ. Quis tantam constantiam, tamque admirabilem zelum non omnibus modis prædicandum dicat: quo imbecilles mulierculæ accensæ, nulla viarum incommoda nulla maris aut terræ pericula, solo diuino fultæ amore, reformidarunt.

MIRA QUATUOR PUERORUM constantia. Jesuitarum in Angliam ingressus. P. Edmundi Campiani, & aliorum sacerdotum martyrium; cum miraculis aliquot.

CAPVT XIII.

ARGUMENTUM.

I. *Etiam infantes & pueri ab hæreticis Anglis martyrio affecti.*
II. *Catholici in Anglia nullam ob aliam quam religionis caussam puniti.*
III. *Iesuitæ in Angliam ingrediuntur.*
VI. *Edictum contra eos qui publicis hæreticorum concionibus interesse recusant. P. Campianus capitur & martyrio afficitur.*
V. *Itemque septem alij.*
VI. *Ioannis Nelsenij martyrium, constantia, & miranda in ipso & alijs diuinitus facta.*

I. AGe, Lector, iam in arenam Pythiorum ludorum descendamus, non quidem vt Pancratiastas bene armatos, fortitudinis & roboris sui egregia specimina edentes, nec vt pueros cum pueris, vt olim solebat, commissos sed potius, vt pueros, eosque paucos, cum magna hæreticorum manu ad eius confusionem congredientes spectemus. Supra quidem hæresis velut arenæ inclusam ab vtriusque sexus hominibus in Anglia victam ac prostratam vidimus: at iam videbimus, ingens hoc, informe & horrendum monstrum ne contra pueros quidem se tueri posse. Leones à mulieribus & pueris vim abstinent: quibus tamen sæuissimi hi Leopardi & Anglicanæ Tigrides nequaquam pepercerunt. Sed ad rem ipsam veniamus.

Anglus quidam Nobilis quatuor habebat filios, Thomam, Robertum, Richardum & Ioannem: quorum natu maximus iam decimum sextum ætatis annum agebat. Hi dum in Lancastrensi agro sacerdotem qui diuinum celebraret officium, quæsierunt, à magistratu omnes comprehensi fuerunt. Ad iudicium tribunalia producti, & vt Catholicam desererent religionem & sacerdotem prodererent, tam miris quam promissis frustra tentati, tandem longa fame & siti cruciatu, quum iam iterum producendi essent, largiori vini potu inuitantur, vt ebrij vel tanto facilius flecterentur, vel in responsionibus hallucinarentur. At malitiose secum magi grauiter conquesti, eo die nihil respondere voluerunt. Inter alia multa illis magnifice à Comite Darbiensi promissa fuere: quæ tamen omnia magnis animis illi contemserunt. Pædagogis deinde hæreticis in disciplinam dat sunt, vt ab eis corruptæ doctrinæ lac imbiberent. Sed nec hic quidem astus processit. Tandem res natu maiores fuga se ex hæreticorum manibus eripuerunt, & relictis ob Christi amorem omnibus fortunis, in Collegium Rhemense adscribi voluerunt.

II. Verumenimuero operæ precium est ipsorum hæreticorum de ijs qui Elisabethæ eiusque Consilij iussu ad supplicium rapti sunt, loquentium testimonia proferre. Aiunt, illos non ob religionem, sed proditionem supplicijs fuisse affectos. At contrarium euincunt, tum Consiliarijs ab Elisabetha datæ commissiones, tum leges suprapositæ. Audiamus ipsorum verba. *Mense Iulio* (inquiunt Holingshedo & Stouius in Annalibus An. 1559.) *Nicolaus Hethus alias Heath Archiepiscopus Ebo-*

Eboracensis, Episcopi item Eliensis & Londinensis, & alij tredecim vel quatuordecim simul comparere iussi coram Regina Consiliarijs, eo quod recusarent accipere iusiurandum de Maiestatis suæ primatu Ecclesiastico, & de alijs religionis articulis, Episcopatibus suis priuati fuerũt: quod multis etiam Rectoribus, vicarijs, alijsque Ecclesiasticis factum est, qui beneficijs suis exuti, diuersis carceribus traditi fuerunt (a). Non ergo de crimine læsæ Maiestatis, sed de religione illi postulati fuerũt & damnati. Eandem ob caussam, quod scilicet Reginæ primatum fateri nollent, Cuthbertus Maynus, Ioannes Nelsonus, alij, extremum supplicium subierunt. Sed vt euidentissime intelligatur quam ob caussam Catholici in Anglia varijs pœnis affecti sint, satis erit Parlamenti Edictum Anno M. D. LXXXI. publicatum profetre; in quo *omnibus omnia crimina condonantur, exceptis ijs qui in Catholica fide constantes permanerent: quos tamquam criminis læsæ diuinæ Maiestatis reos puniri Edictum iubet.* Et tamen Elisabetha toti Mundo persuadere voluit, Catholicis ob conatus contra ipsius personam & regnum susceptos, supplicia illa irrogata fuisse: quasi pueri etiam, feminæ, & pauperes religioni de euertendis regnis cogitarent. Constat profecto, iudices sub ipsa schismatis initia hoc artificio vsos non esse, sed reos simpliciter de Fide interrogasse. Sed mirum non est quod hæretici tantam martyrij gloriam sanctis illis animabus inuident: quæ tamen etiam in densissimis Mundi tenebris tamquam sol claritatis suæ radios vndiquaque sparget. Sed iam aliorum quoque ibidem martyrium passorum florentissimas palmas videamus.

III. Quamuis ex Seminarijs, quæ supra passim erecta diximus, non pauci Catholicam religionem in Anglia lapsantem non modo sustinerent, sed indies magis magisque cõfirmarent; inprimis tamen luculentam hac in re operã Patres Societatis Iesu præstiterunt: inter quos primi ac præcipui fere fuerunt Robertus Personus, & Edmundus Campianus. Quam vero capitali odio Elisabetha Societatem hanc semper prosequuta sit, inde quoque patet, quod & Turcarum Imperatorem sollicitauit, *ne Patribus huius Societatis in imperium suum aditum permitteret, aut concionandi Christianis permitteret facultatem:* quod tamen Galliarum regis Orator impediuit. Quum deinde Angli piratæ nauim versus Brasiliam vela facientem intercepissent, Iesuitas omnes in ea repertos (erant vero triginta octo, ad annunciandum Brasilianis Euangelium destinati) in mare biduo diversis tormentis mactatos abiecerunt. Sed in Angliam redeamus, vbi duo illi tam doctrinæ quam vitæ integritate præstantissimi viri breui tempore in promouenda Catholica religione incredibile operæ precium fecerunt, antequam quidquam reginæ innotesceret: vt ipse Campianus in Epistola ad Generalem Societatis Præpositum testatur; Campianus, inquam, fortissimus Christi athleta, qui vt olim Anaxarchus, liber animo ab omni hæreseos plaga, corpus suum lubenter hæreticis tamquam vrtem contundendum obiecit. Ait vero, *se boni Angeli ductu, primo ingressu in eam domum venisse qua antea Personium acceperat; statimque magnam nobilissimorum iuuenum multitudinem ad se accurrisse, à quibus vestitus fuerit, & equo alijsque necessarijs rebus instructus; vt periculum tanto facilius euitaret. Quum vero diu latere non posset, dimittuntur passim per omnes prouincias qui captiuum sisterent: quos tamen ille, mutato sæpius tam nomine quam habitu & domicilio, aliquam diu fefellit. Multi pro Campiano comprehensi. Quod ille intelligens, omnes hæreticorum conatus ipsamque mortem ex alto despiciebat, & nunquam securius agebat, quam quum illi in quærendo ipso maxime essent inquieti. Latebat quidem, verum non vt martyrium effugeret, sed vt tanto diutius in vinea Domini operaretur.* Quum toto regno fama de Iesuitarum aduentu percrebuisset, multæ statim vanissimæ de eorum conatibus & moribus fabulæ vulgari cœptæ. Atque vtinam in Anglia tantum, non etiam in Gallijs & alibi falsa eiusmodi crimina Societati huic impingerentur. Quis enim nescit in Gallijs pridem Catechismum exijsse, à quinque & Catholicæ religionis & omniũ Religiosorum iuratis hostibus, suppressis tamẽ nominibus compositũ? quo Gallorum animi in Societatis huius perniciem, multis per summam impudẽtiam confictis criminibus, accẽduntur. Sed ô tenebriones! Anne bonos viros, quales esse vultis, ita agere oportet? Nõ frustra est quod quinque esse volaistis: ad numerum scilicet illorum deastrorum quos Rhea, vt Ægyptij fabulantur, peperit. Idem numerus Baccho sacer est, nec profecto fieri potest vt libellum hunc alij quam Bacchi thyrso percussi, vel hæresi potius ebrij elaborarint. Ait Plato, *Deum in Mundi huius fabrica quinarij numeri vsum esse compositione:* at ego dico diabolum vt Mundum disperde-

a *Eadem Godwinus Caluinista fatetur in Præsulibus Angliæ.*

deret, quinque hominum operam sibi adsciviſſe. Notat Plutarchus, quinarium diviſionis eſſe numerum, ac pleraque à Natura per eum diviſa. Certe quinque hos illud unice ſpectaſſe certum eſt, ut Eccleſiæ unitatem dividerent, & quam plurimos à Societate hoc avulſos, contra ipſam Eccleſiam incitarent. Equidem quinque hos homines, quinque velut naturales hæreſeos ſenſus ſive potentias repræſentare exiſtimo. Primum, Senſitivam: ut qui à Societate hoc ſcripto prius laceſſitus atque oppugnatus, illud tantum ſpectavit ut huius iniuriæ, uti putabat, ſenſum ulciſceretur. Secundum, Cōcupiſcibilem: qui ſcilicet ſuis laborantibus opem quocumque modo ferre cupiebat. Tertium, Naturalem: ut qui in Calviniſmo educatus, nihil aliud ſapere poterat. Quartum, Iraſcibilem: quippe qui nihil penſi habebat, dummodo veluti canis, obvios hos aut quoſcumque allatraret, quum mordere non poſſet. Quintum, Rationalem: ut qui iuſtam ſe tueri cauſſam ſibi perſuadens, interim eas ineptias effutit, quæ minus ſapere eum quam occiſum ſuem facile convincant. Sed de Catechiſmo hoc & Gallia noſtra ſatis. In Angliam redeundum nobis eſt, ubi *Patres Societatis incredibili ſtudio meſſem Domino colligebant, concionando, ſacramenta adminiſtrando, exhortando, magna lætitia à Catholicis ubique excepti, domicilia interim, ad vitanda pericula, ſæpius mutantes.* Inter cæteros vero apud ipſos aſſiduus erat Georgius Gilbertus qui Perſonio certum periculum imminente intelligens, ut Romam rediret tantum non eum coegit. Eis quoque ſe adiunxerat Carolus Baſſetus, Thomæ Mori pronepos, & alij: quorum ſolertia effectum fuit, ut libri Catholici in ſpeluncis terræque cavernis clam impreſſi, per regnum ſpargerentur. Chiarcus & Hanmerus Calviniſtici Miniſtri in Campianum ſcripſerant, & Ignatij Lojolæ, & totius Societatis vitam & inſtituta mitis modis exagitantes: quibus intra decē dies ita reſponſum fuit, ut ad inſaniam fere redacti fuerint. Prodijt etiam tum Alani contra Reginæ Edictum Apologia, de quo ut aliquid dicamus iam tempus eſt.

IV. Huic vero Edicto non modo Jeſuitarum in Anglia conatus, ſed etiam Recuſantes occaſionem dederunt; quorum numerus ita quotidie augebatur, ut ad quinquaginta millia numerata fuerint. Horum præcipui in carceres detruſi ſunt. Everardus Hanſius pro fide Catholica in patibulo vitam finijt. Rudolphus Ceruinus & Cliftonus ſacerdotes comprehenſi. Vt vero Jeſuitis omnis conatus ſuos promouendi tolleretur facultas *Reginа omnes patres familias apud ſuum quemque Epiſcopum profiteri iuſſit, quot liberos haberent, & vtrum illi in regno vel extra regnum eſſent. Additum, ne quis ſuis extra regnum apud Ieſuitas diuerſantibus, quidquam ad ſumtus mitteret; itemque ne quis Ieſuitis Seminariorum alumnis aut Catholicis ſacerdotibus hoſpitium præberet. Multa alia quoque præter hoc contra Jeſuitas Edicta tum promulgata ſunt: quorum præcipuus erat P. Edmundus Campanus.* Hic Londini natus, primo in ſchiſmatica apud Anglos eccleſia Diaconi munus obiit. Inde in Flandriam traijciens, ſermone cum Patribus quibuſdam Seminarij habito, hæreſin repudiauit, mox in Hiberniam profectus, eius inſulæ hiſtoriam conſcripſit. Poſt aliquot inde annos Romam adijt, ac Societati nomen dedit: à qua primum in Bohemiam, inde in Angliam, ad plantandam Domini vineam miſſus fuit: tandem à Georgio quodam Elioto, hoc modo parricidij à ſe commiſſi gratiam venante, proditus, & cum multis alijs Londinum deductus, cum hac inſcriptione *Hic eſt Campianus, ſeditioſus Ieſuita.* Dum Crucem prætereuehitur, quam humiliter ſe inclinauit, ſimulque, vt potuit, Crucis ſigno ſe muniuit: miram vultu conſtantiam præferens. Dici vix poteſt, quot & quam varijs cruciatibus viri huius patientiam hæretici tentarint: quibus quum nihil proficerent, diſputationibus eum aggreſſi, nihil aliud inde quam ludibrium reportarunt. Quare exacerbati, eo quod ſupra deſcripſimus, ſupplicij genere tollendum curarunt, XX. Nouemb. Anno MDLXXXI. Poſt hunc Rudolphus Ceruinus magnæ item doctrinæ & ſanctitatis ſacerdos (cuius teſtimonium etiam cuſtodiæ Præfectus, *Dei Baronem* ob ſingularem abſtinentiam appellans, ei perhibuit) & Alexander Briantus, eodem glorioſo martyrio vitam finierunt; quum ſumma animi & vultus hilaritate tormenta omnia eluſiſſent. Hunc aiunt quum in equleo torqueretur, Nortono carnificem inſtiganti diriſſe. *Tu vero plus quam ipſe Deus feciſti, vt qui ad corporis mei ſtaturam integri fere pedis menſuram addidiſti.*

V. Similiter XX. Maij Anno MDLXXXII. aliquot alij ſacerdotes martyrio Londini affecti ſunt. Ex his Thomas Fordus ob Catholicam religionem mori ſe proteſtatus, replicante prætore, non ob

ob religionem, sed proditionem regno & reginæ intentatam ad mortem damnatum, respondit, *Ab eiusmodi consilijs alienum se semper fuisse: conspirationis vero initæ tempore se ab Anglia longissime abfuisse.* Idem accusatus, quod dixisset, *Papam habere potestatem Reges deponendi, id nouum dogma non esse*, respondit, *sed etiam olim in Oxoniensi Academia, præsente Regina ventilatum, ipsosque Caluinistas fassos, esse caussas quasdam ob quas Rex iuste regno exui possit.* Vltima eius è patibulo deiecti verba fuerunt, *Iesus, Iesus, Iesus, esto mihi Iesus.* Eiusdem martyrij Fordo socius fuit, Ioannes Shirtus qui quum iridem vrgeretur, *vt criminis læsæ Maiestatis reum se fateretur, id vero, vt & illud Reginam* (pro qua tamen preces fundebat) *Anglicanæ Ecclesiæ caput esse constantissime negaret, plebe, vt in eum tamquam proditorem ageret, carnificem inclamante*, eandem martyrij gloriam est consequutus. Tertius his comes fuit Robertus Ionsonus: qui Catholicum se professus, ceterorum quæ ipsi obijciebantur immunem esse, palam testabatur. *Elisabetham quidem se pro vera Regina, sed non pro capite Catholicæ Ecclesiæ agnoscere.* Rogatus quid per Catholicam Ecclesiam intelligeret, *Eum* inquit, *cœtum cui Pontifex Romanus tamquam vniuersalis Pastor præsidet.* Latina lingua orans, ministro acclamante, vt ea lingua qua à Deo iussus esset, vteretur, *Facio hoc*, inquit, *nisi tu forte putas, Christum vulgari Anglica lingua precatum esse.* Post hos Gulielmus Filbæus Lucas Chirbæus, Laurentius Richardsonus & Thomas Cottamus variorum criminum accusantur, ac tandem morti adjudicantur. Filbæus orare iussus, *vt Deus reginam contra Papam vellet defendere*, facere illud noluit, *Papam reginæ hostem non esse inquiens.*

VI. Paullo ante nempe Anno MDLXXVIII. Ioannes Nelsonus presbyter supplicio affectus fuerat: quem aiunt, dum semianimi è patibulo demisso venter aperiretur, eleuata voce *vt Deus regina & ministru ipsius scelus condonaret, precatum esse.* Illud etiam pro certo affirmatur, ægrotos quosdam deinde reliquiarum eius contactu sanatos fuisse. Hansius vero ille, cuius supra quoque mentionem obiter fecimus, nihil maiori sibi gloriæ ducebat, quam *quod ex Ministro Caluiniano Catholicus Sacerdos factus, pro eadem fide moreretur.* Cuthbertus Maynus, de quo etiam supra, accepta mortis sententia (quod fuit Anno MDLVII. die XXVII. Nouembris) quum oratorium totum se dedisset, conclaue totum flammis illustratum vidit: ac sic biduo post magno animo mortem obijt. Ioannes Paynus à Caluinistis accusatus, dicentes *quosdam audisse, à quinquaginta hominibus consilium de Elisabetha necanda, & Maria Scota regina proclamanda consilium esse initum, & vt lasa se Maiestatis reum fateretur in extremo mortis articulo à Richio Barone admonitus, innocentiam suam constantissime tutatus est*, & Baronem illum compellans, *Nuncia*, inquit, *Regina, me lubenter omnia ipsi condonare; simulque mone, vt porro à fundendo innocenti sanguine abstineat.* Eboraci Anno MDLXXXIII. supplicio item affecti sunt, Gulielmus Laicus, Richardus Kirkmannus, Ioannes Tonsonus, Gulielmus Hartus, & Richardus Therkellus, eo tantum quod Catholici essent sacerdotes. Vintonij etiam duo laici, Ioannes Slaidus, & Ioannes Bodæus, morti adiudicati sunt, non aliam ob caussam quam quod Reginam Anglicanæ Ecclesiæ caput esse negassent. Eodem anno & Gulielmus Carterus supplicium luit, ob id solum, quod librum impressisset à Gregorio Martino conscriptum, in quo is virgines quasdam ad ieiunium horrabatur, per quod Holoferni caput amputari posset, peccatum intelligens, quod illi malitiose in Reginam dictum calumniabantur.

DE NOBILIUM QUORUMDAM martyrijs, atque exsilijs. De Joannis Nicolai Apostasia: qui Roma Londinum reuersus, Catholicam religionem oppugnauit, tandem vero Rothomagi comprehensus malitiam suam fassus est.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

I. *Nobiles aliquot martyrio affecti.*
II. *P. Casparis Haiuodi & aliorum Catholicorum martyrium.*
III. *Nicolaus quidam Apostata, multorum in Anglia malorum caussa, Rothomagi ad caussam dicendam pertractus, quid confessus fuerit.*
IV. *Catholici in Anglia denuo proscripti.*

V. *Curiæ seu Parlamenti ea de re sententia.*
VI. *Insignis hæreticorum pertinacia.*

I. VT in mari fluctus fluctum trudit & impellit; sic in Anglia sæuitia indies augescente, vnius martyrium, mox infinita alia excepterunt: eoque hæreticorum sæuitia progressa est, vt etiam proceres non paucos & nobilissimis ortos familijs involuerit. Inter quos fuerunt Iacobus Laburnus, Ioannes Feltonus, Storeus I. C. & Thomas VVodosus presbyter: hic quidem damnatus, *quod Elisabetham ex illegitimo connubio prognatam, & merito à Papa Pio V. regno priuatam asseruisset.* Morte etiam, quod Reginæ primatum negarent, affecti, Franciscus Trogmortonus, Eduardus Ardenus, alijque. Nec hæreticorum casses effugere potuit illustrissimus Dux Northumbriæ: quem postea Anno M D LXXXV. mense Iulio ex suspicione quod pro Catholicis contra reginam aliquid moliretur, occiderunt. Pagettus Baro fuga sibi consuluit: Arundeliæ vero Comes Ducis Norfolciæ filius primogenitus & hæres, à fuga propter solam conscientiam susceptæ retractus, tandem in carcere occisus fuit; & ipsius fratres, sorores, cognati, affines indignis modis vexati. De alijs quamplurimis quid dicemus? Constat ob solam religionem ab hæreticis octo Comites, Baronum decem, sex & viginti proceres, Nobiles vero plusquam trecentos quinquaginta, variis modis è medio sublatos esse tum feminas plusquam centum & decem, inter quas multæ fuerunt nobilissimæ; & inprimis Northumbriæ Comitissa. Quis non miserrimum Anglicani regni statum tum fuisse dicat, in quo tanta grassabatur sæuitia, vt parum Anglus videretur, qui non Catholicum aliquem supplicio tradidisset? Merito dixeris, Anglos tum faciem quidem hominum, sed cor omnibus bestijs crudelius habuisse. Harum enim omnis ira primo fere impetu consumitur; at Anglorum in Catholicos odium nullo sanguine potuit expleri, & vti S. Ioannes in Apocalypsi describit, locustas illas Caluinianas: *dentes earum sicut dentes leonum.*

II. Incidit quoque circa id tempus in persequutorum manus Gaspar Haiuodus, qui in Galliam ad suorum colloquium euocatus, quum aliquot Normanico non procul abesset, subito aduerso vento in portum Anglicanum delatus, à magistratu sistitur, Londinum reducitur, & in carcerem compingitur; mitius ante mare quam nunc terram expertus. Inde non multo post cum alijs vinctis sacerdotibus ad tribunal producitur, sed improuiso ceteris subtractus, per aliam secretiorem portam ad carcerem reducitur. Mox sparsa ab hæreticis fama, Haiuodum in religione nutare: vnde ceteris captiuis non paruus mœror fuit iniectus. Sed impiam fraudem & summam Confessori huic factam iniuriam tempus postea patefecit: vt qui tam minis quam promissis hæreticorum, Episcopatum si ad se transire vellet, offerentium, contemtis, in summa constantia permansit. qua socij captiuitatis, Georgius Haddocus, Ioannes Mundinus, Ioannes Nutterus, Iacobus Fennius, & Thomas Emerfordus animosiores facti, confessionem suam gloriosa morte lætissime compleuerunt. Eodem Anno M D LXXXII. die XV. Martij Antonius Fugatius Lusitanus nobilis, insignis pro fide Catholica zelator, post duorum annorum incarcerationem, & grauissimos equulei toleratos cruciatus, quum morti esset propinquus (senex enim erat, & tormentis fractus) lectica clam emissus, paucis post diebus animam Christo reddidit. Sequenti vero anno Ioannes Someruilus, Eduardus Ardenus cum Maria Someruili filia, Eduardi vxore, vt & Georgius Trogmortonus & incarcerati & damnati fuerunt.

III. Maximam vero sanguinolentæ tragœdiæ occasionem dedit Ioannes quidem Nicolaus, qui Romam reuersus, multa de Catholicorum machinationibus apud Cardinales quosdam fabricatis differuit, vel potius finxit. Quum autem vidisset tot innocentes homines hac fraude sublatos esse, conscientiæ stimulis impulsus Cæcilium summum Regni Quæstorem adit, ac fatetur, falsa esse ea quorum Catholicos insimulauerat: à quo vix auditus, idem Reginæ secretario Valsingamo significari curauit. Quumque à neutro eorum, vt voluerat, acceptus esset, arcis Præfecto, nec non presbytero cuidam captiuo rem quoque aperuit. Quo facto, statim ex Anglia discessit, ad Turcas profecturus, vt experiretur an non illorum religio melior esset, vel ad rem faciendam accommodatior quam Protestantium, tam barbare Naturæ iustitiam violantium? Sed in itinere quum multis difficultatibus impediretur, in Galliam concessit: quumque Rothomagum venisset, Catholicorum monitu à magistratu comprehensus & interrogatus vniuersam

sam mendaciorum suorum seriem retexuit, hæc præcipue fassus. *Papam, Cardinales, & vniuersum Clerum Catholicum ab se iniustitia, rapina, & omni generis flagitiorum falso & malitiose accusatum. Falso & emolumenti spe à se confictum, Romæ in Anglorum consultari Seminario, quomodo regina è medio tollenda sit.* Quum deinde, *quamuis incerto auctore, accepisset, Excommunicationis sententiam contra Elisabetham à Pio V. latam, à Gregorio XIII. renouatam esse, famam eam ab se in Anglia diuulgatam. Non sine perfidia Catholicæ quoque religionis studium à se simulatum, quum Protestantium factioni ex animo esset addictus.* Vidistine certius vllum vmquam testimonium hæreticæ astutiæ ac perfidiæ, qua contra Catholicos quotidie vtuntur, multisque exitium creant? Huius enim potissimum inducti persuasionibus Angli, omnes Catholicos falso machinationis alicuius contra reginam insimulatos perdere statuerunt. quin etiam Parlamenti lege capitalis in omnes etiam proxime cognatos, sententia lata est, qui vel minimum quid contra reginam tentassent: cuius vim Essexius Comes nullius quidem proditionis conuictus, sed quod inuita regina aliquid molitus esset accusatus, non ita pridem est expertus.

II. Quia vero Anglicani regni Senatus animaduertebat, hac sanguinaria crudelitate multorum animos offendi, seque male passim tam apud exteros quam indigenas audire: clementia quadam, licet ipsa morte acerbiori, erga Catholicos vti statuit. Quare ex omnibus carceribus captiuos non paucos in exsilium mittere decreuerunt, rati hoc pacto fucatam suam clementiam diuulgari posse. Atqui vix horum quisquam erat qui non in patria pro Catholica fide mori, quam precariam vitam inter exteros trahere maluerit. Tum enim ijs opus erat qui domi hæresi se quam fortissime opponerent, non vero ijs qui muliebriter foris in exsilio calamitates suas deplorarent. Neque vero ideo angebantur quod patriæ & fortunarum iactura esset facienda, sed quod reliquos Catholicos mortis suæ exemplo ad constantiam animare non possent.

Hac de re is qui Historiam à Sandero cœptam persequutus est, & ipse ex eorum fuit numero, sic scribit: *Quum dies à Magistratu esset illis deportandis designatus, dantur cuiuslibet carceris præfecto eorum nomina qui in exilium erant destinati, & vt vinctis diem præscriptum denunciet, mandatur, vt ita mature de rebus ad viam ac victum necessarijs sibi prouiderent; nam publicis sumptibus (quod à multis expectabatur) non nisi in naue erant alendi: sed ipsi carceribus interea conclusi, nec ad vllius colloquium nisi custodibus præsentibus admissi non multum adiumenti ad iter ac futurum exilium obtinere potuerunt; vt vel hoc nomine istud exilium desolatis hominibus calamitosissimum videri debuerit. De voluntate tamen Reginæ certiores facti, quisque quod potuit fecit, vt, ad viaticum non nihil vestium aut numerum à suis procuraret.*

Dies tandem venit, licet sæpe nescio quo Consilio dilatus, & mutatus, ibantque ij quibus nos transportandi data sunt mandata, repetentes à variorum carcerum præfectis: eos qui designati erant ad exilium. Ducti sumus omnes ad nauem in Thamesi flumine prope ianuam arcis sitam; iamque conscendere iubemur, vbi ex nostris quidam, præsertim R. Pater Gaspar Hayuodus omnium nomine palam conqueri cœpit, nos sine causa sine crimine, ac sine iudicio planeque indemnatos non debere patria pelli, ac profiteri nos vltra non iuros, nec patriam, ac populum Catholicum qui in ea est, nostro vnquam consensu relicturos, sed ipsorum in conspectu ad testificationem communis fidei nostræ & ipsorum, lubentissime morituros. Patriam nostram ac salutem istorum nobis vita nostra longe chariorem esse.

Sed cum hac ratione nihil proficeretur, literas falsem ac mandata Principis, quibus ad perpetuum exilium damnamur (inquit) *ostendite. Sed concessum non est, ac sublatis velis cum multa multorum consalutatione ac commiseratione in altum delati sumus. Post biduum vero, cum iam in oceanum multũ processissemus, R. P. Gasparus & alij, iterum obnixè rogarunt regios ministros, vt vel tunc tandem sententiam ac literas exilij videre ac legere liceret.* Victi illi, mandatum exhibuerunt, in quo cum illud legissent, *Has tales personas suis & aliorum confessionibus multarum in suam Maiestatem & Rempublicam seditionum ac machinationum reas inuentas, omnesque vel in iudicio de ijsdem criminibus conuictas, vel propter similia in carcere detentas, licet mereantur extremum supplicium, tamen regiam clementiam mitius hac vice agere volentem, extra patriæ fines tantum deportandas, hoc præsenti scripto decernere:* Hæc, inquam, cum in hanc sententiam legissent, flebiliter clamarunt vna voce omnes, *se falsissimis calumnijs ac grauissima iniuria affici, cum nec*

ipsi, nec sociorum Catholicorum quisquam, vllum vnquam rebellionis aut in Reginam aut patriam conspirationis crimen, vel leuissimo verbo confessi sint; & ex ijs ipsis quos tum deportabant, vnus falsissima accusatione, in iudicio publico fuisset absolutus. Proinde P. Gasparus in eam sententiam multa locutus, iterum atque iterum obsecrat ductores suos, vt ad causam dicendam in Angliam reducantur, ac publico iudicio sistantur; vel saltem vt ibi pro Christo potius & innocentia sua defensione iugulentur, quam vt hac luculenta infamia in aliena terra compareant. At responsum est, id in ipsorum potestate non esse, se mandatum regium implere debere. Processimus igitur, vt potuimus nos inuicem consolantes, ac gaudentes quod hanc contumeliam pro nomine Iesu, vt cumque patientes tulerimus, ac tandem Deo iuuante Boloniam appulimus, vnde postquam ductoribus nostris valediximus, ad varias Galliæ vrbes, vt quisque habebat commoditatem profecti, demum omnes ferè Rhemos ad communem patrem Alanum perreximus.

In quemcumque autem locum ad confratres aut superiores nostros venimus, eos de nobis valde anxios reperimus, audierant enim hæreticorum aut maleuolorum falsis rumoribus, nos hoc exilium ob metum periculorum in Anglia vltro procurasse, stationem nostram reliquisse, aut etiam, quod grauius esset, aliquid hæreticis in religione cessisse. Sed quum rem omnem ex nobis abunde intellexissent, multique nostrum se porrò paratos esse dicerent, quandocumque superioribus placeret, sine omni periculorum exceptione redire, incredibiliter lætati sunt in domino. Atque de istis non domi trucidatis, sed ita patria pulsis, in exemplum ac argumentum clementiæ Regiæ, aduersarij passim loquuntur libenter; & in eo persistunt atque instant tam impudenter, vt quo plures fuerint in exilium detrusi, eo magis elucereputent magisque commendari apud exteras nationes, præclaram istam Reginæ clementiam. Nuper igitur eadem fraude & crudelitate qua superiores, in Galliam eiecerunt viginti duos ex Eboracensi & Hullensi carceribus, qui omnes sacerdotes sunt, vno excepto, qui tamen est Diaconus. Hi omnes maxima exparte, non solum vinculis & carceribus, sed senio etiam sunt confecti. Nam alij sexaginta, alij septuaginta, alij plures annos habent, & inter eos vnus est octogenarius. Multi horum licet sint valde senes, magnam tamen ætatis partem in vinculis peregerunt; ita vt reperiantur, inter illos qui viginti & sex annos, patientissime & constantissime tulerint omnia illa incommoda quæ tot annorum, & talium hæreticorum iniquitas incarceratis solet afferre. Hæc quidem ille.

VI. Liber deinde in Anglia procusus fuit, *Iustitia Britannica* nominatus, eoque insigni illi sæuitiæ in Catholicos exercitæ, color quæsitus. Nec mirum hoc in hæreticis: qui etiam fœdissimas suas actiones quocumque prætextu palliare norunt. Ei libro alius deinde à Catholicis fuit oppositus, & quamplurima eius mendacia ostensa. Legens hunc quidam Reginæ Consiliarius, ad amicum dixisse fertur; *Miror cur Pontificij etiam prudentiores tam aperte, presse ac libere sua Maiestatis ac magistratuum actiones & edicta refutent atque insectentur. nam licet* (aiebat) *fortassis nos in religione & regimine erroris conuincant, illud tamen cogitare debent, nos huc vsque progressos, saluo honore & securitate nostra non posse resilire; nec tantam reginam ob humilium istorum & pauperum hominum demonstrationes ac clamores posse aut velle pedem referre.* Sic ille. Ex quo hæreticorum elucet pertinacia: quibus idem accidit quod ijs qui in vepreta incidunt; qui tanto magis manus & corpus vulnerant, quanto tenacius vepres & spinas apprehendunt. Et quotusquisque hæreticorum, etiam erroris conuictus, errorem fateri voluit? Succumbere malunt, præsertim qui iam existimationis aliquid collegerunt, quam cedere: diabolo mundanæ vanitatis puluerem oculis ipsorum inijciente, vt excæcati in exitium præcipites labantur, & alios secum trahant.

MARTYRIA QVORVMDAM & circa ea miracula. Cardinalis Castilioni mors. Oratoris Gallici in Anglia priuilegium.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

I. *Miracula quorundam martyrum. De Fischero Rossensi Episcopo, & Thoma Moro.*
II. *Alia quædam miracula.*
III. *Iudices quidam Angli ob iniuste latam sententiam subita atrea morte à Deo Catholicorum causam agente, puniti.*
IV. *Elisabetha cum exteris Principibus confœderationes. Mors VValsingami, Catholicorum, dum vixit flagelli.*

V. *Lamotta Fenelonius ætate venerabilis Eques Gallicarum regis in Angliam Legatus, Cardinalis Castillionius Hugonotarum defensor, eiusque mors.*

VI. *Soli Gallorum regis Legato in Anglia permissum domi suæ sacrum Catholico ritu celebrare.*

I. SVnt colores quidam adeo scintillantes & fulgidi, vt nisi vmbra quadam obfuscentur, oculorum aciem perstringant & hebetent, nec recte adspici possint. Atqui certus ego sum, Catholicorum animos non modo non hebetatum, sed etiam magis illustratum iri, si persequutionum illis Catholicæ religionis in Anglia tenebris, licet copioso martyrum sanguine illustratis, nouum & insolitum diuinorum miraculorum splendorem addidero: quibus Deus Catholicæ religionis veritatem stabilire, & gratiam suam veræ Ecclesiæ testatam facere semper voluit. Hæc instar linguæ sunt, qua Deus homines nonnunquam compellat, simul & ad Catholicam Ecclesiam compellit. Horum ecce tibi pauca quædam, Lector, quæ Deus in gloriosis illis martyribus operatus est. Videbis hic non viuentes modo, sed & mortuos, non loquela tantum res præditas, sed & mutas, Catholicæ fidei testimonium perhibere.

Ioannes Fischerus fuit Roffensis Episcopus, cuius martyrio affecti caput hastili affixum, & in ponte Londinensi omnium oculis expositum, quo diutius ibi suspensum mansit, velut altera virga Aaronis eo magis floruit: ob quam etiam causam inde detractum fuit.

Eo die quo Thomas Morus magnus ille vir, Henrici VIII. iussu securi percussus fuerat, filia Mori Margarita peragrabat sanctas Ecclesias & eleemosynas pauperibus plena manu distribuebat; iamque omnibus elargitis cum in templo quodam orationi vacaret, *Heu mihi* (ait ad ancillam) *oblita sum syndonis qua patris corpus inuoluatur.* Audierat Roffensis Episcopi cadauer, sine presbyteris, sine cruce, sine lumine, sine linteis proiectum fuisse in humum, nec affuisse qui sanctum martyrem sepeliret. Neque vero quisquam ei hoc officium præstare audebat. Quod, ne patri quoque suo accideret, Margarita cauebat. Consuluit ei ancilla, vt de proximo acciperet linteum. *Quomodo* (inquit) *id faciam, cum nihil pecunia reliqui habeam? Credent tibi,* ait ancilla. *Quanquam* (inquit Margarita) *longè à domo absim, nec his hominibus nota sim, tamen periculum faciam,* Accessit itaque ad vicinam tabernam, postulauit quantum sufficere credidit; cumque de precio conuenisset, manum veluti quærendæ pecuniæ caussa, in perulam misit, eo animo, vt diceret, *præter spem sibi euenisse, quo minus adessent pecuniæ: sed si crederetur sibi, se quamprimum id quod conuenerat redditurum.* Ecce autem, cum certo ei constaret nihil omnino paullo ante reliquum fuisse, tamen iam in pera iustum syndonis precium reperit, nec vno teruncio plus minusve, quam eo tempore ex pacto persolui oportebat. Miraculo confirmata, linteum accepit, patris cadauer inuoluit; & quia feminam ac præsertim filiam, nemo ac officio pio repulerat, Christi Martyrem honeste sepeliuit. Et de Moro quidem hæc tam Sanderus quam Ribadeneira scribunt.

De Carthusiensibus monachis sub eodem Henrico martyrio affectis, hoc etiam miraculum circumfertur, quum corporum in quatuor partes dissectorum partes celebrioribus vrbis locis suspensæ essent, toto trimestri nulla in eis putredinis indicia apparuisse, quasi non morticinæ, sed adhuc viuæ carnes essent. Aiunt, *quum forte religiosus quidam eiusdem monasterij ex desperatione in profluentem abijcere se vellet, à sanctis his martyribus impeditum, donec re comperta, illi ad tantum scelus via obstructa fuit.* Alius Religiosus Augustiniani Ordinis, Ioannes Estonus nomine, in carcem coniectus, quo Henricum pro Anglicanæ Ecclesiæ capite agnoscere nollet, instantis supplicij metu vehementer consternatus, quum Deum quam potuit ardentissime deprecaretur, vt constantiam largiri sibi vellet, vocem cœlestem audijt, *vt cursum fortiter consummaret exhortantem, nec pro veritate mori pertimesceret, cui cœleste paratum esset auxilium.*

In Hibernia Theologus quidam Ioannes Trauersius nomine, captiuus detinebatur, eo *quod librum scripsisset quo S. Petri & successorum primatus defendebatur.* A iudicibus interrogatus, *an libri istius auctor esset, non solum id intrepide affirmauit, sed etiam ostensis tribus digitis, Hi,* inquit, *scripserunt.* Damnatur ergo, & rogo imponitur. Verum ecce, diuino proculdubio miraculo accidit, vt toto flammis consumpto corpore, tres illi digiti in-

 tegri

tegri remanserint, nec potuerint comburi. Insigne & hoc est miraculum, ibidem factum, quod ex Hiberni cuiusdam fide digni hominis ore excepi. *Sacerdos, inquit, peracto sacro, calicem cui consecrata inerat hostia, in altari stantem oblitus erat. Non multo post eodem venit Episcopus schismaticus, Richardus Bradeus, aliquot proceribus comitatus: & detecto calice, quum hostiam profanis manibus vellet excipere, illa omnibus attonitis, è calice exsilit, & quacumque manus vertebat Episcopus, se subducit. Quum ergo eam apprehendere non posset, sacerdotem illum accersi curat, ad cuius tactum illa subsistens, nullo negocio in calicem fuit reposita.* Miraculum hoc Villacatri factum est, in Comitatu Dublinensi, diœcesi vero Medenensi. Nobilem hominem noui è Comitatu Venascinensi, & Hugonotam quidem (cuius testimonium hac in re suspectum esse non potest) qui me & alijs præsentibus non semel narrauit: quum pater ipsius bellis illis ciuilibus sacerdoti in templo sacrum facienti cum militibus superuenisset, vnum ex his, exsecratione adhibita, consecratæ hostiæ pugione duos ictus intulisse, atque inde statim copiosum promanasse sanguinem. Hoc ille oculis suis se vidisse testabatur. nec minus tamen pertinaciter in hæresi perseuerabat, miraculum hoc exsecrationi, qua miles vsus fuerat, imputans. Quasi vero quoties impius aliquis miles diuino nomine ad exsecrationes & blasphemias abutitur, Deus statim miraculo id displicere sibi ostenderet.

Scriptum à quibusdam inuenio, *Ioannis Foresti, itidem martyrio sub Henrico affecti, corpus numquam flammis totum consumi potuisse: & in ipsius ad palum alligati capite candidam columbam ab infinita hominum multitudine fuisse conspectam.* Alexander Briantus in Epistola quadam ad Patres Societatis suæ testatur, *se secundum ac tertium* (quod sine præsenti diuino auxilio fieri non poterat) *crudelissima tormenta in equuleo, sine omni doloris sensu sustinuisse.* Tantum scilicet potuit feruens precatio, qua is Deum instantissime rogabat, vt sibi nõ minus quam adolescentibus illis in fornacem ardentem, aut Danieli in leonum foueam coniectis, præsto esset vellet.

III. Inter omnia vero quæ tum dum Catholici passim in Angliaad supplicium rapiuntur, miraculose acciderunt, quod Oxonij contigit maxime est memorabile: vbi subitus & pestilens morbus iudices & assessores omnes, ipsumque etiam Prouinciæ Præfectum nec non duodecim alios qui Rolandum Grinsæum pro Catholica religione causam dicentem condemnauerant, ita inuasit, vt isti statim, illi vero post paucos dies ad vnum omnes interierint: nõ multo post etiam quingenti circiter varijs locis extincti fuerit. Quæ vero satis digna pœna ijs reperiri posset, qui sacrosanctam hostiam pedibus conculcare, vel etiam, quod horribile dictu est, fœdissimæ corporis parti immittere non dubitarunt? Anglus quidam Rendatus nomine, quum asseruisset *Deum tam perfidia in Iuda quam conuersionis in Paulo fuisse auctorem*, paullo post in cubiculo se ipsum suspendit Addam hac loco insignem impietatem Galli cuiusdam Caluinistæ. Memeiaci nomine, Ministri Chalnensis: ad quem quum dæmoniacus quidam esset adductus, nec ille hominem curare posset, metueret vero ne Caluinistica religio propterea in despectum veniret, hominem culeo insutum, clam in fluuium abiecit, atque ita tam animam quam corpus eius perdidit, simulans interim, aliò eum à se missum, qui ex eiusmodi curatione gloriolam captare nollet. Sed in Angliam redeo, vbi nullum tam dirum supplicij genus est quod non Catholicis fuerit adhibitum Quidam pedibus suspensi eousque donec excrementa per os egererentur. Quidam ferarum pellibus insuti, & canibus laniandi obiecti: Deo interim varijs indicijs iram suam ostendente, tum præsertim quum in templo primario Londinensi mensa, in qua Caluinistæ cœnam suam celebrare solebant, de cœlo tacta conflagrauit; nec minus misericordiam erga Catholicos diuersis modis demonstrante. Gulielmi Lacij captiuitatem & martyrium Deus cuidam presbytero in carcere reuelauit. Gulielmo Filbæo in somnis venter aperiri atque intestina extrahi visa sunt: quod & postea ipsi accidit. Quum Eberardo Vauxio venter iam esset apertus, & detracta intestina atque in ignem iecta, clara voce exclamauit. *O felix dies*: Cor vero euulsum postquam ter subsilijsset, acuto ferro transfixum & flammis fuit traditum. Anno M D XCIX. duobus sacerdotibus Georgio Nicolao & Iaxleio, in Seminario Rhemensi educatis Oxonij manus à magistratu iectæ sunt. Interrogati à Francisco VValsingamo, Caluinistæ acerrimo, *an sacerdotes essent*, illis fatentibus VValsingamus intulit. *Ergo proditores estis.* Tum Georgius, *consequentia*, inquit, *hæc bona non est.* Tormentis per XV. horas interrogatos & in carcerem redu-

reductos hæreticus quidam adijt, Catholicum se esse fingens, sed nondum adhuc bene instructum: eoque petijt vt hominem sibi commonstrarent à quo melius eruditretur. Sed astutiam hanc Georgij prudentia facile elusit. Tandem ergo damnati, euiscerati, & in quatuor partes dissecti sunt, & corporum partes ex veteri arcis muro suspensæ. Quas quum Ministri quidam veluti recentes, & vultus ipsorum quasi spirantes adhuc vidissent, pugionum ictibus deformare conati sunt. Hoc comperto facinore, magistratus indecas detractas, demissis brachijs ad ciuitatis portas suspendi iussit. Ibi à multis etiam hæreticis, notatum, Georgij brachium quasi ciuitati minantis speciem prætulisse. Idem nondum captiuus quum furem ad mortem damnatum accepisset, qui à captiuis in Catholica fide instructus, Confessarium tantum desideraret. Nobilis assumto habitu carcerem ingressus, hominem non modo post factam peccatorum exomologesin absoluit, verum etiam ita animauit vt in Catholica fide magna cum omnium admiratione, constantissime mortuus sit. Quis vero omnes enumeret, ob Catholicam religionem varijs supplicijs generibus affectos? quorum nomina & alia quæ huc pertinent integris libris descripta curiosus Lector apud alios facile inuestigabit. Nec vero domesticis Catholicorum contenta persequutionibus Elisabetha, etiam apud vicinos Gallos, Belgas & Scotos hæresin omnibus modis fouit, rebellium susceptо parrocinio (qua in re frustra Christianissimum regem sollicitans, & Hispaniarum regi bello indicto, structisque auro ex Indijs venienti per piratas insidijs, Hispanicæ potentiæ non leui intentato periculo. Anno M. D. XCI. Franciscus VValsingamus, vitam finijt, qui præter alia multa mala quibus Catholicos exagitauit, fontes seminarij Rhemensis per emissarios veneno inficere conatus, & Alano eius Rectori necem machinatus fuerat. Eiusdem opera effectum est, vt rex Christianissimus Catholicos ex Anglia ob religionem profugos regno suo excedere iusserit: eoque ipsius mors Catholicos multis calamitatibus subleuatura videbatur. Interim Elisabetha, vt Catholicos & in primis eos qui Philippo regi sub Parisiensi Duce militabant, domum pelliceret, emissarios suos in omnes prouincias amandat, vt vbique istud spargant, Angliæ reginam non esse in suos tam iniquam vti à multis existimetur, neque adeo quid quisque de religionis articulis sentiat sollicitam esse, modo de Catholicis certa & secura esse possit, nihil eos contra patriam cum exteris facta conspiratione molituros, nec ipsam in vllo, ne pro religione quidem illato bello, deserturos. Eodem tamen tempore multi vndique sacerdotes vbique in carceres rapti, quod in Insula mansissent, aut eo veniissent.

Quod si quis omnia quæ Londini tantum in Catholicos crudeliter perpetrata sunt recensere velit, vix finem, (tanta est multitudo) vix fidem (tanta est atrocitas) sit reperturus. Ibi præter alios carceres alijs vsibus destinatos vndecim erant & publici & capaces: PortaVVestmonasterienſis, Flitum, Neugatum, Briduelum, Cõtoria duo. Bancus regius, Marisalcaium, VVitlionum, Clincum, & Turris seu Castrum: qui omnes Catholicorum pleni erant. In vno Turris vero carcere septem tormentorum genera modo huic modo illi adhibebantur. *Primum* erat lacus siue spelunca quædam subterranea, viginti pedum altitudine profunda, omni lumine destituta. *Secundum*, cubiculum quoddam seu antrum arctissimum, vix hominem erectum capiens, quod ab exigua requie, Angli *Litle sium* appellant. *Tertium*, equuleus, quo machinis totisque ligneis hominis membra in diuersa distrahuntur. *Quartum* vocabant Schauingeri filiam, ab inuentore forsan: constans ex circulo ferreo, qui manus, pedes & caput in vnum compingit. *Quintum*, ferrearum chirothecarum, quibus manus grauissimo cruciatu affliguntur. *Sextum*, vinculorum quæ brachijs gestantur. *Septimum* denique Compedum ferreorum qui pedibus aptantur. O qui gemitus in omnibus his sunt auditi eorum, qui Pontificem Romanum pro capite Ecclesiæ agnoscunt! *Obstupeo, mihi stantque coma, & vox faucibus hæret*, quoties inauditam illam hæreticorum feritatem, qua in sacerdotes præcipue, & alios Catholicos grassati sunt, lego aut mecum considero. Vah! Siccine reliquos interim Catholicos Reges ac Principes otiosos sedisse spectatores, nec quemquam damno Iosephi fuisse affectum?

V. Anno M D LXIX. Rex Christianissimus in Angliam miserat Lamottam, Fenelonium, vt Legati ibi munere fungeretur. Eodem mox venit Cardinalis Castillonius, cum putatitia sua vxore, vt Hugonotarum ibi caussam ageret. Et hic quidem non minus quam regius Legatus magn-

fice exceptus fuit & habitus: nec vmquam ad reginã venit, quin osculo exciperetur. Eidem magnificum non procul à regia, assignatum erat palatium. Vnde vulgi dicterium, Condæi Principis Legatum regio dignatione multa esse superiorem. Vterque nihil cum altero commune habere voluit: ob diuersas quippe causas missi. Hic vt Hugonotis à regina impetraret auxilia; ille vt impediret. Etsi vero regina Hugonotas pecunia aut alijs rebus aperte numquam iuuit: Episcopi tamen & alij Protestantes non exiguam pecuniæ summam subsidio eis miserunt. Sed ne hoc quidem factum Regina probauit. Sub finem anni LXIX. regius Legatus, accepto, licet ob contrarios ventos, tardiuscule, de prœlio Iarnacensi & Condæi cæde nuncio; Gallo mercatori in Anglia habitanti, ad se accersito rem aperuit: qui mox etiam noctu per Catholicorum circumcursitans domicilia, famam per totam vrbem divulgault. Territi hoc nuncio Caluinistæ, Reginam adeunt, & de rumore illo per Galliarum regis Oratorem divulgato conqueruntur. At ille factum hoc negabat (neque enim iusserat) addens, de rumoris veritate nihil dum sibi certo constare. Paucos post dies quidem aulicus à Rege missus certum de tam præclara victoria & Hugonotarum regis morte nuncium in Angliam pertulit; quod reginæ dolorem non mediocrem, Castillonio vero Cardinali desperationem pene attulit. Sequenti anno missis in Angliam Equitum tribuno Momorantio, & Foxio, de matrimonio inter reginam & regis fratrem Ducem Andegavensem iam à regina in Equestrem Periscelidis ordinem allectum, tractari cœptum est. In Gallia quoque pacis iniecta mentione Castillonius Cardinalis reditum in patriam parabat, multos exsules secum reuehens: sed aduerso vento Doueram reiectus, Cantuariam concessit; vbi morbo correptus, vndique accurrentibus Medicis, eorum vni somnium suum narrauit, quo vir quidam sibi apparuisse videbatur, & ostensa pyxide dicere: *Accipe & manduca, tumque morieris; quod si non manducaueris, tamen morieris.* Cui somnio fides constitit, postquam compertum est, venenum ei in puluere, quem post cibum ex capsula argentea sumere solebat, à cubiculario fuisse propinatum.

VI. In vniuerso Angliæ regno omnis Sacramentorum Catholico ritu administrandorum, præsertim vero sacri Missæ officij celebrandi interdictus erat vsus; id tamen priuilegij Galliarum regis Oratori regina concesserat, vt domi sacra Catholico more peragere ipsi liceret: eoque domus ipsius velut terrestris quædam erat Paradisus, quo multi Catholici quotidie, vt sacris interessent, confluebant. Videre erat ibi (vt oculatus testis Oratoris illius nepos mihi dixit) sacerdotes popularibus incedentes, & gladijs etiam accinctos, mox quum eò venissent positis profanis, & sumptis sacris vestibus, solenne illud sacrificium magna cum deuotione, ac non sine spectatorum lachrymis Deo offerre. Circa id tempus ad eundem Oratorem venit mulier quædam vetula & paupercula, & cum rubore *se cognatione ipsi iunctam, vtpote nobili Bidonnetorum genere prognatam olim vero religionis zelo è Monasterio vbi Abbatissa fuerat, profugam, præsenti viro (is sutor fuerat, sed tam in Grinsea insula Ministri seu Prædicantis obibat munus) nupsisse fatetur.* Tum ille: *Equidem & me tibi, & te mihi ignotam esse facile patior, quæ ex Nobili virgine vilem te anicillam, & ex Abbatissa Caluinistici Prædicantis concubinam ipsa feceris: & sic vtrumque, data eleemosyna, dimisit.*

Rumore in Angliam de Hugonotarum Lutetiæ perpetrata cædæ perlato, reginæ regium Oratorem diu auersata, tandem quum ad eam cœlo admodum pluuio veniisset, ita compellauit: *Non tu vides ipsum cœlum Francia vestræ calamitates deflere? Equidem Principem tuum aut crudelem esse oportet, aut sanguinarios ministros & proditores circa se habere. Quis non dicat, Gallos vestros è decalogo præceptum de non occidendo expungere voluisse?* Ad hæc Legatus modeste admodum rationes exposuit, quibus Rex tam vitæ quam regni sui securitati in tempore consulere coactus fuerit. Eodem tempore in Angliam venerunt Gabriel Mongomerius, Vidamus Carnutensis, Segurius, alij, qui Lutetiæ euaserant; itemque ex litteratorum ordine duo, quorum vnus Grassus nomine Rothomagensis causidicus, Commentarios posteà in Apocalypsin, alter Brocardus Venetus, librum de Papatus ruina, Portalius vero alium de somnijs, omnes meris ineptijs ac delirijs refertos, conscripserunt. Quamuis autem Elisabetha Parisiensi illa cæde magnopere esset offensa, & Hugonotarum res valde indeafflictas non nesciret: Legato tamen se rebellibus subditis nulla contra regem auxilia præstituram promisit; nec minus tamen Mongomerio vt classem quinquaginta nauium, ad opem Rupellanis obsessis ferendam, conduceret, permisit. Ad eandem

demdeinde cædem excusandam missus Retsius Equitum Tribunus seu Marescallus, simul de matrimonio inter Reginam & Ducem Alenconium tractauit. sed regina pustularum morbo tum laborante, res in aliud tempus dilata fuit. Mongomerius vero in Gallia postea captus, & Lutetiam ductus, capitis supplicium luit.

DE INFORTUNATO MARIÆ Stuartæ viduæ post mortem Francisci II. Galliarum regis matrimonio: deque eius captiuitate, & Morauiæ Comitis proditione.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

I. *Odium inter Angliæ & Scotiæ reginas.*
II. *Scotiæ regina in Scotiam reuertitur, & cum Angliæ regina in gratiam redit.*
III. *Darlæus de regina tollenda, ac regno in se transferendo deliberat. Riccium Pedemontanum interfici curat.*
IV. *Darlæus à Morauio Regina fratre spurio, aliisque, quorum princeps fuit Comes Bothuelius, tollitur. Regina Bothuelio nubere coacta.*
V. *Eadem captiua in lacum Lauinum ablegatur.*
VI. *Religionis in Scotia status, forma, & summa.*

I. VEtus est illud Tyrannorum; *Fidem si violanda sit, regni caussa violandam esse, in cetera pietatem colendam* (a). Eius rei illustre ac flebile exemplum Anglia dedit in Maria Stuarta Scotiæ regina, in cuius supplicio omnium regum maiestati turpiter fuit illusum. Eam in theatrum hic producere mihi visum est, vt gloria eius ob caussam Dei & Catholicam religionem martyrio affectæ tanto magis in conspicuo ponatur. Ducto ergo altius exordio à primis velut cunabulis ad sepulchrum vsque eam comitabimur: quod quidem etsi triste adspectu, non minus tamen quam ipse regius thronus gloria habet & felicitatis.

Defuncta Maria Angliæ ex Henrico VIII. legitima regina, Henricus II. Franciæ rex, qui filio Francisco II. Mariam Scotorum Regis filiam in matrimonium Anno 1558. mense Aprili collocari curarat, omnem legitimam Henrici VIII. prolem extinctam videns, præter vnam Elisabetham, quæ tamen & Parlamenti decreto, & Pontificum Bullis illegitima declarata fuerat: Mariam velut proximam hæredem, vtpote ex Margarita Henrici VIII. sorore, & Iacobo IV. Scotorum rege natam, (b) Angliæ reginam proclemari & Franciæ ac Scotiæ insignibus Anglicana adiungi iussit, quo facto & quædam Mariæ felicitas ex dignitate & spe noui regni obtinendi, aliquando visa est oboriri, & Angliæ status in securo de successione certa collocari.

At non diuturna hæc fuit felicitas. O spem fragilem & caducam! Ecce, dum Maria ad Angliæ adspirat coronam, non modo de suaipsius corona, sed vita etiam periclitatur! Sic quod summo ipsi honori & emolumento futurum videbatur, in extremam, si externa hæc spectemus, perniciem cessit. *Nescio quo fato factum dicam, vt nulla vmquam cum Anglis confœderatio vel affinitas Gallis felix fuerit.* Omnis certe hæc titulorum, omnis imperij accessio paullo post in fumum abijt. Maria in Gallia Angliæ se reginam ferebat; at illa altera, hac in re legitima multo felicior, Londini regnabat, Elisabetha nempe, illa infamis Annæ Boleniæ proles, à regni Ordinibus ad regnum euecta, deiecto Huntingtoniæ Comite, qui vnius diei rex fuerat. Ex illo vero dici vix potest, quantam iræ molem Elisabetha aduersus Mariam conceperit, præsertim quum meueret, ne Galli armis regnum illud vindicare sibi conaturi essent: quorum impetum nondum stabilito regno ægræ sustinere se posse intelligebat. Quocirca omnia prius tentanda sibi rata, quæ Catholicam hactenus se simulauerat religionis cultum mutauit, vt hæreticorum armis & opibus sese muniret, missisque ad Gasparem Colinium Caluinianæ sectæ amicum, maritimæ rei in Gallia præfectum legatis, cum eo egit, vt regnum turbis vndique inuoluceret, atque ita regem ab oppugnandæ Angliæ cura & cogitatione auocaret. Et hoc quidem primum fuit fundamentum inter Gallos Hugonotas & Anglos Protestantes initæ confœderationis. Habebat tum in Gallia domicilium ex Scotica Nobilitate primarius iuuenis, Iacobus Hamiltonius no-

a *Cicero de officijs.* b *Henninges 4. parte Genealog. in Scotiæ Regum Familia. Item Reuſnerus.*

nomine, cuius pater Castelli-Eraldi Ducatu à rege donatus fuerat. Js reginæ promissis & coniugij spe seductus, quum Hugonotarum partibus se adiunxisset, detecta Amboſiana coniuratione, in Angliam fugit, ubi in magna inopia & ignominia miseram vitam traduxit. In Scotia Maria regina fratrem habebat nothum, Jacobum Stuartum nomine Arianæ, postea etiam Moraviæ Comitem; quem Jacobus rex Ecclesiasticis aliquot beneficijs donari curarat. Hunc Elisabetha per Cnoxium apostatam aggressa, facile primo ad hæresin, deinde ad suam factionem adiunxit. Hic ille est qui innumera mala Catholicis, plera que publica officia hæreticis distribuit, ut Maria aliquãdo in regnum reversa, Catholicæ religioni ubique obicem positum inveniret. Tanta vafricie Calvini spiritus Regnis insidiatur.

II. Interea mortuo Henrico II. patri An. 1559. Idib. Julij, Franciscus II. Mariæ maritus non diu supervixit. Quo Anno 1560. Nonis Decemb. sine prole (e) defuncto, Maria in Scotiam redijt, frequẽti procerum concursu & lætis populi acclamationibus excepta, solis hæreticis reditum eius ægre ferentibus, tam religionis quam Guisiani nominis odio. Elisabetha officio in speciem deerat, *missis legatis, scriptisque ad eam honorifice litteris, quibus & adventum ei gratulabatur, & si Principi alicui ex Anglis, vel Roberto Dudlæo, quem ipsa Ganymedu loco habebat, vel Thomæ Havarto Norfolciæ Duci nubere vellet, Angliæ coronam se illi impositurã pollicebatur. Additum munus, adamas in duas æquales partes divisus, cum promisso, quamprimum quacumque circumventa semissem ad se missurã esset, statim se ea visa, auxilio ipsi advolaturam.* Econtra Maria adamantem cordis effigie sculptum annuloque insertum, Elisabethæ dono misit, cum his Latinis Georgij Buchanani versibus:

Non me materies facit superbum,
Quod ferro insuperabilis, quod ignis,
Non candor macula carens, nitoris
Non lux perspicui, nec ars magistri
Qui formam dedit hanc, datam loquaci
Circumvestijt eleganter auro:
Sed quod cor Dominæ meæ figura
Tam certa exprimo pectore ut recluso
Cor si luminibus queat videri,
Cor non lumina certius viderens.
Sic constantiæ firma cordi utriq;
Sic candor macula carens nitoris
Sic lux perspicui, nihil doli intus
Celans, omnia deniq; æqua prater
Unam duritiem. Dein secundus
Hic gradus mihi sortis est faventis,
Talem Heroida quod videre sperem,
Qualem spes mihi nulla erat videndi,
Antiqua Domina semel relicta.
O si sors mihi faxit, utriusq;
Nectam ut corda adamantina catena,
Quam nec suspicio æmulatiove
Livorve, aut odium, aut senecta solvat!
Tam beatior omnibus lapillis
Tam sim clarior omnibus lapillis,
Quam sum durior omnibus lapillis.

Et hæc quidem optimæ reginæ sinceritas causſa ipsius fuit ruinæ. *Mater periculorum*, ait proverbium, *est securitas & Mater securitatis est diffidentia*, quâ una Elisabetha imperium sibi diuturnum conservavit: quum econtra non imperium modo sed vitam quoque Maria perdiderit, eo quod proditoribus nimiam habuerit fidem, fratri notho imprimis, quem ex Priore Santandreani cœnobij Moraviæ Comitem creavit. Quæ reginæ liberalitas prudentioribus etiam tum summe displicebat, ut quam tam ipsi, quam reipublicæ in exitium cessuram facile augurabantur. Hoc enim honore ille non contentus, etiam regnum tandem ambire cœpit, usus potissimum ad id Cnoxij cuiusdam, acerrimi ac seditiosi concionatoris opera. Qua de re monita regina, tantum abest ut conatibus eius præverterit, ut etiam cum nobilissima femina matrimonium ei conciliarit, nempe Maria Keta Martialis Comitis filia. (d)

Mariæ reginæ nuptias complures exteri Principes ambiebant, & inprimis Hispaniæ ac Sueciæ reges. Sed obstabat Moravius, & quæcumque poterat impedimenta subijciebat: ut qui regnum sibi ipse affectaret: ad quod facile perventurum se existimabat, regina sine prole extincta. Quia vero ad Hamiltoniorum familiam regnũ proxime spectare non ignorabat, & ipse acerrimas cum ea simultates susceptit atque exercuit & Læ-

viniæ

c *Reusnerus & Henninges.* d *Henninges loco citato.*

uiniæ Comitem cum ea commisit. Is tum in Anglia aberat, ibique ducta vxore, duos filios genuerat: quorum natu maior Darlæi dominus dicebatur, genere & forma præstans circiter vndeviginti annorum iuuenis. Huius in maritum ascisendi reginæ auctor fuit Morauius, etsi non serio id ageret, vt qui minime tam paucorum annorum, & quidem priuatæ conditionis iuueni nupturam putaret; sed eo consilio, vt simultatum & odiorum semina inter Hamiltoniorum & Læuiniæ Comitum familias iaceret. Ab his nuptijs quum præter spem regina non abhorreret, Matthæus Stuartus, Læuiniæ Comes, qui, vt diximus, in Anglia hactenus exsularat, bonis ac dignitati restitutus fuit. Cum eo in Scotiam redijt Henricus filius, à regina comiter acceptus: quem quotidiana illecta consuetudine non mediocriter amare cœpit, ac tandem vitium sibi adsciuit, clam indignante Morauio, & tam patri quam filio necem, reginæ vero captiuitatem machinante. Hoc conatu frustratus Morauius, cum Angliæ regina fedus renouauit, accepta ab ea quater mille librarum annua pensione, ac per totum regnum rumorem per seditiosos concionatores spargi curauit, nuptias illas eò spectare vt Papanæ, factionis assumto rege, reformata, si dijs placet, religio exstirparetur, & nobilitas ad restituenda Ecclesiæ bona cogeretur. Quibus dici non potest quantopere hæreticorum animi fuerint commoti. Equidem Catholico regi vix quidquam probro suis contingere posse existimo, quam si hæresi libertam grassandi permittat facultatem, ac sibi ipsi subditis suis morem gerendi necessitatem imponat, vti tum Mariæ reginæ accidit cui vnus tantum Sacerdos permissus erat, qui Missam Catholico ritu celebraret qui tamen in conspectu reginæ à Morauii ministris iniurioſe fuit pulsatus. Ipse Buchananus, qui ex meris mendacijs earum rerum historiam contexuit, in Caluinisticis Consistorijs decretum ait, vt de eo tamquam idololatra, secundum Mosaicam legem, pœna sumeretur. Tandem Morauius, adiuncta sibi magna tam procerum quam plebis factione, regi ac reginæ apertum bellum indixit, nihil dissimulans, id se velle vt Darlæus regno deijceretur. Regina vero quamuis bello parum assueta, singularem tamen animi magnitudinem in omnibus præ se ferens, mox & ipsa quantas potuit copias contraxit, ijsque rebelles fudit ac fugauit: qui plerique in Angliam sese receperunt. Harum rerum accepto nuntio, Elisabetha cum suis habita deliberatione, non apertum cum Scotis bellum gerendum, sed Mariam reginam insidijs circumueniendam esse decreuit: quæ & facile sint processuræ, Mortonij potissimum opera, qui in Scotica aula pleraque pro suo lubitu administrabat. Huius consilij præcipui auctores fuerant Cæcilius & Thomas Randolfus: qui vnà cum Bacono ab Elisabetha in Scotiam missi, cum Mortonio, Ruueno, Lindesio & Macgillio conspirationis socijs, consilia communicarunt. Hi deinde Darlæum solum nacti, ei suaserunt vt muliebri imperio sese eximeret, ac regnum, quod consortis impatiens sit, ipse administraret. Ad eam rem sua auxilia numquam ipsi defutura. Etsi vero in omni hac re parum sit difficultatis, tamen etiamsi vel maxime impedita esset, rem tantam, in qua & de honore ipsius & publica regni salute ageretur, omittendum non esse, sed mature aggrediendam. Nihil vero iuuenis animum magis pupugit ac commouit, quam Dauidis Riccij mentio, quo ministro regina in rebus suis plerisque vtebatur, quum ob summam industriam & dexteritatem, tum singularem fidem percharo. Huius illi auctoritatem & potentiam inuidiose exaggerabant omniaque non modo ipsius nutu circumagi, sed etiam proceres, atque adeo ipsum regem contemni calumniabantur. Huius ergo audaciam reprimendam & superbiam insigni exemplo retundendam ac sine dubio eo sublatio, reginam quæ nutu eius circumageretur alia consilia sequuturam, & tam regem quam proceres maiori in precio habituram. Sic ergo Dauidis cædes decernitur, ipso rege certis capitibus subscribente.

III. Nec vero difficile erat iuuenilem Principis animum ambitione cæcum expugnare. Cnoxio interim publico scripto Gynæcocratiam insectante Mortonius vt ex vna regem, ita reginam ex altera parte incitabat, & quascumque poterat inter maritum & vxorem odij causas serebat, Darlæum id agere insusurrans, vt regni arbitrium omnemque potestatem à regina in se solum transferret. Inter hæc regina omnium istorum ignara, absente Morauio, regni comitia indicit ad res tam religionis quam iustitiæ melius constituendas, Darlæo clam indignante, vt quæ sciret de pœnis eorum qui in Angliam profugerant tam-

tamquam perduellium, actum iri. Sed ex postea res inciderunt quæ totum regnum miseris modis conturbarunt. Primo Cardinalis Sanctandreani: deinde Dauidis Riccij cædes. Et huius quidem ordo sic habet. Quum rex à maleuolis instigatus, Riccium, cui regina multum fidebat, tollere decreuisset, vnà cum Iacobo Duglassio Mortonij Comite, Patricio Lindesio, & Patricio Ruueno, in cellam reginæ vbi cœnabatur, per scalas angustas & secretas ascendit. Tum regina Ruueni potissimum habitum contemplata (arma enim longæ tunicæ superinduerat, galeam capiti impositam gerens) Quid hic, ait, Ruuene, ridiculus quidem, sed nullius boni index, sibi vult apparatus. Tum ille, Nebulonem, inquit, quærimus, quem tu ô regina, nimis magno in precio habes: digito in Riccium intento. Ibi regina perterrita, vim ab homine deprecari cœpit: sed intentato pectori pugione silere iussa est, nisi cum eo interficimallet. Sic miser ille ante reginæ pedes, iustitiam implorans confoditur & trucidatur. Anglorum qui primi huius cædis suasores fuerant, Consilium erat, hoc facinore in conspectu reginæ perpetrato fœtum quem iam fere adultum regina vtero gestabat, perdere, inimicitiasque irreconciliabiles inter regem & reginam seminare. Si enim istius tantum hominis cædem quæsijssent, facile eius alibi occidendi potestatem habuissent.

Patrata hac cæde, à coniuratis reginæ custodes sunt appositi. Postridie Morauius ex Anglia reuersus est, à regni Ordinibus ad comitia euocatus. Habita deliberatione, reginam tollendam esse, à quibusdam decretum aiunt. Cædis in Riccio perpetratæ caussa aditerium prætexitur: cui tamen pauci fidem habebant, quum Dauidem iam senem effetum ac deformem, nullam etiam ob caussam quam ob summam fidem & industriam reginæ percharum fuisse non ignorarent. Quin etiam de Catholicis omnibus in toto regno interficiendis, & Darlæo solo Rege proclamando Consilia inita. Morauius interim, homo astutus & versipellis reginam clam adit, & superioris cædis ac proditionis ignarum se simulans, rogat vt regina facinus istud auctoribus ignoscat. Tum regina, ne minimum quidem de pristina Maiestate remittens, Nihil certi hac de re statuere se posse inquit, quamdiu velut in custodia asseruaretur: libertati vero restitutam, plus illis præstituram quam petere aut exspectare ausint. Morauius inde Regem de bona Reginæ voluntate edocet: qui mox & ipse eam adit, & vt præteritarum iniuriarum memoriam deponere vellet obsecrat. Et regina quidem maritum acriter initio obiurgat, & quam imprudenter egerit demonstrat. Anglos quippe & coniuratos id vnum spectare & agere, vt se cum fetu exstincta, ipsum quoque deinde è medio tollant. Mox ille errore cognito, multis cum lachrymis iterum veniam precatus, omnem conspirationis ordinem detegit: decretum nempe à coniuratis, Flaminium, Leuinstonum & Iacobum Balfurium in iudicio reos peragendos, & publice supplicio afficiendos alios proceres alijs modis tollendos; tum feminas aliquot primarias suffocandas esse: ac simul promittit ac protestatur, se contra Reginæ libertatem nihil posthac moliturum. Inde proceribus, & maxime coniurationis socijs, præclaram reginæ voluntatem prolixe exponit, & pro ipsius libertate intercedit. Re diu multumque disceptata, alijs reginæ cædem vrgentibus, alijs nouam eius gratiam hoc beneficio captantibus, tandem Darlæo reginæ, ex morbo etiam affectæ, custodia permittitur: qui ea nocte vnà cum illa ex Edimburgensi arce Dumbarum profectus, tumultuarias copias, in quibus nouem millia armatorum erant, collegit. Hoc inopinato euentu perterriti coniurati plerique in Angliam aufugerunt: Morauius vero non multo post, deprecantibus pro eo nonnullis proceribus, ex Anglia reuocatus, & à regina in gratiam receptus fuit: quæ quidem gratia deinde in ipsius reginæ ac regis exitium vertit.

Darlæus, Morauium & socios in tanta apud reginam auctoritate esse, vt ipsorum arbitrio omnia administrarentur, indignatus, reginæ consilium de tollendo Morauio detexit: quod illa auersata, regem ad alia Consilia flexit. Quia vero Darlæus hoc suum propositum iuuenili quadam temeritate ita celare non poterat, quin eius indicia ad Morauium peruenirent: Morauius insidijs regem sibi præuertendum decreuit. Circa idem tempus Mortonius, Lindesius & alij Scoti transfugæ, Elisabethæ commendatione in gratiam à Maria regina recepti sunt: qui mox, vix dum reuersi scelerata in patriam & reginam Consilia agitare cœperunt, atque illud præcipue, vt inter regem & reginam discordiarum semina sererent. Quum vero animaduerterent, ad reginam contra maritum incitandum nullas valere artes,

Mo-

Morauium ad regem tollendum allegarant, communicatis cum Bothuelio Comite ambitioso & crudeli homine Consilijs, vt cædi manum præstaret, & reginæ, velut ad compensationem facinoris, matrimonio promisso, confectisque etiam publici Notarij, Alexandri Haij, manu eam in rem tabulis. O rem inaudita barbariæ plenam: Siccine & regiam Maiestatem contemni, & summam illam formæ elegantiam à subditis tamquam pessimi facinoris & parricidij auctoramentum vænalem haberi: Vnica illa restabat cura, quomodo scilicet omnis facti inuidia & ignominia in ipsam reginam deriuari posset. Morauius vt suspicione se eximeret, reginam monuit, Glascuæ à Darlæo marito, eius patre Læuiniæ, & Glencarniæ Comite de regno ipsi auferendo Consilia haberi: quæ præsentia sua facile esset euersura. Interim in morbum rex incidit: quem regina multoties inuisit, omnibusque humanitatis officijs prosequuta est. Conualescentem Morauius induxit, vt habitationem paullo salubriorem quæreret. Sic ergo is ad Kirkofeldij cuiusdam ædes diuertit: à Morauio ex Araniæ Comitis, Hamiltoniorum familiæ principis, palatio quò regina eum comitata fuerat, deductus. Appetente iam designandi facinoris die, Morauius, vxoris morbum prætexens, ex aula discessit, prius tamen Heresio indicans, illi nocti Regem non fore superstitem, quod & accidit: siquidem inter tertiam & quartam noctis horam, ædes in quibus rex diuersabatur, suppositio & incenso puluere conuulsæ, & miser Princeps eius violentia occisus est. Facinus hoc regina, vti par erat, indignissime tulit, & in eius auctores inquirendi negotium Argatheliæ Comiti dedit. in quo tamen ille segniter admodum versatus est, vt qui coniurationis esset particeps. Tandem Bothuelius publica omnium voce, & affixis etiam scriptis designatus, comprehenditur, & parricidij accusatur: quod tamen ille iudicium, vtpote in quo plerique Morauij factioni addicti sedebant, facile eluit. Videbant enim, Bothuelium damnatum procul dubio ipsos quoque tamquam conscios proditurum, atque ita reginæ innocentiam, in quam omnem facti inuidiam deriuare cupiebant, patefactum iri: quæ mariti corpus è ruderibus erutum, non sine lachrymis regijs maiorum tumulis inferri iussit, sine vlla fere pompa, vt quæ in toto suo comitatu vnum tantum sacerdotum haberet.

Nō multo post Bothuelius coniurationis socios de promissis appellat. Illi reginam adeunt, & vt maritum sibi ex Scotica Nobilitate (neque enim exteri Principis imperium Scotos facile laturos) eligere vellet, rogant, proposito Bothuelio. Sed id matrimonium reginæ minus placebat, caussanti eum iam cum Hantilæ Comitis sorore nuptias contraxisse. At illi diuortium inter eos factum aiunt. nec multo post de Bothuelij vxoris morte nuncius affertur. Quare Bothuelius occasione vtendum ratus, quum procerum in suas cum regina nuptias consensum scripto consignari, & sigillis ipsorum confirmari curasset, reginam Sterlino, vbi filium inuiserat, redeuntem intercipit, & Dumbarum abductæ, procerum illud scriptum de nuptijs exhibet, rogans vt & ipsa assentiretur, nec sua tergiuersatione nouis turbis occasionem daret. His circumuenta difficultatibus regina, & ab omnibus deserta, quamuis ægre, tandem tamen assensit, præsertim quum ita in Bothuelij se esse potestate intelligeret, vt euadere inde nullo modo posset. Morauius ac socij quamprimum de Bothuelij cum regina matrimonio nuncium acceperunt, arma statim arripiunt, Bothuelium diuulgatis scriptis regiæ cædis insimulatum persequi, ac reginam liberare se velle prætexentes. Duncalmo inde Bortuicum profecti, & reginam & Bothuelium in potestatem redigere tentant; qui tamen Dumbarum inde, mutatis vestibus, euaserunt. Eo variis ex locis multis confluentibus, regina breui iustum fere exercitum confecit, & inde Carberillum duxit. Ibi à rebellibus quidam missus reginæ exposuit, arma ea non contra reginam, sed Bothuelium sumta: à quo si caussam suam segregare vellet, facile ei cum Nobilitate conuenturum. Sic ergo regina vt pacis se cupidam ostenderet, Bothuelium à se discedere iussit, ac totam se rebellium potestati permisit: quod omnium illorum quæ experta illa postea est, malorum caussa fuit & origo. Edimburgum enim regni metropolin ac regum sedem velut in triumphum ducta, dici vix potest quantas contumelias perpessa sit. Erat in vexillo quodam militari depictus Henricus rex mortuus, & iuxta filius infans, vindictam parricidij à Deo exposcens? cuius quidem quum alij scriptores hæretici, tum Buchananus inprimis in rerum Scoticarum Historia, reginam insimulare non verentur. In An-

glia etiam libellus prodijt, à Joanne Onintedo Londini Anno M.DLXXXVII. excusus, titulo Apologiæ pro iusta sententia contra Mariam Scotiæ reginam lata, eadem calumnia plenus, quum nulla pagina sit, quin mariti cædem a regina designatam inculcet. Omnes vero quibus auctor illius utitur probationes ex Buchanani Historia desumptæ sunt: quo ego vel insaniorem hæreticum, vel mendaciorem historicum, vel vaniorem atque impudentiorem hominem in toto orbe vix reperiri puto. Verum quia atrox admodum hæc est calumnia age paucis eam refutabimus, & idoneos testes producemus.

Ac primum quidem, Alexandrum Haium, Notarium, qui hunc de cæde regis contractum scripto consignavit. Tum ipsius Moravij confessionem Heresio factam, quum ea de re Eboraci ab Anglis interrogaretur. Sed & idem alibi dum fluvium quendam inter Edimburgum & Fermelinodunum traijceret, eum fassum esse constat Proxima post parricidium die Robertus Durius ab Archiepiscopo Glascuensi, reginæ apud Galliæ regem Oratore missus, reginam monuit, Hugonotis in Gallia intellectum, atrocem contra regni primates agitari proditionem Edicta etiam contra Bothuelium à coniuratis publicata, & summa in eo capiendo negligentia, reginam numquam cogitati facinoris ab invidis & malevolis insimulari facile evincunt. Omnes tum Bothuelium ad iudicium poscere, nec tamen quisquam, regina iam in potestatem redacta, de eo comprehendendo laborare, quin etiam ultro in regno commorandi facultatem connivendo dare. Atqui si solus is regiæ cædis reus fuisset, facile comprehendi poterat. Sed metuebant illi, ne Bothuelius captus socios proderet. Ut ergo fugiendi necessitatem quasi ei imponerent, Nobiles quosdam & Bothuelij ministros quæstioni subjectos, eò potissimum adigere conati sunt, ut reginam cædis conscium esse fatercntur. At tantum abest ut quidquam illi de regina fassi sint, ut etiam ultro Moravium, Mortonium & Lindensium, qui matrimonij inter reginam & Bothuelium tabulis subscripserant, nominarint, inprimis vero Archibaldum Duglassium, Mortonio proxima cognatione iunctum: quod & litteræ ab eodem ad reginam scriptæ (quarum autographon penes eos proceres est qui in Galliam postea profugerunt) aperte testantur. Bothuelius interim territus, in Daniam se recepit: ubi à Scotis mercatoribus agnitus, & eorum suggestione in custodiam datus, omnia humanitatis officia à rege expertus est, quibus tamen uti noluit, ac tandem exacto decennio, vitam clausit, excusata prius diligenter de Darlæi cæde cuius ipse auctorem se fatebatur, regina, omnibusque conscijs præsente Episcopo quodam & alijs, nominatis: adque postea ipse Rex Daniæ quum ad alios Principes, tum inprimis ad Elisaberham Angliæ reginam diligenter perscripsit.

Sed ut eò unde digressi sumus redeamus, postquam Maria regina ultro, in subditorum manus sese tradidit, non quidem in regiam arcem Edimburgi (quæ statim ablata indè aliò regni corona, directa fuerat) sed in custodiam, ac post tridie equo imposita, & vili admodum vestitu induta, & per ora vulgi traducta, ad lacum Lævinum inde deducta fuit. Ibi varijs deliberationibus habitis, nonnulli censebant in lecto strangulandam esse, actumorem spargendum quod mortem sibi ipsa conscivisset, Sed hoc consilium alijs nimis crudele videbatur. Moravius tum in Gallia erat, & in sermone cum Guisijs de ijs quæ in Scotia accidissent habito, magnum quem inde caperet dolorem præ se ferebat, interim vero Scotiæ proceres ad cædem reginæ hortabatur, qua viva in patriam redire nollet. Quo minus vero capitalis tum in Mariam sententia lata fuerit, Angliæ regina præcipue obstitit, quæ iure prius agendum, ac Mariam regia dignitate privandam censebat, ne de Regina sumptum à subditis supplicium dici posset: misso ad eam Nicolao Trogmortono, cum literis quibus dolorem suum quem ex adversa ipsius caperet fortuna, testabatur; & quia inimici è medio eam tollere decreuissent, nisi regno cederet, idque in filium puerum transferret, monebat, vt eorum voluntati se accommodaret, quum præsertim quidquid hac in re faceret, nullam vim esset habiturum, vtpote ab inuita per vim extortum. Sic regina à Lindesio potissimum mortem ipsi minante, coacta, regno se abdicat, tabulisque eade re confectis, nondum tamen ab ipsa lectis, subscribit; prius tamen vi se coactam protestata: cum quibus Lindesius Sterlinum profectus, reliquos suæ factionis proceres ad Iacobum VI regno inaugurandum euocat. Eodem tempore Ioannes Hamiltonius Episcopus Santandreanus, regni Primas, & ipse indictis comitijs, cum regina amicis de ea liberanda deliberat. Dum hæc ita geruntur,

tur, Moranius è Gallia redit, vt & comitijs & regis coronationi interesset. Iis comitijs ex ordine Ecclesiastico interfuerunt Adamus Orcadensium Episcopus, à rerum Scoticarum Scriptoribus necromantiæ & veneficij infamia aspersus, & Abbates nonnulli Moravio cognatione iuncti. His acriter se opposuerunt dictus Santandreanus Episcopus, Argathelix & Huntilæ Comites, itemque Heresius. Sed nihilominus illi cœpta consilia persequuti sunt. Moranius tamen, qui regnum ipse affectabat, conatu suo frustratus est.

VI. Hic quidem tum erat Reipublicæ in Scotia status: nec melior, immo multo deterior erat religionis status. Leslius Rosiensis Episcopus, in Commentarijs suis rerum Scoticarum ait, Anno M D L I X. antequam regina è Gallia appulisset, synodum in Scotia fuisse habitam, vt tot exortis in religione turbis remedium quæreretur. Vix dum in regnum venerat Maria, quum proceres quidam supplicem libellum multis erroribus & calumnijs refertum (Primos vocant Reformationis articulos) ei obtulerunt, quo petebant, vt diuinus cultus vulgari lingua perageretur, vtque populo Episcopos & Pastores eligendi fieret potestas: multaque alia extorquere conabantur, quæ tamen regina non modo facere recusauit, verum etiam Cnoxium & alios duos seditiosos concionatores, qui ad Lindesij & aliorum patrocinia confugerant ad dicendam caussam adesse iussit, qui omnes fere se subduxerunt. Ac licet proceres nonnulli hæreticæ factionis pro eis intercederent; regina tamen aperte protestata est, effecturam se vt istorum exemplo territi alij saniora consilia sequantur, & à regno perturbando desistant. Nec mora. Vastantur cœnobia, templa spoliantur, diripiuntur bona Ecclesiastica: inprimis Carthusianorum, Carmelitarum & Franciscanorum monasteria solo æquantur. Religiosi, qui barbarorum hominum manus ægre euaserant, ad reginæ pedes prouoluti, iustitiam implorant. Sed frustra: Moravio rebellibus se adiungente, & cum exercitu Edimburgum versus contendente. Etsi vero regina primarios ciues & vrbanum magistratum summopere rogarat, ne rebelles admitterent, statim tamen à tumultuante plebe Moravius admissus & in vrbem receptus fuit. Quare regina inde celeriter Dumbarum se recepit: quo non multo post de vastatis ab hæreticis templis & direptis regijs thesauris rumor fuit perlatus. Alanus scribit, Episcopos ab hæreticis ædibus suis eiectos, omnibusque bonis exutos: ab ijsdem deiectas & confractas sacras imagines, & hostiam Eucharisticam furcæ affixam, ac tormentorum ictibus petitam fuisse. Nec minus cum priuatis Catholicis actum, quorum bona militi in stipendium fuerunt assignata. Multa tum crudelissime patrata: sed illud inprimis, quod impij homines seni cuidam sacerdoti multis ictibus confixo, etiamnum spiranti ac videnti carnis particulas è corpore exsciderunt, easque hamis affixas piscibus pro esca obiecerunt: & hominem ita horrendis modis excarnificarunt, donec tandem spiritum Deo reddidit.

Horum tumultuum & turbarum præcipui actores erant Paullus Methem pistor quidam, & supradictus ille Cnoxius: quorum hic quidem Maria in Anglia regnante, Geneuæ Caluino operam dederat, eiusque dogmata imbiberat. Abeodem tum liber scriptus fuit & editus, quo Anglos ad Mariæ cædem exstimulabat. Hæreticus hic apostata, abiecto cucullo, vna vxore non contentus etiam paternum thorum commaculauit, incestu cum nouerca commisso: quam ob caussam etiam in Angliam profugere coactus fuit. Vnde postea reuersus, tres puellas secum circumduxit: quibus & mox quartã addidit, nobili genere prognatam, & philtro seu veneficio ab ipso incantatam. Erasmus quodam loco ait, Monachum sibi notum esse, qui pro vna tres vxores duxerit; itemque sacerdotem quendam, ceteroqui hominem non malum, qui feminam adulterio ante ab ipso corruptam matrimonio sibi iunxerit. Ex horum apostatarum numero Buchananus quoque fuit, & ipse è monasterio profugus, qui complures seduxit & perdidit.

Porro Scotorum religio à Caluinismo Anglorum multis in rebus discrepat. Nullos dies festos Scoti celebrant: eoque ab Anglis ridentur, dicentibus, Scotos continue laborare, Anglis tamen multo esse pauperiores. Quum Lamotta Fenelonius Christianissimi regis Legatus in Scotia ageret, non solum pro tanti regis dignitate parum honorifice fuit habitus, quod regina captiua, rex vero in rebellium esset potestate, periculum etiam adijt, seditiosis quibusdam clamantibus, non ferendum esse eum qui Antichristi insignia, Crucem scilicet, Equestris Ordinis S. Spiritus in Gallia insigne, publice ferret: adeo vt prætor Edimburgensis ad arcendã iniuriam ædes

in quibus Legatus versabatur, nocturno præsidio firmare coactus fuerit. Hac legatione effectum est, vt Iacobus VI. confirmato cum Gallicarum rege fœdere, in libertatem se vindicarit, & præcipuos turbarum auctores, Angusiæ & Goreæ Comites, capitis supplicio affici iusserit. Totum tum regnum ab Elisabethæ Anglorum reginæ nutu dependebat: quæ in omni vita id semper egit, vt vicinis dominaretur, & manum ad consilia sua exsequenda, promtam semper atque armatam haberet. Et vero semper tyrannicum est & crudele feminarum imperium. Quum Calero ab Hispanis capto Angliæ regina Legatis missis, Henrico IV regi Christianissimo auxilia offerret, ac nonnulli de eius crudelitate, in primis ea quam in Scotiæ reginam exercuisset, conquererentur, Rex, Frustra, vos, inquit, causas inuestigatis cur Elisabetha Mariam reginam e medio sustulerit, siquidem nulla vmquam femina regnauit, cuius non insignis notetur cruderitas. Idem quum Elisabetha pro sumptibus quos in auxilia regi mittenda factura esset, Galetum tradi sibi pro pignore cuperet, præter morem suum iurans, Legato his verbis respondit: *Alles, dite à vostre Maistresse que i' aimerois mieux auoir receu vn grand souflet du Roy d' Espagne, que d' elle vn chiquenaude.* Id est: Ite, & dicite Dominæ vestræ, malle me ingentem alapam ab Hispaniarum rege accipere quam ab ipsa talitrum. Quamuis autem in temporalibus rebus rerum Scoticorum arbitrium penes Elisabetham esset, in spiritualibus tamen supremam, vti in Anglia auctoritatem sibi numquam potuit comparare. Ac licet multos Principum ac procerum, vt & Ministrorum sibi haberet obsequentes, adeo vt ad eius præscriptum tam rempublicam quam sermones ad populum moderarentur: numquam tamen eandem quam in Anglia religionis formam introducere potuit; vt ex sequentibus facile patebit.

In Scotia vix integrum templum multo minus imaginem aut alia ornamenta in ijs reperias; forma religionis iam olim à Cnoxio ad Caluini & Bezæ præscriptum redacta. Episcopi tamen & nomen & prouentus aliquamdiu retinuerunt, donec abhinc duodecim circiter annis reliquis Ministris petentibus tam dignitatis quam reditum æquabras introducta fuit, frustra renitente Iacobo VI. rege, vt pristini splendoris vmbram aliquam in Ecclesia retineret. Episcopi quidam hanc imminutionem indigne ferentes, in Angliam se receperunt. Nobilitas vero quod Ministrorum prædæ superfuit, inuolauit; vtque possidere ea tuto sibi liceret Ordinum (è quibus multi quoque prædæ erant participes) consensum & confirmationem impetrauit. Psalmos Scoti decantant, in vernaculam linguam à Quilpatro quodam Curione, miro Calendariorum conficiendorum artifice, translatos. Quo vero melius intelligatur, quantum Caluinistica Scotorum irreligiosa religio ab ea quæ apud Gallos vsitatur discrepet, singularia quædam illius ex Nobilis Scoti, qui ad nos ob religionem confugit ore excepta breuiter hic indicabo. Baptismum itidem vt apud nos Galli Caluinistæ administrant; nisi quod infantes in suggestum ad Ministrum deferuntur. Matrimonia nullo ritu peraguntur; ac ne annulis quidem subarrhantur. Ieiunia celebrant ijs quæ apud Catholicos sunt plane contraria; quum plerique diebus Dominicis vsque ad vesperam à cibis abstineant, & quando alij Dominicæ Resurrectionis memoriam cum gaudio recolunt, austeritatem victus sibi indicunt. Immo illum ipsum diem quo Cœnam suam celebrant, ieiunantes transigunt, quasi ob peccatum, quod scilicet buccellam pani illius sui Eucharistici deuorarint, pœnam sibi infligentes. Cœnam quando celebrant, primus panis buccellam vicino, inde alij alijs ordine porrigunt. Deinde poculum ad summum plenum circumfertur, atque ex eo magnis haustibus potatur. Mortui sine vlla pompa, cantu aut exsequijs sepeliuntur nisi quod in quibusdam locis campanula funeri præfertur, eaque signum datur. Baronum tamen ac Nobilium funeribus gentilia insignia præferuntur. In adulterijs puniendis miram ac plane ab ea quæ in Gallijs vsurpatur discrepantem rationem ac disciplinam sequuntur: quæ pœna etiam ijs qui Missæ interfuerunt constituta est. Siue vir siue vxor adulterij conuicti, in publica concione loco omnium oculis expositi non procul à suggestu vnde Minister concionē habet, tribus diebus Dominicis collocantur. Ibi nomine & cognomine à Ministro rogantur, quā ob caussam in eum locū sint producti. Tum illi culpam suam fatentur, & delictum narrant, veniamq; ab auditoribus circumstantibus petunt: quæ etiam non grauate ipsis conceditur. Circa hoc aliquando ridiculum quid accidit. In oppido quodam regi ad concionem venturo pegma fuerat apparatum,

tum. Dum regis exspectatur aduentus, iuuencula adulterij accusata à Ministris iubetur in locum ad id destinatum ascendere. Illa pudoris & confusionis plena, dum huc illuc circumspicit, in locum regi præparatum ascendit, atque inde populo se ostentat, non sine multorum risu. Vbi hac pœna adulterium à Consistorio est vindicatum, ciuilis quoque magistratus à reis pœnas sumit. Qui Missæ interfuisse conuictus fuerit, vili lacerna indutus (adulteris alba interula injicitur) ad fores templi consistere iubetur interea dum Minister preces recitat, quibus finitis, ad concionem audiendam intromittitur, & certo loco consistens, omnium oculis exponitur. Inde vbi finita concione rursus ad preces venitur, ille templo vt ante exigitur, & ad fores stare iubetur. Et hæc quidem pœna pro Ministri arbitrio, sex mensibus fere continuatur. Ecce tibi pulcram illam ridiculæ Deformationis ideam. Quis non tam mirabilis ac miserabilis Reformationis auctores rideat? qui nihil rectum putant nisi quod ipsi faciunt, nihil probant nisi quod ex ipsorum officina fuerit profectum. O Babylonicæ turris ædificatores, qui tam misere Dei Ecclesiam deformastis, quid aliud exspectatis quum vt propediem funditus opus vestrum destruatur?

Me miserum! post tot cades, tot funera, totum
Vsque adeo varijs sectarum erroribus orbem
Distrahier, passimque seri fera semina belli?
Sed quando in fatis fuit hoc, age mente feramus
Æqua, & speremus tandem meliora futura.

DE MARIA SCOTIÆ REGINA, Quæ in Angliam fugit, ibique ab Elisabetha in custodiam datur. Dux Norfolciæ Morauij artibus euersus, supplicio afficitur: tandem & ipse Morauius trucidatur.

CAPVT XVII.

ARGUMENTUM.

I. *Iacobus VI. Scotia rex coronatur.*
II. *Regina è custodia euadit.*
III. *Elisabetha promissis confisa, in Angliam se recipit.*
IV. *Inter eam & Ducem Norfolciæ de matrimonio tractatur, cum huius exitio.*
V. *Mors Comitis Morauiæ, nothi, Reginæ fratris.*
VI. *Reginæ sibi mutuo reconciliantur.*

I. TEmpus iam est vt in theatrum hoc nostrum res diuersissimas, felicitatem & infortunium, clementiam & crudelitatem, vitam & mortem bonum & malum producam. Et quemadmodum vna eademque catena & captiuum & custodem alligat: sic res plane inter se contrariæ, hoc loco à nobis sub vnum aspectum repræsentabuntur; & clarissimæ reginæ libertas & captiuitas vnis ijsdemque vinculis adstricta cernetur. Videbis hic eandem è custodia elapsam, & ex inimicorum manibus liberatam, mox in crudeliores hostes incidere, & ab ijs à quibus salutem quærebat, misere perdi atque occidi, ô insignem proditionem! Siccine, ô Elisabetha, brachium periclitanti cognatæ porrigis, vt mox in præsentissimum exitium eam detrudas? siccine omnia amicitiæ & beneuolentiæ signa das, vt proditionem celes? siccine oppida & regnum tuum subditorum crudelitatem fugienti pro asylo offers, vt in mortis naßam tanto facilius pertrahas? Recte Sophocles:

Humana si consideret, dubio procul.
Plura mala semper quam bona occurrent tibi.

O crudelem illam securim qua regius sanguis fusus, & candida illa ceruix abscissa est: cuius aciem Elisabetha dulci promissorum melle tam fraudulenter texit. Hinc Gallicus ille Poeta non sine caussa exclamat:

Hei mihi! qua pauidam subit admiratio mentem
Narrantem quoties Gallum de cæde Scotorum
Audio regina. Tunc inquam: ô si Angla Maria
Æmula virtutes imitari Isabella studeret,
Vna duos soles nunc illa quidem insula haberet,
Qua nunc sauitia insolita vestigia pandit.

At vterque hic sol ingentem passus est eclipsin, ille quidem proditionis infamia, hic indigna cæde obscuratus. Verumenimvero quemadmodum sol & reliqua astra cœlestia medias inter nubes multo maiora & lucidiora videntur: sic pulcher-

rima hæc fit, illa in infinitis pæne calamitatibus & miserijs multo præclarius illuxit. Erat vero regina hæc cœlitus tantis ornata virtutibus & tam corporis quam animi dotibus, vt credibile sit, Elisabetham ideo eam conspicere noluisse (neque enim vnquam in conspectum ipsius venit) ne pietate & misericordia erga eam commoueretur: quum antea nemo vnquam tantæ inhumanitatis inuentus fuerit, qui visam non adamarit atque admiratus sit. Sed ad puerum eius filium redeamus, qui IV. Calendas Augusti Anno M.D. LXVII. quum vix tertium ætatis annum explesset, solitis cæremonijs regno inauguratus fuit. Iurarunt proceres inter alios Iacobus Duglasius Mortonij Comes, & Alexander Humius. Morauio vero, licet dissentientibus non paucis proceribus, Proregis munus fuit demandatum: & sic ouile lupo commissum. Hamiltonij in primis ægre ferebant, paucos eosque non potentissimos, sine suo, quod nunquam exspectauerant, assensu, rerum arbitrium ad se reuocare, & rem tantam priuatis Consilijs peragere ac præcipitare. Quum ergo nobilitatem circuissent, rapsos præter eos qui primi conuenerant, in suam sententiam pertraxerunt: quod plerique spectatores potius quam actores rerum haberi vellent. Ita ergo publica causa priuatis rationibus posthabita, regia potestas in Morauium translata est: qui mox eos sibi homines in Consilium & publicæ rei administrationem adsciuit, quos rebus suis commodos existimabat. Quis vero deinceps in Scotia quum reipublicæ tum Catholicæ inprimis religionis status fuerit, facile est cuique cogitare. Neque enim quidquam aliud Morauius, penes quem summa rerum omnium erat potestas, spectabat quam vt tam Catholicam religionem quam omnes ipsi addictos, promiscue exscinderet atque exstirparet. Circa regis coronationem quum aliæ difficultates, tum, illa inciderat, cuius regis inaugurandi munus esset. Coronandi regis partes Cnoxius apostata, tamquam primarius Ecclesiæ Minister, sibi vindicabat, inprimis vero illud vrgebat, Regem nequaquam oleo sacro, quo Catholici antea reges, inungendum esse: quum id meram & detestabilem superstitionem saperet. At reliqui hæretici contendebant, antiquis illis ceremonijs nihil derogandum esse: ne alij occasionem inde arriperent regis non agnoscendi. Ea difficultas restabat, quum consecrandi regis munus ad minimum Episcopo debebatur, vnde ille quæreretur. Inuentum tandem est Orcadensium Episcopus, qui omnes ceremonias, excepto Missæ sacrificio, celebrauit. Et hæc quidem Anno M D LXVII. die XXIX. Iulij facta sunt, quadragesimo quinto post reginæ captiuitatem die. Rege coronato, Morauius rogatur vt pupilli tutelam susciperet, quod licet ille vnice ambiret, recusare tamen se simulabat: & ad reginam quæ in lacu Læuino asseruabatur, profectus, diligenter sese excusabat omnem ei fidem & obsequium pollicitus. Reginæ instanti vt ab ipsius & patriæ proditoribus Consilia segregaret, ac de ipsa liberanda potius cogitaret, illud in sua potestate non esse respondit. Proiecto deinde vlterius sermone, multa virulenta contra reginam effudit, adeoque protestatus est, se in ipsa euertenda nihil diligentiæ omissurum. Sic inde Edimburgum profectus, XXIV. Augusti Anno M D LXVII. Morauius prorex & pupilli tutor fuit electus: Vix munus illud ingressus statim Catholicam religionem profligauit, & è Senatu eos qui reginæ fauebant eiecit; & Ecclesiam quasi funditus in toto regno euertit. Quemadmodum Mæander per obliquos flexus decurrens, vbi vicina litora arrosit, tandem in suum alueum redit: sic hæresis castissimum Ecclesiæ thorum varijs sectis commaculans, tandem, Deo sic disponente, vbi iam omnia occupasse videtur, in nihilum rediura est: idque etiam in Scotia aliquando fore, minime est desperandum. Quatuor rege puero potissimum decreta facta sunt: quorum primo Catholica religio omnino fuit profligata: secundo Caluinismus receptus & stabilitus, & in eos qui susciperc nouam religionem recusarent crudelia supplicia statuta sunt: tertio, omnia ea quæ facta fuerant tamquam iuste & legitime facta, rata esse iussa sunt: quarto vt Dumbarum, arx Scotiæ limitanea, vti Morauius Angliæ reginæ promiserat, solo æquaretur. Interea vero dum hæc fiunt, regina in lacu Læuino stricte asseruabatur, omni papyri, ne ad alios scribere posset, immo ipsius quoque luminis vsu priuata.

II. In hac tamen indignissima fortuna singularem illa animi magnitudinem præ se ferebat. Tandem Georgius Duglassius, frater eius in cuius potestate arx erat, adolescentem quendam ex arcis ministerio sibi deuinxit, cumque eo reginæ liberandæ

liberandæ consilium suscepit. Quum ergo die quodam Comes nescio quis in arce magnificum epulum celebraret, vtque regina ei quoque interesse vellet, rogasset, illa morbum simulans se excusat. Interim omnibus vino in hilaritatem solutis, Gulielmus (id adolescenti nomen) claues arcis præfecto furtim aufert, & reginam vt ad fugam se pararet monet; quæ assumto virili habitu, per medium cœnaculum vbi potabatur, ac deinde per quatuor arcis portas ac stationes transgressa, euasit. Transeuntem quidam è satellitio diligenter notarat: & quia vtrum regina esset dubitabat, Gulielmum statim quæsiuit; sed is statim ac cum regina per vnam portam transierat, eam clausit, sic vt persequendi eos nulla esset facultas. Reginæ fuga comperta, quædam ęgynæceo Ioanna Queneda nomine, per fenestram desiliens, eam sequuta est. Vix triginta passus progressi, tota arce tumultuari audiunt, custodibus reginam fugisse clamantibus: quumque ablatis clauibus sequi non possent, per fenestram reginæ fugam prospectabant: ad quam excipiendam Georgius Duglassius cum equitibus aliquot ad lacus ripam exspectabat. Hac de re certior factus Morauius, quantas potuit copias repente contraxit. Eius factioni fauebant Glamesij, Kircadij, Ogilrij, Semplij, Ruueni, Lindesij, Mortonij, Marriæ & Glencarniæ Comites, & vniuersa Duglassiorum familia. A reginæ partibus stabant præter totam Hamiltoniorum familiam, Rothusiæ Comites, Cambelli, Leuinstoni, Setonij, Flaminij, Brussij, Heresij, Baiferij, alijque. Huntilæ Comes & Ogilurus etsi & ipsi ad auxiliandum reginæ copias contraxerant, ad eam tamen venire non potuerunt. Et hic quidem postea ob Catholicam religionem in Galliam se recepit, ac Burdigalæ domicilium fixit, vbi multa quæ ad harum rerum notitiam pertinent, ab eo sum exploratus. Catholicorum Consilium erat regina Britannoduni, quæ inexpugnabilis arx est, relicta, fortunam belli tentare: sed Morauius per exploratorem edoctus, cum exercitu quem habebat, Landsidum petijt, atque ita reginæ iter impediuit. Ibi vtrimque infestis armis concursum est; sed victoria tandem ad Morauium inclinauit. Scribunt nonnulli, eius qui primam in reginæ exercitu aciem ducebat, morbum in ipso pugnæ initio simulantis proditione id factum: alij caduco morbo siue epilepsia correptum eum dicunt. Quidquid fuerit, tanta certe pertinácia & contentione pugnatum est, vt quibus hastæ prælongæ fractæ erant, pugiunculos, lapides, lancearum fragmenta, denique quidquid ad manum erat, in ora hostium aduersa iacerent. Ex sola Hamiltoniorum familia septem & quinquaginta desiderati, & viginti ac septem capti sunt: vnde reliquorum numerus facile conijci potest Regina, quæ ipsa aduersum pugnæ exitum spectauerat, cum equitibus suæ partis, qui integri ex acie redierant, versus Angliam iter intendit. Quum extra periculum iam esset, cum suis consultauit, quonam potissimum sibi confugiendum esset. Suadebant nonnulli vt in Belgium ad Ducem Albanum, alij vt in Galliam, amicam regionem trajiceret: sed neutrum horum facile erat in tanta omnium ad id necessariarum rerum inopia. Includere se Catholici alicuius Principis arci periculosum itidem videbatur; ne obsessa, vi inde extraheretur. Quare in Angliam secedere ipsi visum est, ad quam multa alia inuitabant, sed inprimis quod tesseram amicitiæ & hospitij, quam Angli *Token* appellant, ab Elisabetha missam secum haberet; adeoque in omnibus quas ad eam in custodia dederat litteris, promisisset, si venire in Angliam Maria vellet, se ad regni vsque limites ei obuiam profecturam, ac secum deducturam. Quod si ab Elisabetha nulla impetraret auxilia quibus in regnum restitueretur, putabat tamen abitum in Galliam neq; aquam sibi ab ea negatum iri. Sed & coram de cæde Darlæi mariti, Elisabethæ cognati, purgare se cupiebat, nec dubitabat quin Elisabetham, comperta sua innocentia æquiorem esse habitura. Cui tamen Consilio Ioannes Hamiltonius Santandreanus Archiepiscopus, homo magnæ prudentiæ, vehementer reclamauit, certam & incuitabilem ruinam reginæ prædicens.

Sic ait illachrymans: verum hæc dum mente volutant,
Extimuere senes, gemitusque dedere profundos.

Et hoc quidem Maria ipsa Lamottæ Fenelonio Christianissimi regis, ad eam Legato, quum Elisabethæ permissu, in Anglia, domum reuertens, cum ea colloqueretur, non sine lachrymis narrauit. Anglicani Hollingsedi cuiusdam Annales, ad

ad excusandam Elisabethæ crudelitatem compositi, dicunt, Mariam non vltro & sponte, sed vi & necessitate coactam in Angliam venisse, vt quæ subditorum armis premeretur, adeoque ad supplicium quæreretur: nec post aduersum prœlium vllum tutum locum haberet, donec Ouerkingtonum, qui Angliæ in parte Occidentali portus est, appulisset. At falsum id esse multis conuinci potest: quum vel in Belgium vel in Galliam traijciendi Maria adhuc potestatem haberet. Omitto alia quæ ibidem habentur. Sed nihil puridius est, quam quod miseram exulem Angliæ coronam affectasse scribunt. Scilicet quæ suam tueri non poterat, & quæ vnius spurij conatibus inter suos obsistere non poterat, in alieno regno, adeoque in ipso carcere cœlum terræ miscebit? In eadem Apologia multa, sed valde sinistre adducuntur eorum Regum ac Principum exempla, qui ab alijs morte sunt affecti. Nemo enim horum proditione hac in re vsus est. Et huius quidem perfidiæ exempla Hamiltonius à maioribus repetebat. Iacobum I. Scotiæ regem dum per Angliam in Galliam contendit, Flamburgi ab Anglis duodeviginti annis detentum, nec prius nisi graui persoluto lytro, dimissum. Macolmum IV. ab Henrico II. ad præstandum de Northumbriæ Ducatu homagium euocatum, vnà cum fratre Gulielmo Anglorum castra in Galliam sequi coactum. Ducem Albinum Iacobi III. fratrem ab Anglis piratis captum, ægre deceptis custodibus euasisse. Quibus omnibus exemplis hoc vnum tamquam multo illustrissimum addi potest.

III. Quum nihilominus Maria in Angliam ire constituisset, Archiepiscopus frustra se obniti videns, Consilij sui, quod regina aspernaretur, publicum testimonium sibi dari voluit. Sic ergo præmissis ad Elisabetham Flaminio & Heresio, Londinum versus iter ingreditur. Verum ab Elisabetha, obuiam ei misso Francisco Cnollio satellitij præfecto, Carleoli subsistere iubetur; statimque custodes apponuntur. Color quæsitus, eo fine id factum, ne Maria in rebellium subditorum manus incideret. Atqui ô boni, quænam illa est securitatis aut præsidij ratio, qua quis eò traditur quò ab inimicis vnice fuerat expetitus? Atqui si hoc timebatur, cur non Elisabetha statim exercitum misit, & subditorum repressa rebellione, Mariam in regnum restituit? Sed aliud Mariæ intendebatur: quæ à Scrupo limitaneo Præfecto Carleolo Bortonum Elisabethæ iussu deducta fuit.

Morauius interea proregem se ferens, omniumque rerum arbitrium sibi vindicans, indictis comitijs proceres qui reginæ caussæ fauebant, citari iubet, & læsæ Maiestatis damnatorum bona fisco addicit: nonnullorum etiam arces cepit & præsidijs occupauit, alias quoque diruit. Eius conatibus Huntilææ, Crafordiæ, Argatheliæ, Cassilissæ & Eglintoniæ Comites, vna cum Hamiltonijs & alijs proceribus se opposuerunt, iusto fere confecto exercitu. Quo territus Morauius ab Elisabetha auxilia petijt: quæ ad Mariam reginam statim scripsit, vt suos ab armis, quibus salus ipsius procul dubio extreme esset periclitatura, reuocaret: quod si faceret, omne se in recuperando regno auxilium ipsi præstituram. Sic ergo Mariæ reginæ iussu Catholici ab armis discedunt, postquam Morauius promisit se nihil nisi ex comitiorum præscripto acturum: quod tamen ille minime seruauit. Mense Septembri conuentus celebratus est, cui reginæ nomine interfuerunt Ioannes Lessius Rossiensis Episcopus, Gilbertus Brunus, Bodius, Heresius, Galuinus Hamiltonius, Ioannes Gordonius, Iacobus Cocburnus: ab hæreticis adfuerunt Orcadum Episcopus, Robertus Petcarnius, Mortonius, Lindesius, Iacobus Macgillius, Robertus Duglassius, Henricus Balnauius, & Georgius Buchananus. Ab Angliæ regina missi sunt Thomas Hauartus Norfolciæ Dux, Comes Sussexiæ, Rudolphus Sadlerius, & alij nonnulli. In hoc conuentu quum post longam de mandatis disputationem, nihil omino esset decretum, Elisabetha omnium rerum ad se reuocato arbitrio, iudicis partes sibi vindicauit. Maria ad dicendam coram deputatis illis caussam euocata suos misit quidem, priustamen protestata se neque illorum neque Elisabethæ iurisdictioni subesse: ideoque id nec sibi nec posteris aut regno fraudi esse debere. Ibi de cæde mariti obiecta per legatos suos ita se purgauit, vt aduersariorum calumnia non sine ipsorum ignominia facile appareret. Quare Elisabethæ Commissarij non solum omnia diligenter in acta retulerunt, verum etiam Elisabethæ fideliter narrarunt, certo persuasi, Mariam extra culpam, aduersarios vero parricidij reos esse. Elisabetha vero vt captiua sibi elaberetur minime concessura, Morauiũ, Mortonium, Lindesium & reliquos grauiter increpat, quod segniter in caussa hac-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nus versuti essent quam si persequi non cessarent ad optatum finem ipsa perductura esset. Primum ergo Buchananus rebellium rogatu famosum contra reginam libellum conscribit. Reginam quippe oderat, quod ab ejus patre Jacobo V. ob Lutheranismum (unde postea ad Calvinismum, & tandem ad atheismum devenit) regno fuerat ejectus. Idem deinde rerum Scoticarum Historiam ita corrupit, ac tot calumniis & mendaciis refersit, ut hodieque liber iste toto regno sit interdictus. Cupide nihilominus illum Angli acceperunt, ac statim per Galliam, Germaniam, & alias regiones magno numero distribuerunt. Ad obiecta quidem Mariæ Legatis facile erat respondere, sed moniti, Elisabetham id unice agere ut Maria vel innocens rea perageretur, rogarunt ut præsenti adversariis respondendi fieret potestas. At rebelles nihil minus fieri cupiebant, quam ut præsens regina audiretur interim Elisabethæ animum odiis ac suspicionibus accendere non cessabant. Quum ergo judicium protelaretur, nec Maria ad respondendum admitteretur, præcipui Angliæ procerum adversarios ea quam reginæ intentabant pœna afficiendos esse non obscure murmurabant.

IV. Moravius ne faba in se cuderetur veritus, ad novas inde proditionis artes se convertit. Quare Norfolciæ Ducem adit, & Mariæ reginæ matrimonium ostentat, à quo non dubitaret quin nec ipsa, nec universus Scotorum populus abhorreret. Et hæc quidem inter vicinos populos pacis conficiendæ ratio commodissima videbatur: sed mox in Norfolcii exitium vertit. Moravius accepta non mediocri à Norfolcio pecuniæ summa, ac libro comeatu, tum reginæ etiam litteris, quibus illa suos ab actionibus contra Moravium in Scotia institutis desistere jusserat, antequam discederet, rem omnem Elisabethæ exponit, & quanto id cum ipsius periculo futurum sit ostendit, neque enim dubium esse, quin Norfolcius homo potens & ambitiosus, tam Angliæ quam Scotiæ regem facere se conaturus sit. Illa Moravium quieto animo esse jubet. Norfolcii ambitionem propediem se repressuram. Quo minus vero etiam reginam Mariam evertat, Galliæ regem sibi obstare, cujus inimicitiam merito reformidet. Inter Elisabetham & Moravium convenerat, ut Scotiæ regnum inter ipsos divideretur: utque Moravius regem puerum in Angliam mitteret, ipse vicissim Mariam in suam acciperet potestatem. Exinde Maria multo arctiori custodia fuit inclusa. In Scotiam reversus Moravius reginæ liberandæ inprimis cupidum se simulat, & convocatæ Nobilitati, matrimonium quod inter Norfolcium & Mariam tractaretur proponit: missō, interim Roberto Melvino, qui de reginæ voluntate certum aliquod testimonium afferret, quo deinde contra ipsam uteretur. Et Norfolcius quidem promissis Moravii deceptus, per litteras eum monuit, ut promissum sibi cum Maria regina matrimonium maturaret: cui ille novis iterum promissis onerato, amice respondit, litteras interim Norfolcii ad Elisabetham misit: quæ hominis jam ante sibi suspecti, ut qui Catholicis non obscure favebat, & capitalem contra Mariam sententiam pronunciare recusaverat, tollendi occasionem amplexa, in turri Londinensi securi percuti jussit, edita ad populum caussa, quod se invita matrimonio cum captiva Scotiæ regina tractasset quum tamen constaret, ejus rei Elisabetham quoque non ignaram fuisse, nec ab eo consilio initio abhorruisse. Sed credibile est diffidentia abreptam, longe alium animum postea induisse.

V. Interea dum Norfolcius in Anglia ad supplicium producitur, in Scotia de Moravii cæde consilia ineuntur. Tardus quidem ad pœnas Deus est, sed tarditatem illam supplicii gravitate compensat. Sic Moravius nihil minus quam se mortalem esse cogitans, & nominis similitudine inflatus (nam & ipsi Jacobo Stuarto nomen erat) pro ipsissimo Scotiæ rege se ferens, immo Angliæ quoque regnum somnians, repente & uno ictu fuit eversus. Is paullo ante in Angliam ad Elisabetham miserat Robertum Petcarnium, Fermelinoduni Abbatem, qui ea quæ Moravius in regni administratione gesserat, à regina approbari ac rata haberi impetraret. Mox ab Elisabetha missus Thomas Randolfus Moravio exposuit, ab Angliæ Parlamento Mariam ob crimen læsæ Majestatis jam capitis damnatam esse: ideo præcipue, quod in Gallia Lotharingorum Principum, capitalium Calvinisticæ religionis inimicorum instinctu, Angliæ insignia usurpasset. Quod quidem nuncium ut Moravio gratum erat, ita sententiæ exsequutionem tamdiu differri, vehementer displicebat. Interea Elisabetha Moravium urgebat, ut ad regni fines sibi præsto esset, & uti convenerat, regem puerum traderet, Mariam vero in suam acciperet potestatem. In eo dum est Moravius, dumque Letha Edimburgum proficiscitur ut puerum inde deduceret: Calvinista quidam Nobilis, Jacobus Hamiltonius nomine, vindicandæ à Moravio acceptæ injuriæ cupidus, eum

in via ex inſidiis, globulo plumbeo paullò infra umbilicum adacto ac prope renes tranſmiſſo, eodemque ictu Georgii Duglaſſi equum, qui ultra eum erat, exanimavit, ac celeriter ſeſe ſubduxit. Moravius percuſſus paucis quibus ſupervixit horis, nullo pœnitentiæ ſigno edito, non invocato divino nomine, ſed multis profuſis blaſphemiis tandem exſpiravit, illa verba paullo ante obitum frequenter repetens: *Ego ex eis mingentem ad parietem non ſupereſſe permittam.* Imminente jam extremo agone, totus in furorem verſus, & horribilibus phantaſmatis, ut qui cum diabolo rem habuiſſe creditur, agitatus, ſæpe exclamavit, *Ice, ice, ice:* qua voce Scoti in ſumma animi perturbatione uti ſolent. Sic vixit, ſic mortuus eſt an. 1571. 27. Jan. miſer ille Moravius; præcipuus quæ toto regno commiſſa ſunt, ſacrilegiorum auctor, & Catholicæ religionis exſtirpator. Mors ejus omnibus Proteſtantibus luctuoſa fuit, & inprimis Anglorum reginæ. Nomen ejus hæretici ſtatim Martyrum Catalogo adſcripſerunt, & magnificum ei tumulum ſive Mauſoleum exſtruxerunt, qui ſepulcra & monumenta majorum tota vita ſua deſtruere ſatagebat. In quo quidem divinam merito agnoſcimus juſtitiam, quæ eum qui reginæ ſuæ necem machinabatur, prius ad exitium pertraxit.

Sic æquum fuerat, qui aliis intendere mortis
Caſſes parabat, prius iiſdem prendier.

VI. Accepto de Moravii morte nuncio, Eliſabetha Suſſexiæ Comitem cum decem circiter armatorum millibus ad limitem miſit, cum Maria regina tranſigere ſe velle ſimulans, his tamen conditionibus, ut illa Angliæ reginam ſuperiorem agnoſceret, & Scotiæ arces ac loca munitiora Anglorum poteſtati permitteret, filium etiam regem & proceres aliquot obſidum loco traderet; tum omnii injuriarum abjecta memoria, exteris federibus renunciaret, & à Catholica religione diſcederet. Quibus quum Maria aſſentiri nec vellet, nec poſſet, hæretici Eliſabethæ animum multo majoribus ſuſpicionibus impleverunt, Mariam non regnum modo affectare, ſed reginæ etiam vitæ inſidiari dictitantes: quibus illa impulſa (neque enim figulus figulo tantum, ut eſt in proverbio, ſed & reges regibus invident) æmulam, uti videbatur, tollere decrevit, ut quæ tantatum virtutum etiam in captiva elucentem omniumque oculos perſtringentem ſplendorem ferre non poſſet. Ad Mariæ calamitates illa quoque tum acceſſit, quod filius ejus Jacobus VI. anno M.D.LXXXII. procerum quorundam & ſubditorum proditione, in cuſtodiam datus fuerat, è qua tamen ille non multo poſt evaſit.

[a] *Eliſabetha cum Maria in gratiam redire ſe velle ſimulat.*

DE PROCESSU AB ANGLIS CONTRA Mariam Scotiæ reginam inſtituto, variiſque artibus, quibus Angliæ legibus eam ſubjicere conati ſunt, tum quomodo eadem ad cauſſam dicendam producta, ac tandem damnata ſit.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

ARGUMENTUM.

I. *Lex ab Eliſabetha lata, unde poſtea ſupplicii de Scotiæ regina ſumendi occaſio ſumta eſt. Babingthoni epiſtola.*
II. *Scotiæ regina arctiori cuſtodiæ mandatur.*
III. *A quadraginta octo viris cauſſa ejus ventilatur.*
IV. *Quibus de rebus interrogata fuerit, & quid ad ſingula reſponderit.*
V. *Ejuſdem de Balardi facto reſponſio ſeu confeſſio.*
VI. *Capitis damnatur. Aliquot ejus ad Galliæ regem & Eliſabetham Angliæ reginam epiſtolæ.*

I. EA eſt rerum humanarũ conditio, [a] ut nihil ſtabile, nihil diuturnum ſub ſole reperiatur, ſed mira ac perpetua viciſſitudine omnia in ſe circũvolvãtur. Cujus nõ minus illuſtre quam luctuoſum exemplũ Mariæ Scotorũ reginæ fortuna nobis exhibet: quam primo in regia dignitate collocatam, mox in acie ac prœlio contra ſuos verſantem, poſtea in lacu Lævino captivam, ac tandem in Angliam fugientem vidimus. Sed ô miram rerum mutationem! Ecce enim dum jam illa omnes tempeſtates effugiſſe videtur, in ipſo portu miſera naufragium facit. Quid profuit è lacus Lævini cuſtodia elapſæ gratulari, ſi poſtea eandem in carcerem multo tetriorem compingi videamus? Nunc illa nobis tantum conſolatio reſtat, quod omnia adverſa æquo animo ferentem & ex alto quaſi deſpicientem, ſic denique humanas res ſupergreſſam prædicare nobis licet, ut nullus ad eam ictus pervenire poſſit.

Eliſabetha quamprimum Mariam in ſua habuit poteſtate, omnia ſua conſilia & cogitationes eò convertit, ut vivam eam ſibi elabi numquam pateretur.

[a] *Decretum Curiæ Anglicanæ.*

teretur. Eum in finem in regni comitiis XXVII. anno regni Elisabethæ à XXIII. Novembris usque ad XXIX. Martii sequentis anni celebratis decretum factum est in hanc sententiam: Quum salus hujus regni, secundum Deum, in reginæ incolumitate potissimum consistat; & vero manifestum sit, quæ consilia & conatus nuper tam extra quam intra hoc regnum, non solum contra reginæ personam & vitam, sed etiam in certissimam reipublicæ perniciem suscepti fuerint: propterea ut tantis periculis obviam eatur, rogantibus trium Ordinum ad hæc comitia legatis, communi Parlamenti auctoritate decretum est, Ut si posthac in regnis reginæ nostræ imperio subjectis quæcumque rebellio excitata, aut aliæ ejusmodi conspirationes initæ fuerint, quæ vel ad reginæ personam ac Majestatem lædendam, in favorem cujuscumque qui jus aliquod post mortem reginæ in hoc regnum sibi vindicet, vel ad regni statum perturbandum pertineant, XXIV. Judices è Consilio privato ac procerum ordine, ut & Curiali Senatu, quem Recordationis appellant, à regina nominandi, potestatem habeant, vi hujus decreti, de istis ac similibus cognoscendi, & post diligentem examinationem sententiam pronunciandi, ac reos damnandi. Qui damnati hoc modo fuerint, eos omni suo jure quod alias prætendere poterant, privatos, ac regni hujus incapaces pronunciamus, &c.

Quis non videt, decretum hoc unice eo spectasse, ut Scotiæ regina ab omni successionis jure, immo ipsa vita excluderetur? Qui ignominiosum Mariæ supplicium justitiæ prætextu palliare conantur, litteras allegant ad Babingthonum nescio quem scriptas, quibus illa libertatem suam ei commendabat. Sed ut proditorie hæc conficta esse appareat; totius rei seriem paullo altius exponam. Gilbertus quidam Giffordus postquam aliquot annos tam in Rhemensi quam Romano Seminario litteris operam dedisset, in Angliam reversus ut Dei & Catholicæ Ecclesiæ causam promoveret, diaboli causam summa diligentia egit; ab hæreticis persuasus, ut operam suam in pervestigandis ac protrahendis Catholicis commodaret, Walsingamo viam commonstrante qua commodissime id facere posset. Eodem suggerente Giffordus in Rhemense Seminarium reversus, sacerdotio inaugurari voluit: deinde Lutetiam profectus, in Thomæ Morgani nobilis viri, & qui de Maria regina in libertatem vindicanda vehementer laborabat, familiaritatem sese insinuavit. Qua in re Giffordus quoque suam ei operam promisit. Sic ergo à Morgano in Angliam remittitur, datis litteris quas ad Babingtonum perferret. Ille literas Thomæ Philippo Walsingami Secretario describendas dat, deinde Catholicis quibus inscriptæ erant, tradit, & responsum petit. Giffordus postea Lutetiæ comprehensus, multis apud eum deprehensis litteris & instructionibus, totum hujus proditionis ordinem detexit. Hæretici subodorati Catholicos in Maria regina liberanda satagere, atrocem ei hinc invidiam & odium conflarunt, regni affectati crimen improperantes. Capitur Babingtonus, & quæstionum doloribus ac tormentis victus, plus fatetur, quam sciebat. Elisabetham anxiam Walsingamus magis impulit, & ad cognatæ cædem animavit. Quin vix quisquam in aula erat, qui non miram de reginæ salute sollicitudinem præ se ferret. Eodem tempore Hugonota quidam Gallus Cavagnius nomine, capitis supplicio postea Lutetiæ ob proditionem & alia flagitia affectus, à Calvinistis subornatus, Mariam perdere omnibus modis studebat. Unde tandem factum est, ut Elisabetha Mariæ cognatæ necem apud se decreverit, misso certo homine ad Sarisburiensem Comitem, summum rerum capitalium quæsitorem, cum mandatis, ut quamprimum litteras accepisset, Mariam quam in custodia habebat, supplicio affici curaret. Ejus rei quum indicia quædam ad Lamottam Fenelonium regis Christianissimi Oratorem emanassent, statim ad Elisabetham profectus, tam multa eam in rem disseruit, ut illa quietem noctu capere non posset. Dormiebat cum Elisabetha in eodem cubiculo Staffordiæ domina: cui illa è somno excitæ insomnium suum narravit, nimirum visam sibi Mariam primum, deinde se quoque decollari. Tum Staffordia, Causa, inquit, hujus somnii procul dubio est decretum contra Mariam supplicium. Quia vero res adhuc in integro est, suaserim ego ut Consiliariis aliquot accersitis, quid illa in re faciundum sit amplius deliberes. Vocantur ergo Comes Lancastriæ & Betfordiæ, nec non magnus regni quæstor seu Thesaurarius: qui ut ante acerbæ in Mariam sententiæ auctores fuerant, ita nunc ut ne reginam offenderent, differendam eam esse suadebant. Mittitur ergo ad Sarisburiensem Comitem Georgius Lancastrii domesticus, tanta usus celeritate, ut illum alterum pæne præverterit.

[a] *Historia de Antonio Babingtono.*

Hoc nuncio Mariæ reginæ familia recreata, melius sperare cœpit : sed ea spes non multo post in summum mœrorem fuit conversa.

II. Elisabethæ enim jussu Maria ab Amia Pauleto Anno M. D. LXXXVI. die XI. Augusti, arctiori custodiæ fuit inclusa. Unde quum paullo post ad venationem, qua plurimum delectabatur, profecta, & aliquanto celerius progressa esset, apud Pauletum tardiuscule subsequentem, quod eum præstolata non esset, sese excusavit. Ille comiter accepta excusatione, Nuncium ab Elisabetha regina, cum mandatis ad ipsam, adesse respondit: qui ex equo descendens Mariam sic affatus est: Elisabetham reginam satis mirari non posse, quod clandestina contra ipsam & regni statum consilia tractare non cesset: quod suis ipsa oculis viderit ac legerit. Quum ergo è ministris & domesticis quosdam in culpa esse non ignoret; non ægre ferre debere eorum seperationem. Reliqua ex Pauleto intellecturam. Ad hæc regina, Non primam, ajebat hanc esse calumniam, qua apud reginam traducta esset. Ab ejusmodi suspicione à præsenti in qua esset fortuna satis superque se purgari, etiamsi singularis illa animi affectio atque observantia, qua semper ipsam prosequuta sit, ejusmodi conatus non inhibuisset. Sed facile videre se quid agatur. Petenti cum Navio secretario suo colloquium, non solum illud denegatum fuit, sed ministri plerique aut vi ab ea distracti, & in diversas custodias abducti, aut alius alio hinc inde dilapsi sunt. Pauletum deinde aliam viam ingressum, regina quonam ipsam abduceret rogat. Quum ille in multo commodiorem locum dixisset, regina, Ego, inquit, moriar potius, aut ad eum unde egressa sum locum redibo. Statimque ex equo desiliens, quum pedibus ægre incederet, pedisequa sustentante gressum adjuvabat. Tum ad Pauletum conversa, inter lachrymas & singultus, Turpe ajebat & indignum esse, liberam & exteram Principem feminam hoc modo tractari. Comitatum sibi adjunctum latrone potius quam regina dignum. Reginam se quoque esse, nec minus illustri familia prognatam quam Elisabetham: quam in se multo æquiorem esse sciret, sed à Consiliariis utrique male volentibus seduci. Viderent ergo quid agerent, & ad quorum injuriam ista pertinerent: quam sine dubio aliquis exterorum Principum esset vindicaturus. Tandem quum frustra hæc à se dici videret, Pauletum rogat, cujus jussu ita secum ageretur. Ille Elisabethæ jussu respondit, prolatis literis, quibus ei mandabatur ut Mariam in arctiorem deduceret locum, addita quanta opus esset custodia, donec aliud ipsa fieri juberet. Tum Maria exclamans,

Hæc, inquit, *dextra fideque est?*
Sic nos in sceptra reponis?

Quum hoc modo fortunam suam aliquamdiu deplorasset, tandem appetente jam nocte, equum rursus conscendit, Tiquesiallam, in Walteri Aschami ædes deducta: Pauletus vero missis aliquot è suis, omnes Mariæ ministros & domesticos in custodiam dari, omniaque conclavia, arcas & chartophylacia obsignari jubet: quæ postea à duobus reginæ consiliariis aperta ac provoluta sunt; atque inde tres corbes chartarum pleni asportati. Hæc XVIII. Augusti facta sunt. Decem diebus post Maria Chartelaium deducitur, magno cum comitatu. Ibi quum esset, Pauletus die quodam Mariæ nunciari jubet, habere se pauca quæ cum ipsa loqui vellet. Morbum excusantem nihilominus adit, & argentum atque aurum quod penes se haberet, consignari sibi petit: quippe famam spargi multos pecunia ab ipsa ad proditionem subornari, & ad rebellionem excitari. Illa calumniæ hujus atrocitate vehementer offensa, licet diligenter admodum se purgaret, impetrare tamen non potuit, quominus omnis ipsi thesaurus fuerit ablatus, etiam ea quæ ad sumtus funebres illa destinarat. Detractum ei tum quoque omne fere fuit ministerium, ac pauci iique necessarii tantum relicti. Non multo post idem Pauletus iterum reginam adit, & quantorum criminum à diversis insimuletur ostendit; inprimis Babingtonium quendam confessum esse, sex viros à se subornatos qui Elisabethæ occidendæ partes susceperint; qua cæde patrata, conjurati injecto in proxima horrea igne, omnibus ad incendium restinguendum accurrentibus, Pauletum cum uxore & familia occidere, & Mariam è custodia educere ac reginam proclamare constituissent: & ad eam tuto deducendam equites aliquot in propinquo collocandos. Maria insignem hanc adversariorum mentiendi libidinem demirata, iterum diligenter se purgat, de Babingtonio inprimis, quem sibi ne notum quidem esse jurabat: addens nihil hactenus insidiose aut proditorie à se contra reginam tentatum, sed varias etiam machinationes contra eandem detectas. Aliquanto post Pauletus aerem insalubrem causatus, reginam monet, sibi ejus

aliò

aliò deducendæ negotium datum esse. Inde ergo xx. Septembris digressa, quum Bortonium perveniisset, rursus à Nobili quodam ab Elisabetha misso, qui secretum cum ea petierat colloquium, de eo ipso quo antea à Paulero monetur, quod nimirum contra reginam secreta consilia injisset. Sed illa multis adductis argumentis innocentiam suam non minus quam adversariorum malitiam manifeste demonstravit.

III. [a] Octobris Calendis Paulerus Mariam reginam certiorem facit, Elisabetham de iis quæ ipsa ad objecta respondisset edoctam, vehementer admirari quod nihil eorum, de quorum tamen veritate satis superque constaret, fateretur. Quare è Consiliariis suis mittere aliquot decrevisse, qui ipsam interrogent. Tum Maria non modo nullum timorem, sed lætitiâ potius vultu testata, quidquid futurum sit, æqui bonique facturam se respondit. Post XI. Octobris Judices ab Elisabetha delegati Fodringamum (id arci nomen est, ubi captiva asservabatur) venerunt: quorum nomina statim Mariæ reginæ sunt edita. Erant vero Thomas Bromleius regni Cancellarius, Gulielmus Buchorstus regni thesaurarius, Eduardus Comes Oxonienſis magnus Cubicularius, Georgius Comes Sarisburiensis regni Marescallus & supremus Justitiarius, Henricus Comes Derbiensis, Gulielmus Comes Vigornienſis, Eduardus Comes Rutlandiæ, Georgius Cumbriæ Comes, Ambrosius Comes Varvicensis, Henricus Comes Lincolnienſis, Antonius Montis acuti Vice-comes, Eduardus Savagius, Eduardus Morlæus, Eduardus Staffordius, Arturus Greius Viltonienſis, & alii, numero triginta quatuor. Hi quum in sacello arcis ad audiendam concionem convenissent, interea ad Mariam litteras ab Elisabetha sine ulla honoris aut amicitiæ præfatione scriptas mittunt, quibus significabat: Quandoquidem ea quæ certo sibi comperta essent, negare perstiteret, tum etiam ullius judicio submittere se recusaret; Proceres quosdam, Consiliarios & Jurisconsultos ab se delegatos qui in omnia diligenter inquirerent, & secundum leges pronunciarent. Quum ergo in regno ipsius jam sit, legibus quoque ejusdem subjectam esse. Ad hæc Maria pro solita animi magnitudine respondit, Nullam agnoscere se Elisabethæ aut cujusquam alterius imperium. Scriptas illas litteras esse tamquam ad subditam: se vero non minus quam Elisabetham reginã esse, & regis filiam & Elisabethæ proxima cognatione junctam. In Angliam veniſse Elisabethæ promissis illectam, ac præterjus omne custodia inclusam. Multa in se crimina ab adversariis conficta esse, illud inprimis quod contra vitam reginæ aliquid machinata fuerit; quod falsum esse liquido sit demonstratura.

IV. [b] Hæc agebantur in spacioso quodam cœnaculo, quod nõ procul à reginæ conclavi distabat. Ad parietem Judices delegati sedebant; in medio vero mensæ quædam collocatæ erant; sic denique locus inclusus, ut præter Cõmissarios nemo intrare posset. Quum delegati ingressi essent regina quoque intravit, velum capite ferens, & talarem tunicam induta, cujus oblongum syrma pedissequa ferebat. In sella holoserico strata collocatam pro regali Satellitio, puellæ quædam è gynæceo, aulæ præfectus, medicus, & alia ministeria circumstabant. Ibi Cancellarius longam exorsus orationem causſam ejus conventus exposuit, ut nimirum eorum quorũ Maria rea diceretur, & inprimis quod contra Elisabethæ reginæ vitam & statum aliquid molita esset, veritas inquireretur. Id dum fieret, reginæ quæcunq; posset ad sui defensionem conquirendi ac proferendi facultatem concedi. Deinde ad reginam conversus, rogat eam ut commissionis & mandatorum sibi datorum tenorem cognoscere velit. Tum illa multis itidem exposuit, quomodo in Angliam olim venerit, ut promissis sibi à regina auxiliis in recuperando regno uteretur: Sed non modo spe & promissis esse frustratam, verum etiam contra omne jus jam totos septemdecim annos in custodia asservari. Liberam se nihilominus & supremi juris esse Principem; nec delegatos illos aut quemcumque alium pro judicibus agnoscere. Et licet coram illis comparuerit, nõ tamen hoc vel ad suum vel ad filii aut regni sui præjudicium pertinere debere: quum id eo tantum fecerit, ut toti Mundo innocentiam suam testatam faceret. Ibi Cancellarius ullum Mariæ ab Elisabetha promissũ esse auxilium negavit: addens, protestationem illam frustra interponi, nec quidquam supremo Elisabethæ juri & Majestati derogare. Quum enim talis in Anglia criminis se ream fecerit, merito etiam legibus ejusdem esse subjectam. Inde jubente Cancellario Mandati formula lecta est: quam quum Maria pro legitima se non agnoscere dixisset, Procurator Fiscalis illius æquitatem & jus reginæ Elisabethæ multis demonstrare conatus est. Inde ad ipsum crimen ventum: cujus probationes

[a] *Maria à delegatis interrogatur.* [b] *Quibus dicebus Maria accusata fuerit, & quid responderit.*

quum ex Babingtoni, Georgii, & sex aliorum confessionibus peterentur, regina verò Babingtonum ignotum sibi esse, nec umquã cum eo, uti etiam sex illis aliis, quidquam vel ore vel scripto communicasse, respondisset, alter Fiscalis Procurator (duo hi seorsim mensæ assidebant) litteras à Babingtono paullo ante mortem scriptas protulit. Hæc ante meridiem acta. A meridie rursus complures epistolæ, tum Navii & Curlei reginæ domesticorum depositiones perlectæ: ad quæ singula regina sufficienter respondit, quamvis tumultarie ac sine certo ordine & interrogandi ac respondendi modo omnia agerentur. Quum inter cetera Thesaurarius ei objecisset, quod in Gallia jam olim Anglicani regni insignia & titulum usurpasset, illa, Non sum nescia, inquit, hunc maxime esse aculeum qui Elisabethæ sororis meæ animum pungat. Atqui ne ipsa quidem ignorat, id non meo, sed Henrici II. Galliæ regis, soceri mei consilio factum esse. Replicanti Thesaurario, cur non post factam pacem ipsa insignibus illis abstinuerit, respondit: Nulla conditione obligatam fuisse, ut jure suo tam facile cederet aut renunciaret. Elisabethæ tamquam natu majori, lubenter se cessisse & adhuc cedere; modo illud quoque ipsi faterentur, se proximam esse hæredem, Iacobi V. quippe filiam, & Henrici VII. neptim. Notos sibi esse inimicorum conatus, qui non hoc jus tantum sed & vitam ipsi eripere unice studerent. Sperare se nihilominus, Deum à quo hactenus clementer servata sit, patientiam ad perferendum quidquid tandem futurum sit, sibi concessurum: atque eundem rogare, ut de ipsa quod visum fuerit statuat, ad nominis sui gloriam & Catholicæ fidei, pro qua libenter sanguinem profusura esset, propagationem. Minas omnes & terrores facile se contemnere, omniaque pati decrevisse; utpote certam, quæcumque Dei ac religionis caussa relinquerentur, cumfenore rursus adjici, aut multo melioribus bonis compensari; eos vero qui Deum hic negarent, in altera illa vita rursus à Deo negari, atque adeo æternis suppliciis addici.

(a) V. Tam Babingtoni inde quam aliorum litteræ ac scripta sæpe lecta ac relecta sunt; ac tandem Balardi cujusdam confessio, unius ex iis qui Elisabethæ mortem machinati dicebantur. Rogata an Balardum nosset, ab amicis ex Gallia monitam se respondit, venturum in Angliam propediem eo nomine hominem, Catholicæ religionis perstudiosum, qui quæcumque posset ei officia præstare cuperet. Interea vero aliunde ad se delatum, eundem Valsingamo esse valde familiarem: Valsingamum vero infestum sibi admodum esse, ac tam ipsam quam filium sublatos cupere. Hæc de Balardo scire, quem numquam viderit vel audiverit, nec quidquam cum eo communicarit. Ibi Valsingamus consurgens, nihil tale sibi umquam in mentem venisse protestatus est, nec quidquam à se factum aut dictum quam quod à bono & fideli erga reginam subdito requireretur. Amplius deinde rogata, ecquid de quatuor illis equitibus sciret, qui ut Elisabethæ occisæ nuncium ad ipsam perferrent, destinati essent: Nihil omnino sibi notum esse respondit, Prolatæ inde literæ characteribus consignatæ: quarum nonnullas ipsa agnovit, nihil tamen quod nocere ipsi possent, continentes Morganum quidem iis fortasse ad alia usum: eorum tamen quæ vel ipse vel Parrus contra reginæ vitam machinati dicantur ne in minimo quidem conscium esse. Navium Galliarum regis esse subditum: nec se iis Principum Christianorum ad reddendam de eorum qui libertatem ipsius quærant aut optent actionibus rationem teneri. Ad pensionarios quod attinet, habere Angliæ reginam tales in ipsa quoque urbe Roma, & quidem diversæ religionis. Sed longum esset omnia, quæ illa non sine Iudicum admiratione ad sui defensionem disputabat, recensere. Tandem ad Thesaurarium & utrumque Fiscalem conversa, Profecto, subridens inquit, satis duriterà vobis hac quidem vice tractata sum, quæ tamen vestras versutias minime intelligo. Sed id Deus vobis condonet. Hic finis fuit hujus actionis: è qua, ut & totius processus forma Mariæ reginæ facile conjicere licebat, caput suum peti, sequejam ante ab iisdem judicibus Londini prædamnatam: hanc vero actionem eo fine tantum institutam, ut injustæ sententiæ exsequutioni color aliquis justitiæ quereretur. In sermonibus quoque cum Pauleto habitis palam ostendebat, nullam aliam ob caussam quam ob Catholicæ religionis professionem tantis odiis se exagitari; idque agi ab adversariis, ut quamvis omni crimine libera, in perduellionis damnatorum numerum referatur. Quare multo ardentius precibus ad Deum fundendis incumbebat: interim vero in omnibus sexu majorem animi constantiam præ se ferebat.

VI. Quam-

(a) *Mariæ ad Balardi depositionem responsio.*

(a)VI. Quamvis autem delegati illi Iudices nulla confessione aut sufficienti probatione intentati criminis Mariam reginam convincere potuerint : Elisabetha tamen sententiam contra ipsam à Iudicibus latam exsequutioni mandare decrevit. Quare missis die Novembris XIX. ad Mariam Buchorsto & Besleo, quid à Iudicibus decretum esset nunciari jubet. Ii unà cum Pauleto & Drurio reginam accedentes, monent ut quandoquidem insidiarum Elisabethæ vitæ structarum rea peracta sit, culpam fateatur ac detestetur, & ad mortem sese præparet. Ibi illa nihil territa, nihil gratius jamdudum nunciari sibi posse respondit, ut cui mors multo minus quam tam diuturna captivitas acerba futura sit. Agnoscere se Angliæ consuetudinem, ubi omnes qui jus aliquod in regnum sibi vindicant, morti tradi soleant. Gaudium suum omne non jam in terris, sed in cœlo esse. In tam justa caussa non lubenter tantum, sed & cupide mori se velle. Illud unice sibi dolere, quod Catholicos tam dura ac dira hactenus perpessos, nondum in libertatem & majorum religionem restitutos, & vexationibus illis liberos videre posset. Monita deinde, quod paullo ante Arondeliæ, Pembrochæ, Northumbriæ & Vestmerlandiæ Comites mille & quingẽtorum equitum ac decem millium peditum exercitum ad ipsam liberandam confecissent, sed jam in turri Londinensi & ipsi captivi asservarentur ; id omne se insciam factum esse dixit: nec dubitare tamen quin à Galliæ rege & Guisiis avunculis suis fuerint instigati, ut pro ipsa in libertatem vindicanda aliquid tentarent Besleo replicante, ipsam Angliæ reginæ æqualem esse voluisse, quum tamen non ignara esset, uno in regno non plus quam unam supremam esse potestatem: indignabunda, Ego, inquit, regina semel consecrata sum, & si vel sordidissimo carceri aut ergastulo includar, regina esse non desino. Addens, vi in Anglia se detineri, nec ob ea quæ patereturr, quidquam regiæ suæ dignitati vel juri derogari posse. Ius sibi esse in Anglicani regni successione multo quam ipsi melius, ut quæ sola ex Henrici VII. posteris supereset. Quomodo vero æqualitatem affectare possit, quæ captiva detineretur ? Verum quid, inquit, opus est verbis, quum jam damnata sim? Tum Buchorstus, à Parlamento quidem jam latam esse sententiam, ait; verum à regina adhuc suspensam, ut tanto melius ad mortẽ præparandi se tempus haberet. Ergo, illa inquit, pecuniam meam jam olim funeris sumtibus à me destinatam, sed nuper ablatam; ut & chartas meas ac condendum testamentum, reddi mihi velim. Quod & ex parte factum, Postridie eosdem rursus ad se vocavit; & post longum cum eis habitum sermonẽ, Gallica lingua epistolam ad Elisabetham scripsit, hoc argumento.

(b) *DOMINA. Ad mortem, ex ijs quæ renunciari mihi jussisti, jam dudum præparata, apud Deum & te protestor, tam lubenter me ex fallaci hoc mundo discessuram, ut postea nihil aliud mundanum quod quoquo modo oblectationem aliquã afferre possit, sperarim aut desiderarim, præter id quod ad subleuandam meam conscientiam per Buchorstiũ & Besleum, & per postremas litteras manum mea scriptas à te petii: quod totum tuæ est benevolentiæ, nec ad cujusquam pertinet offensionem. Quantum ad superiores meas petitiones attinet, partim earum mihi concessæ sunt, & inprimis eleemosynario meo pars pecuniæ meæ est reddita; sed ex libris & cartis, pauca tantum ad me relata sunt. Quia vero existimo non te velle ut ea quæ mea sunt, & inprimis quæ ad dotem meam propter nuptias attinent, in alienas deveniant manus, quum ex eisdem nulla tibi quoque sperari possit utilitas, ego vero sine illis supremam meam voluntatem vix, ut volo ordinare possim : rogo ut omnes libri rationum, chartæ, codicilli, ad rem meam privatam spectantes, mihi reddantur, ut & quod pecuniæ reliquum est, quò de omnibus ut volo disponere, tum debitorum meorum rationes inire, quæ exciderunt in memoriam revocare, & hæc omnia testamenti mei exsequutoribus, quibus magno usui post mortem meam futura sunt, tradere possim : præsertim quum sine iis Navii secretarii mei, qui captivus jam detinetur, commentarii, plane mihi sint inutiles, nisi vel coram, vel saltim per litteras cum eo communicandi, & omnia accuratius ex eo intelligendi mihi sit facultas. De quibusdam etiam cum Pauleto & Drurio loquuta sum, de quibus illi ad te scripturos se receperunt, à quibus jam responsum exspecto, ut & chartas aliquas, & pauca à Navio Secretario meo: nec convenire arbitror, ut litteris meis amplius tibi molesta sim. Vereor enim ne prior mea epistola tibi sit reddita, aut quod eam legere nolueris, persuasa fortasse magnum quid aut singularem aliquam gratiam in ea me petere; aut verita, ne meis commota demonstrationibus ingenii tui humanitas ad perdendum tam miserè proprium tuum sanguinem te faceret cunctantiorem. Atqui, Domina, frustra illi quicunque sunt, tantam sibi pusillanimitatem ab utraque parte imaginantur. Omnem his scrupulum quem illis innata tibi humanitas & comitas injicit, facile*

[a] *Maria Scotiæ regina capitis damnatur.* [b] *Mariæ Epistola ad Elisabetham.*

facile eximere poteris, si petitionis meæ ac simul voluntatis tuæ summam eis indices; quarum illa hoc tantum spectat, ut pauca mihi in morte meâ gratificeris: quæ quum constituta semel & certa jam sit, facile concedent, spero, ut mortuæ corpus sepultura, vel ob cognationem, vel certe ob charitatem Christianam debita afficiatur. Quapropter per passionem Domini nostri Iesu Christi iterum te rogo & obsecro, ut ne diutius in miserrima hac mortis exspectatione, omnibus pœnis acerbiore, me relinquas, sed decretum & voluntatem tuam plane significes; promittens, si petitioni meæ annueris, me in ipsâ morte Deum pro salute tua & omnium temporali quam æterna felicitate deprecaturam. Quod si repulsam passa fuero, omnia tamen patienter feram, adeoque eo nomine multum me tibi debere existimabo, quod acerbissima hac exspectatione diutius me torquere nolueris, sed ex misero hoc statu liberaris: in quo utinam ministrorum meorum miseria, tam valetudinis quam temporis jacturam sine ullo operæ precio facientium, cognita tibi essent! Scire denique expeto, si ante mortem meam secreti aliquid quod vel ad te vel ad alios attinet, communicare tibi velim, cui tuto id possim committere: quum plures sint, qui varias ob causas etiã quæ indicata fuerint, minime ad te sint perlaturi. Interim DEVM veneror precorque, ut tantum felicitatis tibi in hoc Mundo largiatur quantum ego inde discedens, in illo altero, misericordiæ ipsius confisa exspecto; quam non mihi tantum opto atque imploro, sed etiam omnibus iis, qui per mortem meam innocentem me ex vitâ hac miserâ protrudere atque exterminare satagunt. Idem Deus Optimus Maximus clementer omnibus condonare velit, qui me calumniati fuerint; uti & meis, si qui forte fuerint apud quos temporalis utilitatis aut spei respectus plus valuit quam conscientia, officium & fides. Sapientia tibi ipsi abunde est, qua & rebus tuis post mortem meam consulere, & particulariter ad tuas utilitates accõmodare omnia possis: quod fiet inprimis si virtutem ipsam à falso eius colore, & officium ac fidem à cupiditatibus ac passionibus animi, atq; inde profectis consiliis bene discernas. Equidem spero mortẽ meam, quam tot votis expeti jam video, multas tibi ac aliis magnasque res compariturum, quibus spes sit Dei gloriam illustratum iri: optoque ut omnia ad divini nominis honorem, tui ædificationem ac conservationem, ut & totius hujus Insulæ prosperitatem ac salutem eveniant; pro qua etiam in meliori fortunâ, sanguinem ac vitam meam profundere nunquam dubitem. Sed, ut dixi, equidem lubenter ex hac vitâ discedo, in qua me video tam patriæ quam tibi, (cui tamen omnia bona, utpote tam propinqua cognatione devincta, semper optavi) parum utilem esse posse; e contra vero plures meo nomine ad malitiæ suæ colorem ac prætextum abuti: quarum omnium rerum, uti & meorum consiliorum ac cogitationum judicium Deo justissimo Iudici committo. Ex carcere meo Foringhamensi, Anno MDLXVIIII. die XII. Ianuarii.

Aliam huic subjungam, quam paullo ante mortem eadem clarissima regina ad Galliæ regem itidem propria manu scripsit: hoc argumento.

(a) DOMINÆ affinis. Postquam Dei peccata mea punituri permissu, Reginæ hujus meæ cognatæ potestati me tradidi, ac plus quam viginti annos in summis molestiis & ærumnis hic exegi, tandem tam ipsius quam Senatus sententia ad mortem me damnatam esse intelligo. Rogavi quidem ut chartæ meæ ablatæ ad commodius disponendam supremam meam voluntatem, mihi restituerentur; sed nihil eorum quæ mihi usui esse possent, uti nec alterius condendi testamenti facultatem hactenus impetravi. Petii quoque ut post mortem corporis mei in regnum vestrum, cujus regina olim fui, transportandi meis fieret facultas, sed & hoc negatum. Hodie à prandio mortis mihi denunciata est sententia, quæ in me tamquã criminis rea peracta, cras horæ septimæ ante meridiana, sine ulla lõgiori mora, exsequutioni mandabitur. Quia ergo omnia & singula quæ hic acciderunt, prolixe narrare jam non vocat; ea tam ex Medico meo quam aliis meis ministris intelligere poteris. Illud mihi credas velim, me per Dei gratiam mortem nequaquam reformidare, sed contemnere; quam etiam innocentem me ab omni crimine subire protestor. Duæ sunt omnino damnationis meæ & mortis causæ, Catholicæ religionis professio, & juris quod Deus mihi in hoc regno dedit, defensio: nec tamen dicere mihi licet, mihi ob Catholicam religionem moriendum esse: sed id unice agitur, ut meam cum illorum religione permutem. Quem in finem Eleemosynarium meum à me abstraxerunt; & quamvis in iisdem adhuc sit ædibus, eum tamen ad audiendam confessionem meam & Dominici corporis communione me reficiendam admittere recusant; sed urgent ut ab ipsorum, quos ideo adduxerunt, Ministris & concionatoribus tam doctrinam quam extrema solatia accipiam. Quomodo vero in hac vitæ meæ catastrophe me gesserim, hi qui litteras has ad te perferent, plerique in tuo regno nati, testabuntur. Restat ut rogem te atque orem, quandoquidem in omni sermone te singulari me amore prosequi testatus es, ut jam virtutem illam tuam omnibus in rebus, quibus potes, erga me ostendas atque exerceas, inprimis vero in

(a) Mariæ ad regem Galliæ epistola.

in remunerandis ministris meis conscientiæ meæ succurras, & quod ipsa facere non possum, in te recipias. deinde vt preces fieri iubeas pro ea quæ olim Christianissimæ Reginæ titulo fuit insignita, & tam Catholica moritur, omnibus fortunis spoliata. Ad filium meum quod attinet, velim ita eum vti merebitur, commendatum habeas (neque enim pro eo respondere possum) vti & meos omnes famulos & domesticos: pro quibus iunctis apud te manibus intercedo. Mitto ad te duos lapides, raræ ad tuendam sanitatem virtutis, quam ego tibi perpetuam, vitamque diuturnam ac felicem opto. Eos rogo tamquam vltimum animi pignus ab amantiss.ma tua glote iam iam moriente accipias. Famulos meos iterū tibi commendo. Ex ijs quæ mihi apud vos debentur, rogo vt tua liberalitate (pro quo ego quā primum his corporis vinculis excessero, Deum deprecabor) religiosorum Conuentus ad Dei honorem fundetur, tum eleemosynæ requisitæ distribuantur. Die Mercurij, secunda post mediam noctem hora.

Post Buchorsti & Beslei discessum Pauletus, ex reginæ cubiculo regia insignia asportari iusserat: tum illa sacram tabulam in eorum locum ad pietatem animi excitandam eo ipso loco affixam Pauleto alio die redeunti, commonstrauit, his verbis: En tibi multo regalius ornamentum quam id quod mihi auferri iussisti. Porro quoniam aliam quoque epistolam ad magnatem quendam in Gallia ipsius quoque manu scriptam nactus sum, eam huc apponere visum est, vt ea quæ paullo ante morte ipsius facta sunt intelligantur.

Consilium de fuga toties mihi propositum, sed insidiatorum metu diu omissum tandem amplexus sum. Quæ acciderint, ex Medico & alijs meis ministris intelliges. vtrum & quatenus condendi testamenti facultas mihi futura sit nescio, ac si maxime permittantur, rationem tamen qua id facere possim, vix video, tam nummis quā libris meis & chartis omnibus ablatis. Accedit quod & ad hanc rem idoneum hominem non habeo qui operam suam mihi præstet: quamuis vt saltem Eleemosynarij mei potestas mihi fieret, rogarim sed nullum adhuc accepi responsum. Quocirca si horum nihil consiet, rogabis Sanctiss.imum D. N. Pontificem, Regem Christianiss.imum, Regem Hispaniarum, Ducem Lotharingiæ & alios Christianos Principes, amicos & cognatos meos, vt eorum ope tam nummi quam libri mei itemque suppellectilia quæ nondum inter ministros meos & creditores distributa sunt, restituantur. Scio hanc orationem non parum admirationis animo tuo allaturam: sed scire debes, à Buchorsto, Pauleto (quem æquum mihi & benevolum experta sum) Drurio, & Beslee significatum mihi esse me Parlamenti siue Ordinum huius regni sententia ad mortem esse damnatam: idque reginæ iussu se mihi renunciare, simulque hortari, vt culpam meam & delictum in ipsam agnoscam. Vt vero tanto æquiori animo mori, & conscientiam meam exonerare possem, Episcopum & Decanum à regina ad me mitti aiebant. Illud quoque addebant, causam meæ mortis esse instantissimas subditorum preces, qui reginam, viuente me ipsius competitrice (vt quæ iam olim titulum & insignia huius coronæ vsurparim, neque ijs abdicare me nisi sub proximæ hæredis conditione voluerim) nullam vitæ aut Status securitatem promittere possint: quum etiam nunc Catholici me supremam suam dominam agnoscant & appellent, ipsius vero reginæ vita tot insidijs appetita sit. Deinde, (cuius quidem rei præcipuam habeat rationem) quam diu ego vixero, statum religionis quam eadem regina profiteatur, tutum atque incolumem in hoc regno consistere non posse. Ad quæ sic respondi, Deo me gratias agere tanto honore dignanti, vt ad Catholicæ religionis in hac insula restitutionem commodum, immo necessarium instrumentum esse dicar: cuius quamuis indigna, & perpetua fictatrix & tutrix esse velim, adeoque sanguinem meum, vti non semel protestata sum, pro Catholicæ Ecclesiæ causa profundere parata sim. Quod si populus ad pacem ac publicam vtilitatem huius insulæ mortem meam conducere existimet, me equidem non recusare, quin viginti annorum quibus hic detenta fui, captiuitatem vita mea compensem. Gratias etiam Deo me agere, quod sine horum Episcoporum ac Doctorum opera peccata mea tam in Deum quam in Ecclesiam agnoscam, nec vnquam istorum errores & doctrinam approbauerim. At si Catholici sacerdotis mihi fiat potestas, me lubenter eo tam ad exonerandam conscientiam quam Sacramentorum vsum percipiendum vsuram: vtque talis mihi permittatur, per omnia sacra rogare atque obtestari. Dicentibus, futurum fortasse, vt in Sanctorum aut Martyrum referar catalogum, quum tamen meritas reginæ, cui sceptrum excutere conata sim, intentati parricidij pœnas luam, respondi: nequaquam me tam arrogantem esse vt ad diuinos illos honores adspirem: ac quamuis illi diuino permissu, non vero vllo prætextu iustitiæ, (quum regina sim quæ superiorem non agnoscat) in corpus meū potestatem habeant, nullam tamen habere in animam meam, nec spem isti am mihi auferre posse, Deum per misericordiam suam qua pro me mori voluit, sanguinem ac vitam meam, quam pro defensione Ecclesiæ

(u) Mariæ ad Galliæ quendam magnatem Epistola.

extra quam nullum omnino quantumuis regnum mihi optem) lubenter impensura sim, clementissime in manus suas susceperum; daturumque vt dolores aliæque quas sustinui arumnæ, ad peccatorum meorum ex parte faciant expiationem. At meo opera, hortatu, consilio aut quouis alio modo reginæ mortem procurare voluisse, id vero me pernegare: quam priuati mei emolumenti causa ne talitro quidem lædi velim. Atqui (aiebant illi) non solum permisisti, sed consuluisti etiam, vt Angli supremam suam dominam te nominarint, vt ex Alani & aliorum apparet litteris quibus non contradixisti. Respondi, me quidem in meis litteris nihil tale mihi vindicasse: modum tamen Doctoribus & Ecclesiasticis personis, quomodo me nominare debeant, præscribere non potuisse; quum meum sit quod Ecclesia decreuerit approbare, non vero corrigere. Nec vero illud mihi obesse debere (quod itidem obiecerant) quod Pontificis iussu sub eiusmodi titulo, nempe Anglorum reginæ ac supremæ dominæ, preces passim apud Catholicos pro me concipiantur: quum hæc omnia ignorante me fiant. Me denique dum Ecclesiæ obedam mori malle, quam ad ius meum vendicandum etiam de quocunque è medio tollendo consilia inire. Interim videre me Saulis contra Dauidem persequutionem, in hoc tamen differentem, quod mihi non perinde ac Dauidi, per fenestram euadendi facultas detur. Posse tamen fieri vt ex sanguine meo vltor aliquis exoriatur.

Sed ne longior sim, pridie ad me venerunt Pauletus & Drurius, nunciantes: quandoquidem nec ouipam agnoscere, nec vllum pœnitentiæ signum edere velim, à regina sibi mandatum vt omnia regalia ornamenta à me auferant, vt quæ iam instar mortuæ sim feminæ. omni regia dignitate & honorum insignibus destitutæ. Quibus respondi, Me diuinitus ad hanc dignitatem vocatam, & reginam legitime vnctam esse & consecratam: eoque soli Deo me eam dignitatem vnà cum anima mea reddituram: neque reginam ipsorum pro superiore, vti nec ipsius Consilium, aut illum hæreticorum consessum pro Iudicibus meis agnoscere, sed velit nolit illa, reginam morituram. Non plus illis in me potestatis esse, quam latroni in Principem aut Iudicem quemcunque iustissimum, in sylua deprehensum: ac sperare me, Deum post mortem meam iusta sua iudicia in hoc regno ostensurum. Non noua esse exempla eorum Regum qui ab huius regni subditis crudeliter occisi sint. Non mitius cum Richardo actum, & quidem ob eandem caussam, vt scilicet iure suo priuaretur. His virimque dictis, quum nemo meorum deijciendi aulæis alijsque ornamentis manum admouere vellet, sed omnes vna voce rem indignam clamerent illi satellitibus aliquot vocatis, totum cœnaculum ornamentis denudarunt: deinde Pauletus considens, caputque operiens, Quia, inquit, post hac audiendi tempus non erit, abacum illum lusorium removeri volo. Ego, Mea, inquam, parum interest, vt quo numquam ex quo huc illatus est, vsa fuerim: vt cui longe alia negotia per vos fuere exhibita. Heri pauxillum meorum gregem congregaui, ac coram omnibus protestationem tam religionis quam innocentiæ meæ nomine repetij; simulque mandaui vt quæcunque facta hic sunt fideliter vobis exponerent Lotharingiæ & Guisiæ Ducibus, alijsque meis cognatis omnia commendo quæ ad animæ meæ salutem conscientiæ meæ subleuationem, & honoris mei reparationem pertinent; nec mei tantum, verum ipsorum quoque respectu, quum non ego modo, sed & ipsi ad eædem Reginæ sicarios precio conduxisse dicantur quorum tamen nihil ego nec scio nec credo. Tibi famulos meos, qui me perdita, omnia perdiderunt, iterum atque iterum commendo. Eis quæ potes, tu meo nomine benefac & succurre. Rubio meis verbis valedic: & quia ego quod ipsi receperam, me scilicet pro Catholica fide morituram, præstiti, mone vt & ipse vniuersi Ordinis sui precibus & memoriæ me commendet. Equidem & antè hac semper optaui, & nunc quoque opto, vitam meam animarum quæ in insula hac sunt saluti sacrificare. His extremum te valere iubeo, rogans vt eius quæ & regina tua & beneuolens fuit, honorificam memoriam semper retineas, & quod potes, eius salutis & honoris caussa facias. Quod si quid vel in te vel quemcunque meorum inclementer à me dictum aut factum est, ingnosce mihi rogo ac simul testor, nulla in re me vnquam fidem tuam aut diligentiam desiderasse: quin ita tibi obligatum me fateor, vt officijs ac meritis ergame tuis lubenter, diutius mihi viuere detur, satis facturam sim. Nunc vero quoniam vita me prius quam voluntas deficit, Deum in vltimo vitæ meæ fine precabor, vt mea vice tibi abunde omnia compenset. Vale vna cum omnibus meis: quos tamquam orphanos hic relinquo. Fodringhami Anno MDLXXXVI. XXIV. Nouembris.

Subscriptioni subiuncta erant quædam verba, quibus rogabatur vt ad confutandum Anglorum mendacium, qui inuitam ipsam, quum aliò euadere non posset, in Angliam venisse dicebant, à Lochimuaro, Heresio iuniore, Flaminio, & Archiepiscopi Santandreani hæredibus certissima testimonia petereret, quibus illi ingressum in Angliam dissuadebant, & vt aliò vel in Galliam vel in Belgium se reciperet hortabantur

Sed

Sed ad Tragœdiæ huius Cataſtrophen veniamus, in qua regalis illus magnanimitas & conſtantia multo clarius elucebit.

Illa quidem tanquam celſis radicibus arbor
Nixa, gerens mulier pectuſque animumq; virilem,
Omnes excepit conſtanti mente labores:
Quæque viri exhorrent, alacris, nil territa vultu,
Nil animo, ſubijt, ſimilis lætæ, atque renidens.
At vos Francigenæ, Mariæ diademate ſacro
Qui caput ornatum, ſceptro duplicique decoram
Vidiſtis dextram hæc oculis tam triſtia ſiccis
Aſpicitis, toto numquam ſpectacula Mundo
Viſa? Quin, vt par eſt, generoſas concipite iras,
Et tantum prohibete nefas.

DE SENTENTIÆ CONTRA MARIAM Reginam latæ exſequutione; Bellieurij legatione acproteſtatione; incredibili Mariæ conſtantia, morte & ſepultura.

Caput Decimum nonum.

ARGVMENTVM.

I. *Capitalis ſententia contra Scotiæ reginam publicatur, & exſequutioni demandatur.*
II. *Bellieurius Gallorum regis in Angliam Legatus vt exſequutionem latæ ſententiæ impediret, quæ tres menſes ipſius reſpectu dilata fuit.*
III. *Quid Scotiæ regina mortis ſententiam indicantibus reſponderit,*
IV. *Tentatur vt à Catholica deſiciat religione. Ante mortem Pij V. Papæ permiſſu, Euchariſtiam ex ſuis ipſa manibus ſumit,*
V. *Quanta conſtantia ſupplicium adierit: eiusque extrema verba.*
VI. *Magna gloria martyrium pro Catholica religione conſummat, animamque Deo reddit.*

I. QVemadmodum venti inconſtantes, & modo remiſſi modo vehementes, nautis ac nauigantibus multo plus negotij ac periculi faceſſunt quam magna aliqua tempeſtas, quæ continuo flatu atq; impulſu nauim breui ad portum optatum propellit: ſic longa illa viginti annorum captiuitas Mariæ reginæ multo plus moleſtiarum attulit, quam violenta mors, cuius beneficio portum ſaluris breui momento aſſequuta eſt. O mirã rerum mutationem! Id ipſum quod omnium malorum caput exiſtimatur, in ſummam optimæ reginæ felicitatẽ vertit! Videte pẽruerſi homines, quid veſtri effecerint conatus. En illam ipſam quam vos ad abyſſum vſque deprimere cogitaſtis, in ſummo gloriæ ac felicitatis faſtigio collocatam. Vt merito dies hic quem ex omnibus vos acerbiſſimum ei fuiſſe putatis, lætiſſimus ac fauſtiſſimus ei fuiſſe cenſendus ſit. Tum enim demum viuere illa, tum immortalis eſſe cœpit, quum per mortem hanc temporalem non vita ſolum ipſius, ſed honor etiam atque dignitas omnino exſtincta credebatur. Quare triumphali hoc curru inuectam contemplemur ac ſequamur, & incredibilem eius virtutem ac conſtantium admiremur, qua quanto magis deprimebatur, tanto magis exſurgebat.

quam quid formoſius vmquam
Gallia vidiſti, quam quum tenera illa puella,
Bina manu geſtans regalia ſceptra decore,
Permulſit blando liquidum aera & athera vultu
Me miſerum! quonam tantus decor ille receſſit?
Aſpice pullato luctum teſtantia amictu
Omnia, poſt gladio quam pulcra & candida ceruix
Illa abſciſſa fuit, iacet & ſine nomine corpus.

Sed vt ad inſtitutum reuertamur, Vix Commiſſarij, de quibus ſupra, Londinum reuerſi, Eliſabethæ quæ à Maria regina vel ipſi audiuerant, vel in cauſſa eius compererant, expoſuerunt, quum ſtatim in aula fama percrebuit, Mariam reginam capitis eſſe damnatam: quod factum fuerat etiam antequam illi Fodringhamum fuiſſent ablegati. Quæ quidem ſententia IV. Decembris Anno MDLXXXVI. Richemundæ promulgata fuit: in qua Eliſabetha, fatetur, Mariam ſe in fidem & patrocinium ſuccepiſſe: & ſic perfidiam ipſa ſuam teſtatur & damnat. Non multo poſt Eliſabetha nonnullis Angliæ proceribus mandauit, vt ſententiam illam exſequerentur: quod mandatum hue apponendum eſſe duxi, vt liqueret (quod hactenus præfracte negant hæretici) ad Mariæ damnationem nihil magis valuiſſe quam religionis reſpectum. Sic ergo habet.

Eliſabetha, per Dei gratiam, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ regina, Fidei Defenſatrix, Fidelibus noſtris dilectis & cognatis; Georgio Comiti Sarisburienſi, magno Angliæ Mareſcallo, Henrico Comiti Cantij, Henrico Comiti Derbienſi, Georgio Cumbriæ Comiti, Henrico Comiti Pembrochæ, Salutem. Viſa ſententia à Nobis & Conſiliarijs noſtris, Nobilibus & Iudicibus contra

Mariam quondam Scotiæ reginam Iacobi V. Scotiæ quondam regis filiam ac hæredem, quæ communiter Scotiæ Regina appellatur, Francorum regis viduam, lata & ab omnibus nostri regni Statibus in nuper habito Parlamento non concluſa ſolum, ſed poſt maturam etiam deliberationem tamquam iuſta & legitima, confirmata: viſis etiam aſſiduis ſubditorum noſtrorum precibus, rogantium Nos ac ſollicitantium, vt non modo ad publicationem, ſed etiam exſequutionem eiuſdem ſententiæ contra perſonã prædictæ Mariæ procedamus, quum in longiori eius detentione certo & euidenter non vita ſolum noſtra, ſed & ipſi ſubditi, eorumque poſteri, atque adeo publicus regni ſtatus, tam quoad Euangelium & veram Chriſtianam religionem, quam quoad pacem ac tranquillitatem, periclitentur: poſt multas dilationes tandem dictam illam ſententiam promulgari iuſſimus, hactenus vero ab eius exſequendæ dandis mandatis abſtinuimus, licet interea à Parlamenti noſtri Statibus quotidie moneremur, omnes noſtros ſubditos tam ex Nobilitate quam alijs Ordinibus, pro ea qua vitam noſtram, & qui ex ea dependet, felicem huius regni ſtatum complectuntur cura, nihil magis petere atque deſiderare, quam vt prædicta ſententia exſequutioni mandetur. Quamuis autem aſſiduæ illæ flagitationes, preces & conſilia cum naturali noſtra inclinatione & benignitate vehementer pugnarent: tamen victi tandem tam ipſorum precibus, ad vitæ noſtræ ſecuritatem ſolummodo ſpectantibus, quam publici ac priuati in regno noſtro ſtatus reſpectu, conſenſimus vt Iuſtitiæ curſus vltra non inhiberetur. Eoque vobis, tamquam nobiliſſimis & præcipuis regni noſtri membris mandamus, vt viſis his quam primum Fodringhamum vos conferatis, & præſentibus Amia Pauleto arcis præfecto alijſque regni noſtri Officiarijs ſæpedictam illam ſententiam quo vobis videbitur loco tempore ac modo, in perſona dictæ Mariæ exſequutioni mandetis: non obſtantibus quibuſcumque legibus aut contrarijs iuſſionibus, &c. Gernouici I. Februarij, regni noſtri anno XXIX.

II. Mandatum hoc tertio menſe poſt ſententiæ publicationem editum fuit. (c) Interea vero Henricus III. Galliæ rex. vt rebus pæne deſperatis remedium aliquod afferret, Pomponium Bellieurium, ad Cancellariatus dignitatem merito poſt euectum, ad Eliſabetham miſit: qui vixit Londinum appulſus, ſummam ſtatim hæreticorum iniquitatem & acerbiſſimum in Mariam odium expertus eſt. Vt enim ab Eliſabethæ aditu & colloquio eum excluderent, famam ſpargi curarunt, Lutetiæ vnde Legatus venerat, contagioſam luem vehementer graſſari, atque ea Legati miniſtros eſſe infectos. Quam difficultatem quum patientia ille viciſſet, Eliſabethæ quæ in mandatis à rege habebat, non ſingulari modo facundia, ſed mira etiam libertate expoſuit: Regem ſuum Mariæ, tam propinqua cognatione ſibi deuinctæ, vtpote quæ fratrem regis natu maiorem in matrimonio habuerit, & Franciæ regina conſecrata ac coronata fuerit, cauſſa ac præſenti fortuna vehementer affici; nec quidquam ei moleſtius poſſe contingere, quam ſi ſacri illi Gallicorum liliorum flores, quibus Mariæ caput paullo ante ſplenduerat, in aliena terra marceſcere ac conculcari videantur. Quod ſi antiqui inter Galliam & Angliam federis reſpectus ab hoc triſti & cum omni ratione pugnante propoſito auocare eam non poſſit; illud ſaltim conſideraret, rem fore non noui modo & inter Reges ac Principes hactenus inuſitati, verum etiam ad omnem poſteritatem deſtabilis exempli. Principis manum non decere fulmen (vti quidam perniciоſo errore quo metuerentur, pingi voluerint) ſed clementiam potius & benignitatem: qua ſacro ſanctæ leges non modo non violentur, verum etiam conſeruentur. Rem eſſe ferè inauditam, à quocumque rege aut reginam ſupremam aliquam Principem, in quem nullum illi ius ſit, capitis ſupplicio condemnari atque affici: ſi qui vero id fecerint, eos æterna apud omnem poſteritatem infamia laborare. Regi aut Principi in neminem quam ſubditos ius eſſe. Supremos Principes non niſi à ſupremo iudice poſſe iudicari. Hanc ſententiam non modo in Mariæ, ſed ipſius etiam Eliſabethæ caput latam; vt pote quæ dictet, Reginam iuſtitiæ manibus tradi poſſe. Plagam hanc non facile coalituram. Cogitaret ſecũ, quanta mala Conradini ſupplicium inuexerit, & in primis Siculas illas veſperas. Inter Mariæ tamen & Conradini cauſſam multũ intereſſe. Hunc enim armata manu Neapolianum regnum fuiſſe ingreſſum, vt tam vitam quam regnum Carolo Andegauenſi eriperet: Mariam inermem & ſolam fere, in

(c) *Bellieurius Galliæ regis legatus exſequutionem impedire nititur.*

fere, in Angliam tamquam ad asylum confugisse, ut contra rebelles subditos cognatæ reginæ opem imploraret. At pro auxilio, viginti annorum captivitatem sustinuisse, ac tandem capitis damnatam. Non hanc idoneam esse avertendi periculi, quod tam ipsi Elisabethæ, quam religioni ac universo regno impendere dicant, rationem, quæ cum inaudita in tantam reginam crudelitate conjuncta sit. Quin potius multo majora inde pericula ac magis cruenta damna oritura. Quod si rebus suis bene consultum velit, non tam perdere quàm conservare reginam Scotiæ anniteretur: cujus vita certissimum futurum sit tam publicæ quã privatæ tranquillitatis ac salutis pignus. Hanc unam esse, quæ tam Gallorum quam Scotorum arma divertere ab Angliæ regno possit. Notum esse quorum instinctu regina ad extrema hæc & præcipitia consilia descenderit, eorum nempe qui nihil magis metuant, quam ne Elisabetha mortua, Maria regnum hæreditario jure sibi debitum assequatur, Prætextum sumi religionem, quam nuper audiente te disputarunt, conservari non posse, vivente ea quæ à teneris annis Papismi erroribus infecta, omnibus modis exstinctam eam cupiat. Atque hanc unam caussam esse, cur illam è medio, & quidem crudeli supplicio sublatam velint: in quo non reginæ commodum & regni salutem, sed suas ipsorum utilitates & affectiones sequantur. Regem vero suum reginæ omnia fausta cupere, ac rogare, ne subditis illa suis regias coronas tam contumelioſe habendi faciat potestatem: non ignarum in rebus ad imperii dignitatem & incolumitatem spectantibus optimum esse tam anticipitia ac periculosa remedia procul habere, ac nihil quod necesse non sit, mutare. Vreretur suo ipsa consilio, quod Gallorum regibus per bella ista civilia non semel dedisset: quum certum sit, tam acerbas pœnas de summis Principibus in quos nulla nobis potestas est, sumtas, non modo non prodesse, verum etiam summa pericula & gravissima damna afferre. Quod si posthabitis bonis consiliis afflictam reginam, non, prout clementiæ & hospitalitatis lex postulat consolari, sed ex mera invidia atque odio pessumdare ipsa voluerit; regem suum eam injuriam quam gravissime laturum, ejusque ulciscendæ rationes initurum: ut in re quæ ad communem omnium Regum & supremorum Principum, & inprimis ad Galliæ Regum injuriam ac contumeliam pertineat.

Differentem ita, ac multa alia dicentem Bellieurium, Elisabetha contra quam alias solita erat, impatienter audivit, tandem vero ita respondit: Quandoquidem res hæc tam gravis sit atque ardua, se cum suis Consiliariis super ea amplius deliberaturam. Ad id vero tantum Bellieurii oratio miseræ reginæ profuit, quod exsequutio sententiæ tres menses fuerit dilata. Hæretici interim tam Angli quam Galli Elisabetham urgere non desistebant, hi monendo ac varia consilia ac pericula comminiscendo; illi supplicando. Prædicantes inprimis nulla re suam illam religionem incolumem conservari ac stabiliri posse clamitabant, quam Mariæ reginæ morte: quæ Angliæ sceptro olim potita, sine dubio alterius illius Mariæ exemplum imitatura, & exstincta vera religione, Papismum reductura, & totam insulam tyrannico Pontificum jugo rursus subjectura sit. Sed & universum Elisabethæ consilium Lotharingicæ & Guisianæ domus odium incitabat. Ad pericula quod attinet, Galliæ regem suis rebus ita impeditum esse ajebant, ut nihil minus quam de Anglia oppugnanda cogitare possit: idque facile ipsos Hugenotas prohibituros. Scotiæ regem, in cujus regno tantam ipsa habeat factionem partibus suis addictam, non valde metuendum esse: ac facile animum ejus successionis in regno spe placari posse. Guisianorum non eas esse opes, ut tanto regno metuendæ sint. Hispaniæ regem jam ante capitali odio Elisabetham persequi: hacque ipsa ratione non minimam nocendi ipsi occasionem sublatum iri. Et ut horum nihil esset, incertum tamen quodcumque bellum tantum periculi non habere, quãtum longior Mariæ vita non modo ipsius Elisabethæ vitæ, sed & religionis & totius regni statui atque incolumitati allatura sit; ut quæ factionis suæ viribus Angliæ sceptrum comparare sibi nunquam sit cessatura. Quin jam illam à plerisque Catholicis pro regina ac suprema domina agnosci, atque ita nominari. Apud regni ordines reginam non semel conquestam esse, adeoque ægerrime tulisse, quum ut proximi sibi hæredis & successoris nomen ederet, rogaretur. At Papistas non modo Mariæ hoc jus post mortem Elisabethæ, sed ipsa adhuc vivente, tribuere ac vindicare. Quibus aliisque rationibus homines invidi & Catholicæ religionis hostes infestissimi Elisabetham perpulerunt, ut de Maria supplicium sumi jusserit.

III. Maria interim mortis nuncium exspectãs, in carcere cœlestem quasi vitam auspicata erat, assiduæ divinarum rerum contemplationi, precationi

tioni,[a] jejunio, aliisque spiritualibus exercitiis dedita, jam viam sibi ad cœleste illud gaudium parans. Quum paullo ante mortem in morbum incidisset, Medicus ægre à custodibus veniam prodeundi impetrare potuit ut herbas quasdam ad remedium necessarias quæreret Decreta Mariæ morte Elisabetha Besleũ ad Comites circa Fodringhanum habitantes misit: qui unà cum rerum capitalium quæsitore XXV. Februarii Fodringhamum venerunt; statimque à prandio Mariæ regiuæ significarunt, habere se quod cum ipsa loqui vellent. Illa quamvis in lectulo ægra decumberet, nihilominus nunciari eis jubet, si res magna sit de qua secum agere vellent, brevi paratam fore Sic ergo è lecto surgens, ad pedes ejusdem consedit, frontem quantum in illa fortuna poterat, explicans, & gaudio aliquo modo renidens, quum in quotidianis precationibus assiduas lachrymas profunderet. Ingressus ergo ad eum Sarisburiensis unà cum Cantii Comite. Amia Pauleto, Drurio & Besleo, nudato capite, aduentus sui causam exposuit: nimirum, Reginæ ac Consilio ipsius, uti & universis regni statibus, bonum & ad quietis ac publicæ salutis conservationem necessarium visum esse ut sententia contra ipsam lata exequutioni demandaretur. Lectis inde à Besleo tam sententia quam Elisabethæ mandato; Maria intrepido animo sic loqui cœpit: Misericordiæ quædam species est, eos quos perdere semel decreveris, longiori mora non torquere. Quamvis autem captivitas mea, in qua jam viginti annos per summas miserias & ærumnas vixi (si vita dicenda est, & non potius crudele supplicium, in qua viva simul & mortua omnibus visa sum, quum nec vivendi initium nec moriendi finem reperire possem) cita morte me frustrata sit; tamen vel jam quoque quod affertis mihi nuncium gratum mihi est, quum brevi omnibus me miseriis defuncturam intelligam: eoque nomine magnas vobis habeo & ago gratias. Mortis quidem hujus ignominiam innocentia mea facile delebit; at ægritudinem, quas in carcere hactenus perpessa sum molestiæ abstergent. Equidem postquam Mundi vanitatem, hominum perfidiam, ac rerum omnium inconstantiam experta sum, dici non potest quantopere omnia hujus Mundi regna & opes contemnam, & mortem, quam in propinquo tamquam omnium mearum ærumnarum finem ac salutis portum video, obviis ulnis excipere cupiam. Optatissimum hoc nuncium tribus jam integris mensibus summo desiderio exspectavi: quãvis, ut verum fatear, illud animo meo quodammodo molestum est, quod ex fide illa quam juramento sancitis Reginæ sororis meæ promissis habui, nullum aliud fructum cepi quam justum dolorem, jam, licet sero, tam turpiter deceptam me videns. Sed utut sit, me quidem vita citius quam ipsi serviendi voluntas deficiet; hancque benevolentiam & desiderium mecum in sepulcrum feram. Nunc illa una consolatio me sustentat, quod pro Dei ac Catholicæ religionis caussa mortem obeo: cui & pauxillum hoc quod reliquum mihi est vitæ; & quidquid in venis ac corpore meo restat sanguinis, lubens consecro, summo ad alteram illam vitam quamprimum transeundi desiderio accensa. Sed & illud mihi non levi est solatio, quod intelligo regni hujus statum, & coronam optimæ meæ sororis, cujus magnitudini, Deum testem laudo, numquam invidi, per mortem meam omni periculo liberatum iri: etsi vereor ne commoda illa quæ mortem meam nonnulli allaturam putant, in gravissima damna & pericula propediem commutentur. Equidem numquam sperassem, sororem meam tanta severitate, vel potius crudelitate in me usuram, quum nulla re à me læsa aut offensa sit: nisi quis pro læsione illud interpretari velit, quod misera & captiva femina ex carcere evadendi rationes non negligat. Qua in re si quid culpæ est, certe tam atroci pœna vindicari non debet. Regina sum libera, neque ullius hominis imperio subjecta, & vel invitis omnibus, talis moriar. Caput meum funestum Anglis erit spectaculum; & vestrum quod ex morte mea capitis, gaudium, gloriæ mihi erit & triumpho. Multi splendorem magis gladii quã ipsum ictum formidant: at ego illius in caput meum paratæ funestæ securis tam splendorem quam ictum magno animo contemno. Nullum vobis nec in corpus nec in animam meam est imperium: quorum alterum quum à vestra injuria defendere non possim, Deus saltim alterum conservabit: in cujus manus me totam tradidi, omnẽque propriam à me voluntatem abdicavi, ut ipsius voluntati in æternum obediam. Inter omnes fortunæ adversitates nihil aliud secundum aut faustum exopto quam Dei gratiam: quam consequuta, non potero non beate mori. Cur non renidenti vultu cœlos aspiciam, quum illi renidenti vultu me ad se vocare videantur? Cur non bono meo gaudeam,

[a] *Mortis sententia contra Mariam ejusq; responsio.*

gaudeam, quæ omnibus malis jamiam liberam me fore video? Cur non felicitatem hanc mille vitis potiorem, cupido animo amplectar?

IV. Hæc quum illa renidenti ac serena fronte, [a] ex qua facile summâ animi tranquillitate cõjicere licebat, dixisset, imposita SS. Bibliis Anglica lingua, sed à Catholico viro, conscriptis dextera, interposito juramento protestata est, numquam se quidquam contra Elisabethæ sororis suæ vitam machinatam esse, nec de ea evertenda umquam cogitasse; sed potius optima & faustissima quæque optasse. Ibi unus circumstantium, Iuramento huic fidem se habere posse negavit, utpote quod libro Papistico adhibito fieret. Adeo eis quibus mors destinata est, omnia in exitium vertunt. Secundum hæc regina à Commissariis petiit, ut quod restaret vitæ quiete transigere, atque interim de rebus suis disponere sibi liceret; utque eum in finem chartæ aliaque jam dudum ablata, quæ nemini tamen utilia esse possent, sibi restituerentur. Besleum consolari volentem illa interpellavit, ipsius consolatione nihil opus se habere dicens. Quum ille ut saltim Decanum Petroburgensem, hominem eruditissimum, audiret, periisset; Regina, Si Catholicus est, inquit, lubenter sane audiam; sin minus, rogo ut Eleemosynario meo ad me aditus permittatur. Quod quum Besleus illæsa conscientia ac sine gravissima reginæ suæ offensione facere se posse negasset, simulque hæreticorum more quædam disserviisset illa ita respondit, ut postea Besleus numquam os nisi in laudes ipsius aperuerit, omnesque reginæ tam ingenium quam constantiam admirati sint. Antequam digrederentur Comites reginæ significarunt, postridie moriendum ipsi esse: quo nuncio nihil illa turbata statim sequentem epistolam ad Eleemosynarium suum scripsit.

Hodie ab hæreticis tam ut religionem meam desererem, quam ipsorum uterer solatiis, impugnata sum. Ex Burgonio vero & aliis intelliges, me de fide mea, in qua mori certum mihi est, fideliter protestatam esse. Petii ut mei conveniendi tibi potestas fieret, quo peccata confiteri & sacramentum è manibus tuis recipere mihi liceret. At id crudeliter mihi negatum; ut & transportandi in Galliam corporis mei, & condendi testamenti, aut quidquam aliud nisi per ipsorum manus scribendi potestas. Quandoquidem ergo te aut alium Catholicum sacerdotem habere non possum, peccata mea universim, quæ speciatim enarratura eram, confiteor; teque in nomine Dei precor & obtestor, ut ad peccatorum meorum expiationem hac nocte mecum vigilare, Deumque pro me obsecrari, tum absolutionem ab omnibus peccatis mittere mihi velis. Conabor equidem ut præsentibus illis convenire me tibi liceat (quod de aulæ meæ Præfecto jam mihi permissum) tumque genibus tuis advoluta, benedictionem à te petam. Interim velim ad me certas precationes mittas, quibus tam hac nocte quam sequenti mane commodissime uti possim. Tempus enim breve est; nec scribere mihi amplius vacat. reliqua tibi commendo &c.

Viribus inde exigua buccella paullum refocillatis, omne ad se domesticum ministerium convocavit, & ubertim flentes ac plorantes suavissimis verbis, ipsa, jam animo nihil quam mortis imagine obversante, consolata, quod reliquum habebat auri & argenti, vestium & aliarum rerum distribuit, singulos rogans, ut Deum pro se precarentur. Oratorium mox ingressa, litteras quasdam scripsit: deinde nudis innixa genibus totam noctem in oratione, & Passionis Domini Nostri Iesu Christi contemplatione transegit, bis tantum interim surgens, pauxilli vini sumendi gratia quo vires adversa valetudine, præter alia incommoda, valde prostratas, reficeret. Paulo ante diem, quæ longam illam mortis noctem allatura ipsi erat, duas gynæcei virgines, quæ in oratorio remanserant, & ipsas egredi jussit: tumque solitaria multo ardentius in preces effusa, sacratissimum corpus Christi ex suis ipsa manibus accepit (ut quidam affirmant) facta ad id in casu necessitatis, à Pontifice singulari potestate, ne tam salutari viatico privaretur. Circa horam nonam prætor seu capitalium rerum quæsitor advenit, album baculum manu ferens: illam vero nihilominus orationi ferventissime insistentem, duo nobiles, quos Pauletus cubiculo apposuerat, ut surgeret monuerunt, qui deinde fassi sunt, se tantam ac tantis tam animi quam corporis dotibus ornatam reginam sine summo dolore ac commiseratione aspicere non potuisse.

V. Antequam cubiculo egrederetur, [a] tam ministros quam virgines lachrymis, singultibus ac dolori nimium indulgentes, sic affata est: An vos quietem meam mihi, ac bonum vestrum vobis ipsi invidebitis? Me quidem si amaretis, gratularemini mihi, jam mox tot ærumnis & calamitatibus

[a] *Quanta constantia supplicium adierit, &*

miratibus quibus jam diu oppressa fui, liberandæ. An nulla alia arma nobis sunt quibus afflictionem hanc vincamus, [a] quam impotentes lachrymæ? Quid? non vos laborum meorum finem, & gloriæ initium videtis? O quam amœna & jucunda via est quæ ad cœlum ducit! O beatas animas, quibus ex miseriarum hac valle quamprimum emigrare, & ad sui originem revolare datur! Vt totus hic terrarum orbis, & omnia quæ in eo sunt, ad cœlestes illos orbes & ingentem machinam nullam habent comparationem; sic tota etiam longissimæ hominum vitæ periodus ad sempiternum illud ævum minus nihilo est. Mequidem nihil in hac mea morte sollicitam habet, quam quod fidelia vestra officia & diuturna servitia non uti volo remunerari aut compensare possum. Hoc tamen quidquid est, à me accipite, tam animi mei erga vos pignus quam adversi mei casus monumentum. Mei vos, quæso, tamquam dilectæ vestræ reginæ memoriam, quoad vixeritis, illibatam in futurum conservate; jam vero in dulci cœlestis gloriæ, quam à Deo mihi paratam spero, memoria ut moriar permittite.

Hæc quum illa magno animo dixisset, nec quisquam esset qui lachrymas & singultus teneret; Comes Sarisburiensis cubiculum reginæ ingressus, monet ut eò discenderet ubi jam ad funestum illud spectaculum omnia erant præparata. Tum illa exigua panis buccella & vini haustu sumto, velum capiti injicit, quumque iterum toti gynæceo osculo genis impresso valedixisset, ministris vero dextram osculandam præbuisset, ad supplicii locum alacri gressu perrexit.

Hei mihi! quæ video spectacula! Siccine tantam
Reginam, longa serie tot Regibus ortam,
Illam quam nuper venerata est Gallia regis
Vxorem, Scotiæ patribus quæ jura vocatis
Non pridem dederat, duplici diademate fulgens,
Illam qua majus nil tota Britannia habebat,
Infamis cæsam, (scelus ah!) periisse securi!

Eadem majestate qua semper ante solita fuerat gradientem, ex ministris nonnulli, quibus id permissum fuerat, ad feralem supplicii locum sequebantur, qui totus pullata veste inductus, non tam luctum omnium piorum testabatur, quam supplicii & atrocitatem & injustitiam detestabatur. In medio podium ligneum erat erectum, quadratum duodecim pedes longum & latum, duos altum. Ad id quum venisset regina, Amiam Pauletum rogavit ut enitentem adjuvaret, dicens: Vltimum hunc fore laborem quem ipsi impositura, ac primum gratum officium quod ab illo postulatura esset. Mediæ inter Sarisburiensem & Cantii Comites stanti Besleus sententiam & exsequutionis mandatum prælegit: interea vero spectatores plerique attoniti, vix sibi ipsis credebant, se videre tantam tamque omnibus animi ac corporis dotibus ad unguem perfectam Principem, in tam tristis mortis confinio versantem. Et quemadmodum, ut est in vulgato versiculo,

Gratior est pulcro veniens è corpore virtus:

Sic omnibus illud numeris absolutum formæ decus & corporis pulcritudo, animi perfectionem quæ præcipue in constantia ac mortis contemtu elucebat, plurimum commendabat.

VI. Postquam ergo in vere regio hoc throno [b] (è quo plus ipsi gloriæ quam omnibus regibus ex omni regia pompa accessit) constitisset, oculisque intrepidis totum conclave, in quo trecenti circiter homines congregati erant, percurrisset, in genua procidens, paucis verbis iterum de innocentia sua protestata est, sanctissimeque juravit, Dei nomen in testimonium advocans, nihil se contra fororis suæ (sic enim in omni sermone eam appellabat) vel vitam vel regni statum machinatam esse, aut cum quoquam conspirasse. Tum circumstantes his verbis alloquuta est: Vix dubium mihi esse potest, quin inter tam multos, qui tristem hûc meum, Francorum & Scotorum reginæ, & Anglicani regni hæredis, finem spectatum huc convenistis, non omnino nulli sint, qui fortunam hanc meam & tristem vitæ exitum commiseratione, atque adeo lachrymis prosequuturi sint: quos tamen rogatos velim, ut innocentiam potius meam laudent, quam mortem (quæ nihil nisi gaudium & solatium mihi afferre potest) deplorent. Equidem morior expers omnium quorum arguor criminû, & animam meam pro Catholica religione, in qua semper vixi, sacrifico. Quod si post diligentem in omnes meas actiones & consilia inquisitionem, quidquam deprehensum foret quo sororem meam non dico læsissem, sed vel minima injuria aut molestia affecissem; equidem vita indignam me ipsa putarem. At licet nullius omnino mihi erga ipsam delicti conscia sim Deus tamen ad aliorum meorum peccatorum expiationem ad extremam hanc me necessitatem deduxit, infirmis quidem periculosam,

[a] *quibus verb. suos consolata sit.* [b] *Ejus extrema verba, & glorioſus exitus.*

losam, sed gloriosam iis qui per crucem Salvatoris omnia superant & vincunt. Quare mortem hanc tamquam à Deo missam accipio: quem humillime veneror precorque, ut iis qui tristem hunc mihi exitum præpararunt, clementer ignoscat; gratum mihi illum quidem, nisi falsus qui obtenditur prætextus, ingratum mihi eum quodammodo & amarum redderet. Mihi tamen illud solatio est, quod Deus ipse, qui solus occulta hominum, atque adeo ipsa cordis penetralia videt, tandem aliquando innocentiam meam dissipatis injustitiæ nebulis, in lucem producet. Et ratio contra me instituti processus, & cetera omnia coram Deo & æquis hominibus satis superque non modo à mortis reatu, verum etiam omnis criminis suspicione me excusabũt. Meo exemplo mundani homines sceptra, coronas, & quidquid in hoc Mundo est, discent contemnere postquam me quoque tam luctuosum fortunæ ludibrium debuisse videbunt. O quam periculosa, quam exitiosa est hæresis iis in locis ubi imperium nacta est! Quod si in hoc cœtu quisquã est Catholicus, eum ego rogo atque oro ut Deum pro salute mea deprecari, mihique innocentiæ & mortis in Catholica Apostolica Romana religione obitæ, testimonium perhibere velit: iterumque protestor; libertatem hanc unam ob caussam à me quæsitam atque optatam, ut Catholicam religionem in hac insula promovere possem. Atque ita clementissimæ Dei voluntati unice acquiescens, morior, qui brevem hunc dolorem & ignominiam æterna gloria mihi compensabit.

His dictis, [a] ad aulæ suæ præfectum conversa, rogavit ut tam triste nuncium ad regem filium, atque unà extremam hanc matris benedictionem quam crucis signo expresserat, perferret. Hujus, ajebat, injuriæ ultionem Deo commendo: simulque omnibus ita ignosco, uti peccata mea à Deo mihi condonari volo. Deinde ad Anniam Pauletum, Quæso, inquit, mi Paulete Elisabetham sororem meis verbis exora, ut quæ miseris meis famulis testamento legavi, rata habeat, neque severius eos tractet, quod eorum nonnulli meam tamquam reginæ & dominæ suæ libertatem procurare satagerunt: in quo quum fidelium ministrorum officiũ fecerint, sane non tam pœnam quam laudem merentur. Illud vero quod reginam sororem rogavi, ut corporis mei in Galliam transportandi meis fieret potestas, nec quidquam ipsi obesse potest, & regali meæ dignitati est debitum. Nec mirum videri debet quod in terra amica & sancta, & quæ Catholicam colat religionem, requiescere cupio, ut nimirum precationum aliorumque meritorum fiam particeps: etsi non ignoro, etiam ei qui in sterquilinium abjicitur, à Natura paratum esse sepulcrũ. Ecce tibi admirabilem charitatem, constantiam, & Christiana Principe dignum studium. Ethnicorum est & hæreticorum omnem sepulturæ curam susque deque habere, & cum illo Philosopho nihil interresse putare, humine an in sublimi corpus putrescat: aut cum Wiclepho dicere, Mundũ universum Dei esse templum, nec referre in qua ejus parte quis sepeliatur. Sed ad luctuosæ mortis revocor narrationẽ. Extremis erga homines precibus & mandatis defuncta regina, ad Deum preces Latina lingua fundere cœpit: quas quum Minister quidam interrupisset, illa vero quæ cum hæreticis nihil commune sibi esse vellet, ægerrime hoc ferret, Sarisburiensis Ministrum tacere jussit. Tum illa alias deprecationes, *Libera me Domine*, & *Miserere mei Deus*, recitans; quum gynæcei virgines singultientes audivisset, ad eas conversa, per Deum obtestata est, ut casum hunc patienter ferrent. Post longam precationem à Cantii Comite iterum tentata fuit, sumta occasione ex Crucis quam manibus illa gestabat, effigie, quam nihili ajebat esse; ac satius fore si crucem Christi pectori haberet impressam. Cui illa gravissimis verbis respondit, signum hoc sive objectum valde esse necessarium, ut quo animæ ad cœlum, quod illo reseratum sit; eleventur. Vix quisquam sane aderat, qui in tam tristi spectaculo lachrymas teneret. Finitis precibus, ac ter Crucis expresso signo, surrexit, & pedissequarum opera velum ac superiores vestes posuit. Accedentem carnificem holoserico amictum, & torque aureo superbientem, & operam in detrahendis vestibus præbere volentem, illa manum abstinere jussit; ægre tamen impetravit. Quum Crucem quam collo gestarat, pedissequarum uni donare vellet, atque pro ea duplum precium carnifici offerret, repulsam passa est. Ferali ergo linteo pedissequarum opera velatis oculis, & venia carnifici data, in genua rursus provolvitur, & Pario marmore candidiori protensa cervice, gladii ictum exspectabat. Sed carnifex caput trunco impositum, ter repetito ictu abscidit. Sanguis argentea pelui fuit exceptus. His pleraq; omnia similia apud Puckeringium Scoticarum rerum scriptorem, descripta exstant.

[a] *Extrema ejus mandata.*

Ecce Caledoniũ commissa piacula regni,
Infandumque nefas; quum regia colla securis
Et geminum diadema ferit: quo nulla vetustas
Funere majus habet seris nec proferet annis
Posteritas magnique necem mirabitur instar
Prodigii. Regina, tuam Sed gloria major,
Quo tibi culpa minor; tantoque celebrius orbe
Nomen erit, quanto fidei constantia major,
Dum jugulum petit intrepidum scelerata securis.
Quæ tibi mens tum lictor, erat, quum verbere crudo
Colla secas, manibus quæ non contingere fas est?
Si Marium post Teutonicos mors ipsa triumphos
Fugit, & attonito percussor constitit ore:
Tu Mariam vita privas, nec torpuit ictus
Majestate sacri capitis, ferrumve repressit
Dextra nec augustos acies defecit in artus?
Hei quantus Regina jacet ter maxima truncus!
Quæ matres Regumque nurus supereminet omnes.

Caput abscissum carnifex aliquamdiu spectatoribus ostentavit, cum his verbis: Deus incolumẽ servet reginam Elisabetham. Deinde: Sic pereant omnes Evangelii hostes. Quam lugubre, Deus bone, spectaculum! Videre tantæ Reginæ caput à corpore resectum, cruore adhuc madens, in carnificis manibus! illud caput inquam, cui nec continuæ ærumnæ & res adversæ, nec viginti annorum captivitas, nec mortis terror (qui multis sæpe una nocte canos attulit, totumque corporis habitum immutavit) nec denique ipse cruor nativum decus & incomparabilem olim pulcritudinem ita auferre poterant, quin ejus aperta lineamenta etiam in funesto illo actu apparerent. Petierat à Pauleto Mariæ gynæceum, ut mortuæ corpus sibi exuere, & in loculum componere liceret, utque ab eo carnifex manus abstinere juberetur: sed id impetrare non potuerunt. Asportatum inde in cubiculum, tum primum quum jam corrumpi inciperet, balsamo fuit inunctum, & plumbeo loculo inclusum: ac tandem sine ullo honore aut pompa funebri, Petroburgi in templo sepultum, ubi jam olim quoque Catharinæ Hispanæ, ejus quæ Caroli V. soror, & Henrici VIII. Angliæ regis uxor fuit, corpus fuerat humatum. Inter alia Angli scriptores qui historiam hanc mille mendaciis & falsitatibus, quoad crimina Mariæ imposita causamque supplicii, referserunt, ajunt, asseres è quibus pegma constructũ fuerat, pannos, pavimẽtum & quidquid cruore respersum fuerat, aut aqua ablutum fuisse aut flammis traditum; quod scilicet metus esset, ne olim ista inter reliquias asservarẽtur & honorarentur. Sũto de Maria supplicio, statim Comitis cujusdam filius ad Elisabetham fuit ablegatus, qui de tota re certiorem eã faceret. Cujus rei fama ubi Londini percrebuit, per totam urbem statim campanarum sonitu & accensis ignibus, publicæ lætitiæ signa data sunt; ac parum Anglus habebatur, qui non magno gaudio exsultare videretur. Elisabetha vero accepto nuncio eo die in cubiculum se abdidit, verita scilicet ne probro sibi haberetur, si de cognato sanguine ipsa triumphum velut ageret, ac tam ignominiosa morte propinquæ suæ lętaretur. Nec tamen vultũ ita fingere aut ad tristitiã componere poterat, quin occultæ lætitiæ indicia se proderent. Quamvis autem nobilissimæ reginæ morti quamplurimi illachrymarint, tum multi etiam summi Reges ac Principes enormiter ea se læsos senserint; nemo tamen justa ultione maculam hanc delere conatus est. Gallia religionum dissidiis & civili bello ita erat implicita, ut exterarum rerum curæ superesse aut vacare nõ posset. Reliqui vero Christiani Principes ocioſi tam cruentæ tragœdiæ spectatores, quã injustæ cædis ultores esse maluerunt. Sed quis non miretur, filium quoque tantis doribus ornatũ sic matris oblitum, ut de ejus morte ulciscenda nũquam cogitasse videatur? Atqui erit fortassis, quando tanta, ut mollissime dicam, patientia apud posteritatem probro ipsi erit: quum Naturæ, divinis & humanis legibus tam matris quam suum ipsius honorem reparare teneatur.

Sed Deus, ipse Deus tanti se criminis olim
Se dabit ultorem, novus aut nascetur in orbe
Alcides, qui reginæ miseratus iniquum
Hospitis exitium, vindex secet æquora classe,
Pollutumque manu cognato sanguine regnum
Expiet armata, ac doceat manfuescere sævos.
At te tantarum moveant spectacula rerum,
Hæresis, incutiantque tibi tua monstra pudorem,
Si quis adhuc superest: tua nunc fraus omnis, & error,
Et tacitis patuere dolis, positisque bidentum
Exuviis, patefacta lupi præcordia crudi.
Sed tolluntur humo suspiria, nubila fumum
Sanguinis excipiunt insontis, & ipse piorum
Exaudit lachrymas genitor, nec deseret umquam
Militiam dux ille suam, nec parva rependet
Præmia, sed rutilis victores inseret astris;
Perpetuoque regem electum tutabitur ævo.
Non eadem tibi conditio, non fata parantur,

Impietas,

Impietas, dabis æternas, dabis improba pœnas
Tempore, cumque tuis auctoribus ipsa peribis.

Atque hic fuit exitus Mariæ Iacobi V. Scotorum regis filiæ, Francisci Galliarum regis conjugis, Anglicani regni hæredis : cujus tam animi quam corporis dotes, antequam finem capiti huic impono, paucis describere operæ precium videtur.

Nata fuit Maria Anno M. DXLII. mense Decẽbri, ex regali Stuardorum, Scotiæ regum familia, patre Iacobo V. & matre Maria Guisia, Longovillani quondam Ducis vidua, mortua anno M. DLXXXVII. mense Februario. In Galliam abducta fuit Anno M DXLVIII. mense Augusto, quum vix sextum ætatis annum attigisset: ut Angli, qui sui regis filio eam conjugem expetebant, ea spe frustrarentur: quod ut inter Gallos & Scotos summæ necessitudinis, ita inter Anglos & Scotos acerbissimi odii & inimicitiæ, quæ magnis cladibus utrimque fuit exercita, caussa fuit. Mortuo Francisco II, marito, eodem mense, nempe Augusto, Anno M.D.LXI. in Scotiam rediit : ubi Henrico Stuarto Darlæo Læviniæ Comitis filio, eoque suorum fraude ac proditione occiso, Bothuelio Comiti coacta nupsit. Tandem à suis ipsa quoque prodita, & prœlio cum rebellibus commisso victa, in Angliam confugit, ut cognatæ reginæ armis & ope, liberaliter ab Elisabetha ultro promissa, ad recuperandum patrium regnum uteretur. Veram & legitimam Anglicani regni fuisse hæredem ne ipsi quidem Angli vel quicumq; hæretici negare possunt: utpote nata ex Margaritæ, quæ Henrici VII. Anglorum regis fuit filia, & Iacobi IV. Scotiæ regis conjugio; quum jam ex Henrici VIII. posteris præter Elisabetham nemo esset superstes. Catholicæ Romanæ religioni à teneris annis innutrita, eandem non solum semper professa & constantissime, quantum in regno hæresibus penitus corrupto fieri poterat, tutata est, verum etiam pro ea vitam profundere non dubitavit Certum enim est; ob duas has potissimum causssas Mariam morte affectam. Primo, odio religionis: quod hæretici, ea viva; Catholicis numquam patrocinium & resurgendi spem defuturam intelligerent. Deinde, metu successionis: quod iidem facile ruinam suã prævidebant, si Maria aliquando (quod jus utpote proximæ & legitimæ hæredi, vivæ numquam eripi poterat) rerum in Anglia potiretur. Quum ergo male actum secum iri viderent, si Elisabetha ante Mariam moreretur, id operam dederunt, ut ante Elisabetham mori cogeretur. Ad animi & ingenii dotes quod attinet, non solum tanta femina sed Principe etiam dignis virtutibus ornata fuit: sed constantia ejus præcipue in morte enituit, ob quã vel solam felicium & beatorum numero adscribere eam non veremur. Ingenio fuit vivo & supra sexum capaci. Sex linguarum gnara, quas omnes non utcumque sed eleganter callebat Latinæ scilicet, Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ, Angliæ & Scoticæ: adeo ut eruditio quam in filio ipsius rege miramur, quasi hæreditario à matre accepta videatur Formæ venustate ac totius corporis ad elegantiam compositi decore, paucas illius ævi æquales, superiorem certe neminem habebat Tantam vero in omni vita fortunæ inconstantiam experta est, ut inter illustria exempla merito possit numerari. Ac quamvis vita ejus exitum habuerit valde durum & cruentum, nihilo tamen ceteris qui mollissime decedunt infeliciorem, sed fortunatiorem etiam fuisse merito censemus. Et si rationes recte putamus, diversæ quidem sunt semitæ quibus ab hac vita eximus, unus tamen idemque locus est quo omnibus tandem est veniendum: veluti diversis carceribus emissæ quadrigæ per stadium ad unum eundemque calcem decurrunt. Recte Philosophus ille mortem unam alia majorem esse negabat, sed æquali mensura mortem in mortales omnes exercere imperium & vim suam, illam nimirum qua finem vitæ imponit. Mortem vero unam beatiorem esse altera ut non nego, ita inter maxime beatas hujus reginæ mortem numerandam affirmo : ut qua Catholica religio & Dei gloria plurimum fuerit illustrata. Nos quidẽ omnibus votis optamus, ut tantæ reginæ filius aliquando ad Catholicæ Ecclesiæ gremium revertatur, atque ita ceteris virtutibus hoc uno, sine quo illæ nihil, colophonem addat : Ad extremum glorioſissimæ reginæ martyrium hoc epigrammate, quod in Theatro Crudelitatis hæreticorum legitur, concludimus.

Post varias clades miserorum: & cædis aceruas:
Insontum, comes exornat spectacula mater
Supplicio, & regum soror & fidissima conjunx.
Illa Caledoniis diademate clarust oris,
Sed micat in cœlis fulgentior: inde corona
Sanguinis, infandæque manet vindicta securis.

(a) *Mariæ reginæ natales, ingenium & mores.*

DE HIBERNIÆ REGNO, AC BELLIS IN eo ob religionem gestis : deque statu Ecclesiæ, & persequutionibus contra Catholicos excitatis.

Caput Vicesimum.

ARGVMENTVM.

I. *Elisabetha regina quomodo Hiberniæ imperio potita sit.*
II. *Vulgus apud Hibernos ad conciones hæreticorum vi cogitur, nobilitati interim Catholicæ religionis exercitium domi conceditur, ad confusionem hæreticorum.*
III. *De Vltonia provincia, & præcipuis ejus magnatibus.*
IV *De Momonia, & seditionibus in ea excitatis.*
V. *De Connacia, & miraculis quorumdam martyrum in Hibernia.*
VI. *Patricii Ochelii Episcopi sanctitate conspicui martyrium, &c.*

I. EQuidem nihil magis cuperem, quã lectoris animum tam frequenti atque injucunda incredibilium crudelitatum mentione hactenus defatigatum & attonitũ, in fine hujus Historiæ aliquo modo recreare, ac veluti novo aliquo sole preteritam tempestatem rursus serenare. Quis enim tanta tamque impia facinora & flagitia in miseris Catholicis designata legens, non dico frontẽ non caperet, sed demisso vultu, quantum potest, fugiat, & horum frontem hæresim detestetur? Sed me miserum! Quocumque me verto, nihil nisi tristissima quæq; & nescio an illis supra recitatis pejora occurrunt : adeo ut quo calamum meum intingam, nihil videam nisi sanguinem piorum martyrum; nec ulla verba quibus narrationem hanc absolvã, reperiam, quam equuleos, fidiculas, ferrum flammas repræsentantia. Ac quamvis non invitus infelici illa terra pedẽ extulerim, oramq; Angliæ solverim ut merito jam inimicas atque infestas Catholicæ religioni terras exhorrere debeam : facere tamen non possum, quin in proximam insulã Hiberniam vela faciam cursumque dirigam, ut & quæ ibi hæresis patravit, vel saltim centesimam eorum partem lectori ostendam. Hic vero ego nequaquam cum Homero sentire me profiteor, qui in principio suæ Iliados ita canit:

Non curant humana dii, nec quisquis in alto
Est positus quæ sunt infra se respicit, expers
Sed curæ, placidus tranquillum transigit ævum.

Non ita, inquam, Domine: sed tuam agnoscimus manum, peccata nostra hoc modo punientis, & regna Mundi pro liberrima tua voluntate disponentis. Tu enim infelix illud Anglicanum regnum velut pro derelicto hactenus habuisti, quod quidem tamdiu sub gravissimo omnium malorum onere gemet, donec tua expiata indignatione, bellum Ecclesiæ facere cessabit, & à sanctorum cædibus & persequutione abstinebit. Diligenter quidem scriptorem aliquem investigavi, qui omnem regni hujus historiam (quantũ quidem ad nostrũ institutum attinet) accurate persequutus esset, aut coram ipse singula vidisset atque annotasset : quia vero talem nancisci non potui, pauca modo perstringemus; ac velut olim Magellanus terræ Australis antarcticæ, sic nos regni hujus oras tantum legemus, ac de longinquo inspiciemus. Equidem ea tantum hic narrabo quæ ex sacerdotibus nonnullis ob Catholicam religionem ex Hibernia profugis, audivi.

Hibernia dividitur in quatuor partes seu provincias principales, Vltoniam, Connaciam, Momoniam, Lageniam: quibus aliqui quintam addũt, Mediã; quod in medio Insulæ sit posita. Et hæ quidem etsi omnes tam natura quam arcibus & præsidiis satis munitæ sunt: sola tamen Vltonia Anglorum armis invicta hactenus restitit, immò & ab iisdem præclaras victorias reportavit Elisabetha sane in populis his subjugãdis omnia extrema remedia adhibuit, sæpius tamen fraude quã viribus usa. Sed frustra alia arma ab hæreticis, quibus pugnent, requiras. Illa enim quamprimum prælio victam se, suasque res profligatas animadvertit, pacem Catholicis quibus vellent conditionibus indulsit: deinde promissis duces duxit atq; illexit, ac tandem Londinum perductos, capite truncari jussit. Illud tamen non sine divino miraculo factum videtur, quod quascumque etiam vires in universo hoc regno expugnando & sub jugum mittendo adhibuerit, sæpius tamen exercitus bene ordinati, & quidem ab hominibus sine ullo ordine fere pugnantibus victi sint.

Sed illud lõge mirabilius est, [b] quod etiã armis Anglo-

[a] *Quomodo Elisabetha Hiberniæ imperium acquisiverit.* [b] *Hiberni Catholicæ religionis tenacissimi, & jusque exercitium Nobilibus permissum.*

Anglorum victi populi, ab hæresi tamen hactenus vinci non potuerunt, sed hodieque in Catholica à majoribus accepta religione constantissime perstant. Quis non miretur è tot populis vix unum repertum qui non dico operam suam novo Evangelio annunciando impendat (quod illi in gentilibus suis detestantur) sed qui Protestantiũ concionesfrequenter, nisi coactus? Nobiles certe Hiberni, qui in procerum Anglorum aliquod regni munus administrantium sunt comitatu; dominos ad templi usque portam comitantur, minime tamen ingrediuntur, sed inde ad suam quisque domum se confert, sacris ibi patrio & Catholico ritu operaturus. Nec mirum tam altas in Hibernorum animis Catholicam religionem egisse radices, quum regnum hoc inter pauca unum sit quæ Christianam fidem prima susceperunt, nimirum Anno CCCXXXV regnante apud Scotos Finchomarcho rege. Et hoc quidem mulieris Pictæ cujusdam opera, quæ reginæ insinuata Anno CCCXXII. Christi nomen illi mirifice prædicavit reverendumque effecit: Regina Regem docuit, Rex autem universum populum ad sacrosanctum baptisma suscipiendum disposuit circiter dictum annum CCCXXXV. Ex eo tempore gens hæc quantumvis fera, castissime tamen Catholicam religionem semper coluit, & magna ex parte adhuc colit, Nobilitas præsertim, quæ non in oppidis, sed ruri passim in arcibus & castellis habitat. Sed hæretici non templis tantum Catholicos, verum etiam ipsis Sanctis, sub quorum nomine & patrocinio Deo consecrata sunt, spoliarunt. Narrat Reginaldus, quum Henricus VIII Angliæ rex instituto contra S. Thomæ Cantuariensis manes processu, nomen ejus è Sanctorum catalogo eradere conaretur, & Edicto illo in Hiberniam perlato, loci cujusdam Episcopus regi morem gesturus, Ecclesiæ quæ in honorem dicti S. Thomæ consecrata fuerat, nomen mutare, eique aliud indere vellet: populum vehementer indignatum, ut apud quem ille ob multiplicia accepta beneficia, in magna esset veneratione, Episcopum accessisse. & quemnam Sanctorum S. Thomæ surrogare vellet quæsisse. Quum ille Petrum & Paulum respondisset; tum universos clamasse: Quid ergo futurum, si hos quoque è Sanctorum delere catalogo regi libebit? Tum Episcopum respondisse: Ergo SS. Trinitatis patrocinio eam commendabimus, quod nomen sacrosanctum & venerabile est & semper erit. Sed quid dicturus fuerat hic Episcopus, si quis eas blasphemias quas Calvinistarum hæresiarcha & antesignanus passim in libris suis, sed inprimis in eo qui inter ipsos, tamquam Christianæ doctrinæ Summa, immo norma habetur, Institutiones dico, contra illam ipsam sacrosanctam Trinitatem effundit; ubi etiam usitatam illam in Catholica Ecclesia precationem. *Sancta Trinitas, unus Deus miserere nostri* impie irrider, ipsi objecisset? Vt taceam infinitos alios, quantum ad Trinitatis articulum, atheismos, quos Sanctius & Fevardentius multis probant & declarant. Ecce tibi stultitiam vel insaniam potius eorum qui à diabolo seducti sunt! Ecce impietatem eorum qui dum Ecclesiam reformare volunt, omnia deformant, & novam multiplicium errorum & blasphemiarum Babylonem condunt! Porro in hoc regno, postquam ab Elisabetha sub jugum veluti missum fuit, etiamnum pauci admodum Ministri sive Prædicantes novi Evangelii reperiuntur, qui in ipsa insula nati sint. Illa enim ad propagandam, cujus Defensatricem se fert, doctrinam, non Curiones tantum in pagis, sed Episcopos etiam per diœceses (quæ toto regno quinquaginta sunt) constituit, & infula ac pedo donatos, ovilibus præficit. O puleram & regalem missionem! O superbam & authenticam Prælaturam! quæ ad Apostolicam illam (si diis placet) conformata, sæcularem Principem habet auctorem; & eum quidem, qui ut cum legitima uxore facere posset divortium, cum Christi sponsa Ecclesia divortium facere non dubitavit. Illud vero Anglicanis illis Ministris incommodissimum accidit, quod etiamsi longissimos ad Hiberniæ populum habeant sermones à paucis tamen quæ dicunt intelligantur: quum Hibernica dialectus ab Anglicana non minus differat quam Vasconum à Francorum lingua. Sed ab acutis hominibus excogitata est ratio qua huic incommodo mederentur. Habito enim à Ministro sermone, interpres quidam surgit, & quæ ille dixit, pleraque auditoribus Hibernica lingua repetit atque exponit. Sed quam fideliter putas? quam apte quam vere? Quod vel unum testimonio est, in quantis angustiis nova illa versetur religio, & quam exiguis finibus circumscribatur. Quamvis autem Hibernus vulgus ad conciones ejusmodi non gravate accedat; nemo tamen ex omnibus est qui de Beata Virgine Maria, vel de alio quocumque Sanctorum, & inprimis de S. Patricio, quem tamquam patronum venerantur, contemtim

loquentem audire sustineat, sed statim obturatis auribus cum multa detestatione aufugiunt:

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi incautus, trepiduspque repente refugit.

Quin etiam nonnullis in locis pueri Ministrum forte occurrentem tamquam monstrum aut prodigium sturnatim persequuntur, exsibilant atque irrident, Antichristum appellantes. Scribit auctor Gallicæ hujus historiæ, suo tempore duos hæreticorum in Hibernia fuisse antesignanos, unum Lutheranum, Milerum nomine, Archiepiscopum Casselicnsem; alterum Fernatum, Calvinistam, Archiepiscopum Tovanum. Quinam hodie sint, nobis ignotum est. Tanta vero idem ait Ministros abominationi esse Hibernis, ut huic hominum generi omnia mala & calamitates quæ ipsis accidunt, acceptas ferant. Quinetiam familiam illam è qua Minister aliquis prodiit, infaustam & Deo invisam existimant, ac cum ea tamquam ignominiosa, nihil rei sibi esse volunt, usque dum longo tempore infamia hæc (sic enim putant) deleatur. Illi qui sub crudeli Anglorum tyrannide velut captivi detinentur, etsi conciones hæreticorum coacti frequentant, tamen non vultu modo, sed verbis quoque summum hæreseos odium præ se ferunt, ac pro Catholicæ Ecclesiæ restitutione assidua vota faciunt. Ecclesiastica beneficia Nobiles obtinent, quorum plerique à Romano Pontifice dispensationem super ea re impetrarunt, tanto facilius, quod metus esset ne illa universa ab hæreticis involarentur: cũ conditione tamen, ut quandoquidem toto regno publicũ Catholicæ religionis exercitium erat prohibitũ, illi partem eorum quum in alia pia opera, tum inprimis in sacerdotum & religiosorum passim delitescentium alimenta impenderent.

Ex omnibus vero Hiberniæ provinciis, ut supra quoque dixi, sola Vltonia ab hæreseos contagione hactenus fuit libera: regio ampla, paludibus referta, & immanibus sylvis umbrosa, in quas Catholici ingruente aliqua persequutione, tamquã in asylum se receperunt. Scotiam freto non admodum magno proxime habet disiunctam. In hac Hugo Oneal Tironi Comes, Anglorum copias magna cum sua gloria non semel fudit, eosque impedivit quo minus quæ vellẽt perficere potuerint. Et tam hic quidem quam Odoxneal aliique regni proceres contra Elisabetham & ab ipsa missos vicarios arma continuo gesserunt, Catholicamque Ecclesiam non incolumem modo, sed florentem etiam conservarunt, frustra frementibus hæreticis, ac suum ipsorum cor edentibus. In hac provincia nullius quam Catholicæ religionis viget exercitium; omniaque Ecclesiastica beneficia Pontificis auctoritate distribuuntur.

Porro durante hoc bello, quod à supra dictis ducibus pro Catholicæ Ecclesiæ defensione, non sine magna utrimque sed majori Anglorum cladedin gestum est, in Vltonia tres fuerunt Episcopi singulari pietate ac doctrina præcellentes Primus, Raimundus Archiepiscopus Armacanus, Vltoniæ Primas qui anno M.D.XCV in prælio in Connaciẽsi commisso provincia, occubuit. Secundus Redmondus, Episcopus Eriensis, totius regni Vice-Primas: qui dum suorum conventum in templo quodam celebrat, unà cum aliquot aliis Episcopis Anno M.D.CI. pridie festi S. Matthæi, ab irruentibus sicariis trucidatus est. Tertius Richardus, Episcopus Celmorienſis, Frãciscani ordinis Religiosus: qui sexaginta annis sacrum illum habitũ gestavit, & non ita pridem tam senio quam honore plenus vixit, postquam è carcere, in quo Londini aliquamdiu detentus fuerat, est liberatus. Et hi unà cum reliquis clericis, omnes tam hæreseos quã diaboli assultus fortissime semper repulerunt, tãta constantia & felicitate, ut gloriari possint, ex ovibus suæ curæ commissis ne unam quidẽ sua incuria hæreticis ac lupo illi infernali, prædæ factam esse. Quæ laus cum strenuis illis ducibus cõmunis ipsis est ut quorum temporalia arma spiritualibus horum armis præclaram operam præstiterunt. Quin eo tandem res deducta fuit, ut Elisabetha toti huic provinciæ immunitatem à tributis & liberum religionis exercitium obtulerit, ea conditione, ut ne quid in aliis regni partibus Tironus & socii molirentur, neque aliis idem tentantibus auxilia præberent: quas tamen conditiones accipere illi recusarunt. Quare exacerbati Angli, vires suas omnes periclitari voluerunt: atque ita in Vltoniam cum exercitu profecti, Anno M.D. XCV. locum quendam natura & opere egregie munitum obsederunt. Vltonienses accepto sociorum periculo, mox castra hostium magnis viribus oppugnant, ac tandem expugnata diripiunt; cæsis duobus circiter hæreticorum millibus, reliquis per fugam ægre elapsis, amissis omnibus impedimentis, machinis, & castrensi apparatu. Tanta tum in Anglorum castris panis copia reperta fuit,

ut

ut loco inde nomen *Animbrifchi*, id eſt, *Vallis panum* manſerit.

Anno MDXCVII in eadem provincia Vltonia atrox itidem inter Anglos hæreticos & Hibernos Catholicos prœlium commiſſum fuit, in quo præter magnam gregariorum militum numerum, octodecim magni nominis Equites, una cum Henrico VValop Angliæ Mareſcallo deſiderati ſunt. Summus militiæ dux Ioannes Noritius globi ictu ſaucius, & in Momoniam tranſportatus, paullo poſt ibidem deceſſit. & inſuper duorum & viginti Capitaneorum morte prœlium illud inter pauca inſigne fuit. Anglicani exercitus reliquiæ ad templa tamquam ad aſyla confugerunt: ubi pleriſque à victoribus vitæ gratia facta eſt, ea conditione ut in Angliam renavigarent, neque contra Hiberniam amplius arma ferrent.

Tantam ſuorum cladem ægerrime ferens Eliſabetha, & illæſa exiſtimatione à cœpto bello ſe deſiſtere non poſſe videns, multo validiores copias contraxit: interim vero Proregi ſeu Vicario mandavit, ut hoſtem quibuſcumque poſſet modis diſtineret, tum ipſam regionem vaſtaret, meſſemq; jam matureſcentem corrumperet, ut penuria illi & fame victi, ad obedientiã redirẽt. Hoc accepto mãdato, Brochus (id enim Proregi nomen erat) quantum potuit militũ ſuorum numerũ collegit, & incolas etiam non paucos, furcis & fudibus armatos ſecum duxit. Cum his Vltoniam ingreſſus, ad Abdonhubd, id eſt, nigrum fluvium caſtra poſuit, ac per agros ejus loci fertiles, omne frumentum tanta celeritate aſportavit, ut Oneal vix ſe ſuoſq; armandi ſpacium haberet. Is exploratis hoſtium viribus, eductis quas collegerat copiis, cum Anglis conflixit, eoſque fudit ac fugavit; cæſo inter alios Kildarienſi Comite, Hiberniæ regulo; & ipſo Prorege vulnerato, qui ægre in oppidum Droheratenſe perfugit, ubi paucos poſt dies ex vulnere deceſſit. Eadem felicitate Catholici etiam in aliis inſulæ partibus uſi ſunt, ipſa fortuna, vel Deo potius, juſtæ cauſſæ ſuffragante.

In Momonia provincia Comes Gerardus Gerardini, Mauricii filius, vir magnæ inter ſuos auctoritatis, nec minoris ob adjunctam ſibi pleramque Nobilitatem potentiæ, ſtrenue itidem Anno M. C LXXIII. contra hæreticos multa geſſit, [a] Catholicamque religionem omnibus viribus propugnavit. Quod bellum totum ſexennium continuo, ſine ullis induciis duravit, Comes hic tres habuit fratres, Thomam, natu majorem, Ioannem & Iacobum; filium vero unicum. Thomas à paterna hæreditate excluſus fuit, quod minus legitimo conjugio natus haberetur: ſed quamdiu Gerardinus vixit, nihil contra fratrem tentavit. Iacobus Gerardini cognatus Romam eo tempore profectus eſt, ut Pontificis auxilia ſollicitaret: qui Philippum Hiſpaniæ regem per litteras monuit, ut Hiberniam armata manu invaderet, & ſuæ faceret ditionis. Et à Philippo quidem miſſus tum fuit Italus quidam, militum tribunus: qui quum aliquamdiu bellum in Hibernia geſſiſſet, tandem fraudulentis Anglorum promiſſis deceptus fuit; & ſecretò cum eis pactus, noctu clam intra caſtra eos recepit, qui mox obvios quoſque trucidarunt, & quidquid in iis repertum, diripuerunt. In perfidiæ hujus mercedem Angli Italum hunc Comitem crearunt; ſed non multo poſt in Dingelano oppido, unà cum ſuperioris cædis reliquiis jugularunt. Poſt hanc cladem Gerardinus Iacobum cognatum ſuum in Connaciam miſit, ut auxilia inde accerſeret. Is cum in itinere in exiguum hoſtium, ſed pugnacem manipulum incidiſſet, magna alacritate prœlium commiſit, hoſteſque diſiecit ac fugavit: verum dum victoriam perſequitur, ab hæretico milite miſſili globo trajectus, occubuit, ac victoriam quamvis cruentam hoſti reliquit Gerardini non melior, immo pejor aliquanto fortuna fuit: qui ab Anglis captus, quum in Angliam tranſportari recuſaret, capite in patria fuit multatus. Simili pæne fato fratres ejus functi ſunt, in bello omnes cæſi. Filius vero in Angliam abductus fuit, & cuſtodia incluſus. Thomas, qui Gerardino, Ioãni & Iacobo ſuperſtes fuit, moriens duos reliquit filios: quorum primus nomine Iacobus, patri ut virtute, ita ſimili vitæ exitu fuit ſimilis. Gerardino è vivis ſublato, Hibernia quatuor annos ſub imporenti Anglorum dominatu manſit, dum interim Iacobus Thomæ filius nihil intentatum relinqueret, ut Momoniam provinciam ſub imperium ſuum redigeret. Cauſſæ ejus pleraque omnis Nobilitas favebat, & legitimis nuptiis patrem ipſius natum aſſerebat. Inprimis Oneal, qui Anglorum in Vltonia velut flagellum erat, Iacobum animabat, & quibuſcumque rebus poterat, juvabat. Sed & fortuna conatibus ejus ſubſcribebat, victricia arma undique per totam provinciam circumferentis: Anglis interim tanta clade affectis, & eo redactis, ut præmetu ſe abderent, nec extra ſpelæa ſua apparere aude-

[a] *De Momonia provincia, & bellis ibi geſtis.*

auderent. In hoc bello summus militiæ dux Noritius vna cum fratre Henrico, mortem oppetijt, postquam omnes suas copias & vires vidit dissipatas. Quum ergo in viribus Anglis spes nulla esset, ad solitas artes & fraudes confugerunt: & quia facile videbant Iacobum armis superari non posse, alterum illum Iacobum Gerardini filium qui Londini captiuus detinebatur, libertate donatum in Hiberniam remiserunt, attributo Momoniæ principatu, vt ita duos hos inter se committerent, deinde ex occasione vtrumque non Principatu tantum, sed vita etiam priuarent.

Iacobus Gerardini filius in Hiberniam apulsus, magnam omnium de se concitarat exspectationem, obuersantibus adhuc patris in rempublicam meritis: eoque statim cupide ab omnibus exceptus, Iacobus vero Thomæ filius etiam ab intimis desertus est: Quod Populi studium quum animaduertisset Thomæ filius, protestatus est, si quidem de solo Momoniæ Principatu esset controuersia, se lubenter omni iuri quod sibi competeret, in gratiam cognati sui, renunciaturum: quia vero manifestum sit Catholicæ religionis potissimum in hoc caussam agi, cui per cognatum suum Angli exitium moliantur, se quidem in hac caussa lubenter fortunas omnes & sanguinem velle profundere. Nec mora. Gerardini filius copias quantas potest contrahit: ijsdem contra cognatum eductis, iubet vt ad pedes ipsius se abijciat, & Principatum quem ipsi captivo eripuerat atque vsurpabat, reddat. Idem non suadebat modo, sed flagitabat quoque vniuersa Hibernorum Nobilitas; qui magno numero Anglicanis copiis se coniunxerant, & arma contra eum verterant, cujus auspiciis multas præclaras hactenus victorias contra eosdem quos jam sequebantur, obtinuissent. Iacobus religionem nullo modo sic salvam fore dictitans, fratrem ad Onealem ablegavit, ut hæc omnia ei renunciaret, & auxilia posceret: verum antequam frater rediisset, Iacobus à cognato ita circumventus atque obsessus fuit, ut sine pugna evadere non posset. Quare cum copiolis suis cum hoste congressus, nullo negocio victus ac captus fuit, una cum Comite Clancarniæ Florentino, & uterque Londinum missus Nec vero ea victoria Iacobo diu felix fuit. Dum enim provinciam totam obit, ac Nobilitatem suam facit, jamque pulcre sibi in Principatu confirmatus videtur; Angli voluntati ejus diffisi, non multo post veneno dato, hominem è medio sustulerũt. Hiberni tam tus piter se proditos indignati, contra Anglos rebellarunt, & cum Iacobi, qui Londini captivus servabatur, fratre conjunctis viribus, Anglos multis magnisque cladibus denuo affecerunt. Vtebatur vero Iacobi frater Onealis potissimum auxiliis: ad quos etiam præterea se adjunxerant Issuluanus Beiti, Baro Mauritius, Ochonchourius, Chierri, Redri, & Deglean, Equestris ordinis viri, cum præcipua Nobilitatis parte, qui tantis tamque infamibus injuriis, quas longo tempore sub Anglis pertulerant, atrociter læsi atque irritati, multo quam umquam antea acrius, velut pro aris ac focis dimicarunt. Et hoc quidem bellum etiamnum durat, ac durabit quamdiu Gerardini posteri sub Ecclesiæ legibus vivent.

Eo tempore quo hæretici in Anglia plenas furori suo contra Catholicos habenas laxaverant, (a) Hibernus quidam Theologus, Ioannes Traversius nomine, accusatus fuerat, quod de primatu Petri ejusque successorum librum scripsisset. A judicibus interrogatus an ipse ejus libri auctor esset rem fassus est, tres simul monstrans digitos, quibus in illo scribendo esset usus. Quare ad ignem damnatus, supplicium magna constantia pertulit. Mirum vero est, immo certũ divinæ Majestatis miraculum, quod tres illi digiti ab omni flammæ injuria immunes, nec tum nec postea cõburi potuerunt, ut fide dignus auctor Sanderus testatur.

In Momonia provincia, dum hæresis undique grassatur & more suo omnia devastat, vir nobilis, magnæ auctoritatis, imaginem quandam Deiparæ Virginis, & nonnullas Sanctorum Reliquias iconoclastarum furori subduxerat, & in speluncam non procul à maris litore asportarat: eumque locum deinde orandi caussa sæpius frequentavit: Re tandem patefacta, bonus ille comprehenditur, & ad judices adductus, imaginem tradere jubetur in contumacẽ, bonis omnibus confiscatis, capitis pœna statuta. Sic ergo coactus, imaginem reddit: quam arreptam mox unus ex hæreticis pedibus conculcat & comminuit, fragmentis igni destinatis. Sed divinum numen, ut hanc injuriam ipsi Deiparæ Virgini, cujus imaginem repræsentabat, factam, vindicaret, statim sequenti nocte unum ex ministris suis ad miserum hunc ablegavit, qui eum flagellis atrociter cæderet Nec supplicium hoc effugere poterat quidcumq; faceret, aut ubicumque se absconderet hæreticus.

Aliud

(a) *Miracula in Hibernia facta.*

Aliud quiddam multo magis admirabile sacerdos quidam fide dignus mihi narravit, asserens multorum etiam hæreticorum testimoniis id fuisse confirmatum. Id sic habet. Quum die quodam presbyter Catholicus in Mediæ provinciæ quadam ecclesia sacrosanctum Missæ officium celebrasset, & calicem, in quo consecrata erat hostia, oblitus, in altari reliquisset, post horam circiter ingreditur idem templum hæreticus Episcopus, Richardus Bradeus nomine, comitante Barone Delvino & aliis: quumque recta ad altare accessisset & calicem aperuisset, immissa manu hostiam excipere conatur: quam miraculose è Calice exsilientem quum idem frustra apprehendere niteretur, illa hinc inde saltans, manus eius elusit. Accedunt mox alii, sed nemo ex omnibus eam comprehendere poterat. Quare lassus jam episcopus sacerdotem accersiri jussit: cui mox illa tractandam se præbuit. Hoc Villæcastri, quod supranominati Baronis Delvini est municipium, accidisse idem presbyter memorabat.

Ad Connaciam vero quot attinet, tam altas in hac provincia radices egit hæresis, ut exstirpari nequeat. Non desunt tamen hic quoque Nobiles, qui majorum religionem adhuc sequuntur. Inter hos quidam fuit venationi valde deditus: qui quum mane quodam prodiisset, quadraginta aut quinquaginta circiter canes, (qui Molossis illis & Locrensibus tam magnitudine quam generositate nihil concedunt) secum ducens, ac feram à canibus cubili excitam persequeretur, strepitum audit quasi adventantium equitum, quumque animadvertisset, hostium esse turmam, qui ad capiendum ipsum venerant, revocatis suis, sylvæ beneficio, sese subduxit Henrici detectis insidiis, acriter ipsum persequuntur, ac sylvā undique perlustrantes, tam se quam equos defatigant. Ille postquam è sylva evasit suos in ordinem cogit, canes dispersos colligit & contra hostes sylva itidē jā egressos immittit ac voce incitat. Quorum impetum illi non sustinentes, statim se in fugam dant, in qua molossi illi incredibilem stragem edunt, tam equos quam homines morsu impetentes, & in terram dejectos laniant, sic ut ducenti circiter hoc modo periisse dicantur, præter eos quos Catholici Baronis Comites ac ministri manibus suis, sine ullo suo damno interfecerunt.

Hæreticorum crudelitatem Catholici Episcopi non magis in Hibernia quam in Anglia effugerunt. Inter hos præcipue memorandos est Domitius Hurleus, qui à Pontifice Gregorio XIV. Cassilensis Archiepiscopus creatus, & ut gregem dispersum colligeret in patriam reversus, obvium habuit modicum admodum fidelium Christianorum numerum, ex omni naufragio servatum; ac tandem quod Episcopalia munia obiisset, comprehensus est. Et primo conditiones opimæ oblatæ sunt apostatare si vellet, & fidei Catholicæ renunciare, At ille quo promissis hujusmodi flecti nō poterat persuadere eis nitebatur ut placide secum conferrent: illi vero ira & furore perciti, quæstionibus eum subjiciunt. Ocreas enim oleo plenas pedibus induunt, & Episcopali mitra & habitu ornatum, ante luculentum focum collocant, ut vi flammæ adustis ocreis, tibiæ simul arserint, adeo ut detrahentes ocreas, ad genua usque carnem avulserint, nudis relictis ossibus, nec quidquam tanta eius in tormentis moti constantia, quodam mane eundem vimineo constrictum laqueo suspenderunt, quò langueret diutius.

(a) VI. Sed insignis admodum est crudelitas, qua iidem hæretici in Patricium Ohelium usi sunt: cujus historiam à Rescio in Phalarismis prolixè descriptam, paucis hic recensebimus. Hic à teneris annis sancto Franciscanorum Ordini, qui de observantia dicuntur, innutritus fruerat: ob singularem vitæ sanctimoniam ac Religioso dignas virtutes, Majonensis Episcopus à Gregorio XIII. designatus. Suscepto Episcopatus munere, nihil prius habuit quam ut irreligiosos Religiosorum mores reformaret. In quo conatu strenue desudantem, Prorex investigari jussit. Habebat hic comitem, Conatium Ornarium, Principis Arbachaderi filium, eiusdem Ordinis monachum: qui unà cum eo captus, & ad proregem adductus, non minori constantia fidem suam professus est. Sic ergo uterque obscuro carceri includuntur, ubi totos quindecim dies numquam jucundissimæ hujus lucis aspiciendæ eis fuit potestas. Repente deinde productos Prorex minis ac terrore aggreditur, repræsentans quā grave suppliciū meriti essent qui reginæ legibus non obtemperarent. Affirmarent ergo ac juramento sententiam sancirent, credere se, Reginam esse caput Ecclesiæ. Ohelio idem tres Episcopatus pro uno pollicebatur, si novæ religioni subscribere vellet. Quæ verba ille nullo responso dignatus, risu excepit. Quare iratus Prorex, ocreas oleo sale, butyro, & pulvere impleri, ac pedibus induci, atque ita aquæ bullienti imponi jussit; quibus detractis,

(a) *Martyria Episcoporum quorundam.*

nuda ossa relicta sunt. Inter hos cruciatus Prorex iterum instat, ut errorem suum agnoscat: tumque se cruciatibus his facile remedium inventurum. At gloriosus hic martyr, quamvis ad mortem usque esset languidus, hanc tamen Proregis vanitatem iterum risu prosequutus est. Tunc ille multo iritatior, inspectante utroque exercitu (duplicem enim tum habebat, Protestantium unum, Catholicorum alterum) per carnificem crura ossibus nudata, tum brachia & digitos intra duo saxa confringi, atque ita ad patibulum duci jussit. Quum ad supplicii locum venisset, laqueum collo gestans, Commissarios rogavit, ut unam horam sibi concederent, qua populum alloqueretur. Sed quum ægre dimidiatæ horæ spacium impetrasset, multa de se ac fide sua disseruit, circumstantes Catholicos salutaribus præceptis instruxit: sic denique omnium animos commovit, ut nec hæretici ipsi à lachrymis sibi temperarent. Tandem ad Proregem conversus, sic infit: Tu quidem, ô Prorex corpus hoc injuste torsisti, multasque mihi fecisti injurias: quarum ultionem in hoc Mundo à nemine posco, sed te ad divinæ Majestatis tribunal cito, ut ibi tuarum iniquitatum rationes reddas. His verbis supra modū exasperatur Prorex, ac tacitū animo vulnus sentiens, nō minus amaris verbis respondit: I, quantum est hominum perversissime, i quam citissimo gradu ad infernum. Citationem ego tuam nihili facio, ac verba tua tipula leviora duco. Sic ergo sanctus ille homo, unà cum socio strangulatus, ad æternam gloriam evolavit. Tanta vero infinitarum virtutum hujus hominis in omnium animis insederat memoria, tanta de sanctitate eius erat opinio, ut plerique Catholici non aliter quam sanctum venerarentur: quod quidem etiam non pauca miracula ad reliquias eius facta testantur. Prorex cum exercitu ad civitatem Limiricensem profectus, (ubi quinque dierum statiua habuit) die quodam cum Catholico Barone obambulans, quum ad locum ubi duo illi beati martyres pendebant, advenisset, Baronem inquit: Ecce perfidum illum hominem qui me ad tribunal Dei citare non dubitavit, quum tamen jam anima eius in inferno infelix degat, corpus vero è funesta hac arbore pendeat, avibus devorandum ac cœli injuria corrumpendum. Tum Baro, Mihi, inquit, non placet, prorex, nec æquum mihi videtur, ut nobili orti prosapia inter fures & latrones patibulis alligati conspiciantur. Prorex iterum, Non ignoro, ait, te Catholicum esse, sed mihi crede, propediem fore ut contumaciæ tuæ pœnas luas. Non multos post Prorex in morbum incidit, qui in dies augescens, mox vitā ipsi abstulit, decimoquarto post sanctos illos supplicio affectos die. In quo facile omnes, non modo divinam justitiam, sed misericordiam etiam agnoscunt, ut qui Catholicæ religionis veritatem tot tamque miraculosis testimoniis ab omni ævo semper corroboravit.

Ad finem libri hujus apponere visum est Catholici Scriptoris Sanderi verba, sic librum suum de Schismate Anglicano claudentis.

Sed de his dulcissimæ patriæ meæ calamitatibus non libet plura hoc tempore dicere, gentis potius olim religiosissimæ, miseram convenit deplorare fortunam; adeoque homines ex hac barbara & bruta hæresi immutatos, ut cum omni religione etiam humanitatis sensum exuisse videantur, quodque cum priscis temporibus patrumque etiam nostrorum memoria sacris episcoporum, presbyterorum ac religiosorum personis tam insignem venerationem semper exhibuerint, ut *ubicunque* (inquit venerabilis Beda) *clericus aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tamquam Dei famulus exciperetur; & si in itinere pergens inveniretur, accurrebant omnes & flexa cervice, vel manu signari, vel verbis illius se benedici gaudebant*; eo (inquam) nunc res nostræ sint prolapsæ, ut iis in perdita gente nostra, non solum nullus tribuatur honor, sed quod nec ille vivere aut esse liceat; quodque eorum conditio sit furum, latronum, homicidarum, perduellium ac quorumvis sceleratissimorum hominum forte longe intolerabilior; eo miseros Britannos meos perduxit impia hæresis & ecclesiasticæ communionis disrupta societas.

PROLOGVS AD LECTOREM.

Spectatum satis est, nihil inclementius ætas
Protulit ulla patrū, mentem furor impius omnem
Exuit humanam: nulli sua profuit ætas,
Non sexus, non innocui lactentibus unni,
Non senibus sua canicies, venerandaque multū
Majestas vitæ meritis: non forma pudorque
Femineus teneri subduxit corporis artus
Supplicio: non insontis reverentia causſæ,
Vindictaque metus: nec copia tanta nefandæ
Cædis inexpletas satiavit sanguine fauces.
Diversumque genus lethi speciesque cruentas
Funerii.

Funeris insoliti, nullisque exercita saclis
Vidimus in nostro pœnarum inventa theatro.
Vidimus exanimis sævire in viscera trunci,
Et rabiem cineri non indulgere sepulto,
Sanguineisque trucem manibus fœdare cruorem.
Sancta profanatis mysteria vidimus aris.
Quid superest? coramne tuos attollere vultus
Hæresis audebis? causſamque animumque nocendi
Aut aliquo poteris prætexere nomine culpam?

Sed hæc satis sunto. Nos jam in Gallias trajiciemus, quosnam ibi fructus hæresis pepererit, visuri.

Finis libri Sexti.

FLORIMVNDI RAEMVNDI
DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA HÆRESEON SVPERIORIS SÆCVLI
HISTORIÆ
LIBER VII.

ARGVMENTVM SEPTIMI LIBRI.

Sequenti libro Septimo demonstratur, quomodo Lutherana hæresis in Gallias irrepserit, quibusque artibus à Lutheranis sit propagata; sed pietate Francisci I. regis, ne pedem in regno figeret aut latius proserperet prohibita: Margarita interim Navarræ regina schismati favente; & quibus modis. Ioannis Calvini novæ hæreseos auctoris thema genethliacum explicatur: quibus ille artibus prima sectæ suæ fundamenta jecerit ac Genevam tandem profugerit: ubi multa à nemine antea scripta recensentur, ac simul causſæ quæ Galliæ populos ad novarum rerum studium impulerunt.

INDEX ET SVMMARIA CAPITVM sequentis Libri Septimi.

CAPUT I.

I. LVTHERANAE *hæreseos contagio in Gallia gliscit.*
II. *Ecclesia hostium in concinnanda ecclesiæ suæ historia vafrities & doli.*
III. *Scommata eorum & calumniæ à Catholicis contemnuntur & ridentur.*
IV. *Quanta turba & confusiones è nova religione natæ sint.*
V. *Status religionis & reipublicæ eodem tum in bonis quam in malis vinculo est colligatus.*
VI. *Gallia post introductam hæresin, nullum non malorum genus experta est.*

CAPUT II.

I. FRANCISCI I. *Galliarum regis bonarum literarum restaurator, & summus fautor ac patronus.*
II. *Homines scientia præstantes undique ad se vocat & accersit.*
III. *Eum Lutherus ad partes suas traducere conatur.*
IV. *Quibus artibus ad id sit usus.*

CAPUT III.

I. LVTHERANISMI prima semina in oppido Meldensi publice sparsa.
II. Et à quibus.
III. Lutherani ad promovendos conatus suos muliebres operas ambiunt.
IV. Margarita Navarræ regina doctorum quorumdam virorum patrocinium suscipit, nondum rectæ eorum explorata integritate.
V. Gerardi Rusi historia, qui Benearni Principatum hæresi infecit: & quæ tum Navarrenæ fuerit aulæ facies.
VI. Rusus Abbas Cleriacensis, Temporisator vulgo appellatus, Catholicum se simulat.

CAPUT IV.

I. REGIS Francisci animus ab hæreticis & eorum fautoribus multipliciter tentatur.
II. Guilielmus Bellaius Langæus ab eodem in Germaniam mittitur: & Missa quædam forma septem punctis sive articulis comprehensa proponitur.
III. Rex Philippum Melanchthonem sub fide publica in Galliam evocare statuit.
IV. Sed sapientis Turnonii Cardinalis consilio sententiam mutat.
V. Navarræ regina ad Catholicam Ecclesiam redit.
VI. Regis ad Melanchthonem Epistola, cum huius ad illam responso.

CAPUT V.

I. LVTHERANORUM machinationes.
II. Eorum audacia Rex offenditur.
III. Regis oratio.
IV. Sex Lutherani combusti.
V. Catholica Ecclesia Francisco I. Galliarum regi, & Carolo V. Imperatori salutem suam & incolumitatem debet in suis terris.
VI. Franciscus I. Rex insigni à Theodoro Beza injuria affectus.

CAPUT VI.

I. QVANTO inculpatius in speciem vivunt hæretici, tanto magis nocent.
II. Hæresis ex pseudomartyrum suorum pervicacia magna cepit incrementa.
III. Hæreticorum supplicia Catholicæ Ecclesiæ magis nocuerunt, quam profuerunt.
IV. Potest hæreticus pro Iesu Christo mortem obire, nec tamen propterea martyris nomen meretur.
V. De vera & ficta constantia.
VI. Etiam diabolus suos habet martyres.

CAPUT VII.

I. PRIMI in Galliis Lutherani homines ex vulgi face plerique omnes fuêre.
II. Primus novi Evangelii in Galliis Minister lanæ carminator.
III. S. Scripturæ libri ab hæreticis vulgo ad legendum dati.
IV. Vulgus à sacrarum litterarum tractatione abstinere debet.
V. Apud hæreticos etiam feminæ Ministeriis Ecclesiasticis fungendis se ingerunt.
VI. Quam indignum sit, libros sacros in vulgi officinis & passim profanari.

CAPUT VIII.

I. HOMINES de schola primi Lutheranismum in Gallia seminarunt.
II. In varias sectas & factiones misere distrahuntur.
III. Ioannes Calvinus Gallia Lutherus.
IV. Eius nativitas & horoscopus.
V. Genethliacorum conjectura seu prædictiones.
VI. Calvino supremi Pontificatus dignitas in Nativitate promissa.

CAPUT IX.

I. CALVINUS apud Bituricenses literis operam dans, de Melioris Volmari consilio ad Theologiæ studium animum applicat.
II. Volmarus primus Calvini animum hæresi corrupit.
III. Calvinus Lutetiam profectus, mox inde Engolismam se confert.
IV. Calvinus Græcus Claissensis agnominatus, & cur.

CAPUT X.

I. CALVINUS melius aliquanto moratus quam Lutherus.
II. Sed in concionando parum facundus.
III. Lutheranæ hæresis dicitur crassa; Calviniana subtilis & quomodo id sit verum.
IV. Calvinum ambitio perdidit.
V. Eius mordax & superba natura à Volmaro notata.
VI. Tilletus Calvinum in Germaniam abducit.

Caput XI.

I. Calvinus apud Pictavos merces suas exponere incipit.
II. Prima ejus dogmata sive propositiones.
III. Primum Calvinisticum Concilium Pictavii in in horto quodam celebratum.
IV. Calvini Primi Apostoli.
V. Iuventus scholastica à Calvinistis seducta.
VI. Mos omnium hæreticorum in sacerdotum vitia invehendi.

Caput XII.

I. Imaginum seu statuarum usus in Ecclesia Calvinistis præcipuus rebellionis prætextus.
II. Vox Imago male pro Idolo sumitur.
III. Dei præceptum de Idolis quomodo intelligendum.
IV. In Deum nulla cadit contrarietas aut repugnantia.
V. Imagines apud Christianos in honorem Dei erecta.
VI. Ad quid conducant.
VII. Calvinistæ Dei confracta imagine, diaboli integram relinquunt.
VIII. Quomodo Catholici Sanctorum imaginibus utantur.

Caput XIII.

I. Galli in eo Troianis similes, quod nimis facile crediderunt.
II. Libertas hæreseos janua.
III. Cur dies festi à Calvinistis explosi.
IV. Ecclesiasticorum quorundam mala vita & ignorantia pleraque mala nobis pepererunt.
V. Quæ hæretici suis conatibus artificiose prætexere norunt.
VI. Religio suis ipsius stat inconcussa viribus.

Caput XIV.

I. Missæ sacrificium à diabolo semper oppugnatum.
II. Ejus institutio quoad substantiam.
III. Forma Ecclesiæ, arbitrio & dispositioni à Iesu Christo permissa exceptis paucissimis ab ipso Christo ordinatis.
IV. Missæ nomen unde.
V. Ceremoniæ substantiam non mutant.
VI. Non de vocabulo, sed de re ipsa disputandum est.

Caput XV.

I. Calvinistica Ecclesia diu nullam certam formam Ecclesiæ habuit, sed neque adhuc habet.
II. De clandestinis Calvinistarum cœtibus.
III. Forma cœnæ Calvinisticæ, quæ Manducatio tum appellabatur.
IV. Narratio casus cujusdam, qui dum ea celebratur evenit.
V. Complures Calvinistæ Catholicos se simulant.
VI. De rebus aliquot dubiis Protestantium in Germania & Genevatium theologorum sententias exquirunt.

Caput XVI.

I. Calvini Evangelio percrebescente multi utriusque sexus Religiosi monasticum habitum abiiciunt.
II. De quodam Monacho Dominicano, à Calvinistis ut religionem desereret tentato.
III. De quibusdam qui Catholica religione ad seducendos alios abusi sunt.
IV. In primis ut populum ad idololatriam perducerent.
V. An illa vera fuerit idololatria.
VI. Quæ Idololatria sit materialis, quæ formalis.

Caput XVII.

I. Calvinus relicto Pictavio, in Aquitaniam ad Rufum & Ferrium proficiscitur.
II. Gulielmus Farellus primus apud Genevates rebellionis auctor.
III. Calvinus diu hinc inde vagatus, Genevam concedit.
IV. Tres itidem Apostoli eodem ad Calvinum proficiscuntur.
V. Calvinus rebus novis studens, Geneva ejectus.
VI. Ratisbonam abit ad comitia Imperii.

Caput XVIII.

I. Calvinus & Farellus Geneva ejecti, sociorum quibus cum absentes etiam colludebant, opera revocantur.
II. Petrum Viretum Sabaudum unà adducunt.
III. Calvinus propria auctoritate Genevensis Ecclesiæ munus usurpat.
IV. Calviniani Ministri missionem seu vocationem suam probare non possunt.
V. Claudius Espencæus cum Calvino Genevæ colloquitur.
VI. Calviniani Ministri suam ipsi vocationem in dubium vocant.

Caput XIX.

I. Calvinus *Genevæ pro Episcopo se gerit, & Ministros à se ordinatos huc illuc ablegat.*
II. *Primis novi Evangelii Ministris nomina sua mutare usitatum.*
III. *Calvini auctoritas Genevæ formidabilis.*
IV. *Multi ad videndum & audiendum Calvinum Genevam se conferunt.*
V. *Scholares quidam studiis relictis, ad Calvinum proficiscuntur.*
VI. *Qui è quovis ligno Ministros, tamquam Mercurios, format.*

Caput XX.

I. Geneva *prima & præcipua hæreseos sedes, vel sentina.*
II. *Ad quam tamquam asylum omnis generis homines confluxerunt.*
III. *Genevа per intestina Gallorum bella crevit.*
IV. *Eadem Galliæ viribus ad sui defensionem usa.*
V. *Gallia post Turcas in auxilium vocatos multum pristini splendoris & virium amisit.*
VI. *Plerique Principes magis de statu suo conservando quam Dei propugnando honore sunt solliciti.*

QUOMODO LUTHERANISMO PRIMUS in Galliam aditus sit patefactus.

Caput Primum.

ARGUMENTUM.

I. *Lutherana hæreseos contagio in Gallia gliscit.*
II. *Ecclesiæ hostium in concinnandæ Ecclesiæ suæ historia vafrities & impostura.*
III. *Scommata eorum & calumniæ à Catholicis contemnuntur & ridentur.*
IV. *Quanta turbæ & confusiones è Nova religione natæ sint.*
V. *Status religionis & reipublicæ eodem tam in bonis quam in malis vinculo est colligatus.*
VI. *Gallia post introductam hæresin, nullum non malorum genus experta est.*

I. Quemadmodum morbi contagiosi, qui sunt velut divinæ iræ flagella, primo de domo in domum, deinde ex uno oppido in aliud proserpunt, ac tandem totas pervadunt ac depopulantur regiones, sic ut quacumque oculos quis flectat, nihil aliud occurrat quam

Luctus ubique, pavor, & plurima mortis imago:

sic pestilens quoque Hæreseos virus, quo non minus, quam illis, Deus populi sui peccata punire solet, postquam in Saxonia gliscere semel cœpit, mox paullatim non totam tantum fere Germaniam infecit, verum etiam ultra Rhenum in mediam nostram Galliam sese effudit, secumque infinitas miserias & calamitates invexit. O Rhene, vetus Galliæ limitum arbiter, idemque fidelis Romani Imperii contra barbaras à septemtrionibus nationes quondam propugnator! [a] siccine munus tibi creditum deseruisti, ut septemtrionali illi hosti aditum præbueris, qui non Galliam solum devastavit, verum etiam sacrum Romanæ Ecclesiæ imperium convellere est aggressus? Tu, qui quondam legitimi thori quasi arbiter, spurios undis hauriebas, legitime vero natos sanos & incolumes ad ripam transmittebas; qui, quæso, factum est, ut tantum ab illa naturæ tuæ rara & mirabili dote mutatus, tam multos spurios perferre potueris, qui advexandos, adeoque internecione delendos veros Jesu Christi & Ecclesiæ filios, egressi, & ultra citraque grassati sunt? Cur non Nili Ægyptum fecundantis naturam potius imitatus es, quem nullum umquam pestilentem vaporem exhalare ajunt? Siccine par fuit, illas delicias, illam Europæ paradisum à te infici & contaminari? Argentina illa tua, Argentina fuit, illa heu nimium vicina Franciæ, ubi multiceps illud Hæreseos monstrum primum stabulatum fuit, vireisque suas ad Galliam assiliendam collegit. Hoc asylum fuit Lutheristarum & Zvinglianorum, sub Martini Buceri infestissimi Catholicæ Ecclesiæ adversarii, ductu. Hoc receptaculum fuit eorum qui è Galliis proscripti fuerant; & hospitum eorum qui Calvinismo favebant. In hac urbe *novellæ hæreseos Thalmud.* præcipuum ruinæ nostrum instrumentum, procusus fuit & absolutus, illæ scilicet *famosæ Calvini institutiones.* In hac denique urbe prima novorum Evangelicorum Gallicana Ecclesia instituta, ad quam tamquam ad prototypum, ceteræ deinde per Franciam passim sunt conformatæ. Sed operæ precium est rem à primis velut principiis arcessere; sic tamen ut operis nostri ordo à scopo nihil discedat.

II. Principio satis non est ut in genere sciamus, quomodo hæresis è Septemtrionali angulo Austrũ versus

[a] *Scriptores Romani & Cluverius in Antiqua Germania.*

versus progressa, omnium quæ Sol aspicit regnorum florentissimum pervaserit; neque mala quæ inde exstiterunt, quæque ad eum statum miseram Galliam redegerunt, ut de pristino splendore nihil ferme præter nomen retinuerit, sub uno tantum aspectu proponenda nobis & indicanda sunt: sed expedit omnino, ut omnia minutatim ac particulariter enarrẽtur, quo posteritas nostro exemplo sapientior facta, tanto melius hoc omne hominum genus pernoscere & ab iis cavere sibi discat. Quo loco considerandæ veniunt, primo ipsa hæreseos cunabula, è quorũ complexibus nata à quibus susceptа & educata, paullatim adolevit, atq; id roboris assequuta sit, ut ex eo, quem occupavit loco non facile deturbari possit, antiquam illam fidem ab Apostolis eorumq; successoribus per manus nobis traditam, qua tot jam seculis regnum hoc stetit, omni bonorum genere affluens, & fama usque ad sidera notũ, sub non minus falso quam superbo Reformationis prætextu, non mutare tantum, sed etiã plane evertere molita. Hoc specioso Reformationis velo fatalis illa Helena deformitatem & turpitudinem suam tegere conata est. Et sicut Sleidanus novam hanc meretriciam sponsam centumculis quibusdã non inconcinne consutis exornare studuit, dũ toto suo libro id agit, ut Lutherus magnus & mirificus vir videatur: sic auctor libri cui titulus est, *Historia Ecclesiastica Reformatarũ in Galliæ Ecclesiarũ, &c.* [a] multus est in Calvini laudibus, ut hoc veluti fuco & ipse suæ Helenæ procos quærat & inveniat. Ut enim qui à Catholica defecerunt Ecclesia, pessima quæq; de iis quos reliquerunt, præsumunt, & explendo odio, aliis etiam persuadere nituntur: ita libri quoq; istius auctor, qui ex aliorũ suggestis historiam suã consarcinavit, quiq; in Præfatione ipse Novæ religionis sociũ se profitetur, id potissimum agit, ut eorũ nomina & honorem qui hæreticis sese opposuerunt, lacesat & infamet: quos homo impudentissimus passim, ut capitales Jesu Christi hostes vixisse, ac tandẽ ut furiosos & desperatos Antichristi satellites mortuos esse, fingit. Nihil ibi frequentius occurrit, quam modò: *hunc divinitus percussũ*; modo, *illum cœlestis ira numinis conflagrasse*, atque adeo *omnia elementa in novæ suæ Ecclesiæ hostes, divino jussu & ultione, conspirasse. Non Regibus, non sũmis Principibus, quorũ tamen inter homines auctoritas semper sacrosancta fuit, non ceteris in summa dignitate constitutis, parcitur:* interim vero abjectissimi &, ut ille ait, omniũ hominum postremissimi, tamquam Evangelii & regni Jesu Christi restauratores, laudãtur, & Orci mancipia ad cœlum efferuntur. Vide hic effrontem hominum istorũ audaciam, sua ipsorum elogia scribentium! Notum enim est, Cõmentarios ab illis ipsis scriptos, quorũ laudes omnibus fere pagellis ad nauseam decantantur: nõ aliter quã si pictor aliquis suum ipsius vultum non qualis est, sed qualẽ esse velit, falsis coloribus depingat, & tã sibi quam aliis spectandum atque admirandũ proponat. Iidem suæ quoq; farinæ homines & pseudomartyres, quantis laudibus ornant! ac veluti muli mutuũ scabunt! Ex his certe, quãvis falsissimis & ab omni ratione alienis, ingens illud Martyrologii hæreticorum volumen confectum est & consarcinatum. Et quemadmodum *hæresis impleriſque vera simia est Ecclesiæ*; sic in eo quoq; eam imitatur, quod novi Evangelici suas quoq; Synodos provinciales & nationales celebrant, ad quos Ministri (sic enim appellantur) certis mandatis à sua quisque communitate instructi, undique accurrunt, & variis de rebus tam ad omnes quam ad singulos & priuatos spectantibus, consultant, sententiasq; de iis quæ ad suam promovendam Ecclesiam pertinent, dicunt. Istis in libris capitalibus litteris scripta videas eorum nomina qui Geneua egressi, primã Calviniani Evangelii sementem fecerunt. Videas ibi frontispicio præfixum nomen ejus, qui velut pedaneus senator emendicatas ab aliis historias tamquam sententias, unum in fasciculum constrinxit; aut tamquam cæmentarius è variis ruderibus hinc inde collectis, magnificam hanc, si diis placet, Ecclesiasticæ historiæ aream exstruxit. Videas ibidem nomina eorũ qui istis hæreticorũ conatibus sese opposuerunt, atro notata calculo, ut qui *tyranni, carnifices, & hostes filiorum Dei* (ita enim hæretici se impudenter vocant) traducuntur. Ex his porro omnibus unus aliquis postea electus est, qui ab aliis particulatim congesta, ac plerumque conficta, vel aliter quam se habent reconsita, in ordinem digereret, atque ita Scriptoris Historiæ Ecclesiasticæ nomẽ & dignitatem deinceps obtineret. Hic addit demit quæ vult; *destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis*: non suos tantũ, verum etiã aliorum affectus & fidem sequutus. Hinc tot tamque ridiculæ ineptiæ, hinc tam atroces calumniæ & injuriæ; probrosi invidiæ & odii, quo obcæcati miseri illi sunt, partus. Hinc tot gloriosa multorũ, qui igneis curribus triumphantes cœlum (*scil.*) ingressi sunt, martyria libris illis descripta leguntur; quæ cum non sint aliud quam reorum & rebellium supplicia, apprehenduntur ut martyria sacra, & sine lachrymis

à simplice

[a] *Historia Præsidis de la Place.*

à simplice & credulo vulgo legi non possunt, *innocentes illos agnos rabiosorum luporum dentibus* (ita enim singulari numerosæ orationis artificio repræsentantur) *tam miseris modis discerptos lugente ac fremente*, qua ratione ego diaboli ipsius pœnas describere possim, dummodo Angeli boni nomen, pro cacodæmone substituero.

III. Porro scriptorum ejusmodi fraudes & mendacia facile me impulerunt, ut ab injuria & odio vindicandos mihi statuerim eos, qui hæresi undiquaque grassanti fortiter sese opposuerunt: digni profecto ob idipsum æterna laude & memoria, qua sanè ego, quantum in me erit, & quantum præsentis instituti ratio patietur, nequaquam eos defraudabo. Nec tamen malum illis pro malo reddam, aut injuriam injuria rependam. Quid enim facias? Nempe hominibus istis innatum est, ut assidue nobis in faciem exspuant, & conviciorum ac maledictionem nimbos in nos effundant. Utantur ergo suis, si volunt, moribus, & tertio quoque verbo mendax aliquod convicium aspergant, per me licet: Ecclesia interim omnia ista ex alto despicit, adeoque hominum istorum probra & convicia honori sibi ducit; & instar cumini, per maledicta & exsecrationes olim sexti, tanto felicius provenit ac crescit. Medicos hac in re imitemur; & sicut illi vetulino felle cordis doloribus medentur; sic nos venenato istorum hominum felle & maledictorum bile, errores ipsorum atque animi vitia emendare, & quantum in nobis erit, ab interitu eos vindicare studeamus.

IV. Interim vos, O Reformati (hoc enim nomen & calamis & gladiis & hastis vobis hactenus acquirere voluistis) oculos aperite, & miseræ vestræ patriæ statum in hac veluti tabula depictum, diligenter perlustrate. Quamvis enim, ut Euripides monet, antiquæ ac jam præteritæ calamitates novis lachrymis deplorandæ non sint; scio tamen, nisi cor vobis ferreum & Marpesia cautе durius sit, ubi tam luctuosa furoris vestri passim videritis vestigia, à veris lachrymis vobis non temperaturos. *O quanto facilius est destruere omnia & vastare, quam ædificare ac restaurare!* *Hoc opus hic labor est*, ubi nulli estis: alterum vero illud ô boni Reformatores, nimis quam bene didicistis; ad erigendam fidem inter gentiles & Mahometanos plane estis rudes, plane ac plusquam pueri estis (quod itidem sui temporis hæreticis Christianorum Jurisconsultus Tertullianus exprobravit) at in demoliendis, quæ SS. PP. erexerunt, pene estis architecti. Sed plane Mirabiles architecti qui paucis annis omnia ferè sexcentorum & mille retro annorum opera dejecistis ac plura bella, quam Romani olim pro acquirendo universi terrarum orbis dominio gesserunt, accendistis pro vestri cerebri phantasiis vanis homini inculcandis. Ut enim de sola Gallia nostra dicam, in ea novies omnibus copiis & viribus pugnatum, nempe ad Veram, Druydas, S. Dionysii fanum, Jarnacum, Moncontorium, Coutracum, Sanlisium, & Jurium: plusquam ducenta prœlia commissa sunt, quæ (ut de minutis quotidianis conflictibus nihil dicam) infinita hominum strage etiam cruentissimis quæ unquam commissa scribuntur, prœliis æquiparari possunt. Quid de urbibus, oppidis & arcibus dicam? An ullus toto fere regno locus fuit, qui non captus, mox receptus, inde iterum receptus, & omni belli clade vexatus fuerit? Quid? Annon ultra decies centena civium vestrorum & popularium millia, partim gladio partim incendiis misere absumsistis? Quas vero urbes, arces & oppida non diripuistis? Tanta longa scilicet civilis hujus belli calamitatum fuit series, tam prolixa malorum nostrorum Ilias, ut facilius fuerit in hoc regno locum aliquem aere vacuum (quamquam id per Naturam fieri non potest) quã à belli miseriis immunem reperire. Illud tam glorioſum & superbum ædificium, quod majorum nostrorum pietas & religio tam feliciter exædificavit, vos momento fere temporis ita destruxistis atque exinaniv istis, ut extremum casum jamjam minaretur, nisi Deus interim fulcrum aliquod supposuisset, & in præceps euntem publicæ felicitatis currum velut sufflaminasset.

V. Non sine magno quidem nostro damno tum experti sumus, Religionem & Rempublicam ita inter se colligatas esse, ut vere de illis dici possit, quod Jurisconsultus de navi dixit: *Si dividas, perdis*, & de Christi Domini veste S. Bernardus *Destruitur si scindas*. Ut enim altera alterius tam in bonis quam in malis fortunam & statum sequitur, & religio præcipuum omnis imperii sive reipublicæ est fundamentum (siquidem ut vere Poëta noster Gallicis versibus canit,

Prosperitas omnis regionis vincta tenetur
Religione, pariqueg raduplerumque feruntur
Religio & regio, seu pax sit rebus optima,
Seu bellum cum cive aut quocumque hoste geratur.
Religione status, nam sola innititur omnis:
Hæc animos hominum connectit sola catena.

sic nihil est quo cujuscunque imperii status magis pericu-

ac periculosius labefactetur, quam religionis dissidiis. Et quemadmodum in Musicis si quis vel levissimo etiam vocis flexu ab artis præceptis discedat, statim omnis illa concentus suavitas perit, neque jam delectantur aures, sed offenduntur; ita in Republica quamprimum vinculum hoc dissolvitur, & in varias partes distrahitur, quid aliud quam confusionem & turbas exspectabis, quæ ipsum tandem imperium, nisi mature componantur, sint eversuræ? *Religionis incolumitate patriæ salutem contineri* Isocrates ethnicus dixit: cujus etymon quidam inde derivatum volunt, quod animos & corda hominum religet, & sacro quodam nodo constringat [a] Hic cardo est, in quo præcipua publicæ felicitatis pars vertitur. Hac una Romanos omnes gentes ac nationes superasse, M. Tullius gloriatur. At Tertullianus in Apologetico, *Romani Imperii magnitudinem & diuturnitatem, Religionis potissimum curæ, & omnis in ea novationis odio tribuendum esse, non invitus fatetur.* Recte enim ab Sapientibus semper judicatum fuit, quæ tot sæculorum usu & duratione confirmata sint, sine scelere atque impietate, novitatis tantum studio, mutari atque aboleri non posse: quum res humanæ, ut Hippodamus Pythagoræus dixit, nullam in divinis mutationem admittant, quæ non cum ipsarum ruina sit conjuncta. Recte Ennius:

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Et quemadmodum partes vitales in homine sine summo vitæ periculo lædi nō possunt: *sic in religione etiam, ut quæ velut anima est Reipublicæ, & firmissimum omnium legum fundamentum, ne minimum quidem mutari potest, quin multa statim inde mala & pericula ad Rempublicam redundent.* Hanc unam tamquam primam & firmissimam basin, quotquot in optimè conformanda hominum societate elaborarunt, Reipublicæ à se descriptæ subjecerūt. Huic divinus ille Plato primum in sua, cogitatione magis quam opere effingenda, Republica locum tribuit: qui etiam ejus rectoribus primum hoc tradit præceptum, ne quidquam in religione mutari aut novari patiantur, quam certissimum sit, ex religionis mutatione, imperii quoque sequi mutationem.

VI. Id si ulla alia sub sole regio, Gallia certe nostra experta est: quæ quamprimum novæ religioni & hæresi aditum præbuit, pristinæ suæ felicitati longum, atque utinam non æternum, Vale dixit.

Ex illo retro ruere, ac sublapsa referri
Omnia.

Misera Gallia! quæ veluti cōmunis omnibus Christianis ara hactenus fuisti, & post Henricum illum Aurelianensem apostatam, nullum hæreticum produxisti [b] eadem posthac instar theatri eris, in quo non varia tantum hæreseon monstra, verum etiam gravissimæ ex eis natæ calamitates repræsententur. O te miseram Galliam.

Quam quum non posset vis illa aliena domare,
Viribus ipsa suis sese confecit, & agram
Ducit nunc animam, letho exitioque propinqua.

O inconstantem Gallorum nationem! quantum à pristina majorum constantia degenerasti, qua illi in recepta semel, integre atque inviolabiliter conservanda semper religione usi sunt! Sed quid queror? Nimirum ad præcipitium hoc consueta temeritas te deduxit. Tu quidem omnibus qui posthac futuri sunt, exemplo eris & documento, quam pernicioſum sit à Fide Catholica deficere atque apostatare. Contemplare, sodes, in hoc libro tantarum tragœdiarum auctores; aspice furiosos illos Orestes in scenam sanguine undantem hic à nobis productos: aspice inquam, eos, qui divinitus ut pœnas à te sumerent, conducti videntur; qui ea incendia excitarunt, quibus universum pæne regnum conflagravit, quæ etiam non nisi ruina videntur exstingui posse. O iterum miseram Galliam! quæ ex calamitatibus tuis & miseriis tamquam novus mūdus denuo creata quodammodo prodiisti! Heu infelicem ac fatalem ruinam, qua boni ac mali pariter sæpe sunt oppressi! O felix quondam regnū! O melior Orbis terrarum pars! quas ego faces à divina ira accensas; quas in religionis negocio dissensiones, quam funestas tibi contentiones præparatas video, à quibus tandem in præsentissimum exitium præcipiteris? Sed quonam abripior? Quin hoc potius ago; & primam nostrorum malorum telam explicare aggredior.

[a] *Macrob. Saturn. lib. 2. cap. 6. Lact. l. 4. August. de ver. relig. in fin. D. Tho. 2. 2. q. 81. art. 1. Platus lib. 1. de bono Religiosi &c.* [b] *Vixit an.* 1230.

DE FRANCISCO I. GALLIARUM REGE. ejusque in litteras & litteratos, quos undique ad se accersivit, amore.

Caput Segundum.

ARGUMENTUM.

1. *Franciscus I. Galliarum rex bonarum litterarum*

restaurator, & summus fautor ac patronus. Vti & Margareta Navarræ Regina, Soror eius.

II. *Homines scientia undique accersuntur.*

III. *Eum Lutherus ad partes suas traducere conatur, & per eum Galliam totam.*

IV. *Quibus artibus ad id sit usus.*

I. QUo tempore novi Evãgelii præcones in varias sectas distracti, Germaniã & ipsam non minus in varias factiones divisam tumultu & turbis implebant (ut superioribus libris vidimus) ac Lutherus inprimis, licet excucullatus tantum Monachus, universum mundum territabat, hominum conscientiis tranquillis hactenus, irreligiosam religionem objiciendo, vel potius impietates suas instillando: Galliæ res is Rex moderabatur, quo jamdiu vix quisquã tanto honore, uti etiã Christianissimi, & Primogeniti Ecclesiæ filii titulo dignior fuit habitus. Is Franciscus Primus fuit, non nomine tantum, sed multis quoque aliis maximo rege dignis virtutibus Primus; in quo tamen vix quidquã magis commendatur, quam quod incredibili amore, studio & benevolentia tam litteras quam litteratos omnes prosequutus fuit. Quod quidem in eo tanto rarius fuit ac mirabilius, quod numquam maior in Galliis litterarum ac bonarum artium ignorantia ac barbaries fuerit, adeo ut litteras scire, probri pene loco haberetur. Neque enim tum universa Galliæ Nobilitas quidquam aliud in oculis atque animo habebat, quam armorum tractationem. Hoc Julianus ille apud Balthasarem Castellionem in Aulico, Gallis exprobrat, *Francisco scilicet nondum regni habenis admoto; simulque sub eiusdem imperio meliorem & Gallus mentem & litteris fortunam spondet ac præsagit.* Sic enim ibidem loquitur. *Vitium hoc*, inquit, *Gallis omnibus jam familiare est, ut litteras negligant aut etiam contemnant. Quod si tamen aliquando futurum est ut Princeps Engulismensis (sic tum Franciscus vocabatur) regnum adipiscatur; magna me spes tenet, quemadmodũ armis primum in modum jam floret Gallia, sic non minus prisina litterarũ ornamenta facile recuperaturam. Meminerim enim quũ nuper in aula essem, audivisse me eundem, Gallorũ hac in re negligentiam ac sinisteritatem vehementer detestantem: ipsas vero litteras, solo naturæ instinctu, contra totius gentis mores, summis laudibus efferentem.* Vaticinium hoc non vanum fuisse, eventus docuit. Illud vero singulari quoque Dei providentia factum videtur, quod illo tempore vir omnium quos umquam Gallia produxit, eruditissimus exstitit, *Gulielmus Budæus*, is cujus opera potissimum Franciscus deinde in restaurandis literis est usus. Facile enim intelligebat rex prudentissimus, *non minus ad conservandum imperii decus litterarum quam armorum præsidia esse necessaria*: quorum utrumque ita curabat, ut integra, armorum laude manente, litterarum studia veluti de sepulcro excitaret; ut merito inde *Parens & Restaurator litterarum* dictus sit; frequenter illud in ore habens quod Comes quidam Andegavensis ad Ludovicum Caroli Simplicis filium scripsisse fertur, *Regem litteratum similem esse asino coronato.*

II. Porro Franciscus rex, incredibili, ut dicere cœpimus, restaurandarum litterarum desiderio ardens, viros doctos ex Italia & Germania nõ paucos evocavit, inter quos etiã fuit ille sui sæculi miraculum, Erasmus, qui humaniorum litterarum facem pæne exstinctam antea & in barbariei cineribus sepultam, in Francia rursus accendit. Quin etiam ultro magna doctorum hominũ multitudo tanti regis fama excitata, in Franciam undique confluxit; inter quos etiam *Lutherani* quidam fuerunt; Luthero & Melanchthone eos quos maxime ad proseminandam novam in tam fertili solo religionẽ idoneos judicabant, summittentibus. Ex omnibus vero Galliæ pestibus nemo magis idoneus visus est quam Bucerus, Argentinæ degens: ubi prima de Gallia novis dogmatibus inficienda cõsilia procusa sunt & collata, mirifice id propositum impiorũ adjuvit, quod Eodem quo frater affectu Margarita Navarræ regina ardens, multos & ipsa doctrina præstantes viros ad se allexit, ac liberaliter sustentavit: in quorum numero vix fuit possibile cavere quin unus & alter Lutheranus sese ingereret, à quibus deinde reliqui etiam depravati & eadẽ lepra infecti sunt. Ex his unus fuit is, qui, ut VII. ostendam capite, primus ei qui funesto deinde patriam incẽdio involuit, titionem subministravit. Principum exemplo, ut fieri solet, moti proceres, plerique doctorum hominum amicitias & familiaritates sibi adjungebant: ex quo factum est, ut sylvester illud & rude sæculum, momento temporis mirabiliter omni scientiarum & artium genere, profligata barbarie, fuerit expolitum. Sed ut olim apud Romanos sic apud nos quoq; *bonorum & proborum hominum genus tum defecit, quum Philosophi & Oratores primũ prodierunt*, postquam scilicet vetus illa & simplex majorum virtus in loquacem quandam & abstrusam scientiam degeneravit, sic ut ars bene dicendi, bene vivendi artem sustulisse videatur, Sorbona quidem

quidem primaria non Galliæ tantum, sed universi etiam orbis sacrarum litterarũ schola, pluribus regi ac senatui regio demonstravit, quam pernicioſe in eo erretur, quod ad litterarum professionem sine delectu passim quicumq; admitterentur. Neque enim periculo carere, quod Grammatici etiam falcẽ in alienam messem mitterent, & Theologicarum rerum susciperent tractationem. Sic enim fore, ut quisque hic Græcam, ille Latinam, alius aliam versionem exagitandam sibi sumerent, aut propriam comminiscerentur, sicque hæreſos virus doctrinæ suæ inspergent. O bonum & salutare consilium, si modo ei fuisset obtemperatum! Beda quidem & Quercæus, uterque magni nominis Theologus (quos Genuensis Ecclesiæ Historia duas magnas bestias appellat) hac de re ipsi regem monuerunt: quem tamen immoderatus erga litteratos amor sic transversum rapuit, ut neminem doctrinæ commendatione insignem repudiari vellet: quin etiam aliunde venientibus plerisque luculenta stipendia assignavit, disputationibus eorum ipse interfuit (Latinæ enim linguæ usum aliquem habebat, quamvis Historia Genevensis Ecclesiastica maternam tantum calluisse prodat) & eorum sermonibus quum alias, tum inter prandendum & cœnandum mirifice delectabatur, adeoque quosvis Scholares filios suos appellabat. Quid tu, ajebat aliquando ad magnatem quendam, qui Scholari alapam inflixerat, An tu filiis meis manum afferre audes? Sane eum in animo habuisse constat, antequam moreretur, Professorum à se instiuturorum numerum augere, gymnasiumque ampliſſimum regia magnificentia ædificare, in quo omne genus bonarum artium & linguarum doceretur, & ipsi Professores cum sexcentis scholaribus publico sumtu alerentur: quam in rem quinquaginta aureorum millia annuo erogaturus esset.

III. Ut vero olim Syracusanus ille Archimedes admirabilium machinarum inventor, ad earum usum nihil aliud poscebat quam pedem unum & alterum solidæ terræ, in quo eas statueret, facile deinde earum ope & artificio ad quæcunque pertingere eæ possent, omnia ad se & quocumque vellet attracturus: sic Lutherus primarius schismatis & hæreſos architectus, non sine causa sibi persuaserat si magnum hunc Principem suum feciſſet, de cetero plana & expedita sibi fore omnia ad universam Franciam suis partibus adjungendam. In hoc uno omnem victoriæ sibi spem positam, facile intelligebat. Quare nihil æque cupiebat, quam liberũ sibi ad hunc regem sive per litteras, sive per subornatorum à se hominum sermones & colloquia, aditum parare solitus, Magnos ante omnia captandos esse, reliquam turbam facile sequuturam. Sperabat enim quemadmodum Constantio Imperatore in Arrianismum lapso, & Christiana religione à Juliano deserta, pestis eadem totum fere Imperium pervasit; sic rege hoc suæ factioni adjuncto, universam Galliam Lutheranizaturam. Et sane ita est. Quemadmodum inferiores orbes cœlestes primi mobilis ductum sequuntur; & tota horologii machina admirabiliter inter se connexa, unius rotæ pondere circumagitur: sic Principes moribus & actionibus reliquos facile quamcumque in partem flectunt, adeo ut virtutes modo, sed etiam vitia eorum exprimere conentur, nec tam quid ab illis fieri debeat quam quid fiat, penſi habeant. Non ignorabat Lutherus, si apud ullam nationem illud verum sit quod Poëta dixit,

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus;

illud apud Gallos longe esse veriſſimum, ut qui reges suos paullo minus quam ipsum Deum colant, omnesque eorum actiones, tamquam simiæ, imitentur. Neque enim Gallorum rex subditorum personas tantum, verum etiam ipsos animos & corda sibi habet obnoxia. Hinc etiam non *Franciæ* modo, sed & *Francorum Rex* idem nominatur: quod non facile de alio quocumque inter Christianos rege dixeris. Sed, pro dolor! hunc devoti animi Gallorum erga reges suos affectum hæreſis in multis novarum rerum studio captis non labefactavit modo, verum etiam pæne exstinxit, ut historiæ nostræ series docebit.

Porro Lutherus, qui S. illam Apostolicam Sedem evertere penitus constituerat, ut firmiſſimam hanc ejus columnam & fulcrum convelleret, nihil omnino diligentiæ prætermiſit: commoda ad eam rem occasione usus, quod plerique qui doctrinam suam vænalẽ exposituri, in Franciam concesserant, Lutheranæ essent factionis, & ab ipso quid agendum esset bene instructi. Quin etiam ipse ad Regẽ scribere, & unà cum commendatitiis Saxoniæ Ducis litteris, libros suos ad eum mittere ausus est, quod intellexiſſet Principem illum librorum lectione vehementer delectari: protestans interim, ut tanto facilius fidem sibi faceret, nihil se aliud spectare quam ut mundum semen à zizaniis mundetur, & Ecclesia tamquam

Augiæ stabulum, ab se tamquam Novo Hercule repurgetur; ac simul rogans, ut se inaudito, nihil statueret. Eundem regem Zvinglius etiam ad suas partes traducere conatus est, dedicato ipsi libro *De vera & falsa religione:* ut etiam Antichristianæ suæ (Christianæ voluit dicere) doctrinæ *Institutiones* ad eundem misit is, qui duobus illis Hæresiarchis exclusis, præcipuum postea inter sectarios in regno locum sibi vindicavit. Quid multa? Nemo fere erat ex omnibus illis Novitiis Evangelistis, qui non fores has pulsandas, aditumque tentandum sibi existimaret, interim inter spem ac desperationem boni successus fluctuantes. At tandem frustra omnis eorum fuit conatus. Rex enim ab omni Novitatis quod eo tempore singulare Dei donum fuit, studio alienissimus, nullis precibus, nullis obsecrationibus adduci potuit, ut cum Ecclesia faceret divortium. Et ut erat admodum curiosus, controversiarum quidem fontes ac schismatis causas cognoscere non abnuebat, emendandis erroribus, si qui deprehenderentur, omnem opem pollicitus: sed quum malitiam eorum qui ruinam Ecclesiæ sub hoc prætextu moliebantur, quo erat acerrimo judicio ac profunda prudentia, subolfeciisset, quamplurimas statim alienæ ab omni hoc hominum genere, qui jam suum esse sibi persuaserant, voluntatis significationes dedit, ut in sequentibus ostendam. Jam enim tempus est ut primum Lutheranæ in Galliis Ecclesiæ fundamentum inspiciamus.

QUOMODO MARGARITA FRANCISCI I. soror, Navarræ regina, Lutheranis apud se receptum dederit.

Caput Tertium.

ARGUMENTUM.

I. *Lutheranismi prima semina in oppido Meldensi publice sparsa.*
II. *Et à quibus.*
III. *Lutherani ad promovendos conatus suos mulieres operas ambiunt.*
IV. *Margarita Navarræ regina doctorum quorundam virorum patrocinium suscipit, nondum rectè eorum explorata integritate.*
V. *Gerardi Rufi historia, qui Benearni Principatum hæresi infecit: & qualem Navarrenæ fuerit aulæ facies.*
VI. *Rufus Abbas Cleriacensis, Temporisator vulgo appellatus, Catholicum se simulat.*

PAVONEM ajunt, volucrum superbissimam, ubi diversicolore illo plurimarum ornatu, (quod singulis annis ei non minus quam arboribus accidit) quem antea ad solis radios tanto cum fastu explicare solebat, orbatus fuerit, intra cortē suam præpudore se continere, nec prodire inde, donec cauda ipsius variis coloribus picta, pristinum illud lumen ac splendorem recuperarit. Eodem modo Hæresis, ferum & horrendum monstrum, deformitatis suæ (quam tamen sanctitatis prætextu quantum fieri poterat, velabat) sibi conscia, in publico apparere ac conspiciendam se prius dare ausa non est, quam plumarum aliquot pulcrarum in speciem adscititium ornatum sibi acquisivisset, quibus & turpitudinē suam tegeret, & hominibus novitatis ceteroqui avidis, tanto facilius sese venditaret. Vidimus certe initio in diversis Galliæ locis eandem passim jam nascentem, mox rursus denascentem, jam deficientem, instar Lunæ, jam augescentem, sic ut momento tēporis tamquam pestilens anguis modo è cubili suo proserperet, mox rursus eodem se abderet atq; occultaret; aut velut nocturnum fulgur subito erumperet, nec minus subito evanesceret. Tādem vero paullatim in Meldorum civitate, à Lutetia non ita procul distante, an. M.D.XXIII. è latibulis suis prodit, & in aperto quasi ambulare cæpit. Hæc illa fuit civitas, quæ primum Lutheranæ hæresi hospitiū aperte præbuit, cū perpetua nominis sui infamia: unde postea LUTHERANI MELDENSES in proverbiū abierunt. Ajunt novellæ ecclesiæ historici, in hac urbe Evangelium (Lutheranismum intellige) fideliter fuisse annunciatum, alacriter receptū, auctum brevi tēpore admirabiliter, & cōstanter propugnatum. Erat tū ejus loci Episcopus Gulielmus Brissonetus, qui licet circa gregis fidei suæ cōmissi custodiā non esset indiligens, primus tamē Lutheranis ibi portā aperuisse existimatur, curiositate quadā ductus, ceteroqui laudabili, si cū prudētia fuisset conjuncta. Is enim cōtracta cū novis litterarum professoribus, qui Lutetiam tunc undiq; convolarant, & multorum aures atq; animos Græcissationibus & Hebraizationibus suis titillabant, notitia & familiaritate, aliquot ex iis [b] Lutherano Zvinglianos ad se evocavit; inter quod quatuor fuere præcipui, Gulielmus Farellus Delphinas, Jacobus

[a] *Lutherani Meldenses.* [b] *Quatuor primi apud Gallos nostri temporis hæretici.*

cobus Faber, Arnoldus & Gerardus Rufi, Picardi, homines facundi admodum, & in bonarũ litterarũ ac linguarum ſtudiis, quæ Lutetiæ profeſſi fuerant, bene verſati. Et horum quidem manibus prima hæreſeos ſemina in Galliis jacta, paullatim adoleverunt, nimiæ facilitatis Epiſcopo ad conatus eorum connivente. Neque enim quis ſolus ſibi errat, ut ait Sapiens; ſed alios quoque in devia mittit: ac fere fit, ut ſtulti ſtultitiam ſuam & deliria aliis, quibus eum ſunt, tamquam ſcabiem affricent.

(a) II. Hi ergo Meldas profecti, ſub Catholico habitu ſemi Lutheranorum (ſic enim erant) perſonam occultantes, mox in civium familiaritatem ſeſe inſinuarunt, priſcæ interim majorum pietati, à qua plane diſceſſiſſe videri non volebant, novum aliquod dogma aſpergentes, ac præcipue D. Virgini Deiparæ & ſanctis cœlitibus exhibitum hactenus honorem, quaſi is Deo ſoli deberetur, calumniantes: qua arte olim quoque Arriani uſi ſunt, Deitatem filio, quod illa ſoli Patri competeret, detrahentes; interim vero modo hunc modo illum Fidei articulum partim cuniculis partim aperto Marte, per S. ſcripturam male detortam, impugnantes & convellentes. Et facile quidem illis fuit, ut eſt gens hominum novitatis avida, eorum animos qui aures ipſis præbebant, novis dogmatis imbuere, quum plerique indocti eſſent & ſimplices, manuariis artibus vitam ſuſtentantes, ſartores, ſutores, textores, & id genus. Vbi vero diutius ſe latere non poſſe animadverterunt (jam enim ubique fama de hæreſi Meldis gliſcente percrebuerat) mature collectis velis antequam tempeſtas ingrueret, naviculam in tutum aliquem portum ſubducendam ſibi ſtatuerunt; Epiſcopo non minus benigne tutum illis exitum quam ingreſſum antea procurante, & illis vel ſolo Martyrii nomine alas ad fugam addente. Epiſcopus præventus & hæreſeos accuſatus, ad primam ſtatim correptionem, ignorantiam ſuam faſſus eſt, ac tandem ad ſaniorem mentem rediens, errorem agnovit, ac reſipuit, & ad extremum uſque ſpiritum deinceps in Catholica Eccleſia perſeveravit; ut & unus ex quatuor illis, Arnoldus Rufus. (b) Hinc Bezæ illud, dicentis in ſuis Iconibus, Briſſonetum præ aliis hanc laudem aſſequutum, quod primus Evangelium in Galliis plantaverit, qua tamen ſeipſum deinde privârit, ab iis quibus nimium tribuebat, ita faſcinatus, ut veritatem abnegarit & condemnarit. (c) Farellus, relicta Gallia, in Helvetiam abiit, Zvinglium de dubiis quibusdam, quæ animo conceperat, conſulturus. Inde Genevam profectus, eius quæ non multo poſt ibi facta eſt, mutationis auctor fuit, ut ſuo loco dicetur. (d) Faber in Aquitaniam profugiens Neraci latibulum ſibi quæſivit, ſub Henrici Albretani, Navarræ regis, qui Franciſci ſororem Margaritam in matrimonio habebat, favore & patrocinio delitescens, & neſcio quam novæ religonis formam commentus, quam ita amplectebatur, ut tamen à veteris Eccleſiæ corpore ſegregatus videri nollet: tanto faciliorem aditum apud reges jam dictos reperiens, quod uterque, & rex & regina, jam ante guſtu aliquo Proteſtantium religionis eſſent imbuti. (e) Gerardus Rufus, quem Rouſſelium Galli appellant, in Germaniam abiit, ut magnum hominem, qui fama ſui & ſtupore totum orbem impleverat, oculis videret. Vt vero tres iſti diverſas ſemitas ingreſſi ſunt, ita iidem diverſas quoque religionum formas, ſuo ſibi quiſque modulo, exſtruxerunt. Faber cognomento Stapulenſis (vicus eſt ignobilis, unde homo iſte obſcuro loco natus, prodiit) ſub Navarræi regis patrocinio diu vixit; & quamvis Catholicũ ſe ferret, eorũ tamen animis quibuſcum converſabatur, multos de fide ſcrupulos injiciebat, & novas opiniones inſtillabat. Memini me in templo Neracenſi Epitaphium ipſius legiſſe, his verbis conceptum:

(f) *Corpus humo, mẽtemq; Deo bona cũcta relinquo*
Pauperibus: Faber hæc dum moreretur, ait.

Quamvis autem Rex & regina è Meldenſium illorum fugitivorum ſermonibus, in Catholica religione multo facti eſſent tepidiores, nihil tamen tum in divino cultu eiuſque ritibus mutatum fuit.

(g) IV. Inter hæc dum Franciſcus rex in regno ſuo contra peſtilentem illam Rheni inundationem muniendo ſatagit, Margarita eius ſoror, Navarræ regina, diverſo ſtudio in aggeribus perrumpendis & hæreſeos rivis in regnum deducendis elaborabat, fucata quadam pietatis & publicæ ſalutis ſpecie decepta: quem ſuum errorem ipſa tandem quoque agnovit. Et ut olim Arriani Imperatorem captantes, ut fidem ſibi facerent, in ſororis ipſius gratiam ſeſe inſinuarunt; ſic Lutherani tam clancularii quam notorii, quum Franciſci regis aures ſibi obſtructas animadverterent, ad ſororem eius Navarræ reginam, recurſum habuerunt, miſeris ſibi inimicorũ fraude oppreſſis, auxiliũ tam voce quã

(a) *Primi hæreſeos prædones.* (b) *Beza in Iconibus.* (c) *Gulielmus Farellus.* (d) *Iacobus Faber Stapulenſis.* (e) *Gerardus Rufus.* (f) *Mortuus Anno 1532.* (g) *Lutherani ſeminarum operâ uſi, & quarum.*

libellis petentes; velut proxenetis aut productricibus ad hoc uſi feminis quibuſdam è gynæceo, jamante à ſe irretitis. Inter hac præcipuæ fuerunt Stamparum Duciſſa, regis gratia florens, nec non dominæ de Cani, & Peiſſeleu, quarum hæc Duciſſæ erat ſoror: à quibus deinde aliæ atque aliæ in eandem naſſam fuere pertractæ. Nec ſane multo ſanguine hæc victoria conſtitit: pleriſque Eccleſiaſticarum legum, earum præſertim quæ de peccatorum exomologeſi facienda latæ ſunt, pertæſis, ac manus ultro tendentibus. Meminerat ſerpens ille aſtutiſſimus, quam feliciter hoc telo in terreſtri illo paradiſo contra primum noſtrum omnium patrem uſus eſſet, eoque miſerum unà cum toto humano genere, uno ictu proſtraviſſet: itemque quantum numerum filiorum Dei, muliebribus technis per Balaamum pſeudoprophetam ſubvertiſſet. Nec ignorabat, hac una machina pluſquam ceteris omnibus viros quoſdam, expugnari ac vinci poſſe: atque ideo tam prioribus quam poſterioribus his ſæculis ea plerumque uſus eſt Proprium enim feminarum eſſe S. Hieronymus dicit, ut decipiantur, & deceptæ, alios decipiant. Quod ſi prima femina diaboli partibus ſe non ad adjunxiſſet, nulla illi ſpes de patre noſtro Adamo expugnando fuiſſet. Tertullianus de prima noſtra matre Eva loquens, eam, ait, portam fuiſſe diaboli, utquæ prima ad fructum interdictum manus extenderit, & prima à Deo defecerit, & Dei in homine imaginem quam diabolus aggredi auſus non fuerat, momento temporis oblitterarit, Apud Origenem Lucifer ille gloriatur, ad viros expugnandos nullis ſe armis quam priſtinis illis, nempe muliebribus technis uti. S. Chryſoſtomus vero ait, diabolum, extincta omni Iobi familia, ſolam uxorem voluiſſe manere ſuperſtitem, ut per eam invictæ illum pietatis & patientiæ militem, qui in ſterquilinio ſedens, & & teſta ulcerum ſaniem detergens, multo majorem quam aureæ aliorum ſtatuæ, claritatem ac ſplendorem de ſe fundit, oppugnaret. Et ſane Evam tum ille alteram repererat, ſed non veterem illum Adamum. Eaſdem machinas deinceps magiſtri illius diſcipuli ut plurimum adhibuerunt. Simon Magus, primogenitus Sathanæ (ut à S. Ignatio appellatur) ad propagandam ſuam hæreſin, Helenæ cujuſdam operâ uſus eſt; Apelles, Philumenæ, Tertullianus teſtatur. Marcion vero per feminam aditum ſibi Romæ patefecit. Montanus Priſcillam & Maximillam quaſi cooperarias habuit. Paulus Samoſatenus ſub Zenobiæ alis latuit. Arriani inprimis adjunctis ad ſuas partes Imperatorum uxoribus, acerrime ſæpe Catholicos oppugnarunt. Eorum dux Arrius per Conſtantiam magni illius Imperatoris Conſtantini conjugem effecit ut ab exſilio revocaretur. Priſcillianus feminis ad ſe miro verborum lenocinio alliciendis ante omnia ſtudebat. Nicolaus eadem arte integros feminarum greges ſibi adjunxit: quibus mox juvenes nō minori numero ſeſe adjunxerunt. Cur vero hæretici feminas præcipue captent, S. Chryſoſtomus hanc rationem reddit, quod illis ſexus vitio & temeris & nimis credulis, facile error etiam quicumq; perſuaderi poſſit. Sed ad viduas iidē potiſſimū ſeſe applicare ſolent, quod maritatæ non tam facile circumvenire poſſint, ut quæ viros ſuos in conſilium adhibere ſolent, nec de bonis, quæ in maritorum ſunt poteſtate, quidquam fere cōmunicare poſſunt. Ergo vnde certior victoriæ ac lucri ſpes ſe oſtēdit, aut juvētuti, aut feminino ſexui inſidiantur. Hunc hæreticorum morē eſſe idē Tertullianus ait, ut quibus nullæ alias vires ſint quam quas ex aliorū infirmitate ſumunt: eoq; non facile alios aggredi quam ætatem illam improvidā, & ſexum imbecillem. Nec mulieribus tantum, ſed & aliis per mulieres diabolus retia ſua tendit. Illas ubi ceperit, eis deinde tamquam decipulis ad alios capiendos utitur. Habet omnino ſexus ille molle quid, ſed occulta magis vi quam aperta violentum, quo virorum animi ita domantur ac ſubjugantur, ut etiam quum poſſunt, jugum hoc excutere nolint. Non ſine cauſſa neſcio quis, feminas vel margaritis precioſiores, vel aſpidibus magis venenatas eſſe dixit. In bellis quidem ob religionem geſtis mulierum fuſa & colus plus mali neverunt ac texuerunt, quam præpilatæ virorum haſtæ & gladii acutiſſimi damni dederunt.

III. Navarræ regina, bona, ſed nimiæ facilitatis Principiſſa, poſtquā ſemel hæreticis aures præbere cœpit, libros eorumdē per gynæceum ſibi oblatos, non modo non repudiavit, ſed cupide etiā recepit, ac legit; dato etiā Sylvanectenſi Epiſcopo, qui regiā ſacris erat Confeſſionibus, negocio, ut conſuetas Precationū Eccleſiæ formulas è Latino in vulgarē ſermonem cōverteret, multiſq; cum ea habitis ſermonibus, quibus ut de nova religione melius ſentiret, homini perſuaderi poſſe ſperabat. Domus ipſius omnibus ob religionē proſcriptis ac profugis inſtar aſyli erat. Illud ſane utriuſq; partis hiſtoriographi teſtātur, huic uni feminæ, nihil mali cogitāti, Lutheranos in Gallia ſalutē ſuā debere; & per hanc unam ſtetiſſe quominus Reformatæ, ut poſtea

diei

dici voluit, ecclesiæ seges in ipsa herba & primis quasi incunabulis fuerit exstincta. Præterquam enim quod precibus eorum & verbis speciosis initio & ad misericordiam compositis, nequaquam vero tantæ quantam postea vidimus, confidentiæ plenis aures lubenter accẽmodabat; etiam suis ipsa sumtibus quum in Gallia tum in Germania complures in scholis & Academiis alebat, adeoq; omnibus qui religionis causa periclitabantur, benignissimã patronam se præstabat, iis præsertim qui Argentorati & Genevæ delitescebant. Constat certe eodem una vice quatuor aureorum millia inter doctos distribuenda ab ipsa missa esse. Quod quidem omne regiæ ipsius magnificentiæ ac liberalitati adscribendum est, uti vitæ exitu testatum fecit. In secretioribus Curiæ nostræ tabulis scriptum invenio, eam absente marito, qui provinciam pro rege administrabat, Senatum ingressam, magno studio pro Andrea quodam Melãchthone captivo & hæreseos accusato intercessisse, id Philippum Melanchthonem Saxoniæ Ducis Consiliarium, per litteras à se flagitasse dicẽs. Andreas hic ad litterarũ in scholis professionem è Germania evocatus, in oppido Tonnino Aginnatium novam cognati sui doctrinam, Augustanæ Confessioni conformẽ, disseminarat, quæ quidem brevi tempore ita succrevit & adolevit, ut hactenus nullo modo potuerit exstirpari. Vt paucis dicã, bona hæc regina toto illo decennio nihil magis curæ habuit, quam ut eos quos rex ob perversa dogmata Iustitiæ tradere constituerat, liberaret, & ceteros quacumque posset ratione juvaret. Quam ob caussam sæpius regem adiit, multosq; cum ipso sermones habuit, id præcipue agens, ut commiseratione quadam erga Lutheranos animum leniter ac mitigaret, velut succidanea ad idem Stamparum Ducissæ opera abutens.

Gerardum Rufum è Germania reversum eadem regina non modo benigne excepit verum etiam familiarium suorum numero adscripsit, eius de religione sermonibus vehementer delectata. Ex hujus consilio Bibliorum, quæ tum nuper in Gallicã linguam conversa, & crassis characteribus impressa erant, lectioni totam se dedit, & quidem ita, ut plerasq; Novi Tastamenti historias scenicis rhythmis illigatas, evocatis ex Italia præstantissimis Comœdis & histrionibus, coram marito repræsentari curaret. Vt vero hominũ illud genus id sibi præcipue negocii datum existimant, ut quæ dicunt quæque faciunt dominis unice placeant: sic histriones illi, perspectis reginæ sensibus, in omni fere loco Ecclesiasticum ordinem falso aliquo dicto aut convicio incessabant. Nulla Comœdia peragebatur, in qua non Monachus aliquis aut Ecclesiastici ordinis homo introduceretur, qui pro mimo esset: adeo ut nulla oblectatio capi posse videretur, quin Deus ejusque ministri offenderentur. At risus hic postea in fletum fuit conversus. Rex non minus facilis quã Regina, has Tragicocomœdias non lubens tantum spectavit, verum etiam Conciones hæreticorum, quas Exhortationes vocant, in conclavi suo haberi passus est, verba faciente eo quem diximus Rufo, aut interdum excucullato Tarbensi monacho, cui Soloni nomen, & acrior quam illi dicendi vis erat. In his pleno ore tam cõtra Papam quam universum sacerdotum ordinem convicia profundebantur, tanta cum licentia, ut plerumq; ipsos etiam auditores suppuderet. O strenuum & quantivis pretii monachum! qui antequam moreretur, quintam duxerat uxorem. In ritibus quos usurpabant, speciem aliquam licet exiguam pietatis & devotionis præ se ferebant; interim vero nulla re magis quam vero & genuino S. scripturæ intellectu gloriabantur. Foxius vero & Grammontanus Cardinales, ægre ferentes regem â majorum instituto deflectere, ac Catholicis ritibus ac sacris tantum velut dicis caussa ac perfunctorie interesse, ex aula discesserunt. Vt vero ante à ludis & Comœdiis ad Exhortationes; sic postea ab his ad Manducationẽ (sic enim tum Cœnam suam appellabant) est descensum, quæ in loco quodam secreto officinæ monetariæ, quæ Podii est erat apparata. Franciscus Rex quæ Podiisierent edoctus, simulq; à Sorbona, quæ libellum nuper sub reginæ nomine, & titulo *Speculi animæ* peccatricis, æditum damnaverat, monitus, vehementi concepta indignatione, sororem ad se accersivit. Venit illa, unà cum Burio Aquitanæ Præside, Rufum illum secum ducens; & obstructas veritati aures animumq; pervicacem afferens. Venientem rex, licet tenerrime eam amaret, ac delicias suas appellare soleret, acriter corripuit; sed illa ita respondit ut Catholicam se esse simularet. In omni vero sermone nescio quam novam Missæ formam, septem punctis constantem, inculcavit: quin etiam eidem persuasit, ut Rufi & duorum aliorum apostatarum Conradi & Bertholdi sermones audire non sit dedignatus. Sed vix illi os aperuerant, quum statim ex ipso halitu pestilens quod in animis ipsorum latebat, ulcus fuit deprehẽsũ: Ex his ob hæresin in vincula conjectus Bertholdus, revocato errore, ad Ecclesiæ gremiũ se recepit, & in eo ad finẽ usq; vitæ cõstanter

ter permansit, sicque animæ & corporis libertati simul consuluit. Conradus vero, abjecto religioso habitu, & assumta juvencula comite, in Helvetiam profugit; ac tandem Genevam profectus, & ut animæ, ita corporis quoque oculis orbatus, in magnis miseriis vitã exegit. (a) Rufus itidẽ comprehensus sed reginæ intercessione mox liberatus, Neracum se abdidit; eiusdem favore Abbas Cleriacensis, mox etiam Oloronensis factus Episcopus. Sic quidem miseræ oves lupi custodiæ erant commissæ, tam habitu quam ceteris rebus Catholicæ Romanæ Ecclesiæ filium se simulantis. Etsi vero Calvinus Rufum hunc tamquam unum ex Antecessoribus suis, à quibus doctrinam suam hauserit, laudet; ipse tamen tam voce quam scriptis sæpe sæpius protestatus est, se nec Zuinglianum nec Lutheristam esse, sed Rufistam. Hoc certe elogium in Ecclesiastica illa historia ei tribuitur, quod aliquantum quidem profuerit, numquam tamen roformatis ecclesiis plane se consociarit. Vidi apud hominem quendam doctissimum, Aquitaniæ nostræ civem, scripta quædam Rufi de S. Eucharistia, in quibus nescio quod corpus Christi spirituale & glorificatum, & carnis & ossium expers, sibi imaginatur: quem errorem is de quo dixi homo ita imbiberat, ut nulla ratione ex animo eius evelli posset. Et in hanc quidem sententiam differentem ipsum non semel audivi: quam eandem libellus quidam ipsius super eadem materia scriptus, sed nondum impressus, præferebat. In moribus sane ac vita nihil erat quod magnopere reprehenderes, nisi falsa doctrina cetera omnia corrupisset ac dehonestasset. Nam & in numero suo obeundo ita erat assiduus, ut sæpe uno die ter concionaretur: multum eius virtutes illustrante Lascarniensis Episcopi ignavia, qui nobilissima Albretanorum ortus familia, voluptates unice sectabatur, ac reginæ gratiam in omnibus aucupari studebat. Quid boni putas miser hic populus talibus pastoribus commendatus sperare poterat? Quid aliud, inquam, quam ut hæreticis ac lupo infernali præda tandem fieret?

(b) Contra Rufum hunc inprimis Calvinus librum *Adversus Nicodemitas* scripsit: Beza vero quod Navarræ regina tandem ab ipsis defecerit, huic præcipuæ imputandum censet, ut quià Catholicæ Ecclesiæ dogmatis & ceremoniis non ita longe abiret. Missam celebrans, communionem cum aliqua populi parte sumebat: prius vero, altari tergum obvertens, sermonem ad populum de Sacramenti illius mysterio habebat. Hic primus contra Ecclesiæ omnium q; tot sæculorum consensu confirmatorum Conciliorum auctoritatem Catholico indutus habitu, communicantibus Eucharistiam sub utraque specie publice porrexit. Vt vero simplicem populum ad se attraheret, vulgari sermone in orationibus plerumque utebatur. Vicarium habebat Benedictini ordinis Monachum Aimericum nomine, sibi plane geminum, qui etsi religiosum habitum gestaret, nihil minùs tamen quam Catholicam religionem prædicabat. Idem Rufo mortuo, abjecto cucullo, ductaque vxore apud Cleriacenses novi Evangelii Minister factus, infortunatam vitam duxit, quod, ut ipse dicere solebat morosam vetulam arripuisset.

(c) Porro quia Rufus ille singularis alicujus sanctitatis speciem in moribus & vita externa præ se ferebat, ut qui loco canum & vertagorum pauperum catervam, & pro equis ac satellitio, multos pueros & destinatos litterarum studiis aleret; facile fiebat ut multorum animis unà cum novæ religionis desiderio, (in qua tamen ipse adhuc animi dubius fluctuabat) antiquæ odium paullatim instillaret, O miseros, qui à regia via umquam ad incognitas semitas deflexerunt! Quod si cuique religionem suo pede & modolo fabricari liceat, Deum immortalem, quæ inde confusio nascetur? Id si Rufo licet, cur non & Calvino? Si Calvino, quo minus Serveto? Sic fiet, ut quot capita, tot novarum religionum architecti ac diversarum sectarum auctores futuri sint. Ecquis vero tandem in tanta humanarum opinionum varietate & inconstantia errandi finis est futurus? Quæ enim umquam tam perversa ac tam monstrosa fuit opinio, quæ non colore aliquo pingi potuerit quæque non suos invenerit astipulatores? eos præsertim qui vel levitate vel ambitione quadã ab Ecclesia jã discesserunt. Nullum certe dogma tam absurdum est, quod non aliqua S. Scripturæ auctoritate probari quodammodo & palliari possit, si cuique eam suo sibi sensu interpretari, & ad quod vult accommodare liceat. Rufus certe noster ex eorum fuit numero, qui novam constituere ecclesiam satagunt, sed pendentes animi, quam viam insistere, aut quibus modis id efficere debeant, ignorant. Memini senem quendam Cleriacensem mihi narrasse, idque in honorem, uti putabat, præfecti Abbatis, quum in lectulo morti proximus jaceret, ex longo animi deli-

(a) *Rufus Abbas Cleriacensis, deinde Oloronæ fit Episcopus.* (b) *Rufus à Calvino impugnatur.* (c) *Rufus speciosam agit vitam.*

deliquio, ad se reversum circumstantibus, è quorum numero & iste senex erat, dixisse, à diabolo sibi exprobratum, quod tam longo tempore missificando, multiplicem idololatriam commisisset. Cui ego, Atrox sane, inquam, hoc est peccatum, contra diaboli scilicet decalogū, & digna tali auctore exprobratio sive objectio: qua Lutherum idem etiam exagitavit, ut libro primo ostendimus. Porro in oppido hoc Cleriacensi generali quadam conjuratione primū omnia altaria eversa, statuæ confractæ, ac tota religionis facies mutata fuit, neque ad hoc usque tempus ibi Catholica Ecclesia potuit restaurari. Vah! quam difficile est religionis quam semel cum nutricis lacte quis imbibit, oblivisci! Quod si quis tēporalis alicujus commodi respectu religionē mutet, idem tamen ad vomitum facile redibit, & in pristinos errores relabetur. Et quemadmodum natura difficillime vinci potest, ut quæ etiā furcis, ut Poeta inquit, expulsa, tamē usq; recurrit: sic tā veræ quā falsæ religionis, in qua quis educatus est, opiniones vix ac ne vix quidem, nisi singulari interveniente Dei gratia, ex hominū animis evelli queunt. Tāti est à teneris assuescere. Hinc D. Augustinus, Valde difficile esse ait, id cui quis assuevit, relinquere, ac voluntatem tanto acrius obniti quanto magis longa consuetudine sit indurata. Et hactenus quidem fontem tibi monstravi earum miseriarum quæ primo Aquitaniam, ac deinde universam Galliam inundarunt. Et ut illa prima Novitates istas ac religionis mutationem accepit; sic, quantum ex humano judicari potest ingenio, prostrema ad Catholicæ Ecclesiæ gremium videtur reversura.

QVOMODO HÆRETICI FRANCISCVM Regem seducere conati sint; & quomodo Navarræ Regina Catholicæ Ecclesiæ fuerit reconciliata.

Caput Tertium.

ARGUMENTUM.

I. *Regis Francisci animus ab hæreticis & eorum fautoribus multipliciter tentatur.*

II. *Gulielmus Bellajus Langæus ab eodem in Germaniam mittitur: & Missæ quædam forma septem punctis sive articulis comprehensa proponitur.*

III. *Rex Philippum Melanchthonem sub fide publica in Galliam evocare statuit.*

IV. *Sed sapienti Turnonii Cardinalis consilio sententiam mutat.*

V. *Navarra regina ad Catholicam Ecclesiam redit.*

VI. *Regis ad Melanchthonem Epistola, cum hujus ad illum responsio.*

I. DVM importunis feminarum illarum precibus, dum variis de religione sermonibus ac disputationibus, atq; etiam quorundam imprimis Melanchthonis (qui eodem tempore libellum emiserat de utriusque religionis concordia) & aliorum litteris animus Regis fatigatur; Lutherani id præcipue operam dabant, ut quosdam Ecclesiasticī ordinis tam Monachos quam Parochiarum Pastores, ad suas partes traducerent, & non tantum ad exagitanda Ecclesiasticorum vitia, verum etiam ad carpendos, ut videri volebant, in Ecclesia grassantes abusus inflammarent. Nec mora prodeunt mox vænales homines, è suggestu tam in personas Ecclesiasticorum quam universum Ecclesiæ statum varia deblaterantes. Quorum sermonibus ad Regē delatis, rex ipse audire eos decrevit. Vt vero olim Gallus D. Petrum Apostolum, cantu suo erroris admonitū ab interitu retraxit; sic alius quidā Gallus optimum nostrum Regem pæne in extremam perniciem traxisset. Erat vero Gallus hic ad D. Eustachii Lutetiæ Pastor, qui parū abfuit, ut diximus, quin gallicinio suo non è somno homines excitarit sed in exitiabilem atq; æternum somnum dederit. Quamquā enim Lutheri schisma nequaquā probaret, ut quo Ecclesiæ rupta erat unitas, in sermonibus tamē, quos præsente Rege, ac præsertim de Sacramento altaris, habebat, multa valde imprudēter inculcabat, adeo ut aliquādo diceret, speciebus illis nequaquam adhærescendum, sed fidei alis ad cœlos evolandū esse, illud subinde repetēs: *Sursum corda, sursum corda:* & ad eū sensū D. Pauli Apostoli verba allegans, quibus ea quæ supra sunt in cœlis, non ea quæ infra sunt in terra, quærere nos jubet, postquā Iesus Christus à mortuis resuscitatus, ad dexteram Dei patris cōsedit. Hæc ille verba ad nauseam usq; inculcabat: quasi tanti sacramēti nulla habēda esset ratio vel consideratio, sed cor tantum elevandum, nec Christus alibi quā ad dexterā Dei patris quærēdus esset. Quid multis? Bellai Cardinalis opera effectum fuit, ut Gallus hic in secretiorē locū vocatus, explicata sua de Sacramento Altaris sententia regi scrupulos non leves injecerit. Idem de aliis quoque Fidei articulis regi quum varie respondisset, ad Inquisitorem missus est; à quo examinatus & damnatus, mox tamen jussu Regis liberatus fuit, ea conditione, si assertiones suas S. scripturæ testimoniis probare posset. Interea vero Lotharingus & Turnonius Cardinales Galli hujus cantu excitati, veriti ne

rex in devia abduceretur, Theologos quosdam cũ eo cõmittunt: quibus ille victus, errorẽ agnovit, ac publice recantavit. Ex antiquis certe illis Patribus, qui ex Apostolica traditione illud, SURSUM CORDA, in S. Eucharistiæ sacrificio usurpandum nobis præscripserunt, nemo verba hæc ita interpretanda esse docuit, quasi in altari nihil sit quam panis, aut quasi panis etiã prolatis verbis illis sacramẽtalibus panis remaneat. At vos quicumq; superbiæ & arrogãtiæ spiritu inflati, vestris tantũ, velut supremorũ de iis quæ decrevit ac præcepit Ecclesia, judicũ nõ minus stultis quam ambitiosis opinionibus velificamini; parumper, rogo, antẽnas demittite, ac vela colligite, ne ad errorum scopulos illisa navi, æternæ salutis naufragiũ faciatis. Legite sultis, quæ apud S. Dionysiũ, S. Clementẽ, & in aliis tam Græcis quam Latinis Liturgiis scripta exstant: invenietis sic ab antiquissimis usq; tẽporibus in Ecclesia observatũ fuisse, ut dũ sacerdos ad consecrationẽ se præparat, illud *Sursum Corda* populo acclamaretur. S. Cyprianus qui vixit anno ducẽtesimo post Christũ natũ, inquit, Verbis illis, SURSUM CORDA, sacerdotem assistentiũ animos præparare, ac monere, ut omnes suas cogitationes in Deo defixas habeant. Quasi diceret: Agite, fratres! Videtis me jam in eo esse ut grande hoc mysteriũ & sacrificium à Deo ordinatũ perficiã. Corda ergo vestra in cœlum sublevate, ut ille, juxta promissum suũ, inde ad altare hoc descẽdat, & virtute verborũ quæ proloquutus est, panẽ & vinũ in corpus & sanguinẽ suum transmutet. Tũ vero universus populus unà cũ sacerdotibus & diaconis respondere solet: HABEMUS AD DOMINUM. Quasi dicerent: Iam nos corda nostra ad Deum elevamus: jam preces nostras cum tuis conjungimus, ut sanctum hoc & tremendum sacrificium perficiatur. Ex quo brutalis ignorantia Ministri cujusdã in Aquitania nostra apparet, qui cum Franciscano Religioso de fide disputans, ajebat, magis cõvenire ut nos in Missæ sacrificio DEORSUM CORDA cãtemus ut qui credamus, Corpus Christi in altari esse. Atqui meminisse ille debuerat, verba illa, *Sursũ corda*, usurpari ante verborum Sacramentaliũ prolationẽ, quibus panis in corpus Christi trãsmutatur, per Iesu Christi omnipotentiam, qui hoc ita voluit & ordinavit. Ad Christianam hanc & Catholicã doctrinã cõfirmandã posse sexcenta è S. Chrysostomi, S. Augustini, & aliorum Patrum scriptis loca afferre; sed quia id propriè ad institutum nostrum nõ pertinet, supersedeo. Id ergo bona ac sapiens magistra Ecclesia duobus illis verbis docere nos voluit, in Sacramẽto hoc, nõ elemẽto, quod terrestre est, adhærescendũ; sed rẽ cœlestẽ spectandã: vel ut clarius dicã, non tam ad id quod visibile est, quã quod invisibile animum & cor dirigendũ: siquidẽ duabus his rebus visibili, & invisibili Sacramẽtũ hoc cõstat, ut S. Irenæus docet. Præter Gallum illũ alius quidã eiusdẽ ordinis homo exstitit, Landrius nomine, qui de Purgatorio quæstionẽ apud Regem movit; homo, ut Reformatorum nostrorum historia loquitur, audacia magis, id est, stultitia, quã scientia instructus. Sed & hic nihilo constantior fuit quam Gallus ille: siquidem ad Regem adductus, eoq; audiente examinatus, & ipse palinodiam cecinit, & in omnibus Ecclesiæ censuræ sententiam suam submisit.

II. Dũ ita in Galliis vermiculatur hæresis, ac variis occasionibus ac prætextibus longe lateq; proserpit adeoq; ipsius Regis animum ac conscientiã quibus potest modis perturbat; res incidit, quæ Novatorũ conatus non parum promotura videbatur. Quum enim is rerum Gallicarum esset status, ut Rex bellũ in Italia sibi gerendum statueret; ad eam vero rem Germanorũ auxiliis opus haberet: Gulielmũ Bellajum Langæum in Germaniam ad Protestãtes Principes qui Smalcaldiæ tum conventũ agebant misit. Bellajus, quũ expositis mandatis, infelicis in Ecclesia schismatis incidisset mentio, Regis nomine Protestantibus indicavit, non displiciturum ipsi si inter Galliæ Catholicos & Germaniæ Lutheranos Theologos disputatio sive Colloquiũ institueretur: adeoq; si Germani in Galliã venire abnuant, suos in Germaniam missurũ. Sed in hac omni re Legatus operã & oleum perdidit: siquidẽ cõsilia hæc bella, quæ mox sequuta sunt, plane disturbarunt. Fallitur ueroac fallit, qui nuper in libello, cui titulus est, *Discours des justes procedures* scripsit, Legationis illius finem fuisse, ut controversa religionis capita cũ Melãchthone, Bucero & Oecolãpadio disceptarẽtur. Verũ quidẽ est, Regẽ tam feminarum, quas diximus, assidue aures ipsius pulsantium, adeoque ipsius matris Regentis importunitate; tum sua ipsius curiositate (ut qui naturæ quodã instinctu doctos omnes amaret ac favebat) victum, ad Melanchthonẽ scripsisse; Sylvanectẽsis Episcopi Cõfessarii sui opera, ut quidã putãt, ad id usus. In primis vero nescio qua Missa septipunctali, tamquã ariete quodam, animus eius quotidie oppugnabatur, quã nonnulli introducere satagebant, ita tamen ut eadem quam antea in Catholica Ecclesia formam omnia retinerẽt. Quam, ut qualis fuerit intelligatur, paucis describam. Primò constitutum erat, ut sacerdos iisdem quibus in Catholica Ecclesia ritibus ac cerẽmoniis Missam celebraret:

braret : sic tamen ut populus quoque S. Eucharistiæ communicaret. Secundò, ut nulla hostiæ fieret elevatio. Tertiò, eadem quoque non adoraretur. Quartò, ut Eucharistia tam à populo quam à sacerdote sub utraque specie sumeretur. Quintò, ne in hoc sacrificio D. Virginis Deiparæ aut aliorum Sanctorũ fieret commemoratio. Sextò, ut ad communionem panis vulgaris massa, uti apud Græcos, adhiberetur, quam sacerdos in altari frangeret, ac post sumtam sibi particulam, reliquam populo sive communicantibus distribueret. Septimò, ne sacerdotes cœlibatus legi adstrigerentur. Ecce tibi formam Missæ septipunctalis, de qua tum multi varie disserebant, unoquoque ad sui pedis, vel ut melius dicam, sui cerebri & judicii modulum eam aptante. Duabus vero rebus Missa hæc à Lutherana differebat: quod hæc vulgari lingua peragatur, & hostiæ, ut apud Catholicos adhibeantur.

III. Navarræ regina interim, pietatis opinione decepta, Regem urgere non cessabat ut sub fide publica Lutheranos in Galliam evocaret. Inter alia quum die quodam privatim cum Rege tam de vitæ quam doctrinæ Protestantium simplicitate colloqueretur, tandem ad Philippi Melanchthonis mentionem sermonem deflexit, in quo præter vitæ integritatem ac doctrinæ præstantiam, animi lenitatem ac pacis studium inprimis commendabat, à furioso illo tam Lutheri quam Zuinglii impetu valde alienum. Addens, non vanam spem esse, si cum Sorbonæ Theologis committeretur, ignem qui universale Christiano orbi incendium jam minetur, dissidium religionis exstinctum iri; ac brevi futurum, ut sopitis omnibus contentionibus, omnium animi & judicia in eandem doctrinam conspirent. Rex sororis & aliorum precibus victus, quum ultro quoque Melanchthonis videndi atq; alloquendi desiderio teneretur, misso salvi conductus diplomate, hominem ad se venire jussit. Eius rei fama divulgata, Lutherani jam ante victoriam epinicion canebant. Bellus ille nostrâs Poeta, qui in quodam suo poemate festivo saltu à gallo ad asinum transilit, quique tum aulam histrionicis suis nugis oblectabat, postea vero Davidis Psalterium in rythmos redegit, ut suam quoque symbolam conferret, ita cecinit.

Ie ne dispas que Melanchthon
Ne declare au Roy son advis:
Mais de disputer vis à vis,
Nos maistres n'y veulent entendre.

Id est:

Non equidem id jubeam, Regi ne forte Melanchthon
Suam explicet sententiam:
At conferre pedem pede, verbaque reddere verbis,
Nostri magistri ecce abnuunt.

IV. Sed periculũ hoc bonus ille Franciæ tutelaris Angelus, & Cardinalis Turnonii, Lugdunensis Archiepiscopi, qui muliebres illas technas subolfecerat; prudentia mature avertit ac discussit; è quo ille præ ceteris immortalẽ laudẽ ac gloriã est cõsequutus. Quum enim captata occasione, die quodam ad Regẽ venisset, librũ eleganter ornatũ manu ferens; ac Rex, ut erat rerum istarũ curiosus, Ecquis lepidus ille liber esset rogasset: Cardinalis, Non lepidus tantũ, inquit, ô Rex, sed & salutaris hic liber est, ab uno ex primis vestræ Franciæ Episcopis, Irenæo scilicet in Lugdunensi Ecclesia conscriptus. Eum quũ paullõ ante evoluerem, forte incidi in locum quendam libri Tertii, ubi indicat, quãto studio Apostoli eos fugerint ac detestati sint, qui Christianæ doctrinæ sanitatẽ ac veritatẽ corrumpere nitebantur, adeo ut non modo colloquio eorum, sed & ædibus ac locis ubi illi essent, abstinuerint. Narrat hic vir sanctus, audivisse se è Polycarpo quum S. Ioannes Apostolus balneum aliquando esset ingressus, & ibidẽ Cerinthũ hæreticum vidisset statim retrolato pede, exclamasse: Fugiamus hinc quamtum possumus, ne locꝰ in quo veritatis hic hostis versatur, nos deglutiat, aut ruina opprimat. Hoc tantus Apostolus fecisse legitur: tu vero ô rex, qui licet potentissimus sis terræ Monarcha, homo tamẽ es erroris periculo expositus (errare enim, labi ac decipi propriũ quodammodo est hominis) Tu, inquam, Lutheranorum antesignanum evocasse diceris, ut cum eo colloquaris? Nescis, ô rex, quam pernicioſa sint ejusmodi colloquia. Inde ad alia digressus, multa in eandem sententiam non minus prudenter quam libere disserebat, ut qui Regi perquam familiaris ac charus esset: quibus scilicet periculis regnum esset objecturus, quã justas diffidentiæ causſas S. Sedi esset præbiturus; quãtopere hostiũ suorũ quũ Imperatoris, tũ Italiæ Principum res esset promoturus: quibus omnibus tantum effecit, ut Rex solemni juramento interposito promiserit, se in Ecclesiæ obedientia permansurum, quoad certi quid, à Concilio generali decerneretur. Verendum sane erat, si Melãchthon, homo non minus in disputãdo acutus quam in dicendo facundus, moribus etiam sedatũ quid, ac tota vita simplicitatem quandam atque integritatem præ se ferens, cũ Rege fuisset colloquutus, malũ non leve daturũ fuisse: ut cujus animus jã ante variis de religionis controversiis, inprimis

vero de communione sub utraque specie, disputationibus ita erat implicatus, ut de ea populo concedenda in congressu Nicensi præsens cum Clemente Pontifice egerit. Sed quidquid sit, Lutheranis quidem tum aditus fuit obstructus. In ejusmodi quidem hæreticorum colloquiis tamquam sub cineribus ignis latet. Ac velut animalia vel bestiolæ quædam sunt, quarum morsus prius non sentitur, quã tumor appareat: vel quemadmodũ fungi quidam sunt, quorum venenum ita lentum est, ut pedetentim hominẽ absumat: sic hæreseos virus paulatim in animis eorum quos semel afflaverit, magis magisq; gliscit. Quæ res tanto periculosior in Rege est, quanto plures ipsius exemplo ad idem faciendũ invitantur: quum verissimum sit quod Poëta dicit:

Componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.

Illo vero privilegio Reges & Magnates gaudent, quod omnes ipsorum actiones, quantumcumque etiam malæ & pernicioſæ, probandæ sint. Tanto vero majus in colloquio illo erat periculum, quod initio nec ad defensionem nec ad assultum sufficientibus armis multi ex Catholicis nostris athletis instructi essent.

Verumenimvero ne tam præclaræ fœminæ ac tanto rege dignæ sororis gloriam obscurare videar; reliqua mihi pertexenda sunt. Certum quidẽ est aliquot ante obitum annis eam errore suo agnito, præcipitium in quo stare videbatur, declinasse, & ad Catholicæ Ecclesiæ gremium reversam esse; protestatam prius, non malitia quadam animi, aut siniſtra opinione de majorum religione, sed sola afflictorum hominum commiseratione adductam, quæ hactenus à se acta essent fecisse. Beza certe ei exprobrat, quod gloriam suam multum obscurarit, decipiẽdam se præbens iis qui facilitate ipsius abutebantur. At illa Reformatæ Ecclesiæ Historia longe ulterius progreditur, dicens. Eam à Deo derelictam, ad primam suam idololatriam rediisse, sibiq; exitium attraxisse. At ô felix exitium quod salutis fuit initium! O laudabilem & sanctam idololatriã: qua illa jam morti vicina corpus Creatoris sui recepit, animamq; Deo reddidit inter Crucis, quam in lectulo assidue secum habebat, amplexus. Sic enim eam mortuam, Franciscanus quidam Religiosus, Ægidius Calliau nomine, mihi narravit, qui extremã ei unctionẽ impertivit, & animam exhalanti adstitit. Ex Domina de Riberac, quæ illustri Candaliorum familia orta, in sæpedictæ reginæ familia educata fuerat, audisse memini, à Calvino eam tam litteris quam internunciis crebro fuisse monitam, ut veritatem omni studio propugnaret; illum vero vicissim ab ipsa rogatum, ut ad se venire non gravaretur, quo melius edocta, errorem agnosceret atque emendaret. Sed ut Mutianus olim de nescio quo dixit. Consilium lubenter eum dare, sed periculum omne aversari, ut tubicen ille in Æsopi fabulis, qui classicum quidem canit aliosque ad prœlium excitat, ipse vero statim de tuto loco sibi prospicit: sic Calvinus suos ad martyrii gloriam vehementer accendebat, eamdem vero ipse remis velisque fugiebat. Eodem tempore quo Navarræ regina Novatoribus favebat, Ferrariæ quoq; Ducissa, regio & ipse Franciæ Regum sanguine orta, majori eosdem studio prosequebatur. Mirambellus certe Ferrariæ novam illam religionem hausit, quam deinde non Santonibus nostris tantum intulit, sed & posteris suis quasi hæreditariam tradidit. Ibidẽ Antonius Pontius, unus ex præcipuis Aquitanicæ Nobilitatis, Catholicæ Ecclesiæ repudium misit, cum qua tamen nõ multo post in gratiam rediit; ac deinceps in mediis illis bellorum civilium incendiis majorum religionem ita propugnavit, ut in patriæ cineribus pæne fuerit sepultus. Cum hoc ego de Hæreseos ortu & aliis rebus sæpe colloquutus sum, ut qui naturæ quodam instinctu litteras valde amaret, & consiliorum ac factorum etiam secret ô Francisco & Henrico regnantibus susceptorum, gnarus erat: sed quia tum de Historia hac conscribenda ne cogitabam quidem, multa ex ipso audita memoriam meam effugerunt; quædam tamen retinui, inter quæ & hoc est quod paullo ante de Cardinali Turnonio recitavi.

Doctus quidam & ætate profectus Monachus Dominicanæ familiæ, Benearnensis patria, Aradsu nomine, exemplum mihi monstravit Epistolæ cujusdam, quam Melanchthon ad Rufum illum, cujus non uno loco mentionem supra fecimus, scripserat, utq; Margaritæ Navarræ reginæ eam legeret, rogarat: quã hoc loco lubens inseruissẽ, nisi ea nescio quo casu mihi periisset; ut nimirũ lectori ostẽderem, quibus artibus nostri temporis hæretici, Arrianorum ac reliquorum qui umquã exstiterunt exemplo, aures atq; animos Principum incantare, ac subdolis suis, sed aliquo pietatis ac sãctitatis colore tinctis verbis ac rationibus in nassam suam attrahere conati sint. Ut vero damnum hoc quodammodo resarciam, & lectoris animo aliqua ex parte satisfaciam, tam regis ad Melanchthonem Epistolam,

sam, quam hujus ad illam responsionem velut succenturiabo. Regis nomine scripta Epistola sic habet.

Jam pridem ex Gulielmo Bellaio Langæo, Cubiculario nostro, & privati nostri Consilii Cõsiliario, singulare tuum concordiæ faciendæ, & turbarum ac dissidiorum in Ecclesia componendorum desiderium intellexerã; postea vero tam ex litteris ad ipsum scriptis, quam ex Barnabæ Vocæi sermonibus etiam cognovi, lubenter te ad nos venturum, ut cum Doctoribus & Theologis nostris de reducenda ad unionem Ecclesia, & antiqua Ecclesiastica disciplina ac politia restauranda conferres: quã rem ego omni studio ac sollicitudine complecti ac promovere cupio. Sive igitur venias ut privatus, sive publico nomine legatus, mihi longe eris gratissimus, ac re ipsa me & pacis, & Germaniæ dignitatis perquam studiosum experieris, &c.

Ad hanc Epistolam Melanchthon respondit: Quamvis pulcerrimum Franciæ regnum, Rex Christianissime ac potentissime, multis aliis rebus quibus undique ornatum cernitur, omnia alia regna excellat: inter præcipuas tamen laudes principem locum id obtinet, quod bonarum litterarum studiis præ ceteris floruit, & pro Christianæ religionis defensione assidue excubavit. Unde etiam Christianissimorum nomen Reges ipsius merito adepti sunt: quæ quidem laus maxima & augustissima est omnium quæcumque in hac terra homini tribui possunt. Quare Regiæ vestræ Majestati nihil laudabilius est ac honorificentius, quam quod etiam hoc tempore de Ecclesia, non violentis remediis, sed Rege optimo ac Christianissimo dignis rationibus, conservanda laborat: dum in tantis dissensionibus tam unius quam alterius partis vehementiam ita reprimere ac moderari studet, ut explicata & reputgata Christiana doctrina, & Jesu Christi gloriæ; & Ordinis Ecclesiastici dignitati, & paci publicæ consulatur. Nihil certe tantam gloriam ac laudem meretur, quam ejusmodi desiderium, ejusque auctores ac suasores; nihil Rege dignius cogitari potest. Quapropter Majestatem Vestram rogo atque oro, ut in hanc curam ac cogitationem omnibus viribus incumbere non cesset. Quamvis enim publica illa dissensio dissolutis quibusdam ac pravis Doctoribus aditum in locis quibusdam patefecerit: multa tamen à bonis viris in apertum producta sunt, quæ commonstrari atque in Ecclesia conservari permagni interest. Ac licet petulantia malorum reprimenda sit: Regiam tamen Vestram Majestatem obsecro „ ne quorũdam scriptorum acerbitate eò abduci se patiatur, ut etiã ea quæ bona sunt & Ecclesiæ utilia, eliminentur. Ad me quod attinet, numquam immoderatæ eorum opiniones mihi placuerunt, qui pulcerrimum illum & sanctissimum Ecclesiæ ordinem corruperunt ac dissolverunt, ut quo omnes nihil charius & antiquius habere debent. Et quia scio, impense te favere omnibus iis qui in eo quo ego litterarum genere versati sunt: Deum testor, me quamprimum Regiæ vestræ Majestatis aspexi epistolam, omne studium ac diligentiam adhibuisse, ut quantocyus mihi ad Majestatem Vestram proficiscendi esset facultas, ut qui nihil magis in votis habeam quam Ecclesiam pro virium mearum tenuitate juvare. In bonam vero spem erectus sum, postquam intellexi, Regiam Vestram Majestatem, pro singulari sua prudentia & pietate nihil magis desiderare, quam ut publicæ utilitati & divinæ gloriæ in omnibus prospiciatur. Quantis vero difficultatibus impeditus jam tenear, ex Vocæo Majestas Vestra cognoscet: quæ etsi profectionem meã retardarunt, animũ tamen à pristino dissidia Christianæ religionis componendi proposito ac desiderio nequaquam dejecerunt; uti Vocæus Regiæ Vestræ Majestati latius declarabit. Quod superest, Regiæ Vestræ Majestati humilime me commendo, ac promitto, me ad bonorũ ac doctorum hominũ qui in Ecclesia sunt, judicia, meum studium semper accommodaturum. Christus Regiam Vestram Majestatem florentem & incolumem conservet ac gubernet, ad communem totius orbis salutem, & divinæ gloriæ illustrationem. Ex Saxonia, V. Calendas Septembris, M D. XXXV.

Non multo post idem Melanchthon ad eundem Regem libellum quendam misit, hoc titulo inscriptum: *Consilium de moderandis Religionis controversiis, ad Gallos:* in cujus initio Papæ auctoritatem ac potestatem in Ecclesia Monarchicam concedit, quum ob alia, tum hoc potissimum respectu, ut universalis doctrinæ consensus inter omnes quæ sub Ecclesiæ sunt obedientia, retineatur. Ibidem dicit, magnam illam auctoritatem ac potestatem, quam Papa in regna & imperia obtinet, nec ad Ecclesiam, nec ad Evangelium quidquam attinere. Hanc propositionem indignissime tulit Lutherus, cujus omnia studia eo directa erant, ut Papalem illam majestatem, quæ vel solo nomine erat terribilis, dejiceret ac proculcaret. Econtra Melanchthon tam doctrinæ moderationem atq; intellectum quam ceremoniarum atq; abusuum correctionẽ ad Papam

remittebat: iniquum esse ducens, ut quod ab unius dependet arbitrio, ad plurium judicia referatur. Quia vero sciebat Lutherus, quanti Melanchthon passim ab omnibus in Germania fieret, consilium ejus sive opinionem de moderandis religionis cõtroversiis vellicare aperte non audebat, quamvis privatim ea de re sæpe conquereretur. Reliquos concordiæ à Melanchthone propositæ articulos omitto, tanto periculosiores quanto propius à Catholica religione aberant. Nunc ad institutum revertor.

QUOMODO FRANCISCUS I. REX GALLIÆ regnum à periculo & interitu vindicarit.

CAPUT QVINTUM.

ARGUMENTUM.

I. *Lutheranorum machinationes.*
II. *Eorum audacia rex offenditur.*
III. *Regis oratio.*
IV. *Sex Lutherani combusti.*
V. *Catholica Ecclesia Francisco I. Galliarum regi, & Carolo V. Imperatori salutem suam & incolumitatem debet.*
VI. *Franciscus I. Rex insigni à Theodoro Beza injuria affectus.*

QUAMQUAM vero Lutherani, ob tot undique objecta impedimenta & obstructos ferme omni ex parte aditus, inter spem ac metum diu ambigui hærerent; animum tamen nequaquã despondentes, quanto acrius premebantur, tanto obnitebantur & ipsi pertinacius, neque ullam plane artem omittebant, qua conatus suos promoveri posse sperabant. Verum ecce, dum jam in portu navigare sibi, ac voti compotes videntur, contrario vento abrepti, pæne naufragium fecerunt. Neque enim eo contẽti quod passim per totum regnũ libellos suos Latina & Gallica lingua scriptos disseminassent, etiam in secretius regis conclave, pueri cujusdam, qui myropolæ regio, Ferreto nomine, inserviebat, ad id opera abusi, complusculas scedulas & chartas intulerunt, immo in ipso cœnaculo sparserunt. Quin eò progressa est ipsorum insolentia, perpetua hæreseos comes, ut cubiculi regii januæ nescio quæ Edicta affixerint, quibus Regi, nisi novo Evãgelio locum daret, divina ira denunciabatur. Quotidie cernere erat Fontis-bellaquei vel Lupariæ portis, itemq; in cõpitis passim & triviis urbis Parisiensis libellos ejusmodi, tam scriptos quam typis expressos, magno numero affixos, adeo ut annus quidam ejus tẽporis nomen inde acceperit, vulgo *L'annee des placarts*, id est, Annus libellorum sive Pasquillorum dictus. In his tota Ecclesia omnisque ejus ordo & politia lacerabatur, in SS. Missæ sacrificium præcipue horrendæ effundebantur blasphemiæ, hoc tandem addito Epilogo: Omnes Episcopos & sacerdotes esse pseudoprophetas, dãnabiles, seductores, apostatas, lupos, mercenarios, idololatras, impostores, mendaces, proditores, fures, blasphematores, exsecrabiles, animarũ homicidas, Jesu Christi abnegatores, divini honoris prædones, ipsis diabolis deteriores. Hæc elogia sunt, quæ in famoso libello, Novi-castri apud Helvetios impresso, & à Farello, ut creditur, cõposito, sacro ordini tribuuntur: quæ itidem secundo libro hæreticorum Martyrologii inserta leguntur: dignum scil. tali opere frontispicium. Hoc imprudenti zelo, ait auctor ejusdem Historiæ Ecclesiasticæ, rẽ & spem omnem fuisse eversam, Rege penitus alienato, qui jam, ut ipsi dicunt, gustum aliquem veritatis perceperat, adeo ut & à sorore Navarræ regina & duobus Langæis fratribus, quorum alter Episcopus erat Parisiensis, persuasus, magnum illum Philippum Melanchthonem, ad cognoscendam plenius causam ad se evocarit.

Porro optimus hic & sapientissimus Princeps, tanto in religione sua constantior quanto magis impugnabatur, impudentissimorum hominum sub Reformationis prætextu Ecclesiæ exitium molientium, nec à minis interim abstinentium, audacia atque insolentia offensus, in ejusmodi libellorũ auctores diligenter inquiri jussit. Neque enim quidquam sibi antiquius ac prius habendum existimabat, quam ut laudem illam & honorem quem Pius II. ad Ludovicum XI. scribens, Regibus nostris tribuit, illibatum ad posteros transmitteret: Nimirum Franciæ Regum proprium esse, Catholicam religionem & Ecclesiastici ordinis dignitatẽ tueri. Quemadmodum vero incendia sæpe non aqua tãtum, sed ædificiorum demolitione restinguuntur, ut scilicet materia & alimentum igni subtrahatur; sic Rex mandavit, quo hæresi glisceni statim obviã iretur, ut sine ulla tergiversatione vel exceptione ii qui Ecclesiæ rebellarent, & de Fide Catholica male sentirent, severe coercerentur, atq; insanabiles è medio tollerẽtur. Hinc rogi exstructi atq; incensi, hinc patibula & furcæ, futura Lutheranorũ diversoria, erecta sunt: quod quidem unicum contagiosi hujus

hujus mali auerruncandi ac profligandi remedium videtur : Erat tum supremi senatus Cancellarius Antonius Pratensis, quo suadente, ac rege auctore, varia Edicta contra Novatores illos publicata sunt. Quia vero rex non ignorabat quam avido novitatis ingenio essent Galli , adeo ut malo illi nonnisi divino auxilio occurri posse videretur ; ipse vero nihil magis cuperet quam titulum illum à Carolo magno sibi ac prædecessoribus quasi per manus traditum, ad posteros illibatum transmittere: edixit, ut sollennis supplicatio Lutetiæ haberetur, cui ipse interfuit, pedibus incedens capite nudo, manibus ardentem cereum gestans; comitantibus regiis liberis, cognatis ac reliquis Principibus, universo Curiæ Parisiensis Senatu, & exterorum Regum ac Principum Oratoribus, innumera denique promiscuæ plebis multitudine. Inde in Curiam Episcopalem reversus rex, è loco æditiore primores ad se vocatos sic alloquutus est.

Si in verbis quæ ad vos facturus sum, nullum artificiosæ orationis vestigium apparebit, minus mirum vobis videri debet: quandoquidem ejus rei de qua vobis dicere constitui , nimirum divini honoris studium ac zelus , ita animum meum inflam, mat, ut quid prius aut posterius dicam fere nesciã; animadvertens quam graviter Rex ille regum , per quem nos regnamus, & cujus ego in regno sum vicarius , ad id constitutus ut sanctam ejus voluntatem fieri faciam; videns, inquam, quam graviter Deus passim offendatur ; & malitiam atque acerbam pestem eorum considerans, qui florentissimã, ac tot sæculis à supremo Rege defensam ac conservatam Francorum Monarchiam nõ debilitare modo, verum etiam plane evertere conantur. Fateor sane , etiam antehac sæpe gravissima mala in regnum hoc incubuisse: constat tamen superiores Reges prædecessores meos in Christiana & Catholica religione constanter semper perseverasse , & CHRISTIANISSIMORUM regum titulum illibatum ad posteros transmisisse , quem nos etiam hodieque portamus, & Deo auxiliante, ad finem usque vitæ portabimus. Ac licet bona hæc nostra Parisiensis civitas semper antehac præ ceteris velut caput atq; exemplare speculũ omnium vere Christianorum fuerit; nuper tamen Novatores quidam exstiterunt, qui salutari doctrina destituti, atque errorum tenebris obfuscati, tam Sanctorum precibus suis apud Deum pro nobis intercedẽtium, quã ipsius Jesu Christi, sine quo nihil bene aut feliciter agere possumus , honorem vellicare aggressi sunt. Turpe ergo sane nobis fuerit , si quantum in nobis est, deterrimos istos homines non confundamus, atq; etiam exstirpemus. Atq; hanc ob caussam ego vos huc evocatos monere ac rogare volui , ut omnes sinistras de religione opiniones, quibus periculũ est ne inter vos cõmittamini, ex animo ejiciatis, tũ liberos vestros , familiares & domesticos in Catholicæ fidei obedientia contineatis; adeoq; etiam si quem contagiosa hac peste infectũ noveritis, sive is etiam frater, cognatus aut affinis vester fuerit, eũ indicare non dubitetis, ne silentio vestro vos ipsos quoq; tanti maleficii reos ostendatis. Ad me quod attinet, qui Rex vester sũ, si quod membrorũ meorum detestabili illa cõtagione infectum scirem, lubenter id abscindendum vobis præbiturus , imò si quem liberorum meorũ ista secta irretitum deprehenderem, ultro eum ipse sim sacrificaturus. Quia vero studium vestrum & zelum erga Catholicam religionem & Jesu Christi honorem liquido perspexi, etiam atque etiam vos moneo ac rogo, ut in eo perstetis. Quod si feceritis, vobiscum ego vivam atque agam, ut bonum regem decet, operamque dabo, ut in bona pace ac tranquillitate , tamquum fideles subditi ac veri & Catholici Christiani honeste vitam traducatis.

Hæc fatus illachrymari cœpit: quæ res etiam adstantibus lachrymas expressit, omnibus una voce acclamantibus ac protestãtibus, se in Catholica religione vivere velle ac mori. Deinde iterum preces ac supplicationes in D. Genovefæ templo habitæ sunt. Et quia rex Justitiariis mandaverat, ut in Edicta sua de religione spernentes , sine ulla conniventia severe animadverterent, eodem die sex Lutherani à Curia rei peracti ac damnati, & ut eorum exemplo reliqui terrerẽtur, igne cremati sunt: quo facto Lutheranorum animi mirum in modum consternati sunt & attoniti, adeo ut multi qui jam iter è Germania in Galliam adornarant , veluti viso ac calcato serpente refugerint ; multi econtra è Galliis in Germaniam & Helvetiam se receperint, ne Vulcano consecrarentur. Ab his instigati Protestãtes Principes apud regem per litteras interceserũt, ut cum religionis suæ sociis mitius ageret. Ista vero supplicia sequenti capite repræsentabo, & bonos illos martyres, scil. in theatrum hoc nostrum producam, ut omnibus constet quam vere ac juste hæretici de istorum constantia glorientur: cujus specie tamen diabolus multos decepit. Quia vero tum Gallia undiquaque oppugnabatur, rex Langæum iterum in Germaniam ablegavit, ut Protestantium

animos

animos severitate illa quamvis justa suppliciorum exulceratos, demulceret ac reconciliaret, quum interim nihilominus Edicta contra Lutheranos exsequutioni mandarentur. Hac Legatione Langæus id à Protestantibus meruit, ut (sicut Historia sæpius à nobis citata loquitur) non tam Dei quam regis voluntati in eo obsequutus esse dictus sit.

V. Ex quo factum est, ut quamdiu Franciscus I. rex vixit, hæresis tamquam compedibus illigata, nusquam potuerit progredi, aut stabiliri. Tanto enim studio pro Dei honore & tranquillitate Ecclesiæ rex excubabat, ut omnes hæreticorum fraudes facile deprehenderet, eluderet atque elideret. Vix Sisyphi illi saxum illud suum contra montem provolvere cœperant, quum statim regia manus adfuit, rursumque illud ad imum usque dejecit. Nec tamen cessabant hæretici, sed labore velut in orbem redeunte, ut alter ille Sisyphus, qui protrudens.

Saxum, sudans, nitendo, non proficit hilum,

spe omni tandem frustratos se viderant. Fateamur libere quod fatendum est, nisi Christianissimi hujus regis tanta cura & sollicitudo in conservanda Catholica religione interveniisset, ardentissimum illum Gallorum erga eandem ardorem ac zelum in glaciem abiturum fuisse. Et quamvis regis animus, ut supra diximus, undique omnibus machinis oppugnaretur, divina tamen providentia firmus atque immotus perstitit, ejusque exemplo ceteri etiam, quantumvis novitatis avidi, in officio permanserunt. Hinc illud quod in supra citata Historia scriptum exstat: *Magnates tum cœpisse voluntates suas & affectus ad regis voluntatem accommodare, & paullatim in Sacra Scriptura* (id est, Novi Euangelii) *lectione tepidiores, tandem etiam omnibus aliis deteriores factos esse.* Quod si alter horũ Monarcharum, Franciscus aut Carolus, sectariorum caussam susscepisset, sine dubio hæresis dimidium veluti Christianitatis orbem inundatura fuerat. At illi velut ob imperii æmulationem simultates exercebant; sic in Catholicæ Ecclesiæ defensione mutuis studiis conspirabant; uterque S. Sedis observandissimi, & acerrimi Lutheranorum hostes.

Hinc ille qui virorum doctrina & pietate illustrium, id est, omnis generis hæreticorum (neque enim aliud nomen reperio, quo miscellaneam illã diversarum sectarum hominum, quorum in libro illo elogia pulcra scilicet descripta exstant, colluviem comprehendam) ille, inquam, qui suæ farinæ hominum Icones divulgavit, excusat se, quod inter eos regi quoque huic nostro locum esse voluerit, quasi tali honore, credo, minus digno. Sic enim loquitur: *Ne tu ægre fer, rex potentissime (neque enim Christianissimi eum nomine dignatur) quod huic quoque libro, quamvis iis tantum quibus tu vivos acerrime adversatus es, dedicato, tuum nomen insertum est,* Et tu, Christiane lector, ne indignare, quod hic quoq; ejus vides imaginem, qui puræ doctrinæ sũmus fuit adversarius. Quæ quidem ille ideo dicit, quod ejus imaginem post quinquaginta duorũ Ministrorum, diversarum & inter se pugnãtium sectarum, collocasset, atq; ita cum famelicis illis Pædagogis, Monachis incestuosis, scholaribus & sacerdotibus luxuriosis ac dissolutis, qui inferni thronũ stabilire, & divina ac cœlestia religionis mysteria proculcare conati sunt, conjunxisset: in quo sane tã glorioſi Principis memoriam ac famam non parum læsit. O picturas illas incompatibiles, hominũ mutorum quidem, nihilo tamen minus inter se digladiantiũ! Omnia hic muta sunt fateor: at in ipso tamen silentio dissonum quoddam murmur variarũ & pugnantium doctrinarum auditur. An vero non dico tam magnus ac potens, sed tã pius ac religiosus Princeps inter illos turbarum ac seditionũ fomites, inter Claustrorum monasticorum excremẽta, inter scholasticas ac pædagogicas sordes, inter omnis impietatis inquinamenta collocari debuit? Conjunctio sane hæc vel mistura nullam omnino habet proportionem. Consociatio hæc transfugarum ab Ecclesia cum Rege Christianissimo & primogenito Ecclesiæ filio valde dispar est & mõstrosa. An tu mi homo, tanti regis nomen ac gloriã, etiam præstantissimorum Scriptorum stilo majorem ac digniorem, tam exiguo contemti libelli angulo comprehendi posse putas? illius forte exemplũ imitatus, qui integrã Homeri Iliada minutissimis literis descriptã, nuci inclusit. Nũquid potius, ô magne & invicte Monarcha, locũ Xerxis aut Alexãdri magni dignitati, pompæ & magnificentiæ æqualẽ merebaris; quorum hic Athon montem prostatuam sibi efformari jussit? Itane hominẽ sub imperio tuo natum, hæreditario illo Galliæ regibus titulo te defraudare, & tamquam Jesu Christi Adversarium infamare. Neque tamen rex optimus omni illa sua vigilantia & cura impedire potuit, quo minus divina contra peccata nostra exardente indignatione, gravissimis malis ac miseriis in regnum hoc aditus fuerit patefactus. Spes quidẽ fuerat, fore ut hæreticorũ cineribus hæresis sepeliatur; quæ tamẽ subinde repullulavit, divinæ iræ & prænũcia & admi-

nistra-

nistra. Sejuncta sunt longe divina ab humanis cõsilia. Quæ hominibus uno modo deliberata sunt, Deus alio exsequi solet: ac justitiæ suæ malleo hominũ corda quovis ferro & adamãte duriora prius ferire non cessat, quam emollita fuerint, & divinę se subiecerint voluntati. Vidimus hactenus Hæreseos in Francia ortum & progressum; non multo post ejusdem decrementum, ac tandem quibus ad futurum sæculum vivere contigerit, præcipitem visuri ruinam. Interea vero miserorũ illorum atq; obcæcatorum hominum supplicia lectori repræsentemus, eorumq; inter ferrum ac medios ignes, quibus tamquam Sathanæ martyres ustulandi objecti sunt, pertinaciam expendamus.

QVOMODO DIABOLVS TAMQVAM DEI Simia, suos quoque habeat martyres.

Caput Sextum.

ARGVMENTVM.

I. *Quanto inculpatius in speciem vivunt hæretici, tanto magis nocent.*
II. *Hæresis ex pseudomartyrum suorum pervicacia magna cepit incrementa.*
III. *Hæreticorum supplicia Catholicæ Ecclesiæ magis nocuerunt, quam profuerunt.*
IV. *Potest hæreticus pro Iesu Christo mortem obire, nec tamen propterea Martyris nomen meretur.*
V. *De vera & ficta constantia.*
VI. *Etiam diabolus suos habet martyres.*

I. PAntheram ajunt rerum Naturalium scriptores tam suavem spirare odorem, ac pellẽ habere tam pulcra versicolorum macularũ varietate distinctam, ut reliquas feras ad sese alliciat, & illectas devoret: utpote omniũ maxime ferum & sævum animal, quod & nominis ipsa testatur ratio, ἀπὸ τοῦ πᾶν & θηρ, id est, omnimoda feritate derivati. Ejusdem naturæ & ingenii est diabolus, dũ nimirũ hæreticorum feritatem & sordes suaveolenti quadam & grata virtutum specie tegit, eaq; simpliciũ animos ad se allicit, quos deinde illa infernalis pãthera ferino suo rictu deglutit ac devorat. Hinc est quod plerunque hæreticos videmus initio miram quandam vitæ ac morum integritatem præ se ferre, ut non sanctificati tantum, verum etiã deificati quodammodo videantur; sicut ex Adamitarum & Anabaptistarum exẽplis hodie quoq; patet. Atqui tantò ab hoc hominum genere majus est periculũ, quod sub persona hac simulata inveteratam suam malitiam celant, & sub vultu nive ac marmore cãdidiore animum ebeno nigriorem ac duriorẽ gerunt. Hinc magnus ille Origenes recte dixit, ab Hęreticis bonæ vitæ majus esse periculum, ut qui facilius doctrinam suam aliis obtrudant quam ii qui moribus sunt dissolutis. Qui enim male vivit, ut idẽ inquit, nõ facile aliis erroneam suam doctrinã persuadebit: at qui bonis est moribus, facile eorũ qui aurem ipsi præbent, simplicitati imponet, bonæ atque integræ vitæ velo pernicioſam suam & hæreticam doctrinam celans. Eoque idem monet Origenes, ut hæreticos probam in speciem vitam agentes inprimis fugiamus, ut quorum mores non tam à Deo quam à diabolo dirigantur: & quorum bona opera velut esca sunt, quã diabolus hamo erroris inducit. Idem ante Origenẽ S. dixit Ignatius, monens, Vt eos qui novam adferunt doctrinã, etiamsi homines sint fide digni, etiamsi frequenter jejunent, etiamsi castitatem sollicite custodiãt, etiamsi miracula faciant, adeoque Prophetico spiritu sint præditi, tanquam lupos ovilis pellibus tectos, fugiamus, atque etiamsi bona sua pauperibus erogent, etiamsi miracula faciant, montes transferant, & per medios ignes, ad conciliandam opinionibus suis fidem, transeant, horrori nihilominus atque abominationi habeamus.

Hac vitæ ac morũ, Christianis digna, si exteriora spectes, simplicitate ac modestia, primo Lutherani, ac deinde Calviniſtæ multos in Gallia deceperunt: qui quũ credere nõ possent, falsam doctrinam vitæ tam sanctæ atq; innocentis comitẽ esse posse, nec sub tam exquisito Anchisæ ducis vestitu tam fœdã eluviẽ latere, majorũ deserta religione, ad homines ejusmodi nihil nisi meram sanctitatẽ spirantes, defecerunt. Nihil illis frequentius in ore erat quam Iesu Christi nomen: nullũ aliud jusjurandum quam unum illud *Certe* vel *Ita*, inter eos audiebatur. Idem omnis luxus, superbiæ, & ceterorum in Mundo, ac præsertim apud Catholicos, ut illi jactabant, frequentiũ vitiorũ hostes se profitebantur. In festis solennioribus & epulis loco tibiarũ & chorearum, sublatis mensis, ex Bibliis aliquid legebatur, aut spiritualis quædã cãtio, inprimis Psalmus aliquis, postquã is liber in rhythmos redactus fuit, cantillabatur. Feminæ inprimis singularẽ in vestitu & habitu modestiam præ se ferebant, sic ut in publico Evę quædã dolentes, aut Mariæ Magdalenæ pœnitentes viderentur, ut Tertul. de sui ævi mulieribus loquitur. Viri toti mortificati,

Spiritus S. œstro sive enthusiasmo quodã percussi videbantur. Quid multis? Ioannis illius Baptistæ, in deserto pœnitentiam prædicantis personã præ se ferebãt. Quibus super ceteris vigilandi cura demandata erat, si quando eis occurrerent, nutu aut oculi nictu quid vellent indicabant. Quin ex solis gestibus suos agnoscebant, ut olim gladiator ille, qui ex sola elegantia retrocedendi eos qui è schola sua prodiisset, à ceteris facile distinguebat. In hac externa modestia iidem nihil quam humilitatẽ & obedientiã ostentabant, non crudelitate, sed patiẽtia, non occidendo, sed moriendo doctrinam suã sẽ cõfirmare velle professi: sic ut veteres illi Christianorum mores. & primitivæ Ecclesiæ innocentia in eis revixisse, adeoque cum Reformatione illa aureum sæculum rediturum videretur.

III. Rogi interea passim accensi visebantur. Sed quemadmodum ex una parte justitiæ ac legũ severitas in officio populum continebat; sic eorum qui ad supplicia ducebantur, & qui vitam citius quam opiniones suas eripi sibi patiebantur, incredibilis pertinacia multos in stuporẽ dabat. Quis enim nõ miretur, simplices mulierculas ultro tormẽta subire, ut fidei suæ dent experimentũ, & ad mortẽ ductas, Iesũ Christũ Salvatorẽ inclamare, ac Psalmos cantillare? Virgines ad acerbissimos suppliciorũ cruciatus alacrius quã ad lectũ nuptialẽ properare? Viros terribili conspecto suppliciorũ apparatu, gaudio exsultare, & semiustulatos ex ardente rogo ipsis suppliciorum auctoribus illudere, candentiũ forcipum laniatus indomito animi robore atque alacri vultu sustinere, omnes deniq; acerbissimorũ dolorum fluctus inter carnificum manus, tamquã rupem immotam excipere atque elidere, atque ita velut ii qui Sardoam herbam comederunt, ridentes mori? Tristia sane illa incredibilis constantiæ spectacula non simpliciorum modo, verum etiam gravium virorum animis non exiguum scrupulũ injecerunt: quum credere non possent, malam eã causam esse pro qua illi tam alacriter mortẽ subibant. Alii miseris condolentes, indignatione cõtra persequutores exardescebant: & si quando nigricãtes illos palos, catenis innexos, suppliciorum testes, adspicerent, à lachrymis temperare sibi non poterant, ipso corde cũ oculis cõplorante. Inde multos desiderium cepit eorũ libros legendi, & Fidei fundamenta cognoscẽdi, à qua ne exquisitissimis quidem cruciatibus avelli eos posse videbant: quũque ea in re nullo alio quã proprii sensus & judicii ductu uterentur, facile nõnulli in errorẽ abrepti sunt eas opiniones quæ primæ occurrissent, mordicus amplexi, ita animo impressas ut nullo tormentorũ aut suppliciorum metu obliterari possent. Quid multis? quanto plures igni addicebantur, tanto plures ex eorundem cineribus renasci videbantur.

Bonum virum, Dei amantẽ & Catholicæ religionis observantissimũ sæpe narrantem audivi, quum puer adhuc nescio quẽ hominẽ de schola, Vindocinũ nomine, Aginni ad fluminis ripã cremari vidisset, se & multos alios tam tristi atque inusitato antehac spectaculo magnopere fuisse attonitos ac confusos: ut qui persuadere sibi nõ possent, quin is qui moriens solũ Iesum Christũ in ore habebat, solũ Iesum Christũ invocabat, injuste ad mortẽ esset damnatus. Memini quũ Annas Burgus Parisiensis Senator Lutetiæ ignis supplicio esset exstinctus, totã civitatẽ ejus cõstantia obstupuisse. Nos quidẽ à supplicio reversi, in Collegiis nostris tanti hominis morti illachrymati sumus, ejusq; jã mortui causam disceptavimus, nõ sine exsecrationibus in Iudices illos injustos (sic enim nobis persuaseramus) à quibus ille juste erat condẽnatus. Hujus sane quã ex ipso rogo habuit, una oratio, plus Catholicæ Ecclesiæ detrimẽti attulit quã centũ Ministri afferre potuissent. Equidẽ sic existimo, quã primũ oborta sit hæresis, expedire forte Auctorẽ publice supplicio affici & è medio tolli, ut alii unius aut paucorũ exẽplo sapientiores facti, ab ejusmodi contagione sibi caveant. Sicut enim viperarũ morsus non nisi earundẽ cineribus sanari potest; sic quæ Hæresiarchę, genimina viperarũ, dant vulnera, nulla re melius quã eorundẽ cineribus curantur. Quãvis enim Ioannis Hussi publice cõbusti supplicii difcipulorũ animos multo magis accenderit atq; efferarit, quorũ tanta fuit erga magistrũ reverentia, ut etiã terram ubi crematus ille fuerat, secũ asportarint, quum cineribus in profluentẽ abjectis potiri non possent. fatendum tamen est, Bohemiæ regis ignaviã hæresi illi præcipuã crescendi ac multa in regno crudeliter ac nefarie patrandi occasionẽ dedisse. Alia ratione optimus noster rex Philippus Augustus quondã usus est, qui Cottereanorũ in Galliis & Flandria Anno M.CXXVII. ut Annales nostri testantur, natam hæresin, simul & semel radicitus exstirpavit. Idẽ Albigenses tam legibus quã armis persequens, omnes fere ad internecionẽ delevit. Quando malum aliquod invaluit atq; inveteravit, publica illa & tristia justitiæ exẽpla periculosa admodũ ejus tollendi sunt remedia, ut quibus incendia sæpius excitentur quã restinguantur.

Varia

Varia illa in diversis locis Christianæ Reipublicæ ædita spectacula materiam suppeditarunt duobus illis spissis voluminibus, Gallica lingua sub *Martyrologii* nomine Genevæ apud Crispinũ impressis; itemq; aliis quibusdã, uni Latina à Foxo, alteri à Pantaleone Germanica, itemq; alteri ab Adriano quodã Anglica lingua conscriptis: qui libri omnes mille falsitatibus & imposturis referti sunt. Hac materia Historia istorũ hominũ Ecclesiastica tumet, in qua nihil frequentius occurrit quã mors sive suppliciũ unius ex obcęcatis illis, qui miserabili desperatione in falsã salutis spẽ abrepti, vitę suę nimis quã prodigi fuerũt, sic lamẽtabiliter descripta, ut fieri vix possit quin legentiũ animi cõmiseratione quadã moveantur. Apud Fevardentiũ in Dial de Par. Minister quidã sic loquitur: Equidem negare non possum, me in libris istis legentẽ quã constanter illi pro Evangelii veritate & divini nominis honore mortẽ oppetierint, nõ posse nõ eorũ virtutẽ admirari, & ad religionẽ sequendã provocari. In his libris cõfusos cernas omniũ feræ sectarũ homines, Wiclephistas, Hussitas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Buceranos, & quos non? qui tamen publicis scriptis se invicẽ infamant, & mille injuriis ac conviciis proscindunt, dũ alii alios, hæreticos, Antichristi præcursores appellãt, ut superius notavi, Ii tamen omnes si in sua hæresi mortui fuerint, martyrũ Iesu Christi albo sine ulla differentia adscribũtur. Atqui aliã fuisse martyrũ in primitiva Ecclesia mentẽ, Eusebius testatur, dicens, si quando Marcionista aut aliquis alius hæreticus cũ eis ad suppliciũ duceretur, rogatos ab eis lictores, ne sanguinem suum cum illorũ sanguine confundi, aut nomina cum illorum nominibus in idem album referri paterẽtur. Lutherani certe indigne admodum ferre hodieq; videmus, suos eidẽ Categoriæ seu Prædicamento cum ceteris sectis esse adscriptos. Et Westphalus contra Lascũ scribens, Galliæ nostræ martyres, abominabiles diaboli Martyres appellare nõ dubitat. Apud Calvinistas vero nihil interest unde martyres isti, sive ab Oriente sive ab Occidẽte veniant. Omnes promiscue Dei vocantur filii, & veri martyres, modo Ecclesiæ Catholicæ repudiũ miserint. Parum refert quid quisq; credat, modo Romanũ detestetur Pontificẽ. Ejusmodi hominũ de persequutione gloriãtiũ infelicitatẽ S. Aug. deplorat; ut qui nõ propter veritatem patiantur, sed à diabolo mendacii patre possideantur; & qui quũ vivant ut mali, ac moriãtur ut scelerati, ut martyres tamẽ honorentur. Cyprianus vero inquit, Etiamsi propter Iesu Christi nomẽ ejusmodi homines occisi fuerint, crimẽ tamen eorũ ac rebellionem purgari non posse. Neq; enim qui in Ecclesia non sit, martyrẽ appellãdum. Et idem Augustinus eum qui extra Catholicã est Ecclesiam, etiamsi baptisatus sit, & propter Iesu Christi nomen occidi se patiatur, negat salvari posse. Quid vero Calvinistæ nostri? Ex Wiclepho S. Stephanum protomartyrem faciunt: quem tamẽ Lutherus cõplures & diabolicas blasphemias docuisse testatur. Et Melanchthon VViclephi libros se legisse inquit, sed in uno de Cœna Domini articulo multos crassissimos errores deprehendisse, ex quibus quo spiritu afflatus fuerit, facile appareat. Addit: Eundem quid fides sit nescisse; & S. Scripturæ dicta inepte confundere atque allegare.

Verum quidem est, hæreticos, etiã omniũ deterrimos, pro veritatis defensione cruciatus ac mortẽ ipsam sustinere posse: ut si Anabaptista quis à Turcis captus, & ut Iesum Christum natum & crucifixum abneget sollicitatus, etiam acerbissima tormenta & cruciatus subire maluerit, pœnã quidem, non tamen martyrium passus dicetur. Quia enim cum veritate illa quam confitetur, & pro qua sanguinem suum effundit, falsitates quædã & errores cõmisti sunt; pœna illa martyrium dicinon potest, nec ad salutem quidquã prodest: siquidem ut nulla communicatio est lumini cum tenebris, sic veritas cum mendacio nihil commune habet. Nã & ipsum bonum ex mali admistione contagionẽ trahit: & fœdus odor suavẽ corrumpit: & mendacium quod veri admistum habet, destruit ac perdit. Quod si martyrium quod exsortes Ecclesiæ ob articuli alicujus veritatem subeunt, non modo nullã utilitatẽ habet, sed etiã velut prælibatio quædã est futurorum in æternum sustinendorum cruciatuum: quid de iis dicemus, qui ut propria cerebri sui cõmenta defendãt, mortẽ patiuntur? Nec sane mirum adeo videri debet, quod pro iis non minus alacriter quã alii pro veritate mortẽ oppetunt, quum sua quisq; commenta, ut Epictetus ait, non minus quã liberos ex se natos amet, & sua cuique nõ cupido tantum, sed & opinio, Deus fiat. Quin etiam ingenii nostri fetus tanto ardentius quam liberos amamus, quanto anima corpore est præstantior. Idemq; docet Epictetus, facta mortalium quæ vulgo mirari solemus, ex alta firmaque persualione mentis, quã prolepsin Stoici vocant, proficisci: nec aliquid posse fingi tam arduum, tam durum aut dirum, quod non intrepide & constanter det effectui, sive vir,

sive femina, sive puer, cui fuerit mens firmiter persuasa, sic esse opus facto.

V. Natura satis virium habet ad tormenta omnia perferenda. Id quod puerorum apud Lacedæmonios docent exempla, cruentos flagellorum ictus vultu renidenti aspernantium. Natura, vel potius firmo animi proposito inductus Scævola manu ustulanda dedit, & oculo quidem indignabundo, nulla tamen doloris significatione dante adipem in flammam destillantem aspexit, ut hoc facto æternum sibi nomen conciliaret Feminam quandam Italicam legimus, conjurationis accusatam, in mediis equulei cruciatibus sibiipsi linguam demorsam in tyranni faciem exspuisse, ne doloribus victa consceios proderet. Quid Horatius Cocles, pro patria fecit? Annon M. Curtius ultro in terribilem illam voraginem se præcipitavit? Lucretia illa quam ob causam sibi ipsa gladio pectus transfixit, quam ut castitatem suam æternæ famæ commendaret? Hinc Tertul. Quosdam, ait, solius mundanæ gloriæ studio, ignem sustinuisse, & in vestibus ardentibus spacium aliquod viæ emensos esse: alios flagellantibus corpus ac membra immota præbuisse; & in arena venatoribus ultro objecisse, At ambitiosa hæc est & affectata constantia. Quod si natura ex se tantam vim non habeat, ut ejus solius ductu atq; impulsu hæretici simulato vultu & ficta quadam magnanimitate ultro in ignem tamquam in lectum rosis constratum se injiciant, aut collum laqueo non secus ac torqui alicui pretioso induendum præbeant: adest mox diabolus, quod naturæ deest de suo supplens, obcæcans miseros, eorumq; sensus ita stupefaciens, ut velut extra se positi videantur. Quum enim nôrit in acerbo illo animæ & corporis divortio illam, si partem aliquam cum impœnitentia (quæ verum est peccatum contra Spiritum Sanctum) habeat, sibi in prædam cedere; omnibus viribus id agit ut miseros istos in peccatis obstinatos, in incredulitate nimis credulos, & in ipso exitio securos reddat, dum eis persuadet, hâc ipsam mortem, vitam ipsis futuram, quæ tamen æternæ mortis est initium. Quâmultos enormium criminum convictos, vidimus in ipso supplicii loco innocentiam suam deprædicantes, & dum per plateas ducuntur, se ad martyrium proficisci jactantes? Quammulti etiam pro falsa religione morti se objecerunt? Quod ipse vidi atq; audivi, narrabo. Quum Anno MDLXXXVIII. ingens illa ab Hispaniarum rege ad occupandam Angliam armata classis naufragium fecisset, magnus Turcarum qui ad remos sedebant numerus ad Galliæ oras erat ejectus, vel potius, ut ipsis videbatur, in salutis portum appulsus. Nec Gallorum eis defuit humanitas. Statim enim magistratus jussu & hospitium & cetera ad victum necessaria eis præbita sunt; doctis insuper viris negocium datum fuit, ut an suscipiendum baptismum & amplectendam Christianam religionem persuasionibus suis eos inducerent: quorum exhortationibus ipse interfui. Sed illi omnes una voce, admirabili fiducia, responderunt, prius vitam sibi eripi passuros quâ à Mahumetis Prophetæ sui lege discederent. Quod si Fidem suam abnegare voluissent, jamdudum ab Hispaniarum rege sibi & libertatem & necessaria vitæ subsidia eo nomine fuisse oblata Postquam vero divino beneficio in Franciæ regno pedem posuerint, multo justiorem habere causam in sua religione perseverandi, pro qua vitam profundere jam ante parati fuissent. Quid multa? Nec rationes à Theologis nostris allatæ, nec nostræ omnium preces ac promissiones ipsis factæ, à Mahumetana superstitione dimovere eos valuerunt.

VI. Diabolus enim, qui semper fuit & erit Dei simia, etiam suos martyres habere voluit, eoq; illorum animos quos ab Ecclesiæ unitate seduxit, specie quadam magnanimitatis armat, quæ veræ constantiæ ponderibus appensa atq; examinata, nihil minus quam veras notas & qualitates illius habet: ut quæ ex infernalibus hausta fontibus, brutalitas potius, aut furor vel insania, quam magnanimitas aut constantia dicenda sit. Paganos illos priscos videamus. Annon in dæmonum quos colebant, honorem, artus suos incîdebant, lacerabant, adeoq; seipsos pæne totos deglubebat? Id ipsum quidem etiânum Novi Orbis incolæ faciunt, & nec à dæmonum cultu hactenus omnino avocari potuerunt. Quæ doctrina umquam rudior fuit aut absurdior quâ Mohamedana? Ar quammulti & quam magni viri eam amplexi sunt: ac tantum abest ut pro illius dogmatis licet absurdissimis, mortem subterfugerint, ut etiâ ultrò eam ambierint. Quod si Donatistarum & aliorum Hæreticorum scripta adhuc exstarent, quæ, putas, elogia legeremus eorum, qui pro errorum suorum defensione mortem oppetierunt? Nulli umquam tanto studio vitam suam conservare, quanto illi perdere studuerunt.

Tormentis ultro se objiciebant; & flagris cæsi, sine ulla lachryma, ajebant, ut frumentum quanto melius excutitur & ventilatur, tanto purius est, sic animâ, quanto vehementioribus cruciatibus corpus urgetur, tanto melius purgari S. Aug. fidelis & oculatos ejusmodi spectaculorum testis, Tantum, inquit, in

in Donatistis martyrii pro fide obeundi fuisse desiderium, ut catervatim paganorum solennitatibus sese ingesserint, eisq; jugulum & pectus nudum ultro præbuerint, ut occiderentur rogantes. Quinetiam quum pagani cædiũ ejusmodi administri esse nollent, multos sibiipsis manus intulisse, mille potius mortes obire quã vel unum suorum dogmatũ retractare paratos. Iidem judicibus, ex commiseratione supplicia differentibus, minabantur S. Bern. de quibusdam sæculi sui hæreticis loquens, Multos, inquit, obstupuisse, videntes illos non mira tãtum patientia, verum etiam læto vultu ad supplicia & ignem properantes. Nesciebant scilicet miseri, quanta diaboli esset tam in corpora quam animas eorum, in quos semel imperium sibi vendicaverat potentia. Sed quid ego exempla diaboli martyrum quorum multa millia semper habuit, ex præteritorum sæculorũ memoria revoco? Quod si numerũ vel infamium Adamitarum, vel stultorũ Anabaptistarum, qui mortẽ oppetere quã ab opinionibus suis discedere maluerunt, inire possemus, deprehẽderemus profecto, & majorem illorum multitudinem & admirabiliorem constantiã, vel potius pertinaciam fuisse, quam omnium eorum qui unquã vel è Lutheranis vel Calvinistis martyrii coronã honorati sunt. Nullam sectam jam à duodecim sæculis veritatem suæ religionis majori patientia & constantia probare voluisse, quam Anabaptistarũ & Adamitarum, Cardinalis Hosius testatur. Narrat Æneas Sylvius, feminas quasdam Adamiticæ sectę mediis in flammis tamquã in lecto rosis constrato jacentes, Deũ, ut ipsæ putabant, canticis celebrasse. De Anabaptistis nostri sæculi idẽ testãtur Iustus Menius, Hosius, Surius & Gastius, qui tanquã novi Anaxarchi, mediis in tormentis carnifici, atq; ipsi dolori illudebant; & atrocissima supplicia pro Dei honore (sic enim miseri sibi persuaserant) suæq; fidei defensione libenter sustinebant. Anno MDXXIX teste Gastio, quum de primario quodã Anabaptistarum Doctore quæstio per carnifices haberetur, ut indicaret, cur nam rebaptisatus esset, ubi suæ religionis assectæ cõventus suos haberent, & quinã illi essent; ille ne gemens quidẽ ad Officiarios cõversus, mirabili constantia, O vos nihili homines, inquit, cur non potius vitã mihi jamdudũ ademistis, priusquam me in obscuro hoc loco tamdiu inclusũ tenuistis: in quo sol meas quotidie miserias vidit, mihi vero solem ne semel quidẽ videre licuit. Quid, pessimi homines, miserabile hoc corpus torquetis atq; excarnificatis? An ut constantiæ & patientiæ meæ periculum faciatis? Atqui lingua mea prius palato adhæresceret quã fratres meos sit proditura. Tempus nondum adest. Corpus quidẽ meũ in vestra est potestate. Id vos cõburite, laniate, uti vultis. Ad me quidem illud nihil attinet. Novi ego, nihil illud esse nisi saccum stercore plenum. Iesus Christus os mihi obseravit, ut nullum verbum inde egrediatur quod fratribus meis noxam aut præjudiciũ afferre possit. Erratis, si doloribus me subigere conamini. Nihil horũ anima mea sentit. Nõ illa in his tormentis est, sed ob interiorem Dei cõsolationem, gaudio & lætitia exsultat. Rebaptisari volui, fateor; neq; ejus me pœnitet. Feci enim q̃ Spiritus S. & S. Scriptura fieri jubent. Sic enim turpem illam & abominabilem vitam reliqui, & regeneratus sum. Deinde ad eum qui proxime adstabat conversus, valide instanti, ut indicatis sociis, tãtis se tormentis exsolveret, in faciem exspuit, inquiens; Vade post me Sathana. Nõ intelligis quis S. sit ille Dei Spiritus qui in me loquitur. Depositus ab equuleo, laxatis ac pæne confractis omnibus mẽbris, Deus, inquit vobis tantorum dolorum quos pro veræ fidei defensione mihi inflixistis, gratiam ac veniã largiatur. Hæc ille de hæretici hujus pertinacia: quorum multa similia exempla apud eos exstant qui sectariæ illius colluviei res literis prodiderunt. Antonius Coruinus qui Anabaptistarum Regis, Leydensis illius sartoris, supplicium præsens adspexit, ait, quum tam ipse quam socii ignitis forcipibus lacerarentur, admirabilẽ præ se ferentes constantiam nihil aliud dixisse, nihil ingeminasse quam illud: Pater, in manus tuas commẽdo spiritũ meum. Esto mihi auxilio, ô Deus. In ceteris omnibus doloribus, qui multi & diuturni fuerunt, nihil aliud fere ex ipsis auditum. Ille ipse qui Anabaptistarum errores in librum collegit, narrat, vidisse se quamplurimos in aquam & ignem conjectos, ne unum quidem gemitum, doloris indicẽ, edidisse. Nihil illis frequentius in ore fuisse, quam Salvatoris illam sententiam: Beati qui persequutionẽ patiuntur, quoniã ipsorum est regnum cœlorum. Dixisses profecto, ait idem, agnos illos esse, qui ad lanienã ducti, ne os quidem aperiunt. Et hac quidem constantia nõnullorũ è spectatorib⁹ animi ita percussi sunt & attoniti, ut firmissime sibi persuaserint, plenum crudelitatis & Christianis parum dignũ esse facinus, talia ejusmodi hominib⁹ supplicia irrogare. Nec mirum sane: quum vitæ simplicitas & in reb⁹ externis innocẽtia, perseverãtia in agone mortis, crebra divini Verbi usurpatio, ac Dei invocatio

popelli animos admiratione, atq; adeo variis dubitationibus opplerit. Lambertus Hortensius in libro quem De tumultibus Anabaptistarũ fecit, auctor est, Anno MDXXXV. ejus sectæ quinq; feminas & septem viros ad supplicium productos, sua in supplicio constantia universæ spectantis multitudinis animos in stuporẽ dedisse. Quum Melchior Hofmannus propriæ inter Anabaptistas sectæ cõditor, Argentorati, quo Lindavio se cõtulerat, in vincula esset conjectus, gratias primũ Deo egit (ut quidem Obbo Philippus discipulus ipsius scribit) quod hora illa tantopere à se desiderata tandẽ venisset, qua pro Dei nomine aliquid pateretur: deinde elevatis ad cœlum manibus, per Deum vivum ac sempiternum juravit, nullo alio cibo quã pane, nec alio potu quam aqua usurum, usq; ad eum diẽ quo illum à quo missus esset, digito sit commonstraturus. Neminem certe ajunt fetorem illum & squallorem carceris, in quo tandem exstinctus est, majori constantia pertulisse De hoc quidem & ejusmodi farinæ hominibus recte illud Arcesilæ usurpari potest, dicentis: Ecce tibi hominẽ flagitiosissimum, patientia & cõstantia ad infelicia ac detestabilia scelera abutentem! Idem fecerunt Servetus Genevæ, & Valentinus Gentilis Bernæ Helvetiorum supplicio affecti. Vterq; felicitatem suam jactabat, ut qui pro veritatis atq; Evangelii defensione morerentur. Hæ nimirum diaboli artes sunt, ut quos ab Ecclesia semel abduxit, eos quã pertinacissimos reddat; & mulierculis etiã Catonis illius animos inspiret. Nec simplices tantum & rudes, verum etiam doctissimos viros nonnumquã irretit. Cujus rei unum hoc loco exemplum proferã. Testantur rerum Indicarum scriptores, ante aliquot annos hominem quendam exquisitæ eruditionis, nullius morbi aut alienati animi prodente se indicio, inter novitios illos Christianos jactare cœpisse, se Christum esse ac Salvatorem, à Deo Patre ut verum ipsis Evangeliũ prædicaret missum. Quę hominis insania contrariis Patrum Societatis Iesu demonstrationibus abunde refutata, quum carceris diuturnitate ac tædio sanari non posset, vivus ille combustus est Rogo jã impositus, cantica personabat, Deoque Patri gratias agebat, sublatis in cœlum oculis ejus aperturã, & auxilio accurrentiũ Angelorum (sic enim sibi persuaserat) præsentiam exspectans. Quo & aliis similibus conatibus diabolus teneram illam & adhuc adolescentẽ Ecclesiam turbare voluit, ut in Antichristo meo ostendi.

Martyrem igitur non pœna sed caussa facit, ut Augustinus inquit. Illa æqualis esse potest; hæc diversa est. Vnius caussa zelus alterius desperatio est Ille occiditur: hic coronatur. Quis vero nõ rideat eorũ impudentiam, qui è variis lanienis spissum illud Martyrologii volumen confecerunt; in quorũ numero multi sunt ob alia crimina occisi? Pantaleon suo Martyrologio Poltrotum illum, qui ob Guisii Ducis cædem supplicio affectus est, adscribere non veretur. Atqui Mundi à Christo redemti tempore, sol lugubri vultu dolorem suum quasi testatus, & Salvatorem, & utrumq; latronem, tã bonum quam malum, pariter vidit cruci affixos. Pœna æqualis erat, sed caussa dissimilis. S. Augustinus ait, multos atrocissima tormenta perpessos esse, sed ob peccata; non constantia, sed pertinacia; non ut ii quos persequutus sit, sed quos possederit diabolus. Idem Donatistas suppliciis ultro occurrentes, gravissimis verbis objurgat ac revocat, inquiens, quæ patiantur, contra Iesum Christum esse, ut quæ non ad ipsius gloriam, sed ob ipsorum peccata & flagitia patiantur. Magnam esse dementiã, martyrii gloriam eos jactare, qui quum vixerint ut latrones, etiam ut latrones moriantur. Et S. Cyprianus, Quamvis, inquit, ejusmodi homines ob Iesu Christi nomen interficiantur, tamen nec ipsorum sanguine maculam illam elui, nec malitiã supplicio purgari. Quamobrem vero? Quia, inquit, martyr esse non potest, qui sit extra Ecclesiam. Quin etiamsi iidem flammis ustulentur, aut à bestiis devorentur, non tamen id Fidei coronam, sed potius infidelitatis ipsorum pœnam; nec vitæ religiosæ finem, sed desperationis fore clausulam Occidi tales posse; coronari non posse. Quod si lectio Platonici libri de Animæ immortalitate tantum potuit, ut Philosophus quidam de rupe in mare se præcipitarit, & Cato sibi ipse mortem consciverit: quid mirum hodie etiã nonnullos reperiri, qui opinionis errore decepti, & à diabolo excæcati, nulla supplicia aut tormenta reformident, male facientes, quum benefacere sibi persuadeant? S. Bern. monet, nẽ mirum hoc nobis videatur: quũ diabolus magnã habeat potestatẽ; ut quos sæpe inducit ut suspendant se, præcipitẽt, aut propriis manibus occidãt; eodẽ modo homines tentans quo Salvatorem, cui persuadere voluit, ut de pinnaculo tẽpli se dejiceret. Quantopere vero primus hic Lutheranorum & Calvinistarum fervor ac zelus postea refrixerit, ex sequẽtibus patebit. Calvinus quidẽ in scriptis suis passim cineres eorum qui pro Evangelio mortẽ opperierint, magnificè jactat; quem V Vestphalus Luthera-

theranus irridens, ſi Catabaptiſtæ, inquit, eorum qui in Belgio occiſi ſunt, inire velint numerum, multo majorem fore. Eſto: è Calvini ſchola prodeuntes quidam maleconſulti diſcipuli ignis ſupplicio ſeipſos objecerunt. Idē certe & olim Anabaptiſtæ fecerunt, & hodie non minus alacriter faciunt, divinis laudibus martyres ſuos ad cœlum uſq; efferentes. Calvino Genevæ ſeptis ſe continēti, facile fuit miſeros illos ac ſtultos, qui in diverſis Chriſtiani Orbis partibus etiam cum vitæ diſpendio magiſtri deliria propugnabāt, his ac ſimilibus verbis animare: Bono animo eſtote, fratres. Alacriter ad ignē pergite: nullum ſupplicium aut dolorē formidate. Hæc via regia ad cœlum eſt. Ecce Chriſtum expanſis brachiis vos exſpectantem, & ad æterna gaudia vobis præparata introducere geſtiētem. Interim vero bonus ille vīr cuti ſuæ metuens, loco ſibi canit, Genevæ mœnibus ſe includens, neque umquam inde egreſſus, ne vitæ periculum adiret quod alios fortiter contempere jubebat. De quo facete Ronſardus Poeta Gallicus ſic ludit:

Calvinus annis obſitus dudum, quid eſt
Quod ſe Genevæ continet, nec Franciam
Adit, ut honorem martyris quærat ſibi?
Illos Tragœdos nempe homo ignaviſſimus
Imitatur, alios qui ſubornant, ſcenicas
Partes peracturos; popello fabula
Vt ſi minus probetur, ipſi non tamen
Exſibilentur, aut ſient ludibrio.

QVALES ET È QVO HOMINVM GENERE fuerint primi novi Evangelii in Galliis Miniſtri.

Caput Septimum.

ARGVMENTVM.

I. *Primi in Galliis Lutherani homines ex vulgi fæce plerique omnes fuēre.*
II. *Primus novi Evangelii in Galliis Miniſter lanæ carminator.*
III. *S. Scripturæ libri ab hæreticis vulgo ad legēdū dati*
IV. *Vulgus à ſacrarum literarum tractatione abſtinere debet.*
V. *Apud hæreticos etiam fœminæ Miniſteriis Eccleſiaſticis fungendis ſe ingerunt.*
VI. *Quam indignum ſit, libros ſacros in vulgi officinis & paſſim profanari.*

QVi novæ Eccleſiæ è variis centonibus novā pro ſuo lubitu conſarcinarunt Eccleſiaſticā Hiſtoriā, ajunt, quemadmodum Deus per res Mundi contemtas & abiectiſſimas ejuſdem ſuperbiā & arrogantiam proculcare voluerit, dum ſcilicet nō Reges aut Principes, ſed pauperculos ac rudes piſcatores elegit, qui Evangelium Mundo annunciarent, ſic eundem veram ſapientiam ac divini Verbi cognitionē, ſapientibus ac doctis hujus ſæculi abſconditā, ſimplicibus & indoctis revelaſſe. Primos enim qui Evangelicæ veritatis cognitionem acceperint, homines de plebe, & mechanicis artibus vitā ſuſtentantes fuiſſe: adeoq; multos qui nullā artē antea quam mechanicam tractarint, aut terrā aratro proſciderint, repēte eximios factos eſſe Theologos. His tamquam gēmis quum illa Pſeudomartyrologia, tum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libri, paſſim diſtincti atq; exornati ſunt. Alios videas docentes, alios catechizantes, alios prædicantes, alios evangelizantes, omnes propriam ſibi quiſq; Fidem ſuo marte cudentes, S. Scripturam ad ſuum ſenſum detorquentes, ſacro miniſterio ſine ulla legitima vocatione ſe ingerentes, & illotis manibus ſacra tractātes; alios ab aliis ad prædicandum Evangelium deputatos ac miſſos, omnes vero pari ignorantia irretitos, omni ſolidā SS litterarum cognitione deſtitutos, & in incerto ſtultarum, erronearū ac falſarum opinionum, ac ſui cerebri cōmentorum ſalo fluctuantes. Quod ſi forte in aliqua re aliqua ejs rationis lux illuceat, profecto idē illi accidit quod iis qui tenuiſſimum Lunæ nubibus obtectæ lumē adſpiciunt. Eſt certe ſimilis eſt ignorantia illis ſpeculis, quę omnium objectorum imagines falſas, ac vero multo majores repræsēt at. Et ſicut olim apud Iudæos Scribæ ac Phariſæi Moſaicā legē prædicabant, viā tamen ſuæ ipſorū ſalutis ignorabant; ſic noſtri hi nihil frequentius in ore habent quā Ieſu Chriſti nomē, nihil tamen minus quā Ieſum Chriſtū agnoſcunt. Similis fuit olim Waldenſiū hæreticorum ignorantia, quam noſtro ſæculo renatam videmus. Vt enim in arboribus quibuſdā & flores ac fructus uno atq; eodē die enaſcuntur ac cadūt; ſic ex ruſticanis atq; imperitiſſimis hominibus repente ſcholares, Baccalaurei atq; Doctores, ſi diis placet, facti ſunt. VValdus homo bonarum artium atq; litterarum ignarus, poſtquam S. Biblia in vulgarē linguam Gallicam traduci curavit, certatim omnes dies noctesq, eorum lectioni incubuerunt, adeo ut quidam integros libros memoriter tenerent Idem de repentinis ejuſmodi, & à mane ad veſperam natis Doctoribus reformatorū noſtrorū Eccleſiaſtica prodit Hiſtoria. Vix illi à primo limine lit-

ne litteras salutarunt: & ecce tibi statim peritissimos Grãmaticos! Iidẽ ne rudimenta quidẽ Grammaticæ sciunt: & ecce tibi Rhetores argutissimos! Quumq; nec Logices præcepta, nec rei naturalis scientiã vel primoribus labris degustarint, magni tamen Philosophi videri volũt: Philosophi quidẽ sine ulla Philosophiæ, & Theologi sine ulla primorum Theologiæ fundamentorũ cognitioni. Inter alios ibidẽ exemplum ponitur rustici cujusdã, qui quum neq; ipsas literarum figuras agnoscere posset ac discernere, Novum Testamentum ab aliis prælegi sibi curavit; deinde literarum characteres imitatus, textum Latinum cum Gallico verbatim contulit, atque assiduo labore perfecit, ut testimonia quæ vellet, è SS. literis proferre sciret, familiamque suam erudiret, ac Papisticos Sacerdotes facile refutaret, ut prædicta Ecclesiastica loquitur Historia. Sed ecce tibi alterum, cujus Beza facit mentionem, hominem ejusdem farinæ.

II. Ioãnes Clericus, inquit, lanæ carminator fuit in oppido Meldensi, qui singulari zelo inflamatus, & Dei cognitione, quã ex Bibliis tunc utcumq; in Gallicã linguã translatis hausit, instructus, primus in dicto oppido, An. MDXXV. Antichristo sese opposuit, & Ecclesiæ florentissimæ, quæ postea ibi fuit, inter suæ cõditionis homines fundamẽta jecit; ubi etiã tandẽ fuit combustus. Ecce tibi lanæ carminatorẽ, primum novæ Ecclesiæ architectum & fundatorem. Ecce tibi primum ejusdẽ in Gallia martyrẽ Sic enim appellant illos, qui ob erroris pertinaciam supplicio sunt affecti: de quibus singulari capite libro VIII. dicam. Idem aliquot ante annos in eodẽ oppido flagris cæsus fuerat: ut inde exclamare reformati nostri Historici non dubitẽt, Meldensem urbem hoc nomine gloriari posse, ꝙ martyrum primitias Deo obtulerit. Nescio equidẽ an ex impuri hujus cineribus vel cadavere longo post tẽpore alius quidã Petrus Clericus, nõ magis hoc nomine dignus quã ille enatus sit, ut nomine, ita arte eundẽ hunc referens: quippe qui & ipse lanæ fuerit carminator. Ille quidẽ, Ioannes nempe, primus fuit, cui Historici primi in Gallia Ministri titulũ tribuunt. Is enim Lector Ministerii apud Pictonas fuit: cui titulus iste ab eo collatus fuit, qui revera summũ Pontificatũ supra Lutheranos Galliæ nostræ tũ sibi usurpabat, & eorũ non fidẽ tãtum verum etiam nomina mutabat, ut non multo post dicetur, ubi novi hujus nominis etymologia & ratio à nobis explicabitur. Novum vero dico, in hac significatione qua pro Ecclesiæ Pastore accipitur. Atqui in nova Ecclesia nihil non novũ esse oportebat. Petrus hic Clericus primus è suggestu novũ Evangeliũ docuit, & difformẽ quandam reformatæ Ecclesiæ formam à se collectæ concinnavit. *Eo tempore, ut loquitur eadem Historia, forma quædã Ecclesiæ in oppido Meldensi constituta est, quũ cives quidam & inquilini, post jejunia & preces, Ministrum sibi elegissent quendam Petrum Clericum nomine, arte quidem seu opificio lanæ carminatorem, sed qui præter vitæ integritatẽ in SS. litteris valde erat exercitatus, quãvis nullius quã Gallicæ linguæ haberet notitiam: cujus sedulo infidelium cœtu prædicantis & Sacramenta administrantis Ministerio Deus ita benedixit, ut multis undiq; è pagis accurrentibus, brevi circiter quadringenti utriusq; sexus homines numerati fuerint, eoq; ob multitudinem diu latere non possent.* Vides hic, si istis credimus. primũ Evangelii in Gallia Ministrum. Petrum Clericũ: insignẽ certe Clericum, & non nomine hoc tantum, sed & statua dignum, ut qui nullius quam vernaculæ sibi linguæ cognitionem habuerit, & interim dum lanã carminat & fila ducit, grandis Theologus affectus, & à suæ artis & farinæ seminibus, fullonibus textoribus, sartoribus ad Ministeriũ vocatus fuit. Numquid homines isti tam sibi quam aliis illudere, aut à Deo sensu communi privati videntur, qui centones suos tam male consutos, atque adeo turpitudinem suam ultro ostendunt? Quasi vero in domo Dei in plebis vel etiam singulorum sit potestate, Ecclesiasticum sibi constituère magistratum, Episcopos & Pastores eligere: quum Apostoli, immò ipse Salvator noster in nullo alio quam ejus à quo missi essent nomine, audiri voluerint, suamque missionem infallibilibus argumentis demonstrarint. Multos alios ejusdẽ farinæ homines, cæmentarios, carpentarios, futores, sartores, scrutarios, & id genus omitto, qui Argẽtorato. Tiguro aut Geneva reversi, & Spiritus S. scilicet, illustrati, novũ Evangeliũ prædicarunt, novellas ecclesiolas passim plantarunt, Pastores cõstituerũt, & Mãducationẽ (sic enim Cœnã Domini primitus appellabant) administrarũt: cujus ritus ac cęremonias postea describã. Verũ ne sine ratione insanire videantur, ajunt suaves isti homines, permissum esse cuilibet docere, & in convertẽdis infidelib⁹ laborare. Fatemur hoc sane: sed unde, quęso, probabitis, post conversionẽ infidelium licere privatis hominibus suo arbitratu sibi Ecclesiã cõstituere, ejusq; architecturã, ut ita dicam, & imperium sibi arrogare? E contrario sane legimus ab Ecclesia Hierosolymitana, postquã auditum esset de iis qui ad Dominũ

converſi

conuersi fuerant, Barnabam missum, qui eos Antiochiam conduceret, vbi primum illa fidelium multitudo Ecclesia appellata fuit: nec quisquam, nisi hæreticus, sine legitima missione, titulum aut ministerij in domo Dei munus vsurpauit.

Porro Meldensis illa Ecclesia, à Farello, Fabro, & Rufo, vt supra diximus, primitus collecta, non multo post dissipata est, Lutheranis dum cœtus ibi suos carminatore duce habent, comprehensis, & Lutetiam obductis, plerisque etiam mortis supplicio affectis, ac reliquis per meliorem institutionē aberrore reuocatis. Sed horum omnium supplicia & ardentes illos rogos, sempiterni illius ignis hæreticis præparati, præcursores, hoc loco repræsentare consilium mihi non est, expositurο tantum, quanta cū pertinacia illi ad mortē vsque perseuerarint, vt scilicet hoc colore malam suam vitam celarent. Atqui, si Cypriano credimus, id genus homines non martyrij accipiūt coronam, sed diuisionis suæ pœnam luunt: nec eorum supplicia religionis zelo, sed desperationi potius adscribenda sunt.

III. Vti Lutherus in dicto Ecclesiæ bello S. scripturam promiscuæ multitudini legendam obiecit, vnde momento temporis tot hæreses natas ac denatas vidimus. Sic eodem artificio vsi sunt primi in Gallia nostra Schismatis auctores, vt qui incredibili diligentia, nullis parcentes sumptibus, SS. Biblia ad ipsorum gustum in Gallicam linguam traducta, diuersis locis magno numero excudi curarint. Inter hos Robertus quidā Oliuetanus, An. M. DXXXV. ab hæreticis VValdensibus, hinc inde in vallibus quibusdā Prouinciæ latētibus, inductus, primus traductioni manus admouisse dicitur: cuius versio eorundem sumptibus Nouicastri apud Heluetios excusa est. Testatur Beza, mercatorē quendā nostri temporis, Petrum Bufferū nomine, fortunas suas omnes vendidisse, & in SS. librorū editionem impendisse. Illecti mox lucri cupiditate complures tam in Gallia quā Germania Typographi, certatim ad eā rem operas suas obtulerūt: quibus tot Bibliorū editiones, tot Catechismos, Clypeos fidei, Anatomias, & id genus scripta debemus; & inprimis Psalmorū illum in rhythmos redactorū libellū, qui passim apud hæreticos arida pumice expolitus, inauratus, & varia forma atq; cultu ornatus assiduis manibus circumfertur: cuius vel sola elegantia, feminas præsertim, ad emendū ac legendum inuitat. Et quemadmodū auari mercatores parui lucelli spe non longinqua tantum itinera suscipiunt, verū etiam maris tempestatibus ac mille periculis sese obijciunt: sic famelici quidā typographi, degustata primi quod perceperāt lucri dulcedine, vt tanto facilioτē sibi tam in oppidis quam rure ad Nobilium ædes haberent accessum, tanquā institores inter friuola & crepundia quæ circūferebant, libellos eiusmodi abscōdebant, quos deinde mulierculis aut alijs curiosis hominibus clā donabāt, & vt in occulto haberent rogabant, quo tāto illi magis ad lectionem eorū accenderentur. Ex his Circumcellionibus & malarū merciū institoribus permulti deprehensi & in ignē coniecti sunt, eò quod leges à Rege & magistratibus latas violassent. Suaues sunt Ecclesiasticæ toties à nobis citatæ Historiæ consarcinatores, quādo frinolarios eiusmodi velut Cicerones quosdā & Demosthenes, in Curijs magna omniū admiratione & stupore perorātes faciunt. Inter alios aiunt, Ioannem Chaboriū quendā, librorū quos Geneua apportauerat venditorem, graui & erudita ad Consiliarios Curiæ habita oratione, audientium animos vehemēter cōmouisse: cui etiā cum tribus Sorbonæ Doctoribus disputandi permissa fuerit facultas, quā tamen illi defugerint. O insignem vanitatem! Sed eiusmodi nō minus falsis quā vanis narrationibus libri istorū referti sunt. in quibus etiā imperitis librarijs & idiotis Ministrorum & Ecclesiæ Fundatorum tituli tribuuntur. Illorum vero hominū opera breui ingens librorū Noui Testamenti in vulgarē linguam miserabiliter translati copia Galliam inundauit, sancto Dei verbo, omnis generis & conditionis hominibus, feminis, pueris, ac ceteris, diuina ista mysteria quæ sub litterarum cortice latent, nequaquā capientibus, turpiter prostituto. Quid vero hoc aliud est, quam gladium furioso in manus dare, quo is non alios tantum, sed seipsum quoque occidat? Sicut enim gladius offendit ac defendit, prout scilicet tractatur sic S. Scriptura & vitā dat & adimit, prout ea quis vtitur. Sapiens mater Ecclesia periculosū esse semper indicauit, promiscue omnibus SS. litteras tractandi facere potestatē: ea in re priscorum hominum, qui sartam tectam religionem suam conseruare studuerunt, prudentiam imitata. Hebræi quidem ante trigesimum ætatis annum ad Geneseos & Cantici Canticorum lectionem neminem admittunt, veriti ne quis verbis aut exemplis inde petitis abutatur: vt S. Hieronymus auctor est. Et Deus ipse Esdræ mandat, vt partem doctrinæ suæ promulger, partem alteram in occulto habeat. Trismegistus ille Mercurius ait, Nullam eos habere religionē qui diuina mysteria vulgo prostituūt.

Idem frequẽter in cœlesti sua Hierarchia inculcat S. Dionysius Hebræorũ exemplũ imitati sunt plerique omnes, qui salutaribus regulis & legibus Respublicas suas munire ac conformare satagerunt: quamuis obscura tantum, & velut per transennam aut nubem transparẽte naturalis cognitionis lucẽ essent illustrati. Diuinus ille Plato in epistola quadã ad Dionysiũ tyrannũ de sacris quibusdam mysterijs disputans, rogat vt eam statim concerpat, ne forte in vulgi manus incidat. Idẽ VII. legũ suarum cauit, ne quisquam scriptum aut librum quemcunque, inconsulto magistratu cõponeret, recitaret, aut promulgaret, ne quid inde religio caperet detrimenti. Idem Pythagoras, Socrates, Aristoxenes, inuiolabiliter obseruarũt. Plotinus quidẽ iuramẽto se obstrinxit, se numquam quæ ab Ammonio didicisset propalaturũ: quod quum violasset, phthiriasi miserabiliter perijt, vt Porphyrius testatur. Sed quid multis opus est? Saluatoris nostri intueamur exemplũ, qui de regno cœlorum mysteria Apostolis reuelauit, ad cæteros vero parabolas loquutus est. Et idem monet, ne margaritas ante porcos proiiciamus. Ad quid vero opus fuisset Apostolis, sacerdotibus, & Ecclesiæ Doctoribus, quos Deus, vt Scriptura testatur, ad regendũ ordinauit, si SS. litteratum tractatio atque interpretatio non minus ad alios, etiam feminas & opifices, quam ad hos pertineret? Dedit Deus iam olim Ecclesiæ suæ, & adhuc dat Legatos, quorum vocem tantum, non vero illorum pseudoapostolorum, qui Legationis suæ fidem facere non possunt, quiq; seditionis potius incentores sunt, ad omni scelere, impietate & sacrilegio vexandam Ecclesiã ab ipso inferno summissi, exaudire nos oportet. In hanc sententiã pulcre atq; appositè inquit S. Cyprianus, Rudi ac simplici plebi nequaquam permittendum esse, vt suo marte S. scripturam legat, sed eos audiendos esse qui interpretandi habent auctoritatem. Qui CIII. S. Hieronymi Epistolam legerit, facile quo nouos hos & repentinos theologos, illotis manibus tam sacrã scientiam tractantes, refutet habebit: vbi sic loquitur: *Agricola, camẽtarij fabri metallorũ, lignorũue cæsores, lanarij quoq; & fullones, & ceteri, qui variã supellectilem & vilia opuscula fabricantur, absq; doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola scripturarũ ars est quam sibi omnes passim vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de S. litteris philosophantur. Alij discunt, pro pudor! à feminis quod viros doceant: & ne parum hoc sit, quadã facilitate verborum, immo audacia edisserunt aliys quod ipsi non intelligunt.* Et, quæso te, vnde pleraque omnes hæreses & dogmata iniquitatis nata putas, quam ex deprauato S. Scripturæ sensu, ac nimis audaci, immo peruersa ac plane contraria verborum interpretatione.

V. Quod si S. hic pater adhuc in viuis esset, & sacra profana omnia susque deque habita atq; inter se confusa cerneret, multo magis sane exclamaturus ac sæculi nostri peruersitatẽ detestaturus sit: vt in quo feminæ passim nõ tãtũ Theologiæ scientiã affectare, verũ etiã palã S. Ministerij officia exercere visæ sunt. Annõ Vrsula quædã in Germania, Lutheri tempore, suggestum conscendit, atq; inde de rebus sacris ac religionis controuersijs ad populũ declamauit? Idem in Scotia altera quæpiam fecit, vt Lãgæus in Lutheri vita testatur: & alia quædam in Bohemia, Hussitarum secta grassante, vt libro I. V. à nobis indicatum est. Qui sub primis hæreseos in Gallia initijs lustra & spelæa frequentarũt, quorũ nonnulli adhuc sunt superstites, norũt quid ibi actum sit: quum scilicet inter feminas quæ plus sapere sibi videbatur, dum Ministri expectatur aduentus, ex SS. Biblijs textũ aliquẽ prælegit, suamq; deinde sententiã subiunxit. Illæ certe quæ pœnarũ metu hinc à nobis Geneuã profugerũt, Theodoro Bezæ in disciplinã sese tradiderũt, qui singulis diebus horã vnã earũ institutioni impẽdit, vernacula lingua textum aliquem S. Scripturæ interpretatus: quod idẽ antea quoq; Lausannæ fecerat. Gallieni Imperatoris tẽpore feminæ quædã Plotini Philos. scholã frequẽtasse dicũtur: quod quidẽ ego aliquo modo tolerandũ esse arbitror, ob liberaliũ artium curiositatẽ. Neq; sane eas ego vehemẽter reprehẽdẽdas ac dãnandas existimo, quæ S. Scripturæ lectioni sũt deditæ, atq; in eius allegãdis testimonijs bene exercitatæ: vt vero publica obeãt in Ecclesia ministeria, ferri nullo modo potest, quum in eonõ tantũ modestiæ sexui huic cõgruẽtis limites transiliant, verũ etiã leges ab Ecclesia præscriptas violent, quibus expresse in Ecclesia loqui prohibẽtur. Silentiũ feminarũ est lectio, cuius tutum, vt veteri verbo dicitur, est præmiũ. Harpocrates certe, ille iuratus loquacitatis hostis, inquit, si ruptura silẽtij mulcta luere feminæ cogerentur, breui omnibus bonis eas cessuras, vt quibus silentium crudelis gehennæ est loco. Apostoli mulieres, vti diximus, in Ecclesia loqui prohibuerunt: at longe alia ratione

sæculi

sæculi nostri Reformatores, vtuntur. Non longe abibo, nec quorum memoria iamdudũ sepulta est & obruta, exempla in lucem producam. Meminerũt multi etiamnũ superstites, in mõre Marsano (quod Aquitaniæ est oppidum non incelebre) An. M.D. LXXII. feminam quandam Gutteriam Bordenauiã nomine, Blasij de Brahenne vxorem, è suggestu auditoribus interea dum Minister exspectatur, è Biblijs aliquid prælegere solitam. Aliam vero Claudiam Alisantiam nomine, causi dico cuidam eiusdẽ oppidi ciui nuptam, Theologiæ professionem ita sibi vindicantem, vt Ministrũ sæpe reprehenderet atque erroris insimularet. Quin eadem nõ Diaconi tantum munus vsurpauit, verum etiam de Prædestinatione librũ scripsit, Regis sorori, quæ Duci Barensi postea nupsit, dedicatũ, vt quũ A.M.D.XCII. in Galliam illa iter faceret, imprimeretur. Et quia in huius rei mentionem incidi, vt scilicet miserabilem nouitiæ Ecclesiæ confusionem explicẽ, inde ortam quod laicis atq; idiotis SS. librorum lectionem promiscue permiserunt, vnum aut alterũ exẽplum adhuc addam, ridicula quidem, talia tamen quæ suam etiam habeant vtilitatem. Mulierc̃ula quædam quum XXV. caput Ecclesiastici, in quo feminarum malitia viuis depingitur coloribus, legi audisset: Quid, inquit, an hoc Dei sit verbũ? Ego certe diaboli opinor. Memini in Curia nostra Burdigalensi olim militem quendam reformatæ, scilicet, religionis, accusatum, quod historiam de Balaamo legi audiens, in hæc verba erupisset: Eũ asino multo stolidiorem, qui credat bestiam loquutã esse. Fabulas esse & nugas meras. Quid vero homo eiusmodi, vix ea quæ ante pedes sunt videns, de multis alijs S. scripturæ locis dicturus sit? An Oecolampadium hac in re imitabimur, dicere non verẽtem in S. scriptura contradictiones reperiri? Super quo Lutherus exclamat: *Ecce in quam horribiles errores diabolus etiam homines eruditos abripiat?* Atqui ô Martine tuam ipsius inspice manticã, & quam nefarie libro S. Iobi, & D. Iacobi epistolæ illuseris, reuolue. Ille quidẽ, de quo paullo ante diximus, miles credere nõ potuit, asinã loquutã esse: quid si alius credat iumẽta saluari? quum Deus expresse per prophetam dicat, velle se vt homines ac iumẽta saluentur. Quid enim mirũ, si quomodo hæc verba intelligẽda sint, simplex aliquis & litterarũ ignarus nesciat, quum ea à me allegata etiam Minister quidã recte ac genuine interpretari nõ potuerit: alius vero per jumẽta feminas intelligendas asseuerarit? Noui feminã grauiter inde offensam, quod in Canticis Salomon legisset: *Nigra sũ, sed formosa, filiæ Hierusalẽ, &c.* ac propterea amauit me, & *Introduxit rex in cellaria sua* Super quibus illa verbis pulcre admodũ & singulari ingenij acumine philosophabatur.

Porro vernaculæ hæc linguæ, in quam S. scriptura passim traducta circumfertur, multis tamẽ difficultatibus ac nubibus inuolutæ facilitas (vt patet ex tãta hæreticorũ multitudine, qui omnes, S. Augustino teste, in hæresin ideo delapsi sunt, quod S. Scripturæ verum sensũ se habere inaniter præsũpserint) illa, inquã, vernaculæ linguæ facilitas multorũ animis scrupulos sane nõ exiguos iniecit, atq; Ecclesiã magnopere perturbauit. Numquid enim vidimus mercatorem ad abacũ suum sedentem ad sui iudicij lancem, fabrũ ad suam normam, pædagogũ ad Grammaticæ, Medicum ad Philosophiæ leges S. Scripturæ dicta expendentes? Quin etiam, vt supra diximus, etiam mulierculæ, quasi de colu ac lana res esset, iudicium sibi ac censuram de S. Scripturæ interpretatione sumserũt. O rem indignam ac pudendam! Videre passim etiam in cauponis SS. Biblia abaco exposita; & sacra vasa ab illotis & immundis manibus tractari. Operæpreciũ est, quid nuper Theologus, vir tamen nostri sæculi doctissimus, hac de re senserit, explicare. *Ab omni*, inquit, *ratione abhorret, quod libros sacros, religionis nostræ sacratissima mysteria continentes, illotis passim manibus versari videmus. Tam serium ac venerabile studiũ non ita perfunctorie ac leui velut brachio tractari debet. Totum illud hominem & actionem destinatã ac quietam desiderat: in cuius auspicatione illa ex diuino Missæ officio verba.* Sursum corda, *quotidie vsurpanda ac repetenda, atque corpus etiam ita componendum mores, ac gestus ad eum modum temperandi sunt, vt omnia singularem quandam attentionem ac reuerentiam testentur. Credo equidem,* adiungit idem, *libertatem illam siue licentiam tam religiosam atq; arduam Scripturam in varias linguas transferendi atque interpretandi, plus periculi quam vtilitatis habere.* Sed caput hoc pulcerrima Tertulliani sententia concludamus, monentis, vt si S. Scripturam recte intelligere ac veritatem cognoscere cupiamus, regulam ab Ecclesia nobis præscriptam accurate obseruemus: quam eadem ab Apostolis, Apostoli à Iesu Christo, Iesus Christus ab ipso Patre accepit. Quò enim, inquit S. Augustinus, ad rem tam altam ac profundam intelligendam, melius ac tutius confugere possumus quam ad Ecclesiam, quæ falli ac decipi non potest? Sed ne lectorem diutius detineam, tempus sane est vt quis ac qualis

Joannes Calvinus, ille miserandi in Gallia Schismatis præcipua fax atq; auctor, fuerit, ostendā: qui dum alij passim veram Jesu Christi Ecclesiam quærunt, illam à se inventam, & è ruderibus quasi eruram, & super monte illo, omnibus conspicuo loco, expositam ac restauratam esse iactat. Et quemadmodum Bohemi Hussium, Germani Lutherum, Helvetij Zuingliū, Angli Bucerū, Scoti Cnoxiū, Dani Bugenhagium, Livoni Pellionem, Transylvani Blandratam, restaurati apud se Evangelij auctores faciunt; sic Galli Calvino eundem se honorem ac gloriam debere profitentur.

JOANNIS CALVINI NATALIS & judicium ex themate ejus Genethliaco sumptum.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

I. *Homines de schola primi Lutheranismum in Gallia seminarunt.*
II. *In varias sectas & factiones misere distrahuntur.*
III. *Joannes Calvinus Galli & Lutherus.*
IV. *Ejus nativitas & horoscopus.*
V. *Genethliacorum coniectura seu prædictiones.*
VI. *Calvino supremi Pontificatus dignitas in Nativitate promissa.*

I. TErtullianus, postquam hæreticos veris coloribus depinxit, & in veterum illorum pictura novitiorum mores ad vivum expressit, recte ac bene inquit, Philosophos, eorum qui Ecclesiæ pacem ac concordiam primi turbarunt, Patriarchas veluti atque antesignanos fuisse. Idem nos de sæculo nostro perverso dicere possumus: nempe primos hæreseos parentes atque auctores fuisse homines de schola, Gramatices magis, Philosophiæ aut Mathematicarū scientiarū quam Theologiæ peritos. Libros illi legebant, linguas intelligebant; sed non sapientiam. Aristotelis callebant subtilitates; at à Divo paulo, tradita mysteria non capiebant. Recte quidam Philosophiam, Humanam, Theologiā, divinam Sapientiam appellavit. Hanc si intelligendā; ut fidem ei habeas. Quot dum alios perdunt; seipsos quoque perdiderunt? Videre id est in multis Philosophis, qui velut Pelion Ossæ, & utrumque Olympo imponentes, cœlum conscendere, in sacrarium Dei irrumpere, & incomprehensibilia Dei mysteria, ac divinorū operum causas ac rationes perscrutari ausi sunt. Miseri! qui instar Dædali cereis pennis ad solem evolare non dubitant, quibus liquefactis in mare decidentes, misere submergantur & pereant. Sic Thales astra eorumque motus è terra fixis in cœlum oculis contemplatus, in foveam pedibus subiectam, nec tamen à se visam, præcipitavit. Sic Empedocles, dum Ætnæi incendij causas propius explorat, eiusdem flammis absumptus est. Et Aristoteles quod Euripi sive marini fluxus ac refluxus causas indagare non posset, perijsse in eo fertur. Quid de Tertulliano, Origine, & alijs dicam? qui quum iam in ipso fere salutis portu extra omne tempestatis periculum versari viderentur; quia tamen opinionibus suis nimium velificati sunt, atque errorum fluctibus sese exposuerunt, triste sane naufragium eos fecisse, & ad perpetuam suā infamiā, sectis nomina dedisse videmus. Hinc olim Origenistæ, Valētiniani, Montanistæ, Marcionistæ, Hermogeniani; & nostro tempore Melanchthoniani, & alij eiusdē farinæ Supra indicavimus qui & quā multi; Gramaticuli ac magistelli sive Philosophastri, sub primis Lutheranismi incunabulis in Galliam irrepserint, ac modo in propatulo se ostenderint, modo hinc inde rursum in latebras sese abdiderint; qui tamen omnes omni conatu nullū certum ac firmum invisibilis suæ Ecclesiæ fundamentum ponere diu potuerunt; instabili tantum & fluctuanti arenæ inædificantes, ac velut contis & incerta opinionum vada explorantes, & velut in tenebris palpantes.


II. Suas quisque opiniones, seu cerebri commēta sequebatur, aliorum vero dogmata fastidiebat. Unus Lutheri, alius Zuinglij partibus adstipulatur; hic Melanchthonis, ille Oecolampadij, alius Buceri probabat opiniones. Ut paucis dicam, novitia illa fides vagabunda, sine capite, sine pedibus, sine ullo certo fundamento fluctuabat atque errabat. Erratici huius agminis in Aquitania nostra antecursores veluti fuerunt Faber & Rufus, qui primi Ecclesiam assilierunt; sequente eos longo Grammaticorū ac magistellorum agmine, ut paulo ante dixi. Ex omnibus tamen nemo tātæ erat audaciæ, qui, ut Lutherus in Germania, ipsa Ecclesiæ fundamēta auderet cōvellere, quū separationē illam ab Ecclesia, & novæ Fidei fabricationem, plenam evidentissimi periculi esse omnes iudicarent: Satius putantes, intra vetustate carioſam Ecclesiæ domum, vel parietinas potius se continere, quam

quam ea tota solo æquata, nouam moliri. Et hæc quidem multorum fuit, schisma omne auersantium, sententia: donec tandem homo quidam confidentissimus prodijt, qui velut ille Ephesini templi incensor, Ecclesiam à fundamentis subruere aggressus est, vulgatis passim opinionibus suis ac commentis, & ad partes suas quamplurimis religiosæ vitæ desertoribus alijsque libidinosis hominibus, summa proposita vitæ licentia, traductis. In summa, cœlum terræ permiscere, & ex diuersis atque inter se pugnantibus opinionibus conflatam ac miscellaneam religionem homo hic fabricari voluit.

Qui quoniam non minus quam Germaniæ Lutherus, funesta Galliæ nostræ fax fuit, non abs re facturus mihi videor, si vitam eius, mores, doctrinam, & quibus in ea propaganda modis vsus sit, fusius aliquanto describero atque indicaro. Ex huius enim capite tamquam è Pandoræ pyxide, omnia mala, ca'amitates & miseriæ, quibus pulcerrima Europæ pars penitissime iam diu afflicta fuit, prodierunt atq; exundarunt. (a) Nomen eius omnibus quidem notum est, at ingressus eius & cetera quæ ad hanc rem pertinent, pleroſque latent. Multa tamen interim, ab alijs prodita omittere mihi visum: præsertim quum verear ne apud quosdam plus odium valuerit quam veritas: monente etiam ipso prouerbio, cum laruis luctandum non esse, exemplo Agamemnonis apud Homerum inquientis, minime committendum esse, vt eorum qui in sepulcris quiescunt, manes vellicemus, aut conuicijs ac contumelijs oneremus. Mihi quidem nihil de hoc homine scribere constitutum est (quamuis multa hic lector à nemine alio prodita deprehensurus sit) quam quæ vel ipsius subiecti argumentum mihi suggeret, vel fide dignissimorum hominum testimonia, vel etiam historiæ & libelli à noua illa reformatione hic ibi passim exclusi atque exclusi, suppeditabunt.

IV. Ioannes Caluinus, funesta Galliæ, immo totius Christianæ Reipubl. fax, ac tantorum malorum auctor, natus est Nouioduni in Picardia X. Iulij Anno MDIX. O diem Nefastum, qui non hominis, sed longæ miseriarum nostrarum catenæ natalis fuit! Nomen ei primũ fuit, Ioannes Chauuinus; pater Gerardus Chauuinus; mater, Anna Fronæa. Sed quemadmodum Lutherus primum suum nomen mutauit; sic noster hic non Chauuinus, sed Caluinus appellari voluit. Sed quum ne hoc quidem nomen satis ipsi placeret, eo fortasse quod transpositis litteris, impius ille atque atheus *Lucianus* inde resultet, Alcuini nomen sibi aliquãdiu sumsit, eius qui Caroli magni præceptor fuit, magnam laudem ob institutam Parisiensem Academiam consequutus: vti apparet ex prima Institutionum Caluini editione, Argentorati Anno M. DXXXIX. primitus vulgata, quæ nomen hoc aperte præ se fert. Quia vero supra famosorum hæresiarcharum Lutheri & Melanchthonis Natiuitates seu themata genethliaca posui: par sane videtur vt tertij huius horoscopum itidem subiungam, cuius typus sic habet:

a *Surius in Comment. Prateolus in Catal. Hæret. Bolseius in Vita. Romanus in Idea Caluini. Demochares. Vasquerius. Sainctes, Zindanus. Abraham Bzouius in Annalibus. Caierus. Heshusius. Vestphalus, Schlusselburgius. Vide Reginald. fol. 259. Serarium in Caluino stigmatico.*



V. Astrorum in hoc natali schemate positus satis indicat, hominem hunc multis præclaris dotibus ornatū fore, quas tamē multa econtrario vitia comitatura sint. Saturnus quidē in domicilio Virginis excellentē eruditionē hominis ostendit, sed talē quæ male collocata sit, vt Iunctinus ad XIV. cap. lib. III. Ptolomæi De Astrologia Iudiciaria docet. Mercurius in domo Solis, firmam ei memoriam ac singularē scriptis animi concepta exprimendi gratiā atq; elegantiā promittit, vt ex II. libro Schoneri eiusdem argumenti intelligi potest. Et quamuis Mercurius combustus sit, id tamē supradictæ doti nihil obstat, præsertim quum cor Leonis in angulo Meridionali collocatū, idem ei polliceatur: quod vt Cardanus testatur, sapientiæ ac prudentiæ sedes est. Luna vero sextili suo aspectu, & Saturnus in domo Mercurij singularem ingenij acrimoniam denotant; sed quæ stultitiam quoque ac nimiam ea quæ supra se sunt indagandi curiositatē habeat adiunctam. Heu (cum Chilone exclamare libet) quā difficile est seipsum nosse! Luna quidem vna cum Tauri oculo, vitiū hoc naturæ turbulentum ingenij impetum, nihil nisi seditiones ac bella spirantis satis demonstrat. Hoc quidem Cardani in Aphorismis de hominis huius Natiuitate est iudiciū. Similiter Mars in IX. loco extra domiciliū suū constitutus. Ascendentis tamē dominus, monstrat, sacrilegum illum & hæreticum fore hominem, omnis divini timoris expertem, eo tamen ad externam speciem & hominum opinio-

opinionem sibi conciliandam, utentem. Eadem hypocrisis per Scorpionem in horoscopo constitutum, & in IX. domo Mercurio coniunctum præsignificatur: ut idem docet Junctinus. Inflexibilem vero hominis pertinaciam Mercurius & Luna, uterque in signis fixis versantes, indicant Mars vero in Cancro constitutus, amarissimam bilem & iracundiam implacabilem hominis ostendit. Signa enim terrestria, si Cardano credimus, iracundiam ita imprimunt ut nunquam evelli possit, non minus quam canicula diebus canicularibus rabie correpta, ab ea sanari non potest.

VI. Sed nihil obstantibus his omnibus Nativitatis vitijs, quæ postea in ipsam Calvini vitam influxerunt, Juppiter in domo sua unà cum corde Leonis magnam ei existimationem & honorem quem inter suos consequutus est, præsignificavit, ut qui Elias, alter S. Paulus, sol Mundi, Os Dei, homo inculpatus, non sine ludibrio simul & impietate à suis appellari meruerit: quāvis Scorpio Ascendens ab omni illum dignitate in vera Ecclesia excludat, tum quod Juppiter Marti, qui Ascendentis est dominus, adversus sit, tum etiam quod Cancri signum, quod Jovis est exaltatio, naturaliter clericalem ordinem significans, in nona versetur domo, quæ religioni & Ecclesiæ est attributa: ut curioso Lectori ex prædictis Junctini ac Schoneri libris facile patebit. Equidem non is sum qui velim nescio quod fatum comminisci, & res has inferiores Astrorum influentiæ necessario adstringere: quum sciam doctrinam hanc iam olim ab Ecclesia damnatam esse. Nihilominus tamen quum mihi pessimorum hæreticorum & in ijs Lutheri, Melanchthonis & Calvini antesignanorum explicāda esset historia; ut aliquo modo lectoris satisfacerem curiositati, etiam Nativitates eorum prodere volui, ut ne minuta hæc etiam posteritati ignota essent: interim intra Catholicæ Ecclesiæ septa, in qua extremū spiritū mihi emittere certū est, me cōtinens, nec ab eius legibus vel latum unguem deflectens.

QVOMODO CALVINUS AD Theologiæ studium animum applicuerit, & Lutetia Engolismam profugerit.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

I. *Calvinus apud Bituricenses literis operam dans, de Melioris Volmari consilio ad Theologiæ studium animum applicat.*

II. *Volmarus primus Calvini animum hæresi corrupit.*

III. *Calvinus Lutetiam profectus, mox inde Engolismam se confert.*

IV. *Calvinus Gracus Claixensis agnominatus, & cur.*

I. CAlvinus postquā ex ephebis excessit, positis jam literarum fundamentis, de parentum consilio ad Iurisprudentiæ studium animum appulit, non minus ac Lutherus, missusque Aurelianum sub Petro de Stella, insigni nominis Jurisconsulto, qui postea Parisiensis Curiæ præses fuit, prima fecit tyrocinia: inde Auaricum Biturigum profectus, magnam illum Alciatum leges explicante audiuit. Hæc de seipse scribit in Præfatione quā Commētarijs suis super Psalmos præfixit; vbi inter alia superbe admodū se cū Davide comparat, inquiens, *Se vocationis suæ initia sæpe numero in Davidis exemplo, tamquam in speculo, contemplatum esse: & quoties in Prophetæ huius vitæ cursum intuebatur, viam sibi ab illo commonstrari visum fuisse.* Apud Biturigas quum esset in Meliorem Volmarum, quē Navarræ regina fovebat, incidit, magno tam suo quam totius Christianitatis damno. Erat autem Volmarus Germanus natione, Græcarum literarum professor, homo multæ eruditionis, & in linguarum studio bene versatus: quo eodem Calvini successor quoq; præceptore usus est. Volmarus quum in iuvene hoc singularem ingenij alacritatem, firmitatem memoriæ, & magnam lectiones & alia quæcumq; ex præceptoribus audisset, quæ deinde ipse mira sermonis tam elegantia quam facilitate, scriptis consignabat, colligendi atque explicandi dexteritatem animadvertisset, præ ceteris discipulis diligere ac magnificere eum cœpit. Die quodam cum discipulo magister animi gratia deambulans, auctor ei fuit, ut posito Justiniani Codice, ad Theologiæ omnium scientiarum magistræ ac reginæ studium animum applicaret. O infelix Christianorum rebus consilium. Quæ quū à Luthero iam valde essent afflictæ, quid reliquum erat nisi ut à tali ingenio omnino pessumdarentur? Suffoderat iam ille cuniculos, ad quos hic incenso velut pulvere uno Spiritu diffiandos, & ad ruinam faciendam, incubuit.

II. Volmarus quamvis Catholicum se simularet, Lutheranum tamen virus Calvino instillabat, tantamq; hac velut promulside hæreseos salivam in eo excitavit, ut tam fœtidam non minus quam vetitam escam non prius ingurgitare cessarit, quā ea non ad saturitatem modo repletus, verū etiā morti

datus

datus fuerit: is, inquam, qui viuens, multa animarum millia ad æternum exitium deduxit. De quo illud vere, quod olim de alio quodam, dici potest, Malum ipsum & didicisse & docuisse, & alios malos reddendo, seipso peiorem esse factum. Quod si omnia ista mala & venena, quæ ab hominibus istis profecta sunt, vnam in massam colligantur, quis neget illum iniquitatis cumulum iam sese ostendisse? An ergo delitasse Sorbona censenda est, quæ regem supplici libello monuit vt Magistellis illis ex Germania surrepentibus aditum in regnum suum præcluderet, & iam receptos eliminaret? quum vnus Volmarus tantorum caussa malorum fuerit, corrupto Caluino, qui postea tot hominum millia hæreseos labe infecit. Sed ad rem. Caluinus Volmari aliquamdiu vsus consuetudine acquisita aliqua Græcæ linguæ cognitione, eiusdem consilio obtemperare statuit, relicta Parisiensi Academia Noviodunum in patriam reuersus, vbi patris opera Canonicatum, vt vocant, nactus, Crucifixi siue Ecclesiæ sumtibus vixit. Volmarus interim frequenter ad eum scribebat, librosque quos è Germania acceperat, mittebat, acriter exhortans vt de reformanda atque illustranda Dei Ecclesia cogitationem ac curam serio susciperet, multis aspersis laudibus, quibus hominis alias ambitiosi animum vehementer incendebat. Et quidem ab vno Volmaro ad tantos conatus se impulsum, Caluinus ipse multis in locis fatetur. Quin etiam idem Volmarus, licet ab Vlrico Duce Wirtembergico domum reuocatus, litteris tamen animare Caluinum non cessabat. Illud tamen mirum cui merito videatur, quod idem Caluinus vbi de vocatione sua agit, Volmari ne verbo quidem meminit, sed illud tantum inquit, occculta Dei prouidentia se perductum fuisse.

III. Noviodúni aliquamdiu commoratus Caluinus, Lutetiam rediit, inque Collegio Forterestano domicilium habuit. Auctor Ecclesiasticæ Historiæ, vt profusus vbique est in huius hominis, quem Deum pæne fecerunt, laudes; ita hoc loco quoque ait, Ecclesiam Domini valde ab eo, postquam Legum studio valedixisset, fuisse amplificatam, Veritatem docente. O musteum ac recentem Theologum! qui diuinam scientiam vix primo lumine à se salutatam, iam alios docere præsumebat. Domini illa Ecclesia, quæ Lutetiæ colligebatur, inuisibilis erat; & nouus hic propheta eo tempore de quo hic loquitur historia, nondum vicesimum & tertium annum ætatis explerat, ac vix ac ne vix quidē D. Pauli Epistolas perlegerat: quamuis interea eos quos de Fide non optime sentire non ignorabat, modis omnibus corrumpere satageret. Constat sane inter chartas eius ab inquisitoribus multas deprehensas esse, quæ non suspicionem hæreseos, sed apertum crimen præ se ferrent. Quum ergo parum tutum se fore arbitraretur, Engolismam (qui vltimus & remotissimus tractus est Parisiensis Curiæ iurisdictioni subiectus) se contulit, vbi triennium Ludouici Tilij Canonici Engolismensis & Curionis Calixensis (qui Ioannis Tilij, Parisiensis Curiæ Protonotarij, & alterius fratri cognominis Meldorum Episcopi frater fuit) sumptibus sese sustentauit, patronum interim nutritiorum vice Græcam linguam, cuius, licet tenuem, habebat notitiam, docens. Aiunt quidam, & à multis scriptum inuenio, Caluinum magni & detestabilis flagitij à primario Boncurtensis Collegij sodali fuisse accusatum, & ad puerorum querelas contumaciæ damnatum. In hac officina Vulcanus ille pestilentes suas atque hæreticas opiniones primum cudit, quas deinde vndiquaq; disseminauit. Hic enim primam Institutionum suarum telam exorsus est; quam deinde alibi pertexeram, ad capiendos simplicium animos tetendit, passim atque explicauit: quem ego librum Hæreticorum Alcoranum vel Thalmud non iniuria appellandum censeo, vt in quo omnes superiorum temporum & quæ etiam vnquam forte exorientur, hæreses atque errores congesti leguntur, è Locis communibus Melanchthonis, Hyperij, Sarcerii, & id genus libellis magnam partem consarcinato. At Westphalus Lutheranus meram Oecolampadii sapientiam ac doctrinam, sed immutatam paullulum atque amplificatam in eo contineri ait.

IV. Porro Græci Calixensis cognomine tum Caluinus celebrabatur, eo quod in Curionis illius esset familia, quodque Græce linguæ quamuis non exactam haberet cognitionem, eam tamen plurimum ostentaret; tanto maiori cum admiratione quanto tum temporis vsus eius erat rarior, qui Gallis non multo post redditus fuit familiarissimus, postquam è patria profugi quidam Græci exsules à Cosmo Hetruriæ Principe in Italiam accersiti sunt, à quibus inde suauissimæ linguæ riuuli in Galliam quoque nostram profluxerunt. Hic ergo Græculus noster, collecta aliqua hominum existimatione & fama, vt erat omnibus qui litteras amabant, charus, in omnibus sermonibus

quos

quos cum eis habebat, religionis inijciebat mentionem, & quasi aliud agens, mordacibus verbis auctoritatem ac traditiones Ecclesiæ vellicabat. His ille artibus non difficillime complures magnæ auctoritatis viros in suam sentẽtiam pertraxit: inter quos præcipuè fuerũt Antonius de Chailou, Conventus Butevillani Prior, Lutheranorum Papa, postea cognominatus; nec non Abbas Bassacensis, uterque literatus, & in bonis conquirendis libris perquam studiosus; ut & Torsacus, Præsidis dela Place frater, Historici postea munere apud Calvinistas functus. Ad hos Calvinus frequenter ventitabat, interveniente etiam non raro ipso Tilio, in arce quadam non procul ab oppido Engolismensi sita, & Girac appellata, in qua Prior ille Butevillanus ordinarium domicilium habebat. Jbi Jnstitutiones suas Calvinus depromebat, & Theologiæ suæ mysteria revelabat atque explicabat, quantum quoque die scripsisset, ipsis recitans. Quo in labore tã erat assiduus, ut noctes sæpe diebus continuaret, tam somni quam cibi ac potus interim omnino oblitus. Verum enimvero eo quo cœpi pede tramitem hunc decurrere, atque integram hominis huius, in malum Galliæ nostræ nati historiam pertexere, ac minima etiam persequi libet. Equidem ut in conquirendis varijs quæ eo pertinent documentis nulli labori peperci; sic spero lectorem in cognoscendis impostoris huius, post homines in Gallia natos maxime versipellis, dolis atque astutijs operæ aliquid non gravate collocaturum.

LUTHERI ET CALVINI COMparatio.

Caput X.

ARGUMENTUM.

I. *Calvinus melius aliquanto moratus quam Lutherus.*
II. *Sed in concionando parum facundus.*
III. *Lutherana hæresis crassa, Calviniana subtilis.*
IV. *Calvinum ambitio perdidit.*
V. *Eius mordax & superba natura à Volmaro notata.*
VI. *Tilletus Calvinum in Germaniam abducit.*

I. Multum sane duo illi novi Evangelij doctores Lutherus & Calvinus, qui ineptijs suis toti Mundo imposuerunt, tam moribus quam opinionibus & doctrina inter se discreparunt. Calvinus quidem strictiorem vivendi disciplinam sequutus est, & secus quam Lutherus, à carnis & ventris voluptatibus etiam primo adolescentiæ ingressu alieniorem se ostendit. Lutherus enim abdomini serviebat, nec linguæ modrabatur; adeoq; in crasso corpore crassiusculum aliquãto spiritum alebat, Calvinus econtra tenui & macilento corpore animum viridem & non minus consilio quam cum audacia cautum gestabat; homo etiam iuvenili ætate cibi ac potus abstinentissimus, sive ut valetudini consuleret, ut qui continuis fere capitis doloribꝰ vexaretur; sive ut ad litterarũ studia, in quibus dies ac noctes erat assiduus, tanto esset alacrior atque expeditior. Beza ait alibi, vidisse se illum toto biduo ab omni cibo ac potu abstinentem. Ne vero quis existimet id superstitione quadam ab ipso factum, addit: Causas ieiunij huius fuisse, vẽtriculi debilitatem, & hemicraniam, quibus præsentius remedium non esse quam inediam, vel certe temperantiam, experientia se edoctum affirmabat. Lutherus quæcumque splendida bilis suggereret evomebat; at Calvinus odium, invidiã, & quæcumque alia intimis recessibus condita habebat. Lutherus animum, quod dicitur, in fronte gestabat, nihil fere celans: at Calvinus summus dissimulandi artifex, subtristi vultu affectus à cogitationibus & verbis plane dissentientes mentiebatur. Lutherus genio indulgens, per summam hilaritatem tempus trãsigebat: Calvinus econtra summam in moribus affectabat gravitatem, nam & pauca & non nisi serijs atque arduis de rebus loquebatur, nec sensus suos facile expromebat: & quia natura erat melancholicus, paucorum hominum consuetudine vtebatur, & eorum tantum quos morum similitudo ipsi conciliabat, solitudini ita deditus, vt diceret, nunquam se minus solum esse quam quum solus esset. Ipse fatetur alibi, sibi naturam verecundam & agrestem aliquantum cõtigisse, quietem & tranquillitatem super omnia diligenti; eoque secessum se & latebras omnibus modis quærere atque optare: verum tantum abesse vt voto suo hactenus potiri potuerit (vide iactantiam huius lucifugæ) vt etiam secessus sui loco publicæ scholæ habeantur. Ecquid hic homo vanæ gloriæ pruritu se ipsum titillare tibi videtur? Illud scilicet dicere vult, totum Mũdum ad se tamquam ad alterum Ioannem Baptistam accurrisse, vt Christum ipsis monstraret. Similis scilicet Calvinus erat vespertilionibus, qui prius nidum non

relinquunt quam sol occiderit; eumque è latebris suis in templis evolant, ut oleum lucernis affusum exhauriant, atque ipsas lampades exstinguant. Engolismæ dum moratur Calvinus, conclavi quodam in Tilij ædibus, plus quatuor librorum tam impressorum quam manuscriptorum millibus instructo, fere se continuit, tam abstractus ab omni hominum consuetudine, ut etiam amicorum intimi (quod ex viris fide dignis & oculatis testibus didici) ægre ab ipso admitterentur. Tanti ocium suum faciebat.

II. Lutherus patria lingua fuit eloquentissimus, ut cuius oratio plurimum ex ipso quoque solo nativæ elegantiæ hausit. Quum enim in ceteris Germaniæ partibus, Franconia scilicet, Bavaria, in Rheni tractu, Suevia & alibi Germanica lingua crassum quid & insuave sonet, sola Misnia eleganter dicendi palam omnibus præripit. Et quemadmodum Florentia in Italia, Lutetia in Gallia, Madritum in Hispania suæ quæque linguæ perfectæ elegantia commendantur; sic Lipsia primarium Misniæ oppidum eadem inter ceteras omnes Germaniæ civitates laude floret: à qua, patria Lutheri Islebium non longe distat. Fuit ergo Lutherus orator quum disertus tum vehemens: in Calvino econtra quotiescunque è suggestu ad populum verba faceret, nihil erat quod auditoris animum allicere aut detinere posset, multa econtra quæ fastidium & nauseam afferebant, ut qui nulla actionis elegantia instructus esset, & illud suum, *Quid moror?* fere semper in ore haberet. At si quando in Catholicos, ac præsertim Ecclesiasticum ordinem linguæ frena laxaret (quod fere semper fiebat) Deus bone, quomodo pusilli illius corpusculi iugulũ sive guttur inflammabat, quomodo vocem efferebat, & quam maximum poterat exclamabat! Sæpe in has voces erumpens: *Vobis ego dixi, & vos scitis, Prophetam me esse.* De hac eius in dicendo vehementia Beza loquens, Eos, inquit, qui viderint ac noverint quibuscum hominibus Calvino res fuerit, optime iudicare posse, ad quid vehementia illa vere Prophetica & tum profuerit, & ad omnem posteritatem profutura sit. Sed quemadmodum Lutherus, quantũ ad vernaculam utriusque linguam attinet, dicendi laude superior, scribendi Calvino æqualis fuit, ut cuius libri hodieque ab ijs qui nativam Germanicæ linguæ elegantiam discere cupiunt, legi solent: sic Caluinus latine scribendi laude excelluit, vt qui à puero in litteris elegantioribus multo maiorem quam ille operam posuerat, adeoq; omnia eius linguæ myrothecia diligenter excusserat, ac stilum inde melius formarat. Uterque laboris fuit patientissimus, ut librorum ab eis scriptorum multitudo testatur. Calvinus certe ea in re vix parem habuit. nam viginti tribus illis annis quibus Genevensem Episcopatũ usurpavit, quotidie concionabatur, & diebus Dominicis plerumque bis: Theologiam vero ter singula quaque hebdomada in schola prælegebat, ac feria sexta quaque disputationem, quam Collationem vocabant, habebat. Quod reliquum erat temporis libros conscribendo & ad epistolas, quæ undique ad eum tanquam ad summum hæreticorum Pontificem magno numero mittebantur, respondendo consumebat.

III. Lutherus religionem crassam & pinguem, ut ita dicam, commentus est, Calvinus subtilem & bene alembicatam. Illud à curiosis observatum est, hæreses ab Austro progressas multo subtiliores esse ijs quæ ab Aquilone prodierunt. Harum enim auctores plerique ieiunia, abstinentias, vota, cœlibatum & alia carni minus suavia evertenda sibi sumpserunt: illi vero, & divinam & humanam Christi naturam, processionem Spiritus Sancti, Dei omnipotentiam, corporis Christi in S. Eucharistia præsentiam, aliaque fide magis quam sensibus cõprehendenda impugnarunt. Et quemadmodum ij qui regiones inhabitant ventis ac turbinibus infestas feroces sunt ac turbulenti qui montana incolunt, duri atque agrestes, quod ipse locorum situs & qualitas hominum animis diversos imprimat mores, ut Plato, Tertullianus, Hippocrates, Xenophon in Cyropædia, Vitruvius & alij testantur: sic constat eos qui in frigidis locis habitãt multo hebetiores esse ac stupidiores ijs qui in locis præfervidis morãtur. Illi Baccho & Veneri (hi enim pletũq; individui sunt comites,) plurimũ dediti sunt, corpore crasso, ingenio simplici ferè ac fraudis experte: hi vero corpus gracile habẽt & siccũ, sed ingeniũ cautũ, subtile, ac malitiosũ. Illi in actionibus lẽti sunt & tardi: hi summa celeritate in omnib⁹ utũtur. Illi religionis nõ ita tenaces sunt, aut certe minus religiosi esse viderẽtur, ut quibus animus non minus quã aër ipse quẽ hauriunt, frigeat, eoq; omnes religiones sibi ferendas iudicent: hi vero ut ingenia habeãt ad con ẽplationẽ magis disposita, sic deorũ metu vel superstitiõe facilius ducũtur, & religiões semel susceptas magna cõstãtia tuẽtur. Calvinus ergo ingenij acumine Luthero præstantior, altissima Christianæ religionis mysteria concel-

lere

lere aggressus est, nimirum Dei benignitatē, ustiamatque omnipotentiā, Lutherum eo nomine irridens, ꝙ corporis Christi in Euchatistia ꝓsentiam, stulte (sic enim loquitur) fassus esset. Hinc in Præfatione Commentarii super Psalmos præfixa queritur, ꝙ Germanos plerosque sibi infestos habeat, eo quod stultæ ipsorū opinioni siue phantasiæ de manducatione corporali in Cœna Domini subscribere nolit. Idē sæpe dicere solebat, nihili fere esse quæ Lutherus fecerit, nec Christianā Rempublicā plus ei debere q̄ viator aliquis digito viam monstranti debeat. Ipsius exemplum nequaquam imitandum esse, vt qui semipapista fuerit, multo satius fore nouæ Ecclesiæ fundamenta iacere, q̄ ab ipso positis superædificare. Et sicut præstanti sculptori facilius sit in rudi marmorea tabula perfectū aliquod opus elaborare, artisque suæ excellentiam ostendere, quam ab alio cœptū ad vmbilicum deducere: sic multo melius fore Ecclesiæ lineamenta de noue describere, quā Lutheri exemplo, antiquæ illius fugientia sequentē vestigia, rugas explicare, maculas eluere, & pristino nitori restituere velle. Illud etiam consideratione, dignū est, quod duo hi Antichristi, dum quisq; sectā sibi propriam condit, infestis animis inter se concurrunt, nec alter alterum ferre potest, quamuis vtriusque nomen Apocalypticæ illius bestiæ numerū includat. Vt enim Luther. sicut I. libro notauimus) sic Caluini quoq; nomen in Hebræa lingua numerū illū sexcenta sexaginta sex, 666. præfert.

ר	10.
ו	6.
ח	8.
ב	50.
נ	50.
ק	100.
ל	30.
ו	6.
ב	50.
נ	50.
ו	6.
ש	300.
Summa	666.

Quamuis autem Caluinus alicubi in Lutheri laudibus minime parcus videatur, vt quem Christianæ religionis restauratorem appellat; illud tamen ferre minimè potuit, pro altero Elia eum haberi atque honorari. Hinc eiusdem discipuli post magistri mortem hac protestatione vsi sunt, Eos qui Lutherum Prophetarum numero adscribunt, & scripta ipsius pro fidei norma obtrudunt, male de Iesu Christi Ecclesia mereri, & tam se quam ecclesias suas aduersariorum risui exponere.

Fatendum omnino est, Caluinum mirè promto, alacri ac subtili fuisse ingenio, multasque in eo dotes laude dignas emicuisse, nisi propinquo vitiorum infectæ fuissent contagio. Lutherum quidem ad euertendam Ecclesiam constat noxium admodum fuisse instrumentum; at Caluinum multò magis. Iniuriæ opinio & vindictæ appetentia Lutherum pessimæ hæreseos auctorem fecit; ambitio & arrogantia, indiuiduæ & hæresiarcharum & hæreticorum comites, Caluinum multo peioris. Neque enim Caluinum quidquam aliud in arenam protraxit, quàm gloriæ cupiditas, vt quī pulcrum ducerer, digito monstrari & dicier: hic est. Quod quidem commune fere est magnorum ingeniorum & malum & naufragium. Certe Tertullianus ait, quicumque vitæ huius salum sine rationis clauo velit traijcere, cauere non posse quin sæculi fluctibus in profundum tandem abripiatur. Lutherum supra audiuimus, statim initio rebellionis suæ gloriantem. *Omnes*, inquit, *de me loquebantur, omnes me laudabant: nec quamuis exigua hæc gloriola displicebat.* Quid Caluinus? Ipse recitat, quamprimum SS. litterarum gustum aliquem perceperit, & alijs dederit, omnes qui purioris doctrinæ desiderio tenebantur, ad ipsum tamquam ad Apollinis oraculum accurisse; & quamuis ipse vix dum discere cæpisset, ab ipso doceri voluisse. Iactat Lutherus, se primum Euangelij hactenus non intellecti lumen Mundo accendisse. Caluinus sine iactantia illud se affirmare posse ait, ad S. scripturam intelligendam plus se adiumenti attulisse, quam omnes Doctores qui post Papatus initium fuerunnt. In Reformationis vero formula Galliarum regi exhibita, non minus vane quam imprudenter iactat, diuini nominis honorem à se in integrū velut postliminio restitutū. Victor Caierus, qui vnus fuit ex præcipuorū olim Ministrorū numero, & pleraque secreta eius religionis perspecta habuit, in Formulario suo Reformatæ, quæ prætēditur, religionis, post ipsius cōuersionē edito, sic loquitur: *Cōstat Calu. publico pro cōcione & in iuggesto*

Prophetæ nomen sibi ipsi tribuisse, atq; eo dementiæ prouectum, vt non Principibus tantum, verum etiam magno Regi maledixerit, eo quod suorum subditorum mortem contra illos vlciſci noluisset; atq; ita excanduisse, vt non sine graui scandalo & tumultu pileum è suggestu proiecerit, & nullis solito more factis prius precibus, è concione digressus sit, illud tantum repetens: Experiemini vos me Prophetam. Præ ceteris vero omnibus qui in hoc genere aliquid attentarunt, Caluinus bene & eleganter scribendi laude excelluit: quam tamen frequentia scriptis eius inspersa in alios maledicta & scommata plurimum minuunt. Numquam enim ille ad scribendum accessit, nisi animo maleuolentia & inuidia suffuso; vt quemadmodum Draconis olim leges non atramento sed bile, atque adeo veneno scripti videantur. (*a*) Neq; enim bene tantū, sed etiam male dicendi palmam omnibus eum præripere voluisse recte dixeris. Quod tamen ille ipse ad Bucerum scribens ita excusat, vt dicat, *Hoc non tam ingenij quã genij esse vitium.* (*b*) Inter elogia quæ Romanæ Ecclesiæ tribuit, illa mitiora quodammodo sunt quibus eam Babylonẽ appellat effrontem, derelictam, idolis seruientem, prostitutam, necromanticam: quid non deniq;? Etsi vero Caluinus primus fere & solus libris Gallica lingua conscriptis antiquam religionem conuellere conatus est, breui tamen magnum sectariorum numerum sibi adsciuit, homines, vt plurimum bonarum, & sacrarum inprimis litterarum rudes, qui lepore & elegantia styli capti & quasi incantati, faciles nouitijs istis dogmatis aures nõ grauatè præbuerunt.

Mordax certè, virulentũ, atque adeo ferum Caluini ingenium non tam thema eius genethliacum (de quo supra) quam scripta ipsius produnt. Nullibi, ille Reges ac Principes mitius tractat quam præcursor ipsius Lutherus, brutas bestias, asinos, stultos passim appellans; quibus si contra Deum (id est contra Geneuensis Ministerij statuta) fedus iniecant, aut moliantur aliquid, non modo non obediendum, sed facies etiam conspuenda sit. Quam vero eorundem titulum rideret, quo se *Dei gratia* Reges aut Principes scribunt? An vllum vmquã mordacius aut virulentius scriptum lucem aspexit quã Caluini Institutiones? Quas ille toties à se interpolatas, tot tantisque conuiciis & iniurijs refersit, vt non solum quidquid splendida bilis, sed etiam quidquid quartanæ febris, quæ medullas ipsi exedebat, quidquid calculi, quidquid hemicraniæ, quidquid hemorroidũ dolores suggerebãt, in scriptũ illud effudisse videri possit, quibus ille efferat°, & velut œstro percussus, in obuium quemque incurrere atq; arietare nihil pensi habebat: at remittentibus paululum doloribus, vltra modum inflatus, suæ ambitioni velificabatur: & sic velut serpens venenatum ictum lingua, & tamquam Basiliscus lethiferum aspectum oculis gestabat. Sed de Caluini ingenio cui potius credemus quam Volmaro? ei scilicet qui primus Caluini ingenium penitus explorauit, & animum hæresi corruptum. Sic vero ad Farellum scribit: *Non tam metuo ingenii (Caluini scilicet) τὴν δεξιοβλωσσίαν, quam benè speres. Id enim vitij aptum est rebus nostris, vt in magnum assertorem nostrorum dogmatum euadat. Non enim facile capi poterit, quin maioribus tricis aduersarios inuoluat.* Epistola hæc penes Ministrum quendam fuit Pictauiensem, Christianum nomine, quam ille compluribus monstrauit, odio atque æmulatione, frequentissimo inter istos homines vitio, adductus. Quin etiam Caluino Epistola illa vt sibi traderetur petenti non modo non annuit, sed plura eius exempla inde descripta aliis communicauit: vnde capitales inter ipsum & Caluinum inimicitiæ exstiterunt. Christianum Caluinus Papam Pictauiensem; Caluinum Christianus Episcopum Vniuersalem & summum Geneuensem Pontificem huius nominis primum per ludibrium appellabat. Ad Caluinum placandum & Christiano reconciliandum Consistorium Pictauiense Alexandrum Gaudionem, Christiani collegam, Geneuam miserat, sed frustra. Neque enim faciles iras gerebat Caluinus. Et quamuis corpore non ita magnus, animo tamẽ vastus ac ferus, non minus quam paruus ille deus Terminus illud, *Cedo Nulli*, præ se ferebat. Launaius certe qui & ipse ex eorum fuit numero, scribit, insitum veluti esse huic hominũ generi siue sectæ, vt nemini iniuriam condonent: adeoque fieri non posse vt qui tali ingenio non sit, diu Ministerio esse possit. Christianus ergo, quo pacem à Caluino redimeret, in Normaniam secedere fuit coactus: parumq; abfuit, quin Ministerio plane se abdicauerit: sed mortuo Caluino, Pictauium ad pristinum munus fuit reuersus.

VI. Caluinus quamdiu Engolismæ commoratus est, Catholicum se simulauit sacris etiam, sed quã fieri potuit rarissime interfuit, quin etiam à Collegio ad recitandas preces Latinas lectus fuit: quod munus semel atque iterum in æde D. Petri obi-

a *VVestph. in Apol. Conf. Cal. pag.* 438. b *Calu. in Ioel. Zach.* 11. *Ioan.* 11. *Ad Gal.* 4. *&* 13. *Amos.* 5. *Inst. lib.* 4. *c.* 1. §. 3. *& cap.* 13. §. 20.

obiuit. Ab omni certè, quàmdiu Engolismæ fuit, quæ Catholicæ contraria esset, religionis exercitio, precibus ac concionibus abstinuit: illud solum in omni sermone quem cum tribus illis (de quibus supra) Ecclesiasticis habebat, professus, se veritatem indagare velle. Tilius haustis animo Caluini opinionibus, miro desiderio eos videndi incensus qui Catholicæ Ecclesiæ bellum indixerant, Geneuam primum, inde in Germaniam profectus, assumto Comite Caluino. Id ægerrimè ferens Tilij frater Curiæ Parisiensis Protonotarius, fratrem sequutus, breui in Galliam reduxit, relicto in Germania Caluino, qui postmodum Rufo, de quo supra, in familiam se dedit: in cuius comitatu plerosque Catholicæ fidei aduersariorum antesignanos visitauit atque alloquutus est. Memorabile est quod quum Caluinus a Bucero ad Erasmum tergiuersantem adhuc, nec hæreticorum libidini obsequentem, adductus esset, isque de intricatis aliquot religionis capitibus sermonem cum ipso contulisset, ad Bucerum conuersa oratione Caluinum demonstrans dixisse fertur: *Video magnam pestem oriri in Ecclesia contra Ecclesiam.* Simile quid de Berengario primo Sacramentariorum auctore historiæ testantur, nimirum quum is in Fulberti Carnutensis Episcopi in lecto decumbentis cubiculum ingressus esset, sanctum virum à circumstantibus quæsijsse, Quid is esset hominis, cui diabolum auribus nescio quid insufflantem viderat. Tilius porro tam in patriam quã ad meliorem mentem reuersus, Caluini doctrinam repudiauit, & ab ea semper postea abhorruit. Caluinus e contra ægrè ferens primo hoc veluti trophæo se defraudarum, Tilium quibus poterat modis suggillabat. turpiter eum defecisse, & ad Papistas se recepisse, in Præfatione Commentariorum super Psalmos scribens, nec vmquam deinde eius memoriam nisi per conuicium & probrum vsurpans. Tilius interim, contemtis his latratibus, publice facta, vt diximus, Lutheranismi (neque enim tum Caluinismus adhuc notus erat) abiuratione, Archidiaconus electus est: (de qua dignitate cum Renaudio, in Gallicis historijs ob proditionem ac rebellionem, cuius signum ijs temporibus primus populariibus suis extulit, noso, longa ei lis fuit) & quantum antea in promouenda, tantum deinceps in impedienda ac retundenda noua religione diligentiæ adhibuit.

QUIBUS MODIS CALVINUS DOctrinam suam propagare cœperit: & quibus Apostolis (scilicet) ad hoc vsus sit.

CAPVT X.

ARGUMENTUM.

I. *Caluinus apud Pictauos merces suas exponere incipit.*
II. *Prima eius dogmata siue propositiones.*
III. *Primum Caluinisticum Pictauij in horto quodam celebratum Consilium.*
IV. *Primi Caluini Apostoli.*
V. *Iuuentus scholastica à Caluinistis seducta.*
VI. *Mos omnium hæreticorum in sacerdotum vitia invehendi.*

I. CALVINUS in Galliam reuersus, Pictauium concessit, & in doctorum hominum, quibus antea ex aliorum sermonibus notus erat, familiaritatem facile se insinuauit. Tam scientia enim siue doctrina quam virtus facile amatores inuenit: & excellentia, siue ad bonũ siue ad malum, ingenia, vt Philo ait, diu latere non possunt. Nec vllum commercij genus est, quo homines etiam maxime inter se peregrini, atque adeo absẽtes facilius colligantur, quam doctrinæ ac literarum. Harum comendatione Caluinus breui multorum sibi amicitiam adiunxit; & inter alios Fiãcisci Fonqueri, Prioris Monasterij Mousterienſis, qui & hospitium ipsi præbuit: necnon Caroli Lesagi, Scholæ apud Pictauienses Rectoris in eodem quo Caluinus oppido nati, magnæ existimationis viri, præsertim apud regis matrẽ, regni tum gubernatricem: quæ & ipsa parum abfuit, quin fuerit seducta. Caluinus interim contracta cum doctis illorum locorum viris familiaritate ita vtebatur, vt frequentem quidem faceret religionis mentionẽ, sed obscuram admodum & magis ad tentandum quam ad docendum. Tandem vero nonnullis secreta suæ religionis, & quid ipse de Lutheri, Melanchthonis, & Zuinglij, quasi triumvirũm opinionibus sentiret, aperuit. & in loca quam maxime potuit secreta abductis, scripta sua & precandi formulas à se conceptas ostendit, & in genua pro-

volutus ad communes secũ preces inuitauit: quas magna vehementia & devotione, vt videbatur, recitabat. Quia vero facile intelligebat ad institutum suum perficiendum non tantum hominum de schola operã, sed etiam magnorũ & in Reipublicæ administratione constitutorum auctoritatem requiri: primam machinam Renerio Episcopalis sedis Vicario generali admouendam statuit.

II. Quum ergo apud hunc die quodam vnà cùm alijs litteratis hominibus in horto diuersaretur, & religionis, ac Lutheri & Zuinglij opinionũ iniecta esset mentio (neque enim tum doctis tantum, sed etiam indoctis, & sæpius quidem inter pocula de religioni disputare solenne erat) Caluinus bene ad hanc rem præparatus, præcipua religionis capita explicare aggressus, tandem sermonẽ suũ omnem in disputatione de Missæ sacrificio cõsumsit. Inter alia querebatur, Lutherum plagam hanc, quam incrustare potius quam sanare conatus sit, è mala fere peiorem fecisse. Et non aliter quam ijs qui per noctis vmbras iter faciunt, velut scintillam tantum exiguam apparuisse, ac viam leuiter tantum & perfunctorie commonstrasse. Inde factum, vt multos Papatus errores ferendo fouerit. Atqui remedijs multo asperioribus & cauterijs opus esse: & Romanæ Ecclesiæ idololatriam (sic diuina appellabat officia) vno impetu esse prosternendam atque euertendam, & pristinæ integritati (suas imaginationes intelligens) omnia restituenda. Ante omnia vero tã Pontificia quam Lutherana profligata Missa, Cœnam Domini eiusque ritus ad pristinæ formæ amussim exigendos esse. Barbarum quippe esse & impium, Christum è cœlo detrahere, & ligatum quasi & compeditum per Sacramentum hoc traducere, ac tandem manducare. Talem quippe manducationem spiritualem non esse, nec per Fidem fieri. Quod cè dicebat, vt inter Lutherum & Zuinglium mediam quandam viam ingrederetur, nec corporis realitatem omnino tollere videretur. Atqui si corporalitas à corpore tollatur, vbi, quæso, realitas illa permanebit? Sit quomodo realitas illa subsistere poterit, quum Caluinus dicat, Christum secundum humanam suam naturam in cœlo manere: panem vero & vinum nihil aliud esse quam arrham & sigillum, quo omnia à Christo nobis promissa confirmentur? Quamuis autem Caluinus primum se huius doctrinæ de vero Cœnæ Dominicæ intellectu, & vera Christi præsentia, auctorem iactet: certum tamen est hæresin hãc è Vviclephi schola & libris eum hausisse; de quo supra satis multa diximus: vti etiam ex ijs colligi potest quæ in Actis Concilij Constantiensis & apud Prisbramum, qui Vviclephianam eiectauit hæresin, leguntur. Discipuli deinde aliquot Caluinialium carnis Christi per fidem manducandæ modũ commenti sunt, contra magistri auctoritatem negantes materialis carnis communionem per S. Spiritus irradiationem animæ impertiri posse, & similitudinem à Sole, qua Caluinus vtitur, irridentes. In vniuersum docent, realem Iesu Christi substantiam, non vero corporalem, animæ infundi & communicari. Quis autem non videt inuisibilem hanc substantiam Platonicarum idearum similem esse? Alij nouam nescio quam transsubstantiationẽ confingunt, sic vt substantiæ panis, substantia corporis Iesu Christi adiungatur: quæ tamen iam non Transsubstantiatio, sed Vltra aut Cõsubstantiatio dicenda erit. Et hi à Lutheranorum opinione non multum absunt. Alij explosa Transsubstantiatione, nescio quam nouam, & non minus re quam nomine agrestem & absurdam Transconditionationem admittunt. Ipse certè Caluinus, de Sacramento hoc loquens, vocibus his, irradiatione, traiectione, defluxu, destillatione, inspiratione, &c. frequenter vtitur: eiusmodi multæ aliæ phrases apud eundem & alios occurrunt. Alij concedunt animam & corpus nostrum corpore Iesu Christi nutriri: non quod corpus ipsum reuera manducaretur, sed per fidem & imputationẽ. Alij manducationem non necessariam esse aiunt; & manducare nihil aliud esse quam credere. Sunt etiam qui dicant, etiam si spiritu & virtute carnis Iesu Christi participemus, non tamen ipsa participare carne. Omnibus fere idem accidit, quod ijs qui nouos fontes fodere cupiunt. Vt enim hi effossa altius aliquanto terra, iam hic, mox alibi ebullientis aquæ scaturiginem deprehendunt, quæ arenam modo in hanc modo in illam partem cispellat; sic quanto altiùs Sacramentarij cloacam hanc suam fodere conati sunt, tanto plures ac fœdiores opiniones erupisse videmus.

In horto primi nostri parentes decepti fuerunt. In horto etiam pauci hi, quos prius diximus, à Caluino sunt seducti. Etsi enim Caluinus nequaquam ea dicendi qua scribendi gratia ac vi polluerit, tãta tamen in dicendo vehementia vtebatur, vt auditoribus non morosissimis facile quæ vellet persuaderet, in horto illo, inquam, primum Caluinisticum celebratum fuit Concilium, quod Gallicæ postea tanto constitit. Et interfuerunt Antonius Duguius

Duguius Professor Academicus, Philippus Veronius Episcopalis sedis procurator, Albertus Babinotus, & Ioannes Vernonius, Pictauienses. Præcipua vero tum Caluino, vt diximus, disputatio fuit de reali præsentia corporis Christi in Sacramento. Hic enim lapis ille est offendiculi, ab ipso tam ad Catholicos quam Lutheranos supplantandos obiectus. Tãtopere vero disputatio eius præsentibus placuit, vt ea quæ dixisset, scripto consignata sibi tradi petierint. Quod ille non grauate fecit. Post hæc pauci illi in locis secretis & speluncis, & per pagos etiam & villas frequenter conuenerunt: quibus mox accessit Ioannes de Boisseau Borderius, causarum patronus; & alius quidam Vortumianus appellatus. Tandem etiam Carolus Lesagus sectæ huic nomen dedit. Ex his tamen Borderius, homo valde doctus, XL annis post Caluinismo repudiato, in Catholica religione vitam clausit, quum LXXX ætatis annum pæne attigisset. In locis illis secretis prima Caluinistica Cœna celebrata fuit, quam Manducationem postea appellarunt, vt sequenti libro ostendã. Exhortatione prius à Caluino facta (sic enim conciones suas initio nominabant) & implorato diuini Spiritus auxilio, vt gratiam suam super paruum illum gregem in nomine ipsius congregatum effunderet. Deinde lecto è S. Scriptura capite aliquo, non ipse solum ambigua explicabat, vel potius magis inuoluebat: sed aliorum etiam sententias, tamquam in priuata disputatione exquirebat. Et hæc quidem sacra ista celebrandi forma aliquam diu postea in vsu fuit.

IV. Caluinus interim ferrum sibi in igne esse intelligens conatus suos omni arte promouere satagebat. Quid multis? Tribus tandem è secretiori hoc conuenticulo persuasit, vt doctrinam hãc nouam per Frãciam, apud eos præsertim qui aliquem Lutheranismi gustum haberent, disseminandi, & vti iactabant, miserè deceptis Papistis oculos aperiendi prouinciam susceperint. Hoc enim nomine eos vocabant qui antiquam, & per manus ab Apostolis eorumque successoribus traditam Fidem sequuntur. Consilio ergo habito decretum fuit, vt Vernouius Pictauij & in vicino agro animas lucrifacerent, vel perderet potius: dum reliqui in longinquioribus locis venantur. Ad sumptus vero eam in rem modicum pecuniæ collectum fuit. Duo illi vt securitati suæ consulerent, noua sibi nomina (vti mos ferè est sectarijs) sumserunt. Eorum vnus *Le bon homme*, id est, Bonus vir, alter *Ramasseur*, id est, dispersi gregis recollector dici voluit. Et ille quidem passim oberrans, in cõuenticulis tam preces, quam Manducationem ad nouam illam formam, quæ à viro illo Dei, vti iactabat, tradita erat, celebrabat. Et quia hic antea in Pictauiensi Academia Institutiones in Ministraria (sic tum Iuris illud Auditorium vocabatur) prælegerat, Caluinus & alij vix eum alio quam Ministri nomine appellabant: ex quo factum puto, vt Caluinianæ sectæ disseminatores & nouæ doctrinæ Prædicatores, Ministri dici cœperint, & adhuc dicantur. Sed hac de re alibi latius. Recollector ille viginti fere annos in colligendis, vel vt verius dicam, dispergendis Christi ouibus consumsit: & quamuis homo esset pæne illiteratus, atque ineptus, quoties tamen in Ecclesiasticos inuehebatur, tamquam Pericles aliquis tonare & fulgurare videbatur. Caluinum in omni sermone iactabat, & scripta quædam eius nõ secus ac Sibyllinos libros ostentabat. Hi tres, vt Victor Caierus inquit, Caluini mandatorum fuere exsequutores, Galliæ perturbatores, & primi schismatis auctores. Ecce tibi eorum maiores, qui Mũdi Reformatores audire volunt. Quid agitis miseri Thersitæ atque Iri? An Aiacis & Achillis similes esse vultis? Quid vos, qui heri atque hodie tam quã fungi nati estis, genealogiam vestram ex alto repetitis, & ad ipsos Apostolos refertis? Sed recte habet. Infamis vestræ originis testem victorem Caierũ habemus, eum qui celebris olim inter vos concionator fuit, quem vestrũ olim tantis ornastis laudibus, nunc nostrũ omnibus modis infamare conamini. illum, inquam, qui nouit quinam vos sitis, & vnde sitis, cui denique vestra omnia satis superque nota sunt atque explorata. Scio equidem quid vobis doleat: nempe hunc exquisitæ eruditionis hominem totum in eo esse, vt quæ tam exemplo quã doctrina olim destruxit, nunc restauret. Hic de Recollectore hoc vestro loquens, ait, eum pagos & villas per Pictonas, Santonas & Engolismensem agrum obijsse, nec quidquam intentatum reliquisse. At Bonus ille vir, de Caluini Consilio, in Tolosana vrbe latibulum sibi quæsiuit, non ignarus eò ad capiendum ingenij cultum à Nobilitate liberos magno numero mitti. In hac certe Vniuersitate ab ijs qui emergere cupiunt, prima fere dignitatum fundamenta iaciuntur.

V. Vernouius, quia notior erat quam vt diu latere posset, Pictauij mansit, vt inter Academicam iuuentutem, ad credendum natura facilem, & no-

natum rerum cupidam, doctrinæ suæ zizania disseminaret. Tam hic vero quam reliqui illud inprimis agebant, vt Professores & Rectores iuuentutis ad suas partes adiungerent; nō ignari, quemadmodum prostrato imperatore facilis plerumq; est victoria; sic his veluti iuuentutis deuictis ducibus, facile gregarios illos milites ductū illorum & auspicia sequi solitos, manus quoque præbituros. Et quidem ille quem Boni viri nomē assumsisse diximus, Aginni, quod oppidum prima mihi cunabula præbuit, Rectorem quendā scholasticæ iuuentutis Sarrasinum nomine, suarum partium obtrusit, qui primus Caluinismum ibi, licet tecte, docuit. Ei mox succenturiatus fuit eiusdem conditionis homo, Vindocinus nomine: qui primus in prædicto oppido ob hæresin vltricibus flammis vstulatus fuit. Mox huc illuc alij circummissi sunt, in Aquitania præsertim, Andreas Melanchthon Germanus Toninium; Andreas Caruinus Atrebatensis Villam nouam, sub scholastici magistri habitu theologi seu Ministri munus exercens: Andreas de la Voye Picardus ad fanum S. Fidei; alij alio. Possem equidem plurium eiusmodi hominum nomina hoc loco citare; sed duos illos commemorasse mihi sufficit, vt tam Caluini quam ab ipso missorū Apostolorum fraus & astutia, tanto melius appareat, vt qui hac potissimum ratione, corruptis nimirum præceptoribus, pernicioſæ suæ doctrinæ virus scholasticæ iuuentuti instillare sategerunt, Memini Burdigalæ ex horum numero, sed inferioris subsellii Pædagogum aliquem, Valesium nomine, consuetudinem illam qua initio lectionis cruce se quisq; signare solebat, tamquam ineptam & simiis potius conuenientem irrisisse; deinde priuatim capita quædam nouæ religionis, veluti per ludum & iocum inculcasse. Qua arte quid mirum si animos nostros adhuc tenellos facile subegerit? nam

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.

Quemadmodum videmus, ea quæ prima animis pueritiæ impressa sunt, difficilime vbi vel paullulum radices egerint, euelli. Vt enim oculi maligni vel aspectus quoque ad ipsum infantium cor facile penetrat, eique virus quodammodo affundit; sic teneri iuuentutis animi hæreseos aconito facile intoxicantur, nisi bonis remedijs præseruatiuis, vt vocant, & inprimis impenetrabili illo quem Polybius Cordis custodem appellat, lapide muniti sint. Et hoc quidem modo, vt ad propositum redeam, à Caluino missi Mercurij in duabus illis Academijs, Tolosana scilicet & Pictauiensi, plurimum damni dederunt. Quid vero hoc mirum in iuuenibus, quibus sanguis calet, & animus futuri improuidus & periculi securus, cæca tam nouarum rerum quam falsæ libertatis cupiditate flagrat? Quid gratius his prædicari poterat, quamà carnium esu etiam diebus vetitis non abstinendū, non ieiunandum, non peccatorum exomologesin apud sacerdotem esse faciendam? Et alioqui ita cōparatum est, vt noua etiam quæcumq; magis placeant quam vsitata. Quocirca minus miror, non paucos noua hæc dogmata ita mordicus fuisse amplexos, vt etiam imberbes fere adhuc tam corporis quam animæ iacturam facere maluerint quam hæresi renunciare. Adeo scilicet peruersus ille spiritus animos illos teneros fascinauerat. Et hi quidem, vt est ætas illa, vbi semel frænos ruperit, ad quidvis audendū proiecta, primi famosos contra Ecclesiam libellos templorum valuis affixerunt, fores effregerunt, statuas deiecerunt, baptisteria fœdissime conspurcarunt, mille denique insolentias; noctu præsertim, vel sacrilegia potius, commiserunt. Crescente indies furiosorum hominum numero conuentus haberi publice cœpit, & Ministri quidam electi sunt, qui verbum Dei, quod nūquam didicerant, docerent. Decretum etiam, ne cui scholarium, qui Veritatis cognitionem haberet (huius enim prætextu tamquam clypeo vtebātur) sine Ministrorum licentia domum discedere liceret, vt ipsorum testantur Historiæ. Discedentes vero ab ijsdem copiose instruebantur, quomodo domi & alibi passim se gerere, & quas diuini verbi amplificandi rationes inire deberent.

Ne vero necessaria ad hanc rem deessent subsidia, multis libellis partim contra Ecclesiasticos diffamatorijs, partim formulas quasdam precandi & nouæ fidei capita continentibus, emissarij illi instructi fuerunt. Francisci I. enim & Henrici II. temporibus libelli illi Catechistici, qui postea regnante Francisco II. tanto numero in publicum euolarunt, clanculum tantum circumferebantur. Dici vero vix potest, quam late pestis hæc inter Gallicam iuuentutem per totum ferè regnum breui tempore proserpserit, alijs alios inficientibus, dum quisque nouæ illius religionis secreta expiscari conatur. Videre erat passim textores, sutores, sartores, fullones, institores, vel clam vel palam etiam

etiam ad populum è verbo Dei, vti iactabant, declamantes, & nouas fundantes Ecclesias. Constat certe, Anno M. D. XL. in omni horum numero vix quemquam litteratum fuisse. Satis illis erat, si nouum Testamentum vulgari lingua legere, & ineptis quibusdam ratiunculis Catholicorum dogmata impugnare & in dubium reuocare, omnia deniq; suo more explicare possent. Ecce ex quam tenuibus initijs ad tantam magnitudinem progressa sit hæresis! Et quamvis istorum hominum quibus contra Catholicam fidem vtebantur, leuia admodum essent & futilia argumenta, eadem tamen ad multorum implicandas conscientias nimis magnam vim habuerunt, eorum præsertim, quibus melior deinde institutio non obtigisset.

DE IMAGINVM VSV, OB QVEM multi Catholicam religionem repudiarunt.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

I. *Imaginum seu statuarum vsus in Ecclesia, Caluinistis præcipuus rebellionis prætextus.*
II. *Vox Imago male pro Idolo sumitur.*
III. *Dei præceptum de Idolis quomodo intelligendum.*
IV. *In Deum nulla cadit contrarietas aut repugnantia.*
V. *Imagines apud Christianos in honorem Dei erecta.*
VI. *Ad quid conducant.*
VII. *Caluinista Dei confracta imagine, diaboli integram relinquunt.*
VIII. *Quomodo Catholici Sanctorum imaginibus vtantur.*

I. VNA ex præcipuis caussis, ob quas multi ex clarissima Ecclesiæ luce in spissas hæreseos & errorum tenebras præcipitarunt, illa erat, quod dicerent, honorem vni Deo debitum, à Catholicis imaginibus tribui. Quum enim in Biblijs legissent illud, *Nefacias tibi imaginem*, &c. (quod tam ineptè versum quam male intellectum est) statim Catholicos velut idololatras condemnabant, Ecclesiam idololatriæ synagogam appellantes, vt in qua dij lignei & lapidei adorarentur: quam rem infamiæ plenam & Deus ipse summe oderit, & omnes veri Christiani semper vehementer sint detestati. Quare illo præcepto, *Nefacias tibi imaginem*, &c. auditorum aures in omni fere sermone obuerberabant, atque eo vno Catholicos nihilo paganis & idololatris meliores esse, conuinci posse asserebant: quos tamen non Catholicos, sed Papistas appellabant, nouo quidem nomine, sed cuius pudere neminem debeat; quum nihil aliud eo significetur, quam Catholicos spirituales esse infantes Sanctissimi Domini nostri Papæ, Dei in terris Vicarij.

II. Noui illi Bibliorum traductores atque interpretes, vel corruptores potius, vt in plerisque alijs locis libidini suæ contra conscientiam nimis indulserunt; ita tam in capite IV. Deuteronomij quã alibi voci *Idolũ*, *imaginis* nomen substituerunt; quasi nescientes scilicet, Imaginem genus esse, vt Dialectici vocant, Idolum speciem; speciem vero sub genere, non autem genus sub specie comprehendi. Quid, quod in Gallica etiam lingua vox Idolum semper in malam partem sumitur, non ita Imago? Nam & Iesus Christus Dei Imago; & homo quantumuis vilis & abiecta creatura ad Dei Imaginem conditus dicitur. Imaginum vsus est, vt & templis ornamento sint, & ijs quorum res gestas & victorias repræsentant. Idola vero ideo etiguntur, vt animos hominum ad sacrilegum falsorum deorum cultum abducant. Quin etiam Idolum, vt D. Paulus testatur, nihil est, quia rem scilicet quæ non est repræsentat. Etiam pueris in schola notum est, Imaginem semper ad aliquid referri; idolum vero ad nihil aliud quam ad seipsum. Eustathius in XI. Odysseæ, Idolum esse ait velut vmbram quandam, aut mente conceptum phantasma, quod veri nihil in se habet. Et hinc illorum quos pagani adorarunt deastrorum statuæ, Idola appellatæ sunt: quæ licet materia & certa forma constent, nihil tamen quod in rerum sit natura, sed vanum tantum, & id quod numquam Deus fuit, immo ne id quidem quod illis adumbratur, repræsentant.

III. Præceptum vero de Idolis non faciendis aut colendis, quod à Deo populo recens ex Ægypto educto datum fuit, de illis tantum quæ Ægyptii adorabant, idolis intelligendum est. Quia enim verendum erat, ne populus diuinitus electus, ex longa Ægyptiorum consuetudine & cohabitatione contagionis aliquid traxisset, eoque facile ad falsos Deos colendos abduci posset; impietati huic non sine grauissima caussa per præceptum hoc occurrere voluit. Sed age. Aut Deus hoc mandato omnes imagines prohibuit, aut aliquas tantum, eas

nimirum quæ diuinæ gloriæ derogant. Alterutrum horum aduersarij concedant oportet. Atqui primum verum esse non potest quum Deus sibi ipse non repugnet, nec contraria præcipiat. Quomodo vero Deum repugnantiæ & iniustitiæ nota liberabimus, si eos tamquam idololatras ab ipso puniendos fore dicamus, qui exemplum ipsius sequuntur & imitantur? Numquid enim Deus, etiam post latum decalogum, Cherubinos humana facie in templo suo collocari, æreum serpentem in ligno ad crucis formam erigi, aliaque opera quorum vsus in templo & ad sacra futurus erat, boum, leonum, &c. specie fieri voluit? Circumfer oculos per totum illud stupendi operis Salomonis templum. Vbique imagines sculptæ occurrent: vt caput VI. lib. III. Regum legenti facile apparebit.

IV. Lubenter vero fatemur & credimus, Deum nequaquam sibi posse repugnare, vt qui semper idem sit sibique similis. Hinc Plato non immerito Poëtas & fabularum auctores è Republica sua exterminauit, quod in theatris deos sibi ipsis repugnantes, & modo in hanc modo illam formam mutatos producerent. Iouem illum mihi quis videat; modo in aureum imbrem, modo in cygnum, modo in aquilam mutatum. Tum Protea illum Virgilianum, de quo ille:

Tum varia illudent species, atq; ora ferarum.
Fiet enim subito sus horridus, atra q; tigris
Squamosiq; draco, & fulua ceruice Leæna.

Ex quibus sane patet, Deum omnem imaginum vsum nequaquam prohibere voluisse: vt quibus ipse in templo suo locum esse voluerit, tum vt ornamentum ei aliquod afferrent, tum vt mysticæ significationi atque instructioni inseruirent. Quid? quod magnus ille Propheta Daniel Deum patrem, antiquum illum dierum, omnibus fere lineamentis & coloribus nobis depingat? quamuis idem non ignorauerit, Deum incorporalem esse, immaterialem, inuisibilem, neque vlla figura posse exprimi. Et profectò frustra omnis humana industria penicillo aut quocumque alio modo Dei nobis effigiem elaboratura erat, nisi vir ille diuinis sic depictam nobis exhibuisset. Quare credendum est, illas tantum Imagines diuino mandato prohiberi, quibus alius quam verus deus adorandus repræsentatur, aut alius falsorum Deorum cultus introducitur; quales illa idola fuerunt, quæ Ægyptii adorarunt, itemque vitulus ille aureus à populo Israelitico conflatus, Draco ille Babylonius, & infinita alia apud alias gentes. Et hoc quidem modo ipsi Iudæorum Rabini, vt apud Aben Esram in Decalogum videre est, præceptum hoc interpretantur.

Nihil horum simile imagines Christianorum habent: quæ non modo non contra Deum, sed in eum solum finem erectæ sunt, vt hominum mentes ad Deum erigantur. Ipse Saluator noster Iesus Christus faciei suæ effigiem nobis reliquit, vt eius humanitatis contemplatione tamquam per scalam Iacob, & præcipuum nostræ salutis organum, ad cœlos euecti, plenam Dei notitiam assequeremur. O verè diuinam effigiem, longe alia quam Zeuxis aut Apellis manu efformatam! O cœlestem tabulam: in qua diuinæ illius faciei radij nullo alio quam ipsius Dei penicillo expressi sunt.

Quis magnum illum Leonem, tantæ sanctitatis virum mentiri voluisse dicat, quando ait, vidisse se illam imaginem, & omnino talem visam, quæ humana manu fieri non potuerit? Quid? annon liceat nobis habere siue scriptas, siue pictas, siue sculptas hominum, vel etiam cœlestium naturarum effigies: quum intellectus noster tam imbecillis sit, vt nihil nisi phantasia mediante apprehendere possit; hæc vero per ideas & obiectas imagines moueri necesse habeat? Et quis ille est tam diuinæ mentis, qui sine his vel vt imaginum alis ad cœlestium rerum contemplationem euolare possit? quò etiam si peruenerit, facile tamen inde abstrahetur, nisi ab externis istis rebus subsidium petat: vt D. Paulus docet. Quin rationem nullam video, quin ijs imaginibus quæ tam Maiestatem quam amorem diuini numinis eiusque ministrorum nobis repræsentant, eundem ad minimum honorem eandemque reuerentiam tribuere debeamus, quæ Regum ac Principum picturis, immo chirothecis & sudarijs tribui solet: quibus à plerisque flexo genu oscula imprimi videmus.

IV. Nec vero obiectis eiusmodi solum homines vulgares, sed docti etiam opus habent: vt quorum animi non minus terrestrium rerum frequenti meditatione & occursu à cœlestium contemplatione abducuntur. Ex obiectæ vero imaginis consideratione animus altius sese ad earum rerum, quæ per illam repræsentantur, contemplationem erigit. Nonne Pythagoras fuit qui dixit, numquam se templa ingressum, deorum contemplatione effigie quia

quin magnam in intellectu & cogitationibus sentiat mutationem? Quod si miser paganus falso hoc obiecto cœlestem quandam eleuationem sensit; quid verum aliquod obiectum apud Christianum non poterit? Ea est naturæ nostræ velut in centro inferiorum creaturarum consistentis imbecillitas, vt tantum spacium quantum est inter res terrestres & cœlestes, inter visibiles & inuisibiles traiicere aut emetiri nō queat, nisi alis quibusdam eleuetur. Quis vero Moyse illo maior erit, qui faciem Dei, magnum illum & immensum tam potentiæ quam gratiæ & misericordiæ solem, recto obtutu aspicere possit? Sed bene habet. Non pauci etiam ex ipsis Ecclesiæ hostibus ab ipsa veritate coacti, fatentur hoc præcepto imaginum vsum non plane prohiberi; sed ita intelligendum esse (vti etiam in Leuitico explicatur) non adorandas esse, id est, ex imagine non esse idolum aut falsum deum faciendum. Bucerus certè post longam de imaginibus disputationem, ea à se scribi inquit, non eum in finem quod putet Christianis omnem imaginum vsum interdictum esse; sed ideo tantum, quod earū vsum cupiat ita temperari, vt nihil diuinæ gloriæ & Ecclesiæ ædificationi derogetur. Idem Spangenbergius in Margarita sua Theologica dicit, idem Vrbanus Regius, idem Petrus Martyr: nec plus vel minus Catholici eadem de re docent. Non ergo illa iam inter nos etiam & schismaticos quæstio est, vtrum imaginum vsus permissus sit, sed tantum quibus modis & ad quid illis vtendum sit. Itaque Lutherani etiam post schisma, imagines in templis retinuerunt, Crucifixi præsertim, vti etiam Angliæ regina, sicut alibi diximus.

VII. In hastamen aliasque Caluinistæ furorem suum passim effuderunt. Scribunt nonnulli, in oppido quodam Occitaniæ Sangillio appellato, Caluinistas, confractis tam Iesu Christi quam aliorum Apostolorum imaginibus, Iudæ Iscariotæ tantum imaginem integram reliquisse. Antuerpiæ Crucifixi confracta imagine, Geusij angeli bono cruciatio adstantis imaginem itidem confregerunt, at diaboli, impij cruciarij animam excipientis, integram reliquerunt. Idem diuersis locis factum, fide digni historici tradunt: semperque diaboli, vel Saluatorem vel Sanctos tentantis, imaginibus parcitum, illorum vastatis atq; abolitis. Londini Hispanus templum ingressus, quum S. Michaelis Archangeli statuam confractam, Sathanæ autem sub pedibus ipsius iacentis adhuc integram vidisset, educto gladio eam punctim ac cæsim impetens, exclamasse fertur: Apage, apage scelestissime, nō plus quam ceteris tibi hic loci erit. Lindanus Episcopus Ruræmundensis testatur, quum reformationis causa diœcesin suam obiret, vidisse se inter alia Geusiaci furoris monumenta, inter plures sanctorum confractas imagines, solius Sathanæ, tamquam virginem tentantis ibi repræsentati, adhuc integram, quam apprehensam in terram proiecerit, inquiens: Et tu hinc eiicieris, infelix Sathan. neque enim fas est vt ibi maneas, vbi satellites tui venerabiles Iesu Christi & sanctorum imagines tanto furore confregerunt.

VIII. Sed, quæso, ô hæretici, ne illud dicite, nos lapides & ligna adorare. Neque enim nos in Crucifixi imagine quidquam aliud adoramus, quam quod per illam nobis repræsentatur. Sed quid? An non ipse S. Augustinus ægrotantibus consulit, vt Crucifixi imaginem prope lectum habeāt? Ne vos in cordis nostri secreta amplius quam fas est inquirite, quasi nostras ante altaria imaginibus ornata genibus infidentium cogitationes, & oculorum ac manuum voces, vt ita dicam, intelligeretis. Nec vero vetularum quarundam aut rusticæ plebis simplicitate amplius abutimini: vt quos ex responsionibus vobis non semel datis, optime nostis non nescire differentiam illam quæ est inter lapidem vel lignum, vel ipsam figuram, & inter id quod per ipsum repræsentatur. Quod si quis tamen sit tam supinus ac crassus qui hac in re errorem committat, is quidem error non Ecclesiæ, sed isti homini imputari debet. Docet enim Ecclesia, vnum solum Deum adorandum esse, imaginibus vero honorem habendum esse ob id quod repræsentant. Sed mittamus ista, de quibus pius ille & doctus vir Ludouicus Richeomus abunde scripsit. Sed quid ô suaues homines? Numquid vos ipsi idololatræ estis, qui Lutheri, Caluini & aliorum imagines in tanta habetis veneratione? Huius quidem imaginem in intimis feminarum etiam, in Gallia cubiculis diligenter videas & honorifice asseruari; illius vero in Germania non pictura modo expressam, sed tapetibus etiam intextam in fenestris, parietibus & atrijs passim, & etiam ipsis librorum operimentis, Crucifixi loco impressam. At inquiunt, se imagines eiusmodi animi tantum causa habere. Sed ô Deum immortalem! An Bezæ curæ fuit, excucullatorum monachorum ac sacrilegorum hominum, etiam collegarum suorum iconas in æs incidi, & cum vanissimorum

elogiorum lenocinio populo venditari: & ex primis illis Christianis nemini curæ fuisse putatis, vt diuina illa & cœlestis tam Iesu Christi quam matris ipsius, vti & Apostolorum effigies posteris traderentur? An feminam illam, à sanguinis fluxu per Christum sanatam, idololatriæ insimulabitis, quod ipsius effigiem in ære exprimi curauerit, quam à se visam Eusebius testatur? An rex ille Edessenus superstitiosus fuit, qui Iesu Christi effigiem tanto studio desiderauit? Sed quid de supina illius vel asinina potius dicam ignorantia, qui scribere ausus est, primis quinque sæculis imaginum vsum Ecclesiæ fuisse ignotum? cuius vanitatem & mendacium historiæ eorum temporum satis superque ostendunt. Fateantur ergo, quod omnino fatendum est, imaginum vsu intelligentiam, memoriam, & voluntatem, quæ tres sunt rationalis animæ potentiæ, mirifice adiuuari. Per repræsentationem namque illam res ab Saluatore nostro & Sanctis glorioſe gestæ, Intellectui velut ob oculos ponuntur; ex quo deinde summa Dei in nos beneficia Memoriæ occurrunt ac tenacius infiguntur; quorum denique recordatione, & sanctorum quorum effigies aspicimus, exemplo Voluntas nostra ad Dei amorem acrius incenditur atque inflammatur.

DE LIBERTATE VEL LICENTIA omnium hæreseon fenestra.

CAPVT XIII.

ARGUMENTUM.

I. *Galli in eo Troianis similes, quod nimis facilè crediderunt.*
II. *Libertas hæreseos ianua.*
III. *Cur dies festi à Caluinistis explosi.*
IV. *Ecclesiasticorum vita & ignorantia pleraque mala nobis pepererunt.*
V. *Qua hæretici suis conatibus artificiosè prætexere norunt.*
VI. *Religio suis ipsius stat inconcussa viribus.*

I. QUOTIESCUNQUE miserum Galliæ nostræ quæ tam facile hæresibus aditum præbuit, statum considero (considero autem ferè quotidiè) totiès miserabiles illos Troianos mihi videre videor, ligneum illum equum suis infortunatis manibus incredibili studio in vrbe attrahentes; è cuius deinde vtero homines armati noctu prodeuntes, plerisque ciuibus oppressis & occisis, vrbē nullo negocio ceperunt. Et quemadmodum Troiani quum portæ angustiores essent, quā vt magna illa moles per eas introduci posset, suis ipsorum manibus partem muri diruerunt, & per ruinas equum illum fatalem induxerunt: eodem modo complures Catholici, postquam aliquamdiu nouæ illi & monstrosæ sectæ restitissent, tandē eam totis pectoribus acceperunt. Mirabile hæreseos venenum est, non per oculos modo, os, & nares, sed velut apertis omnibus poris, per totum corpus in animum se insinuat. Ah miseri Troiani! Ah Catholici! Quid vos Sinoni fiditis? quid vos Caluini vocem auditis? Merito vobis, ô Troiani Græcorū; merito vobis, ô Catholici, hæreticorum munera suspecta esse debent. An opus illud Duratæum ad Mineruæ honorem factum putatis? An à Caluino Dei honorem quæri putatis? An æquum est fictis potius Caluini, velut alterius Sinonis lachrymis, quam fidelissimis Laocoontis, id est, legitimorum Pastorum monitis moueri? Cur non, vt ille Durateo fæto armis equo, sic vos illis hæreticorū fraude plenis machinis rationis lanceam intorsistis? Numquid non iam olim astutissimas veteris illius Vlyssis artes experti estis? Vos quidem ô Troiani, merito puniti estis, qui regis vestri filiam Cassandrā vaticinandi munere ab Apolline donatam, audire noluistis. Sed & vestra pæna ista est, ô Christiani, qui à vera illa virgine, regis regum filia, illibata Christi sponsa, cui soli ille verum à falso, lumen à tenebris, & bonum à malo distinguendi gratiam contulit, aures animosque auertistis, & hæreticorū sermonibus auscultastis. Quam multi, namq; inter vos, quum vt Vlysses, aures cera obturare, aut velut Xenocrates suasit, ferreis inauribus inducere oportebat, ne harū Sirenum non cantus, sed incantationes audiretis, easdē non modo apertas ipsis præbuistis, verum etiā vltro easdem tamquā amabilissimas nymphas amplexati estis, nihil loca tot animarū naufragijs infamia metuentes.

II. Ex omnibus vero nouæ religionis illecebris, quibus homines tanquam pisces hamo capere hæretici solent, nihil gratius aut iucundius animis est quam libertas illa siue licentia, quam iuuentuti præsertim illi ostendunt. Apud hos guloſus egregios causſæ suæ invenit patronos. Cur quæso, inquiunt, patiamur certis diebus à Romana

mana Ecclesia carnis vsum nobis interdici? Annon hoc verbo Dei, præsertim ei loco qui est apud D. Matthæum cap. XV. aperte repugnat? Numquid hoc illud est quod Apostolus prædixit, venturos extremis temporibus seductores, qui præcepturi sint abstinentiam à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, simulque nubere prohibituri? Et hunc quidem locum homo simplex ac rudis mihi obiecit; fassus inter alias hanc non postremam fuisse causam, cur à Romana Ecclesia discedendum sibi existimarit. Sed ô misere decepti homines! quorum oculi tam viui luminis radios ferre non possunt, nec erroris sui fundum perspicere. Atqui generosæ aquilæ, quarum obtutus solis huius claritate nihil hebetatur, facile vident, ista contra hæreticos quosdam dicta esse, qui cibos omnino, tamquam natura sua malos atque immundos damnarunt: quales olim fuerunt Manichæi & Priscilianistæ, qui carnium vsum omni tempore suis prohibuerunt. At Catholicæ Ecclesiæ hæc non est sententia, quæ peccatum carnibus nequaquam alligat (alias enim earum vsus omnino & semper malus esset) sed certis tantum diebus, ob mysteriorũ quæ in ijs acciderunt reuerentiam, à carnium esu abstinere præcipit: vbi peccatum non in ipso cibo est, sed in præceptorũ Ecclesiæ contemtu: quemadmodũ in paradiso quoq; olim mors non à fructu ligni vitæ, sed à primorum parentũ inobedientia profecta est. Imitatur nimirũ sapientissima mater Ecclesia bonos medicos, qui ægris nonnunquam & certis cibis & vini vsu interdicunt, ad recuperandã facilius sanitatem. Quis tamen medico exprobret, cibos & vinũ ab ipso reprobari? Id scilicet vnum spectat Ecclesia, vt spiritum nostrum præparet ac viuificet, carnis vero stimulos retundat; vtque contemtis rebus terrestribus, ad cœlestia sine vllo impedimento adspiremus. S. Bernardus ex regulæ suæ præscripto à carnium esu semper abstinuit, non, vt ipse inquit, ex superstitione quadam, sed vt carnem suam mortificaret. Carnem enim nutrire, est carnis vitia simul nutrire.

III. Quemadmodum vero noui isti Apostoli illud, *Ne facias tibi sculptile, &c.* semper in ore habent; sic etiam non minus frequenter auditoribus suis illud, *Sex diebus operaberis, &c.* inculcant: atque sumpta inde occasione, dies festos, ab Ecclesia institutos damnant, non sine vulgi applausu, quod plus in labore suo & industria quam in Dei prouidentia fiduciæ habeat, ij præsertim qui quotidianis laboribus victum quærunt, & de die in diem viuunt. Dies festos etiam aiunt Paganismum redolere, Non esse à Deo ordinatos, sed meram esse superstitionem, qua Deus vehementer offendatur. Spectandam potius esse Creatoris legem, qui septimam diem sanctitati ac quieti consecrarit. Idem olim Catholicis à Manichæis obiectum fuisse, apud Sanctum Augustinum videre est. Faremur sane, Deum nobis permisisse ut sex diebus Septimanæ opus nostrum faciamus, septimum vero cultui ipsius & gratiarum actioni impendamus. Sed quid? An ideo nobis prohibuit, ne aliis quoque diebus feriemur, quo tanto melius diuino cultui, ad præscriptum S. matris Ecclesiæ, vocare possumus? Deus unam ac breuissimam orationem, immo ut Calvinistæ dicunt, vel suspirium non aspernantur. Una sola cogitatio, qua nihil est in Mundo leuius, precium illud nobis acquirit, quod omnes res Mundi huius longissime superant: an ergo ideo non multum ac frequenter orandum esse dicet? Præcipit Ecclesia, ut quotannis die Paschatis, qui velut rex est omniũ dierum, SS. Eucharistiæ Sacramentum percipiamus: ergo ad sacram illam mensam nemo frequentius accedet? Quod si institutione dierum festorum in noua lege præceptum DEI violatum dicas; necesse est ut fatearis in antiqua etiam lege idem violatum fuisse, institutis Esdræ, Dedicationis, & alijs diebus festis, præter eos quos Deus ipse instituerat. Ergo Apostolus Spiritus S. ductu destitutos dices, quum Epiphaniæ, Resurrectionis & Ascensionis festa instituerunt, ut apud S. Clementem, Tertullianum & Cyprianum legimus? Horum exemplum sequuti Ecclesiæ Præsules nonnullos alios dies sacros esse iusserunt, ut ijs tam Redemptionis mysteriorum, quam martyrum & sanctorum virorum memoria celebraretur. Est tamen spes quædam, Hugonotas nostros hac in re tandem aliquando ad mentem reditutos. Paucis enim abhinc annis in Cleriacensi oppido, quod velut metropolis est & sedes Caluinismi in Aquitania, anniuersaria illa festa, vti & dies festi SS. Apostolorum religiose celebrari cœperunt. At D. Mariæ festa iamdudum apud eosdem è Calendario erasa sunt, quæ quidem nos nullam aliam ob causam tam solemniter colimus, quam vt augustissimi mysterij de incarnatione Filij Dei memoriam conseruemus, proque tanto beneficio immortales Deo gratias agamus, vt qui hoc præcipuè instrumento redemptionem & salutem nostram est operatus.

III. Ante omnia vitia & ignorantia multorum sacerdotum ac clericorum (fateamur enim ingenue quod negare non possumus, malorum nostri sæculi hunc præcipuum fuisse fontem) multos à Catholica Ecclesia diverterunt. Ah miseros, quos aliena pericula & mala cautos facere non potuerunt! Non minus scite quam vere Pius II. Pontifex dicere solebat, quemadmodum imperiti medici corpora, ita indocti sacerdotes animas occidere. Sed ecce! dum illi vitijs suis & ignorantiæ indormiunt, ac profundum sternunt, Deus post longi temporis patientiam lento gradu accedens, eos opprimit, & ferrea virga percussos excitat: idem, inquam, ille Deus, quem S. Hieronymus in eadem ferè & causa inclamat: *Domine, quò te abscondit? dormisne, an vigilas?* Certè solutis in luxum Clericorum animis, & ignavia torpentibus, isti pseudo-apostoli doctrinæ suæ zizania passim disseminarunt. Et quemadmodum hanc velut præcipuam apostasiæ suæ causam prætendunt; sic idem quo minus ad Catholicam revertantur Ecclesiam, maximum est impedimentum: atque ita quod paucorum est, criminis reos faciunt, immo suam ipsorum malitiam, ut Susannæ pudicitiam tentantes duo illi aequam, alijs imputant.

IV. Vetus illa hæreticorum consuetudo semper fuit, & est, Religionis latus per Religiosorum vitã perere. Et sicut muscæ, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus, ulcerosæ libentius quam mundæ & nitidæ cuti insident, & vultures non ad sana corpora, sed cadavera advolant: sic homines isti apostatici, relictis quæ in tot Ecclesiasticorum hominum millibus nitidissime conspiciuntur; eximijs virtutibus, paucorum vitia suggillari voluptati habent. Hæc illis uberrimam præbent etiam bonos calumniandi materiam: adeo ut nihil nisi atram bilem evomant, ac velut agitatum fluctibus mare, tam suas quam alienas sordes ejiciant. Id sanè tum apertissime in Galliæ nostræ Calviniſtis vidimus: qui non ea solum quæ sciebant, sed etiam quæ nesciebant, ficta ac falsa in Catholicos, præsertim sacri ordinis, deblaterabant, pasquillos & famosos libellos passim affigebant, rythmos decantabant, nihil denique intermittebant, quod ad minuendam, immo tollendam omnem Ecclesiastici ordinis existimationem atque auctoritatem quoquo modo pertinere videretur; eo nimirum, ut suave illud Christianæ servitutis iugum, quo piæ animæ in officio continentur, excuterent atque abijcerent.

V. Sed iniquum profecto est, munus quodcunq; ob gerentis vitia traducere ac vituperare. Quasi vero divina veritas ac religio è bonis aut malis pastorum dependeat! Quorum opera si cum verbis non conveniant, religio nihilominus sua ipsius veritate nitens, firma, semper & immota consistit. S. Augustinus ad solius Dei potentiam nobis respiciendum hic monet, nec posse nobis à ministro quidquã mali obtingere, ubi magister tam bonus sit. Et Tertullianus, Non ex personis fidem, sed ex fide personas probandas ait. Peccatum quidem ex homine est; sed unctio à Deo, quam peccatum obliterare five evacuare non potest. Ecclesiastici hominis vitium mutare nequit id quod illi ex divina cõsecratione cœlitus datum est. An tu magnũ illum Mundi oculum, etiamsi radios suos infimum & cloacas immittat, propterea pollui dices? Sanctum Ludouicum Galliæ regem dicere solitum ajunt: quamvis boni ac probati mores firma admodum Ecclesiæ sint munimenta, & ad persuadẽdum maiorem vim habeant quam verba; divina tamen mysteria ac sacramenta administrantium vitijs nequaquam evadere minus sacra vel efficacia. Sanctus Thomas disertè ait, sacramenta vitiosi sacerdotis manibus tractata, eandem nihilominus habere efficaciam, quam si ab inculpatæ vitæ homine administrata essent: quamvis huius quam illius oratio melior sit. Et Augustinus Deum inquit gratiæ suæ sacramenta per malorum manus nobis porrigere, gratiam verò per seipsum aut sanctos nobis largiri. Sed hæreticis os sapientissimis probati cuiusdam auctoris verbis occludamus, inquietis. Jesum Christum noluisse ut quod suum esset, vel per officiariorum seu ministrorum bonitatem melius vel eorundem pravitatẽ deterius redderetur. Cur quæso? Ne, inquit boni sibi persuaderent, quidquã ex sua bonitate divinis operibus addi; aut mali, ex sua malitia divinæ bonitati aliquid detrahi posse: & ita utrique Deo potentiores, aut id quod solius Dei est sibi attribuendo, ipsi dij videãtur. Sed hæc omnia susque deque habent hæretici: qui non ceremonijs modo & sacerdotalibus vestibus, verum etiam ipsis sacris personis illudunt, per contumeliam eos cum Rabinis Tonsos aut Rasos, quos Sanctus Hieronymus honorifico elogio Coronatos vocat, appellantis. Eosdem illi asininis, lupinis, vulpinis capitibus, & qua non tandem forma pictos, ad ludibrium proponunt & ostentant; nullo denique iniuriarum calumniarum ac conviciorum genere non proscinduut. Sed mirum nõ est, ut cum S. Bernardo loquamur, eos qui Ecclesiam non agnos-

noſcunt, Eccleſiæ eiuſque ordinibus obtrectare. Videmus enim etiam rabioſos canes cœlo oblatrare. Sed fruſtra. Facile enim à lupo, ne detrahatur, Luna ſibi cauebit.

DE MISSÆ SACRIFICIO, ET hæreticorum in eo abolendo conatibus.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

I. *Miſſa ſacrificium à diabolo ſemper oppugnatum.*
II. *Eius inſtitutio.*
III. *Forma, Eccleſia arbitrio & diſpoſitioni à Ieſu Chriſto permiſſa.*
IV. *Miſſa nomen vnde.*
V. *Ceremonia ſubſtantiam non mutant.*
VI. *Non de vocabulo, ſed de re ipſa diſputandum eſt.*

I. VERSVTVS ille Panurgus nulla in re quã in iugi illo & quotidiano ſacrificio abolendo, maiori conatu ſemper elaborauit: vt qui bene nouit omnia ſalutis noſtræ myſteria, eorum qui in perſona Saluatoris noſtri miraculosè contigerunt, memoriam contineri: qualia ſunt, Incarnatio, S. Euchariſtiæ inſtitutio, Paſsio & Mors, Reſurrectio & Aſcenſio Saluatoris. Idem propitiatio eſt inter Deum & homines, ſolidum Chriſtianæ religionis fundamentum, æternæ ſalutis pignus, mortuorum ac viuorum ſolatium. Quid ergo mirum, quod verſipellis ille Sathanas eorum quoque ſaluti per Caluinum eiuſque doctrinam inſidiatur, animos tanto odio & rabie erga ſalutare illud ſacrificium accendit, Hoc illi in Noui Teſtamenti libro, quem aſsidue ſecum circumferunt, ſollicitè indagant & venantur; vbi vero ipſo vulgari, *Miſſa* ſcilicet, nomine expreſſum non inueniunt, ſtatim ſublatis in cœlum manibus, multis cum ſuſpirijs exclamant: O cœlum, ô terram! ſiccine à tot retro ſæculis decepti, & per humanas adinuentiones ad idololatriam adducti ſumus! Ex hoc hominum genere veteramentarius quidam Burdigalenſis ad Cauſsidicum eiuſdem vrbis, à quo vt ad Catholicam rediret Eccleſiam admonitus fuerat, venit, proiecto in menſam quem ſub pallio geſtabat, Bibliorum codice, inquiens: Equidem Miſſam frequentare non abnuo ſi eam mihi in nouo Teſtamento oſtendas. Mihi ſane folia omnia & ſingula peruolutanti, ne vox ipſæ quidem occurrit. Tum alter ille: Quid narras, inquit, homo ſuauiſsime? Ergo ne illud tuum *Credo in Deum* poſthac vſurpes moneo; neque in nouo Teſtamento verba hæc reperies. Tum nec vlla Sacramenta, nec Trinitatem eſſe credas: quum ne hæc quidem in libro illo exſtent. Non poſſum hic quin cum S. Auguſtino exclamem. O miſeri homines! qui ſine duce libris diuinorum myſteriorum plenis vos immiſcetis, ac ſine magiſtro de ijs quæ non intelligitis, iudicatis. Borderius vnus ex primis Caluini diſcipulis, narrare ſolebat, Caluinum cum Carolo Sagio de Miſſæ ſacrificio in Pictonibus habito ſermone, monſtrato Bibliorum codice dixiſſe: Hæc mea Miſſa eſt. Deinde proiecto in menſam pileo, ſublatis in cœlum oculis, exclamaſſe: Equidem, Domine, ſi in extremo iudicio punire me velis eò quod Miſſam non frequentarim, iniuriam mihi fieri dicam, quum mihi vt id facerem, non præceperis. Ecce enim hic legem tuam, ecce Scripturam, vt religionis normam eſſet à te traditam: in qua nullum ego aliud ſacrificium reperio, quam quod in altari Crucis fuit immolatum. Sic ille. Atque hoc quidem omnium hæreticorum ſemper fuit pſeudothyron.

II. Sed audi, Caluine. An neſcis, Saſuatorem noſtrum eo die quò myſteriorum hoc myſterium inſtituit, ac precioſum ſuum corpus manducandum dedit, Apoſtolis vt idem facerent præcepiſſe? id eſt, vt itidem ſacrificarent. Ipſa quidem Miſſa nihil aliud eſt, quam Euangelicum ſacrificium, à Prophetis prædictum, multiſque figuris ſignificatum; ac publica ac celebris magni illius myſterij quo Mundus ſanctificatus eſt, repræſentatio, vt D. Thomas loquitur. Dicere Miſſam, nihil aliud eſt, quam accipere panem, gratias agere, conſecrare, & panis ac vini ſubſtantiam in carnem ac ſanguinem Ieſu Chriſti, virtute Sacramentalium Verborum conuertere. Eadem ſacrificium eſt, & ſacra actio, in qua cauſſa populi, precibus & oblatione corporis ac mortis Saluatoris noſtri interuenienſibus, coram Deo agitur, vt Auguſtinus teſtatur.

III. Sacrificij huius offerendi mandatum Chriſtus Apoſtolis dedit, eorumq; ſucceſſoribus; formã vero ac ceremonias Eccleſiæ arbitrio reliquit

vt

vt apud Iustinum Martyrem, Tertullianum, Origenem, S. Augustinum, & alios videre est. Et hic quidem, Extremum actum quem Salvator ad Crucem proficiscens, in hoc Mundo obierit, ait, illum esse quo corpus suum manducandum dederit, ad memoriam sui recentem semper conservandam. Formam vero & ordinem certum non præscripsisse, sed Apostolorum, quibus Ecclesiæ destinarat gubernationem, arbitrio reliquisse. Quid vero de Circumcisione in Veteri, & Baptismo in Novo Testamento hæretici dicent, quorum forma utrobique à Pastoribus & Sacerdotibus præscripta est? Idem S. Augustinus alibi dicit, Ceremonias quæ in Sacramento usurpantur, nos ab eadem habere traditione, à quo Symbolum fidei habemus. Et S. Basilius, Quis, inquit, *ille inter sanctos est, qui verba invocationis, quando Eucharistia elevatur, usurpata, scripta nobis tradidit?*

IV. Esto, inquiunt hæretici. Nullibi tamen legimus sacrificium hoc à Salvatore Missam nominatum. At idem nec cœna, nec Sacramentum in scriptura appellatur. Quemadmodum Deus creato universo Adamo non uxori modo, & animantibus, sed etiam ipsis stellis nomina imponendi potestatem dedit: sic Salvator noster divinum hoc mysterium certo nomine appellandi, Ecclesiæ suæ Pastoribus facultatem concessit: quod quidem illi ab Hebræa lingua mutuati sunt, ut Alcuinus, Isidorus, ac Rabanus censent. Ipse certè Melanchthon, Reuchlinus, Munsterus & Bibliander fatentur, mysterium hoc à primis Christianis velut occultum semper, ac præcipuè erga infideles, fuisse habitum. Et sanè tanta est eius dignitas, ut admiratione potius & silentio, quam voce exprimenda sit. Solis fidelibus notum erat hoc mysterium, quod & à SS. Patribus tremendum appellatur. Postquam vero infideles calumniari Christianos cœperunt, quasi in cœtibus suis pueros sacrificarent ac comederent, tum demum mysterij huius adyta reseratunt, & quale illud sacrificium esset, toti Mundo ostenderunt, ut ex Tertulliani & Justini Martyris scriptis videre est. Mihi quidem in sacræ huius actionis institutione Salvator noster excellentem aliquem pictorem imitatus videtur, qui prima lineamenta sua ipse manu, qua par est ubiq; arte describit & adumbrat, pueris deinde ac discipulis ipsam tabulam coloribus exornandam ac perficiendam tradit; qui interim illud unicè operam dant, ne à magistri manu ac penicillo exorbitent atque aberrent. Eodem modo pulcherrima hæc tabula, qua per corporis crucifixi exhibitionem, passionis ac mortis Servatoris nostri mysteria repræsentatur, à primo quidem illo incomparabili magistro delineata, sed à duodecim illis discipulis eorumque successoribus (discipulis quidem ipsius magistri, sed perfectissimis aliorum magistris) exquisito variarum ceremoniarum velut colorum ornatu instructa atque expolita, ac contra omnem temporis iniuriam, situm ac squallorem eo ornatu integra hactenus conservata est. Quis nisi amens dicat vel existimet, non esse hoc vere idem sacrificium à Salvatore nostro iustitutum, eo quod orationes quædam ac ceremoniæ, tam ad explicationem quam ornatum ac reverentiam cuius mysterij pertinentes adiunctæ sunt? An tu Apellis picturam esse negabis, eo quod ab alio extersa, renovata, aut vivaciori aliquo colore inducta sit? Imperitissimus sit oportet, qui nesciat accidentia à substantia distinguenda esse; remque tam diu eandem manere, quam diu substantia manet illæsa. Sic homo octogenarius idem ac non minus homo est quam illo die fuit quo natus est; Quamvis tam animi quam corporis habitus longe sit diversus.

V. Omnes istæ divinæ ceremoniæ, cantiones, orationes, manuum elevationes, pectoris percussiones, genuum flexiones, Crucis formationes, benedictiones seu consecrationes, et Missæ, quam Dominus quo die sacrosanctum hoc Sacramentum instituit, celebravit, nullam omnino afferunt mutationem. Atqui (aiunt novi istius Euangelij satores) hæc omnia hominum sunt adinventiones. Fateamur. Sed quorum hominum? Eorum nempe in quibus nihil pænè humani, sed divina omnia fuerunt. Homines fuerunt, sed discipuli abipso filio Dei edocti; & Apostoli, à Spiritu sancto illustrati: quorum instituta, ut Sanctus Cyprianus inquit, non minorem habent auctoritatem quam quæ ab ipso Jesu Christo ordinata sunt. Quod non de Apostolis modo, sed eorum etiam legitimis successoribus intelligendum est. Neque enim quidquam Deus Apostolis promisit, quod non etiam ad futuros Ecclesiæ rectores pertineret, eos, inquam, qui eadem auctoritate legitime essent cõstituti. Hi ijdẽ Spiritũ S. non illustratorẽ modo, sed & custodẽ habuerunt. Hesychius certe Hierosolymitanus Episcopus testatur, sanctum Spiritum tum quum hoc ipsum mysterium celebrarent, in Apostolos descendisse. Hinc magnum illud Lateranense Concilium, cui

plures

plures quam vlli alteri Episcopi, Prælati, Reges ac principes ex omnibus terræ partibus interfuerunt, hanc protestationem edit: Ecclesiam semper integra fide custodiuisse id quod ab Apostolis accepit, qui ei regulam officiorum Ecclesiasticorum tradiderint. Abeatissimis S. Petro & Paulo, qui Romæ mortui quiescunt, ipsum modum sacrificii celebrandi accepisse, qui huc vsque inuiolabiliter sit conseruatus.

An ex tam infinita assistentium multitudine neminem putamus inuentioni huic, si humana & diabolica, vt impii isti loquuntur, ac non multo potius cœlestis ac diuina semper esse habita, contradicturum fuisse? At cæca hæresis nihil ominus etiam nunc sacro sancto huic sacrificio, à prima ac posteriori Christiana antiquitate recepto atque approbato, obmurmurat. Atqui non de nomine, sed de re ipsa disceptandum est: Arrianis olim responsum fuit, ὁμοούσιον, seu consubstantialis nomen, tamquam nouum & in sacris litteris inusitatum calumniantibus. Hoc illud sacrificium est, cuius mentio fit in Actis Apostolorum, quod nimirum Apostoli sacrificio ac precationi intenti fuerint. Hoc illud est à Malachia prædictum sacrificium. Quod quidem S. Augustinus[3] in sermonibus suis Missam appellat. Sermones vero hos non supposititios, sed ipsius Augustini genuinos esse, ipse Petrus Martyr fatetur. Siue ergo hoc sacrificium cum Græcis *Liturgian*, siue cum Armenianis *Corben*, id est, oblationem, siue *Canonem vniuersalem* cum Æthiopibus, *Curbono*, id est oblationem, cum Ægyptiis, siue *Alcorban*, id est, Sacrificium, cum Arabibus, siue *Missah* cum Chaldæis appelles; idem nihilominus erit sacrificium, quod in Ecclesia Dei semper celebratum fuit, & ad finem vsque Mundi celebrabitur. Hæc illa sancta Missa est, cuius antiquissimus Gallicarum rerum scriptor Gregorius Turonensis tam sæpe meminit; cuius ab Apostolis celebratæ in Vaticana & Regum nostrorum bibliothecis formulæ exstant: qualis illa est S. Iacobi Apostoli, à Constantinopolitano Concilio ante mille annos pro authentica recepta, quam & nostris temporibus Ieremias Patriarcha pro tali agnouit, vt Crusius Lutheranus ipse in Turco-græcia sua fatetur. Formulã hui[9] Græce conscriptam doctissimus vir R. P. Fronto Ducæus in Catharinæ Mediceæ bibliotheca vidit. Similis etiam à S. Marco Euangelista conscripta in quodam Calabriæ monasterio, Ordinis S. Basilii, reperta est. Quod si priscorum Papistarum, vt vobiscum loquar, testimonia vobis non satis faciunt; agite, primos vestros Caluinistas audite. Bullingerum inspicite, apud quem Missæ formula, vti ea post Apostolorum tempora vsitata fuit, nostræ plane per omnia similis, exstat. Vt Centuriatores taceam, qui diuersis locis eandem similem omnino prodiderunt. Plura hac de re differere hoc loco nihil attinet, quum totum hoc argumentum à præstantissimis viris, Murerio, Richeomo, Bordesio, & aliis non minus docte quam copiose pertractatum, atque eius qui sacrificium hoc abolere conatus est, non error modo, sed & impietas clarissime ostensa sit.

DE PRIMA CALVINISTICÆ ECCLESIÆ forma, deque Manducatione Caluinistarum quæ postea Cœna dici cœpit.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

ARGVMENTVM.

I. *Caluinistica Ecclesia diu nullam certam formam Ecclesiæ habuit.*
II. *De clandestinis Caluinistarum cœtibus.*
III. *Formæ cœnæ Caluinisticæ, quæ Manducatio tum appellabatur.* (*uenit.*
IV. *Narratio casus cuiusdã qui dum ea celebraturè-*
V. *Complures Caluinistæ Catholicos sese simulant.*
VI. *De rebus aliquot dubijs Protestantium in Germania & Geneuatium theologorum sententias exquirunt.*

TAM fanatico spiritu animique incertitudine agebantur omnes illi, qui à Caluino seducti à vera Ecclesiæ semita exorbitarant, & in Francia circumcursitabant, vt nec quid facere, nec quam formam Ecclesiæ suæ dare vellent, satis constitutum haberent. Quisque cubiculum suum pro templo atque oratorio habebat, ibique quibus vellet modis Deo sacrum faciebat, & si diis placet seruiebat: non aliter quam si nulla vnquam Christiana religio, nulli certi colendi ac precandi Deum Sacramentaque administrandi ritus exstitissent. Fideles illi Dei filios, vti & omnes veteres hæretici, S. Augustino notante, se iactabant. Quod si forte pauculos aliquot collegissent suosque fecissent, in speluncis locisque secretis conueniebant, non tantum vt suo modo sacra face-

rent, verum etiam de religionis ejuſque propagandæ modis inter ſe conferrent. Ibi alii Saxonicam, alii Tigurinam, complures Genevenſem Fidei Confeſſiones in medium producebant: ſed ſenſim Calviniſmus Lutheraniſmum multis paraſangis ſuperavit. Calvinus enim etſi Argentorati deſideret, oculos tamen undiquaque circumferebat, ac ſcripta ſua tam Latina quam Gallica, Fidei compendium continentia, circummiſſitabat. In quibus ſpargendis multi tanto ardebant fervore, ut nec rei familiari, nec vitæ etiam parcerent. Vix lucem aſpexerat Calvini Catechiſmus, quum ſtatim in omnes ferè linguas, Hebraicam, Græcam, Latinam, Italicam, Germanicam, Polonicam; Anglicam, Scoticam, Belgicam, & Hiſpanicam tranſlatus fuit: ut ſcilicet omnibus nationibus novum hoc innoteſceret Evangelium. Quæ res dici vix poteſt quantam animarum ſtragem dederit, eorum nempe qui glandes ambroſiæ, putres lacunas nectari, ſtercus margaritis præferebant, & terram in Novatorum iſtorum, quam cœlum in SS. illorum Patrum ſpeculo aſpicere malebant.

II. Dum ita in occulto, metu legum, novæ religionis cultores delitescunt, erant inter eos qui Monitores (*Advertiſſeurs* Gallice) appellabantur, qui fratribus ſymbolum & locum in quo conventiculum habendum, & ſimiarum more aliqua religionis imitatio exprimenda eſſet, indicabant. At velut infauſtæ illæ & à reliquarum conſortio excluſæ aves non niſi noctu circumvolitant, vixque ullum ſomnum ac quietem capiunt: ſic quoque novitii iſti Chriſtiani tum maxime

Quum tacet omnis ager, ſylvæ pictæque volucres,
Atque homines pecudeſque ſimul ſopor altus habebat,

cœtus ſuos obibant. Quæ quidem res multis impudicis factis, ut quidam perhibent, occaſionem dedit, ſpirituali charitate in carnalem amorem converſa. Fama certè ferebatur, precibus factis, lumina non ſecus atque olim apud Adamitas in Bohemia, exſtingui, tumque à ſingulis quam quiſque vellet, comprimi. Hic quidem cœtum obeundorum mos, præſertim in vaſta illa Pariſiorum urbe, diu fuit uſurpatus; atque inde, Monitorum illorum, tamquam amoris inter feminas & viros proxenetarum opera, multorū pudori vel fraus facta vel vis illata. Audi quid Cayerus, teſtis in hac re fide dignus dicat. *Seniores*, inquit, *præſertim in occultis eccleſiis, ſub ſe Monitores quoſdam habebant: quorum tamen munus, ob multa quæ inde provenerunt ſcandala, poſtea ſublatum fuit.* Vide quomodo illi Eccleſiæ exemplo, ad tempus aliaſque occaſiones ſeſe accommodent, formamque mutent, ut & in multis aliis rebus. Quæ vero illa ſcandala ſint, addit Cayerus, Feminis ſcilicet nonnunquam unum locum pro alio fuiſſe indicatum, unde illæ in maxima pericula & anguſtias inciderint. Quod quidem exemplum, inquit idem Cayerus, bene conſiderandum eſt iis, qui ſub precum prætextu noctu ita oberrare amant: quum interim à vera Eccleſia ſeparati ſint. Nec vero nocturnæ à D. Paulo habitæ prædicationes lucifugas hos excuſare valent: quum Spiritus Sancti Eccleſiam ſemper gubernarit, & à pollutionibus ejuſmodi integras ſervarit. Hæc Cayerus, qui ſane plura ſibi comperta, addere potuiſſet. Porro ne cœtus ejuſmodi facile deprehendantur, eis habendis domus quam commodiſsime ſitæ, multiſque pſeudorhyris inſtructæ eliguntur, ut nec ingredientes facilè notari, & ſuperveniente periculo tanto facilius elabi poſſint. Miniſter vero qui concionem habet, fritillum & chartas luſorias in promptu habet, periculum luſus prætextu diſcuſſurus. ut Luperaltus cum Lutheranis aliquot Lutetiæ deprehenſus fecit. Melius illi atque honeſtius, qui calculis computatoriis ac rationum libris ad eam rem abutuntur.

III. In his cavernis lociſque occultis novelli iſti Chriſtiani initio formam aliquam Cœnæ cōmenti ſunt, quam manducationem appellarunt, à Calvino primum iis traditam, quos in Crotellæ ſpeluncis docebat, antequam ſcilicet ordinem illum & modum Cœnæ celebrandæ, qui in Calviniſticis cœtibus jam obſervatur, præſcripſiſſet, quod demum factū eſt Anno MDLVII. quo Catechiſmū ſuum abſoluit & foras dedit. Sed formam hujus Manducationis videamus, ab iis mihi narratā qui ipſi interfuerunt. Primo è cœtu aliquis ad id deputatus loca quædam ex S. Scriptura, in quibus de Euchariſtia agitur, è libro legit. Inde Miſſam tanquam diaboli inventum, multis conviciis & horrendis blaſphemiis proſcindit ac deteſtatur. Tandem, Mei fratres, inquit, panem Domini, in memoriam paſſionis & mortis ejus, manducemus. Tum ubi menſæ fratres aſſederunt, idem panem frangit, ac ſingulis buccellam porrigit, quam illi alto ſilentio & profunda in ſpeciem devotione manducant. Eodem modo calix per fratrum manus circumfertur. Poſthæc idem Deo gratias agit pro eo quod Papiſmi abuſus & errores ipſis cōmonſtrarit;

ac veritatem revelarit. Hac absoluta gratiarum actione tam minister quam singuli Orationem Dominicam & Symbolum Apostolicum recitant: sicq; cœtus dimittitur. Antequã vero discedant, omnes jusjurandum dant, se religionis hoc suæ secretum nemini aperturos; veterum hæreticorum exemplo apud quos illud usitatum erat: *Jura, perjura, salem secretum ne prode.* Hæc quidem Mãducatio, uti paulò ante dixi, inter novos illos Christianos diu usitata fuit, donec Calvinus Ecclesiam suam aliquanto melius efformavit, & Ministros à se creatos, huc illuc misit. Vidi hominem, qui apud Turonenses Manducationi ejusmodi nocturnę interfuit, administrante monacho quodam Augustiniano, habitũ adhuc Regularem ferente, qui postea strangulatus est. In Podiensi oppido Benearnensis ditionis, Carmelita quidã Tarbensis, Solon nomine, noctu cõciones suas in molendino habere, ac Manducationes administrare solebat, quibus Henricus Albretanus, domesticis fere omnibus insciis, ob metum ne res ad Franciscum Regem, quem ægre istud laturum non ignorabat, non raro intererat. Sunt penes me cõmentarii ab uno ministrorum ipsius conscripti; quos ad faciendam, ubi necesse fuerit, huic historiæ fidem, diligenter asservo. At bonus ille Princeps ut nimia facilitate hæreticis se adjunxerat, ita non multo post ad Catholicæ Ecclesiæ gremium rediit.

IV. Hic ego rem notatu dignam, quæ in Manduconum istorum quodam cœtu contigit, narrare operæ precium puto. Nonnulli cives Lutetiæ, metu ne in urbe proderentur, diversis viis ad eundem locum ab urbe aliquanto remotum, profecti fuerant, ut Manducationem ejusmodi celebrarent. Pane jam distributo, minister forte lagenam, in qua vinum sacramentali potationi destinatum erat, evertit. Effuso vino, miseris quid porro facerent hæsitantibus quidam consilium dedit, ut aqua substitueretur: quod tamen ab aliis statim fuit repudiatum, ut qui forte legerant quæ Sanctus Augustinus de Hydroparastis, & Sanctus Cyprianus de Aquariis scripserunt: quorum hæresin quum tota antiquitas damnavit, tum Divus Thomas pluribus scriptis refutavit. Vt enim nostri temporis hæretici puro & mero vino in Cœnæ suæ administratione utuntur, contra primitivæ Ecclesiæ morẽ, quæ vinum calici infusum aqua semper miscuit, ut S. Cyprianus notat: sic prisci illi meram aquam consecrabãt atq; offerebant. Valde ergo anxii miseri isti fideles, tandem à Diacono quodam monentur, posse ab uvis (autumnus enim tum erat) succum exprimi, & vini loco adhiberi. Non displicuit hoc consilium cœtus præsidi: ad quod probandum, XIII. Caput Numer. legere suis cœpit, in quo mentio fit uvæ grandissimæ, à duobus in pertica è terra promissionis ad populum Israeliticum deportatæ, quam Redemptoris in Cruce pendentis figuram esse ajebat. Hic ego scire velim, annon Manducantes isti similes fuerint veteribus illis hæreticis, qui antequam altare accederent, uvas consecrabant. Verum ecce tibi non minorem scrupulum eorum, qui è Galliis in Americam deducta Colonia, novum Calvini ibi Evangelium propagare conati sunt, opera præcipuè Petri cujusdam Richerii Carmelitæ apostatæ, qui primus ejusdem Evangelii apud Rupellenses præco fuit. Quæ vero hujus & aliorum vita fuerit scire cupiens, Launæi scripta legat; me enim tam infamia & horribilia facinora hoc loco commemorare, tædet ac puder. Res sic habet. Postquam sanctificati isti in nova illa Colonia aliquamdiu commorati fuerunt jamq; nullum omnino vinum, præter exiguum quid restaret; orta est quæstio, utrum alio quã vino potus genere vel liquore Cœnam Domini celebrare fas esset. Quidam ajebant, quum Dominus vino usus sit, atque ipse discipulis dixerit, se posthac de fructu vitis non amplius cum ipsis bibiturum, vino omnino celebrandum, nihilq; ex prima institutione mutandum esse. Alii contra differebant, quum Christus tum in Iudæa fuerit, quum Cœnã institueret, usitato ibi potu usum esse. qui si in terris illis incultis & vini sterilibus fuisset, non solum usitato ibi potu, sed & eadem ex contusis radicibus farina fuerit usurus. Quid multis: Cõclusum tandem est, quẽadmodum species panis & vini ubicumq; earum copia haberi potest, nequaquam permutandæ, aut aliæ earum loco sumendæ sint: sic nihil prohibere quominus illis deficientibus, aliæ res, quibus istis in locis homines ad alimẽtum utuntur, adhibeantur: allegata ad hoc etiam Lutheri auctoritate, qui ubi aqua desit, cerevisiam, lac, aut alium liquorem ad baptismum adhiberi posse dicat. Et hanc opinionem postea Theodorus Beza amplexus est: quæ etiam, ut Lerius testatur, à pluribus tum probata fuit; quæstio tamen indecisa mansit, quod ad istam extremitatem non sit deventum. Hac de re Calvinus consultus (teste Beza) respondit: Servatoris nostri Sacramentum

hoc inſtituentis conſilium fuiſſe, ſpiritualis cibi communionem ac participationem nobis repræſentare, id eſt, ſui ipſius, ſub communis panis ac potus ſymbolis Quod ſi tum in Iudæa alius potus fuiſſet vſitatus, Chriſtum certe eo potius quam vino vſurum fuiſſe: id quod ipſe ſcopus quem Chriſtus in Cœna ſpectauit, ſatis declaret. Exiſtimat ergo Caluinus, eos qui non contemtu aut temeritate, ſed neceſſitate coacti alio potus genere ijs in regionibus vſitato vtuntur, Chriſti conſilio nihil omnino diſcedere. Hanc vero Caluini ſententiam Conſiſtorio atque integro cœtui ita placuiſſe dicit, vt eos qui ita à vini ſymbolo dependẽt, vt alterã Cœnæ partẽ omittere, quam vrgente neceſſitate aliud proportionatum ſymbolum ſubſtituere malunt, ſupertioſe facere iudicarint. Quin etiam cereuiſia aut alioliquore Cœnam adminiſtrari poſſe. Ecce tibi Caluiniſticã Theologiã. Audiam viciſſim quid hac in re Catholica ſentiat Eccleſia, ne Lectoris animus in dubio relinquatur. Materia ad conſecrationem ſanguinis Saluatoris noſtri, neceſſaria, vinũ eſt, ſine quo nec ſanguis Ieſu Chriſti nobis dari, nec Calix benedictionis benedici vllo modo poteſt. Nã vt Sacramenta, quantũad eſſentiã, à diuina ſunt inſtitutione; ſic, quantum ad eorum eſſentiã & naturã, nihil in ijs mutare fas eſt. Porro inſtitutionem hanc aut ex S. Scriptura diſcimus, quæ nobis modũ à Chriſto in Sacramentorũ inſtitutione obſeruatum tradit, ac ſimiliter obſeruare iubet: aut eorũ inſtructione qui modum hunc vel ab ipſo Ieſu Chriſto, vel eius Apoſtolis, eorumq; diſcipulis & ſucceſſorib. acceperunt, ſequendo id quod D. N. aut ipſe aut per Spiritum S. declarauit ac facere iuſſit. Quantum ad Dei Verbum attinet, colligi certe inde non poteſt, vel Dom: noſtrum vel Apoſtolos alia materia quam vino vſos: id q̃ ipſi aduerſarij fatentur. Quia ergo expreſſe iubemur facere q̃ Seruator fecit, hocq; mandatum ad ea certe pertinet quæ ad eſſentiam actionis D. N. Ieſu Chriſti pertinent, ex quo genere etiam materia eſt ſiue obiectum; omnino etiam ſub eo panis & vinum comprehenderur, vt ex ijs ſacrificium & ſacramentum fiat. Materia ergo in hoc Sacramento à S. Scriptura ad panem & vinum reſtricta eſt. Etſi vero D. N. vinum aqua miſcuit, non tamen id eo fecit vt aqua Sacramenti huius eſſet materia, vt quæ ad id non pertineat, niſi quatenus traditione accepimus vinum aqua in ſacra hac actione miſceri ſolitum, vti etiamnum communiter ſobrietatis amantes homines raro meracum bibunt. Et quemadmodũ aqua Calici infunditur non tamquam potus, ſed conſideratione vini, tanquam eius temperamentum: ſic eadem nequaquam principalis eſt materia in Calice, ſed vini tantum adiunctum, vnde & parum tantum admiſcetur. Sed quamobrem? inquis. Ad repræſentandam Ieſu Criſti cum Eccleſia ſua vnionem: quæ quidem vnio ſanguine & aqua, quæ ſimul è Chriſti latere profluxerunt, præfigurata eſt. Ad traditionẽ vero quod attinet, credidit ſemper Catholica Eccleſia, atque ita omnes Doctores ac SS. Patres ſenſerunt & docuerũt, Calicem Domini ſine vino, tamquam materia neceſſaria, conſecrari aut benedici non poſſe: eoque ijdem hæreſeos eos damnarunt qui ſola aqua vtebantur, nõ minus quã eos qui panis loco ad conſecrationem corporis Dominici aliam materiam ſubſtituere voluerunt. Ex quo apparet Volaterrani error, ſcribentis, Papam ſacerdotibus in Norueigia ſine vino, quod in illis locis nullum ferè eſt, Miſſas celebrandi ac conſecrandi poteſtatem feciſſe. Atqui nec Papa, nec Concilium Ieſu Chriſti inſtitutionem mutare poſſunt. Quoniam ergo homines iſti, diuinorum conſiliorum, ſcilicet, interpretes, ſub neceſſitatis vel dignitatis prætextu, Ieſu Chriſti inſtitutionem, contra vnanimen Catholicæ Eccleſiæ doctrinam omniumque SS. Patrum conſenſum, in eo quod præcipium in hoc Sacramento eſt, violare auſi ſunt; quis non effrænem & Phariſaicam quandam arrogantiam in eis agnoſcat? Ceſſent igitur canes iſti allatrare Eccleſiam, eo quod Sacramentum hoc cæremonijs quibuſdam, tanto myſterio dignis, ornauit: quæ quum ad ipſius Sacramenti eſſentiã non pertineant, non immerito in Eccleſiæ poteſtate earum ordinatio cenſenda eſt. Sciant vero hoc, vbi materia deficiente Sacramentum hoc adminiſtrari nequit, bonam ac promptam voluntatem ac deſiderium tam ad ſatis faciendum Dei mandato, quam ipſum corp⁹ Domini recipiendum ſufficere. Conſiderent qua conſcientia infantes ſine Baptiſmo (Sacramento omnino neceſſario) mori permittant potius quam vt eos extra concionem ſiue priuatim baptiſent; quum huius rei nullum omnino à Deo habeant mandatum. Vide, quæſo, hominum peruerſitatem. Idem ſub neceſſitatis prætextu, Euchariſtiæ inſtitutionem potius omnino euertere malunt, dum ſcilicet alium liquorem quam à Chriſto ordinatum ſubſtituunt, quam Sacramenti huius vſu carere. Sed profecto fieri non poteſt, quin error ac mendacium quaſi forex, ſuis ſe ipſa indi-

indiciis prodant. Quibus vos armis, ô Calviniſtæ, veteres illos hæreticos impugnabitis, ut Pepuſianos, qui cum pane frumento; aut Aquarios, (quos Clemens Alexandrinus 1. libro Stromatum aperte hæreticos appellat) qui loco vini aqua in hoc ſacramento utebantur? Vt de aliis nihil dicam, qui pro vino lac, aut deniq; aliquid aliud ſubſtituerũt: quorum omnium error in idem coincidit. Quin etiam ob hoc ipſum Calviniſtæ à Lutheranis reprehenduntur, uti ex libro II. Theologiæ Calviniſticæ, & ſequenti de duobus abſtemiis hiſtoria videre eſt: quæ ſic habet Cardinali Hoſio, apud Imperatorem Ferdinandum Legati Apoſtolici munus obeunte, duo nobiles cum Ieſuitis diſputationem de cõmunione Calicis ſuſceperant. A quibus rogati (neuter enim vinum bibebat) quomodo Cœnã ſuam celebrarent: unus reſpondit, ſe ex ſuperintendentium conſilio, aquam adhibere. Alter vero, Hoc, ajebat, ego nequaquam à meis Paſtoribus impetrare potui. Equidem Magdeburgenſes in cõſilium adhibui, qui reſponderunt, ſi velim ſanguinis Dominici fieri particeps, nullo modo me Calice abſtinere poſſe. Horum offenſus pertinacia, Auguſtam profectus ſum, ubi mihi idem fuit reſponſum. Periculum deinde in meo cubiculo facere volui, utrũ vino uti poſſem: ſed infuſum omne reluctans ſtomachus rurſus egeſſit. Re diu multumq; in Conſiſtorio ventilata, tandem concluſum fuit, debere me quando Cœna celebraretur, Calicem quidem accipere, atque ori vinum admovere, tumque etiamſi nihil deglutiam, fide tamen me Chriſti ſanguinis futurum participem. O lepidum commentum! quod neſcio equidẽ quomodo cum reali manducatione quam Auguſtanæ Confeſſionis homines fatentur, conciliari poſſit. Hiſtoriam hanc Reſcius in Atheiſmis ſuis de Trinitate recitat. Sed ad miſeros noſtros errones redeo.

Non multo poſt novæ iſti religionis ſectatores cum Manducatione ſua è cavernis ac hortis longe ab hominum cõmercio remotis, in publicum eruperunt, quamvis ſpiritum domi, uti ajebant, in cubiculis ſuis relinquerent. Inde vero magnæ cõtroverſiæ inter Calviniſtas ortæ ſunt, quibuſdam dicentibus, ad vitandam perſequutionem, licere Miſſam accedere, modo animus integer & in veritatis cognitione firmus perſiſtat; eoq; externam illam actionem neminẽ debere offendere. Calvinus qui Genevam tanquam ad aſylum confugerat, ibique tutus ſe continebat, acerbum ſcriptum contra perſonatos hos fideles, quos Nicodemitas appellat, Anno MDXLV. edidit. Multi nihilominus in ſententia ſua perſiſtebant, ajentes, Domini ſolius eſſe cõſcientias judicare, ut cui ſoli interiora animi cognita ſint ac contra rationem eſſe, Eccleſiam vix dum natam, quamque nihil magis quam ſilentium & ſecretum tutam præſtet, præſentiſſimo periculo objicere, ac hoſtibus penitus exſtinguendam ac proculcandam dare.

VI. Dubia porro hæc in omnibus fere eorum cœtibus ventilata ſunt, nec leves inde contentiones ac ſimultates exſtiterunt, ferventioribus eos qui ad Catholicas itarent Eccleſias increpantibus. Quocirca legatos in Germaniam, Helvetiam, ac Genevam miſerunt, ut Theologos quid hac in re faciundum eſſet, conſulerent. Quorũ diverſæ fuerunt ſententiæ Saxones enim, Licere, ajebant, declinandi periculi cauſſa Papiſticis intereſſe ceremoniis, verum id quã poteſt riariſſime faciendum. Calvinus è contra, cui aliena pellis vilis erat, Deo pure ſerviendum, & tam corpus quam animum ab omni idololatriæ labe purum ſervãdum, recte, etſi minus vere, monebat. Sic ergo incertiores quam antea redditi, ex miſeris illis nonnulli hypocriſis velo utebantur, & corpus quidem ad Miſſæ ſacrificium afferebãt, cor vero domi in cubiculo relinquebant. Alii vero Calvini ſequuti conſilium, & animi ſui ſententiam libere profeſſi, novum illud Pſeudomartyrologium nominibus ſuis & Actis longius fecerunt, ut infra videbis.

QVIBVS ARTIBVS RELIGIOSI VTRIVSque ſexus ad Calviniſticam religionem vel libertatem potius fuerint pertracti.

Caput Decimumſextum.

ARGVMENTVM.

I. *Calvini Evangelio percrebeſcente, multi utriuſq; ſexus Religioſi monaſticum habitum abjiciunt.*
II. *De quodam Monacho Dominicano, a Calviniſtis ut religionem deſereret tentato.*
III. *De quibuſdam qui Catholica religione ad ſeducendos alios abuſi ſunt.*
IV. *In primis ut populum ad idololatriam perducerent.*
V. *An illa vera fuerit idololatria.*
VI. *Quæ idololatria eſt materialis, non formalis.*

QVemadmodum morbus omnes pravos corporis male affecti humores excitat; ſic Lutheri ſtultitia ac Calvini rabies omnes eorum qui

extra Mundum quidem erant, nihil tamen minus quam Mundum reliquerant, affectus atq; animorum velut viscera commoverunt. Vix fama novæ hujus carnalis, ac tribus illis diis, Baccho, Cereri ac Veneri consecratæ religionis percrebuerat, quum male feriati quidam Monachi gaudio statim exsiliebant, jam pro obedientia licentiam, pro continentia impudicos amplexus, pro paupertate divitias, pro carnis maceratione omne voluptatum genus sibi imaginabantur uniceq; desiderabant: eoq; tam gratæ rei nuncios obviis ulnis excipientes, abjectis cucullis, quà cuiq; commodum erat è Monasteriis dilabebantur. *Vota hæc castitatis ac cœlibatum Calvinus animarum laqueos appellat, & totam antiquitatem desipuisse in eo dicit. Nec perfidiæ accusari posse qui jugum hoc abjecerint: quum quod hominibus placet, id Deus ipse irritum esse jubet. Quod si quis antea quum adhuc in errore & ignorantia versaretur, obligatus fuerit; eundem jam veritatis cognitione illuminatum, istis superstitionis laqueis per Dei gratiam liberum esse* Hoc modo Calvinus in Francia, ut antea Lutherus in Germania Religiosos ad pileum vocabat: quorum etiam plurimi donec secundùm citarentur non exspectabant, sed ad primam vocē cucullos, lacernas, interulas laneas, cinctus cānabeos, & unà cum veste, ut Herodotus de feminis inquit, omnem pudorem ac honestatem abjiciebāt, obliti illius quod S. August. ex D. Pauli verbis demonstrat, eos qui post castitatis votum conjugia contrahunt, latam illam viam quæ ad infernum ducit, ingredi. S. Bern. de Henrico apostata loquēs, *eos qui relicto religioso habitu ad carnis & sæculi sordes revertuntur, canibus ad vomitum redeuntibus comparat. Addit, eosdem quum ob criminis enormitatem cum amicis & notis conversari non audeant, collectis velut sarcinis tamquam fugitivos hinc inde oberrare, & Verbum Dei*, scilicet, *prædicando, victum sibi acquirere.* Ex hoc hominum genere mirum in modum nova successit Ecclesia, obstetricante præcipue libidine, cujus explendæ spes ut ante Monasteria pæne solitaria reddiderat, sic præsens ac paratus usus novæ religioni velut trabali clavo affigebat. Quid quæris? Ex Apostatis repente evaserunt Apostoli. Nam ut persequutio martyres, sic hæresis apostatas facit Ex hac materia Calvinus novam sibi suā Ecclesiam ædificavit: cujus præcipuum veluti fundamentum carnalis erat voluptas. Raro enim castum aut pudicum reperias hæreticum, S. Hieronymo teste. Inusitata ista hactenus ad cœlum per carnis intra formosæ amplexum mulieris mortificationem ascendendi via, mox infinitis trita fuit vestigiis. Iidem religiosi homines è Monasteriis, noctu fere egressi (tenebras enim hoc hominum genus amat) Cruces ac Calices non raro secum asportabant, non quidem ut Crucem suam portantes, Christum sequerentur, sed ut feminæ alicujus aut puellæ conjugium hoc precio sibi conciliarent, ut à quorum nuptiis initio honestiores fere abhorrebant: unde fiebat ut non indotatæ modo, sed & infames ac prostitutæ à novi Evangelii Ministris passim ducerentur. Hæc illa esca est, omnium malorum caussa: qua capti homines, in perditionis abyssum præcipitantur. Vt enim vix ullibi sanctiores homines reperias quam eos qui in Monasteriis constanter perseverarunt; sic nulli pejores sunt quam qui religionem deseruerunt. Hi instar lampadum sunt, claro fulgore coruscantiū; quibus exstinctis nihil fœtidius est magisq; putidum. Nullum quidem in retrahendis fugitivis laborem intermittebant religiosorum præfecti; sed quemadmodum pulli ubi semel è cavea evolaverunt, revocantis vocem nō exaudiunt, sic desertores isti omnes superiorū admonitiones spernebāt, ac conatus eludebant. Horum exemplo mox alii atq; alii utriusq; sexus instigati, catervatim abjectis cucullis novo Evangelio nomen dederunt. Vxorem sibi Monachus; Monialis maritum quæsivit; aut vagæ libidini totos se dediderunt. Erāt qui in Monasteria ac Conventus libellos passim ac schedas injicerent, quibus solitaria vita traducebatur In ipsa etiam Monasteria utriusq; sexus homines nonnulli irrepserant, qui libidinū flammas sub cœnobiticarum regularum cineribus hactenus occultas ac suppressas, fletu suo excitabāt: adeo ut mirum sit, quomodo simplices illæ columbæ à laqueis ubique positis & dulcissima voluptatis esca cavere sibi potuerint. Vnde factum est, ut Monachi ac Moniales sicut antea sub eodem religionis fuerant jugo, sic jam eandem quocumq; vellent modo vivendi licentiam amplecterentur; ac tam inter se quam cum aliis matrimonia contraherent. Ac velut Æsopica illa vulpecula, amissa cauda, omnibus persuadere conata est, ut & ipsæ grave & inutile, uti dicebat, pōdus abjicerent; sic etiam excucullati Monachi reliquos religiosos vehemēter exhortabantur, ut & ipsi ad sepem, quod dicitur, suspensis cucullis, relictaq, solitaria vita, hominum cœtibus rursus se jungerent, ac quæ cæteri, Mundi negotia obirent, Dici certe vix potest quam variæ artes excogitatæ sint quum ad horum qui Monasteria deseruc-

seruerant, excusandam, tum ad illorum qui remã serant, accendendam libidinem. Sed, ô Deus bone! quæ quãtæq; curæ, sollicitudines ac miseriæ inde natæ sunt? sub quibus novi illi conjuges, indisso lubili monstrosæ copulæ catena illigati, miserabiliter gemebant. Non pauci eorum paupertate oppressi, vile opificium aliquod exercere, aut rurio pus facere, magnoq; labore victum sibi acquirere coacti sunt. Hinc bibliopolæ, circumforanei, frivolarii, pædotribæ, & qui non homines exstiterunt? Ad Ministerium vero tantum diserti assumebãtur. In Monialium vero ædibus multi Ministri nidulabantur, Deo dicatarum Virginum contubernio utentes. Testatur Cajerus, duos se Pictavii vidisse, ob raptum ejusmodi non parum periclitantes. Notum est, Barro apud Lusignanos Ministro ex Monasterii cujusdam spoliis Monialem nõ illepidam prædæ cessisse, quam in Vasconiã ad bellũ profectus, Maupererii deposuit. Similis præda Christiano Ministro Pictavensi obvenit. At Belloloco, itidẽ uni ex Galliæ Ministris, bolus ex ipsis faucibus fuit ereptus. Hos tres Curia Pictavensis tamquam raptores & sacrilegos condẽnavit. Hæc illa turunda est, hæc ambrosia, tantopere à Rabelæsii discipulis & Calvini sectatoribus desiderata. Monialium carnem ante omnia illi expetebãt, ac veluti canes, unice vestigabant ac venabãtur, facile ubi præda parata sibi esset, odorati. Quem vero odorem putrida hæc ac putida vasa spirarent, non difficile judicatu est. S. Greg. develatam Religiosam alloquens. inquit, Quod si Ananias ob pauxillum argenti violato voto mortem meritus sit, quã pœnam illa mereatur, quæ Deum non argento, sed seipsa; jam servitio ejus devota, defraudet. Hos ergo laqueos tam Lutherani quam Calvinistæ Religiosis, junioribus præsertim tendebant, ac velut Catholicæ Ecclesiæ exsuviis novellam suam exornabant, scilicet. Sed ô puleram Ecclesiã, cujus fundamenta incestibus atque adulteriis innituntur! An vero ex Agare ista ulla alia quam spuria & Ismaelitica proles nasci potest? Certe illecebræ istę O Calvinianæ Synagoga, columnæ tuæ sunt: hi angulares tui sunt lapides, hæc ornamenta templorum tuorum, hæ lampades tuæ quarum lumen qui sequitur, in æternas abyssi tenebras descendit: hi doctrinæ tuæ sunt præcones, hæ novi vestri tubæ sunt Evangelii, ac vox nõ clamantiũ in deserto, sed civitates inflãmantium, in provinciis ferentiũ discordias, regna & imperia evertentiũ, omnẽ deniq; pacem atq; obedientiam ex Christiana Republica profligantium. O dignum æterno igne hominum genus! ut qui discordiæ omniumq; malorum scintillas per totum orbem sparsistis, & tam noxia incendia conflastis, & adhuc fovetis.

Vir bonus ac literatus mihi narravit, se quum ætatis anno xx. Lutetiæ Dominicanorum familiæ adscriptus degeret, à Porciano Principe, novam religionẽ sub primis civilis belli initiis amplexo, sæpenumerõ rogatum, quam ob caussam tot tantisq; donis à Deo ornatus (erat enim nobili prognatus familia) Monachalem habitum induisset: quẽ si vellet abjicere, honorificum ipsi in aula sua locum fore. Sciebat enim huic à fratre majore natu nihil ex patrimonio quam gladium ac pallium relictum; quæ ille eum cucullo & Breviario cõmutarat. Quum frustra aliquoties surdum ad ejusmodi impugnasset, forte fortuna die quodã puellam idem cubiculum ingressam esse, quã Princeps manu arreptam ad se deduxerit, his verbis eam cõpellans: Quæso te amica mea, ut in hac anima Deo lucranda operam tuam mihi præstes. Nec diu moratum cubiculoque egressum, sine ullo arbitrio utrumq; reliquisse. Ibi se à puella delicias ejusmodi mirifice edocta, quum verbis tum gestibus, manuũ cõpressionibus aliisq; modis tã vehementer fuisse impugnatum, ut nunquam in vita majorem tentationis impetum sustinuerit, diabolo & carne faces suggerentibus. Tandem reversum Principem, denuo rogasse, ut conditionẽ oblatam accipere vellet: se quidem omnia ipsius caussa facturum. Tum redeunte quasi animo, se respondisse, Cum Deo super hac re se consultaturum. Re apud animum contrariis inter se affectibus distractum, omnes in partes versata, tandem se S. Pauli Apostoli cõsilium sequutum, quam primum inde in Lotharingiam secessisse, & à Barensi Duce fuisse susceptum. Idem postea Theologiæ apud Santonas professor fuit, ac vitam Religioso dignam ad extremum usque spiritum egit. Hãc narrationem prolixius aliquãto recitare volui, ut intelligatur quibus artib° hæretici eos quos caussæ suæ utiles fore arbitrantur, captẽt. Quia enim doctis & ad gravia negocia idoneis hominibus destituuntur, necesse est ut eos à nobis velut suffurentur. Suffurari vero aut ad se pertrahere vix possunt, nisi ejusmodi voluptatum delinimentis, quibus nihil blandius est atq; acceptius, inescatos. Alium novi vicinũ mihi Nobilẽ, qui ut juvenẽ quendã Franciscanæ familiæ monachũ à religiosa vita diverteret, pro cucullo, quẽ clã auferri jusserat, thoracem ac chlamydem supponi jussit,

jussit, atque ita excucullato venustam juvenculam comitē addidit: quæ postea Crux ipsius fuit. Alium quendā ex Observantium, qui dicuntur, apud Burdigalenses Ordine mulieres nonnullæ reformatæ ita sequebantur ac prensabant, ut nuda manicis ipsius brachia immitterēt, multis cum suspiriis ac querelis, quod tam venustum, ut erat revera, ac valentem juvenem tam aspero habitu indutum viderent. Quin tanta erga miserum charitate afficiebantur, ut pro stramine cui aliàs incubare solebat, mollissimi sui lecti partem offerrent. Et his quidē artibus uterque ab Ecclesia fuit abstractus. Nam ejusmodi Religiosi tenui admodum filo adstricti, ægre intra claustrorum septa continentur. Illud quidē mirum est, ex quatuor centenis Religiosorū millibus, à Luthero ac ceteris tam hæresiarchis quā hæreticis paucos tantum ad apostasiam fuisse pertractos. Sed & hoc admiratione nō caret, quod nostro sęculo tam multi, qui quum in vera sint Ecclesia, etiam in sæculo salutem suam operari, atq; interim Mundi commodis uti possent, ultro voluntariæ, & perpetuæ servituti sese mancipant. Initio quidem Religiosi pleriq; à Calvino seducti, Monasteria non deserebant, sed eodem quo antea usi habitu, proventibus suis fruebantur. Abbas Valentię in religioso habitu hæreseos rudimēta populo pro concione in Gallia tradebat, ut & frater ipsius Abbas Bonnevallensis. Quosdam metus, alios proventus Ecclesiasticos amittendi metus, quo minus Lutheranismum apertè profiterentur, continebat.

Sacerdotes quamvis hæresin sinu foverent, Missam nihilominus celebrabāt. Sed vide hic exsecrabilem quorundam impietatem, sine ulla consecratione, aut verborum Sacramentalium prolatione sacra facient um. Cujus impietatis Abbas Cleriacensis idēq; Oleronensis Episcopus accusatus, sese purgavit, ac deinde quoties suo modo missificaret, verba consecrationis alta voce pronuntiavit, non secus atq; olim factum est, ut in S. Iacobi Liturgia notari, & ex iis quæ Iustinus Martyr in II. sua Apologia scribit, colligi potest. Idem apud Æthiopes Christianos adhuc observari ajunt. Ecclesia vero morem hunc abolevit, & verba illa consecrationis à sacerdote summissa voce proferri voluit, ut magnum hoc mysterium nō ita dispalesceret, aut hac occasione profanaretur. Huic vero statuto simplicitas quorundam caussam dedit. Quum enim pastores quidā verba quibus sacerdos corpus Domini nostri consecrabat, memoria retinuissent, & unus super prolato è pera pane eadē pronuntiasset, statim ad verba illa, *Hoc est corpus meum*, pro pane caro apparuit, sed is statim ab igne cœlitus delapsi fuit consumptus, illis sermonis usu per tēpus aliquod privatis. Hujus miraculi veritate cōperta, Ecclesię decreto statutum est, ut verba illa consecrationis à sacerdote summisse pronunciarētur, ne vulgo eis abutendi detur occasio. Isti vero personati Catholici multo pejus faciebant, panem non consecratū elevantes, & populo cōmunicantes. In Calvinistica Synagoga etiam hodie moris est, ut panis sine ulla benedictione, consecratione aut verborum prolatione communicantibus porrigatur. Quid, quod Calvinus verba consecrationis magica carmina & incantationes appellat? Quæ ejus assecla Viretus non minus venenato, sed novo convicio Magodiā vocat. Malo Minister, quē Lutetiæ post conditum illud à Ianuario mense Edictum, quod Calvinismo latissimam in Gallia fenestram aperuit, concionātem non semel audivi, jactitare solebat, se decem aut duodecim annis Missam sine ulla panis consecratione celebrasse. Equidē minus rectè facturus mihi videor, si quod jam movi dubium sive quæstionem indecisam relinquam: utrum scilicet populus hostiam non consecratam adorans, & ex falsorum sacerdotum manibus recipiens, idololatriā committat, aut defectus hic à Deo suppleatur.

In quo illud primo considerandum est, postquā sacerdos ab ordinario Pastore receptus aut missus est, communi omnium voce ac judicio pro legitimo ac rite ordinato sacerdote habendum, cui Ecclesiasticum ministerium secundum formam, gestus ac ceremonias ad unumquodq; requisitas ac præscriptas, exercendi munus incumbat. Vnde populus quantum ad legitimā sacerdotis vocationē seu missionē, nihil amplius indagare, sed eum qui à Superiori datur aut permittitur recipere tenetur præsertim si nullæ ad id munus necessariæ dotes in eo desiderentur, ipseq; in externis idem fecerit, quod in officio isto quam optimè exercitati. At si idē suo arbitratu Pastores ac sacerdotes sibi eligat, ungues canis à lupi unguibus nihil discernēs, culpæ expers non erit. Sic enim omnis generis homines, apostatas & alios, immo etiam qui sacerdotes nondum sunt, ad tam sacrum munus admittens, ut in Germania olim factum est, ubi à reliquo populo sublata scilicet cœlibatus lege, sacerdotes discerni vix possunt, ipse sui mali caussa erit, ut qui legem atque ordinem à Deo proscriptum violarint. Hanc ergo culpam suaipsorum levitate vel credulitate potius contractam, sibi ipsis imputabunt.

Præ-

Præterea si adoratio hæc facta sit cũ omnibus cõditionibus ac circumstantiis quæ actionem moraliter bonam, laudabilẽ ac meritoriam faciunt, quales sunt, locus, tempus, modus, ignorantia illa coram Deo & hominibus excusari potest, ut quæ facta sit secundum Ecclesiæ intentionem, quæ est, Christi corpus non aliter quam consecratum adorare. Hinc Theologi ad probandam omnium humanarum actionum tam bonitatẽ quã validitatẽ, hanc regulam tamquam certum axioma tradunt: Omnes scilicet humanas actiones in materiã debitam, aptam & conveniẽtẽ, tempore ac loco opportunis incidentes, eaque forma ac modo quo par est exercitas, moraliter bonas esse ac vitio carere. Vt exempli gratia, recte dicimus, suam nõ alienã, ac licitis, nõ prohibitis diebus, messem demetere; & eleemosynam de suo, non de alieno, & ex charitate, non ex hypocrisi dare; in uno gradu nuptias contrahere, in alio abstinere; & si qua alia sunt ejusmodi, actiones bonas esse & laudabiles. Sic actio illa populi voluntaria, hostiam non consecratam quam tamen consecratam esse simpliciter credit, adorantis ac recipientis, bona est, in debitam ac requisitam materiam incidens, si non ex se, saltim ex eo quod humana potest apprehendere sapientia: quum hostia illa ceteris consecratis similis sit, & à sacerdote legitimè ordinato in Catholica Ecclesia hora ordinario servitio seu sacrificio deputata, super altari consecrato, cum ornamentis, gestibus, aliisque externis quibus Ecclesia in ea re uti solet ceremoniis, tractetur atque administretur. Quare actio hæc ex bona fide profecta, vitio atque errore caret, neque pro idololatria haberi potest.

VI. Idololatria verò, si qua hic est: materialis, est ut Theologi nostri loquũtur, nõ formalis, id est, in se quidem idololatria est, quum purus panis & vinum pro Christi corpore ac sanguine adoretur; sed non in decepti populi intentione, qui pro suæ adorationis objecto corpus & sanguinem Christi habet, & neq; hostiam quam sacerdos manibus tenet sine tacita illa & implicita conditione adorat, scilicet totum illud tam grande mysterium ex Iesu Christi præscripto Ecclesiæq; usurpata consuetudine peragendum esse. Neq; est ut quis existimet, defectum hunc consecrationis à Deo occulta quadam & divina virtute suppleri: quum ut id credamus, nulla Dei promissio, neq; ulla alia consecrandi formula quam quæ sacris illis ab ipso Christo prolatis verbis cõtinetur, exstet: quæ quidẽ verba in Sacramentis id efficiunt atq; operantur quod significant, ex ore legitimorum ac rite ordinatorũ sacerdotum prolata. Ex quibus sequitur, nullã hic esse consecrationẽ, neq; ejus defectum à Deo suppleri; qui tamen fidelium actionem natura sua vitiosam supplet, & intentionem probat, sacrificii ac Sacramenti effectus ad mensuram devotionis cuique applicans. Sed jam trium illorum, Galliæ nostræ Reformatorum vestigia prosequamur, quibus apostatæ illi ac desultorii Clerici aliquantulum nos abduxerunt.

QVOMODO CALVINVS GENEVAM SE contulerit, quæque ibidem fecerit ac gesserit.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

ARGVMENTVM.

I. *Calvinus relicto Pictavio, in Aquitaniam ad Rufum & Fabrum proficiscitur.*
II. *Gulielmus Farellus primus apud Genevates rebellionis auctor.*
III. *Calvinus diu hinc inde vagatus, Genevam concedit.*
IV. *Tres item Apostoli eodem ad Calvinum proficiscuntur.*
V. *Calvinus rebus novis studens, Geneva ejectus.*
VI. *Ratisbonam abit ad comitia imperii.*

1. DVm duo illi præcursores, Bonushomo & Ramassator sive Consarcinator, hæresi viã sternunt, & velut signo S. scripturæ ex arce ostẽso, classicum contra Ecclesiam canunt, ac homines passim in Gallia, Religiosos præsertim utriusque sexus ad pileum vocant, suæque cõspirationi quãplurimos ab antiqua Catholica simplicitate ac pietate abstractos, innectunt: Calvinus ne Pictavii, re jam quam agitabat in apertum erumpente, comprehenderetur veritus, hospitis consiliũ sequitur, & Neracum ad Rufum & Fabrum, de quibus supra, proficiscitur, ut unà cum eis sub Margaritæ Navarræ reginæ præsidio lateret. Ait Beza, bonũ illum senem, de Fabro loquens, Calvinum grato ac læto animo excepisse, quasi præsagientem ab hoc Ecclesiam in Galliis restauratum iri. Illud vero nõ dicit, Rufum à Calvino visitatum tamquã dominũ à servo, quamvis non ignoraret eundem dum per Germaniã oberrat, Calvini ministerio usum fuisse, quod cum narrantem plures à Rufo in literis

educati, non semel audiverunt. Ibi Calvinus Rufo scripta sua cõmunicavit, præsertim Institutiones Christianæ religionis, Enculisimi conceptas atq; inchoatas; simulq; Ecclesiæ in pristinam puritatẽ restituendæ propositum ei aperuit, inquiens, nihil omnino sani in Catholica superesse Ecclesia, sed vetus illud ædificium planissime esse dejiciendũ, ac novum instruendum. Rufus vehementer admiratus, ut ipse postea sæpe dixit, tantam tamque senilem malitiam in animum juvenilem cadere posse, hominem ad rationem reducere conabatur, inquiens, Necessarium quidẽ esse ut domus Dei purgetur, verum eam non destruendam, sed fulciendam esse potius: quod nisi fiat, tã ipsum quã quoscunque alios qui hac in re aliquid tentârint, ejusdem ruinis oppressum ac sepultum iri. Vidi ego schedas Rufi manu scriptas, quibus suam de Cœna sententiam exponit, longè à Calvini opinione discrepantem: quas quidem schedas Medicus nostræ Aquitaniæ non incelebris, Cleriacẽsis patria, Rufi sumptibus puer in scholis educatus Francisco Cãdali Episcopo quondam Atrensi communicavit. Hac inter dominum & famulum contentione effectum est, ut Calvinus Ruffum Temporisatoris, id est, hominis inconstantis, & consilia sua temporibus accommodantis nomine traduxerit, ac librum etiam *Des Temporiseurs*, Gallica lingua conscripserit, in quo dominum præcipue venenato dente impetit. Faber quamvis in Calvini sententiam magis quam Rufus inclinaret, hominem tamen quantũ poterat retinebat, metuens ne præferuidum hoc ingenium omnia misceret atq; everteret; eoq; discedenti consulebat, ut Melanchthonis tã opiniones quam exemplum in omnibus sequeretur. His instructus consiliis Calvinus Lutetiam profectus est, sed parũ tutum ibi se videns, & à rogo sibi metuens, jam tum patriæ excidium meditans, Gallia excessit, quæ ingrata scilicet, uti conqueri postea solebat, tanto homini domicilium denegare sustinebat. Argentoratum ergo profectus totum biennium Bucero operam dedit, hunc unum aptissimũ perturbandi Ecclesiam instrumentum sibi fore, recte judicanti. Scripserat tum inter alia Bucerus librum *De carne Christi*: cujus similem nec à Luthero nec à Zuinglio scriptum ajunt. Hunc cupide legit Calvinus, simulque Bucero Institutiones suas cõmunicavit, quas ibi ac Basileæ tandem ad umbilicum ductas, Francisco I. Galliarum Regi dedicare non dubitavit.

Quemadmodum vero Lutherus laudi ac gloriæ sibi ducebat, quod Evangelium ab ipso prolatum multarum turbarum ac seditionum causa esse diceretur, adeoque lætitia exsultabat si populos ad mutuam lanienam videret inter se commissos; sic Calvinus ut & ipse quo Spiritu regeretur, testatũ faceret, pro symbolo primæ Institutionum editioni præscripserat gladium undiq; flammis circumdatũ, cum his verbis: *Non veni pacem mittere, sed gladiũ*. In quo nescias utrum horum uterq; magis in vaticiniis suis verus, quam in suis ipsorum opinionibus vanus fuerit. Dum Argentorati desidet Calvinus id primum operam dabat, ut eos qui pœnæ metu è Galliis profugerant, consilio & auxilio juvaret deinde ubi in honore aliquo & hominũ existimatione se esse vidit, omnibus quæ in tota Germania gererentur negociis immiscere se studebat. Vbi vero accepit, Ferrariæ Ducissam, è regio Gallorum sanguine ortam, veræ religionis (ita enim loquebantur) aliquem habere gustum, ad eam se contulit, omnibusq; modis suasit, ut Romanæ Ecclesiæ valediceret, non tamen à Luthero præmonstratam quidem, sed nondum perpurgatam semitam, sed quam ipse à Deo singulariter ad id vocatus, totam jam complanaturus esset, ingrederetur. Hac de re etiã in secretiori Ducissæ cubiculo sermones aliquot habuit, Pontis toparcha inter alios præsente: nec exiguam pecuniæ summam corrasit, plerisque ad priscæ illius scilicet Ecclesiæ exemplum bonorum suorum partem ad novi hujus Apostoli pedes deponentibus, quæ ille deinde inter exsules ac proscriptos Gallos dividebat: insimulatus tamen postea, quod in distribuendis quatuor librarum millibus, quas Margarita Navarræ regina Genevensi Ecclesiæ eleemosynæ nomine miserat, mala fide versatus esset.

Vagationis pertæsus Calvinus Genevam se cõtulit, ubi jam antea dum cum Tilio oberrat, in quorũdam notitiam se insinuarat. Ea civitas tum Sabaudiæ Duci rebellare incipiebat, Gulielmo Farello seditiosorum conatus accendente ac fovente. Hic ille est cujus supra libro III. mentionem feci, è Meldorum civitate profugus. Iudæi filius, cui Ferreau nativum nomen: homo in disputationib⁹ atq; omni sermone quovis torrente vehementior, ut qui è cathedra instar Periclis alicujus, fulminaret. Hic præcipuus auctor fuit mutationis quæ tum & postea Genevæ facta est, quò Basilea ejectus se contulerat. Calendarium Historicum à Iohanne Gregorio & Iacobo Stoer Anno M.D.LXIX. impressum testatur, Anno M.D.XXXV. die XVII. Augusti,

gusti, celeberrimam civitatem Genevensem, juxta veritatis Evangelicæ præscriptum, reformari cœpisse: & tamen in secunda editione omissum est, ne Calvinus qui sequenti anno demũ eò venerat, hoc honore defraudaretur. Sub primum adventũ Calvinus omnibus se dabat, adeo ut cauponas etiam præsertim ubi frequentes convenisse videbat, ingrederetur, ac pueros etiam, ad se colligeret, eosq; cantilenam aliquam vel rhytmos, in Ecclesiæ & Ecclesiasticorum contemptũ factos doceret. Personam vero suam tam scitè egit, ut in Dominicæ S. Trinitatis vigilia quosdam sectæ suæ homines in templum S. Petri immiserit, à quibus mox statuæ & imagines confractæ fuerunt. Hic tamen tumultus tum sedatus est; sed quia sacrilegi illi primarias totius familias cognatione attingebant, rei facile judicio se subduxerunt, Farelli factione prævalescente. Tandem ergo hac pervagante licentia, & non Farelli tantum sectatoribus, sed & Bernatibus aliisq; vicinis fomitem suggerentibus, & quod Anno M.D. XXVIII. cœptum fuerat urgentibus, tota civitas rebellavit. Factum est hoc Anno M.D.XXXV. uti ex sequenti patet inscriptione, quæ æneæ tabulæ ad Curiam Genevensem affixæ, insculpta visitur.

Quũ Anno Domini M.D XXXV. profligata Romani Antichristi tyrannide, abrogatisq; ejus superstitionibus sacrosanctæ Christi religio hic in suam puritatem, Ecclesia in meliorem ordinem singulari Dei beneficio reposita, & simul pulsis fugatisque hostibus urbs ipsa in suam libertatem non sine insigni miraculo restituta fuerit: senatus populusque Genevensis monumentum hoc perpetuæ memoriæ caussa fieri atq; hoc loco erigi curavit quo suam erga Deum gratitudinem testatam faceret.

Vix ortis his turbis, Petrus de Baume Genevensis Episcopus, unà cum Clero urbe excessit, qui quũ initio hominibus istis rerum novarum studiosis aditum non ut debuit, obstruxisset, eorundem conatibus oppressus errorem, licet sero, agnovit, tum scilicet quum malo remedium afferre non posset. Ut enim prævisa jacula minus feriunt; sic incauti facile dejiciuntur ac superantur. O quã multa mala ejusmodi negligentia ac segnities invexit! Ignavi homines, quas miserias in vestra ac nostra capita non conciviistis? Quod si publicæ salutis curam plane ex animo ejeciistis; annon privatæ respectus excitare vos debuit? Verissime enim à Solone dictum est, nullam esse feram, nullum repagulum vel obicem, quo publicum malum à privatarum ædium ingressu cohiberi possit. Sed ad Farellum redeo, qui opera præcipue Perrini cujusdam utebatur, hominis factiosi, sed funestum exitum sortiti. Ut enim Augustus ad aram Iulii Cæsaris memoriæ consecratam, omnes conspirationis participes quos nancisci poterat, interfici jussit: sic Perrinus iste, annitente Calvino, in ipso saxo quod olim altaris usui inservierat, Calvini vero jussu ad locum reorum suppliciis destinatum, deportatum fuerat, capite fuit truncatus. Ex aliis audivi, & in schedis quibusdam ipse legi, Perrinum ipsum lapidem hunc sacrum, in quo ante corpus Iesu Christi consecrari atque offerri consueverat, in locum illum infamem transportari curasse, ut maleficorũ sanguine posthac tingeretur; nequaquam tum ratus, se primam fore victimam ad altare hoc immolandam. Perrino à Calvino crimini datum, quod ad instar Sicularum vesperarum, Gallos omnes exsules cum suæ factionis hominibus trucidare constituisset. Hoc ergo modo Genevensis civitas perdita fuit, in qua jam lõgo tempore hæresis sub Calvini vexillo triumphat: quæ olim etiam Felici V. Antipapæ, Cardinali Genevensi, pro Ecclesiæ capite se gerenti, perfugium præbuit. Eodem tempore Tiguri, quæ civitas à Geneva non longissime abest, infans natus fuit triceps, cum tribus manibus, & tribus pedibus; quod monstrum procul dubio istius ipsius de quo jam multa diximus, monstri præsagium fuit ac figura.

III. Farellus suis diffisus viribus, ad perficienda incœpta Calvinum Ferraria revertentem, in auxiliũ vocavit. Is invitũ se simulans, quanto magis rogabatur ut Ecclesiæ Domini instaurãdæ manum admoveret, tanto magis tergiversabatur, alio se vocatum causatus. Quemadmodum vero rei magnopere expetitæ simulata repulsa animũ multo majori accendit desiderio; sic Genevenses novam Ecclesiam ac rempublicam jamdudum moliti, quanto magis Calvinus detrectabat, tanto vehementius retinere eum studebant: ut ipse dicat se invitum manere ibi coactum. Quare munus S. Scripturam interpretãdi, & conciones sive exhortationes Gallica lingua faciendi sibi sumsit, à Gallis præcipue conductus, qui partim è Lugdunensi aliisque provinciis profugerant, ut ignes quos sibi accensos sciebant, vitarent; partim ut creditorum defraudationes S. Spiritus pallio velarent. *Ipse Calvinus fatetur, se Gulielmi Farelli tam consilio & exhortatione quam terribili adjuratione, imme ab ipso Deo quasi extensa manu, Genevæ fuisse retentum. Quum enim precibus nihil proficere*

se videret, imprecatione usum, hac scilicet, ut in tanta necessitate auxilium ferre recusantis studiis ac vitæ tranquillitati, quam unice quærebat, Deus maledicere vellet Quibus verbis territus, cœpti itineris consilium omiserit. Hic ille Farellus est, quem Calvinus collegam suum passim appellat, qui postea de Carnis resurrectione dubitare cœpit, ut ex Calvini ad eum scripta epistola videre est. Non multo post Calvinus Catechismi sui telam exorsus, brevi eam pertexuit, sumpta à Carolstadio forma: quod opus Calvini sectatoribus ita placuit, ut Excellens vulgo κατ' ἐξοχὴν appellaretur.

IV. Calvinus Genevæ latibulum sortitus, trium illorum popolarum quib⁹ merces suas per Galliã distrahendas commiserat, memoriam nondum deposuerat. Quare per epistolã venire eos ad se jussit. Sic diversis viis iter ingressi ac Genevã appulsi eorum quæ à se gesta essent, Calvino rationes reddiderunt, & quæ porro spes esset, ostẽderunt. Huic consilio Sanvertunianus Pictaviẽsis Senator quoque interfuit. Illos auditos ac de rebus omnibus diligẽter instructos, Calvinus in Galliam remisit. Præcipuus eorum conatus circa scholasticam juventutem corrumpendam versabatur. Norãt quippe nullibi facilius veneni hujus contagionem adhærescere, nec ullibi brevi temporis spatio latius proserpere. Ad universitates quippe omnes fere confluunt qui præcipua olim in Republica munera sunt obtenturi. Et illi quidem quamvis ex æquo mandata strenue exsequerentur, nõ tamen omnes eodem utebantur successu. Bonus homo inprimis juventutis in Pictavensi Academia literis operam dantis cereos animos facile corrumpebat ac quocumq; vellet flectebat: quinetiam in Nobilium ruri habitantium domos irrepens, plerosq; Calvini dogmatis inficiebat. Primi ex his erant Fajus in agro Angolismensi, Veracus in Pictonibus. Mirambellus in Santonibus. Nõ idẽ successus eis Tolosæ fuit, ubi scholarium actiones & studia diligenter à Præceptoribus observabantur. Et sane æterna laude dignissima hæc urbs est, quæ licet post Luteriam maxima civium atque advenarum frequentia abundet, & regionibus hæresi infectis undiq; cincta sit, in Catholica tamen fide cõstanter perseveravit, adeoq; ne unam quidẽ familiam intra muros suos habet, quæ non sub Catholicæ Ecclesiæ legib⁹ vivat. Vernovius unus ex novi Evangelii præconib⁹ dum Genevam revertitur, Chamberiaci deprehẽsus, cum quatuor sociis flammis fuit exustus. Ramassator post multos labores in Arvernis mortuus est. Bono homine vero quid factũ sit, nos latet.

V. Porro Calvinus formam à Farello introductã, illi quæ apud Bernates est conformem, sequi nolens, omnia pro lubitu suo mutare instituit. Et velut homo erat imperiosus & intolerabilis arrogãtiæ, sic in omnibus supremã sibi auctoritatẽ vindicabat. At conatibus ejus magistratus urbanus ac Syndici sese opposuerunt, nihil prius habẽtes quã ut cum vicinis suis & confederatis eandẽ religionis, ac præsertim in Cœna administranda formã retinerent. At Calvinus natura ferox ac ferus etiã nemini omnino voluit cedere; eoq; Cœnã ex forma quam ipse invenerat administravit, hoc ad sui augendam existimationem pertinere existimans, si à nemine quidquam præscribi sibi pateretur. Quæ res turbas non leves in civitate excitavit; eoq; tandem res rediit, ut Curaltus quidam Augustinianus quondam eremita, apostata, à Calvino Basilea accersitus, in carcerem conjectus sit. Quoniam vero tum Paschatis festum instabat, Senatus Mario cuidam concionandi Cœnamq; administrãdi provinciam dedit. Sed hic Calvini minis territus, clanculum se subduxit. Tum Farellus & Calvinus ad cõcionandum progrediuntur, populo tamen persuadere non potuerunt, ut novo illo ritu Cœnæ Domini participarent. Sic ergo non sine gravissima populi offensione Paschatis festum sine Paschali illa celebritate ac cõmunione abiit. Calvinus ipse dicit, quamvis natura timidus esset, coactum se nihilominus, ad sedandas istas controversias, vitam suam præsenti periculo objecisse. Mirum vero est quam in omnibus homo hic timiditatẽ suam præ se ferat, ac pæne ostentet; adeo ut jam morti vicin⁹ circumstantibus Ministris non semel dixerit: *Equidem illud vobis affirmo, ô fratres, me natura timidum esse & meticulosum* At tam scripta ejus quam ab ipso excitati motus longe aliud testãtur. Sed ad magistratum Genevensem redeo: qui metuens ne Calvinus & socii monstri quid alerent, & mutationẽ in Republica molirentur, Farellum, Calvinum, eorũq; assecias proscripserunt. In hoc exsilio Calvinus à Zacharia quodam vehemẽter fuit oppugnatus ac prostratus. Zacharias is Belga fuit natione, Theologiæ Doctor, qui Anno MDXXXVIII. Bernæ Helvetiorum cum Calvino disputationem suscepit. Quum vero Calvinus cum Zuinglio sentire se simularet, Zacharias præsente magistratu epistolam Calvini manu scriptam è sinu deprompsit, rogans, num manum suam agnosceret. Quum negare non posset, Zacharias epistolam illam coram

omnibus

omnibus recitari jussit, in qua Zuinglius, quem jam uti virum Dei laudabat atque extollebat, mille cõviciis lacerabatur. Qua ex re quum magnum sibi conflatum odium sciret, relicta Berna Argentoratum concessit, à Bucero iterum amice humaniter exceptus, ubi suas uterque opiniones cũ Lutheri deliriis miscendo, rursus novam religionis formulam commenti sunt. Ibidem rogatus à Bucero Calvinus, Gallis quibusdam exsulibus cõcionandi munus suscepit. Hic ille cœtus est, quem primam Gallicanam vocant Ecclesiam; eo in primis notabilis, quod ex proscriptis ac fugitivis cõstabat. Ait Calvinus, eadem protestatione se à Bucero, quẽ præstantissimum Christi servum appellat, eademque obsecratione qua à Farello quasi coactum, munus id suscepisse, proposito inter alia Ionæ Prophetæ exemplo, quo vehementer fuerit commotus. Sic ergo Calvinus Argentorati Dei Verbum aliquamdiu interpretatus est, eo fere modo quo Professores sive Doctores in scholis è cathedra solent; nullo tum adhuc constituto ordine (si modo in tanta confusione ullus ordini locus esse potest) nulla certa politia, quæ paullatim postea fuit introducta. Simile enim quid quale Genevæ antea, Calvinus moliri hic non audebat. Quamvis autem Bucerus non in omnibus cum ipso sentiret, liberam tamen ei quæ vellet dicendi ac docendi potestatem permittebat. Erat vero Bucerus, cujus libro II. frequens fit mentio, ex Dominicano Monacho, apostata, qui Lutheri contra Ecclesiam scriptis ac concionibus excitus, abjecto cucullo statim juvenculam laborum sociam sibi adscivit; eaque mortua, duas deinde unam post aliam superinduxit. Videmus vero plerosque istos Reformatores ad nullam aliam rem tanta cupiditate atque ardore convolasse, quam ad incestas ejusmodi nuptias: quæ sane Reformatio longe discrepat ab ea quam S. Ioannes virginitate sua instituit, & consilio suo approbavit. Calvinus Idelettam Burensem, Ioannis Estordeurii Leodiensis quondam civis, anabaptistæ, viduam, à se conversam, uxorem duxit, illam quidem adhuc integra ætate & forma florentem, sterilem tamen. Antonio vero Calvino fratri uxorem dedit Antverpiensis civis, Nicolai de Fer nomine, qui foro fraudulenter cesserat, & Genevam, ubi Spiritus S. portam quam latissime omnibus aperiebat, tam quam ad asylum confugerat, filiam simulq; officinam ei librariam instruxit, ut tanto facilius libros suos per fratrem posset distrahere. Sed misero huic infelix hoc evenit conjugium, filia ipsius in adulterio deprehensa, & Genevæ publice à carnifice virgis cæsa: quæ infamia Calvinum ad insaniam fere redegit. Id Beza in Præfatione super Iosue quasi leviter intento digito innuere videtur. Quũ enim dixisset, Calvini domum omni scortationis infamia caruisse, addit, Deum tamen ejusdem patientiam per eos qui proxima cognatione ipsum attingebant exercuisse. Idem tamen, atque adeo multo pejora Iacobo ac Davidi accidisse. Eodem infortunio Theodori Bezæ neptis Dionysia nomine, Cornelii cujusdam Hebraicæ linguæ apud Genevenses Professoris uxor, involuta fuit, tanto tamen felicior, quod sive Bezæ respectu & auctoritate, magistratu connivente, sive paullatim jam collapsa disciplina, à virgarum supplicio immunis fuit. Falluntur enim, qui apud Genevenses adulterii reos capitali supplicio affici putant. Ipsum Bezã audiamus, qui ut Magistri sui Calvini mansuetudinem in majus extolleret, quãvis, inquit, in omni bene constituta civitate adulteri morte digni judicentur, Genevæ tamen Calvino vivente, nullum simplex adulterium morte fuisse punitum.

VI. In hoc suo exsilio Calvinus ad Ratisbonensia comitia Anno MDXLI. Argentorato unà cũ Bucero profectus, quantum poterat, sententiam suam de Cœna Domini vel occultabat, vel ambiguis verbis ita pingebat, ut quamvis cum Zuinglio idem quodãmodo sentire videretur, nihilominus tamẽ peculiare quid saperet, & ab omnibus fere dissentiret. Quod animadvertentes Lutherani, velut agmine facto classicum cecinerunt, ac cœlũ ac terrã contra ipsum inclamarunt. Hic ille fons est & scaturigo acerbissimorum dissidiorum quæ inter Lutheri & Calvini discipulos postea exstiterunt: hæc illa Pandoræ pyxis est, ex qua tot probra, convicia, ac bella etiam proruperunt: quæ contentiones ut hactenus sedari non potuerunt, ita numquã sedari poterunt, quum Lutherani Calvinistas multo majori odio prosequantur quam ipsos Catholicos, ut suo loco ostendam. Hæc illa comitia sunt, quæ ad dissidia religionis tollenda, Wormatiæ inchoata, ac Ratisbonæ continuata, nullum alium exitũ habuerunt, quam quod eadem vehementius deinde gliscere cœperunt: quibus magni nominis ab utraque parte Theologi interfuerũt: Calvino interim opiniones suas sedulo occultante, ut quibus apud Lutheristas & Melanchthonianos, cum Catholicis concordiam tentantes, locũ minime fore facile intelligebat: quãvis animi sui sensa in responso ad

ea quæ Cardinalis Farnesius Pauli III. Pontificis nepos & Legatus à latere, coram Imperatore Carolo & Ferdinando Romanorũ Rege contra Protestãtes proposuit, animi sui sensa satis denudarit. Lutherani certè dicunt, Calvinũ se cum ipsis sentire præ se tulisse. At Zuingliani suarum partium eum fuisse ajunt. Quidquid sit, Calvinus postquam Lutherum mortuum ac Protestantes prostratos vidit, persuasit sibi, neminem esse qui impugnare ipsum auderet. Quocirca propriæ factionis ducem se constituit. Idem postea sæpe dicere solebat, magnum se ex tot tamque præstantium virorum aspectu ac conversatione fructum cepisse, Melanchthonis inprimis, quem mirifice laudabat; seq; inde multo animosiorem ad cœpta perficienda factum. Soluto, vel abrupto potius à Protestantibus colloquio (ut supra dixi) Calvinus Argẽtoratum rediit, hanc laudem nactus, si Bezę soli id affirmanti credimus, ut per excellentiam Theologus appellaretur, quique in Dominicæ Cœnæ negocio plusquã ceteri unquam vidisset. Ipse tamen in Institutionibus suis sic loquitur: *Porro de modo si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat. Atq; ut apertius dicam, experior magis quam intelligam. Itaq; veritatem Dei, in qua acquiescere tuto licet, hic sine controversia amplector.* Hactenus sub Christianæ humilitatis alis delitescẽs Calvinus. Sed jam porro audi ejusdem verba. *Nobis sufficit*, inquit, *Christũ è carnis suæ substantia vitam in animas nostras spirare, immo propriam in nos vitam diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro.* In Harmonia sua dicit, Verba illa, *Hoc est corpus meum.* Metonymice esse accipienda. In Commentariis vero super primam ad Corinthios planissime ait. Se in hac quæstione nullam similitudinem admittere: quamvis ipse sui oblitus, plusquam centum locis similitudine columbæ, canalis S. Spiritus, fontis, &c. utatur, & ad corporis Christi negandam præsentiam, cœli ac terræ intervallum alleget. Idem tamen in iisdẽ Commentariis dicit secretam S. Spiritus virtutem non tantum posse congregare, sed conjungere etiam atque unire quæ locis inter se disjuncta sunt. Quæ vertigo hæc est? quæ inconstantia? sed inter se pugnantes hominis hujus opiniones persequi nec hujus loci est, nec mei instituti. Nunc ceteras vitæ à Calvino actæ partes persequamur.

QVOMODO CALVINVS PROPRIA AVctoritate Genevensem Ecclesiam involarit, & Ministros inde huc illuc miserit.

Caput Decimumoctavum.

I. *Calvinus & Farellus Geneva ejecti, sociorum quibuscum absentes etiam colludebant, opera revocantur.*
II. *Petrum Viretum Sabaudum unà adducunt.*
III. *Calvinus propria auctoritate Genevensis Ecclesiastæ munus usurpat.*
IV. *Calviniani Ministri missionem seu vocationem suam probare non possunt.*
V. *Claudius Espencæus cum Calvino Genevæ colloquitur.*
VI. *Calviniani Ministri suam ipsi vocationem in dubium vocant.*

I. QVamvis Farellus, is qui primas seditionis faces apud Genevẽses accendit, & cives atque advenas contra Episcopum ac legitimũ magistratum concitavit, ejusq; optio Calvinus ex urbe proscripti atque ejecti essent, suam nihilominus in eadem civitate habebant atque alebant factionem. Quamdiu enim uterq; vixit in exsilio, nullã omnino occasionem intermittebant quin & per litteras & libellos assidue suos exhortarentur; illudque inprimis operam dabant, ut discordiarum semina inter cives sererent, non ignari in turbida aqua facilem esse ac copiosum plerumq; piscatum, ac per civiles dissensiones latissimam quum privatis ulciscendis injuriis totique innovandæ Reipublicæ, tum hæresi propagandæ aperiri fenestram. Qui eis conatus tãto facilius successit, quod civiũ alii Catholicæ religioni, alii zuinglianæ sectæ sive Bernẽsi Confessioni essent addicti, alii vero novã fidem meditarentur: atq; adeo plerique omnes novis rebus studerent. At paucis absolvam, eò rem adduxit Farellus, ut senatus ac civium decreto ab exsilio revocatus sit. Qui deinde Calvinũ ad se vocavit, relicto Argentorato Genevam itidem profectum, quamvis quum alii tum Bucerus inprimis in retinendo eo valde laboraassent. Quo vero animo atq; affectu eò redierit, ipse testatur, inquiens; Se multo cum mœrore, sollicitudine ac lachrymis (quarum optimum testem Deum habeat) ad gregẽ à quo ante abstractus fuerat rediisse. Beza vero tã invitum revocantibus assensisse scribit, ut divini judi-

judicii metu ac minis adducere eum necesse fuerit Calvini hic reditus incidit in XIII. diem Septembris Anni millesimi quingentesimi quadragesimi primi: quem diem Genevenses tamquam primum Calviniani Pontificatus notant, quem Pontificatum ille totis viginti tribus annis gessit,

II. Porro duo isti, Farellus & Calvinus, tertium quendam sibi adsciverunt, constituto velut triumviratu, quo omnia suo arbitratu circumagerent. Is erat Petrus Viretus Orbensis, Sabaudus natione, qui Monachus olim fuerat, Ordinis Carmelitarũ, homo non tam disertus quam loquax: inde à Calvino, qui neminem quam seipsum magni faciebat, *Maistre de Caquet*, id est, loquacitatis magister appellatus, quem ego Lutetiæ tum quũ Calvinismus magno impetu in Gallia erupisset, concionantem audivi. Communi tum sermone Calvini scientia, vehementia Farelli, & eloquentia Vireti jactabãtur. Et sane negari non potest, Viretũ hunc omnibus artibus quibus ad decipiẽdos simplices animos opus est, fuisse instructum Triumviratus iste deinde à reformatis auctoribus electus tripus, ipsi vero καθ' ἐξοχὴν Evangelii Ministri dicti sunt. Hoc certe titulo à Beza insigniuntur: qui ad æquandũ, credo, Evangelistarum numerum, quartus deinde adscriptus fuit. Viretus Lausannam primum; quod oppidum est Genevæ vicinum, deinde Nemausum & Montem pessulanum missus, ac tandẽ in Beneamiã à Ioanna Navarræ regina evocatus fuit, ubi è vita decessit. Anno M.D.LXXI Calvinus Genevã reversus, ita omnia versavit, ut brevi nõ Episcopatum modo, verum etiã dominatum sibi arrogarit, res omnes tam ad religionem quam civilem administrationem spectantes, suo arbitratu disponens. Farellus Novum castellum in Bernatum ditionem profectus, Ministerq; factus, Calvino faciliorẽ crescendi copiã dedit, ubi decrepita plane ætate, quippe septuagenarius, tum calculi & arthritidis doloribus, perpetuis fere senectę comitibus, vexatus ac tantum non fractus, juvenculam uxorem duxit, ancillæ suæ filiam, superioris ætatis vigorem frustra sæpe inter frigidos amplexus exoptans, atque illud usurpans,

O mihi præteritos referat si Juppiter annos!

III. Sic ergo Calvinus propria auctoritate Pastorem se ac Ministrũ Genevensis Ecclesiæ constituit, licet ei tũ alius legitime ordinatus præesset, quam etiam postquã ad Christianam religionẽ adscripta est, Catholici Episcopi eadẽ fide & auctoritate tenuerunt. Neq; enim hæretici aut sectarii umquam infidelẽ aliquã nationẽ convertisse leguntur. Calvinus nihilomin⁹ sine ullo diplomate, sine missione, antiquũ illũ Episcopatũ invasit, atq; ita veteri Ecclesiæ novã superstruxit, Sed nos cum Cypriano quærimus, Quomodo ille pro Pastore agnosci potest, qui vivẽte legitimo Pastore, ordinariã habẽte successionẽ, à seipso cœpit; ac nemini successit? Nõ ignorabat Calvinus quid de ipso Lutherus senserit ac dixerit, inquiens, Etiamsi homines isti qui sine ulla vocatione Ministerio se ingerunt, sanctissimi essent, ex eo tamen quod non vocati se ingerunt, manifestũ esse, quod ad docendum à diabolo missi sint. Eum qui hoc hominum genus audiat, diabolũ audire, qui per os ipsorum non minus quã per dæmoniacos loquatur. Audi quæso, quomodo amplius eosdem exagitet Lutherus. Esto, inquit, nullam illi habent vocationem, ac Spiritum Sanctum habere se dicunt, talentum vero à Domino acceptũ, non esse abscondendum. Sed mi frater, bonam ego tibi mentem exopto. Etiamsi enim Salomone aut Daniele sis sapientior, si tamen vocationem nullã habeas, non minus quam ab ipso inferno tibi cavebis, ut vel unum verbum proloquaris. Quod si Dominus opera tua opus habeat, omnino ille te vocabit. Sed Calvinum ipsum idem dicentem audire operæpretium est *Ne homines, inquit, inquieti ac turbulenti (quod alias futurũ erat) temere se ad docẽdum vel regendum ingererent, nominatim cautum est, ne quis sine vocatione publicum in Ecclesia munus sibi sumat.* Ipse nihilominus non modo se ipse ingessit, verum etiam Episcopum, adeoque caput novæ Ecclesiæ constituit. Quis enim Episcopus Calvinum ordinavit? quis consecravit? qui licet ab ipsa Catholica Ecclesia sacerdotalem characterem accepisset, tamen ab ipsa deficiens, eundem perdidisset Hoc idem judicium Calvinus de duobus Galliæ Episcopis gregis sui desertoribus tulit: qui soli post Lutheranismum è Germania in Galliam propagatum, ex sacro illo & supremæ dignitati proximo ordine defecerunt, ac tamquam monstra omnibus abominationi fuerunt. De Onelpho Trecensi, & Spifamio Nivernensi quondam Episcopis loquor: qui postquam Genevam profugerunt, novam ibi ordinationem suscipere coacti sunt, quasi illa à Catholica facta Ecclesia nullius esset valoris. Sed à quibus, quæso, hominibus miseri illi ex Episcopis molitores facti, de novo ordinati sunt? Nimirum à prædoribus quibusdam, latreratoribus, ac laicis, qui propria auctoritate in Calvini Consistorio locum aliquem occupârant.

Idem

IV. Idem omnes alii minorum, ut ita dicam, gentium Ministri passim fecerunt, qui vel sua ipsorum auctoritate Genevâ prorepentes, vel à solo quam Calvino aut aliis, qui ipsi nullam missionem habebant, missi, docendi in Ecclesia munus sibi sumpserunt, sub illo prætextu, quod domum Dei, totam, si istis credere volumus, conspurcatam ac corruptam, expurgare ac restaurare vellent. Calvino nempe in mentem non venit, Prophetas omnes maxime vigente in populo Dei idololatria, in synagogis tamen fuisse versatos (tantum abest ut eas destruere conati fuerint, ut Calviniste jam faciunt) uti nec id quod ipse scripserat, scilicet ab Ecclesiæ unitate discedendum non esse, etiamsi aliqua vitia & errores in eam irrepserint; modo fundamentū, quod Iesus Christus est, integrum maneat. Quamdiu enim Ecclesia est, divortium cum ea facere minime licet, quamvis sive hominum malitia, sive negligentia Pastorum sive Principum conniventia, sive denique temporis longinquitate complures in eam irrepserint abusus. At Calvinus, Donatistarum aliorumque suorum majorum ac prædecessorum exemplo, Ecclesiæ repudium aperte misit; cum illis ipsis dictitans, sponsam illam Christi non amplius eandem esse quam olim, sed multis nævis ac rugis deformem, ac sordibus contaminatam. Hoc est quod Beza in omnibus suis scriptis ad nauseam usque inculcat. Recte tu, mi Theodore. Eodem enim jure uxorem tuam dimittere ac utres suas sibi haberet jubere poteras, postquam scilicet ex Candida illa versibus tuis tam honorifice decantata, anus edentula ac rugosa facta est; postquā nativus ille genarum rubor in pallorem abiit, post. quam scilicet candidæ illæ fauces nigredinē contraxerunt, postquam denique omnis ille formæ decor emarcuit. At Ecclesia nequaquam desinit eadem esse Ecclesia, quæ olim durante primo illo vigore ac pulcritudine fuit; non minus quam spōsa, etiam amissa pristina quam nuptiarum tempore habuit formæ venustate, sponsa tamen atque uxor mariti manet. Sed inquis, Esto: nil tamen prohibet quo minus novum ei ornatum addamus. O egregios ornatores! Credo, ut ornatior esset Ecclesia, caput ei amputare, ac jugulum ferire voluistis. Boni isti reformatores ejus exemplum imitari mihi videntur, qui quum vicini domum negligenter custodiri videret, eam ipse invasit, ac legitimū dominum ejecit. Aut illius, qui vicini domo arden. te, non aquam, sed ligna & oleum ad restinguendum scilicet incendium, apportavit. Dicitis vos, Ecclesiarum Pastores in faciendo officio negligētes fuisse. At cur non eosdem bono vestro exemplo excitastis? Putanda arbor est; non exscindenda. Everrenda domus est, non evertenda. Corrigēdus homo est, non occidendus. Quis vobis invadendi propria vestra auctoritate Ecclesias jus concessit? Quod si decem aut duodecim Iurisconsulti à schola adhuc recentes, Præsidem alicujus Curiæ & senatores comprehēderent, eisque ejectis, & assumpto Iudicum habitu, tribunal occuparent, causati Iustitiam hactenus eos non uti oportebat exercuisse, vel leges non intelligere: an recte hos fecisse dicetis? Si temerarius ille fatuus, qui purpuratis illis Parisiensis Curiæ, quæ semper ipsius Iustitiæ templum fuit asylum, Patribus impias & sacrilegas manus injicere ausus est, eorum quos velut in triumphum duxerat, & Bastillianæ arci incluserat, munus usurpare voluisset, an vos Acta ejus & asseclarum tamquam regii & legitimi in regno nostro magistratu approbassetis? Quis vero unquam Prophetā vel Apostolus sine vocatione Verbū Dei annunciare, ac Pastoris munus vindicare sibi atq; exercere ausus est? Recordamini, Domini Ministri, quæ Deus ejusmodi hominibus apud Prophetam Hieremiā minitetur, nec dubito quin, si non plane collū obduxerit vestra conscientia, divini judicii metus animas vestras vehementer sit perculsurus.

V. Theologus quidam Gallus, Catholicus, Bononia Anno MDXLIIX. in patriam revertens, quū per Genevam iter faceret, atq; intellexisset Calvinum Episcopi ibi munus usurpare, hominem adiit & de ipsius vocatione privatim sermonem contulit, sed aliud responsum exsculpere non potuit quā id quod olim Donatistas S. Augustino dedisse ferunt: scilicet, moris quidē in Ecclesia fuisse ut Ministri ordinaria quadā via ad munus id vocarētur, sed tum quum Ecclesia esset visibilis, & ad divinæ legis normam instituta; se vero quum nequaquam talem, sed penitus corruptam ac depravatā, immò sine ulla Ecclesiæ formæ invenerint, ministerium suscipere atq; ad id alios vocare necessario coactos esse, Hæc eadē veterum hæreticorum vox fuit, dicentium, Totum Mundum corruptum, atq; omnē sinceræ Christianæ religionis formam esse abolitā; quæ sola apud ipsos sana & integra reperiatur. Ergo nullus amplius (inquit Espencæus, cujus singularis doctrina postea tā in sermonibus quam variis disputationibus enituit) nullus ergo, inquā, in orbe amplius fuit Christianus? Ergo Ecclesia id unū egit, ut infernū civibus impleret? Ergo demū

ante

ante quindecim annos Veritas urbi illuxit? Fateor, inquit Calvinus, semper fuisse fideles, sed variis locis hinc inde dispersos, non tamen sub veræ & legitimæ quæque notas illas retinuerit, Ecclesiæ forma congregatos. Hoc quidem Calvini est effugium, ut & omnium hæreticorum, qui in Ecclesiæ invisibilitate semper sese absconderunt, neque missionem suam ullis miraculis, Mosis, Prophetarum, adeoque ipsius Salvatoris nostri & Apostolorum exemplo probarunt & confirmarunt.

VI. Scio ego in Pictaviensi synodo secunda, Anno M.D. LIX. clanculum apud Beaussæum toparchã celebrata, quosdam qui cum Ecclesia jam divortiũ fecerant, vehementer schisma detestatos, de redeundo in gratiam cum Ecclesia serio cogitasse, inter quos non postremus fuit Abbas Valentiæ in Pictonibus, nobili Veracorum ortus familia; qui etsi religioso adhuc sive monastico habitu uteretur, Ministri tamen personam sustinebat & agebat. Et hic quidem ut primus ex Archimandritarum seu Abbatum ordine, à Calvino seductus, Ecclesiæ repudiũ misit, sic primus etiam schismatis atrocitatẽ & sensit & publica voce detestatus est. In synodo famosus quidã Advocatus Borderius nomine, unus ex Pictaviensibus Calvini primitiis (de quibus alibi dixi) multis ac vivis rationibus toti cœtui demonstravit, nõ ita temere divortium cum Ecclesia faciendum, sed constanter in ea manendum esse. Inter alia sic disserebat: Nos quidem, inquit, turpissimi sacrilegii rei sumus semperque erimus, eo quod sine legitima commissione aut vocatione Ministerii auctoritatem usurpavimus: etiamsi religio quã profitemur ac defendimus, omni errore careat. Metuendum sane est ne Deus nos ut olim Core, Dathan & Abiron, qui sacrificandi muneri se ingesserant, horribiliter puniat. Huic etiam Abbates Roanensis & Bonnevalensis, iam dudum à Calvino in nassam pertracti assentiebantur: sed totum negocium ad Calvinum remissum fuit, qui silentium eis imposuit. Quamvis autem Ministri illi variis argumentis vocationem suam probare & colore aliquo pingere semper conati sint; eis tamen Catholici os rationibus longè efficacissimis occluserunt, ut Rogerio, & Tossano Aurelianensi Ministro. Ministros quosdam dicentes audivi, disputationis hujus Camarinam in ipsorum cœtibus sæpe fuisse motam; atque ibi plerosque confessos esse, quæcunque ad probandam hanc vocationem afferrentur, sycophantias esse ac nugas meras.

At vos, ô Ministri, secretiora synodorum vestrarum Acta inspicite, earum præcipue quæ an. M.D. LXIII. Mondiderii in Picardia, præside Matthæo Vireto; Ferti ad Jovarrum, idemque Blanchii anno M.D. LXIV. Alisii ad Oursam anno M.D. LXV. Lunigii in agro Brienſi anno M.D. XVI. celebratæ sunt. Quum synodus has audis, prima hæreticorum Consilia audire te puta. Sed ô carioſam antiquitatem, quæ vix quadraginta habet annos! Reliquos conventus in Aquitania & Occitania passim habitos omitto. Synodorum, iterum dico, vestrarum Acta inspicite; & in iis vel scholasticos, & quidem imorum subselliorum homines; vel causidicos, qui linguæ suæ volubilitatem in foro juridico vendere populo non poterant; vel etiam sellularios opifices, relictis officinis ac stationibus suis, assumtoq; Ministri nomine, cœtui præsidentes, se se non sine pudore intuentes invicem videbitis, conscios quippe sine legitima vocatione animarum curam se suscepisse. Equidem certò mihi constat, complures alterum alteri confessos esse, Romanam Ecclesiam Jesu Christi esse Ecclesiam, ab Apostolis & iis quos illi ad opus hoc vocarunt, institutam, & legitima vocatione ac perpetua successione cõtinuatam, cujus radix & origo sit ipse Jesus Christus: eoque Ecclesiæ hujus Pastores legitimos, esse Apostolorum successores: nec ob vitia & abusus, qui fortè irrepserint, veræ Ecclesiæ jus perdere potuisse, adeo ut eam deserere planè nefas sit. Constat sane quantopere Antonius Chandæus Sadeel aliàs dictus, & Capetus, primarii in Gallia Ministri, in quæstionibus quas collegæ nonnulli, quibus conscientiæ aliquid reliquum erat, de legitima sua vocatione proposuerant, exsolvendis desudaverint. Neque enim Ecclesia ullam unquam aliam missionem seu vocationem agnovit, quam eam quæ continua Pastorũ successione ab ipsius Jesu Christi vocatione, auctoritate ac potestate descendit, ab ipso ut homine, in Apostolos tamquam Episcopos collata, ac deinceps de manu in manũ successive sine ulla interruptione per eorundem successores continuata. Ut paucis absolvam, nulla alia in Ecclesia est legitima vocatio, quã ea quæ facta est ab homine Pastore, qui eã ab alio acceperit ejusdem gradus & qualitatis, cum potestate eam alteri conferendi, ac cõtinuandi. Salvator enim noster potestatem hanc nõ nisi semel originaliter fundavit, & quidem quum adhuc in terris viveret, in persona S. Petri & Apostolorum, qui eam ob causam Fundamenta Ecclesiæ appellati sunt; unà cum facultate eam aliis ipsorum successoribus conferendi, qui porro potesta-

tem haberent alios eadem cum potestate ordinandi, continuata ita usque ad supremum Mundi diem successione, quoad, ut S. Paulus loquitur, omnes Christo obviabimus. Sic Salvator noster Petrum successorem instituit, Petro Linus successit, huic Clemens, & sic deinceps. Et S. Paulus Timotheum habuit successorem, hic Epaphroditum, &c. Sic alii alios, donec ad nostra usque tempora est perventum.

Hæc quidem de legitima Ministrorum Ecclesiæ vocatione breviter ac velut in transcursu dicta sunto, ut potestatis illius quam nos Pastoralem appellamus, fundamentum aliquanto melius intelligatur. Ex quibus manifestum est Prædicantes Lutheranos, Calvinistas, Zvinglianos, Anabaptistas, & omne id genus, nihilo plus esse quam personas privatas, & miseros eunuchos omni generandi aut alios creandi vi destitutos. Quamvis enim nonnulli inter ipsos sacerdotes fuerint in Catholica Ecclesia ordinati, auctoritatem tamen manus imponendi aliosque mittendi nullam extra Ecclesiam habuerunt: quæ quidem potestas superiori tantum, nempe Episcoporum ordini data est: adeo ut etiamsi veritatem prædicarent, id unum tamen ad os eis occludendum satis esse possit ac debeat, quod scilicet legitime vocati aut missi non sunt; eoque à nemine qui salutem suam amet audiendi.

DE PRIMIS CALVINIANÆ SYNAGOGÆ Ministris: & quomodo ii nomina sua mutarint, & magno numero Genevam accurrerint.

Caput Decimumnonum.

ARGUMENTUM.

I. *Calvinus Genevæ pro Episcopo se gerit, & Ministros à se ordinatos huc illuc ablegat.*
II. *Primis novi Evangelii Ministris nomina sua mutare usitatum.*
III. *Calvini auctoritas Genevæ formidabilis.*
IV. *Multi ad videndum & audiendum Calvinum Genevam se conferunt.*
V. *Scholares quidam studiis relictis, ad Calvinum proficiscuntur.*
VI. *Qui è quovis ligno Ministros tamquam Mercurios formet.*

I. Calvinus voti sui cõpos factus & Genevæ, unde Farellum tamquam rivalẽ ac competitorem exturbarat, solus Episcopi munus usurpãs, oculos animumque in primis ad miseram Galliam, matrem suam & altricem, deprædandam adjecit, miseram, inquam, Galliam, sed longe felicissimam futuram nisi monstrum hoc umquam concepisset, aut conceptum in ipso partu tamquam abortum statim exstinxisset; aut si quod ipse optabat, evenisset. Complures enim Calvini cognati & amici affirmarunt, eum puerum sæpenumero Naturam accusare solitum quod muliebrem sexum sibi non tribuisset: quod votum nescio an umquam in alterius viri animum ceciderit; à Platonis quidem sententia omnino discrepat, cui inter alia ob quæ gratias diis suis agebat, & hoc fuit, quod non feminã, sed masculum ipse nasci voluissent. Dum ita Genevæ desidet Calvinus, omnia quæ in Gallia passim fiebant (tela enim hæc publicarum calamitatum iamdudum cœpta erat) ad eum tamquam summũ Pontificem referebantur. Hæc Delphi illi erant, unde Calvinus velut Apollinis tripodi insidens, toti Christianitati oracula reddebat. Hæc Roma illa erat, unde ille Nuncios suos & Legatos in omnes terrarum partes mittebat, ad cõsolandos præcipue ac confirmandos eos, qui opiniones ipsius etiam cũ periculo defendendos suscepissent: uti ex illorum patet pseudomartyrologio, in quo multa passim Calvinianæ istius consolationis atque exhortationis vestigia exstant. Et quemadmodum sedulus & ad rem attentus Paterfamilias singulis domesticorum ad quæ maxime idoneum quemq; existimat, negocia imponit, ipse laborum adstans arbiter atque ἐργοδιώκτης: sic Calvinus exploratis singulorũ suæ factionis hominum indole & viribus, hoc uni alii aliud munus demandabat, ac Ministros in omnes partes emittebat, qui velut erucæ ac locustæ brevi omnia corruperunt ac vastarunt. Novis his & adhuc docendis hominibus satis erat, si paullo disertioribus labiis instructi essent. De quibus Hieremias sic inquit: *Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo. Non misi eos, & non præcepi eis: neque locutus sum ad eos.* Ajunt, conquerentibus quibusdam quod juventus Ministerio destinata genio & ocio indulgeret, nec fere ulla alia in re quam in canina aliqua comparanda facundia elaboraret, Calvinum respõdisse: Sinerent bonos istos animo suo obsequi pro quibus ipse dies noctesq; vigilet. Apud se istos præmãsum cibum bona copia reperturos. Ea vero erat Calvini ambitio ut ferre nõ posset eos, qui nõ optimas studiorum horas in libris ipsius legendis collocarent. Hinc quodam loco inquit, esse nonnullos qui suo confisi ingenio, neminẽ scripturas explicã-

tem

rẽ audire, neq; ullius Commentarios legere dignẽtur. Id vero Deo summopere displicere, qui nolit, ut subsidia ista negligamus, huncq; despectum atque arrogantiam in nonnullis acerbe aliquãdo vindicet. Horum vero Ministrorum quorum opera Calvinus ad institutum suum promovendum ac perturbandam Galliam usus est, præcipui fuerunt. Antonius Rupi-Chandeus, & Massonius, quẽ ille Lutetiam ablegavit, ut novi Evãgelii Ministerio fungeretur, dum ipse interea Genevæ tamquam in specula sedens novæ suæ Christianitatis universam Remp. versaret ac moderaretur.

II. Quemadmodum vero Æneas & socii abjectis Trojanis insignibus & armis Græcorũ assumserunt, ut sub falso eorum prætextu tanto tutius latere, tãtoq; facilius Græcos fallere possent: sic novi isti Evangelistæ, ne nihil haberent quod novum non esset, nova susceptа à Calvino novo Apostolo missione, nova etiam nomina sibi indiderunt, ac nova insignia præ se tulerunt. Angelus Vermilius, Petrus Martyr, Jacobus Cocus, Justus Jonas, Joannes Massonius primus Parisiensis Ecclesiæ Minister, la Riviere; Joannes de Pleurs, Espoir; Claromontius primus apud Rupellanos minister, Fontanus appellari voluerunt. Fuit qui repudiato Geberti nomine de Bergeri; alius de Trẽblert, pro de Roches dici voluit. Ipse ille Rupi-Chandeus Sadael deinceps, Colonius, Batellus; le Gai, de la Pierre, idemque etiã Boisnormandus dicti sunt. Carolus de Albiac susceptо ministerio de Plessis; Andreas Masurius, la Place, alii aliis nominibus noti fuerũt. Quin etiã magnus ille Theodorus Beza, quum primum Genevam cum Candida sua venisset, eleganti & convenientis ominis nomine, Tibaldum Maium se appellavit.

Persuaserant sibi forte isti homines, quemadmodum Deus, ut inquit S. Hieronymus, servorũ suorũ nomina numquam mutavit quin magnum aliquod mysterium simul indicare voluerit; sic quoq; hanc suorum nominũ permutationem mysticũ aliquid habere simplices existimaturos. Aut quemadmodũ Romani Pontifices susceptо Pontificatus munere, pristino deposito nomine novum sibi sumunt, nequaquam propterea Baptismo, ut hæretici calũniantur, renunciãtes; sed id indicantes, cum nova hac & suprema in terris dignitate novã se quasi naturã & virtutẽ accipere: sic ministri illi innuere voluerunt, se ad ministerium vocatos velut depositis veteribus exuviis, quasi novos homines repente prodire. Sed quemadmodum serpens etiamsi veterem pellem deponat, non tamen serpentis naturam deponit; sic isti, etiamsi pristina nomina mutarint, nõ tamẽ indolem ac mores mutarunt, ne hilo quidem meliores, immo multo deteriores facti. Idem fateor institutum ab iis observari, qui religiosum Cappucinorum ordinem ingrediuntur: sed longe diversissima ratione. Cui enim non admirationi sit, homines reperiri tãto religionis ardore inflammatos, ut abjecta purpura, abjecto torque aureo, abjectis ceteris equestrium ordinum insignibus, lacernam ac cilicium sibi sumãt, Mundumq; cum omnibus suis rebus æternum valere jubeant? Sed facile iam illam cogitationem omitto, quam ob caussam nominum hæc mutatio, quæ in secreto plerumque non vero tum quando ad ministerium recipiebantur, fieri solebat, à Prædicantibus introducta atq; usurpata sit. Neq; enim alios quoq;, quos tamen multo plures possem, eandem ob caussam sub censuram hoc loco vocare volo. Illud tantum addo. Quemadmodum inter animantia quædam sunt quæ pedum suorum vestigia, præsertim circa cubilia & latibula sua cõfundunt, ne à venatoribus pervestigentur ac deprehendantur: sic multos ex illo hominum genere hac nominum mutatione, vel prioris suæ vitæ turpitudinem, vel generis sui infamiam, tegere, vel denique periculis se subducere voluisse. Jam ad Calvinum revertamur.

Calvinus Genevæ tantam obtinebat auctoritatem, ut non modo ab omnibus, etiã ipsis Reipublicæ primoribus observaretur ac coleretur, verũ etiã quasi adoraretur. Cujus rei Beza lepidum adfert exemplũ ejus, qui quum morti jam vicinus esset, persuadere sibi non poterat à Deo sibi peccata remissa esse, nisi à fideli illo Dei servo, quem toties ante ac tam graviter offenderat, itidẽ veniam impetrasset. Idq; in illius laudem Beza dicit, Calvini vitã describens. Id vero etiam intelligi potest ex illa contentione, quæ inter Italũ quẽdam & Sabaudum exstitisse fertur, Sabaudio Calvinũ non modo ad cœlos usq; sed etiam supra S. Paulum efferente. Quid? Bezam ipsum audiamus, quodã loco aperte profitentem, Se quæ à Calvino profecta sint, non minus recipere, & merito quidem, quam ea quæ ex Domini ore sint prolata. Hanc vero suam auctoritatẽ Calvinus non minus imperiose exercuit quàm humiliter alii deferebant. Quæcumq; vellet, fiebant; nec quidquam quod non vellet, fieri poterat. Quod si quis contra ipsum vel formam Ecclesiæ aut Reipublicæ ab ipso introductã, disciplinam præcipue Ecclesiasticam hiscere auderet, statim illud audiebat:

Cornu ferit ille, caveto.

In quo sane si quisquam alius, Calvinus fœnum gerebat. Ad disciplinam illam quod attinet sæpe ejus tentata est reformatio, sæpe alia forma proposita, Calvino semper obnitente. Unde multæ ac magnæ turbæ ac seditiones exortæ sunt, præsertim anno M.D.XLVIII. M.D.LIV. M.D.LV. Beza ait, Calvinum non semel nudis se gladiis medium objecisse, ac sua tantum præsentia furibundos ac desperatos homines revocasse. Quoties cumque ille sive in Consilio sive in Consistorio à se formato, (de quo sequente libro dicam) sententiam dicebat, nemo erat omnibus qui vel solo verbo contra mutire auderet. Adeo omnes non modo in sententiam ejus pedibus ibant, sed ultro etiam antequam dixisset, applaudebant. Quid multis? Voci ejus omnes obediebant. Satis erat hic illud Pythagoræorum Αυτος, ἔφα. Nullum ex ejus ore verbum evolabat, quod nō pro ipsius Veritatis filia haberetur. Tantopere illū omnes verebantur. Interim sub illo sanctitatis velo, invidum ille & nihil nisi vindictam spirantem animū occultabat, cujus quidem aculeos & vim multi senserunt, tū præsertim postquam ille absolutii imperii ac nullis limitibus circumscriptæ potestatis dulcedinem degustavit, & degustatā, imperiosè usurpavit. Quod si quis opponere se ausus esset, Deū immortalem quomodo ille excandescebat! quomodo tumultuabatur! Is ipse qui tam liberali penicillo laudes ejus depinxit, ait, quum sua natura ipse esset cholericus, & ingenio miro prompto, hominum quorundam immodestia, infinita negociorum varietate ac multitudine quæ pro Ecclesia Dei quotidie sustinebat, ac tandem sub vitæ finem familiaribus sibi morbis, difficiliorem aliquanto ac morosiorē fuisse redditum. Hoc hujus in Defensione sua affirmat, visum esse Calvinum judicio in quo de capite alicujus agebatur, assistentem, & mortis sententiam in reum ferentem. Cajetus ait, in politicis negotiis Calvino semper inter magistratus ac primores Reipublicæ locum fuisse, etiam in criminalibus judiciis: eaq; re ipsum gloriatum esse. At hoc in Catholica Ecclesia nequaquam permissum est, in qua Ecclesiastici judices non modo nullā habent de capite cujusquam statuendi potestatem; sed etiā scribis si qui adsint ex Ecclesiastico ordine, decreto quo quis mortis damnatur scribendo interesse non licet; qui vero cōtra faciunt, in irregularitatē incidunt, & beneficiis Ecclesiasticis privantur. Alius vir erat Calvinus, qui inter magistratus suum obtinebat locum, & una cum civitatis Syndico tribunali insidebat, cum eisdem ibat, & inter præcipuos magistratus medius, uni prætori primum locum cedebat. Sic omnes narrant qui vel Genevæ educati sunt, vel Genevensium res experientia nōrunt. Margarita Navarræ regina, Princeps benigna admodum & liberalis, quatuor Francorum, ut vocāt, millia ad Calvinum Genevam miserat, in pauperes exsules ac profugos Gallos distribuenda. Quæ quidem ille accepit; in distributione tamen mala fide versatus est. Hac de re certior facta regina, de Calvino conquesta est. Calvinus in Consilio factū suū excusavit, & quibus potuit prætextibus palliavit. Ut vero satis superq; sibi ejusmodi excipiendos impetus esse, nec vel omnes reginas hili se facere ostēderet, insolenter admodum reginæ, ad refutandā, uti dicebat, calumniam, scripto respondit, quod & coram senatu civitatis legit, eoque præsente obsignavit. Idem tamen postea aliud submisse admodum & humiliter scriptum pro illo suppositit, ac nuncio ad reginam perferendum dedit. Hac fraude postea in apertum erumpente, Calvinus toti civitati fabula fuit, ut Bolsecus ait, qui tum Genevæ vixit.

Qui Genevam ultro citróque comeabant, dici non potest quam effusi in Calvini laudes fuerint, quas non pleno tantum ore, verum etiam buccinis decantabant, tantaque narrabant miracula, ut nullus esset juvenis, qui quidem emancipatus ac sui juris esset, qui non hujus tanquam alterius & novi sancti Pauli Apostoli videndi desiderio afficeretur. Tantos vero ille laudum suarum habebat præcones, ut prædicandis illis satiari non possent. Ex quo fiebat ut plures undique Genevam, tanquam alteram Corinthum, ad novam hanc Laida confluerent. Quin etiam multi relicta patria, in illum Sabaudiæ angulum commigrarunt: quam nonnulli Hierapolim, id est, sanctam Civitatem appellarunt: ut Stephanus le Roy in suo de Martyribus libello. Ex omni vero hominum genere nulli facilius inescati sunt, quam pictores, horologiorum artifices, aurifabri, librarii, typographi, & quicumque in aliquo artificii genere excellebant. Ut enim tabula quanto candidior est, tanto facilius infuscatur; sic fraude hæreticorum acutioris ingenii homines facilius capti sunt quam Minervæ, ut dicitur, pinguioris. Omnes hi artifices, quorum vita non minus erat dissoluta quam opera licentiosa, dum colores suos terunt, dum horologiorum rotulas ordinant, dum Chimæras suas æri insculpunt, dum varia ducunt emblemata, intellectus sui acumine ipsos cœlos perforare ac penetrare satagebant, ac tot animo

phanta-

pătasias cõcipiebãt quot hexacontalithos colores de se reddit. Omnes elegãtiores Poëtæ huic se factioni admiscebant. Non minus vere quam scite sapiẽs ille Imperator M. Aurelius ait, lupanaria omniũ formosissimis feminis, ac viris robustissimis repleri fortissimos quosq; latrones, subtilissimos, fures & impostores evadere. Eodem modo nascẽtem aut jã vix natã hæresin homines acutissimi amplexi sunt, eo quod Fidei clypeo non essent armati; ac dum Ecclesiã voluerũt perdere, seipsos perdiderũt, Dei donis nõ aliter quam furiosus gladio, ad se & alios lædendos atq; interimendos usi. Inter litteratos primi fuerunt Medicinæ Doctores, ut qui non nisi certissimis argumentis credere vellent. Qui postquam omnem rerum Naturalium scientiam diligẽter evolvissent, nec Christianæ religionis mysteriorum causas reperire atq; enucleare possent; pletaq; nullius momẽti, alia vero impossibilia esse credere cœperunt, ut quæ intellectus sui angustiis cõprehendere nequirent. Ex quo factum est, ut non minus incertam ac fluctuantem religionẽ amplexi sint, quam scientia ipsorum incerta est; ac potius malesanis hæreticis, quam sanis Catholicis sese adjunxerint. Et sicut scarabæus neglecta rosa stercus quærit, ipsique Medici ex variis speciebus inter se cõmissis pharmaca sua cõponunt: sic homines isti ex variarum religionum colluvie novã aliquam sibi religionem conflarunt, tam ab aliis quã à seipsa discrepantem. Videre adhuc est senes quosdem, quod reliquũ ipsis ætatis est sine ullo religionis exercitio transigentes, quibus illa una est religio quod nullã religionem habẽt. Ne tamen honestiorum aliquot ex hoc hominum genere famam hic ac memoriam lædã, quosdã qui ex lapsu resurrexerunt, & ad Catholicam reversi sunt Ecclesiam, hoc loco recẽsebo: inter quos est Raoullius le Maistre, Henrici IV. Christianissimi regis Medicus ordinarius. Faieni apud Lemovices non ignobilis Medici, mentionem omittere hic non possum: cui mors non minus felix quã infortunata vita obtigit. Hic à puero Calvinismo innutritus, quum à vitæ meta nõ procul abesset fassus est, in fine paroxysmi cujusdã febrilis, visum sibi esse angelũ, æternæ damnationis reum ipsum pronunciantem, nisi hæresin abjuret. Quia ergo litteratus erat, nec vanum hoc spectrum esse facilè intelligebat, rogavit, ut docti aliquot viri, & inprimis de Societate Iesu, accerserentur: cum quibus collato sermone, spacium pœnitendi nactus, hæresi renunciavit, libros q; à se contra Catholicam Ecclesiam scriptos, ad ignem ipse damnavit. Hic ego vos rogo Calvinistæ, ut vel unum Catholicum proferatis, qui in mortis articulo religionẽ suã mutarit. Nullum reperietis. At è contrario plurimi ex vestris extrema sua suspiria in Catholicę gremio Ecclesiæ reddiderunt, qui toto vitæ suæ tempore antea eandẽ impugnarant. Sic dominus de Morlas, vir nobilitate ac doctrina præstans, postquã in Calvinistica religione consenuisset, in ipso mortis articulo protestatus est, se ut Catholicum mori velle; veniaq; petita, Religiosi hominis copiam sibi fieri petiit cui peccata confiteretur. Eodem modo Fajus extremum vitæ diem clausit, quum pridie adhuc Calvinistã se professus esset. Sic centeni aliquot alii qui idẽ fecerunt, proferri possent. Vnum adhuc exemplum non possum quin citem hoc loco, quod Anno MDCI. eodẽ tempore dum Caput hoc conscribo accidit, quodque ex Actis Curiæ nostræ probari potest. Homo quidam honesto loco natus, accepta mortis sententia, Ministrum qui in ultimo hoc actu sibi assisteret, accersiri jusserat. Interea dũ hic quæritur, Religiosus quidam ad eum venit, & consolari eum incipit. Adductus tandem Minister, Religiosum rogat ut secedat paulisper, neq; ovem suam sibi surripiat. Morem gerit ille, & in angulum cubiculi secedit. Post multa verba reus Ministrum sic alloquitur: Domine Minister, jam viginti annos vestram ego religionem sequutus sum, sed jam eam desero. Aliqua enim animum meum spes tenet, Deũ mei miserturum; & S. Spiritus quem unumquemq; nostrum habere jactatis mihi dictat, religionẽ simplicis hujus monachi veram, vestram vero falsam esse. Quare permitte, quæso, ut cum pace in Catholica Ecclesia moriar. Sic ergo Religiosus munus hominis consolandi, à Ministro ante sibi ereptum, rursus sumpsit. Minister vero discedens, ceu vi veritatis coactus dixit, Deum in extremo vitæ uniciuique gratiam suam inspirare prout velit. Sed è diverticulo redeo, porro offensurus, quomodo etiam acutissimi homines à Calvino decepti, sordes eius pro auro amplexi sint.

V. Vir quidam ex Aquitania nobilissimus mihi narravit, se quum Tolosæ in Academiæ xysto cum sociis aliquot deambularet repentinã quandã Spiritus S. vim sensisse: non quidem illius qui in forma columbæ super Christum descendit, nec eius qui in Apostolis sub forma dispertitæ linguæ apparuit; sed novi cujusdam & invisibilis Spiritus, qui Calvini & Genevæ nomen assidue auribus ipsorũ in cuticabat, & animo insinuabat; similis illius, quem Zuinglius nescire se ait, utrum albus an ater fuerit. Hoc velut

œstro perciti quinque vel sex scholares, eodem accensi desiderio, collectis sarcinis, dies noctesque continuato itinere Genevam profecti sunt, desiderio tam sancti videndi, atq; audiendi hominis, pedibus alas addente. Equidem ex illis quæ ille mihi dixit, magnum illum heroem Godefridum Bullionium non tantam ex murorum Hierosolymitanorum, quantam hos ex Genevensis civitatis aspectu cepisse voluptatem credo. Quam ingressi quum audiissent illa ipsa hora concionem, quam Exhortationem vocabant, haberi, curriculo ad templum properarunt, ut Calvinum è cathedra verba facientem viderent atque audirent: cujus invenustos gestus, habitum atque sermonem admirati facilè intellexerunt, multa vero majora prædicari, & absentes admirari ea, quæ præsentes contemnerent. E templo egredientem adeunt illi, salutant, & rem omnem exponunt: ac beatus sibi videbatur, qui propius eum contigisset. Tum Calvinus ad eos, Hæc, inquit, Dei sunt miracula, ô fratres, ad vineæ suæ culturam vos vocantis. Ex hoc ut & aliis fide dignissimis viris didici, in Calvino nullas singulares fuisse vel ingenii vel eloquentiæ dotes, nisi quod quotiescunque in Catholicos debaccharetur seipso disertior videbatur. Animi certe virulentiam ipsius scripta satis testantur.

VI. Is quem mihi hæc & aliis narrasse dixi, postquam tres aut quatuor circiter menses Genevæ esset commoratus, ac vix primis labiis Theologiam degustasset, à Calvino Minister fuit designatus. Etsi verò felici admodum ingenio, & in bonis litteris mediocriter esset versatus; oneris tamen gravitatem diligenter perpendens, sese excusavit, Calvino nihilominus uti munus susciperet, urgente, & Apostolorum allegante exemplum, quos Deus ideò elegerit, ut Mundi sapientiam confunderet. Post eum Beza quoque juvenenem urgere cœpit allato Titi & Amos Prophetæ exemplo, quorum uterq; quum juniores essent, docendi tamen in Ecclesia munus suscepissent. Difficilem Scripturæ intellectum caussanti, idem Vergilianos hos versus, tamquam formalem, credo, Scripturæ textum, reposuit:

Carpe manu namq; ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant.

Sic illi victo Calvinus manus societatis præbuit, ac collata Ministri potestate in Lotharingiam ad novam condendam ecclesiam misit: qui tamen non multo post magno ecclesiæ Domini scandalo fuit, hospitis sui viri nobilis filiam ad parum honestam consuetudinem pelliciens, vel potius, ut ipse ajebat ab illa pellectus. Antequam verò Geneva discederet. Calvini jussu nomen mutarat, Villerochum se appellans: quod postea unà cum Calvinismo deposuit, in Catholica religione mortuus. Ab hoc ego multa quæ ad infelix hoc schisma pertinent, secreta accepi. Erat enim homo multæ experientiæ ut cujus opera Calvinistæ tum quum novum Hugunotarum exsisteret nomen, in multis ac magnis rebus usi fuerant.

QVOMODO GENEVA CIVILIBVS GALLorum bellis creverit.

CAPUT VIGESIMUM.

ARGUMENTUM.

I. *Geneva prima & præcipua hæreseos sedes, vel sentina.*
II. *Ad quam tamquam asylum omnis generis homines confluxerunt.*
III. *Geneva per intestina Gallorum bella crevit.*
IV. *Eadem Galliæ viribus ad sui defensionem usa.*
V. *Gallia post Turcas in auxilium vocatos multum pristini splendoris & virium amisit.*
VI. *Plerique Principes magis de statu suo conservando quam Dei propugnando honore sunt solliciti.*

I. GEnevensis civitatis, quæ prima parvæ suæ magnitudinis fundamenta ex variarum nationum posuit colluvie, exemplo patuit, nihil infirmũ esse quod necessitatis vinculis colligetur. Ecce enim, ipso Sabaudiæ Duce ægre ferente, indignante Episcopo frementibus Catholicis, qui tum magno erant numero, in parva hac civitate præcipua Calvinisticæ hæreseos sedes constituta, atque inde longè lateq; propagata fuit; nec Catholica ibi Ecclesia unquam potuit restaurari. Tanto studio sectarii in hac parva sua Roma conservanda elaborabant; sic inter se connexi ac constricti, ut nemo eos posset disiungere, ut qui pleriq; omnes eadem tempestate essent jactati, & adhuc in eadem navi versarentur. Hoc asylũ erat omniũ qui è Gallia, Anglia & Belgio vel ob Lutheranismum proscripti erant aut profugerant, vel ob flagitia ac suppliciorum metum sese subduxerant.

II. Falsi monetarii, falsi testes, falsi notarii, & id genus hominum, perpluẽtibus flagitiis, sub hujus à Farello cœptæ Reformationis tectum se recipiebãt Hic impunitas colligabat flagitiosos, hic libertas servos ad pileũ vocabat. Hoc fugitivis erat refugiũ

asylum

asylum proditorum, incestorum receptaculum, absolutio damnatorum. Hic impudicitia castitatem, virginitatem matrimonium sub jugum miserat: hic superbia humilitati insultabat, simplicitati fraus, novitas antiquitati, hæresis denique religioni, hic in unam, cloacam avaritia, rapinæ, perfidia perjurium confluxerant. De quorundam qui eò venerant aut venturi dicebantur flagitiis conquerentibus, ac ne scelerati homines reciperentur monentibus, Calvinus respondit: Sinite eos venire, nos meliores eos reddemus. Nulli sinum suum claudit Ecclesia. Multi quidem simplices ac boni ceteroqui homines, ad quos alliciendos blanditiis, ad capiendos variis fraudibus utebantur, creditorum metu, ad præclaram hanc Rempublicam confugiebant; verumtamen magna peregrinorum pars vel è Iustitiæ manibus evaserant, vel fidem abnegarant. Hic omnes in ædificanda illa nova ecclesia operas suas & opes conferebant, illi præcipuè qui foro cesserant, ut hoc modo bonorum suorum semissem creditoribus præreptum, sibi servarent. Ac quamvis, ut variarum nationum homines, linguis, moribus, consiliis, ac religionibus inter se dissiderent: omnes tamen in nova hac condenda Babylone unanimiter conspirabant.

III. Sic nova facta Respublica Genevensis civitas, in nostris dissensionibus concordiam tutata est, & nostris miseriis crevit; ut cui nunquam etiam eorum defuerunt auxilia, qui nisi suæ ipsi quieti invidissent, meritò in eius exitium conjurare debebant; usitata jam Principibus arte, qui omnia ad suum trahentes commodum, ac temporibus insidiantes, majorem conservandi sui, vel ex vicinorum damnis augendi imperii, quam divinæ amplificadæ gloriæ habent rationem. Vnde factum est ut uno contra jam dictã civitatem aliquid moliente, statim alter patrocinium eius susceperit. Galliæ regibus Sabaudiæ Ducis conatus semper impedientibus, ne ex Helvetia militum in Galliam comeatus intercluderetur; ac simul ut is qui hostis aliquando esse posset, propiorem hostem oppositum semper haberet; nec tutum modo regnum ab invasione præstaretur, sed etiam ad vicinos ubi nondum plane spes omnis decollavit, aditus pateret. Magnũ quidem Francisci I. erga Catholicam religionem fuit studium, magnus zelus: nihilominus tamen quum Sabaudiæ Dux Genevenses rebelles suos domare, & civitatem, quæ non religionem modo, sed & statum reipublicæ mutasset, ad obedientiam reducere statuisset; rex eius conatibus obstitit, misso Rentio Cenio magni nominis duce; qui validis copiis eò profectus, Ducem re infecta obsidionem solvere coëgit.

IV. Post hæc Geneva, quam rectè Galliæ incẽdiũ dixeris, Galliæ viribus subnixa, omnes hostiũ minas contẽpsit, & conatus elusit. Vnde novi illi cives inflati, Legatos miserunt de federe cũ nostris regibus, ut cum quibusdã Helvetiorũ pagis jã fecerant, ineundo: quos Annas Momorantius Galliæ Conestabilis, cujus consilio & prudentia Henrico II. rege, præcipuè res administrabatur, nequaquam id è regum dignitate fore ratus, acerrimè increpitos facessere jussit, sic eos alloquutus: Abite quantocyus, dicite egregiis illis dominis vestris Genevensibus, uti veniant interula tantum induti, cum laqueo è collo pendente, & ad regis pedes prostrati, supplici ter veniam implorent. Nimis certè viles illi sunt, quam ut cum tanto regẽ federe & amicitia jungantur. Hæc tum Conestabilis, Catholicæ religionis zelo impulsus. Sed res postea valde mutarũt; quum sæculo nostro plusquam ferreo Christiani, & Catholici quidem non hæreticorum modo, sed & infidelium amicitiam expetierint, & opera sint usi. Quare mirũ non est, nos contẽni, ut quos ad portas Principis sui auxilia mẽdicãtes viderint. Gallia fanè accepto ad Niceam incomparabili detrimento, magno cum suo malo tum didicit, quã periculosum ac damnosum sit, eiusmodi sociis & amicis uti.

V. Monlucius Galliæ Maresçallus & alii in Commentariis suis non verè minus quã prudenter notarunt, quod ex illo tempore res Gallorum cœperit

In peius ruere, & retrosublapsa referri:

quum paullò antea nõ respirare modo, sed & planè convalescere cœpissent. Quod quidem Venetiarum Dux Henrico III. regi è Polonia revertenti, non tam exprobavit, quam ut ne ipse tale quid faceret, fidele consilium dedit, in hunc modũ loquutus. Vnde tu putas, ô Rex, tot tantaque mala tam in regnum quam in prædecessores tuos profluxisse, quam ex hoc amicitiæ & federis cum infidelibus contracti fonte? Non tu putas, tot Christianorum millia, à pirata Babarossa in auxilium ab auo tuo vocata, & religione ejurata, Mahumetismo nomen dare coacta, jã in inferno contra miseriæ suæ auctores, Dei vindictam implorare? Infidelium quidem opera se imperiumq; tueri licet; sed cum infidelibus fedus offensivũ ac defensivum percutere, id nihil aliud est quam Deo bellum indicere, qui suo tẽpore de temerariis illis hominibus ultionem sumere novit, tanto graviorem quanto magis seram.

Hæc

Hæc senex ille optimus: quæ rex nihil aliud quam Status quasdam, ut vocant, regulas, de regni sui defensione ac securitate allegans, bonam in partem accepit. Hujus pater Henricus II. Princeps valde Catholicus cum Protestantibus fedus iniit, eorumque patrocinium præ se tulit: quod pater ipsius Franciscus I. numquam ut faceret adduci potuit: quibus ut antiquam amicitiam, quæ inter Galliam & Germaniam, velut germanas sorores, ab antiquis usque temporibus semper fuit, ipse quoque porro conservare vellet, petentibus, respondit: Quando Dei caussa agatur nullam esse amicitiam quæ non dissolvatur. Meliori sanè consilio quam Henricus filius: qui postquam Protestantibus auxilium tulisset, ii deinde Henrici prolem oppugnarunt, ac regno privare conati sunt. Sic & sequentes Galliæ reges Geusiis in Belgio quà clam quà palam favorem & auxilium præstiterunt, contra naturalem ipsorum Principem: qui plena manu aurum Peruviani in bellum hoc dispensans, oleum incendio addidit non ægrè laturus si Ecclesiæ hostes etiam Galliæ hostes fuissent, Scit enim bellum nostrum suam esse pacem, & lucrum suum nostrum damnum. At nec Alphonsus Hispaniæ, nec S. Ludovicus Galliæ rex hoc animo fuerunt.

VI. Est hoc omnibus Principibus & eis quorum consiliis imperia administrantur visitatum ut maximam publicæ salutis & imperii conservandi habeant rationem. Huc omnes ipsorum actiones spectãt ac diriguntur, memores fortè illius antiquæ legis: *Salus populi suprema lex esto.* At in eo valde errãt, immò peccant, quod publicæ utilitati etiam divinas leges cedere volunt. Vnde fit ut sæpè Dei causslam desertam patiantur, tantum, ut suam defendant. Quam justas Christiani causslas habent conquerendi de eo Principe, qui odio Catholici Regis vicini sui Fessarum regi de Laracha occupanda consilium suggessit; qui etiam caussa fuit, ut eius civitatis, idemque Zaphiri prætores, crudeli martyrio sint affecti, Gallus uterq; natione, uterque apostata, sed qui in eo jam erant, ut errorem suum insigni in Rempublicam Christianam beneficio jeluerent atque emendarent. Multa alia huc adferre possem exempla, sed quia legisse me memini, ad eum locum in quo Augustus natus fuit nemini nisi religioso quodam cum respectu, ingredi ausum, manum de tabula tollo. Immortali certè corona dignus est Vladislaus Poloniæ rex, qui Bohemici regni coronam ideo accipere recusavit, quod populo hæretico imperare nollet. Ab hoc quam longè absunt hujus sæculi mores! Carolus V. Imperator de republica Christiana ceteroqui optime meritus, cum Henrico VIII. Angliæ rege schismatico fedus iniit, ut contra Galliam se muniret. Eius filius Philippus etiam Principis alicujus tum ab Ecclesia disiuncti, amicitiam expetiit. Quid multis? plerique Principum non tam religionem quam regionem spectant; adeoque multi rebellium res cum damno religionis promovent, & florentes videre exoptant.

Dabis hic mihi veniam, optime Rex, magne Gallorum Monarcha: & humilimi ac fidelis tui subditi fidelem libertatem bonam in partem interpretaberis. Homines plerumque vel metu quodam id quod verum ac rectum est dicere Principibus non audent, vel ut eis adulentur, falsa dicunt. Tam hi quam illi minime digni sunt quorum Principes consiliis utantur, ut qui magis per adulatoriæ picturæ licentiam dispensare secum studeant, quam severæ historiæ legibus se adstringere. Et quemadmodum pictores eorum quos depingunt nævos quam maxime possunt umbra quadam occultant, ut etiam acutissimorum oculos fallant, econtra vero ea quæ pulcritudinem aliquam habent ita in propatulo collocant, iisque coloribus depingunt, ut in omnium oculos incurrant: sic nostri sæculi plerique omnes scriptores in eorum quos laudandos susceperunt, virtutibus ac recte factis prædicandis non solum nimii sunt, (quod aliquo modo ferri poterat) verum etiam quæ peccata sunt non silentio modo premunt, sed & commendant sæpe & ornant. At veri Historici munus est, operam dare non tam ut quos describit, excellentes ac magni, quam, ipse verus videatur, nec minus vitia quam virtutes, quæ laude, quæ reprehensione digna observare ac notare: & ut verbo absolvam talem quemque describere, qualis est non qualis esse vult aut debet. Hanc virtutem in Livio lubenter omnes agnoscunt, cujus tanta fuit existimatio, ut ab ultimis usque Galliæ & Hispaniæ finibus quam plurimi gravissimi viri eius tantum videndi caussa Romam venerint, quos infinita illa spectacula, vel miracula potius tantæ urbis quorum vestigia adhuc miramur, attrahere non potuissent. Tales fuerunt etiam Thucydides, Tacitus,

Sueto-

Suetonius, & plerique omnes qui nomen aliquod habent inter Historicos; quorum imitatione & exemplo ego eorum Principum de quorum vita mihi aliqua mentio facienda est, bona ac mala, virtutes ac vitia describam. Hoc illud est quod Demetrius Phalereus Ptolemæo respondisse dicitur, solos scilicet libros sine ullo rubore aut fuco verum libere dicere. Sed quid ego vereor, ut mihi per talem regem liceat bonos ac religionis amantes reges merito ornare præconio, & malorum facta ac vitia perstringere? Equidem perinde peccat qui malorum mores ac facta carpere non audet, quam qui virtutes ac recte facta debito elogio defraudat. Domitiano imperante, nemo Titum Imperatorem Humani generis delicias, nemo Caligulam populi Romani natricem, nemo eundem Mundi Phaethontem appellare audebat. At optimo Imperatore Adriano rerum potito, velut postliminii jure restituta libertate, tam vitia quam virtutes singulorum in aperto proponere, ac prout quisque meritus erat vel laudare vel vituperare licebat. Sic tua, Rex Christianissime, clementia ac bonitas calamo meo eam dabit libertatem, veraci scriptore dignam, ut ne in Historiæ hujus contextu ullam vim veritati facere cogar. Vive feliciter, Rex, vive, vale, ac perenna, cum tuo & regni tui bono.

Deus de nostris annis tibi addat, tibi, inquam, cui minor cura esse debet regni quam eius qui regna & imperia dispensat ac servat.

IN SEQVENTEM LIBRVM AVCTORIS PRÆFATIO ad Nicolaum Villarium.

OFFERO tibi non Coronam Tertulliani, Gallice à me versam; non pompam Antichristi, justo volumine à me depictam? sed tale munus, quod ego ex omnibus Christianæ Reipublicæ regionibus collegi, & tale opus, in quo concinnando jam diu me desudasse, ipse nôsti. Ex ceteris regionibus tandem multo labore defatigatus in Franciam nostram veni, cui qua possum, opitulari canor, & à vicinorum exemplis præcepta aliquot saluberrima præscribere, quæ in tanta grassantis hæreseos licentia sequi debeat. Quo labore defunctus, ad novum Orbem navigare constitui, ostensurus quanta ibi Catholica Ecclesia sumserit incrementa; adeo ut Deus velut relicto hoc orbe, in illum alterum commigrare, ac perpetuam sibi sedem ac domicilium ibi eligere velle videatur. Antequam vero oram solvam; Galliæ nostræ; Deo annuente, duos alios adhuc libros dabo. Equidem sic sentio, meum hunc librum, in quem quacumque selectissima habui, congessi, merito damnatum iri, nisi aliquem in eo etiam patriæ meæ dem locum; quæ inter omnia regna Christianæ pietatis præcipuam laudem ac primum locum semper habuit; jam (prô dolor) aliqua ex parte amisit. Videbis hic diversas mutationes, & eorum conatus qui omnia susque deque miscuerunt, ordinem sine ordine, & deformem hæreticorum omniaque deformantem reformationem. Mihi quidem ista scribenti tædium sæpe obortum est: regulas tamen omnium quæ unquam natæ sunt hæseon maxime irregularis religionis describere visum est. Victi longis verborum ambagibus, victores brevi utuntur oratione. Sic ego in hoc libro, pro illa Mundi victrice Ecclesia loquens. Hunc vero librum sub felicibus tui nominis auspiciis exire volo: simulque omnia mea studia voluntati tuæ atque imperio offero, &c.

FLORIMVNDI RAEMVNDI DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA HÆRESEON SVPERIORIS SÆCVLI *HISTORIÆ* LIBER VIII.

ARGVMENTVM.

In hoc libro tamquam in tabula, novæ à Calvino constitutæ Synagogæ forma depingitur: fundamenta doctrinæ, institutio & officia ministrorum, Superintendentium, Diaconorum, Consistoria, Conciones, Baptismum & Cœnam administrandi ratio, Psalmorum cantillatio, Sepulturæ ritus, aliaq; ad Calvinisticam religionem pertinentia explicantur: simul obiter controversis aliquot articuli Fidei explicantur, ut hæreseos error & impostura, Catholicæ vero Ecclesiæ veritas tanto facilius ab omnibus cognosci queat.

SVMMARIA SINGVLORVM CAPITUM hujus Libri.

CAPUT I.

I. INtentio & scopus Auctoris, & cur hic de controversiis quibusdam religionis addita disputationes.

CAPUT II.

I. OMnes hæretici inde se perdiderunt, quod S. Scripturam ad suum sensum interpretari conati sunt.

II. Quodnam posuerit Calvinus doctrinæ suæ fundamentum.

III. Hæretici quod volunt in Scripturis venantur.

IV. Primitiva Ecclesia in ipso statim ortu exstincta ac perdita fuisset, si Calvini regulam voluisset sequi.

V. Solæ S. Scripturæ littera non facit Christianum.

VI. Antiquitatis respectus firmissimum semper fuit Ecclesiæ munimentum.

VII. Quomodo humanæ traditiones ab Ecclesiæ traditionibus distinguendæ sint.

CAPUT III.

I. LVtherus quasdam Ecclesiæ ceremonias retinuit, Calvinus omnes penitus abolevit.

II. Calvini de ceremoniis judicium.

III. Christiani cum Paganis multa habuere communia.

IV. Ceremoniæ divinum cultum augustiorem reddunt.

V. Diabolus ceremonias ex Ecclesia profligavit.

VI. Paganorum religio velut simia fuit Christianæ.

CAPUT IV.

I. CVr novi reformati res quæ apud Catholicos in magna habentur veneratione, inprimis Cruces, oderint ac detestentur.

II. Cur altaria iidem sustulerint.

III. Nomini Iesu nullum habent honorem.

IV. Cur dies festos aboleverint: & quo habitu utantur.

V. Cur jejunia ab Ecclesia indicta observare nolint.

VI. Idem

VI. Iidem in Cœna Domini non Calicibus sed poculis & vitris utuntur.

Caput V.

I. Calviniſticæ Eccleſiæ ſordes & deformitas.
II. Eccleſia Calviniſtica nullum habet caput.
III. Domus Dei in terris eius quæ in cœlis eſt, ſimilitudinem referre debet.
IV. Vnitas ſine certo capite conſervari nequit.
V. Calvinus Epiſcoporum & presbyterorum nomina inducit.
VI. Archiepiſcoporum Burdigalenſium ſeries & ſucceſſio.

Caput VI.

I. Calvinus miſſo Epiſcopi nomine, Miniſtri nomen retinuit.
II. Nominis eius origo.
III. Verba Bezæ ad Lanſaci toparcham.
IV. Calviniſtica Eccleſia nullos agnoſcit Doctores.
V. De Miniſtris: quorum officium in veteri Eccleſia fuit famulari, in nova, regere ac gubernare.
VI. Quomodo Miniſtri recipiantur.
VII. Quo loco monachi excucullati apud Calviniſtas habeantur.
VIII. De manuum impoſitione.

Caput VII.

I. Abuſus circa Miniſtrorum miſſionem ſeu diſtributionem.
II. Miniſteria non facile permutanda.
III. Miniſter quandoque à plebe deligitur atque accitur.
IV. De Senioribus, & Superintendentibus.
V. De Diaconis & Coryczis.
VI. De Colloquiis, & ſynodis, & ratione quam in hiſtoria Eccleſiarum ſuarum conficienda obſervant.

Caput VIII.

I. De Conſiſtoriis, eorumque mirabili confuſione.
II. De numero Conſiſtorialium, & poteſtate.
III. Quamdiu officia iſta durent.
IV. Seniores crimina ad Conſiſtorium deferunt.
V. Conſiſtoriorum rationes ſeu computationes.

Caput IX.

I. Seniores (quos vocant) vicinorum mores & facta obſervant.
II. Deſcribis & libris Conſiſtoriorum.
III. Quam multis nugis ij referti.
IV. Intemperies Conſiſtorialium in reprehendendo veſtium luxu.
V. Quam inutiles ſæpe ſint Conſiſtoriales illæ admonitiones & correctiones.
VI. Scandala inde orta.
VII. Conſiſtorialis confeſſionis notabilis hiſtoria.

Caput X.

I. Chriſtianæ Eccleſiæ à Calviniſtis dejectæ & vaſtatæ.
II. Qualia ſint Calviniſtarum templa.
III. Calviniſmus etiam quum maxime viguit, in horreis exercitus.
IV. Concionum ordo, & irreverentia erga Deum.
V. De Concionum ante ambulis.
VI. De Miniſtrorum habitu: & quali in primitivæ Eccleſia ſacrorum miniſtri uſi ſint.
VII. Similitudo Chriſtianæ Eccleſiæ cum Navi.
VIII. In Catholicis Eccleſiis omnia vocalia; in Calviniſticis omnia muta ſunt.
IX. Prædicandi apud Calviniſtas modus.
X. Confuſio in Cantu.
XI. Quid in Concionibus frequentiſſime inculcent miniſtri.
XII. Quam irreligioſe ſacra apud Calviniſtas obeantur.

Caput XI.

I. De Baptiſmo Calviniſtarum, quem ad ſalutem neceſſarium non eſſe ajunt.
II. Calviniſtæ Pelagianorum & Manichæorum errores renovant.
III. Errant in eo, quod laicos in caſu neceſſitatis baptiſmum adminiſtrare poſſe negant.
IV. Nullis in eo utuntur ceremoniis.
V. De ceremoniis antiquitus in baptiſmi adminiſtratione adhiberi ſolitis.
VI. De patrinis & Matrinis, ut vocant, & nominum impoſitione.

Caput XII.

I. Idololatræ & Hæretici figuram aliquam Cænæ Dominicæ ſervant.
II. Ad ſacra nec altaribus nec ullo alio ornatu utuntur.

III. De altaribus Catholicæ Ecclesiæ.
IV. Quibus ritibus Cœnam administrent.
V. Mos & ritus primitivæ Ecclesiæ.
VI. Ingens abusus Calvinistarum in porrigendo Calice.
VII. Calvinistæ ad Cœnam suam pane fermentato & vulgari, Catholici in Eucharistia, exemplo Salvatoris, azymo utuntur.
VIII. Calvinistarum in hoc Actu irreligiositas, & Catholicorum in eodem devotio.
IX. Cœna Calvinistarum Peripatetica, & de novorum Evangelicorum diversitate.
X. De benedictione quæ in Eucharistia adhibetur.

Caput XIII.

I. De matrimoniis Calvinistarum, & eorum confusione.
II. Iidem ob commissum adulterium alteri nubendi suis faciunt potestatem.
II. Quibus ex causis maritis uxores repudiare liceat.
IV. Quibus ex causis uxori etiam vivente marito, alii liceat nubere.
V. Compluscula eiusmodi repudiorum historia.
VI. Vera historia quæ Genevæ contigit.

Cap. XIV.

I. Psalmi Davidici apud omnes populos qui aliquam Dei habent cognitionem, in precio habentur.
II. Psalmorum decantatio à Pontificibus certis quibusdam regulis constituta.
III. Etiam Turcæ Psalmos decantant.
IV. Vt & omnes hæretici, exceptis Anabaptistis.
V. Populus Psalmorum cantillatione ab hæreticis inescatus.
VI. Primorum Lutheranorum & Calvinistarum consuetudo.
VII. Mos decantandi Psalmos in Catholica Ecclesia.
VIII. Psalmi à novis Evangelicis profanati.

Cap. XV.

I. Bezæ & Maroti Psalmodia.
II. Maroti error in principio Psalmorum.
III. Alius eiusdem error.
IV. Idem à vero sensu propter rhythmum discedit.
V. Atheismi infamia laborat.
VI. Bezæ Psalmos suos pro lubitu fecit ac refecit: & quomodo uterque errores suos emendarit.

Caput XVI.

I. Primi Lutherano Calvinistæ in Gallia Psalmos non decantarunt.
II. Clemens Marotus bonus & vi sui Poeta.
III. In Italiam fugit inde reversus, ex consilio Francisci Vatabli, Psalmos Davidis in rhythmos redigit.
IV. Ob litterarum imperitiam, multos errores in regio illo opere vertendo committit.
V. Theologicæ Academiæ Parisiensis Facultas Psalmorum à Maroto versorum publicationem impedire conatur.
VI. Marotus Genevam se confert, flagris ibi ob flagitium cæsus.

Caput XVII.

I. Theodori Bezæ nativitas & eruditio.
II. Idem scabie doloribus vexatus, ad desperationem pœne redigitur.
III. Beza Ecclesiasticum Prioratus munus adipiscitur.
IV. Ecclesiæ repudium mittit: & quare.
V. Genevam se confert.
VI. Maroti & Bezæ Psalmi rhythmici Musicis numeris includuntur.
VII. Melodia Psalmorum Calvinistarum lasciva.
VIII. Quando Psalmi in concionibus decantari cœperint.

Caput XVIII.

I. Omnium religionum homines pro animabus Deum deprecati sunt, & corpora honesta sepulturæ affecerunt.
II. Iudæorum consuetudo pro defunctis deprecandi.
III. Quam Pagani à Iudæis mutuati sunt.
IV. Omnes antiqui Scriptores precium pro mortuis meminerunt.
V. Defunctorum corpora honeste habendâ.
VI. Sepulturæ honestas ab ipsa Natura commendatur.
VII. Sepulchra inter res sacras.
VIII. Cur hæretici in Ecclesiis sepeliri cupiant.
IX. Sepulturæ cura ad Episcopos pertinet.
X. Calvinistarum querela.

* *

AVCTO-

AUCTORIS SCOPUS IN HOC LIBRO; ejusque excusatio quod de controversis quibusdam religionis articulis disputationes passim immisceat.

Caput Primum.

SI qui magnorum illorum mundi subactorum res gestas memoriæ tradiderunt Titus Livius, nuquam, Tacitus & alii accurate nobis sigillatimque descriptos reliquissent populorum mores, ordinem Religionis, Magistratuum leges & politiam, magno nos labore sublevassent in inquirendis, & tanquam in media nocte tot retro sæculorum palpando indagandis muniis Pontificum, ritibus Senatorum, Magistratuum ineundorum horis, formis judiciorum, aliisque rebus permultis, quæ in illorum historiis desiderantur. Nam quod doctissimi nostro sæculo viri quatuor, Turnebus, Lipsius, Manutius & Sigonius, multis gravibusque in locis adeo inter se dissentiunt, ut conciliari vix queant, id veterum illorum præteriti temporis scriptorum, non nostro sit vitio, qui ex tanta caligine lucem eruere non possumus. Plutarchus eadem molestia in re levi offensus, de iis conqueritur, qui clarissimorum virorum, Niciæ, Demosthenis, Phocionis, Thrasybuli, & Theramenis, qui Socratis ætate vixerant, matres nominibus suis indigitare, superioribus temporibus neglexissent. Idem ex altera parte non parum se debere profitetur Platoni & Antistheni, quod ille pædagogi Alcibiadis, hic vero ejusdem nutricis nomen exprimere non supersedisset. Quin eadem scriptorum supina negligentia factum est, quod

Septem urbes magni certant de patria Homeri,
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos,
Athenæ.

Sæpe inter illas ad arma ventum est hanc solam obcausam, quod unaquæque hunc sibi honorem attribuerer, quod antiquissimi Poëtarum nutrix fuisset. Quæ causa est, cur semper existimaverim, magnum esse eorum vitium, qui rerum gestarum historias populorumque mores literis consignare aggrediuntur, si temporum suorum particularitates (ut vocant) id est, etiam minuta quæque attingere prætermittant, quæ ut jam sine communia pervulgataque, sequentibus tamen sæculis non possunt non existimari rara.

Visum fuisset sanctis Patribus, aut Ecclesiasticæ historiæ scriptoribus, qui primis quinque sæculis scripserunt, omnium suæ ætatis hæreticorum ritus, mores, ingenia & opiniones, & quid de quoque fidei articulo senserint, specialius & quasi minutatim persequi, quod illi crassius generaliusque fecerunt, non nisi prima illorum lineamenta exprimentes; puduisset, opinor, posteros originis suæ, erubuissentque tam pudendorum patrum se hæredes profiteri. Sed factum est hoc fortasse ad supprimenda illorum nomina (quemadmodum olim illius, qui templum Dianæ Ephesiæ incenderat, damnata memoria est) & ad fœtidas illorum sordes ignorantiæ tenebris obruendas.

Ego vero, quem infelix hoc sæculum in abyssum hujus de ortu, progressu, & decremento novæ hæreseos Historiæ invitum præcipitavit, evitandam mihi censui hanc culpam, in quam lapsi sunt veterum historici, ac monstrum hoc totum repræsentandum, cum ornatu suo, insignibus, armis, totoque novo suo apparatu atque instrumento; nec tantum ea exponenda, quæ in vultu, figura & habitu ejus exteriore conspiciuntur, sed omnium interiorum ejus partium anatomiam faciendam, quo futurum sæculum in ea cognoscenda non hallucinetur, & ut in lucem producatur hodiernæ hæresi imminens condemnatio, faciatque præjudicium illi, quæ deinceps exstitura est. Exstinctio enim Lutherano Calvinismo, aut in vallibus quibusdam, reliquiarum instar Valdensium Angrunicorum, occultato (certe indies eum decrescere, manifestum est) sine dubio alia quædam hæresis exorietur; quemadmodum ex Wiclephistis Hussitæ, ex Hussitis Lutherani, & ex his Calvinistæ originem traxerunt.

Qui meus labor gratus erit aliquando piæ posteritati, dum non unguem tantum ut ex eo Leonem cognoscant, sed ferventes oculos horrentes pilos, ungulas denteseque cruentos & caudam, incitamentum adhuc furoris ipsius, denique leonem totum describo. Nec vero depingam hoc libro hæresin informem adhuc, qualis erat quum nondum sublatis oculis lucem fugeret, & præ pudore in locis subterraneis delitescerit, aut ex uno Regni angulo in alterum, non secus ac sciurus de ramo in ramum, transiliret, nec auderet in medium fori prodire: sed talem, qualis postmodum facta est, exaltatam videlicet, in solium gloriæ suæ, cum omni sua majestate & magnitudine, quum inebriata piorum sanguine, Ecclesiarum Christianarum ruinis

fundamenta sua inædificavit, & ex earum ruderibus muros suos fabricavit; Triste profecto tanti furoris & rabiei monumentum. Itaque hic liber ante oculos ponet ordinem, architecturam & politiam Ecclesiæ Calvinisticæ jam ad summum gradum perductæ, Templa ejus, Conciones, Sacramenta, Consistoria, officia Ministrorum, Seniorum, Diaconorum & Superintendentium. Quo fiet, ut veteris Ecclesiæ pulchritudo, majestas & magnitudo tanto evadat conspectior, collata ad novæ hujus deformitatem, humilitatem, & vilitatem. Quod si, dum in hoc argumento versor, falcem, quod ajunt, immitto in alienam segetem, ad demetenda stirpitus zizania, quæ Hæresis in pulcherrimos Ecclesiæ campos copiose conjecit, quis id carpet? Si dubia quædam moveo ab eadem hæresi ad turbandam domus Dei unitatem excitata, quæ est cur eo nomine reprehendar? Consilio certo id facio: Nam quemadmodum Synagogæ Hæreticorum scriptores historiis suis fabulosis capita quædam in Religione controversa passim inspersérunt, ut Lector unà cum narrationibus ipsorum, doctrinæ, quam illi propinant, facilius percipiat gustum: ita mihi quoque hoc propositum fuit, ut Lector, dum historiam legit Hæreseos, simul agnoscat fallacem doctrinam erraticorum illorum, spirituum, inquam, malitiosorum & fraudulentorum, quos hæresis produxit: eademq; opera intelligat imprudentiam, ne dicam stuporem & insaniam miserorum illorum, qui capi se & in casses induci sunt passi dulci eorum cantu, qui primi eos aggressi sunt, eo ipso ostendentes, quemadmodum ii, qui minimo quoque auræ afflatu frigescunt, parum firmæ sunt valetudinis, ita infirmam quoque admodum fuisse fidem ipsorum, & conscientiam maligno aliquo spiritu exagitatam, propterea quod relicta magna illa & regia via Ecclesiæ, in deserta atque avia loca sese contulerunt. Nec tamen tanta utar in hac tractatione, subtilitate, quin ii, quibus præcipue mea elaborata sunt scripta, ad novæ istius Theologiæ fundum & interiora ejusdem adyta queant penetrare, semperque veritatis aliquo radio colluстrari.

(***)

SCRIPTURAM SOLAM, ID EST, NOVAS hominum privatorum interpretationes, omnium hæreseon esse fundamentum.

Caput Secundum.

ARGUMENTUM.

I. *Omnes hæretici inde se perdiderunt, quod S. Scripturam ad suũ sensum interpretari conati sunt.*
II. *Quodnam posuerit Calvinus doctrinæ suæ fundamentum.*
III. *Hæretici quod volunt in Scripturis venantur.*
IV. *Primitiva Ecclesia in ipso statim ortu exstincta ac perdita fuisset, si Calvini regulam voluisset sequi.*
V. *Solæ S. Scripturæ littera non facit Christianum.*
VI. *Antiquitatis respectus firmissimum semper fuit Ecclesiæ munimentum.*
VII. *Quomodo humanæ traditiones ab Ecclesiæ traditionibus distinguendæ sint.*

I. EX præcedentibus libris didicistis, omnibus istis hæreticis, qui Germaniam, Galliam & Belgium infestarunt (astutiores illos dico) nihil in ore esse, nisi Scripturam, nihil eos velle credere, nisi Scriptura contineatur, ex Scriptura formare omnes suas chimæras & nugas, ex Scriptura suam sibi quemque Religionem suo arbitratu fingere, Scripturam in omnes sensus, non aliter ac mollem ceram in omnes figuras, variare. Idem fecerunt omnes illorũ antecessores, inde à Patriarcha illorũ Simone, qui semper magistralẽ quandã auctoritatem in Scripturam sibi arrogarunt. Nam quemadmodum ex iisdem floribus aranea venenum, apis vero mel exsugit: eadem plane ratione ex Scripturæ sacris locis, unde tot sanctas divinasque meditationes sancti Patres exsculpserunt, isti mille errores, mille opinionum monstra hauserunt. Sic ex eadem Scriptura & salus proficiscitur, & perditio: quemadmodum Poëtæ non sine mysterio fabulantur, sanguinem Gorgonis, qui ex dextri lateris venis profluebat, omnis generis morbos sanasse, sinistri vero lateris sanguinem pernicioſum fuisse & lethalem. Quapropter non sine causſa dixit Lutherus, Scripturam esse librum Hæreticorum, & solem oculis etiam maxime lippien-

lippientibus aspectabilem : & quemadmodum nullum sit vitium, cujus non aliquis reperiatur patronus, ita nullum esse hæreticum, qui non locum aliquem Scripturæ ad suum particularem sensum detorquere possit. Nam ut in hydropico siti enecto, quidquid alimenti ingeritur, in aquosam substantiam convertitur, atque ita aqua, quæ rerum omnium, Pindaro teste, est præstantissima, illi nihilominus est mortifera, & morbum ejus nutrit : ita quidquid in Scriptura hæreticus legit, eo venæ illius inflantur atque intumescunt, vincula vitæ ipsius & continentiæ dissolvuntur, harmonia qua corpori Ecclesiæ unitus fuerat, dissipatur atque evanescit, tandemque ipse à gremio Matris suæ avulsus, eo magis marcescit flaccescitque, quo plus peregrini hujus cibi assumit, qui in æternam mortem tandem illum dat præcipitem. Muncerus, quamvis Anabaptista, Prophetam se esse ex Scriptura probabat. David Georgius homo prorsus diabolicus, ex Scriptura, se Messiam esse asserebat. Carolstadius ex Scriptura revelationes suas confirmabat, ut & Zvinglius somnia sua & visiones nocturnas ex eadem Scriptura demonstrabat. Sathanas ipse cum Deo contendens, Scriptura usus est. Quid igitur metuis inquit Chrysostomus hæretico scripturam allegante ? Sæpenumero, inquit Athanasius in vita S. Antonii, maligni spiritus exaudiuntur concentu harmonico psallentes, & sacras Scripturas impuro oro concinentes : nec raro, dum nos legimus, referre audiuntur extremas voces, tamquam Echo. Diabolus quoties cum Luthero conferret, Scripturam allegabat, ut scriptum est à me post ipsum, libro primo. Denique semper Scriptura fuit area, in qua omnes hæretici hæreseos suæ fundamenta jecerunt : & pulvinar, quo caput suum reclinarunt : & veteres ac laceri centenos, quibus nuditatem suam tegere semper conati sunt. Hæc illis ludus veluti est gladiatorius, hæc campus prælii, hæc circus, ubi sese exercent ; hæc theatrum est, ubi dramata, vel potius tragœdias suas exhibent : quamvis nec magisterium sint assequuti gladiaturæ, nec jus habeant armorum, nec ab Athletarum collegio agnoscantur, nec personam, quam sustinent, digne sciant repræsentare, nec denique in ulla harum functionum eam, qua opus est, auctoritatem à legitimo Magistratu obtinuerint. Scriptura nihilominus fidem illis facit, & tutos præstat inter homines, sine cujus auctoritate ejecti fuissent, tamquam missi à diabolo. Et ut nullum est periculosius venenum eo quod saccarro obtectum est, eo quod avidius deglutiatur, & postea difficilius ejiciatur : ita nullus æque est error noxius, ac is, cui verbum Dei prætexitur, quo multi per simplicitatem suam capiuntur, non secus ac aves, quæ dum cibum quærunt, mortem inveniunt inter arbusta & dumeta arte aucipis concinnata, plena laqueis & visco.

II. Calvinus qui Lutheri doctrinæ suam quam maxime, quamvis varie confirmavit, licet (quo erat animo elato) profiteri noluerit, se quidquam illi debere, hanc Maximam sive Regulam quasi in limine putatitiæ suæ Ecclesiæ collocavit. *Scripturam solam esse judicem controversiarum Religionis, nec alio opus esse.* Hac regula se sciturum, an credere debeat Symbolo Sancti Athanasii, professus est in Synodo Lausannensi, teste P. Carolo, qui interfuit. Eandem esse suiipsius interpretem ; insignem fieri Deo injuriam, si dicamus, Scripturam, quam ipse nobis reliquit, obscuram esse. Et hoc est quod movit discipulum ipsius dilectum, quem tamquam alterum Joannem, sinu fere fovit, Bernardinum Ochinum, postea, ut exposui libro quarto, Arrianismum amplexum, ut hanc pronunciaret sententiam : Sacræ literæ, inquit, in se sunt prorsus perspicuæ, in iis maxime, quæ sunt ad salutem necessaria. Quod si non exstat in illis diserte dogma Trinitatis, ad credendum illud nemo obligatur. Non enim nisi illud tenemur credere, quod clare est in Scriptura explicatum Nimirum oblitus erat hic Gallorum Pseudoapostolus, se alio loco stultos excerebratos appellasse eos, qui se putant intelligere Scripturas. Ecce qui dicat in secundam ad Timotheum : Per hoc, inquit, retunditur arrogantia quorundam insensatorum, qui se gloriantur non indigere Doctore, eo quod sufficiat solius Scripturæ lectio. Nam qui nuda Scriptura contentus auxilium vivæ vocis aspernatur, experietur quam sit malum, constitutum à Deo & Christo discendi medium contemnere. En quomodo in omnes sensus eam torqueat, modo facilem faciens tractabilemque & mox rursus obscuram & tractatu difficilem. Si non posset, inquit Tertullianus, perperam intelligi Scriptura, nulla foret hæresis. Facilis est, inquiunt Simplex igitur fuit atque rudis Augustinus, dicens, Deum eam obscurasse

obscurasse multorum variorumque mysteriorum velo obducto, ut per laborem difficultatemque arrogantia nostra compesceretur, liberaretur que animus noster fastidio illo, quo plerunque laborant res obviæ & faciles. Obscura, inquit alio loco Calvinus, nos exercent, at facilia satiant. Sed oculatis istis Argis omnia sunt facilia & exposita, quæ aciem oculorum habent non minus penetrantem, quam Linceus ille, de quo est apud Plutarchum, cui nec rupes, nec lignum, nec mons, nec ullum aliud corpus quantumvis solidum objiciebatur, quod non visu penetraret. Omnia illis sunt facilia: at misero illi & cæco D. Augustino nihil non est difficile. Quod intelligo, inquit, in lectione Sacræ Scripturæ, nihil est, respectu illius, quod ignoro. Ezechiel Scripturam appellat librum involutum. Eadem est magnus ille liber septem sigillis munitus, quem aperire nemo potest, præter Agnum, aut Sanctos, per specialem illius assistentiam. Qua de re elegans exstat magni illius viri, quem per excellentiam Theologum appellamus, comparatio. Quemadmodum picturæ quædam ita sunt in omnes partes obversæ, ut quacunque eas, te sequi intuitu videantur, quod tamen omne in uno aliquo puncto aut lineamento positum est, quod pictores tantum intelligunt: ita qui in sacras literas oculos intendit, pluribus eas sensibus aptas deprehendit, qui omnes judicio ejus satis quadrant, quum unus sit tantum genuinus & certus. Si persequutus fuisset similitudinem, addidisset etiam hoc: Quemadmodum tabula istam proprietatem non habitura sit, ut quaquaversus adspectum obvertat, si ipsius picturæ, aliò quam in ipsum pictorem, obtutus defigatur. (Hæc enim ratio est, ob quam imagines vultum oculosque spectatoribus obvertunt: quod non accideret, si aliò quam in artificem, visus dirigeretur.) Sic qui Scripturam contemplatur, si animum ad verum Ecclesiæ sensum, insuper habita ipsa littera & ut ita dicam, Scriptoris calamo, (ut etiam in picturis nulla penicilli habetur ratio) intendit, in S. Scriptura intelligenda numquam aberrabit. Secus; erroneo visu mendacium arripiet pro veritate, & umbram pro corpore, & quod de Ixione fabulis proditum est, nubem pro vera Junone amplexabitur. Scriptura, inquit quidam Barcinonensis Episcopus, similis est horto omnis generis arboribus consito, quarum aliæ aliis fructibus sunt onustæ, tum hybernis, tum æstivis. Quidam naturæ sunt boni, quamvis crudi, alii, cocti tantum: quidam succum habent dulcem, alii acidum, qui tamen durant diutius, & coctione redduntur mitiores. Ita in sacro Dei verbo quædam sunt in ipsa literæ simplicitate salubria, alia periculosa admodum atque insipida, nisi recoctione, hoc est recta explicatione mitescant. Sed non permissum est cuivis, in hac re aliquid conari, inquit S. Dionysius, licet nemo non pbtestatem hanc sibi sumat.

III. Hæreticus quidquid invenit in domo Dei & in divinis ceremoniis, scrutatur ac perquirit, atque ex eo totum id, quod habet, compilat, id solum usurpans, quod suæ opinioni favere arbitratur: omnia deinde suæ imaginationis fonti imponit, quas vult formas inde eliciens; ex quibus sibi sectam fingit specciosis prætextibus insignem, & sub verbi Dei nomine è suis phantasiis idolum sibi exsculpit, easque fuco obducit, ne agnoscantur, quemadmodum mangones veteres pannos interpolant, ut pro novis eos vendant. Patres quum viderent sua ætate hæreticos scripturam perpetuo in ore habere, eodem modo exclamarunt, quo nos hodie: Quid hoc sibi vult suo quisque modo Scripturam lacerat. Aliter eam exponunt Novatus, Photinus, Sabellius; aliter Donatus & Macedonius; aliter Apollinaris, Nestorius & Eutyches. Nos loco illorum veterum ponamus Lutheranos, Zvinglianos, Anabaptistas, Calvinistas. Omnes isti, ut Vincentius Lerinensis ait, Scripturam ubique in scriptis suis inculcant, adeo ut ne paginam quidem in libris eorum reperias, quam non passim occupent ex Veteri & Novo Testamento desumta testimonia. Et quemadmodum Monetæ adulteratores alia metalla pauxillo auro & argento admiscent, deinde Regum ac Principum imagines & nomina imprimunt, sine quibus erogari moneta illa non posset: sic hæretici falsa interpretatione depravatis S. Scripturæ locis, divini verbi nomen obtendunt, illisque ad opinionum suarum portenta velanda, ac populo commendanda abutuntur. Et quemadmodum homines graveolentes alarum hircos pastillis aliisque adscitiis odoribus; sic hæretici doctrinæ suæ fetorem divini verbi fuco velare ac tegere student. Sed velut etiam si æthiopem quis cerussa inducat, simus tamen nasus, labia pendula & crassa, & malæ turgidæ qualis sit facile produat: sic frustra Sectarii nefarios suos conatus religiosis prætextibus velant, quum aliunde illi ab omni parte appareant.

Iamdu-

Jam dudum patuere doli, & sub veste latentis
Ulceris albidula fœdum pus atque venenum.

Esse inter Scripturæ libros nonnullos (ait ille, (a) quem merito pictorem hæreticorum appellavi;) quos hæresis vel non recipiat, vel si recipiat, addendo aut demendo corrumpat, ut suo proposito inserviant. Et illos ipsos, quos admittit, non retinere integros, sed adulterare, truncare, deformare, & variis interpretationibus distorquere, atque ad arbitrium suum fingere. Hoc est quod faciunt & fecerunt, quotquot umquam ab Ecclesia desciverunt, qui summam auctoritatem sibi assumunt in Scripturam, eique volunt præsidere, in hoc ut non admittant pro Scriptura, nisi quod placet, nec pro vero Scripturæ sensu & interpretatione, nisi quod proprium cerebrum ipsis dictat. Quod si firmum est hoc Calvinisticum fundamentum, non posse ullo modo sine Scriptura conservari Religionem, consequens est, duobus annorum milibus nullam fuisse in mundo Religionem, propterea quod toto illo temporis spatio non fuit Scriptura. Ubi enim fuit Scriptura, ante Mosen? Sed & hoc consequitur in Evangelica Apostolica, & Christiana Ecclesia, ad quinquaginta circiter annos à Salvatore mundi Religionem nullam fuisse: tamdiu enim ad minimum Scriptura Evangelica & Apostolica caruit. Gallia quoque nostra trecentis integris annis, quibus destituta fuit Scriptura, ut Hilarius testatur, Cardinali Baronio interprete, quid esset fides Christiana ignoravit. Et negligentiæ accusandus est ipse Seruator noster, qui nunquam suos remiserit (suos dico, ad differentiam Iudæorum) ad Scripturam vel Veteris, vel Noui Testamenti. Quid quod Sacri Scriptores partem aliquam historiæ de CHRISTI tum vita, tum doctrina, nobis enarrasse contenti, quod reliquum erat, tanquam depositum quoddam, illis commiserunt, quos post se reliquerunt, ad administrandam Ecclesiam, & Scripturæ tam veteris, quam Evangelicæ, scabros, salebrosos & difficiles locos explanandos, nihil minus curantes, quam scribere: saltem septem illi Apostoli, qui nihil prorsus scripserunt, sed doctrinam suam viva voce exposuerunt, & ad posteros per traditionem transmiserunt.

IV. Quanquam autem prolixius hac de re quam forte opus sit, quibusdam agere videri possim; cohibere tamen me non possum, quin huic argumento aliquantum adhuc immorer, quum hoc sit fundamentum hæreseos, desumptum per imperitiam ex his verbis capitis quarti Deuteronomij. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor; nec auferetis ex eo.* Non enim animadverterunt, (ajt ibidem Glossa) Deum tradere hic Regulam æquitatis, & hæresin omnem repellere. Vetat enim sanæ doctrinæ addi aliquid mali, aut detrahi aliquid de veritate. Præclarè Nicolaus de Lyra, Considerandum ait, eam additionem prohibitam esse, quæ sensum depravat, non verò eam, quæ eundem declarat atque illuminat, ut scriptum est in Ecclesiastico, capite vigesimo quarto: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Si primi illi Patres, Ecclesiæ defensores, cortici literæ mortuæ institissent, ut vult Calvinus, sæpe nudi atque inermes à veteribus hæreticis deprehensi fuissent. Nam ut prædones in densis atque asperis sylvis delitescunt, non audentes in camporum planitiem prodire: ita in diversis plerumque Scripturarum velut anfractibus Arrianus, Manichæus, Donatista, castra metatus est. Ibi illi opinionum suarum & errorum propugnacula exstruxerunt: nec exturbari inde à veteribus illis Ecclesiæ Catholicæ archistrategis potuerunt, nisi admotis traditionum Apostolicarum & verbi non scripti machinis. Arrius (vt inquit non vno in loco Augustinus) innumeris Scripturæ locis sese armabat, quæ illi non nisi per Ecclesiasticas traditiones excuti poterant. Damnatus à Concilio per traditiones, iniuria se damnatum clamabat, Scripturam pro se facere: testimonia S. Scripturæ ad priorum interpretationem opposita, in alium sensum detorquebat. Dicentibus Patribus congregatis in Concilio Nicæno ad Arrium, Nonne Christus ipse inquit. *Ego & Pater vnum sumus?* Verum est, regerebat Arrius, sed vnitate non substantiæ, sed voluntatis. Et nihilominus tamen per Apostolicæ traditionis auctoritatem hæreticus declaratus est in pleno Concilio. At perperam damnatum se esse ipse conqueritur, & Scripturam pro se allegat. Iisdem armis Beza, quum per solam Scripturam non posset, Arrianos Transyluaniæ oppugnauit. At Stator, Ochinus & allj contra protestantur. In hoc mysterio Trinitatis, ne tantillum quidem velle se à Scriptura recedere. Qua de re audire operæ precium est exclamationem Bezæ in libro, de punitione Hæreticorum, vbi, Catholicum certè in modum, sic loquitur. Quid de vobis dicemus, sancti Pa-

a *Tertullian. de præscript.*

tres, qui tot annorum ſpatio, non voce, ſed ſcriptis, quæ nulla abolebit dies, contra auctoritatem tot Regum, Principum & Hæreticorum, tanto cum labore, non ſine effuſione ſanguinis veſtri, magnum illud myſterium Trinitatis aſſeruiſtis, num impudentes atque ignorantes vos fuiſſe confitebimur? O Athanaſi, qui hanc ob cauſſam univerſum pæne terrarum orbem peragraſti, quorſum admirabile illud Symbolum tuum tanta cum brevitate concinnaſti? Eadem ratione Calvinus, qui non niſi ex ſola Scriptura Religionem ſuam ſe formaſſe profitetur, Servetum, quem comburēdum curavit, non potuit niſi per traditionem convincere: per quam etiam Baptiſmum infantium ipſi probavit, inquiens, Infantibus ſalutarem aquam præberi quomodo feminis etiam Cœna Domini miniſtretur, licet id Scriptura non percipiat. At ille, ut & alij, iniuſte ſe condemnatum clamans, ad magnum illud atque ultimum iudicium Calvinum citat. Vicinus Apoſtolis Tertullianus, Hæreticis, inquit, traditionem potius quam Scripturam opponendam eſſe: tantum enim abeſſe, ut per ſolam Scripturam lis dirimatur, ut magis etiam foveatur. Quum Epiſcopi Africani iam iam in partes diſceſſuri eſſent ſuper Baptiſmo Hæreticorum, quem Cyprianus ipſe, unius partis caput, inefficacem eſſe aſſerebat, receptum eſt univerſaliter eum obedientia (teſte Auguſtino) hoc memorabile reſponſum, ex tripode Romano, tanquam oraculo Chriſtiani orbis, profectum: Retinendam eſſe antiquam traditionem, nec quidquam in ea invocandam. Fuit hæc ſententia Papæ Stephani, qui tunc Romæ præſidebat, à qua nullus unquam, niſi Hæreticus, appellavit. Approbandum eſſe inquit Auguſtinus Baptiſmum Hæreticorum, quamvis in ſcriptura non inveniatur, quemadmodum multa etiam alia, quæ nobis ſunt ab Apoſtolis relicta. Sanctus Chryſoſtomus ſcribit, non omnia Apoſtolos ſcriptis tradidiſſe, ſed multa ſine ſcripto, per traditionem reliquiſſe.

Hoc illud eſſe, quod ſine ſcripto de anima in animam tranſijt, inquit Sanctus Dionyſius, Hiſce invictis armis, à traditione, germana Scripturæ ſorore, ſuppeditatis, magni illi Eccleſiæ Catholicæ anteſignani vicerunt; his omnes veteres hæreticos, innumeris conflictibus fuſos fugato, proſtraverunt: his adverſus eos, qui arma ſumere contra Eccleſiam ſunt auſi, ducentis prœlijs & amplius, victores evaſerunt; his memoriam omnium etiam validiſſimarum hæreſium aboleverunt. Per traditionem demonſtrarunt, ſolum Deum Patrem eſſe ingenitum, ſolum Filium genitum, Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere, eundem adorandum eſſe quum id nuſquam percipiat Scriptura: & alia præterea innumera capita, quæ ipſa Chriſtianiſmi fundamenta concernunt, vel proxime illa contingunt. Sed ecce verſipellem Genevenſis Evangeliſtæ calliditatem! In Chriſtianorum cauſſa defendenda non vult ad traditiones Apoſtolicas, quæ Scripturæ interpretandæ inſerviunt, recurrere; & tamen in Judæorum cauſſa Traditiones admittit: Chriſtianæ Eccleſiæ Traditionem capitali odio proſequitur; at eam, quæ eſt Synagogæ Judaicæ, amplectitur. (b) *Judæis* inquit, *multa fuiſſe relicta, & quaſi per manus tradita, quorum nulla extet mentio in Scriptura.* Et alibi, de Enocho loquens *Opinari*, ſe ait, *hanc Prophetiam cuſtoditam fuiſſe apud Judæos, & per manus traditam, non ſcriptam; & reliquiſſe maiores poſteris ſuis in perpetuam memoriam, notabilem hanc ſententiam.* Quid autem? Prophetæ multa Judæis tradiderunt ſine ſcriptura, & idem facere non potuerint Apoſtoli? Num, quum partiti inter ſe magnum hoc Univerſum proficiſcerentur ad capturam animatum, & ad prædicandum Evangelium, Bibliorum e dicem in mantica quiſque ſua hunc in finem circumferebant, eumque auditoribus ſuis communicabant? Quot opus fuiſſet librorum eiuſmodi millibus, quot verſionibus? Equidem vix ſeffeciſſet omnium iſtius temporis librariorum opera, nam Typographorum multis demum poſt ſæculis exſtitit induſtria. Hoc enim ut vos dicitis, unicum erat fundamentum Religionis Chriſtianæ, & oraculorū Dei ſecretus cōmentarius, & veritatis eius nuncius. Maxime vero poſt ultimum teſtamentum conditum, neceſſe erat Scripturam iſtam in Neophytorum eſſe manibus. Quod ſi non niſi ex Scriptura emanabat fides, certe eam Sanctus Sixtus, aut Dionyſius in Gallicam linguam convertiſſent, ut ab hiſce populis, qui ipſis ſortito obtigerant, intelligeretur, & in aliqua Hiſtoria eius rei mentio exſtaret. Hinc eſt, quod Zuinglius, vi veritatis coactus ait: Apoſtolorum tempore, nihil exſtitiſſe litteris conſignatum, ſed eos viva voce populum erudiſſe: Epiſto-

b *Calv. in Pſal.* 104.

Epistolas autem suas, non tam ad docendos populos quam ad confirmandos in eo, quod ex ore ipsorum acceperant, scripsisse. Nonne etiam Eusebius negat quidquam minus in mentem venisse Apostolis, quam vt scriberent? O Caluinistæ, qui tantopere solam literam vrgetis, certo eo nomine digni estis qui vapuleris. Nam quid hoc aliud est, quam mendacij eam arguere? quum dicat Apostolus: *Fratres state & tenete traditiones quas didicistis siue per epistolam nostram.*(c) Et vbi habemus Traditionem Ecclesiæ, aliam probationem non esse quærendam Chrysostomus ait. Scripturam vero ipsam vnde habetis, nisi per traditionem? Nam quis dixit vobis, in hoc libro contineri doctrinam salutis vestræ, magis quam in Ethnicis Aristotelis, aut Officijs Ciceronis? Probare hoc non aliter potestis, quam per traditionem, relictam ab Apostolis, conservatam testificatamque per Ecclesiam, à qua ita edocti estis. Præterea, si omnia continentur in Scriptura, mendax fuit S. Paulus, pollicitus Corinthijs, se de reliquis, quæ eos scire volebat, coram dispositurum, eaque ordinaturum. Hoc enim non alio modo ab ipso præstitum invenimus, quam per traditionem, quæ sola Religionem Christianam in orbe conseruauit. *Promissionem, quam hic Apostolus fecit,* inquit diuus Augustinus,(d) *ad ceremonias pertinere, in percipienda sacra Eucharistia obseruandas, quas nos ex traditione Ecclesiæ, didicerimus absque Scriptura.* Scite Irenæus inquit, *Homines vt credant in Christum, nec atramento indigere nec charta; nam fidem in corde portare quam custodiant per traditionem.* quomodo Spartiatæ, qui quum scriptas Leges nullas haberent, obseruabant tamen eas, quæ inde à patrum ipsorum ætate erant ad ipsos per manus transmissæ. Tertullianus, (e) *Harum inquit & aliarum eiusmodi disciplinarum* (putes cum alloqui Caluinistam) *si legem expostules, nullam inuenies. traditio tibi prætendetur autrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* Scilicet est Lex quædam non scripta, cui teneris obedire: quæ non potest in dubium vocari, quamuis origo eius non appareat; nam progressus apparet & obseruatio. Nam quemadmodum de Apellis picturis legimus, ijs inquam, quibus hominis alicuius imaginem effigiemque naturæ similem repræsentauerat, fuisse eas ita ad vivum expressas, vt facile esset Physionomis, post aliquot etiam sæcula, facto ex tabula iudicio, de illius, qui depictus in ea olim fuerat, natura atque indole pronunciare: ita ex traditionis Apostolicæ antiquitate, non obstante sæculorum lapsu, quæ fuerit primitiva Apostolorum constitutio, sine errore licet diiudicare. Hæc est illa traditio quæ præteritas res, præsentes facit, & præsentes, futuras. Vera Traditio, & veritatis vera Imago, quæ in senectute sua perpetuo iuvencula, & in hyeme sua perpetuo virens, nec corruptioni vlli, nec rubiginj obnoxia est, similis statuis Demetrij, quæ post multos annos pristinam pulchritudinem & nitorem retinuerunt. Quid tandem fiet de nobis, inquit Diuus Basilius, si quidquid non invenitur in Euangelio, reijciemus? Quis docuit nos scripto id, quod quotidie facimus & omnibus horis, signo Crucis nos munientes? Quis docuit nos, ad Orientem conversos precari? Quis docuit nos verba, quæ ostendentes Sacramentum populo pronunciamus, benedictionem olei super eo, quem baptizamus, eiusdem applicationem, & cæteros ritus Baptismi? Ex muta traditione omnia ista habemus; quæ sola conservauit Religionem, fecitque, vt de ætate in ætatem, de sæculo in sæculum propagaretur derivareturque. Id quod inter ipsos Ethnicos etiam, sapientes agnoverunt. Sic enim Euripides:

In rebus ad cultum deorum & cælitum
Spectantibus, noli sophisticarier,
Sed crede prisca quod docuit Antiquitas
Sine ampliori mentis vlla indagine.

V. Et quæso, considerate hoc mecum paulisper vos mundi Reformatores, qui tam facile ad mutandam Religionem accingimini. Si Turca aliquis, aut Iudæus Genevam veniat ad amplectendum Christianismum, detisque ei in manus Nouum Testamentum, hac addita regula, nihil esse recipiendum, nisi quod in sacris eius libris diserte expressum sit, quomodo poterit iste ad Christianismi normam sese conformare, & Credo suum, siue Symbolum Apostolorum recitare, quod in Scriptura non reperitur, & si Hieronymo credimus, non nisi in tabulis cordium scriptum fuit, manu traditionum, non autem atramento & charta consignatum? Quomodo adorabit Sanctam Trinitatem, quum hoc verbum nullibi extet? Quomodo credet, esse aliquam Scripturam Veteris Testamenti? Esse Sa-

c 2. *Epist. ad Thessal.* d *Epist.* 18. e *De corona milit.*

cramenta, quum eorum ne nomen quidem exstet? Quemadmodum ne illud quidem scriptum est, Deiparam virginem, semper Virginem mansisse; Sacramenta duo esse, Baptismum & Eucharistiam, non plura; Infantes baptizandos esse, quod Christum aut Apostolos unquam fecisse, ostendi nequit; Adhibendos esse in Baptismo parentes lustricos, Admittendas ad Cœnam feminas, quod in Scriptura non legitur. Adeo ut ausus sit Lutherus affirmare, numquam Virginem Mariam de Eucharistia participasse (Unde Rescius testatur, deliberatum fuisse in Palatinatu, de feminis à Cœna excludendis.) Non esse Baptismum iterandum; Primum septimanæ diem, esse diem quietis Domini, non vero ultimum, à Deo præscriptum Sabbathi puta; Ex triplici Legum genere, in Veteri Testamento diuinitus sancitarum, Ceremonialium, Judicialium & Moralium, duo priora genera esse antiquata ac prohibita; Non amplius obseruatu necessariam esse illam Legem Apostolorum, de non comedendo sanguine bestiarum suffocatarum. Quomodo certior fiet, credenda illi esse multa alia, quæ una cum Catholicis tu credis, extra Scripturam? Quomodo, inquam, novitius iste Christianus ad omnia ista tenenda sese componet, si cum solius Scripturæ, & priuati sui iudicij cancellis includas? Quem habebis idoneum auctorem maioris partis illarum rerum, quas illi credendas propones, nisi recurras ad illud, quod per manus traditum est Ecclesiæ Catholicæ: Nam velis nolis, agnoscas oportet, illius beneficio te possidere, tanquam iure clientelari, omnia ista, quæ ipsa diligenter custodivit in arca sua, in corde hominum, & maxime Pastorum. Ab hac acceperunt ista avi vestri, abavis parentes, à parentibus vos, relicturi eadem posteris vestris. E contrario autem Catholicus ipse dicet, Corpus Sacræ Scripturæ, tam Veteris, quam Novi Testamenti, revera esse fundamentum salutis nostræ, verum Dei verbum, seque de eo ita persuasum esse, propterea quod sic Ecclesia pronunciet testaturque ira se edoctam esse ab Apostolis. Hæc definivit, Athanasio teste, non esse nisi quatuor Euangelia. Adderque, intelligendam esse Scripturam non secundum nostram conceptionem priuatam, quod proprium est omnium Hæreticorum; sed secundum Apostolorum oralem expositionem. Non minus certum esse, ecminoribus testimonijs comprobatum hoc esse istam interpretationem ab Apostolis, quam illud, esse istam Scripturam ab Apostolis. Apertisque omnium illorum scriptis, qui sua fidelitate & testificatione Traditionem illam conseruarunt, & longa successionis serie ad nos vsque transmiserunt, ostendet illi omnia, quæ credimus & facimus circa Baptismum, qui ianitor est Paradisi, apud Divum Cyrillum, Tertullianum, Augustinum, Gregorium; Ritus Confirmationis, quæ nos militeseefficit Jesu Christi, & ordini equestri adscribit, apud S. Clementem, discipulum Diui Petri, Ignatium, discipulum S. Johannis, Tertullianum, Cyprianum. Quin Calvinum ipsum confiteri hanc antiquitatem commonstrabit. Extremam unctionem, post Epistolam Diui Jacobi, in omnibus veteribus illi monstrabit. simulque audaciam, ne dicam impudentiam Lutheri, qui in eo libro, quem de Captivitate Babylonica composuit, negat licitum fuisse ulli Apostolorum, Sacramentum propria auctoritate instituere. Sacri Chrismatis usum ex Hierarchia S. Dionisij docebit, & præterea ex Tertulliano, Cypriano, Augustino, Crucis, quæ omnium actionum nostratum clauis est, & quasi prodromus: Benedictionem Episcoporum nostrorum, & manuum, dum populo benedicunt, elevationem tum eorundem consecrationem, ex Dyonisio, Anacleto, S. Clemente: Aquam benedictam ex eodem, & ex Justino Martyre, S. Basilio, S. Ambrosio; Concilium illi recitabit, celebratum ante annos mille ducentos, quo jubetur aqua salutari aspergi populus: Panem benedictum, quem in Missa adhibemus, in Augustino monstrabit. Panis, inquit, quamuis non sit Corpus Christi, sanctior tamen est alio pane, quo nutrimur. Altarium consecrationes, Corporalia, Calices, Patenas, Cereos, Faces, panis & vini in Ecclesia Oblationes apud S. Dionysium, S. Fabianum, S. Chrysostomum, S. Augustinum, S. Leonem. Denique in omnium istorum veterum scriptis, tanquam in tabella quadam spectandam illi exhibebit integram Catholicæ Ecclesiæ fidem, quam inde ab Apostolorum ætate tot iam continuis sæculis sine ulla interpretatione, inviolatam conseruauit. Loca ipsa non adscribo, digito ea indicasse contentus.

VI. Stultum esse, inquit iste novæ Ecclesiæ, quem in hoc libro depingo, fundator, *ad hominum interpretationes recurrere, ad intelligendã Scripturam: Humanæ*

manas istas esse traditiones, quas Ecclesia Romana nobis obtrudat. Distinguendum erat Calvine, inter traditiones hominum, & traditiones Ecclesiæ. Contra illas clamat Dominus, traditiones terræ, aut potius traditiones Satanæ; non autem contra has, quæ non immerito appellãtur traditiones Cœli, quibus solis verus Scripturæ sensus innitur, traditiones divinitus humanæ, natæ ante Scripturam. Hæc erat illa præclara admonitio S. Ignatij iam iam martyrio coronandi, dicentis ad Christianos, non quidem, *Custodite, qua scripta sunt*, sed, *Custodite traditiones Apostolicas*: Recordamini ea, quæ audiuistis prædicari, Cum qua consonat illud Pauli, MANETE IN FIDE, TRADITA. Quærit successor Calvini (*f*) quum ad Patres, & traditiones Ecclesiasticas remittimur, num inter Deum & homines opus sit Mediatoribus & arbitris? Qua quidem ratione, si omnes omnino iudices reijciamus: nonne immortales fient lites nostræ? Illud quidem lepidum est, quum ad controuersias nostras dirimendas talem aliquem eligendum dicit Calviniſta, qui nec sit Papista, nec Evangelicus. Iam enim oportebit vel Rabbinum aliquem Iudæorum, vel Mophthin Turcarum, vel Brachmanum Indorum, controversiarum iudicem constituere. Sic Arrius disputationis suæ arbitrium Ethnico deferebat. Equidem perinde facitis, ut obstinati causidici, originem ducentes à decrepita illa litigatrice Ptolemaide, quos litigandi libido in mutuum exitium armat. Controversia illorum posita est in interpretanda causa Testamenti, hunc titulum pro sua quisque causa allegat; hinc illi patrocinium querit. Cuius litis si nulla pars alium iudicem velit admittere, quam illud ipsum instrumentum, ex quo orta est controversia pendebit causa usque ad diem iudicij. Si duo Aduocati, cupientes suæ quisque clientis causam defendere, vnam eandemque legem tanquam decisiuam controversiæ, in suum quisque sensum trahat, & suo negocio accommodet, alia tamen atque alia ratione neutri fides adhibetur, sed adeuntur veteres Doctores, qui nullo istarum partium studio, vt quarum causa nondum agitata fuerat, super ijs incommodis, quæ præviderunt instituta, formales decisiones prodiderunt, quarum ratione futuræ controuersiæ terminarentur, ut ille solus causam obtineat, pro quo faciunt Doctorum responsa. Magnus agitatur & diuturnus iudicialis processus inter Catholicum, & Lutheranum ac Calviniſtam; immo omnes qui unquam erunt, Hæreticos. Status controversiæ vertitur in interpretatione Scripturæ, hi sunt tituli utriusque partis communes. Affirmat unus locum istum hoc modo modo esse intelligendum, idque probat per alios locos. Idem negat alter, & per collationem aliorum testimoniorum in aliũ sensum eũ detorquet: uterq; interpretationem suam mordicus tenet, nec vult à sententia discedere. Quo pacto finis imponetur huic contentioni, nisi recurramus ad iudices ac testes Christianæ antiquitatis, non suspectos partibus, propterea quod cum nostris litibus nihil illis fuit olim nec nunc est negotij? Num fieri potest, vt omnes sint recusabiles, & inter tam multos non reperiantur tot, qui sufficiant huic causæ vltimo iudicio decidendæ, possintque testari, quid Ecclesia primitiva semper crediderit? Agite, intrate in prima illa sæcula quibus affirmatis Ecclesiam fuisse in candore suo & pura puritate (Calvinus vester quingentos annos integritati eius adscribit) eligite vobis hominem aliquem Dei, illius temporis, quem pro supremo iudice, vel teste admittatis: secus, criminis vobis intentati vos reos declarabitis. Fuit hæc conditio non ita pridem à me oblata. Ministro prope hanc ciuitatem Burdigalensem concionanti. *Habeamus*, inquam, *prater Biblia sacra, solum D. Augustinum pro iudice, aut pro teste sententia, quam Ecclesia sui temporis tenuit, vt qui eam accepit ab Apostolis, ministerio precedentis Ecclesia: acquiescamus in auctoritate ac sanctitate magni huius viri, qui lumen fuit Ecclesiæ, vel potius in illius temporis Ecclesia integritate, testificata per ipsum.* At ille, *Placet*, inquit, *si quidem iudicium ipsius sit Scriptura consentaneum*, Hoc est pseudothyrum illorum, quo semper solent elabi. Et cogitandum mihi fuerat, nunquam eos vnius Patris iudicio stare, nec plurium etiam, ac ne omnium quidem: & scire eum, inueniri in S. Augustino (*g*) *successionem Ecclesiæ Catholicæ in pastoribus & doctrinam, continuatam, inde ab Apostolorum Principe diuo Petro, usque ad Pontificem Anastasium, qui illius tempore præsidebat. Missam quam in Ecclesia nostra canimus. Orationem pro defunctis, fœcentis in loris, Sacrificium à matre eius expetitum, ad consolatio-*

f *Beza de not. Eccles. Lassis. in def. Volani* g *Aug. lib. 1. de util cre. cap. 17. Serm. de temp. lib. 9. cap. 14. lib. de gen. cont. Mani. lib. 2 cap. 20 super Psal. 33. Lib. 17. de ciuit. cap. 3.*

nem animæ ipsius iam mortuæ. Omnes eos, quorum infectæ sunt peccato animæ, aut ad æternum ignem condemnari, aut igne purgatorio expiari. Sacrificium Corporis & Sanguinis Iesu Christi secundum ordinem Melchisedech, vbique terrarum in vsu fuisse. Missam, inquam, nostram, quæ omnibus Veteris Testamenti Sacrificijs successit. Redemtorem mundi, illam ipsam carnem, quam à Virgine Maria assumsit, manducandam nobis dedisse, ad salutem nostram, & illud ipsum corpus suum manibus tenuisse, quum panem consecratum porrigeret. Festorum in honorem Martyrum obseruationem, Ceremonias Baptismi, Sanationem per inuocationem Sanctorum: Imagines nostras, Obseruationem Quadragesimalis ieiunij, quæ fidelem, inquit, ab Hæretico discerni: Peregrinationes nostras, Processiones, quibus femina quædam cæca, visum recuperauit, quum reliquias S. Stephani attigisset. Denique verum Dei cultum esse illum, qui in Ecclesijs Catholicis viget, non autem in horreo aliquo. Has conditiones si detrectaueritis. Domini Ministri, idem de vobis statuetur, quod olim de reis Romanis, qui propter recusatum arbitrium Catonis condemnati fuerunt, propterea quod iudicio tam boni viri se submittere renuentes, diffidere innocentiæ suæ viderentur. Quod si suspectus est vobis Augustinus, hanc vobis prærogatiuam concedimus vt optionem habeatis inter omnes; nos ne vnum quidem recusamus: Nam nec vllum inuenietis, qui vestram Confessionem tenuerit: sed omnes, vt dixi, nostram tenuerunt. Admonet me vestra ratio (veniam mihi date, si placet, scio enim omnes comparationes odiosas esse) reorum qui in tholis quæsitorijs nostris compedibus vincti sedentes, vt imminentem ceruicibus gladium auertant, non testes tantum, sed etiam iudices detrectant, & per varia diuerticula caussidicorum, mille rimas quærunt, mille commiscuntur effugia, prouocant ab vno Parlamento ad alterum: membranas extendunt, vt vitam extendant: & tandem tamen necesse est vt dedant se, factumque confiteantur vel in pegmate. Fugite, quantum potestis. Omnes tergiuersationes vestræ, omnia diuerticula vestra nihil sunt aliud quam dilationes, & mortis exigua mora. Euadere non potestis, quin ad extremum super scamno sanctæ Antiquitatis extendamini, ibique contortis funibus manus pedesque vobis constringantur: hæ erunt rotæ, hæ fidiculæ, quæ veram confessionem à vobis extorquebunt, ta cientque, velitis nolitis, vt non loqui tantum veritatem, sed clamare etiam compellamini. Et vos, qui extra Ecclesiam Catholicam degentes, sententijs ab Angelo vestro bono animam vestram tangi, impulsuque arteriarum conscientiæ vestræ in paroxysmum & continuam Melancholiam vos conijci: si vllum vos, tangit sanitatis vestræ desiderium, relicto aëre palustri, in quo a Doctoribus vestris detinemini, migrate in cœlum mirius, deambulantesque in veterum illorum hortulis, syluulis & florentibus pratis, ex alueolis illorum diuersis nunc hanc, nunc illam plantam decerpite, atque ex ijs salutarem potionem miscete, non tantum leuamen aliquod morbi vestri, sed plenam sanitatis restitutionem experturi. Omittite omnes istos nouos scriptores vtriusque partis, eosque si non vt contentiosos litigiososque, at saltem vt suspectos repudiate: Eos legite, qui sub factiosis istis omnibus Papistarum aut Caluinistarum non comprehenduntur: & ausim affirmare, non peruenturos vos vel ad tertium Sæculum, quin manus daturi sitis, si quidem in ipsis fontibus eos conspiciatis, non autem truncos mutilosque in libris Doctorum vestrorum, qui fucum vobis faciunt, & contra propriam conscientiam loquentes. S. Hieronymum, S. Augustinum & cæteros Patres introducunt. Gestietis ad Ecclesiam Catholicam, tanquam ad portum & asylum vos recipere. Sed quid? plerique vestrum contrariam rationem amplectuntur, & quemadmodum animal illud, quod natura perpetuis tenebris addixit, in lucem protractum, sponte sua interram remigrat, noctem requirens suam: ita isti, si quis apud Sanctos Dionysium, Cyprianum, Hieronymum, Basilium, & Augustinum, ostendere illis velit solem Ecclesiæ Catholicæ, ad Lutheri, Caluini, Bezæ, Mornæi, aut etiam priuati sui iudicij tenebras continuo recurrunt, & quotidie magis magisque istis diuerticulorum laqueis sese implicant, nec redeunt ex labyrintho erroris, donec incidant in fauces Minotauri. Vno tantum homine opus fuisse Scriptura affirmat, qui Paralyticum deportaret in piscinam, vt à morbo tam diuturno liberaretur. Et ad vos tam multi operam suam obtulerunt: vos saltem deportari vos patimini, & à malo, quod tamdiu animas vestras exercet, liberabimini. Verum perinde sopiti estis, ac glires, quæ ne quidem admotis ad nares ardentibus

tibus sulphuratis expergiscuntur. Illud habete pro verissimo axiomate, fieri nullo modo posse, vt quis Patres legat sine præiudicio, & maneat Caluinista: omnem q; hac de re controuersiam huc tandem recidere, vtrum standum sit potius iudicio vnius Caluini, aut alterius cuiusdam talis Doctoris, quam omnium, qui inde ab Apostolorum temporibus ante ipsum fuerunt, Christianorum & Ecclesiarum, siue in definiendo, quænam sit Scriptura Canonica, siue in ipsa Scriptura interpretanda. Deprehendemus autem, semper in negotio Christianæ Religionis nouitates damnatas fuisse per antiquitatem Ecclesiæ Christianæ, & particularitatem per vniuersalitatem communemque sedecim integrorum seculorum consensum.

VII. Quod si vnius, duorum aut trium sæculorum antiquitas antiquis illis Patribus Ecclesiæ defensoribus clypei loco fuit aduersos tot genera hæresium illam oppugnantium; quantum roboris ineſſe censebitis tam multorum sæculorum, quam nos possumus iactare, præscriptioni? præ qua certæ modernæ istius Religionis risu digna est vetustas, quæ vix triginta aut quadraginta miseras hiemes vidit, easq; mille tempestatibus ac procellis terribiles? Quæ est ista, inquit Launæus in conuersione sua, præclara antiquitas? Ego ipse tam fui origini vicinus, vt à primis negotium mihi fuerit exhibitum, qui prædecessores non habuerunt, nec vlli alteri successerunt. Adeo recens est ista antiquitas, vt adhuc sit in ipso ortu suo. Id quod vel solum satis est ad euertendum, quidquid sese Ecclesiæ Catholicæ audet opponere. Tu qui in precio habes vetustum aliquod numisma ærugine obductum, aut columnam semidirutam, aut inscriptionem pæne exesam, quique eiusmodi monumenta in altiore theca arcæ tuæ, tanquam cimelia quædam, asseruas, & magna delectatione perfunderis, dum in istis figuris defiguratis notatisque preciosæ illius adeoque incuruæ vetustatis rugas obseruas, quique, vt Poeta quidam canit,

Miraris veteris fragmenta exesa Colossi,
Et numos tumbasque notis fugientibus olim
Inscriptas, & quidquid habet veneranda vetustas.

Quid est cur in negotio Religionis tam parum tribuis antiquitati? Illud nimirum (fatere quod conscientia dictat) quoniam in omnibus Ecclesiæ Catholicæ angulis illa radiat atque effulget. Præfertespeciem quã vultis, Ministri Caluiniani, & quantũ vultis, mendaci Plessæi præfatione negotium vestrum fucate, dissimulate, incrustate; facile est vobis prætextum aliquem inuenire, & ictũ declinare. Sed quidquid etiam prætexatis, nihil est tamen, quod magis conscientiam vestram fodiat, quam memorabilis & vniformis ille Christianæ antiquitatis consensus, qui olim inter mille hæreses S. Augustinum & omnes Patres in Ecclesia retinuit: magnus est iste & venerabilis testis. Nefas est loco mouere sacros limites ab antiquitate constitutos, ad Religionis sancta & inuiolabilia iura distinguenda. Semper optimum est quod est antiquissimum, & antiquissimum quod optimũ. Credere oportet veteribus, ait vnus ex Patribus nostris, tamquam melioribus, & Deo propinquioribus: ad quos ipse non raro nos remittit. Hæc sunt arma veteris illius bellatricis Ecclesiæ, nunquam deponenda è manibus. Non loquor autem de humana illa antiquitate, quam Sapientes receperunt, quam nonnemo appellat sociam sapientiæ & vicinam diuinitatis: sed de Christiana antiquitate tantum, aut, vt dicã clarius, de illa fide, illa doctrina, quam amplexi sequutique sunt vnanimiter omnibus seculis, omnes Christiani, inde ab origine sua, à temporibus nimirum Iesu Christi, hoc est, ij, quos audire, & quibus tanquam ipsi Deo obedire cœlesti voce iubemur, quosque eadem negat errare posse simul omnes in idem consentientes. Et hic quidem tam mirabilis consensus Spiritui nostro testatur, non posse eundem aliunde quam à Dei spiritu proficisci. Et qui alibi deprehenduntur per longum annorum spacium soli Christianorum nomine appellati, siue Christianismum professi fuisse, immo qui sunt Commissarij Legatiq; Dei, & bonorũ ipsius dispẽsatores, & Cœlitanitores, vt loquitur Scriptura.

DE CALVINO, QVI OMNES ceremonias aboleuit: deque modis quibus primi Christiani Paganos ad Christianismum adduxerunt.

CAPVT III.

ARGVMENTVM.

I. *Lutherus quasdam Ecclesiæ ceremonias retinuit, Caluinus omnes penitus aboleuit.*
II. *Caluini de ceremonijs iudicium.*
III. *Christiani cum Paganis multa habuere communia.*
IV. Cere-

IV. *Ceremoniæ diuinum cultum augustiorem reddunt.*

V. *Diabolus ceremonias ex Ecclesia profligauit.*

VI. *Paganorum religio velut simia fuit Christianæ.*

I. CAluino modestior Hæresiarcha Lutherus, quum Ecclesiam suam erigeret, tum in ritibus, tum in doctrina, multa retinuit ex more Ecclesiæ Catholicæ, vt dictum est à me superioribus libris: quin & in Epistola quadam ad Galliarum Regem in hanc sententiam scripsit. Quum mundus non possit carere Ceremonijs, nescio ad quid conducat, veteribus relictis nouas introducere. Multa apparent veteris Ecclesiæ vestigia, in noua illa, quam ipse constituit. Templorum structuræ, Altaria, Ornamenta, Calices, Imagines. At Caluinus, contraria prorsus ratione, in nouam omnino formam Reformationem suam instituit, optima quæque, quæ veterum sapientia & sanctitas nobis reliquerat, funditus euertens. Sane doctrinæ ipsius capita hic referre, non est mihi propositum: longius enim à primario meo scopo recederem, & præterea quantum opus est, obiter ea attigi superioribus Capitibus, & deinceps quoque subiade attingam. Illud tamen ad Historiam eius pertinere visum est, ordinem Ecclesiasticum ab ipso institutum ob oculos ponere, quum ab eo suum quoque mutuata sit Gallicana Ecclesia ea, quæ se Reformatam appellat. Roma illorum, & Imperij sedes, Geneua est: hinc profecta sunt omnia Consilia tum ad Religionem pertinentia, tum ad Remplicam, quorum nos experti sumus tragicos & deplorabiles effectus. Itaque facta conspiratione aduersus Ecclesiam Catholicam, generale promulgatur Edictum, quo iubentur abrogari omnes ceremoniæ, solitæ in Ecclesia obseruari, ornatus, decori, & solennitatis gratia, tam sancte & diuine rebus præsentibus, & mysteriorum magnitudini accommodatæ, vt ab essentia illorum inseparabiles videantur. Animaduertebat enim, fieri non posse, vt Ecclesiam suam aliqua condecoraret Ceremonia, quæ nonnihil haberet Maiestatis, nisi eam à nostra, tanto pulchriore atque illustriore, desumeret: ideoque omnem omnino earum memoriam statuit abolere, spoliataque veteri Ecclesia, nouam suam prorsus pauperem, nudam atque inornatam relinquere. nec sane absurde; nam quū sit ipsa inuisibilis, & tota spiritualis, Ceremonijs, quæ in contemplationem diuinitatis eam rapiant, haud indiget. Quin etiam non desunt auctores, qui dicant, voluisse eum in locum diei Dominicæ diem Iouis substituere, quum Sabbathi non posset, ne videretur Iudaizare; nec Veneris, quem Mahumetes obseruari iussit. Sed visa est ea nouitas nimium periculi habere. Itaque tot augustarum cœlestiumque Ceremoniarum vsum tollens, perinde fecit, vt Origentini, qui Regis sui odio, quum aduersus ipsum conspirassent, & vitæ ipsius insidias struxissent, publica lege interdixerunt vt nemo deinceps cœruleo vteretur amictu, idque hanc solum ob caussam, quod satellites ipsius, huius coloris vestitu vterentur.

II. *Ceremoniæ istæ*, inquit Caluinus, *reliquiæ quædam sunt, veteris Paganismi aut Iudaismi. Quid attinet, tantum auri, tantum argenti, tot vasa preciosa, & alia eiusmodi ornamenta comparare ad seruiendum Deo? Vana sunt ista omnia, & male collocata. Ad prædam fratres, ad prædam.* Idem dicebat Pseudopropheta ille Iudas de vnguento & balsamo precioso, quo pedes Seruatoris vngebat sancta Pœnitentia. *Suffimenta illa & thura* (ait Caluinus) *inuenta sunt Ethnicorum, consuetudines praua, plena idololatria.* Sane Ethnici ijs sunt vsi. Orpheus id ostendit in Hymnis, quos falsis suis dijs cecinit, cum fumigationibus thuris aliorumque odorum suauium. Sic Neptuno Myrrham, Ioui storacem, & Æsculapio Mannam adolebant. Iudæi quoque vsi fuerunt incenso, quod compositum ex duodecim speciebus aromatum, gratum fragrantemque odorem spirans, & admirabili quadam ratione, prunis altaris iniectum, recta cœlum versus magno impetu fumum iaculabatur, minime hac illac, vt alij fumi solent, aberrantem. Sed hoc non obstitit, quo minus etiam Christiani eo vterentur, vindicantes Paganismum, in quo moralis hæc ceremonia à Iudæis desumta fuerat. Quam tamen Traditionem ab Apostolis deriuatam fuisse, ex quarto Canone apparet, vt manifestus sit error eorum, qui Leoni Tertio eam tribuerunt. Eiusdem meminit in Liturgia sua Iacobus Apostolus, vt videre est etiam in Missis antiquis S. Basilij & S. Chrysostomi, quas Christiani Orientales canebant. Vide S Dionysium in Hierarchia sua, D. Ambrosium in Lucam, & veteres omnes. Constantinus magnus thuribulum aureum misit D. Nicolao. D. Ambrosius Angelos precatur, vt incenso Altarium & Sacrificio assistant. Contra Caluinus incensum reijcit: & thure non aliter abigitur, ac Asmodæus apud Tobiam odoramentis Angeli Raphaelis. Vt similitudo sit hac in re inter Caluinum & Dæmo-

-nem

nem. Itaque clamat, Ceremonias nostras olere Paganismum aut Iudaismum, nosque eas ab Idololatris aut Iudæis didicisse: Nostras non secus ac illorũ sacras ædes, resplendere auro, fumigatas esse thure, & lampadibus atque candelis collucere, vt olim Iouis, Martis & Veneris Templa. Pleni sunt istis querelis plurimi libelli, sparsi per orbem Christianum, qui adhuc hodie manibus vulgi teruntur. Is quoque qui nuper in describendis prætensis abusibus Missæ tantum operæ perdidit, Ceremonias nostras ad Numam Pompilium auctorem refert. Quum potius dicendum illi fuisset cum Tertulliano, Numam omnia à Iudæis mutuatum esse. Profecto tempus monet, vt ab hoc morbo iam conualescamus. Olim excusari poterat aliquo modo ista ignorantia, quum vos Mundum è somno suscitastis: nunc vero etiam mulierculæ argumenta vestra rident, & impostoras vestras eminus etiam vident. Dabitne autem veniam mihi æquus Lector, vt agam nonnihil de hisce Ecclesiæ Ceremonijs, quas Caluinus Ethnicas atque idololatricas malitiose appellat? Equidem nec iniucunda nec inutilis erit ista digressio ijs, quibus præcipue hunc meum laborem destinaui, quibus scrupulus aliquis injicitur, quum vident eos, qui verum Deum adorant, ceremonias nonnullas obseruare ijs quoque vsitatas, qui diabolum adorant.

III. Multæ fuerunt res bonæ & sanctæ (audite, qui Reformatos vos dicitis) Ethnicis nobiscum communes. Nam quum fuerint inter Paganos præclara quædam & sublimia ingenia, naturali rationis lumine insigniter præ ceteris collustrata: fieri non potest, vt non excellentes quosdam conceptus habuerint, quales nos multos agnoscimus, tum in constitutione Religionis ipsorum, tum in Reipublicæ administratione. Animam, inquit Tertullianus, multas res bonas ex seipsa producere, quamuis non sit Christiana. Quas eam solam ob caussam repudiare ac contemnere, quod ab istis auctoribus sint inuentæ, inhumanum est. Primi Patres nostri, qui Ecclesiam Dei fundauerunt, ædificauerunt ac illustrauerunt, quum intelligerent, consuetudinem siue bonam, siue malam, difficillime, quidquid tandem facias, abrogari (nam vbi semel inualuit, vim obtinet legis) optimum rati sunt atque vtilissimum, antiquas nonnullas ceremonias, quas Pagani ab Ecclesia Dei veteri rapuerant, retinere, destruentes interim Idololatriam, & vanam istam Religionem, qua addicti erant superstitiosæ adorationi peregrinæ illius & insociabilis Deorum pluralitatis, quæ annis ter mille sexcentis & amplius mundum infatuauerat. Itaque quum vellent Crucem Christi erigere, non sunt demoliti semper magnifica palatia atque ædificia, dijs illorum dedicata, sed vnius viuentis Dei honori eadem consecrauerunt. Sanctus Martialis, qui Apostolorum tempore vixit, transiens per ciuitatem nostram Burdegalensem, Altare quoddam, quod Deo cuidam ignoto dedicatum ibi reperiebat, vero Deo consecrauit, quem sub titulo & memoria Sancti Stephani Protomartyris cognoscendum ipsis proponebat. Idem fecerunt Apostoli & eorum successores, peragrantes orbem terrarum, ad conuertendos populos: quos tamen noui isti Euangelistæ eo nomine criminantur. Balæus certe testatur in vita Bonifacij IV. Romani Pontificis, hunc ab Imperatore Phoca Phantheon templum, plenum falsorum deorum & idololatriæ sordibus impetrasse, vt loco Cybeles falsorum deorum Matris, Maria Mater Iesu Christi Seruatoris nostri, vnà cum SS. Martyribus, ibi coleretur atque adoraretur? Horribilis mutatio, & doctrinæ D. Pauli repugnans! efficere, vt quod consecratum fuerat Idolis, in sacrasanctum vsum à Christianis conuertatur. Sic isti accommodant loca Scripturæ. Sic calumniantur maiorum nostrorum sanctas actiones, qui ductu Spiritus sancti, ad gloriam Dei, & honorem Ecclesiæ ipsius omnes gressus suos, omnia consilia sua instituerunt. Interim non potest eos latere. Deum ipsum in Lege Mosaica præcepisse, vt ex spolijs Ægyptiacis Templum sibi exstrueretur. Nec vero, vt istis placet, Paganismum ab inferis reuocarunt, eo quod ceremonias quasdam ex eodem retinuerunt: id rursus vindicantes, quod illi furati fuerant ex Lege Mosis, & ex Synagoga, quã prisci nostri Patres voluerunt honorifice sepelire, multas res bonas, quæ illorum fuerant, ad suos vsus transferentes. Quo pacto paulatim progredientes, pulcherrimum illum ordinem, qui in Ecclesia cõspicitur, stabiliuerunt. Id quod breui aliquo temporis spatio, & velut vno momento fieri ita publice non potest. Nam quemadmodum in veteri Lege exornationes & solẽnitates cultus diuini quadringentis circiter annis demum post obitum Mosis fuerunt introductæ ita tribus illis primis secu-

lis, quæ Constantini tempora præcesserunt, durãte persequutione, coacti sunt Christiani simplici Dei cultu contenti esse, impediti quo minus possent solennem eius ordinem constituere, vt postea factum est, quum per conuersionem Imperatorum pax contigit Ecclesiæ, ita vt iam possent cum Gentilibus pari Marte congredi. Quapropter frustra se cruciat Plessæus, dum conatur ostendere, eum Dei cultum, qui hodie viget in Ecclesia Christiana, ab initio talem non fuisse. Neque enim ignoramus, tenuitatem illam, qua tunc laborabat Ecclesia, exiguum Christianorum numerum, & ignem denique persequutionum obstitisse, quo minus Templa ista magnifica ædificarent, eaque tantis opibus & tam pulchro ornatu instruerent, & tanto cum apparatu Deum colerent: & nihilominus tamen cultus idem fuit, condecoratus postea multis ceremonijs & diuitijs, impleto scilicet eius rei tempore, ab Esaia prædicto.

IV. Sane quæ pulchra sunt, semper pulchra sunt: verum vt adamas aut pyropus bracteolæ impositus, fulgorem acquirit multo maiorem natiuo: ita cultum diuinum multo augustiorem efficit pulchratum sanctarumq; illarum ceremoniarum accessio, quamuis apud Ethnicos etiam bona parte vsitatarum, sub quibus sublimissima & præstantissima mysteria, non secus ac vuæ sub vinearum pampinis, abscondita latent. Sed quantumuis insit illis pulchritudinis, erraticis tamen istis ingenijs non sapiunt. Squalorem, inquiunt, & situm redolent. Qua in re non absimiles mihi videntur illis, qui adeo delicatos oculos habent, vt non dignentur aspicere tabulam aliquam, Michaelis Angeli, aut Raphaelis, aut Titiani diuina manu pictam, propterea quod omnia arrodens tempus næuum aliquem aut pallorem colori induxit. Neque enim idonei sunt oculi illorum ad faciendum iudicium de admirabilibus lineamentis, quæ apparent in antiquitate, sub carie tabularum istarum pulcerrimarum, vetustate & fumo pæne corruptarum. Et quemadmodum nihil interest, siue febricitantem imponas aureo precioso que lecto, siue culcitræ stramentitiæ: quietem enim nec hic nec illic inuenier, sed modo in hoc, modo in illud latus lecti se volutans non poterit in vno aliquo loco quiescere, propterea quod quocumque tandem recumbat, vbique eum comitatur morbus suus, nec vsquam ab eo recedit anxia & morosa febris. Ita vobis quoque ô noui Christiani, quemcunque tandem cibum apponamus, nihil palato vestro sapit, & quidquid infunditur ex vna parte, ex altera, velut dolia Danaidum, reijcitis.

V. Non desunt ex nouæ istius Religionis sectatoribus, qui scrupulo aliquo conscientiæ percussi, alij hoc, alij illud confitentur ac concedunt dicentes plerique, vlterius, quam oportuerit, falcem immissam fuisse in eas res, quæ plurimum habent sanctitatis pietatisque, non decuisse omnes illas ceremonias relegare, quæ in Ecclesiæ Romana longa iam annorum serie viguerunt, quæ oculos nostros erudiunt, quemadmodum verbi prædicatio, aures: considerandam fuisse ipsam ceremoniarum substantiam, quum sint mystica, & rerum diuinarum significationem contineant. Verum, inquiunt, Ethnici & Idololatræ earum sunt auctores, easque, ad cultum falsorum deorum suorum procuderunt. Et honor illis defertur is, quem non merentur. Dicendum erat vobis, non auctores earum fuisse Ethnicos, sed imitatores quosdam ac mimos Diabolus enim, simiæ indolem referens, quæ gestu conatur expri nere quidquid videt, volens æmulari Creatorem suum, ad decipiendos homines, multas sanctissimas ceremonias à filijs Dei mutuatus est, easque metamorphosi quadam ne agnoscerentur, transformauit. Econtrario autem ad decipiendos Christianos, easdem illas ceremonias, quum sint illi extortæ è manibus, prorsus è medio tollere aggreditur. Diabolum inquit Iustinus sub finem primæ suæ Apologiæ, inter Paganos baptismo quoque vti, & militum suarum frontem eodem signo signaculo signare (signum Crucis intelligens) panis oblationem & resurrectionis memoriam itidem vt inter Christianos celebrari. Et Tertullianus, Diaboli fraudem & malitiam inde ait cognosci, quod à vero Dei cultu quædam mutuetur, vt ad fidem pertinere Christianam videantur Religionem nostram talem vos repræsentatis, Caluinistæ, ac si desumta esset ex Paganismo, eaque est quotidiana vestra exprobratio. Primis Christianis idem euenit: nam impius ille Apostata, & Philosophus Celsus, discipulus magistri voluptaris Epicuri, ducti zelotypia quadam, quod præclarum illum Christianorum ordinem viderent, affirmabant circiter annum Seruatoris centesimum sexagesimum, pulcherrimum quodque quod in Christianorum Religione vigeret, id eos ab Ethnicis tamquam clientelari iure possidere. Hoc indicium esse furti in ipsorum bona admissi. Omnes illas

vocum

vocum elegantias raptas esse ex Homero, Hesiodo, Platone, Pythagora & alijs. Ortam esse Religionem Christianam ex interpolato Gentilismo. Idem vos nobis objcitis, Caluinistæ, vt si vobis credendum sit, nos simus simiæ quædam Ethnicorum.

Quod si Orthodoxorum Patrum diuina scripta euoluamus, liquido constabit, Ethnicæ infidelitatis dogmata, fabularumque gentilium falsam veritatem, fuisse ab illis, admirabili quadam dexteritate atque prudentia, ad fidei & Religionis Christianæ puram veritatem reducta, dum ad oculum illis demonstrarunt, nihil esse aliud Gentilismum, quam veræ Religionis imitatoriam quandam expressionem. Omnia idololatrica illorum mysteria compilata esse ex Lege Dei, & desumta a Iudæis, qui soli habuerunt perfectam Dei cognitionem: eaque Poetas illorum temporum & ceteros viros præstantes, non ausos fuisse in lucem proferre, deterritos exemplo Socratis, sed fabulis ea inuoluisse, & tam sublunaris istius, quam cœlestis illius naturæ excellentissima quæque mysteria, sub Poeticarum fictionum inuolucris occultauisse. Id quod clare ostendit Iustinus, in admonitione ad Gentiles, de Homero loquens, qui optimos quosque tractatus diuinæ Iliados suæ, & Odysseæ, ex libro Geneseos hausit. Ibi creationem mundi, ibi lapsum malorum Angelorum, ibi Paradisi terrestris, ibi Inferni videmus descriptionem. Clemens Alexandrinus in Menandro notat decem Dei Præcepta ex ordine pronunciata. Prisci Christiani talibus Ethnicos dictis aggrediebantur. Facere enim non possum, quin hanc molestiam, vel potius hanc delectationem præbeam Lectori, vt vestigia mea sequatur per diuersa ambulacra huius septi, adagnoscendam veterum Patrum recentis adhuc Christianismi prudentiam. Sic enim in hortum tandem deueniet, pulcherrimis floscu-
lis ornatum, areolis distinctum, & viridantibus arboribus in quincuncem velut dispositis consitum, summas denique veri temporis amœnitates spirantem: simulque illa cognoscet quæ frustra alibi forsan quæret, Caluini inprimis malitiam, qui nouellam suam Ecclesiam multis pulcherrimis & sanctis rebus nudauit, eo tantum, ne antiquitatem imitari videretur. Sed audiamus veteres Christianos cum Paganis loquentes. *Vos* aiebant, *creditis Mineruam vestram natam esse è cerebro Iouis, quæ fabula omnium fere Poetarum vestrorum ingenia exercuit. Iesus Christus vera est Minerua & Sapientia, progenita ex Patris cælestis fecunda memoria. Mercurius vester de cœlo delabitur in terras, & è terris redit in cœlum, ad perferenda dijs hominibusque magni Iouis patris sui mandata. Iuppiter iste, quem auctoritu vos adoratis. Deus est Cœli:* eius internuncij & Legati, sunt Angeli, vt Mercurius Iouis vestri. Vester ille Danaen adamauit: & noster, Virginem immaculatam. Illum patrem dicitis Dei illius bis nati. Quod figura est veri Dei Filij, qui bis est generatus, primum vt Deus, ab omni æternitate; deinde vt homo, in tempore. Bifrons est Ianus vester: & noster Iesus Christus duas habet Naturas, ita inter se distinctas, vt per vnam ambulet inter mortales, per alteram autem in Paradiso imperium exerceat in Angelos. Herculem vos creditis portas inferorum effregisse: & à Iesu hoc potuisse fieri quid est cur non credatis? Herculis viam affirmatis totam fuisse laboriosam, domuisse eum immanissima terræ monstra: Noster Hercules Christianus cœlitus descendit ad venenum mortis sanguine suo diluendum dissoluendumque, & ad peccatum è mundo exturbandum. Vester Hercules nostri tantum figura quædam fuit. Vester Apollo, est Medicus: noster, Saluator & Sanator. Vester Apollo propter restitutam Hippolyto vitam diuinitate ad tempus priuatus fuit, & terreni Regis bubulcus factus: & noster, vt humano generi, ruina peccatorum suorum obruto, vitam repararet, relicto Cœlo, inter nos habitauit, ex Domino factus subditus & tributarius Augusti ac Herodis. Deucalion vester, ex historia Diluuij desumtus Phaethontis fabula, ex retrogradatione solis, facta tempore Ezechiæ: Figmentum de filijs terræ, qui Ossã Olympo, & Pelion Ossæ volebant superimponere, tractũ est ab ædificio Turris Nimrothi, qui Cœlos aggrediebatur conscendere. Quidquid denique Homerus vester, Hesiodus & alij cecinerunt, ex libris Mosis est haustum. Vos in triuijs vestris Hermas collocatis, seu ligneas statuas Mercurium referentes, quem deum viarum indigitatis: & nos ibidem Crucem defigimus, signum nostræ Redemtionis, ad indicandum, esse eam regionem Christianam. Mille alia exempla ex fabulosis Ethnicorum narrationibus petiuerunt, quibus ad salutis suæ cognitionem non raro eos reuocarunt. Ita vt dici non immerito possit, Ethnicorum superstitionem, admirabili quadam Dei prouidentia, fuisse figuram, imaginem, ideam

& introductionem quandam ad amplectendam veram Religionem, sine totali omnium immutatione & innovatione (quæ res est plenissima periculi) explicando solum dextrè, & trahendo in mysticum & sanctum sensum id, quod illi intelligebant philosophicè & fabulosè, ad evertendam illorum idololatriam. Quin nullum à Seruatore & redemtore mundi, dum inter homines habitauit, editum est miraculum, quod non Idoli alicuius nomen deleverit. Et quamvis generatim divinitatem suam asserere miraculis voluerit, speciatim tamen eadem adhibuit ad destruendum Imperium Diaboli, quod positum erat in cultu, qui in Idolis suis ipsi deferebatur, & in persona falsorum illorum deorum. Ita per nuncium, quod Angulus attulit divæ Virgini, Mercurium relegauit ad inferos, vnde prodierat: Apage deorum Legatum, internuncium, & cursorem alipedem. Per miraculum, quod fecit volens nasci ex Virgine, ecce deturbatum Parnassum cum omnibus Musis. Ventis & tempestati imperauit: Abite Boreæ, Aëoli, & quidquid cœlum aut mare turbat. Siccis pedibus in aquarum superficie ambulauit: Discedite Nereides, Thetides, Tritones, & dij Marini. Aquam convertit in vinum: Pertisti Bacche. Multiplicavit panes eu occultantem sese Cererem. Cæcis visum restituit, & mulieres peccatrices convertit: Ecce Cupidinem Veneremque extorres Regno suo. Soli Eclipsin induxit in morte sua: En Phœbum & Dianam è catalogo deorum expunctos. Descendit ad inferos, visitavit liberavitque Patres: Perijt nomen Plutonis & Proserpinæ. Si non licet Christianis, vt vos dicitis, mutuari aliquid ab Infidelibus, aut Ethnicis, si non licet mores consuetudinesque illorum vsurpare, illico viuemus sine Legibus. Pleræque enim leges nostræ ab illis profectæ sunt, nec sine illorum ope leges sancire potuimus. Iam etiam virtus sepulta erit: Fortissimæ enim & generosissimæ actiones, quas vnquam potuisset virtus producere, apud Ethnicos inveniuntur. Quid multa; Deo ipso carebimus: nefas erit vel precari illum, vel adorare, quoniam id Gentiles fecerunt. O delicatam conscientiam Reformatorum, quæ id, quod per se est bonum, iubet repudiare, propterea quod gentes luce Evangelica non illuminatæ id receperint & usurpaverint. Inculcandum est istud denuo vobis, qui à recta Ecclesiæ semita aberrastis: Non enim animadvertitis, minime ab Ethnicis nos ceremonias nostras desumere, sed Ethnicos eas à nobis desumpsisse, nosque easdem ab illis reciperet iustissimo titulo repetentes, quod nostrum est, quodque destinatum fuerat alijs vsibus, quam ipsorum impietati. Si Ethnicus & Turca convincat Atheum, Deum unum esse, & Catholicus ijsdem illis Argumentis utatur ad idem probandum, num propterea minus erit Catholicus, aut minus Orthodoxus? Deus sæpenumero inimicos suos castigat per inimicos suos: hunc imitemur, quantum humana permittit imbecillitas, pugnemus armis horum, ijsque oppugnemus arma illorum, vt vtrosque viribus Ecclesiæ expugnemus.

HÆRETICOS MULTAS RES SANctas ac bonas ex suis Ecclesijs profligare, eo tantum quod eædem à Catholicis cum veneratione usurpentur.

CAPVT IV.

ARGUMENTUM.

I. *Cur noui reformatores quæ apud Catholicos in magna habentur veneratione, inprimis Cruces, oderint ac detestentur.*
II. *Cur altaria ijdem sustulerint.*
III. *Nomine Iesu nullum habent honorem.*
IV. *Cur dies festos aboleuerint: & quo habitu vtantur.*
V. *Cur ieiunia ab Ecclesia indicta observare nolint.*
VI. *Itidem in Cœna Domini non Calicibus sed poculis & vitris vtuntur.*

I. SEd quod tantopere non fastiditis modo discipuli Calvini, multas actiones Catholicas pias & sanctas, sed & detestamini, eius rei non hæc est vera ratio, quia haustæ sunt ex Paganismo. Non enim odio eas prosequimini, vt Ethnicas; sed ideo tantum, quia in usu sunt apud Catholicos, & quia notæ sunt veteris Christianismi. Quæso enim, cur pedibus proculcatis cur confringitis venerabilem Crucem, salutem mundi, & fidelium animarum sanctissimam tutelam? Propterea, quia Catholici eam honorant & venerantur, & in Altaribus suis collocant, quod Apostolorum tem-

tempore fiebat, Tertulliano auctore, sequentes doctrinam D. Augustini, consentaneam veteri Traditioni Ecclesiæ, nihil recte fieri secundum ceremonias Religionis, nisi signum Crucis applicetur, sive fronti fidelium, sive aquæ qua regenerantur, sive Chrismati, quo vnguntur & confirmantur, sive sacrificio quo nutriuntur. Et in confessionibus suis edoctum se affirmat à matre sua, Crucis signo sese munire. Audite orationem Iuliani aduersus Christianos, & per ipsius os vos loqui intelligetis. *Vos*, inquit, *ancylia illa à Ioue cœlitus ad Numam missa adorare recusatis; interim vero Crucem ligneam adoratis, eamque in frontibus vestris & ædibus passim depingitis.* Appellamur à vobis, Domini Reformatores, idololatræ Crucis; eodem modo Ethnici nos appellabant cultores Crucis. Vos frangitis Cruces; idem & illi fecerunt. Et Iudæis pariter nihil magis in votis fuit quam vt omnem Crucis memoriam abolerent. Eamque ob causam iure appellasse eos videtur Salvator progeniem viperarum. Nam inter omnes serpentes sola Vipera figuram crucis sub maxilla gerit tanquam occultatura eam, quum reliqui serpentes, vt ipse observavi, superiori maxillæ impressam habeant. Ob quam rationem dixi: mea sententia (nemo enim alius id vnquam scripsit) *inimicos Crucis appellari à Christo progeniem viperarum*, vt qui conentur salutare signum Crucis occultare. Cur appellatis eam flagellum muscarium? propterea quod prisci Patres eam appellabant diaboli flagellum. Equidem non potuistis occultare duorum iuuenum, Geneua Lausannam vnà tendentium historiam, proditam ab idoneis auctoribus. *Illis iter facientibus, oritur tonitru, & crebris micat ignibus æther. Ibi vnus eorum precibus ad Deum confugiens, signum Crucis fronti imprimit. Cui alter, Cur quaso inquit, muscas à naso abigis? Vix eloquutus erat verbum, quum subito ictus fulmine ambustusque in terram prosternitur, altero manente incolumi, qui postea eam rem alijs exposuit.* Possem addere similes alias aliquot historias, si propositi mei ratio pateretur.

II. Cur in horreis vestris Ministerialibus nulla habetis altaria? propterea quod is est nostrarum Ecclesiarum ornatus, & vt D. Augustinus & Optatus loquuntur sedes Corporis & sanguinis Jesu Christi. Altare ædificavit Noachus, quum ex Arca egrederetur; Altaria hinc inde in Terra Sancta Abrahamus statuit: quos imitati sunt Patriarchæ, Moses, & postea Apostoli. At vos ea destruitis: quod idem Donatistæ fecerunt, quibus Optatus exprobrat, quod destruxerint Altaria, in quibus S. Cyprianus, S. Lucianus, & alij Martyres Deo sacrificarint & ubi plures (nota, Calvinista Epitheta Sacramenti Altaris) stipendium æternæ salutis, Fidei protectionem, & æternæ Resurrectionis spem acceperint. Audi D. Jo. nnem Chrysostomum: Altare, inquit, si substantiam spectes, saxum est, sed sanctificatur per hoc, quod sustinet Corpus Jesu Christi.

III. Quare nomen Jesu non veneramini, idque auditis sine ulla honoris significatione? Idololatricum id esse, cum Ochino vestro, & Magicũ quiddam sapere, cum Calvino affirmatis. Propterea, quod Catholici, Pauli doctrinam sequentes, sanctum hoc nomen venerantur, ad quod inclinatur Cœlum, assurgit Terra, & infernus contremiscit, ad cuius pronuntiationem omne genu flectitur, tum terrestrium, tum infernalium. *Scilicet* (objecit aliquando mihi Minister quidam) *etiam sunt genua spiritibus.* Cui ego respondens, *Stulte igitur*, inquam, loquitur Scriptura. *Saltem vobis sunt, & animæ olim sua recipient.* Hoc est illud sanctissimum nomen, quod honorant Angeli, adorant homines, & Diaboli verentur. Hoc Ecclesiæ Romanæ victricibus signis, hoc muris hoc ædibus, denique hoc monilibus nostris insculpitur, ut perpetuo oculis nostris obversetur: Prorsus contraria ratione, quam vos facitis, qui ubique illud expungitis atque aboletis. Nemo Calvinianæ sectæ annulum auderet gestare, cui insculptum esset nomen Jesu. Et si quis id limini ædium suarum inscriberet, illico ululatum exaudires clamantium, Apage ad Papistas. In Concionibus suis quando audiunt pronunciari nomen Jesus, non magis moventur ad honorem exhibendum, quam si Cainum nomines, aut Judam. Et erat tamen, Domini Calvinistæ, hæc sancta & laudabilis priscorum Christianorum consuetudo, ut per hoc discernerentur à Judæis in conventibus, quod illi ad nomen Jesu capita nudarent & genua flecterent, hi vero contra, ut auctor est Hieronymus, starent immoti perinde ut & vos facitis, qui tamen isto scrupulo non tangimini, nec tam delicatam conscientiam habetis, quum Principem vestrum terrenum nominari auditis. A Lutheranis non est abrogatus religiosus iste mos. Certe Apostolus illorum Lutherus, libro de Concilijs, eum approbat. Et Schlusselburgius Luthetanus, tanquam insignem impietatem perstringit consuetudinem Calvinistarum qui nullam reverentiam

nomini huic deferunt. Idem narrat, Adamum Neuserum, qui ex Ministro Galviniano factus est Mahumetanus, nunquam in concionibus suis nominatim nomen Jesu, ne populus, audiens nomen Redemptoris sui, caput (id enim est moris in Germania) detegeret. Jd quod à Magistro suo Calvino didicerat, ex Commentario in Epistolam ad Philippenses.

IV. Quare abolevistis dies Festos, tanta cum religione à primis Christianis institutos, qui etiam rerum ad vitam humanam necessariarum comparatione violare ea religioni ducebant? Propterea quod Ecclesia Catholica filijs suis ea commendat, ut perpetuo velut in tabula quadam ante oculos habeant rerum à Christo & Sanctis gestarum memoriam. Quare Ministri vestri Religionis suæ exercitum pallio alicuius opificis aut pragmatici induti peragunt, & pileo aut caputio cooperti: quo ornatu inistructos nõ raro vidi Ministros: Propterea scilicet, quod Catholici gestant Cucullos, Albas, & alios id genus amictus, aliquam reverentiam conciliantes, ut semper in Ecclesia Dei obtinuit. Etsi enim verus honos positus est in virtute, qua veluti vestita est anima; nescio tamen quomodo quandam Majestatem illi addat exterior ille corporis habitus, & in admirationem magnitudinis Dei nos rapiat. Jn Lege Naturali Noachus sacrificans veste sacerdotali amiciebatur: & in scripta Lege sacrorum amictuum exemplar Mosi Deus exhibuit. Quin & Romani & Græci habuerunt vestes suas Pontificales, Religionis notas & insignia. Et de Ægyptijs scribit Jamblichus, nunquam eos ad cultum divinum accessisse, nisi amiculo linteo indutos: unde Linigeri dicti sunt. Et Poeta Latinus ait: *puraque in veste sacerdos.* Jpse Christus, quum in Cœna sacrificaret, Taleth suum habuit: quod sacræ vestis genus fuit. Apostoli, teste Clemente, in candida veste sacrificabant. Et successores eorum preciosis indumentis dignitatẽ suam nunquam non insigniverunt. Sæpè Ministri vestri in cathedra conspiciuntur tibialibus cæruleis aut albis induti, & in hyeme nonnunquam cum calopodijs. Et quamvis presbyteros nostros paganos passim ad magnam inopiam redegeritis: nihilominus tamen dum rem divinam faciunt, egestatem illorum vestes sacerdotales tegunt. Neque enim tam indecenti cultu Altari assistunt, ut vos cathedras vestras ascenditis. Quorum tamen laceras vestes, necessitas illa & paupertas, in quam sunt ab harpijs vestris conjecti, posset excusare. At vestræ, quamvis adhuc novæ, quam parum Ecclesiæ vestræ, & divinis mysterijs, honoris deferatis, testantur.

V. Porro explicate mihi, si placet, quænam sit caussa, cur in vestro grege gulosum illud & auribus carens monstrum, venter, tot reperiat caussæ suæ patronos. Equidem eius rei aliam rationem adferre non potestis præter hanc unam, quia Ecclesia Catholica ieiunium inculcat, præcipiens ut statis temporibus ad preces meditationesque, abstinendo ab illis ciborum generibus, quæ carnem insolentem reddunt, homo præparetur disponaturque. Quæ caussa est, cur die Parasceves nihil vobis genio derrahatur? Quæ caussa est, cur dum verus Catholicus nulla re vescitur, quæ mortem passa sit, vos cupedinariorum officinas defatigetis? Jlla nimirum, quia illo die Catholicus sese affligit, corpus suum castigat, nihilque præter passionem Domini, & Crucem ante oculos habet: omnia tum feriantur, sola devotione excepta, idque iuxta veterem primitivæ Ecclesiæ morem, ut Epiphanius refert. Vos in ieiunijs vestris carnis esum permittitis; propterea quod nos piscibus vescimur: quumque in Ecclesia Catholica, ex praxi primitivæ Ecclesiæ, nunquam ieiunetur die Dominica, vos, contraria prorsus ratione non raro diem Solis, ieiunio destinatis: & in Scotia Ministri Calviniani semper in hunc diem ferias suas esuriales indicunt. Idem feciſſe Arrium, & Manichæos, D. Augustinus & Hieronymus affirmant, qui spiritu quodam contradictionis afflati, ut insultarent Catholicis, ieiunia diebus Dominicis servari constituebant, ferijs vero sexta & septima genio indulgebant. Quin illa ipsa ieiunia, quæ apud vos vigent; servatu sunt per facilia. Comeditis enim, quod libet. Et mensura ieiunij, cuiusque stomachus aut appetitus vester est. Satis est vobis habere illum diem nomen ieiunij Spiritualis, prout omnia vestra sunt Spiritualia. Quæ caussa est, cur festo aliquo solenni magis ferveat opus vestrum, quam alijs diebus? Hæc scilicet, quia Ecclesia, postquam mirum in modum multiplicata est, & vivaciores plantas suas Martyrum cruore irrigavit, dies istos constituit, ut essent rerum, quæ in illis contigerunt memoria notabiles. Jn ditione Benearnensi die Lunæ à Ministris constituto nulli licet opus facere, & ne exteris quidem merces suas per agros vehere: debetque omnis populus, qui illic maxima ex parte est

Catho-

Catholicus, ab opere faciendo abstinere. Saltem ante postremam illam Ecclesiæ Catholicæ restitutionem, de qua infra acturus sum, mos iste obtinebat. Quo fit, vt non in eo honore habeatur, dies Dominicus à Deo institutus, in quo habetur dies à Synodo indictus? Quæ causa est, cur non precemini iunctis & eleuatis manibus? Quare rideris nostras illas brachiorum decussationes, pectorum percussiones? Propterea, inquitis, quia id Paganismum & Papismum sapit. Quæ causa est, cur in cœtibus vestris ante adventum Ministri non audeatis precari? Nam si quis procideret in genua, illico eijceretur cœtu. Quia apud nos omnes in genua prostrati, orant aut orare debent, externisque illis gestibus tanto magis sese humiliant, ad testificandum honorem, quem Creatori suo reddunt. Ita fecerunt primi Christiani, qui quoties intrabant Ecclesias, Saluiano teste, in terram prosternebantur.

VI. Quamobrem in Cœna vestra vitro vtimini, non Calice? Propterea quia nos eo vtimur ex traditione Apostolorum, tanquam vase idoneo & conuenienti cultui diuino remotoque à communi & profano more, cuius formam cœlitus demissam fuisse, ni fallor à Iosepho scriptum est. Nota, Calviniane, quod libro De pudicitia Tertullianus scribit: *Calices Christianorum Saluatoris nostri sculpturis & imaginibus veris insignitos fuisse.* Pastoris formam repræsentantibus, Cassander in Liturgicis suis fatetur, omnes Christianos Orientis Calicibus vti. Quot, quæso, Calices & vasa sacra sunt à vobis liquefacta? Idem olim fecit Iulianus, qui quum in Ecclesia iam adulta tantum precioforum vasorum conspiceret indignabundus exclamauit: *Proh, qualibus vasis isti colunt Mariæ filium!* Nec mora: omne illud aurum atque argentum conflatum, & in alios vsus conversum fuit. Quod eius scelus non impune Deus dimisit. Quare *Cœnam* appellatis actionem illam vestram, qua Corpus Christi per Fidem recipere vos creditis? Propterea quod à Catholicis & omni Christiana antiquitate eadem appellatur Eucharistia, hoc est, gratiarum actio, quod Ecclesiæ à Christo relicta sit, vt mortis & passionis suæ trophæum & memoriale quoddam esset. Hunc cibum inquit Iustinus Martyr Eucharistiam appellari. Idem tradunt Irenæus, Origines, alij. D. Bernardus Sacramentum hoc Eucharistiam appellari tradit, eo quod non tantum omnis in eo gratia accipiatur; sed etiã ille ipse à quo omnis gratia promanat. Agite autem vos, quibus semper in ore est Scriptura, *locum* nobis ostendite in Scriptura, aut apud veteres, vbi Sacramentum istud appelletur Cœna. Nã locus ille S. Pauli in priore ad Corinthios, tantum de conuiuio illo loquitur, quod ad imitationem Cœnæ illius, quæ Eucharistiæ institutionem præcessit, Christiani celebrabant quod illi vocabant Agapas. Et Paulinus noster scribit suo tempore mensam fuisse in Ecclesia, quam appellabant Mensam Domini, qua à ditioribus tenuiores excipiebantur. Obseruandum fuerat vobis, quod à S. Luca, Paulo & Ioanne scribitur, Dominum nostrum post celebratam cœnam Discipulorum pedes lauisse, antequam Sacramentum institueret, & corpus suum daret. Estque hæc omnium Doctorum sententia Cœnam illam fuisse Agni Paschalis, & Cœnam communem. Et cur non potius Saluatorem imitamini, qui ipse eam vocat Pascha? Omnes Euangelistæ Græca voce vtuntur, vnde nos Eucharistiæ appellationẽ desumsimus. Quid si apud S. Cyprianum & Bernardum inveniuntur Sermones De Cœna Domini, animaduertendum est, Sanctos istos Patres de illis Cœnationibus loqui, quæ post Communem & Eucharistiæ præceptionem in Ecclesia fiebant. At quum de magno hoc Mysterio agunt, nemo illorum id appellat Cœnam, nisi raro admodum, & per Metaphoram Ambrosius, in dictum locum ad Corinthios, *Apostolos*, inquit *satis ostendere, mysterium Eucharistiæ non esse Cœnam, quamuis celebratum sit inter cœnandum.* Equidem ientaculi nomen aptius huic Sacramento, quam Cœnæ imposuissetis. S. Paulus etiam pro nobis facit, Corinthios reprehendens, quod parum essent sobrij, quodque sese inebriarent, simulque illis exprobrans, quam tenuiter in Cœna illorum pauperes viuerent. Nam quemadmodum Dominus discipulos suos, sic isti pauperes inuitabant. Itaque quum dicit Paulus, *Alius famelicus est, alius ebrius*, non de Corporis Domini perceptione loquitur; sed per illum, diuitem & conuiuatorem; per hunc, pauperem intelligit. Postea vero abrogata sunt ista conuiuia à Concilijs, quorum est ordinem politiamque Ecclesiæ præscribere. Græci nihilominus vestigia istius antiquitatis hodieque retinent. die enim Paschæ, post sumtam sacram Eucharistiam, solenne conuiuium in Ecclesia celebrant. Et illo tempore, quod inter Pascha & Pentecosten interijcitur, loco salutationis obuios compellant his verbis *Dominus resuscitatus est à mortuis.* Sed quid est cur Cœnã vestiã sumatis stan-

stantes, quemadmodum Judæi Agnum Paschalem? Quia in nostræ Eucharistiæ perceptione, quum aperiendæ sunt fores animarum nostrarum ad recipiendum antitodum mortis & peccati, Catholici in genua procumbunt, ut & Lutherani. Cur ad mensam istam nonnunquam acceditis, iam pasti? Quia magnum peccatum est Catholicis, Communionem recipere non ieiunos. Vidi aliquando Reformatæ Ecclesiæ homines ad S. Macarij fanum concionis audiendæ gratia proficiscentes qui medio itinere in cauponam deflecterent, ubi sumpto cibo, alacrius deinde pergebant ad celebrandam cœnam, ad manducandum corpus Domini, quod in ipsos per canalem velut descendit & distillat, ut Calvinus loquitur. Verum esse quod dico, plures præter me testantur. Non me latet esse temperantiores quosdam, qui damnent istam ingluviem: sed peccatum esse, paullum panis & vini sumere, nemo dicit. Idque propterea, quod hoc Scriptura non prohibeat. Quemadmodum ne hoc quidem, à prandio Cœnam celebrare, ut infra à me dicetur, quum ordinem quem in Cœna observant, describemus. Videte quid dicat Augustinus: *Placuisse nimirum Spiritui sancto, ut propter honorem & reverentiam tanti Sacramenti ante omnem quemcumq; cibum corpus Domini nostri Christianorum ora ingrediatur.* Sāctus hic Episcop⁹ a maioribus sui id acceperat, illi à Tertulliano; (a) & hic ab Apostolis. Ea Traditionem Apostolicam. Quod si omnino imitari quod Dominus fecit, velletis, accumbentes deberetis panem sumere, quod Belgæ & Scoti faciunt. Alij aliorum deberetis pedes lavare, quod diserte Dominus præcepit, dicens: *Si ego lavi pedes vestros, Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Sane in Ecclesia Catholica & Episcopi & Monachi morem hunc observant. Episcopus, immo & summus Pontifex, pauperum lavat pedes, & Monachorum is, quem Gardianum seu Abbatem appellant, die Jovis in septimana sancta, quem ritum vos ridetis: at primi Christiani omnes eum servarunt. Observanda est autem prudentia Ecclesiæ Dei in hoc, quod quum lotionem illam multi pro baptismo interpretarentur, populo ea interdixit, ut videre est apud D. Augustinum. Ex quo satis iam apparet cæcitas vestra, qui ab eo, quod bonum & sanctum est, non aliam ob caussam abhorretis, quam quia id in Ecclesia Catholica receptum est, aut quia Pagani, doctrinæ traditionisque Judæorum plagiarij, eo sint usi. Quæ caussa est, ob quam Calvinus, vestræ doctrinæ auctor, tã nudam eam vobis exhibuerit, ut nulla appareant in ea religionis vestigia. Neque enim instruere eam necessarijs suis ornamentis poterat, nisi à nobis ea mutuaretur, quod facere non voluit. Docete orbem Christianum novum aliquem morem, maiore cum ardore, affectu & reverentia precangi adorandique Deum; & lubenter nos eum amplexuros experiemini. Sed de novo esset vobis nova Ecclesia ædificanda. Nam vestra illa, quam iam aggrediar describere, nihil tale in se habet.

QVOMODO CALVINVS ECCLEsiam instituerit, capite destitutam: & tam nomina quam munera Episcoporum & presbyterorum ex ea profligarit.

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

I. *Caluinistica Ecclesia sordes & deformitas.*
II. *Ecclesia Caluinistica nullum habet caput.*
III. *Domus Dei in terris eius quæ in cœlis est, similitudinem referre debet.*
IV. *Vnitas sine certo capite conseruari nequit.*
V. *Caluinus Episcoporum & presbyterorum nomina inducit.*
VI. *Archiepiscoporum Burdgialensium series & successio demonstratiua originis suæ ex Apostolis.*
VII. *Beza suismet verbis Ioanni Drueto reditum ad Catholicos aperit.*

I. QVem admodum in scriptis veterum nõ possumus sine admiratione legere pulcherrimũ illum Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinem, vbi apta quadam omnium regiminum potestatumque connexione inferiores gradus respondent superioribus, ad summum vsque, supra quem nulla est in hisce sublunaribus alia potestas: Ita ex adverso fieri non potest, vt quis adspiciat Ecclesiæ Reformatæ quæ dicitur, miserabilem Anarchiam, (quæ, misera, iactat æqualitatem suam, statera sæpe inæqualem & periculosam, damnatamque ante annos mille ducentos in persona Arrij) quia simul moueatur commiseratione illius confusionis,

a *Tertull. ad vxor. li. 2. & decoro. Cypr. l. 2. epi. 3. Greg. Nazian. orat. in Sanct. Bapt.*

nis, quam parens ipsius Caluinus inuexit, qui nixus Ethnici illius sententia, affirmantis, primam æquitatem esse æqualitatem, non modo Arrianos resuscitauit, sed etiam Viclefistas. Viclefus enim, vt Guilhelmus VVidefortius scribit, quum spe obtinendi in Anglia Episcopatus Vigornienfis excidisset, indignatus voluit introducere in Ecclesiam ordinum confusionem, exemplo Arrij, quem Augustinus testatur ob similem repulsam, quum non posset ad Episcopatum pervenire, presbyteros æquare Episcopis conatum fuisse. Sed ô miseros! nonne videtis, nullam esse maiorem inæqualitatem, quam servare æqualitatem inter personas inæquales? Quamvis autem passim in Antichristo meo satis ad vivum expresserim omnes partes, & omnia lineamenta novæ istius Ecclesiæ, & mustæ eius antiquitatis, idemque argumentum lepide admodum tractaverit vir præclarissimus Rebullius, in Salmoneis suis, & libro de schismate: necesse est tamen ut hic quoque, ubi Anatomia facienda est Hæreseos, omnia eius membra recolligam, ostendamque ordinem eius & politiam, formamque & Ceremonias eligendorum Ministrorum, Seniorum & Diaconorum, Consistoriorum ac Synodorum Maiestatem, Congregationum sanctitatem & devotionem, & reliquos Religionis illorum actus.

II. Calvinus, quum novam istam Ecclesiam formaret, voluit eam esse corpus cum centum capitibus, aut potius sine ullo omnino capite. Nam nullum est caput, ubi plura sunt. Adeo hunc hominem ceperat libertatis & inæqualitatis illius stulta persuasio, ut sola appellatio Capitis visibilis Ecclesiæ, qua appellatur Pontifex, invisibilis illius Vicarius, stomachum ipsi moveret. Atque ut fucum faceret hominibus, negabat alio capite opus esse, præter solum Christum in cœlo regnantem: huic Vicarium in terra adiungere, nihil esse aliud, quam potestate atque auctoritate sua eum spoliare. Parum abest, quin imprudentiæ eum accuset, ob datas D. Petro Claves, ob communicatam eidem potestatem aperiendi & claudendi cœlos, & ob iunctum illi munus pascendi regendique oves ipsius. Nam quale est illud monstrum novum & difforme? An Ecclesia militans quæque non potest esse non visibilis, sine Capite visibili esse poterit. Non magis certe quam navis sine gubernatore.

III. Quod si, ut Astrologorum fert opinio, res terrestres ad regulam circumvolutionemque cælestium metiendæ sunt, sique, secundum Cabalistarum rationem, inferioris Sanctuarij domus ad exemplum superioris Sanctuarij conformata est, & secundum smaragdinam illam Hermetis tabulam superiora respondēt inferioribus, ut quæ contiguo quodam vinculo à Deo coniuncta sunt: Nonne nostrum est ordinem & dignitatem rei exactæ in hisce in terris observare, quum idem fiat à creaturis cœlestibus, Angelis scilicet, quorū in novem choros distributa est Hierarchia? Et inter sphæras quoque cœlestes ea quæ infinita est movetur, & nihil movet infra sese mediæ moventur à superiore primo mobili, & ipsæ movent inferiores: at supremum Cœlum omnia movet, nec à quoquam alio movetur. Eodem modo, si ad inferiores sphæras descendamus, inter Elementa supremum locum Ignis tenet, medium Aer & Aqua, & Terra extremum infimumque. Homo igitur,

Cui Deus os sublime dedit, cœlumq; tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus,

ad sumendum exemplar regiminis actionum humanarum ex hoc divino prototypo, in Cœlo admirabilem quandam harmoniam in tanta motuum varietate, dum corpora illa ætherea, planetæ inprimis modo sibi appropinquant, modo digrediuntur, modo hoc modo illo aspectu invicem opponuntur agnoscet; in terra vero æqualitatem introducendo, omnia confundet?

IV. O miserabilem, & indignam novella ecclesia confusionem! An tu in una aliqua pura & integra ecclesia unitatem conformem reperturum te putas, ubi nullum certum sit caput, à quo illa ducatur ac gubernetur? Quomodo, quæso, populus Christianus & deserta huius Mundi, & tantis tempestatibus infestum mare transire posset, nisi Moysen aliquem haberet cuius ductum sequeretur? Quomodo tanta domus sine apice, sine columnis sustentabitur? Quomodo tantum corpus sine capite subsisteret? Non magis certè quam Respublica sine Rege aut ullo alio magistratu. Varro & Columella aiunt rem rusticā nequaquam feliciter processurā, nisi assidua patris familias tāquā capitis, omnium opera disponentis observantis & regētis, omnesque sua auctoritate in officio continentis, interveniat cura & solicitudo: & tu Calvine, audebis dicere, tantam tamque late per totum orbem terrarum diffusam Christianorum familiam, in fraterna & perpetua concordia retineri posse, etiamsi

capite ac rectore destituatur, qui ad instar centri sit, ad quod omnes totius peripherias lineæ ducuntur? Memineris potius illius quod Cyprianus eo tempore quo schisma Africanas ecclesias inuasit, vnitatis perturbatoribus obiecit, Esse scilicet in Ecclesia Pontificem qui Iesu Christi obtineat locum cui si omnes uti divino iubentur mandato obediant, nullas in ecclesia turbas, nullas factiones aut scissura fore.

V. Nec vero caput tantum ac supremam potestatem Calvinus, sed ipsa etiam Episcoporum & Presbyterorum nomina ab ecclesia exterminare voluit: quasi de industria omnem ordinem ab Apostolis institutum, (a) & ab eorum successoribus continuo observatum, eversurus. Horum enim utrumque & nomen & munus in S. Scriptura reperitur; ipsque præcipui Christianæ reipublicæ fundatores ac propugnatores tam in Græca quam Latina Ecclesia, fuêre cõdecorati. Sed capitale quoddam antiquitatis odium Calvinum impulit, ut veteribus his nominibus in mustea illa sua & adhuc spumanti ecclesia locum esse noluerit. Qui prima Christianæ reiincunabula descripserũt, inter præcipuos Ecclesiæ antistites Episcopos ponunt, qui Latine Inspectores dici possunt; ut quibus non auditorum modo, sed ipsorum etiam Presbyterorum ac Clericorum cura commendata sit. Sic S. Scriptura (b) Episcopo, à Spiritu S. positos esse dicit, ut regerent Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo. In Ecclesia etiam Presbyteri sunt qui apud divinam clementiam, ut S. Hieronymus (c) loquitur, Legatorum munere funguntur, & humani generis causam agunt. Quod quidem nomen multo maius quid ac dignius sonat quam illa SENIORUM à Calvinistis ei succenturiata vox. Quamvis autem nomen hoc cum Episcoporum, uti & Apostolorum nomine promiscue aliquando usurpatum fuerit; munera nihilominus & dignitates semper distincta manserunt, Episcopis super Presbyteros, non minus quam Aarone super Levitas dignitatis prærogativam obtinentibus. (d) Et sicut Episcopi Apostolis, sic Presbyteri septuaginta illis discipulis successerunt. *Quomodo fieri potest*, inquit Epiphanius, (f) *ut Episcopi & Presbyteri æquales sint? quum Episcoporum ordo, Patrum Ecclesia sit parens: Presbyterorum quidem ordo Patres nõ generat, sed filios Ecclesiæ, per aquam regenerationis.* Nemo nisi omnis antiquitatis imperitissimus negabit, secundum Apostolos semper ab Episcopis Ecclesiam fuisse gubernatam, eosdemque duces gregis Christiani, & ovilis Pastores fuisse. Sanctus Dionysius Areopagita inquit, Episcopis præcipuum gubernandæ Ecclesiæ munus divina lege fuisse commendatum. Justi vero confusæ æqualitatis & inæqualis confusionis auctores, qui contrarium affirmant, Sancti Ignatij, (g) S. Cypriani, (h) S. Hieronymi, (i) S. Augustini, (k) S. Epiphanij, omniumque aliorum Ecclesiæ Doctorum auctoritate mendacij facile convinci possunt. Sanctos merito dixi, qui tales omnibus sæculis sunt habiti: quum novorum istorum pseudoapostolorum, qui sine ulla legitima vocatione, annunciando non Evangelio, sed mendacijs suis se ingerunt, nemo hactenus admirabili Dei providentia, titulo isto fuerit decoratus. Quin & pleræque omnes Christiani orbis ecclesiæ Episcoporũ suorũ seriẽ ex Archiuis ostendere possunt: quæ non minima est veræ Ecclesiæ nota.

VI. Quod si Burdigalensium Archiepiscoporum catalogum & successionem scire desideras, eam tibi illa repetit à Francisco Decoubleau de Sourdis, Illustrissimo Cardinali, & religioso Prælato cuius prædecessor fuit Antonius Sanctus, zui sui decus: inde porro retro ad Ioannem Bellaium Franciscum Mauinium, Carolum Gramontium, Ioannem Foxium, Andream Espinæum Arturum Montalban, Blasium Greslæum Petrum Berlandum, Dauide Monferrandum, Franciscum Vrbanum, Eliam Henricum, Bernardum Amanium, Petrum Arnoldum, Bertrandum de Gout, qui postea ad Pontificiam euectus fuit dignitatem. Clemens V. dictus Henricum, Robertum, Simonem, Petrum, Gerardum, Gulielmum, Eliam Bertrandum, Arduinum, Godefridum, Bertrandum, Gosfredum, Arnoldum, Amatum, Andronium, Gombaldum, Goffredum, Frotarium, Gondegisilum, Bertrandum, Leontium, Cyprianum, Leontium, Gallicerium, Amanum Delphinum, Orientalem, ac tandem ad S. Gilbertum, qui primus post S. Martialem fuit Episcopus, septuagesimo circiter anno post mortem Christi Seruatoris. Eodem modo Parisienses ad S. Dionysium, Lugdunenses ad S. Photinum, Tolosani ad S. Saturnium, Lemouices ad S. Martialem, Bitúrices ad S. Vrsinum, Viennenses ad S. Crescentem, Narbonenses ad S. quendã Paullũ, Aruerni ad S. Austremonẽ, Petrocorij

a *ad Heb. 13.* 11 *Act.* 20. 28. b *Act.* 20. c *Homil. de Adam & Eua.* d *Hier. Epist. 85. Matt.* 10. *Mar.* 3 *Act.* 6 13. 15. *Act.* 20. e *Epiph. lib. 3. cont. hæres.* g *ad Fil.* h *li 4. epi. 9. & li. 3. ep. 9.* i *ep. 59* k *in Psalm. 44. S. Ambros. de dign. sacerd. ca. 5.*

torij ad S. Frontonem, Sanctones ad S. Eutropium, Turones ad S. Iulianum, Cemonanenſes ad S. Iulianum, Bellouacenſes ad S. Lucianum, Senones ad SS. Potentianum & Sabinianum, Auguſtodunenſes ad S. Andochium, Aginnenſes ad S. Firmianum (qui & Ambianenſis poſtea fuit Epiſcopus) per continuam ſucceſsionem te deducet. (*l*) Sic Tertullianus hæreticos ſui temporis alloquitur. *Edant*, inquit, *origines eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem vt primus ille epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem & anteceſſorem.* Quę vnica probatio ad tuendam veterem noſtram poſſeſsionem ſufficiens eſt; vt & defectus illæ continuæ ſucceſsionis, quę nouella Eccleſia apud ſe reperiri negare non poteſt, ſatis demonſtrat, nouam illã eſſe doctrinam, ac proinde falſam. Beza anteceſſorem Caluinum, hic ſocium nobis Farellum monſtrabit. En tibi totam ſeriem. Sed ô miſeram ſucceſsionem, quæ ad tertium gradum non pertingit! At quemadmodũ Deus ipſis diabolis quandoque ad ea quæ vult miniſtris vtitur, ſic etiam non raro ab ipſorum hæreticorum ore exprimit veritatem. Cuius rei notabilem en tibi hiſtoriam, qua & caput hoc concludam.

VII. Homo quidam honeſta familia apud Mediomatrices ortus, hæreſeos abreptus torrente, ad Miniſterium fuerat adſcriptus, & in Germaniam miſſus: quod ille officium aliquamdiu exercuit, ac quidem in Heluetia eo tempore quo Henricus IV. Galliarum rex, repetito Salaſsiorum Marchionatu & non reddito, bellum Sabaudio intulit. Hominis huius operam quum Sillerius, vir tam litteris quam multarum rerum experientia ac prudentia inſtructiſsimus, commodam ſibi atque vtilem fore exiſtimaret. Geneuam eum miſit: quo ille profectus, Bezam, apud quem diuerterat, pro more ſuo ad populum phaleras iacientem, diligenter audiebat. Quodam die quum Beza textum ex cap. Act. Apoſtolorum de S. Stephano explicaret, & Catholicæ Eccleſiæ latifundia cum parui ſui gregis, vt eum in Præfatione Pſalmodiæ Beza-Maroticæ appellat, anguſta corte compararet, tandem ad Apoſtolorum ſucceſsionem delapſus, inquit: *Quod ſi aduerſarii rogent, vbi ſit apud nos illa ſucceſſio & S. Petri ſedes? Mittamus omnino hanc quæſtionem, quum negare non poſſimus, perſonalem hanc ſucceſſionẽ velut, de manu in manum traditam penes Papiſtas eſſe.* Paulo poſt ad Bezam reuertitur Miniſter ille, vt & alij penſionarij. *Ecquid noui haberet* rogatus? *Mirabile quid*, inquit ille. Tum Beza. *Quidnam? aut à quo?* Tum ille. *Certè à te ipſo domine. Dixiſtè enim Apoſtolicam ſucceſſionem penes Papiſtas eſſe, inde à S. Petro ad hæc vſque tempora continuato ordine. Quod ſi ita eſt ergo nos ſumus ſchiſmatici.* Ibi Beza. *Habent illi*, inquit, *ſucceſſionem perſonalem, nos vero doctrina. Quomodo vero*, aiebat Miniſter, *perſonalis ſucceſſio à doctrina ſeparari poſſit? vbi ergo illa capita ſunt in quibus hæc doctrina reſidet? quinam illi erunt Paſtores ad ouile legitime vocati?* Tandem abrupto ſermone, ne circumſtantes offenderentur, bonus ille vir probe omnibus trutinatis ad Sillerium reuerſus, animi ſui ſcrupulum ei expoſuit, Lutetiamque primum ad Pontificis Legatum Cardinalem Florentinum, ac demum Anno M. DC. Romam profectus, à S. D. N. Clemente VIII. Pontifice, cum ſeptuaginta ſex alijs, ad Catholicæ Eccleſiæ communionem receptus fuit, tandem vero in Vaſconiam venit, quod patrium ſolum ei interdictum eſſet: qui mihi ipſe conuerſionis ſuæ, cuius prima fundamenta ipſe Beza iecerat, hiſtoriam narrauit.

DE MINISTRIS, EORUM NOminis origine, receptione, & officio.

CAPVT VI.

ARGUMENTUM.

I. *Caluinus miſſo Epiſcopi nomine, Miniſtri nomen retinuit.*
II. *Nominis eius origo.*
III. *Verba Bezæ ad Lanſaci toparcham.*
IV. *Caluiniſtica Eccleſia nullos agnoſcit Doctores.*
V. *De Miniſtris: quorum officium in veteri Eccleſia fuit famulari, in noua, regere ac gubernare.*
VI. *Quomodo Miniſtri recipiantur, nefas eſt eus Latinum textum allegare, eorumque ars præcipua, Inſtitutio, Salarium.*
VII. *Quo loco monachi excucullati apud Caluiniſtas habeantur.*
VIII. *De manuum impoſitione.*

I. EQuidem quando mecum conſidero, quod nouæ ille Eccleſiæ architectus, repudiato

(*l*) *Vide Galliam Chriſtianam.*

Episcopi nomine, tantis sordibus illo quidem indigno, vili & abiecto Ministri titulo insigniri voluerit, non possum quin cum Genebrardo exclamem, id certo Spiritus S. cõsilio factum esse, quum nomen illud in religionis materia infame sit, vel certe contemtibile & abiectum. In sacrificiis enim Ministri dicebantur, qui victimam immolandam ad aram ducebant, mactabant ac dissecabant. Hinc Virgilius,

——ceciditq; inter moribunda Ministros,

de bone loquens, quæ antequam mactaretur, peste exstincta conciderat. Quamuis etiam nomen hoc generale sit. Dicimus enim etiam Ministros qui circa Reges ac Principes sunt, ad accipienda mandata. Ministri vero Ecclesiæ apud Catholicos dicuntur, qui vel sacris ædibus, vel diuinis officiis inseruiunt, vt æditui, & alij. In Sacra Scriptura Iudas à Pontificibus & sacerdotibus Ministros accepisse dicitur (a) quorum opera in comprehendendo D. N. Iesu Christo vteretur. Quid multis? Nouum sane est, & Ecclesiæ Maiestate indignum, nomen hoc ijs attribui qui Verbum Dei annunciant, & sacrosancta Sacramenta administrant. Neque enim apud Ethnicos solum, vt iam dixi, verũ etiã in SS. literis (b) nomen hoc in deteriorẽ fere partẽ accipitur, vt apud SS. Euangelistas & alios videre est.

II. Quemadmodum verò alias sæpe in hominum vita mala fortuito accidere videntur, ita hoc quoque Ministrorum nomen casu potius quam certo consilio à Caluino noui sui Euangelij præconibus tributum fuit, supra diximus, Caluinum quum apud Pictonas esset, tres præcipue selegisse quos tamquam Apostolos ad nouum Euangelium disseminandum huc illuc mitteret, nempe Verronium, Bonum hominem, & Ramassarium sive Consarcinatorem. Ex his Bonus homo Minister vulgo dicebatur, eo quod in Ministraria (nomen est certi loci vel Collegij in Academia) Iurisprudentiæ tyronibus Institutiones Iuris prælegisset atque explicasset. Id nomen non solum ei deinceps quoque per Galliam discursanti, & Calvini Euangelium prædicanti mansit, sed alijs etiam similis farinæ hominibus, idem munus obeuntibus tributum fuit: ut vulgo dicerentur, Messieurs les Ministres, id est, Domini Ministri: quæ nomina ut neutiquam inter se congruunt, ita vox illa Minister nec Græcis nec Latinis umquam in ea significatione usurpata fuit. Hinc ijdem postea Pastores dici voluerunt (quod tamen Calvinus numquam fecit) Protestantium sive Lutheranorum exemplo, qui itidem repudiato Episcoporum nomine, Superintendentium nomen sibi sumpserunt. Quamuis autem palliati hi Ministri vili nomine gaudeant, nihilominus tamen Episcopale munus & honorem sibi arrogant, vt Balæi, Vadiani, Hofmeisteri, & aliorum patet exemplo. Illud vero ridiculum ac minime ferendum est, quod à ferula plerumque & imis inter Grammaticos subsellijs eiusmodi homines ad tantum munus euehuntur, vel ipsi potius enituntur.

III. Lansaci dominus piæ memoriæ, Eques honoratissimus, narrauit aliquando mihi, se quum ex Legatione quadam reverteretur, per Geneuam curiositate quadam iter habuisse. Ibi Bezam Caluini successorem ad se venisse, hac præfatione vsum, *Adesse pauperem Geneuensem Episcopum, salutandi ipsius, & obsequia sua deferendi causa.* Tum Lansacus, *Equidem promtiori*, inquit, *animo hoc tuum officium accepturus & in complexum vltro ruiturus sim, si similis esses eius qui sedem hanc antehac obtinuit, nimirùm ab eo qui vniuersæ Ecclesiæ præsidet missus: nisi prædecessores illi tui tibi hac sede vltro cesserint: quod mihi non sit verisimile.* Tum Beza, *Illi*, inquit, *à Papa, ego à Deo ordinatus sum.* Post multa vtrimque super hac re commutata verba, Lansacus rogauit, cur seruile illud Ministrorum nomen sibi sumsissent. Ad quod Beza nihil aliud respondit, quam, non se primum Reformationis fuisse auctorem, sed descriptam ab alijs formam sequutum esse. Non esse ambitiosos illos titulos affectandos, modo res ipsa adsit. Honestum esse Ministrorum nomen, & muneri quo fungantur conveniens. Idem tamen in Commentarijs suis super Matthæum, (c) fatetur Ministri nomen esse ambiguum. Et vbi Diaconorum Ecclesiæ fit mentio, ait, Maluisse se Diaconos Græca voce, quum Ministros appellare. Idem tamen ambiguum nomen (ò cæcitatem!) etiam Pastoribus suis tribuere non dubitarunt, Episcoporum interim titulum tanta ambitione affectantibus. Beza certè ipse ita appellari gaudebat, (d) vt manifestum est ex illa epistola quam Petrus Patrocælius in Posiaceno Colloquio ad Bezam scripsit, in qua Archiepiscopi titulum ei tribuere non veretur. Vidisti hactenus, lector, aliqua ex parte Aristocraticam Caluinianæ ecclesiæ formam. Quia vero eam priscæ illi Apostolicæ conformem esse iactant, age porro an vlla

a *Ioan.* 18 b *Matt.* 5. & 25. *Luc.* 12. *Mar.* 14. *cap.* 5.
d *Espencæum Apol l.* 3. *c.* 11.

vlla eius in omni Antiquitate vestigia appareant videamus.

IV. Officia Ecclesiastica apud Caluinianos tripartita fere sunt, Ministrorum, Seniorum, & Diaconorum. (e) Quibus apud Geneuenses quartus ordo fuit additus, nempe Doctorum: qui tamen vnà cum doctrina iam pæne euanuit, nisi forte inuisibiles illos facere velis Ordinario certe loco olim ipsis designato, iam mortui sunt. Atq; ô Caluinistæ, si vestræ ecclesiæ exemplum à primitiua illa sumere voluistis, Doctorũ sane nomen & munus tollere non debuistis, qui omni tempore in Ecclesia fuerunt, vt Innocentius Papa testatur. Quin etiam ipse D. Paulus Apostolus inter diuersas functiones à Deo in Ecclesia institutas Pastores & Doctores nominat. Non ego tamen Doctorum munus non omnibus in locis, sed in quibusdã tantum Ecclesijs notum atque vsitatum fuisse, illis nimirum, vbi antea vel Iudæi synagogas, vel pagani scholas suas & litterarum gymnasia habuerant. Ecclesiastica Historia Alexandrinæ Scholæ mentionem facit, post S. Marci Euangelistæ tempora institutæ; vt & Doctorum in ea, Clementis, Origenis, & aliorum: nec non Cæsareanæ, cuius S. Basilius & Gregorius Nazianzenus alumni fuerunt: itemque Antiochenæ & Ephesinæ. Curopalates Græcus Auctor, vbi de Constantinopolinæ Ecclesiæ Officiarijs scribit, SS. litterarũ Doctores eis adcẽset. Est vero hæc inter Pastores & Doctores differẽtia. Illi Ecclesiis, hi Scholis præsunt. Illi Theologiam practicam; hi theoricam & Scholasticam profitentur. Pastorum munus est Theologiam in politia Ecclesiarum suarum in opus deducere; Doctorum, explicare & docere. Illi Sacramenta administrant & animarum curam gerunt; hi Theologiæ arcana rimantur. En vobis antiquæ ac primitiuæ illius Ecclesiæ politiam atque ordinem, vestræ omnino dissimilem: quæ nihil ex illis priscæ Ecclesiæ exercitijs retinere voluit, eo vt Lunnaius loquitur, quod Ministri vestri diabolo nequaquam aduersantur.

V. Sed porro videamus, quam misere Caluiniani omnia confundant. Ministri concionibus ad populum habendis vacant, administrant Sacramẽta, & summam in Ecclesia habent auctoritatem ac potestatem. Sed vt nulla vnquam inter hæreticos ac schismaticos in doctrina fuit concordia; sic ijdem quantum ad Ministrorum nomẽ ac munus, immane quantum inter se dissideant. Germani enim eos qui Ministerij funguntur munere, Pfarherrn appellant, id est, Pastores: alios, Superintendentes, qui vmbram quandam Episcopalis dignitatis retinent: qui tamen apud Gallos & Heluetios nullo alio, quam Ministrorum, nomine censentur. Ijdem à Valdensibus olim, quorum nonnullæ adhuc exstant reliquiæ, *Barbi* appellati sunt (f) Angli vero etiamnum suos Archiepiscopos, Episcopos & Pastores habent. Sed nobis de nostris tantum in Gallia Caluinistis sermo erit: qui Ministri Euangelij dici volunt. At ô boni, in primitiua Ecclesia Ministri fuerunt, qui vilia tantũ (etsi in Ecclesia nihil vile censeri debet) vel simplicia ministeria obibant; apud vos vero illi vestri Ministri aliorum sunt Domini, & sub seruitutis nomine imperant alijs, missoque titulo, pedum nihilominus retinent, & imperium in alios exercent. Sed qui Ministros nobis melius describat quã Cayerus, inuenio neminem, vt qui tamdiu apud Caluinistas Ministri munus obierit, magnoq; in precio ob eximias animi dotes fuerit. *Tria*, inquit, *Ministrorum genera vniuersim reperio. Primum est eorum, qui omnibus animi viribus in litterarum studia incumbunt; eoquo nihil fere aliud curant aut expetunt quam librorũ copiam. Secundum genus est eorum qui in litterarum studijs non tam anxie, versantur, sed magis rei faciundæ ac familiæ aliquanto lautius alendæ inuigilant. Tertio sunt illi aerrimi disciplinæ exactores, qui cœlum terra miscent, neque vnquam quiescunt, quibus etiam Gallia nostra omnes calamitates ac miserias quas hactenus passa est, & adhuc patitur, & porro patietur, nisi fibula illis ponatur, ne se omnibus rebus immisceant, acceptas debet. Hi magnarum domuum sunt exploratores, impudenter se ingerentes, secreta omnia rimantes ac detegentes, ac dissidia inter familias accendentes atque alentes: homines magna ex parte aut omnino indocti, aut semidocti.* Hæc Cayerus.

VI. Vbi quis inter Caluinianos Ministerij ambit munus (cuius spe plerumque iuuenes disertulos aut alia aliqua dote insignes inescant) siue vltro, siue ab alijs persuasus, in Consistorio, præsentibus Ministris & Senioribus (qui vt plurimum ex opificum sunt numero, litteraturæ expertes) Proponere aliquoties iubetur; tandem vero ad Colloquium admittitur. Sed inquis, quidnam rei est illud *Proponere*? Dicam. Datur ei caput aut versiculus aliquis ex Biblijs, ac plerumque argumenti facilis ac vulgati. Ibi ille super ea re sermonem vulgari sermone habet, ac tantum quantum potest,

e *Ord. Geneu pag. 2. & 8.* f *Vid. Sot. cont. prole. Brentij Cochl. in sept. Luth. cap. 45.*

explicat, ceteris ſilentio defixis, nec quidquam contradicentibus. Illud vero ſtudioſe cauendum omnibus eſt, ne pro concione textum Latinum allegent; quum econtra apud Catholicos concionatorem memoriam ſuam S. Scripturæ auctoritatibus Latina lingua prius citandis, deinde demum vernacula explicandis fatigare oporteat. At in nouella Eccleſia ſatis eſt nescio quid diſſertare, tum S. Scripturæ dicta infideliter reddita ac translata, cumulatim citare, non editis ſæpe vel librorum vel Auctorum nominibus. Satis eſt illis ſi dicant: Sic Patrum vnus ſcripſit, ſic ſenſit. Vix vllus inter eos eſt Latinæ linguæ, quam neceſſariam non eſſe autumant, vſus. Certe P. Viretus in Dialogis ſuis vix natam hanc Eccleſiam ignorantiæ arguit. Sed bene habet, quod in tantis eius anguſtijs interprete parum opus habent. At Catholica Eccleſia quum nullis alijs quam Orientis & Occidentis, quam late Mundus patet, limitibus concludatur, ad conſeruandam vnitatem Latina lingua, vtpote omnibus fere Mundi nationibus nota, tamquam communi vinculo vtitur. Sed ad noſtros Miniſterij candidatos redeamus: quorum qui ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium quam maxime traducere ac blaſphemare nouit, ad id munus aptiſſimus iudicatur. Sed & contra Papam ac totum ordinem Eccleſiaſticum linguam acuere, & in omni ſermone Romanum Antichriſtum intonare debet. Hoc qui facere, tum cum externo aliquo lepore Chriſti ac Domini nomen vſurpare nôrit, ſatis ſuperque ad id munus obeundum inſtructus exiſtimatur. Memini me ex hoc genere quendam in Burdigalenſi ſuburbio ad Carthuſianos concionantem audiuiſſe, qui ſermonem ſuum ita erat exorſus: Magnus ille ſerarius (Papam intelligebat) in diaboli culina nutritus ac ſaginatus, &c. Hic fratres omnes applaudere, ſuſpirare, hominiſque mirabilem eloquentiam ad cœlum laudibus efferre, ab ore eius denique velut alterius Periclis tonantis ac fulgurantis pendere. Vbi hoc modo candidatus ille, ſine accuratiori examine, ingenij ac doctrinæ ſuæ dedit ſpecimen; is qui tum cœtui præeſt, collectis ſuffragijs, eum introducit, & vel errorem demonſtrat, vel ſi placuit, laudat. Inde dextram ſocietatis ei porrigit, vt & reliqui, non minus miſero quam ridiculo errore, vt qui ex ſigno amicitiæ & ciuilitatis, de quo S. Paulus loquitur (g), religionis ſignum faciant. Et hæc quidem egregia illa eſt manuum impoſitio, inter Caluiniſtas vſitata. Antequam vero ad Miniſterium recipiatur, neceſſe eſt vt Eccleſiæ alicuius petitio interueniat; ad quam ille mox proficiſcitur; quod ſi populo placuerit, tres aut quatuor Miniſtri conueniunt, eumque vt fratrem & ſocium accipiunt, & ad Miniſterium admittunt, non tamen prius quam Formulæ fidei ſubſcripſerit. Hæc enim verum eſt fundamentum Caluiniſticæ doctrinæ, hæc S. Scriptura eſt Caluiniſtarum. His peractis, ille ad Eccleſiam à qua expetitus fuerat, vel quam Miniſtro deſtitutum nouerint, ſe confert. Nonnunquam etiam à Miniſtrorum aliquo ad deſtinatum locum perducitur: qui concione habita, populo noui illius Miniſtri electionem ſignificat: qui vt plurimum ad menſes aliquot quibus de eo periculum faciat, eum accipit, vt apud nos pueri & equiſones à dominis recipi ſolent. Quod ſi populus acquieſcat huius vel illius Eccleſiæ Miniſter eſſe, ſecus (ô miſeram conditionem!) faceſſere iubetur. Qui tamen in prouinciali Synodo recepti ſunt, à populo excludi non poſſunt, vt illi qui in Colloquio, vt vocant, fuerunt admiſſi. Sed hi plerumque ad alios qui minus teretes ac delicatas aures habent mittuntur.

Ad mercedem Miniſtrorum quod attinet, ea viritim colligitur, ac tenuis fere eſt, pro cuiusque regionis vel Eccleſiæ qualitate. Anno M D LIX. quo ingens eiuſmodi hominum examen Geneua in Galliam irrupit, Copus quidam, qui Canonicus Cleriacenſis fuerat, eius pater qui Rupellæ habitauit, flagris cæſus, quod commentaria in Rabeleſij libros ſcripſiſſet, publice dicere auſus eſt, Miniſtrorum eſſe, gratis ſeruire ac populo Verbum Dei annunciare. (id quod Anabaptiſtæ faciunt) At Caluini, vt Cayerus ſcribit, longe alia mens ac ſententia erat, eoque hominem in carcerem compingi curauit, donec ſententiam retractaret. Ac quamuis Geneuenſe Conſiſtorium omnibus modis, etiam vi quodammodo hominem adigere conaretur vt ſalarium ſeu mercedem acciperet, ille tamen præfracte facere id detrectauit. Idem Cayerus hoc lippis & tonſoribus Geneuæ notum eſſe dicit. Facile ſcilicet intelligebat Caluinus ſi Miniſtris non alia merces quam leſuitis & Capucinis daretur, breui de toto ſuo Miniſterio actum fore.

Quod ſi is qui Miniſterium ambit, Monachus olim fuerit, plures aliquanto & accuratiores ceremoniæ adhibentur. Aiunt enim exſpectandum eſſe

g *Ad Galat. 2.*

esse dum Monachismũ ille suum bene concoquat & digerat. Suspecta illis semper est Religiosorum conversio. Et quemadmodum in Catholica Ecclesia sacerdotali charactere insigniti homines non nisi multis cum ceremonijs, habitu & ordinis ademtis characteribus, degradantur & Judici sæculari traduntur; sic monachi ac Religiosi a Ministris operose admodum excucullantur, & difficulter ad Ministerij societatem cooptantur. Fit hoc aliquando public pro concione, aliquando in Consistorio privatim: ubi habitus religiosus ei detrahitur, non sine execratione eius a quo primum eo indutus fuerat: pedibusque conculcatur, aut laceratur. Frugaliores tamen nonnulli sunt, qui (ut est in Apostatarum Fragello) vestem illam gratior aliquo colore tinctam asservant, ut ex ea vel uxori cycladem, vel infantibus tuniculas faciant. Ad ministerium receptо, vel etiam ante, statim uxor quæritur, ut hoc velut trabali clavo affixus, omnem ad Catholicam Ecclesiam redeundi amittat voluntatem. Sic quidam ad nos reversus, roganti mihi num uxorem haberet, *Non*, inquit, *in quo summam Dei benignitatem in me agnosco. Si enim uxorem habuissem, actum de me fuisset.* Nec vero mirum hoc videri debet, quum libidinis flamma in nullis vehementius fere ardeat quam in ijs qui è claustrorum septis exsilierunt, Sic ut non spiritus, sed caro illius separationis seu apostasiæ caussa fit. Jdque inde etiam manifestum est quod vix sepulta vna uxore, statim aliam ambiunt. & sic a tumulo unius in nuptialem alterius thorum uno velut saltu se immittunt. Quod si quis cuculli sui & voræ olim pudicitiæ memor non ita facilem se ad nuptias præbeat omnium voculis incessitur ac vexatur quotidie, producta memorabili hac sententia, quam aiunt è divino Lutheri ore fuisse prolatam: Eum scilicet qui uxorem nõ habeat, pie vivere non posse. Quasi vero non multa Christianorum fuissent millia, qui castitatem suam inviolabilem conseruarunt quales etiam in Judaismo, minus sane quam Christianismus perfecto, Heliæ, Helisei, Esaiæ, & alij fuerunt, qui continentissime semper castissimeque vixerunt. Quæritur ergo, inquam Ministerij candidato uxor, atque etiam invito pæne obtruditur, ut tanto tenacius schismati adhæresceat. Quin etiam uxorem non habere, peccatũ putatur. Et ut Solon olim Miserum ut Thaletem videret profectus, illud vehementer admiratus est quod numquam uxorẽ duxisset: sic Beza idẽ Jacobo Sturmio, homini Lutheri partib⁹ unice addicto probro quasi dat. Postquam enim multa in eo honorifice commendasset, tandem addit, Nihil ei exprobrari potuisse, quam quod a nuptijs semper abhorruerit. O ingens probrum, etiam hominum immustum turbæ virginitatem illæsam seruare! Atque hoc illud est, in quo omnes fere schismatici atq hæretici conveniunt. Quis enim vmquam vidit librum è Lutheranorum, Caluinistarum, Zuinglianorum aut Anabaptistarum officina progressum, in quo continentia, castitas, viduitas, aut Virginitas laudetur ac suadeatur; quales multi à Tertulliano, S. Augustino, S. Chrysostomo & alijs scripti sunt, & etiamnum manibus nostris teruntur? Est ergo coniugium instar tenacissimi glutinis, quo miseri illi claustrorum desertores retinentur ne vbi iam ætatis ille calor deferbuit, etiam agnitum errorem emendare, & ad Ecclesiæ gremium recipere se possint. Memini nuper me aliquem ex hoc hominẽ genere sic loquentẽ audiuisse: *Quid ego misera hac* (vxorem in horto brassicas decapitantem) *quid misellu istiu* (tres infantes digito demonstrans) *faciam? Quid hu fiet si ad Catholicam Ecclesiam ego rediero? Deum rogo vt mihi sit propitius. Equidem non ignoro extra Ecclesiam me esse. Sed nullum iam restat remedium. Necesse omnino est, vt capra quo alligata est loco pascatur.* Hæc quidem ille ita loquutus est. Quam multi sunt qui nihil magis quam Catholicam Ecclesiam redire desiderant, si modo ad pœnitentiam recipi possent? Anno MDC. qui Iubilæus fuit, Minister quidam Romam profectus, suo & quinque aliorum nomine veniam à Pontifice petijt, vtque repudiatis vxoribus, in sæculo sibi viuere liceret. Sed Pontifex id nequaquam permittere voluit. Caluinistis quidem excucullati isti monachi adeo suspecti sunt, vt nemo qui Religiosus aliquando fuerit, Nationali Synodo præsidere possit. Vidisti hactenus quã nullis aut paucis cum ceremonijs Ministri illi constituantur. Sed quid? quod sæpe sine vlla missione, vocatione, propositione, receptione, nonnulli propria auctoritate suggestum conscendunt, ac docendi ac concionandi munus vsurpant? Certe id quidem antehac non semel factum. Qui loci dominus est, si aptus ad id munus fuerit vel etiam aptum se esse existimarit, statim Doctoris officium sibi sumit, ac subditos in fide instruit: vt multi in Gallia fecerunt.

VIII. Quid iam, quæso, vereris illius & primitiuæ Ecclesiæ ordinandi & consecrandi Episcopos ac sacerdotes consuetudo ac ceremoniæ cum his ineptijs

ineptijs commune habuerunt? Videamus saltim quid de Episcoporum consecratione priscus ille Gallorum Apostolus S. Dionysius tradat (*h*). *Episcopum consecrandum ait in genua ante altare prosterni, SS. libros capiti eius primum, ac deinde à consecrante precibus rite peractis, manum imponi, Sacerdotibus consecrandis itidem manus quoque ab Episcopo imponi: Diaconos vero vno tantum genu terra innixos consecrationem accipere: tum singulis crucis characterem inprimi, & ad omnes istas ceremonias Chrisma adhiberi.* Et hic quidem tam Episcopos quam sacerdotes consecrandi vetus mos est, qui etiamnum in Catholica Ecclesia diligenter obseruatur. Hic ille Episcopus est, qui gregem suum tanquam Imperator exercitum præcedens, à S. Hieronymo (*a*) repræsentatur. Vbi vero in Caluini est Ecclesia manuum illa impositio ab Apostolis eorumque successoribus vsurpata? Cuius formam Optatus describit, vnà cum benedictione Episcopali, *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Mirum vero, ceremoniam hanc à Caluinistis sic plane explosam esse, (*d*) quum Melanchthon in Locis suis Communibus Ordinem Sacramentis adnumeret. Victorem Cayerum audiamus. *Nulla alia*, inquit, *manuum impositio apud ipsos vsitata est, quamuis scriptis suis aliter proficeantur. Equidem illud vere affirmare possum, meo solius Consilio factum esse, vt ceremonia hæc aliquo modo obseruata sit, dum ipsis demonstraui, sine hac pleriſque visum iri, nullum esse inter ipsos verum Ministrum: quæ tamen in Geneuensis Ecclesia Ordinatione à Caluino (c) plane est abolita;* eo quod, vt homines isti dicunt, superiorum temporum ceremoniæ in superstitiones transierunt. Idem tamen Caluinus alibi concedit, *Manuum impositionem in veru & legitimis Ordinationibus esse Sacramentum.* Eam certe Donatistæ olim quamuis schismatici, diligenter retinuerunt, vt apud S. Augustinum videre est (*d*): vt & Lutherani hodie, qui etiamnum ea vtuntur, adeoque eam à Catholicis Episcopis expetere voluerunt, suorum scilicet vitium ac defectum agnoscentes, vt manifestum sit Acta & Colloquia inter ipsos habita legenti.

DE MINISTRORVM, SENIORum, & Diaconorum officijs, de Synodis & Colloquijs, eorumque omnium multiplici abusu.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

I. *Abusus circa Ministrorum missionem seu distributionem.*
II. *Ministeria facile permutanda.*
III. *Minister quandoque à plebe elegitur atque accipitur.*
IV. *De Senioribus, & Superintendentibus.*
V. *De Diaconis & Coricis.*
VI. *De Colloquijs, & Synodis, & ratione quam in historia Ecclesiarum suarum conficienda obseruant.*

I. QVamuis Pastor & Grex ita inter se Relata sint, vt alterum sine altero esse non possit; apud nouos tamen istos Euangelicos Pastores sine grege reperiuntur; ijdemque ex vno loco profligati, totas prouincias peruagantur, perfugium sibi & quæ ad vitam necessaria sunt magis quam animarum salutem quærentes. Quum è Germania tum Geneua præcipue Ministros in Galliam nostram sturnatim aduolitantes vidimus, quamuis ad certam non essent destinati Ecclesiam, nihilominus tamen ijdem, si modo simplicem à quocumque attestationem, vel etiam nullam omnino attulissent, ab ea quæ prima vacabat Ecclesia recipiebantur, sic vt nonnumquam duo vel tres, pudẽdo sane abusu, vni præsiderent. Atqui in Catholica Ecclesia id nequaquam permittitur, in qua semper vnius gregis vnus pastor fuit. Quam vero confusionem æqualis illa Ministrorum pluralitas, & pluralis æqualitas pariat, inde patet, quod ijdem munus illud suum inter se dispertiri coacti sunt, dum hic illa, alter altera septimana præsidet, concionesque ad populum habet, & alia ad Consistorium perti-

h *Dion. cap. 9. Cœl. Hier. Concil. Nice. can. 4. dist. 94.* a *Ad Euagr. ep. 85.* b *Lauat. de rit. Eccles. Tigur.* c *Fol 7.* d *Cont. Cresc. lib. 3. cap. 21. Vid. lib. de commyst. Euang.*

pertinentia, velut sacrorum rex administrat. Personatam hanc dignitatem ac functionem alius deinde, ac rursus alius, munere velut in orbem redeunte, accipit: sicque ex Episcopis rursus simplices fiunt sacerdotes, & vicissim: vt Luna non sæpius vultum, quam talis Ecclesiæ corpus caput suum mutet.

II. At quam pulcre vos, ô Reformatores ac Reformati, ac vestræ Ecclesiæ formam expressit is qui de Gothis loquens, non minus in Clericorum electione inconstantibus, *Eos*, inquit, *modo apostatas, modo alios ex infima face hominum ad Episcopatus munus assumere, vt quum veritate ad doctrinam suam pertrahere eos nequeant, hac dignitatis specie inescent. Hodie ergo hunc, cras alium habere Episcopum; hodie Presbyterum, cras Laicum. Huic enim hominum generi non minus quam Clericis ad Ecclesiastica munera apud ipsos aditum patere.* Atqui, ô boni, tam arcto inter se vinculo Pastor & Grex colligati esse debent, vt olim indissolubili illi Matrimonij vinculo comparati sint (*a*). Eamque ob causam Episcopi apud nos dum consecrãtur, annulum tamquam desponsationis suæ cum grege arrham accipiunt. Vt ergo marito cum vxore diuortium facere non licet, sic neque Pastori gregem suum deserere, quamcumque ob causam, nisi singularem personæ suæ persequutionem. Vbi namque periculum commune est tum præcipue tamquam vigilans canis lupis se se opponat, ac virtutem suam in defendendis ouibus ostendat necesse est. Aurum igne purgatur: & boni gubernatoris virtus ac peritia (quod Nicolaus Papa gregem deserere volenti respondisse dicitur) in tempestate magis quammari tranquillo elucet. S. Athanasius ad tempus quidem à sua discessit Ecclesia; sed eo quod soli ipsi periculum intentaretur. In Catholica certe Ecclesia diuortium hoc non nisi supremi Pastoris consensu fieri potest. At in noua illa & spuria, si forte Minister nimis tenue habeat stipendium, statim veluti milites nostri, opimius quærit; immò abdicato priori munere, aliud lucrosius vitæ genus amplectitur. Horum sane ego multos noui, *At in Dei Ecclesia*, ex D. Apostoli præcepto, *quisque in vocatione sua manet, ad quam vocatus est.*

III. Eandem confusionem maiores nostri in priscis notarunt hæreticis. In Gallia vero nostra quia jj qui primi ciuilis belli ignem accenderunt, nihil magis quam ignem formidant, in munitissimas vrbes plerique confugere solent. Neque enim illud eis persuaseris, *Cineres corporum suorum sementem Ecclesiæ faturum* (*b*). Quod si Minister parum tutus sibi videatur; incommoda simulata valetudine, aut alio quæsito prætextu, relicto grege, aliò abit. Sed & ipsi Pastores à grege nonnũquam, quod vel eius sermones vel mores minus placeant, abdicantur; aut negato stipendio, abire coguntur. Aut si quis aduena conscenso suggestu melius declamasse visus sit, ordinarius ille aut discedere, aut collegam hunc, velit nolit, recipere iubetur.

IV. Præter hos Ministros, Seniores habent, qui super grege suo vigilant, omniaque ad Consistorium commissa scandala deferunt, præcipue si quis Missæ aut Iesuitæ alicuius concioni inter fuisse deprehensus sit. Horũ munus est conuocare populum, vnde etiam apud Gallos *Surueillans*, id est, Superintendentes, appellantur. Differunt tamen hæc inter se nomina. Seniores enim à Græco πρεσβυτερος; Superintendentes vero à voce Ἐπίσκοπος dicti videntur. Præpostero sane ordine: quum apud nouos istos Euangelicos Episcopi Ministrorum sint ministri, aut Consiliarij, atque ita summo quem in primitiua Ecclesia semper obtinuerunt, gradu exciderint. Quia vero pro regionum diuersitate tam nomina quam munera ista variant, & aliter apud Germanos aliter apud Gallos vsurpantur: nobis illud indicasse satis erit, in Caluinianæ Ecclesiæ anarchia ordinem ab eo quẽ D. Paullus tradidit, toto cœlo, quod aiunt, dissidere. Hic enim primo loco ponit Episcopum (qui Gallis est *le surueillant*) secundo Presbyterum, tertio Diaconum: at apud Caluinistas Presbyteri seu Seniores multo pluribus ceremonijs eliguntur quam ipsi Ministri, qui tamen Episcopi videri volunt. Tribus enim continuis septimanis eorum qui ad hoc munus electi sunt, pro concione nomina proclamantur, vt omnes in eorum vitam diligenter inquirant. Ijdem Ministros, si quid forte quod enorme ipsis videatur dixerint, aut aliud quod minus placeat fecerint, deponendi aut saltim silentium eis imponendi, donec proximo Colloquio aut Synodo certum quid decretum fuerit, habent potestatem. O dignos Theologicis decidendis controuersijs iudices! Ministro tamen ita depositio recurrere licet ad tres proximos Ministros; quorum triumuirum consensu ille donec de re tota statuatur, restitui potest: precario interim munere fungens neq; vllum super gregem habens

a *Inno. 3. lib. 1. Myst. Miss. c. 61.*

b *Tertull. ad Scapulam.*

bens iurisdictionem, adeo vt de caussis matrimonialibus, vti antea, tum amplius cognoscere aut sententiam ferre non possit.

V. Diaconi sunt Ecclesiastici ærarij custodes, qui argentum ad stipendia Ministris exsoluenda colligunt, & ægrotos visitant, rebusque necessarijs iuuant (quod munus vtpote & laboriosum & tædiosum Ministros nimis delicatos in hos deriuasse Launaius scribit) & venientibus, aut alijs quibuscumque peregrinis ex Ministrorum iussu & Consilio, stipem largiuntur. Illis qui fixum habent domicilium, nihil nisi de totius Consistorij consensu datur; ac ne obolus quidem, nisi eis qui eandem cum ipsis profitentur religionem. Qua quidem in re tanto rigore vtuntur, vt Ludimagistris prohibitum sit neminem docendum suscipere, qui sit Catholicus. Paupertatem vero alleganti, parum quid ex eleemosynis datur, quo tanto facilius se suosque sustentet. Hoc vero officium Caluinus Diaconis tribuit, eo quod à Margarita Nauarræ regina eleemosynæ, cuius nomine, quatuor quos Francos vocant millia, ad ipsum miserat, male administratæ insimularetur. Sed quæstorculi hi Ecclesiastici eleemosynis non contenti, vlterius etiam progrediuntur, & vt quidam scribit qui libros ipsorum & rationes inspexit tributa ad communes sumtus viritim indicta colligunt, quinam apti sint armis tractandis explorant, omniaque diligenter ad Consistorium referunt. Immo velut Delphici sunt gladij. Sunt enim Ostiarij, Lectores, ministri Consistorij, fidem Ministris Cœnam administrantibus assistunt, & ne miseri nimio labore rumpantur, vitrum communicantibus porrigunt. In quibusdam locis, vt apud Pictauienses, idem à Cõsistorio pro lubitu ordinantur ac rursus deordinantur, conciones habere & baptisare iubentur: ac velut lampadem mutuo sibi tradunt. Miser ille Babinotus, quem Caluinus primum munere isto & nomine ornauit, salsamentarius postea fuit. Alibi vero etiam præter hos nescio qui alij sunt officiarij, quos Cantores, Lectores, & Monitores (*Aduertisseurs* Gallice) vocant. *Cantoris* est Psalmos intonare, cathedram suam habet infra suggestum, aliquanto altius eleuatam, vt ab omnibus conspici & audiri queat: estque homo laicus tam vitæ genere quam vestitu. *Lectores* populo Ministri aduentum exspectanti, caput aliquod è Biblijs è suggestu prælegunt: qui alibi etiam Diaconi appellantur. *Monitores* plerumque sunt ex infimo hominum genere, & ostiatim circumeuntes, delatos ad Consistorium euocant; interim vero dum illi causam dicunt, ostio adstantes, omnia ea quæ dicuntur aut fiunt, sollicite explorant, ac deinde coram illo conscientiarum Tribunali, Consistorio inquam, exponunt. In ditione Benearnensi Reformati isti sex *Superintendentes* constitutos habent, qui Ministrorum munere non funguntur, sed eorum tantum quæ ad Synodos congregandas vel anticipandas pertinent, curam gerunt; suntque homines idiotæ, omnisque litteraturæ, vt plurimum imperiti. Quinetiam albo Ecclesiasticorum Officiorum quæstores seu Ecclesiasticarum pecuniarum Receptores adscripti sunt, quorum munus est, vt supra quoque dixi, non Ministris modo, sed & ducibus ac militibus stipendia exsoluere. Sic ergo Diaconi hi veluti Iani bifrontes sunt; vt qui facie vna cœlum, altera terram spectant. Atque hæc quidem officiorum Ecclesiasticorum apud Caluinistas est ratio, longe dissimillima ei quæ à S. Ignatio traditur, vbi inquit, Episcopum super omnes habere potestatem, & in hoc filium Dei quodammodo repræsentare. Ordinem Presbyterorum nihil aliud esse quam sacrum Collegium eorum qui Episcopo assistunt. Diaconos velut Angelorum esse imitatores, qui ministerium exhibeant purum & immaculatum.

VI. Porro & Ministrorum, Seniorum, ac Superintendentium arbitrio Colloquia instituuntur, & auctoritate diriguntur. Hæc vero quater vt plurimum toto anno celebrantur, ad quæ vicini Ministri cum suo quisque Seniore conueniunt, & de doctrina disputant, aut controuersias, si quæ inter pastores aut greges exstiterint, componunt, omnia denique de quibus proxima synodo deliberandum videtur, colligunt. Neque enim quidquam pro rato habetur, nisi quod synodus ratum esse iusserit. *Synodi vero duplices sunt, Prouinciales ac Nationales.* Generales enim seu Vniuersales nullas habent: quum Angli Caluinistæ Gallorum nec Fidem nec Religionem, multo minus ceremonias probent. Germania quoque nihil fere cum vtrisque commune habet. Sed quid dico Germaniam? immo exiguus ille pagus Benearnensis suam habet peculiarem sibi formam. *Prouincialis synodus quotannis* celebratur, cui quidem Ministri omnes cuiusque prouinciæ, vnà cum vnò ex Senioribus intersunt: quorum deinde omnium suffragijs

fragijs ex Ministris vnus eligitur qui tamquam præses actionem totam dirigat. *Moderatorem appellant.* In his præcipue consideratur, an forte vel in doctrinam vel disciplinam vitium aliquod irrepserit. Quibus vero oculis, quo animo ac candore id fiat, Deus nouit. Ante omnia vero ea quam à reformatis quis merito exspectet, veritate ac fide quæ ad Ecclesiæ suæ pertinent historiam, congerunt, atque ex ijs deinde Annales quales videmus, consarcinant. Populinerius non ignobilis æui nostri scriptor mihi dixit, se non semel à Consistorialibus reprehensum, quod Ecclesiasticam historiam scribens, multis in rebus maiorem veritatis quam partium, quas sequebatur, rationem habuisset: vt qui mendacijs res suas promouere licitum sibi, immo pulcrum putent. *Synodus Nationalis altero aut tertio quoque anno conuocatur,* ad quam è singulis prouincijs vnus Minister mittitur, quarum in Gallijs quindecim fere sunt aut sedecim, vna cum totidem Deputatis, quos vocant, hominibus magna ex parte illiteratis. Ad hanc vero grauissimæ quæque caussæ deferuntur, ac diffinitiua sententia deciduntur. Et quidem plenariam Synodorum eiusmodi autoritatem tantopere illi iactant, vt quum Minister quidam Nationali Synodo quæ Figeaci habebatur præsidens, reprehensus esset quod aureos digitis annulos gestaret, responderit, id sibi tamquam Episcopo & supremo Iudici, licere. Atqui non multo post in hoc Caluiniani cum Ministris suis dispensarunt, in quorum iam digitis, sine vlla dignitatis prærogatiua, passim aurum micare cernas. Deputatis vero illis omnium Ecclesiasticarum caussarum arbitrium permissum est, vt & disciplinæ vel restringendæ, vel in aliam formam transfundendæ. Cayerus admirabiles, sibique plane contrarias Reformationes in Synodis his cudi ait: quarum absurditatem etiam multi inter ipsos intellexerint ac demonstrarint. In Occitania & Vasconia idem testatur ab Anno M D LXXI. vsque ad annum M D LXXXIII. disciplinæ in decidendis negotijs maiorem quam ipsius Sacræ Scripturæ auctoritatem ac pondus fuisse: ac plerosque ab hac inscitia non potuisse deduci, in qua tamen omnis fere istorum hominum eruditio consistit. Sed Consistoria iam, & quomodo in eis viuatur, videamus.

DE CALVINIANÆ ECCLESIÆ Consistorijs.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM.

I. *De Consistorijs eorumque mirabili confusione.*
II. *De numero Consistorialium, & potestate.*
III. *Quamdiu officia ista durent.*
IV. *Seniores crimina ad Consistorium deferunt.*
V. *Consistoriorum nugæ seu historiæ.*

I. CAluinisticæ Ecclesiæ Consistorium ac Senatus, cuius est, vt Caluinus voluit, conscientias regere ac iudicare, ad magni illius Romani Senatus exemplum, ex omni hominum genere constat, militibus, caussidicis, opificibus, rusticanis. Quid multis? In sacrum hoc collegium omnes, modo hominis formam habeant, cooptantur. Frustra hic cum illo exclames, *procul ô procul este profani.* Sed ô pudendam rei tam arduæ prophanationem ac confusionem: An quisquam melioris monetæ, vt ita dicam, tam viles & abiectos homines in tanto munere socios sibi adiungi patiatur? Patiendum tamen est, quia Caluinus ita voluit: qui contra Alchymiæ regulas, ferrum ac crassiora metalla cum sublimi illo mineralis Mercurij spiritu colligere: id est, ex dissimillimis inter se litteratorum atq; illitteratorũ ingenijs nescio quem sympathicum cœtum cõflare voluit. Hic mihi Antisthenes occurrit, qui quum Athenienſibus suasisset, vt asinos non minus quam equos aratris iũgerent, illi vero asinos ad laborem hunc nequaquam aptos esse dicerent, *Parum refert,* inquit, *apti sint nec ne, Vos modo quod dixi facite.* Eodem modo vos modo Caluinistæ, sartorem illum sutorem, cerdonem, aut quemcumque alium, in Consistorium cooptate; nec dubitate statim cum ipso *Senioris* nomine dotes omnes ad munus id necessarias eius animo infusum iri. In his vero Cõsistorijs mercatores plerumq; ceteris præferuntur, nec solũ referendi, sed etiam vnà cum patribus Consistorialibus iudicandi munus exercent. In summa, dimisso Consistorio, caussidicus ad curiam, mercator ad forum, sutor ad sutrinam, rusticus ad

aratrum redit, ijdem omnes qui ante. At si quis umquam vidit, audivit aut legit, in Ecclesia Dei eum qui ante meridiem animas iudicarit, post meridiem incudem tutudisse? Multis illud disputatur, utrum melius sit, Judicem malum esse aut ignorantem. Plerique tamen consentiunt, ignorantiam in hoc munere periculosiorem esse quam malitiam. Illa enim velut continua quædam febris est, hic vero morbus sua habet intervalla. Potest etiam malus bene facere ac iudicare: sed ignorans atque imperitus semper cæcus, semper iniustus, semper malus est. Quid ergo boni à Consistoriali illa ignorantia exspectare quis posset? nisi forte eo ipso momento quo Consistorium ingrediuntur, quadam cœlitus dalapsa affiantur sapientia, eodem modo quo Lemnius febricitantes quosdam se vidisse scribit, qui durante paroxysmo, diserti admodum & eloquentes fuerint; pristinæ vero sanitati restituti, ad pristinam redierint brutalitatem.

II. In Calvinianis istis Consistorijs ad minimum septem iudices sedent, ad tribunalium nostrorum exemplum. Existimabant enim ut de vita, ita de anima quoque hominis non minus quam à septem iudicibus sententiam esse ferendam. Fortasse etiam antiquam illam legem cuius apud Quintilianum fit mentio, imitari voluerunt, his verbis conceptam: *de vi septem iudicent. Quod maior pars statuerit reus patiatur* Cuius etiam Agellius meminit, inquiens: *De reo septem iudices cognoscant: eaque sententia sit rata quam plures ex eo numero dixerint.* Sic ergo unus causidicus, unus mercator, unus proxeneta, unus sartor, unus sutor, unus hortulanus, unus faber ferrarius, simulqu septem numero, de rebus Ecclesiasticis decernendi animasque ad Orcum demittendi habebunt potestatem. Hic enim excommunicantur fratres, & cœtibus ac Sacramentis arcentur, Ministro sententiam excommunicationis è suggestu pronunciante. Quod si leges civiles non permittunt, ut de stillicidio, de via, de sepe, aut quacumque alia re controversa sententiâ quisquam pronunciet, quam qui in eo studio bene versatus, & ad hoc munus aptus iudicatus fuerit: quanto minus ad animarum hoc seu conscientiarum iudicium homines imperiti assumendi sunt, qui tanto sunt imperitiores quanto minus suam ipsi imperitiam atque ignorantiam agnoscunt.

III. Sed & hoc primitivæ Ecclesiæ consuetudini plane repugnat, quod officia ista apud Calvinistas non sunt perpetua, sed personæ vel singulis annis, vel altero quoque anno mutentur. Eadem nihilominus magna ambitione expetuntur: adeo ut nobilis quidam præsente Bullionio Duce, Franciæ Marescallo, qui eam religionem amplectitur ac magno studio propugnat, dicere non dubitarit. *Si Officia ista Consistorialia vanũ proponantur, non minorem inde in hoc regno quam ex Casualibus, ut vocant, pecuniam conflci posse.* Qui his funguntur passim, ac præsertim Montalbani, & Bergeraci, sedes suas iuxta ipsam Ministri habent cathedram, tamquam conscientiarum iudices ac magistratus: ex quo non minus quam Consules olim ac Dictatores apud Romanos omnib⁹ sunt formidabiles. Jactat enim, sui quoque muneris esse Ministrorum auctoritatem in æquilibrio continere, ac potestatem moderari. Apud Genevenses certe in ijs quæ ad ecclesiæ pertinent inspectionem, communem habent cum Ministris curam. Sic quos veritate retinere non poterant, dignitatibus istis suis partibus obnoxios reddunt. Tam insperata vero dignitas, quæ ex sutrina ad conscientiarum tribunal nullo suo merito, nulla probitatis aut doctrinæ commendatione extolluntur homines triobolares ita inflat atque insolentes redddit, ut ne gravissimis quidem viris cedere sustineant.

IV. Consistorio, quod vel in templo, vel in Ministri ædibus celebratur, Minister præsidet. Quod si plures eiusdem ecclesiæ sint Ministri, Præsidis munere fungitur is cuius partes sunt ea septimana concionari, idemque suffragia colligit, & decreta pronunciat: sic ut in munere hoc nec ætatis, nec ad hoc necessariarum virtutum & qualitatum ulla habeatur ratio. Semel vero aut bis singulis septimanis Consistorium habetur, in quo Seniorum querelæ & accusationes contra quoscumque in medium proferuntur. Etiamsi enim sæpe ingentes trabes in suis ipsorum gestent oculis, tamen eis aliorum ingredi ædes & minutissima quæque rimari, permissum est. Hi expiscantur quomodo parentes liberos suos, mariti uxores, domini familiam universam tractent, qualem vitam singuli agant, quomodo rem familiarem administrent; adeo ut etiam thori coniugalis secreta eos latere non possint. Jidem hinc inde per civitatem obambulantes, aures semper arrectas habent; ac vel fritilli iactum, vel musicorum instrumentorum sonum, vel cantum, vel cachinnum in Reformatorum ædibus perceptum, statim in iudicium vocant. Cayerus quosdam novisse se inquit, qui ob hanc solum im-

por-

portunitatem ab ipsis defecerint, dicentes, *Malle se ultro peccata sua sacerdoti confiteri, quam exploratores eiusmodi ferre, à quibus ob verbum aliquod asperius quod vix uxori dixit, aut risum solutiorem, omnibus audientibus tam ignominiosè traducantur. Neque enim vel minimum esse quod Consistorij effugiat censuram: quæ ipsa Hispanica Inquisitione multo sit durior.*

V. Unus ex senioribus Burdigalensis nostræ Curiæ causidicis narravit mihi, se, quum iuvenis adhuc militiæ illius reformatæ vexillis nomen dedisset, ad Consistorium aliquando fuisse delatum quod in virginis cuiusdam sinū manum immisisset; & quidem a Ministro, qui eandem virginem uxorem sibi ambiebat. Ille intellecta accusatione Præsidi, & Senioribus alijsque Consistorialibus, inter quos & delator ille erat, adsidentibus, respondit, *Fateri se manum in virginis sinum à se fuisse immissam, sed non aliam ob caussam, quam ut sertum sive corollam quam iuvenis ille Minister* (expresso nomine) *ei dederat, auferret.* Addens, *nequaquam sibi vel Ministerij gravitate, vel Consistorij dignitate, ipsius denique Ecclesiæ integritate dignum videri, ut talibus rebus Consistorium sese immisceat. Esse hoc hominum ocio suo & munere abutentium.* Tum Consistoriales omnes magno impetu consurrexisse, non aliter quam si blasphemia velut tonitru fuissent exciti: se vero per ostium celeriter erupuisse, ac relicto sacrato illo Senatu, postremum Vale religioni illi dixisse. Aiebat idem, inter Consistoriales illos fuisse sutorem, qui pedibus ipsius paulo ante calceos induxerat. Tot tantisque ineptijs ignoscas Lector rogo: quæ non possunt non auctorum suorum esse similes.

DE ABUSIBUS ET SCANDALIS quæ circa Consistoria illa frequenter contingunt.

Caput IX.

ARGUMENTUM.

I. *Seniores (ques vocant) vicinorum mores & facta observant.*
II. *De Scribis & libris Consistoriorum.*
III. *Quam multis nugis ij referti.*
IV. *Intemperies Consisterialium in reprehendendo vestium luxu.*
V. *Quam inutiles sæpe sint Consistoriales illæ admonitiones & correctiones.*
VI. *Scandala inde orta.*
VII. *Consistorialis confessionis notabilis historia.*

I. Quid ergo est, quod Seniores illos ad explorandos vicinorum actus, etiam data ædes p. o lubitu ingrediendi omniaque rimandi potestate, à Ministris in specula veluti constitutos latere possit? Quid tu putas non dicturam mulierem cerebrosam, iracundam, zelotypam, stultam; quæ bili sua & domum suam & totam viciniam possit percellere? Exploratores quidem isti idem speculum sæpe circumferunt, quod ille qui nihil præter nomen Romani habuit, non tam vt suam ipsi videant turpitudinem, sed vt aliorum errata vero maiora faciant atque ostendant. Postquam Lamiæ istæ diligenter omnia excusserunt, & in commentarios relata, Consistorio legenda exhibuerunt: ad reum mittitur tabellio siue Monitor; qui si non se sistat, nomen eius à Ministro publice in concione citatur: quod si tertium vocatus, etiam emaneat, à Cœnæ communione excluditur. At si morigerum idem se præbeat filium, Consistorio sistitur, & capite nudo in angulo aliquo stans, veniam non minus sollicite petit quam exspectat: quæ tamen aliquando non datur, nisi crimen publice, ac sæpe coram inimicis suis fasso: sicque etiam occulta crimina in lucem producuntur. Quæ sane acerbissima est, præsertim apud cordatos ac verecundos homines, animorum tortura.

II. Dum ita caussa in Consistoriali illo iudicio ventilatur, scriba penes quem Iniquitatum Ecclesiæ sunt commentarij, & accusationem & confessionem, & sententiam diligenter perscribit. Hic vero plerumque vxorem habet & familiam, quam etiam libri huius vitæ ac Consistorialis thesauri beneficio facile potest alere. Quod vero secretum, quod silentium hic seruetur, Deus nouit. Certe non qui testis, sed qui iudex etiam fuerat, si postea ei cum reo res sit, caussæ suæ præsidium hinc petere sine vlla religione videmus. Librorum istiusmodi custodes sunt Ministri, qui eos non secus ac Parlamentorum Registra inferciunt: quibus legendis eorum vxores non tempus modo fallunt, sed commatrum seu compotricum suarum vitam, egregie depictam intuentur. Rebullius lepide ait,

Libros istos se credere, ad extremi Judicij usum asservari, in quo scilicet, uti scriptum est, libri aperientur, in quibus hominum peccata descripta exstant. Quin etiam de nondum probatis criminibus, Cayro teste, publice quidam cognoscere ac pronunciare voluerunt. Pendente interim processu, nonnulli illud disputabant, iurisdictionem super conscientias penes Ecclesiam esse. Quin etiam, modo conniveat magistratus, contra malefi-cos sententias, ferunt, secundum Verbum Dei scilicet; & ut magistratus idem facit hortantur. Quibusdam tamen in Consistorijs ea quæ cum pudore revelantur, arcto teguntur silentio: siquidem mimi isti ut verecundiam miseris reis incutiunt, ita magno cum auditorum risu excipiuntur. Ridiculum est, imo scurrilitatem sapit quod apud Castrē-ses accidisse memorant, ubi puella quædam accusata quod nimis stulte & inepte se gereret, Gallici sermonis ambiguitate decepta, existimans se insimulari quod Gallico laboraret morbo, iam in eo erat ut sublata interula partes pudendas ostenderet, atque ita oculari inspectione accusatores suos falsitatis convinceret. Alibi vero ijdem libri non tanta religione custodiuntur, sed litigantibus etiam, ut caussam suam in de meliorem faciant, traduntur. O insignem fraternam charitatem! Equidem ipse in caussa Brussij cuiusdam, ad mortem postea damnati, Ministrum Moncaretensem de ijs quæ in Cō-sistorio agitata fuissent, testem audivi. Veritati scilicet homines religiosi testimonium, quando requirimur, perhibendum aiunt. In quo notabis Lector, admirabilem illam Consistoriorum in re tam magni momenti dissensionem; tum assistentium perfidiam Dei nomen vane usurpantium, dum accusatos iureiurando obstringunt, ita syncere coram ipsis tamquam corā divino tribunali, se quod verum est dicturos ac fassuros: interim vero ipsum peccatum, quod omnino occultandum erat, revelantium: siquidem Confessio non ad condemnationem, sed ad pœnitentiam atque absolutionem in Ecclesiam introducta est.

III. In Curia nostra aliquando caussa agitabatur, in cuius informatione ne librum eiusmodi Consistorialem productum inspexi, qui inter alia multiplices Ministrorum de stipendijs non solutis querelas, tam incredibilem Ecclesiasticorum bonorum sitim calidasque eorundem preces, uti macrum ipsorum osculum Clericalium proventum adipe, qui tantā alias nauseam ipsis movet, unctius ederetur, continebat atque ob oculos ponebat. Quid de mille alijs ineptijs & nugis dicam? Comœdiam aliquam, aut Boccatij centum Novellas legere te iuratis. Feminarum alia caussam dicere iussa erat, quod cerussa facie induxisset: alia quod longioribus usa esset collarijs: alia quod saltasset. Saltatio enim initio pro magno peccato, adeoque graviori quam ipsa blasphemia habebatur: quum blasphemus verbis tantum corriperetur, quæ vero saltasset, Cœnæ communione excluderetur.

IV. Hoc vero unum dici vix potest quantum laboris & molestiæ Ministris exhibuerit, qui ovibus suis volentibus nolentibus has, ut vocabant, Christianæ modestiæ leges imponere perfracte contē-debant. Est penes me Ministri cuiusdam scriptum, in quo is inter alia narrat, feminis ob ornatum capitis paullo exquisitionem Cœnæ usu ex Synodi decreto fuisse interdictum: quamvis Monta'banenses eodem rigore non uterentur. Tandem feminis edictum alio quam qui prohibitus erat adscito ornatu, eludentibus res in risum abijt; Minister vero, qui ut velatis, sicut Susanna illa apud Tertullianum, non vero reticulato ac cristato opere fastigiatis capitibus Cœnam accenderent, pertinaciter contēdebat, civitate exire iussus fuit. Montalbani durante magno conventu Anno M. D L X X X I V. celebrato, virgo quædam crines ac caput exornandi sex modis, & quidem singulis, sed diverso tempore, in ipsa Cœnæ celebratione usa dicitur: quumque Ministrorum unus hunc, alter illum ornatum magis probaret, non levis inde simultas exstitit. Hodie certe leges illæ exoleverunt, postquam quindecim circiter aut vigiuti annos utcumque viguerunt. Quid quæris? Edentula iam & decrepita est istorum hominum ecclesia iamque alterum pedem in cymba Charontis habet. Jam vero vix ullibi maior luxus conspicitur. Videas ipsorum Ministrorum uxores vittis turritis, collarijs dentatis amplissimis, & cycladibus vanni in modum distentis, non secus ac satraparum uxores incedere, & in templo proxime cathedram ex qua maritus concionatur, magnifice sedere ac populo se ostentare. Novi regium in Aquitania Procuratorem, cui apud Ministrum uxoris luxum deploranti, & ut sub Ecclesiastice disciplinæ leges redigeretur, petenti, nihil aliud responsū fuit, quam, Abusus si in consuetudinem transierint, ferendos esse. At Desaignius Blessiensis Minister Pineau alias dictus, nō ita laxe ac molliter suos habuit. Quū enim A. M. D X C I X. oviculas suas admonuisset, ut

ad

ad salutare illud pabulũ Cœnę Dominicę diligenter se præpararent, & qua par est modestia venirent omni vestiũ, ac præcipue cycladũ instar vanã patentium luxu depositio, in ipsa vero Cœnæ administratione ciuis vxorem vidisset insolentius vestitam, accedentem; accepta in sinistram panis quam ei porrecturus erat buccella, ad alteram mensæ partem abscessit dextraque leviter impulsam facessere iussit. Id conspicatus maritus, vehementer excandescens, Ministrum in cathedram ascensurum calce impetijt. Ibi mox Seniores ac reliqui consurrexerunt, & pugnis misere contusum, cœtu eiecerunt. Femina vero illa deinde mœrore contabuit. Ecce tibi Consistorialis huius disciplinæ fructus! Nihil hic etiam frequentius, quã Ministrorum de non solutis stipendijs querelæ quam ob caussam non pauci Sacramentis priuantur, quæ ad Ministerij sustentationem contribuere aliquid recusantibus negare, in Ministrorum est potestate. Ad hanc ergo Cœnam qui accedere vult, necesse est vt symbolam prius conferat.

V. Admonitiones vero atque obiurgationes quæ in hisce Consistorijs erga criminis alicuius delatos adhibentur, leues admodum sunt & superficiariæ; quum econtra quibus in Catholica Ecclesia vtuntur sacerdotes, in intima pectoris descendant, ac vera inde suspiria, nec non læpe ex oculis lachrymas eliciant. Quid mirum ergo, apud illos è peccatorum cœno plerosque emergere non posse? Si enim cæcum sit Consistorium aut connueat, quis viam errantibus monstrabit? Maxima quæ hic arguuntur peccata sunt; si quis Catholicorum templum ingressus, vel concionem audierit, vel Missæ interfuerit. Hæc enim delicta præcipue publica pœnitentia expianda sunt. Quum aliquando in Burdigalensem hanc vrbem diuertisset regis nostri soror, Minister quidam ex eius comitatu ædem S. Andreæ sacram curiositate quadam ingressus, notum sibi hominẽ heteroclytum, nec Catholicum nec Calvinianũ, Cassandri tamẽ opinioni magis addictũ, in angulo cuiusdam sacelli genibus innixũ conspexit. Digressus inde ad Consistorium, hominem statim citari iubet, ac coram increpat. Ecquid te pudet, inquiens? Numquid ego te heri in Papistico vidi templo? Tum alter; Si me vidisti, inquit: ergo & tu ibidem fuisti. Ille, Fateor ait; sed nullas ibi preces ego fudi. Equidẽ, respondit alter, nescieram, peccare eos qui precantur. Hæ nugæ sunt, præ illis quæ sequuntur.

VI. Memini vidisse me viduam, violatæ pudicitiæ in Consistorio accusatam. Factum illa negare non poterat, vitium temere ventris prodente. Fasta ergo rem in Consistorio, inde ad frequentem cœtum educitur, & infra cathedram stans publice peccatum suum ipsa detestari & veniam petere iubetur. E templo inde egressa falsa illa Magdalena innumeros fere spectatores habuit, hunc que tandem ex hac pœnitentia fructum cepit, quod in reformata hac sua viduitate tres adhuc partus enixa est. O dignos tali pœnitentia fructus! Equidem non sanare, sed perdere hoc fuit. Quid peccatum occultum in lucem protrahere, illamque miseram prostituere quasi attinebat? Sed mitius aliquanto cum magnatibus agitur, quorum pœnitentia, nomine tantum, non crimine expresso, populo à Ministro indicatur, eiusque nomine venia imploratur. Tædiosum sit plura huius generis hic cõgerere. Vnum tamen adhuc addam, tanto magis notatu dignum, quod grauissima inde lis exorta, & in ea Curiæ nostræ audientia quam Tournellam vocant, coram me eiusdem Præside, agitata est.

VII. Præfectus oppidi Castillonij in Petrocorijs vt vxoris zelotypiam & vindictæ cupiditatem aliquo modo expleret (sic enim mihi ipse fassus est) ex Senioris cuiusdam consilio in Consistorio Paschatis iam instante festo, aperte professus est, bona conscientia ad Cœnam accedere se non posse, quod cum femina maritata, quæ & ipsa cœtui adscripta erat, adulterium commisisset. Ex Consistorialium Patrum decreto vocatur Mulier, Marito qui rem omnem hactenus ad eam horam ignorarat, miserabiliter quiritante. Citata illa ad Consistorium, auxilium à Curia petijt, & iustitiam contra iniuriam implorat, vnà cum marito. Ad Curiam vocatus Præfectus caussatur, caussam hanc ad conscientiam ac religionem pertinere, de qua nemini nisi Deo & Pastori suo rationem reddere teneatur. Quod si peccarit, peccasse se contra religionis suæ leges, quæ peccata eiusmodi non iudici, sed Consistorio reuelare iubeant. Idque se à Ministris Senioribus facere iussum, maluisse conscientiæ suæ quam mulieris istius honori consulere. Quod nisi fecerit, non posse se integra conscientia Cœnam Domini percipere. Rogare ergo vt causa ista ad ecclesiam & Consistorium tamquam competentem iudicem remittatur. Econtra misera illa, meram hanc & à suis ac mariti inimicis confictam calumniam esse demonstrat. Quod si hactenus causæ eiusmodi in Consisto-

sistorio discepta tæ sint, vitio id factum: neque abusum hunc fraudi sibi esse debere. Re diu multumque magnis vtrimque causis dicorum studijs non sine Reformationis summo dedecore, agitata, à Curia decretum fuit, non obstante quacumque exceptione, Præfectum iudicio se sistere, simulque Ministrum cum duobus senioribus ad interrogata respondere debere. Tum vero omnis deformata, multum tum pollens, Galliæ pars Præfecti patrocinium suscipere, de iniuria coram rege expostulare, quod scilicet Curia regulas ipsorum religioni præscribere auderet. Quid multis? Res ad priuatum Consilium à rege reuocata tandem omnino Consistorialium fratrum studio suppressa est. Huic facto plane germanum est illud quod in Sanctionibus accidit: vbi Augeaci toparcha, vt rabiem vxoris contra pellicem expleret, pro concione venustam iuuenculam nominauit, cum qua rē habuisset; quæ ex hac occasione libidinosæ iuuentuti, sollicite eiusmodi feras venanti, prædæ deinde fuit. Quod si omnia eiusmodi exempla quæ in Gallia nostra contigerunt, congerere huc velim, equidem non Caput, sed ingens volumen conscripturus sim. Ex paucis his tamen Lectori facile erit de ceteris iudicium ferre. Iam ad ea quæ restant pergamus.

VIII. Geneuæ ciuilis magistratus quoque Consistorio interest, vnde sæpe criminales actiones reis deinde intentantur. Quis tale Consistorium Hispanica Inquisitione nocentius esse neget? In Gallijs, post Edictū quod à Ianuario vocant, promulgatum, regijs Officiarijs aditus permissus fuit, tam ad actiones melius elucidandas, quam impediendum ne quid contra regis auctoritatem regnique vtilitatem fieret. At seruitute hac liberata postea Consistoria, non amplius rerum ad religionem, sed ab bellum potius eiusque gerendi rationes pertinentium disceptationi inseruierunt. In his enim pacis ac belli consilia procusa, in his conspirationes factæ sunt; ex his schismata, rebelliones ac seditiones, tamquam ex equo Troiano prodierunt quę omnia suaues isti homines Reipublicę negocia appellant. In his colliguntur numi, decernuntur delectus, distribuuntur prouinciæ, constituuntur duces, vt paucis dicam, nihil aliud sunt hæc Consistoria quam seditionis fomites, tubæ belli, omniumque malorum incudes, vt in quibus etiam de Regibus ac Principibus in ordinem redigendis consilia suscipiuntur. Anno M. D. L. XXVII. literæ à Beza ad Aquitaniæ Ministros scriptæ, interceptæ sunt, quibus eos monebat, *darent operam, ne in ciuitates suas, velut liberas, ad instar Rupellensis illius conformatas Respublicas, vlli duces aut Præfecti, nisi à Consistorio & Synodo approbati reciperentur.* Sed Consistorijs istis multum de pristino splendore decessit. Vt enim olim in cooptandis collegis nimis morosi erant; ita iam vltro quoscumque prensant, & si è Nobilitate quis interesse velit, honori id sibi ducunt. In his etiam plaustra querelarum plerumque congeruntur. Est enim istorum hominum mos, vt quum male alios tractent, male tamen ab alijs tractari se conquerantur, ac veteres iniurias non modo non emendent, sed nouis etiam cumulent. O pulcram Caluini Reformationem! qui vnà cum puluisculo auricularem Confessionem omnino expurgauit: quæ tamen mors diaboli, & peccati est exterminatio. Cur tibi odiosum ac suspectum est, quod ab omni antiquitate semper fuit vsurpatum? (a) Ridicule enim, immo impie ineptus est centonum ille consarcinator, qui proximis trecentis annis Confessionem hanc in Ecclesia primum vsitari cæpisse ait. S. Augustinus inquit, *Non satis esse Deo confiteri, sed rogandum esse sacerdotem, conscientiamque penitus esse denudandam atque exonerandam.* S. Basilius *Eis peccata confiteri necessarium esse dicit, quibus diuinorum dispensatio mysteriorum commissa est.* Qui enim perfectam agere volebant pœnitentiam, peccata sua sanctis confitebantur. Et in Euangelio scriptum legimus, *populum S. Ioannis Baptistæ; in Actis vero baptizatos Apostolis peccata sua confessos esse.* Quod si Caluine, auricularis hæc Confessio tibi non placet, cur non illam saltim, q̄ in prisca Ecclesia vsitatā fuisse non ignoras restituis, vt animi sui interiora omnibus quisque sordibus expurget? Confessioni sane publicæ auricularem olim tempore Nestorij Constantinopolitani Episcopi iunctam fuisse, negari non potest (b) Equidem & hoc te non latet quanta incommoda ac scandala ex publica illa Confessione nasci soleant, eo potissimum quod homines maxime verecundi suam ipsi turpitudinem reuelare non sustineat, sicque à pœnitentia absterreantur, & plena peccatorum expiatione defraudentur. Recte ergo ac sapienter in priuata hac Confessione Ecclesia acquieuit, quā tuus

a *S. Dion. epist. ad Demoph. S. Cyrill. lib. 3. in Leuit. S. Cypr. Ser. de Lapsis. S. Aug. com. 10. serm. 50. S. Chrysost. in Matt. hom. 3. Orig in Ps. 33. b Hist. trip. lib. 9. cap. 25.*

tuus quoque assecla Oecolampadius probauit, inquiens (c) *Confessionem illam quam auricularem vocant, neminem pietatis amantem reijcere atque improbare debere.* Et successor tuus Beza ipse fatetur, *Oralem Confessionem & publicam absolutionem semper in bene ordinatis Ecclesijs fuisse vsitatas.* Eadem nihilominus ad gustum tuum non fuit, eo quod nimiæ isti reformationis licentiæ aduersaretur. Sed iam credo alia de nouo reformata religio exspectanda nobis est, quæ tuam illam tantopere deformatam reformet. Interim vero iure dicere possumus, Miserabilem esse illum statum, in quo conscientiæ à nemine alio quam à seipsis gubernantur.

DE TEMPLIS, PRECIBUS, cantu, alijsque ceremonijs Caluinistarum.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

I. *Christiana Ecclesia à Caluinistis deiecta & vastata.*
II. *Qualia sint Caluinistarum templa.*
III. *Caluinismus etiam quum maximè viguit, in horreis exercitus.*
IV. *Concionum ordo, & irreuerentia erga Deum.*
V. *De Concionum anteambulis.*
VI. *De Ministrorum habitu: & quali in primitiua Ecclesia sacrorum ministri vsi sint.*
VII. *Similitudo Christianæ Ecclesiæ cum Naui.*
VIII. *In Catholicis Ecclesijs omnia vocalia; in Caluinisticis omnia muta sunt.*
IX. *Precandi apud Caluinistas modus.*
X. *Confusio in Cantu.*
XI. *Quid in Concionibus frequentissime inculcent ministri.*
XII. *Quam irreligiose sacra apud Caluinistas obeantur.*

I. TAm primis illis è Paganismo in Ecclesiam ingressis Christianis, quam eorum posteris, ingens semper desiderium fuit ac studium templa atque Oratoria, quæ domus Dei vocantur, exstruendi, vti omnes primitiuæ Ecclesiæ Historiographi testantur. Nihilominus tamen Magdeburgenses Centuriatores impudenter asseuerant, (a) primis trecentis annis ne vnius templi fundamenta à Christianis iaci potuisse. Quid? Ergo fabulosa sunt, quæ de magnifico illo templo, Gordiano imperante, Neocæsareæ condito, quod ad S. Basilij vsque tempora (b) integrum mansit, à priscis Historicis scripta sunt? Cyprianus numquid, *Templa*, ait, (c) *fastuosis & superbis clausa humilibus aperta esse?* Origenes certe magnum templorum stragem sub Imperatore Maximino editam describit. (d) Taceo Basilicas, Oratoria, Monasteria, quorum frequens apud veteres scriptores est mentio. Quemadmodū ergo primis istis quasi Dei filijs nihil magis curæ fuit, quam vt diuinis istis exstruendi ædibus pietatem suam ac zelum ostenderent; postremi hi ac degeneres Christiani vnum id negocium sibi datum existimant, vt muros templorum diruant, tecta deijciant, fundamenta effodiant, omnia deniq; solo æquent: sequuti in hoc Calvini magistri sui consilium, qui abolitis omnibus ceremonijs, velut alter Diocletianus, etiam ipsas ædes sacras diuinæ læsæ Maiestatis reas esse pronuntiauit, ac plane euerti iussit. Quam tamen hominis sententiam neque Geneuensis magistratus approbauit; sed primarium templum D. Petro sacrum conseruauit in quo passim adhuc veteris Catholicæ ecclesiæ vestigia apparent. Illud tamen indignum valde est, quod Iesu Christi imaginem sustulerint, quum vnius ex Episcopis imago adhuc exstet. Pone cathedram Calvini, columnæ affixam, duo sunt sedilia, quibus sex Apostolorum, vnà cum inscriptione nominum, effigies superstant, quæ oculos ad cathedram conuertentibus vndiquaque occurrunt. Visuntur ibi adhuc Catholicorum tumuli & sepulcra cum vsitata inscriptione: REQUIESCANT IN PACE. At in Galliano-stra templa multo crudelius tractata sunt, vbi Beza à Caluino ad disseminandum in patria pseudoeuangelium missus, etiam omnia idololatriæ vestigia & memoriam, vti iactabat, funditus abolere instituit. Atqui nec Ezechias, nec Iosias, nec quisquam alius piorum regum templa veri Dei cultui antea dicata deieciſſe, sed ab idololatria & superstitionibus quibus polluta erant, repurgasse leguntur. (e) Longe aliter fecerunt Reformatores nostri, qui primum suum furorem in pulcherrimum illud Aurelianense templum S. Crucis nuncupatum effuderunt. Id agre ferens

Tt Ludo-

c *Oecolamp.* 1. *Epist. Ioan. Schluss. lib.* 1. *Theol. Calu. fol.* 69. a *Cent.* 2. b *Greg. Nic. in vit. Greg.* c *Cypr. Epist.* 55. d *Orig. in Ioan.* c 4. *Reg.* 16. 18. 22.

Ludouicus Borbonius Princeps Condæus, sacrilegorum impetum quantum potuit inhibuit: quũque teterrimum nebulonem in ipso tecto plumbeas laminas auro obductas effringentem, & Stentorea voce illud, *Sic destruetur Babylon*, intonantem, vidisset, colubrinam contra eum dirigi iussit, atque ita cœptum omittere coegit. Quum vero plebis furor, secretis Bezæ exhortationibus accensus, ne sic quidem restingui posset, portæ templi muro ducto obstructæ fuerunt. Noctu nihilominus homines scelerati per fenestras irrepentes columnarum quibus templum innitebatur fundamenta emoliti sunt, sicque grande illud & admirabile ædificiũ vna nocte corruit quod post quadraginta circiter annos sub Magno illo Henrico IV. quem Miraculorum Regem merito quis appellet, multo magnificentius restaurari cœpit. Nolo hic quæ plurima passim occurrunt, funesta Caluinianæ impietatis vestigia, templorum ac monasteriorum ruinas, sed eorum in quibus ipsi religionis suæ cultum exercent, templorum atque ædium formam Lectori ob oculos ponere.

II. Exteriorem quidem Caluinisticorum templorum structuram, eorumque ornamenta multis describere haud attinet: siquidem loco magnificorum ædificiorum quæ antiquitus diuino cultui consecrata sunt, homines isti macellis, pecorum lanienæ destinatis vtuntur, quasi augurantes horrendas illas cædes ac lanienas quibus conciones eiusmodi occasionem dederunt. Quod si horrei sit copia præclare secum actum putant; neque vlla adhibent ornamenta vel aulæa, nisi illa ex aranearum filis contexta Concione finita, ibidem rursus omnis generis bestiæ stabulantur. Hæc ipsorum templa, hæc oratoria fuerunt sine aris, sine vllo sacrificio. Aiebant vero Deo non minus placere orationem in stramentitia casula aut quocumque alio gurgustio quam sub aurato laqueari effusam. Ministro vix è suggestu digresso, hic lagenam, ille pernam, alius aliud depromit; atque ita ex domo orationis repente caupona fit. Sed ô cæcos ac dementatos homines! qui nec sordes istorum Ministrorum, qui Catholicæ Ecclesiæ pulchritudine tam turpiter vos spoliarunt, videtis, nec tam spurcæ religionis sentinam sentitis.

III. In eo tamen, quod tam vilibus locis Ministerium vestrum exercetis, excusari hactenus poteratis, quam diu metu ignis, quem hæreticis paratum esse scitis, delitescendum vobis fuit. Nam & primi Christiani olim secreta loca, vt vos iam horrea & stabula, cærtibus suis obeundis quærebant. Quod vero etiam nunc postquam lucem ferre didicit hæresis, sordida nihilominus ac profana loca quasi de industria sacris suis (demus hoc nomen profano cultui) eligit, atheismi certe atque impietatis ream manifeste se facit, ipsamque religionem summo contemtui exponit. In Sanctonibus quum aliquando essem (quam prouinciam homines isti magna ex parte tum occuparant) memini totam fere Nobilitatem ad audiendum *Verbum Dei* (sic dicebant) ad magnatis cuiusdam arcem confluxisse: qui rogatus, vbi concionem haberi vellet? an in atrio vel cænaculo? (quod amplissimum ibi erat) Nequaquam inquit; sed in horreo. Mox ergo sella ponitur, mensa sternitur, cui assidens Minister, ad auditores verba faciebat. Vix finierat, quum præclarum illud templum mulis & equis repletur. Roganti mihi, cur non honestiorem aliquem locum Deo eiusque cultui eligerent respondebant, Deum non ædificiorum elegantiam, sed cordium puritatem in se colendo à nobis requirere. Hos ergo si audias, stulte fecisse primos Christianos dices, qui in honorem Dei tam sumtuosa templa auro collucentia ædificarunt; vt Lucianus, non Christianæ modo, sed & omnium religionum subsannator, testatur. Stulte ergo fecit Constantinus Magnus, qui Constantinopolitani, Antiochiæ, Nicomædiæ, atque etiam Hierosolymis tam pulchra ac magnifica templa exstruxit, & aulæis acupictis auroque rigentibus exornauit: vt & Constans Imperator, Optatus contra Donatistas scribit Chrysostomi libros legenti occurrent altaria auro radiantibus peristromatis instrata, pauimenta marmorea, parietes aulæis fulgentes, aurata laquearia, ipsæ ædes aureis & argenteis lychnis collucentes; vt merito illud sæculum Ecclesiæ Aureum dici possit. Et tamen deformati nostri dicere audent, hæc omnia superstitionem sapere atque omnino esse superflua, magisque suam laudandam esse simplicitatem.

IV. In magnificis hisce Deformatorum auditorijs scamna cernuntur, ad eum modũ quo in scholasticorum collegiorum classibus, in quibus auditores sine vllo ordine considunt. Ingredientes feminisquas forte conspexerint honorem exhibent; Deo nullum. Eadem reuerentia nomen Iesu & Iesuitæ excipitur. Nusquam videas vllum genu flecti. Quod si quis forte fecerit, statim Ad Papistas facessere iubetur. Horum vtpote non tam acutorũ homi-

hominum, aiunt esse, aqua benedicta se aspergere crucis signo se signare, in genua se demittere? & vt paucis dicam, externo aliquo actu tam fidem quã reuerentiam erga Deum testatam facere. omnia ista idololatriam sapere. Sed quid dicitis, impuri homines? Ergo qui in primitiua vixerunt Ecclesia hosque sanctos ac religiosos ritus ac ceremonias nobis tradiderunt, idololatræ fuerunt? Accusate ergo Deum, qui per prophetam conqueritur, se non tanto externo honore coli quanto terreni Principes: quibus plerique quod optimum habent offerunt. Accusate Psalmistam, qui vult vt caro sua omniaque externa in se non minus in Deo exsultent, quam ipsum cor atque interni affectus. Accusate denique S. Paullum Apostolum, qui Confessionem, quæ certe externo actu fit salutem attribuit.

V. Interea dum Minister vel exspectatur, vel ad concionem se præparat, sutor aliquis vel sartor, modo legendi peritus, suggestum ascendit, & caput aliquod ex Biblijs, aut si Minister nullus veniat, integram homiliam ex Galvini scriptis recitat. Sed hic abusus Synodi ad Castellum Eraldi Anno M. DXCVII. celebratæ decreto sublatus est, ne Calvini scripta Verbo Dei substituta viderentur, tum præcipue ne Ministerium, ut ita dicam, evacuaretur, populo lectoribus ac sermonibus iam dudum magno numero procusis contento & sumptus in Ministerium, superfluos iudicante: quum nullus fere sit qui melius quid afferre possit quam ibi scriptum est. Quia vero anagnostæ illi ut plurimum illiterati sunt, facile cogitari potest quam scita eiusmodi, quibus affectibus picta, quaque vocis articulatione distincta sit lectio. Unde sæpe fit, ut etiam a pueris adhuc balbutientibus corrigantur. Hominem noui Jamacensis toparchæ accipitrarium, qui absente aut ægrotante Fluraco Ministro, sepositio paulisper venatico suo apparatu, suggestum conscendere, & ad populum (Diaconi enim munere fungebatur) verba facere solebat. Neque est vt quorundam è nostris inscitiam nobis hic obijciant, quam sane in plerisque ipsorum, etiam ijs locis ubi maxime doctis hominibus opus erat, maiorem demonstrare possumus. Ac profecto non iniuria aliquid magis exquisitum ac perfectum à Noua ista ac recenti adhuc Religione requiri possit: quum experientia constet, temporis longinquitate rerum omnium vigorem minui ac paullatim consumi: quum recentia & speciem habeant multo gratiorem, & vires maiores. At contra in noua hac religione fieri videmus: quæ ubi vix lucem aspexit, nocte rursus involvitur; vix è terra prorupit, atque iterum in cavernas eiusdem se abscondit, vix caput extulit, ac rursus demittit, vix denique nata statim denascitur.

VI. Adveniens Minister, Diaconi vel Lectoris locum occupat: quo descendente, ille in suggestum ascendit, laicali habitu aut quicumque maxime ipsi placet, indutus. Faius, qui Margaritæ Henrici IV. sorori à concionibus fuit, etiam dum concionaretur, gladium è latere pendentem semper habuit, pallio nonnunquam cærulei vel violacei, thorace flavi coloris vestitus. Fuit inter hos Ministros, qui defixi in terram gladij capulo tamquam suggestui innitens, in horto concionatus est. Non raro accidit ut ocreis ac calcaribus indutus suggestum conscendant: quod forte tum excusari poterat, quum velut expeditione facta, huc illuc animas prædatum circumvolitabant? postquam vero gladij libertate conscientiarum libertas parta est, animi dissoluti indicium videtur. Contonderius Minister in Turonibus veste militari indutus, gladiumque ac pugionem utroque latere accinctus, concionari visus est eoque nomine à paullo modestioribus in Castelleradensi synodo accusatus. Sed dicite nobis, Domini Ministri. An sacerdotes altari servientes in primitiva Ecclesia sic fuerunt vestiti? Habitum eorum videte, si placet, apud Sanctum Dionysium; tunicam scilicet puram Dominicæ passionis insignibus, & cruce inprimis undiq; ornatam; stolã è collo, manipulũ è manibus pendentem, tum albam interulam ac reliqua, quæ ibi descripta sunt. De venturi Messiæ Ministris eorumque ornatu Propheta Ezechiel vaticinatur, inquiens, Deũ sanctis eos vestibus vestiturum, ut officium, coram ipso faciant. Et sanctus Clemens Apostolos nitida veste indutos, sacrificasse testatur, ut & ipsorum successores, ut supra ostendi. Sanctus vero Stephanus Papa ac martyr apertis verbis indicat, vestimenta quibus sacerdotes vtuntur, sacra esse, nec ad alium usum adhiberi debere. Quumque Judæi, ut Jvo Carnutensis inquit, tanta reverentia ac maiestate divinum suum cultum peragant; quid nos facere in nostris decet ecclesijs, in quibus non umbra, sed ipsa veritas est (f)? Sola certe ornamenta illa nescio quem respectum ac devotionẽ afferũt: eoq; omnes Christiani per totum Mundum dispersi, Græci, Æthiopes, (g) Syri, Armenij,

Tt 2

(f) *Opt. l. 3 in fin. Orig. hom. 11 in c. 20. Leu.* (g) *Vide Alvar. hist. Æthiop. cap. 12.*

menij, omnesque Orientales atque Occidentales, numquam in sacrificijs suis aut ceteris diuini cultus partibus profano vestitu vti voluerunt. Soli Caluinistæ eodem quo in foro & vbique alias vtuntur habitu, sacra (si modo quidquam apud eos sacrum) tractare nõ verentur. At profano ac communi habitu hic vtendum non esse, quum alij tum S. Hieronymus vos docet. Vidi ego è Principibus nostris aliquem, nouæ religioni addictum, qui templum quoddam ingressus, eiusque munditiem ac ornamenta, vt & Episcopi ac totius Cleri splendorem conspicatus, cum Ministro suo deinde expostulauit, sub vlmeto, vbi pila ludere pueri solebant, sine vllo ornatu aut ceremonijs sermones suos deblaterante.

VII. Vidimus horrea vestra, domini Reformati, quæ ex vobis nonnulli cum paganis & Iudæis Tẽpla appellant: videte vos nostras vicissim ecclesias. Sic enim à primis Christianis post S. Paullum nominatas fuisse, (*h*) ex Tertulliano S. Augustino, (*i*) Eusebio & Nicephoro discimus, qui easdem etiam Columbæ ædes appellant. Videbitis ædificia præcelsa, quorum frontispicium semper Orienti est obuersum. Et quia eadem Naui quam similima sunt, S. Clemente teste: (*k*) structuram eorum accuratius aliquanto vobis ostendam, vt tanto magis eius structuræ, cuius illa Noæ Arca figuram repræsentauit, cuiusque illa piscatoria S. Petri naucula adhuc figuram gerit, fundamenta, firmitatem ac pulcritudinem admiremini. Vt enim Mundus mari; sic Ecclesia, fluctibus huius Mundi innatans, Naui comparatur. Magnum illud ac sinuosum atrium puppim repræsentat; Chorus, proram. Malus turrim; antenna, Crucem. Et quemadmodum in Naui (de maioribus loquimur) vt & in Arca illa Noetica tres plerumque sunt contignationes; sic Ecclesia tribus constat ordinibus quorum primus idemque infimus est Coniugatorum, secundus Viduarum ac cœlibum, tertius Virginũ, reliquis excelsior. Nauis in tres partes præcipuas secundum longitudinem diuiditur, proram, foros, & puppim; sic Ecclesia ex tribus his partibus, secundum Mundi ætatem distributis, composita est, Lege scilicet Naturæ, Synagoga Mosaica, & Euangelio. In Naui tenuatium est, in quo varia res ad alimentum pertinentes asseruantur: Ecclesia itidem diuersis alimentis instructa est, ac præcipuè Sacramentis: inter quæ *Baptismus*, Aqua dulcis; *Corpus Domini*, Panis bis coctus est, quibus in hoc Mundi Oceani circumnauigantes animæ nostræ aluntur ac sustentantur. Arma vero ac tela Ecclesiæ sunt, *orationes*, *benedictiones*, *exorcismi*, *excõmunicationes*, *aqua & panis benedictus*, *sacra reliquiæ*, *aliaque id genus*, quibus non solum contra hostes nos defendimus, sed etiam vltro eosdem oppugnamus. Penu Ecclesiæ est *Sacristia*. Merces quibus hæc nauis onerata est, sunt *merita*, *& satisfactiones Jesu Christi*, *Deiparæ Virginis*, *& Sanctorum*, *quibus*, *vbi per sacrificia*, *sacramenta & Jndulgentias nostra facta fuerint*, *debita nostra peccatis nostris contracta*, *exsoluimus*, *meritisque per sacrificia & sacramenta applicatis*, *gratiam Dei in hac*, *& gloriam in altera vita redimimus ac mercamur*. Nauis rectores sũt diuersi *Ecclesiæ Officiarij ac Prælati* Gubernator, *Papa est seu Pontifex Romanus*, *qui in puppi*, *id est*, *Apostolica Sede*, *ad clauum sedet*. Clauus vero vel gubernaculum est *pedum siue baculus pastoralis*. Et baculus quidem siue virga semper iurisdictionis insigne fuit, etiam apud profanos. Inde non pastores solum pedis, sed & Reges sceptris, & magnates scipionibus, & augures lituis vsi sunt. Hoc baculo tamquã sceptro Papa nauim gubernat tumultuantes coercet, errantes reducit, ignauos excitat. Reliqui Officiarij sunt *Episcopi & alij Prælati*: *inter quos Confessarij velut sentinam peccatorum exhauriunt*. *Prophetæ* velut in specula constituti, non imminentes modo tempestates, sed & breuia, syrtes ac scopulos naufragijs infames, vt & piratas obseruant, vtque ab eis cauere nobis possimus, ostendunt. *Concionatores* vero mores hominum ac vitam ad diuini Verbi præscriptum, tamquam ad magneticam acum dirigunt, diuinam iram contra peccata nostra, minas pœnarum, ac iudicia Dei certissima annunciant, tum piratas eorumque conatus detegunt, & vt contra eosdẽ fortiter pugnemus exhortãtur. Anchora huius Nauis Spes est, quæ in Deo fundata, contra omnium hostiũ impetus tutos nos præstat. Ecce tibi Nauim Catholicæ nostræ Ecclesiæ, ecce mysticam eiusdem structurã. Tu sodes, hæretice, eodẽ modo horrea macella, boũ & equorũ stabula, in quibus Verbũ Dei, si dijs placet, prædicatis, nobis depinge.

VIII. Hæ vero Ecclesiæ merito Dei habitacula, sedes pietatis ac deuotionis domicilia dicuntur: in quarum medio apud primos Christianos, vt apud Lactantium legere est, loco ceteris eminentiori Crucis ac Crucifixi signũ statutũ fuit, ad quod in genua prostrati fideles, orationes suas ad Saluatorẽ Cruci

h 1. *Cor.* 11. i *Adu. Val.* 1. 2. k *lib.* 2. *Const. cap.* 16. *Lib.* 6. *ca.* 30.

Crucifixum fundebant. (*l*) Hic ille locus est, vbi Christianus singulis horis vitæ suæ rationes Deo reddere, reatus fateri veniam ac gratiam implorare sacrosanctam Eucharistiam adorare, altare in quo iuge ac perpetuum illud sacrificium quotidie Deo offertur, deosculari, Sanctorum reliquias venerari, omnia denique religiosæ deuotionis exercitia obire potest ac debet. In nostris ecclesijs omnia deuotionem, adeoque diuinam quandam maiestatem spirant ac loquuntur; in illorum templis etiam quæ maxime ornata videntur, omnia tristia sunt & horrida. Adeo vt loca ipsa facile tepidos auditorũ erga diuinum cultum affectus arguant. Finita concione, hæreticorum templa claudũtur, neque cuiquam precandi caussa ingredi licet: alibi vero deambulationibus alijsque profanis actionibus seruiunt. Atqui Verbum Dei docere vos poterat, quibus vsibus templa destinata esse debeant, vt scilicet Deum ibi adoremus, eique vota nostra ac preces offeramus. Numquid enim Saluator ipse dicit, *Domus mea Domus orationis est*. Non inquit, Concionis. Neque vero legimus in templis olim concionari aut Verbũ Dei interpretari moris fuisse: sed hoc in synagogis, quas nos Scholas & Collegia vocamus, fiebat. Vnde S. Chrysostomus dicentibus: *Quid nos templa adeamus, quum nemo ibi sit qui concionetur?* respondet: *Hoc illud ipsum est quod omnia perdit ac corrupit.* Sed ad Reformatorum ceremonias redeamus.

IX. *Minister conscenso suggestu, caput aperit, atque omnium nomine preces auspicatur: diebus quidem festis* (reliquis enim certa formula non vtitur, sed quam vult sibi fingit) *his fere verbis conceptas: Domine Deus æterne pater omnipotens: Confitemur atque sine vlla dissimulatione coram diuina tua Maiestate agnoscimus, nos esse miseros peccatores in iniquitate & corruptione conceptos, inclinatos ad malum, & inutiles* ad omne bonum, &c. Sic precante Ministro qui vult ingenua se dimittit, ac præeuntis verba tacitus subsequitur; qui vult itidem, tamquam lapis stat immotus. In Belgio Reformati isti dum hæc faciunt, aut stant aut sedent. Et sicut Catholici in ecclesijs suis vultum versus altare conuertit, sic Caluinistæ nostri in Gallia Ministro precanti tergum plerumque obuertunt: vt bonus ille pastor è suggestu posticam ouium suarum partem aspiciat. Peracta precatione, quæ momento fere absoluitur, vtpote breuis admodum (qua quidem libenter illi vtuntur, vt quum cœlorũ rimas facile penetrare boni isti socij dicũt: quũ tamen D. Paullus in Ecclesia sine intermissione orationes fieri velit (*m*) & rex ac Propheta Dauid dies ac noctes permutatis in senas horas cantorum vicibus diuinas laudes decantari instituerit) breui inquam, peracta precatione, præcentor sectionem Psalmi alicuius vernacula lingua intonat, cui statim omnes, viri, feminæ, senes, pueri, adeoq; etiam cantandi plane imperiti adgrunniunt magis quam accinunt. Sed pro pudor! Maiori certe reuerentia Iudæi sacra sua tractant, apud quos nemini nisi Leuitis Dauidicos Psalmos in templis decantare licet. Hic vero quisque vocem intenduntaut remittunt prout in buccam venerit. vnde dici non potest quam in amœna & omni harmonia carẽs, harmonia exsistat, quæ tantum abest vt animum ad deuotionem accẽdat, vt etiã aut risum aut indignationẽ moueat.

X. Vidi ego Lutetiæ tum quum Galli nostri velut lymphati nouam doctrinam ac doctores cateruatim sequebantur, tantam sæpe in cantu exsistere confusionem, vt ille quidem in hoc angulo vnum, hic vero in altero alium versum decantaret; neq; Minister quamuis manus pedesque complooderet, in harmoniam confusum illud tam variarum vocum chaos redigere posset. Quod si pauci tantum conueniant, mirum est quomodo puellæ inprimis tenuem illam & suauem suam vocem explicent, & virorum aures demulceant. Facile hic cogitari potest, vtrum illæ cor magis in Deo quam iuuenes in puellis & cor & oculos defixos habeant. Atqui à Cantatrice vt tibi caueas Ecclesiasticus monet, ne in laqueos ipsius incidas. Nihil in hoc sancta illa ac prisca Ecclesia stulto Caluinismo simile habuit. *Tacere feminam in Ecclesia D. Paullus*, cantare Caluinus iubet. Aiũt apud Deum nulla maris ac feminæ esse distinctionem eodem D. Paullo teste. Hoc eodẽ testimonio veteres hæretici probare voluerunt, tam feminis quã viris permissum esse prædicare Verbũ Dei. Atqui hoc loco S. Apostolus non de munerum aut sexus distinctione, sed de æqualitate vocationis ad salutem æternam loquitur. Hinc Cyrillus inquit, *Virginum & vxorum labra quidem loqui & canere, sed absistentibus nõ audiendas esse. Quia* inquit, *feminam in Ecclesia loqui prohibeo.* Idem Tertullianus docet. S. Hieronymus nõ Pelagiũ mihi, sed Caluinũ alloqui videtur, quãdo eũ increpat quod mulieribus non solum Scripturas in manus dederit, sed easdem cantantes quoque audire velit. Addens Psalmos

(*l*) *Car. de poss. dom. & li. 4 ca. 26. & 27.* (*m*) *Thess. 1 & 5*

quidem ipsis canere licere, sed domi in cubiculis, non vero præsentibus viris.

XI. Absoluto cantus versiculis, & paucis implorato quasi diuini Spiritus auxilio Minister textum aliquem è Biblij, quæ sem per ad manum habet, prælegit, & ad suum sensum exponit. Quemadmodum vero Mimus olim quum in dijs nihil reprehensione dignum inueniret, eorum officiarios & ministros calumniatus est; sic Prædicantes isti quando nihil habent quod vel in doctrina vel politia Ecclesiæ merito culpare possint, omne animi sui virus in Ecclesiasticum Ordinem effundunt, ac præcipue contra ipsum supremum Pastorem debacchantur. *Ignorantia enim ratione plerumque destituta, conuicijs & iniurijs tamquam telo vti solet*: quæ tanto sunt atrociores, quanto auctor est disertior. Ac velut piscator non nudo hamo, sed dulcieſca induto piscibus insidiatur; ac venenum raro in fictilibus vasis, sed aureis poculis miscetur; & acutum illud ferrum Mænadum thyrsis præfixum hedera & pampinis occultatur: sic Prædicantes doctrinæ suæ pus atque venenum bello uum verborum caraplasmatis tegunt: quorum omnis eloquentia eo spectat non vt sanent, sed vt vulnerent, non vt doceant, sed vt decipiant: vt de Arrio eiusque sectatoribus Epiphanius testatur, S. Paullus vero Apostolus de omnibus istis seductoribus primus prædixit.

XII. Quando perorauit Minister, rursus breuiores preces recitantur, & cantus Psalmi antea incœpti continuatur aut absoluitur. Tum omnes promiscue prorumpunt, domumque abeunt. Qua vero deuotione, quo zelo hæc omnia peragi existimas, Lector? Quum nemo sit ex omnibus qui vel manus ad cœlum eleuare, vel suspirium ex corde ducere audeat. Pectus enim percutere merum apud istos sapit Papismum. Vix quisquam est qui in genua se prosternat. In summa, non tepor hic, sed frigus & gelu est. Quod idem in primis Lutheranis Erasmus grauiter reprehendit (*n*) Ego quum captiuus in bello apud Caluinistas nostros essem, redeuntibus in memoriam quæ in prima mea vidi tam pueritia, vix vllam Christianæ religionis vmbram, vix vllum deuotæ pietatis signum deprehendi. Quid quæris? Sanctuli videbantur qui in septimana bis, & quidem bene sæpe saburrato stomacho, concioni interfuissent. Feriam quintam multo lætius transigebant quam Dominicam diem; qua non raro ab esu carnium abstineat. Nullus erat iustitiæ locus. Faciebat quisque quod vellet. Imperabant omnes, nemo parebat. Vesperi quando per hospitia miles distribuebatur, diaconus stans stantibus precationem præibat: quæ quidem non precatio, sed præconium aut proclamatio aliqua videbatur. Hanc remissionem reprehendenti mihi responderunt, *Deum non externos gestus, sed animi humilitatem respicere: Perinde esse siue quis stet aut sedeat.* Verum hoc est, aiebam ego humilita, tamen nonnisi exhumiliatione videri potest.

Hæ quidem sunt ceremoniæ, hi ritus, hæc exercitia, hæc forma nouæ istius irreligiosæ Religionis. Quid, quod etiam vltro Catholicorum exercitia irrident? Quorsum, inquiunt, istæ Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoria? Quorsum tot orationes ac precationes, quibus miseræ animæ, in Papistica Ecclesia grauantur ac cruciantur? At satis est, cum publicano illo oculos ad cœlum leuare, Deique implorare misericordiam: qui non vult mortem peccatoris, sed vt viuat. Quin etiam S. Ioannis, vt & Patriarcharum, tantopere Apostolo laudatam pietatem subsannant. Quod si publicani vobis exemplum placet; cur non placent gestus quoque? Cur manus precantium eleuatas aut decussatas, cur pectoris percussiones, cur suspiria, lachrymas ridetis? Longe aliter certe Tertullianus, apud quem, vt & Iustinum Martyrem, omnia ista antiquis etiam religiose vsurpata videre licet. Sed de his satis. Iam ad Sacramenta veniamus. Licet enim Ecclesia Catholica septem semper receperit, vt ex omnibus scriptoribus constat: Caluinus tamen duo tantum agnoscit. Qua, quæso, scripturæ auctoritate? Nulla sane. Sed Baptismum Caluinistarum iam videamus.

DE BAPTISMO CALVINISTARUM.

CAPVT X.

ARGVMENTVM.

I. *De Baptismo Caluinistarum, quem ad salutem necessarium non esse aiunt.*

II. Cal-

n *In Spong. ad Hutt.*

II. *Caluinista Pelagianorum & Manichæorum errores renouant.*

III. *Errant in eo, quod laicos in casu necessitatis baptismum administrare posse negant.*

IV. *Nullis in eo vtuntur ceremonijs.*

V. *De ceremonijs antiquitus in baptismi administratione adhiberi solitis.*

VI. *De Patrinis & Matrinis, vt vocant, & nominum impositione.*

I. NVIOLABILIS apud illos lex fuit longo tempore obseruata, ne quis nisi in concione baptizaretur, quamuis æger & in mortis discrimine esset infans constitutus. *Quum enim*, inquiunt, *Baptismus sit solennis in Ecclesiam receptio, vt in facie totius congregationis fiat, necesse est.* Estque hic primus articulus Constitutionum Genevensium, titulo de Sacramentis; quas illi leges tanto in honore habent, quanto vel Augustanam Confessionem Protestantes, vel Catholici Euangelium. Moris autem istius, de quo ago, hæc est causa, quod opinantur, salutem non pendere à gratia Baptismi. Quum enim hæc sit diuinitus pronunciata sententia, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur, & qui non fuerit regeneratus per aquam & spiritum sanctum, non poterit videre regnum Dei: isti nihilominus, posse eos sine Baptismo saluari, perfricta fronte asseuerant, non plus tribuentes Baptismo, quam vel Iudæi Purificationibus suis, vel lotionibus suis Turcæ adscribunt. Qua quidem in re multis modis sibi ipsis contradicunt, dum modo affirmant, *naturam nostram totam corruptam esse, ortam ex infecta progenie Adam:* & mox tamen asserunt, infantes inde ab vtero matris sanctificatos esse, & consequenter Baptismum non esse ad salutem necessarium. Beza docet, *inesse infantibus fidelium semen & germen fidei antequam baptizenter, quippe sanctificatis à Domino ab vtero matru.* Estque illi Baptismus nota, qua Christianorum infantes à Turcarum prole discernantur, quemadmodum toga, & penula Romanos à Græcis distinguebat. Ab hoc initio profectæ sunt hæreses Balthazaris Pacimontani, Memnonis Frisij, Budnæi discipuli Serueti, aliarumque pestium Poloniæ, Transsyluaniæ, Frisiæ. Quorsum Baptismus? scribit in 3. Cap. Matthæi Bucerus, quum & sine eo infantes prædestinati saluentur, & qui prædestinati non sunt, ad infernum etiam Baptizati descendant. *Latro ille*, inquiunt, *nonne fuit ciuis Cœli, sine Baptismo?* Discant autem ex Magistris scholæ Christianæ, tria esse genera Baptismi, primum in aqua, secundum in sanguine per Martyrium, & tertium in lachrymis per pœnitentiam, adeo vt in caussa necessitatis, vbi non est copia Baptismi aquæ, martyrium, aut vera pœnitentia, coniuncta cum ardenti desiderio Baptismi, sufficiant ad salutem: at vbi nec necessitas est, nec martyrium, nec pœnitentia, nec ardens aquæ desiderium, peccati originalis non datur remissio. Itaque hoc fuit à Caluino sancitum, necessarium esse, vt infans in concione baptizetur. Vnde efficitur per easdem Leges Genevensium, quibus tenentur per Galliam Caluinistæ, vt parentibus oblaturis infantes suos Baptismo, quem sine concione recipere non possunt, exspectandum sit, dum vacet Dominis Ministris: qua quidem ratione, si vel à meridie, vel noctu in lucem edatur infans, nec possit in diem sequentem vsque vitam producere, vt in concione baptizetur, carendum est illi Baptismo. Quam legem magis etiam adstrinxit Musculus Bernensis Superintendens, vetans, ne quis Ministrorum baptizaret, nisi solo die Dominico. Vnde quum Minister quidam Samuel Huberus infantem iam iam moriturum rogatu parentum noctu baptizasset, Musculus rem detulit ad Senatum, quod non esset dies Dominicus. Huberus constituto sibi die, accusatus hæresios & rebellionis, purgat sese, allegans, fuisse puerulum constitutum in periculo mortis, nec mortis corporis solum, sed animæ etiam. Replicatur, Baptismi priuatione non priuari hominem visione Dei. Huberus autem pleno Senatu testatur, hæreticam esse hanc Musculi Propositionem, affirmantis posse saluari infantes nondum baptizatos. Super ea lite adeunt Bezam iam senem (fuit enim hoc Anno M D XC V.) vnà cum Ministris Basilienſibus & Tigurinis. Re discepta-ta, damnatur factum Huberi, ipse à ministerio removetur. Auctor est Resciusin Atheismis Sacramenti Pœnitentiæ.

II. Sed vt in Galliam nostram reuertamur, quamuis Ministri quidam paulò religiosoris legem istam de non nisi in cõcione baptizando voluerint infringere, ad euitandum incommodum, ne misera & innocens creatura è vita excedat priuata hoc Sacramẽto: nostro tamẽ tempore decretũ

est

eſt in Synodo Figeacenſi, vt Caierus teſtatur, non eſſe baptizandum niſi in ordinarijs cœtibus. Quod ſi mori infantes contingeret, conſolandos eſſe parentes hoc argumento, quod non conſiſtat ſalus in Sacramentis, ſed in fide, & in virtute promiſſionis Dei vniuerſalis. Quod quid eſt aliud, quam Manichæorum & Pelagianorum errorem, & hæreſin ab Auguſtino tantopere & tanta cum conſtantia impugnatam ſequi? Is enim *Catholicum eſſe negat, credere, infantes originalis peccati veniam conſequi poſſe, etiam non baptiſatos.* Et alibi, *Non dubitandum eſſe ait, quin infantes, accepto baptiſmo, ob peccatum originale non puniantur.* At Caluini doctrina negat ea de cauſſa feſtinandum eſſe parentibus, ſed exſpectandum dicit, dum habeatur concio: quum ſint ſine Baptiſmo ſanctificati. Quin etiam quum aliquando deſcendenti de cathedra oblatus eſſet infans baptizandus cauſſatus ſe iam defatigatum eſſe, rem remiſit in diem poſterum ſed antequam is illuceſceret, iam exſtinctus erat infantulus, quem admodum recitat Heshuſius libro de Euchariſtia. *Non eſt*, inquit, *Caluinus periculum in mora.* At ſanctus ille Hipponenſis Epiſcopus affirmat eum, qui eiuſmodi doctrinam prædicet, damnare Apoſtolicam traditionem, & Eccleſiam, apud quam receptum eſt conſuetudine vt propere curratur ad offerendos Baptiſmo infantes. Vtri credendum eſt? Videte S. Ambroſium, S. Chryſoſtomum, & reliquos Patres omnes: nam prolixior forem, ſi vbique locorum, ad illorum doctrinam reſpiciens, auctoritatibus onerarem præſentem tractatum. Pictauienſes Miniſtri poſt Synodum Caſtelleraldenſem, Anno M D XCIX. celebratam, ad matrum, infantes ſuos amittentium euitandas querelas, permittunt, vt in priuatis ædibus, ſi velint, baptizent Miniſtri. Alibi quomodo viuatur, me latet.

III. Illum tamen Caluiniſtarum errorem ſilentio præterire non poſſum, quando negant Laicos ne quidem in cauſſa neceſſitatis, poſſe baptizare: cuius rei hæc affertur à Caluino in Epiſtolis ſuis ratio, quod magis expediat puerum nondum recepto Baptiſmo exſtingui, quam hoc modo baptizari, idque contra omnem cuiuſuis temporis Eccleſiæ determinationem. Videatur Tertullianus Tractatu de Baptiſmo. D. Auguſtinus contra Donatiſtas, Nicephorus, alij. Valde trepidatum eſt ſuper hoc negocio à Caluiniſtis in Colloquio Poſſiacenſi, quod memorabile fecerunt mala, quibus originem præbuit. Erat à Miniſtris Metenſibus ſcripto hæc propoſita quæſtio, *Vtrum infans ab obſtetrice, neceſſitate premente baptizatus, denuo baptizari debeat à Miniſtris, rogatu parentum.* Beza omnium nomine reſpondit, hunc Baptiſmum ab obſtetrice adhibitum, plurium ſuffragijs nullum iudicari, cui ſententiæ & ipſe deinde calculum ſuum adiecit. *Attamen*, inquit, *quoniam contraria opinio ne ipſa quidem deſtituta eſt ratione, præſtat Eccleſiarum Geneuenſis ac Tigurina deciſionibus hanc controuerſiam terminari.* Et poterat tamen certe vidiſſe id, quod Zuinglius ſcripſerat libro de vera ac falſa Religione. Hæ litteræ interceptæ non parum iuuerunt cauſſam Catholicorum, qui merito inſultabant pſeudoapoſtolis iſtis, qui nouum Euangelium in Galliam attulerant, quum eſſent ipſi adhuc in initio Chriſtianiſmi, oſtenderentque manifeſte, in deciſione præcipuorum Religionis capitum, quale hoc eſt, de quo agimus, non ſe ad Scripturam, nedum ad hanc ſolam recurrere, quāuis eam claram & omnibus expoſitam fingant, ſaltem in neceſſarijs, ſed ad ſolam Miniſtrorum ſuorum opinionem & phantaſiam, & Caluini inprimis, quem vt Apoſtolum venerantur, auctoritatem: qui ad VVeſtphalum ſcribens, deteſtatur Baptiſmum Laicorum affirmans *ſatius eſſe, vt infans moriatur ſine Baptiſmo, quam vt feminis detur poteſtas adminiſtrandi Baptiſmum neceſſitate vrgente.* Sed perpetuo eos ambulare in lata illa via erroris, Anno M D LXXIX. Amſtelrodami, teſtatum fecit Deus miraculo. Mulier Catholica, quæ Caluiniſtæ nupſerat, filium quem enixa erat, quum ſciret à marito oblatum iri Miniſtro, clam baptizandum dedit perſonæ Laicæ. Quo facto, infans ad concionem portatur. Quem baptizaturus eodem die coram populo Miniſter, deficiente voce, verbum non potuit proloqui. Attonitus pater, puerū impoſuit brachio, percunctatuſque vxorem, illa quod res erat, confitente, quum cognouiſſet baptizatum eſſe ritu Eccleſiæ Catholicæ, ad eam ipſe vnà cum reliqua familia per hoc factum conuerſus eſt: quæ quidem ſola miraculis claret. Beza quum colloquium inſtituiſſet cum Smidelino Brentij diſcipulo (a), quæ fuiſſe ex illo dicitur. *Quid facturus eſſet, ſi Ethnicus in agone conſtitutus Baptiſmum poſtularet, nec præſto eſſet Miniſter: Suaderem*, inquit, *Smidelinus, vt in fide ſua acquieſcens, non expeteret baptizari. At ſi nollet?* Beza inquit. Cui Smidelinus. *Iuberem*, inquit, *faceſſere ad omnes diabolos & mori.*

a *Colloq. Mompel.*

mori. Et Beza, *Profecto*, inquit, *Domine Doctor, miser futurus esses huius miseri consolator.* Nec tamen id circo meliorem sententiam illi aperuit, ne sibi ipse forte contradiceret.

III. Quod ad Ceremonias attinet, aut formulas potius, quas in Baptismo obseruant, eæ vbique diuersæ sunt: nam apud quosdam, qui testes adhibentur Baptismi, vlnis tenent infantem, apud alios cum cunis humi deponitur, velut Neraci, Cleriaci, Castelgelusij, & alibi. Hoc modo imbecilles istæ creaturæ *Diabolo*, vt Scriptura loquitur, *oppignoratæ*, Ministro offeruntur, qui habito Sermone quodam, & admonitione verius quam precatione, nulla præterea addita Ceremonia, paullum aquæ faciei illarum aspergit, simulque hæc verba pronunciat, *Baptizo te*, &c. Quin Zuinglius *negabat adstrictos nos esse debere ad aliquam formam verborum: hoc enim nihil aliud fore, quam vocibus vim aliquam virtutemque, Magorum instar, adscribere.* In Anglia Signum Crucis fronti infantis imprimitur, non minus ac in Germania. Angli enim nonnihil adhuc retinuerunt ex prima antiquitate Christiana, quale est in fronte Infantis signum Crucis, cuius meminit S. Dionysius Areopagita, S. Augustinus & S. Basilius. In Gallia nonnunquam accidit, vt magno numero infantium ad concionem allato, non defuerint, qui nõ recepta aqua domum referrentur. Et Beza in Epistolis suis obiectum sibi a Schlusselburgio scribit, posse sine aqua Baptismum administrari.

V. *Vbi est, Caluinista, antiquorum Christianorum Exorcismus super Infante, ad eijciendum Diabolum? vbi Cruces fronti impressæ, vbi Chrisma & oleum, quo ceu nouus Athleta vngebatur, adscriptus ordinibus Iesu Christi, ad oppugnandum potestates mundi? S. Augustinus, Vnctos nos esse dicit, vt tanto fortius contra diabolum luctemur, & quidem vnctionem illam oleo Catechumenorum in humeris, Chrismate vero in capite fieri.* De quo loquuntur S. Dionysius, Tertullianus, & omnes post ipsos. *Vbi impositio manuum Sacerdotis, ad obstruendam viam Diabolo, & in tuto collocandum Baptizatum? Vbi renunciatur Satanæ? Vbi consecratio aquæ Baptismalis, quam S. Basilius Apostolicam traditionem vocat? Sal ori impositum? Et Candela manui? Cuius mentionem facit Epiphanius, & D. Augustinus in Psalmum 65. ad significandum transitum à tenebris mortis ad vitæ lucem. Amiculum album, quo Infans induitur?* Quæ omnia inueniuntur apud S. Dionysium discipulum D. Pauli: qui ait, *Infantis baptizandi fronti ter Crucis signum imprimi, deinde vnctionem applicari.* Et S. Augustinus inquit, *Infantes afflari atque exorcisari, vt ab eis Sathanæ potestas expellatur.* Idem scribit D. Chrysostomus Homilia de Adamo & Eua. *Et aquam consecrari affirmant* S. Basilius, & S. Ambrosius, & ante hos S. Dionysius, & S. Cyprianus.

Omnes isti veteres tanquam Apostolicam traditionem hoc nobis reliquerunt. at Caluinus ait, quamuis fateatur antiquissimas esse hasce Ceremonias, *easdem tamen esse stultam superstitionem & Simicam imitationem Diaboli.* Sic loquebatur Iulianus Apostata, Gregorio Nazianzeno teste, deridens Christianos aquam Baptismi consecrantes benedicentesque, quomodo hodie Catholicos derident Caluinistæ. *Quum videret*, inquit Caluinus, (*b*) *Satan, stulta mundi crudelitate absque negocio fere inter Euangelij exordia receptas esse suas impostiuras, ad crastiora ludibria prorupit, ad addendum, videlicet, salem & sputum.* Itaque in initio statim Ecclesiam suam Deus Diabolo regendam permisit, si Caluino credimus, immemor illius, quod alio loco dixerat, eam primis quinque Sæculis à maculis & impuritate immunem perstitisse. Equidem Salis ori infantis impositi significatio est, per Baptismum nos esse sufficienter munitos aduersus corruptionem naturalem, quemadmodum sal omnes res à putrefactione incolumes præstat, cuius rei meminerunt Origenes & D. Augustinus. *Saliua autem extremum digitum Sacerdos madefacit, eoque infantis labia, nasum & aures contingit, vtens voce, Epheta, qua significat, Aperitor, qua vsus est Seruator, quum surdum & cæcum sanaret, vtrumque saliua sua contingens.* Vide S. Ambrosium libro primo de Sacramentis. Omnes hæ Ceremoniæ introductæ sunt ad imitationem eorum, quæ fecit ipse Seruator. Meminisse debebant, quum, D. Paulo teste (*c*), per hominis peccatum creatura sit vanitati subiecta, quemadmodum vaticinatus fuerat olim ante diluuium Enochus, Diabolos omnia elementa, occulta sua operatione corrupta & infecta in ministerium suum traxisse: eoque opus esse vt benedictione creatura mundetur ac sanctificetur, quemadmodum loquitur D. Paulus (*d*). Itaque iuxta antiquorum Doctorum testimonia, inprimis Tertulliani

b *Cal. l. 4. c. 15. Inst.* c *Rom. 8.* d *De Idol. & cultu fœmi.*

tulliani & S. Cypriani, *aquam Baptismi & reliquorum Sacramentorum materialem benedicimus, sanctificamus, consecramus, ad abigendam potestatem inimici, per aduentum Columbæ* SPIRITVS SANCTI, *qui imploratus*, expansis alis protegit defenditque aquas ab incursione contraria, & præterea per Ministerium Angeli, quem Tertullianus arbitrum appellat Baptismi, qui non minus sacro huic fonti, ac olim piscinæ Bethsaidæ assistit.

VI. Susceptores nulla lege, pro arbitrio eligunt, adeo inordinatum ordinem habent, & ipsos parentes adhibent, vt olim Iudæi ipsi filiolos suos circumcidendos offerebant. Opinantur enim, hanc esse simplicem recepti Baptismi testificationem, nec præterea quidquam ea in re vel fuisse vel esse efficaciæ, neque per infantis præsentationem, neque per affinitatem spiritualem, quæ ibi contrahitur, cuius meminit Concilium Nicenum, & Origenes, explicans locum illum D. Paulli, IASON ET LVCIVS COGNATI MEI. Reperitur vetus hæc Ecclesiæ Ceremonia extra Ecclesiam, per traditionem Apostolicam, quam hac in parte sequi Caluino visum fuit. Notauit eam S. Dionysius, & Tertullianus vnà cum Augustino eiusdem mentionem facit. Caterus refert, per summam negligentiam non nunquam contigisse, vt masculi pro femellis baptizarentur, permutatis etiam per errorem nominibus. Cuius rei ipse se profitetur ocularem testem, quippe multis simul oblatis infantibus, adeo illos nec regulam vllam in actionibus suis proposita habere, nec quid agant attendere. Affirmatque sibi notos esse, quorum animis iste baptizandi modus scrupulum iniecisset, vt qui parum digne institutus ipsis videretur. Nec circa nominum impositionem maior est illorum consensus: quibusdam indifferentem eam censentibus, alijs vero nefas existimantibus eorum imponere nomina, qui habentur pro Idololatris: Qualia sunt, Arnoldi, Georgij, Francisci, Ludouici, Claudij, Catharinæ. Vnde fit, vt ipse Minister nomen imponat, si susceptoris non placeat. Et fere Iudæorum nomina frequentius adhibentur quam Christianorum. *Magnas*, inquit Cayerus, *controuersias mouent super nominibus sanctorum sanctarumque, quorum vsum omnem respuunt, & ex Biblijs ferotissima quaque velut industria seligunt, nequidquam, vt ipsi loquuntur, commune habeant cum Papatu*: Capellus tamen Minister Sedanensis, quum Ludouici nomen, repudiatum à Ministro tanquam Papisticum, filio suo imponi cuperet, distulit Baptismum, quoad nomen, quod ipsi placeret, daretur, prout Minister Launæus, postea factus Catholicus, in declaratione sua scribit. Iam quibus contrarietatibus in hac Baptismi materia Ecclesiæ hostes ipsi se se implicuerint, quæso, Lector Catholice, mecum considera. Aiunt ipsi, *baptismum nec extra Ecclesiam Dei, nec per eos, qui non sunt ad id munus legitime vocati, vel posse vel debere administrari, propterea quod secundum intentionem Ecclesiæ quidquam facere nemo possit, nisi qui sit de Ecclesia, nec Ecclesiæ intentionem exsequi sine legitima commissione.* Iam si Baptismus in Ecclesia Romana administratus, verus Baptismus est, quemadmodum ipsi fatentur, quid aliud consequitur, nisi vt Ecclesia Romana sit vera Ecclesia, & huius Pastores legitimam vocationem habeant? Quod si, eam veram esse Ecclesiam, negauerint, non carent absurditate, qui Baptismum eius pro legitimo habeant, quem ipsi docent extra Ecclesiam Dei administrari non posse, eo ipso confitentes, Catholicam, Apostolicam & Romanam, veram esse Ecclesiam, & quod hinc efficitur, suam Ecclesiam erroris esse Synagogam. Sed de hoc quidem satis. Nunc Cœnam eorum videamus.

DE COENA CALVINISTARVM, eiusque multiplice abusu.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

I. *Idololatræ & Hæretici figuram aliquam Cœnæ Dominicæ seruant.*
II. *Ad sacra nec altaribus nec vllo alio ornatu vtuntur.*
III. *De altaribus Catholicæ Ecclesiæ.*
IV. *Quibus ritibus Cœnam administrent.*
V. *Mos & ritus primitiuæ Ecclesiæ.*
VI. *Ingens abusus Caluinistarum in porrigendo Calice.*
VII. *Caluinista ad Cœnam suam pane fermentato & vulgari, Catholici in Eucharistia, exemplo Saluatoris, azymo vtuntur.*

VIII. Cal-

VIII. *Caluinistarum in hoc Actu irreligiositas, & Catholicorum in eodem deuotio.*

IX. *Cœna Caluinistarum Peripatetica, & de nouorum Euangelicorum diuersitate.*

X. *De benedictione qua in Eucharistia adhibetur.*

I. QVemadmodum diuini huius Mysterij similem vel Mimicam quandam imitationem vetus ille cercopithecus, diabolus, inter ipsos Idololatras introduxit, sicut non sine admiratione Lectoris recenset Iesuita Acosta, qui cum Indiæ populis diu est conuersatus: ita idem fecit inter hæreticos, cuiuscunque sint sectæ, qui insignis illius actionis Saluatoris nostri, qua Corporis sui manducationem instituit, commemorationem celebrant noua forma, nouo modo, perinde vt tota illorum fides est Noua. Quanquam nouam forte eam non sine iniuria dixeris, vt quæ antiquis hæresibus sit superinstructa. Sed eam videamus duntaxat, quæ Caluinistarum est in Gallia. *Horum mos est, quater celebrare Cœnam in anno, quamuis Caluinus dixerit, nunquam debere congregari Ecclesiam sine precibus & communicatione Cœnæ:* & Beza, secundus eorum Pontifex scripserit, *hoc fine institutam esse Cœnam Domini, vt continue ea reficiamur. Qua igitur causa est,* ait ad illum Schlusselburgius Lutheranus, *miserrime Cyclops cum Ecclesia tua, cur contra Dei præceptum, quater in anno celebrandam eam instituas?* In Ecclesia Lutherana quotidie habetur Communio, in Ecclesia Catholica singulis diebus & singulis horis matutinis, per omnem terram habitabilem, qua cognitum est Iesu Christi nomen. At isti non nisi quater in anno Cœnam suam celebrare possunt, idque non raro sine aliquo præcedente ieiunio, sine mortificatione, & à mundanis negocijs cessatione: quin &, vt supra monui, ientaculo sumto nonnunquam ad eam accedunt. Sed iam de modo, quo eam sumunt, videamus.

II. Initio ad concionem pro more accedunt, locus ornatu instructus est ordinario, nec quidquam præter naturalem simplicitatem habet. Sciendum erat Ministris Saluatorem nostrum, quũ Cœnam institueret, voluisse vt stratus esset locus, id est tapetibus exornatus, quemadmodum apud Lucã vox Græca ἐστρωμένον ostendit, quam ipsorũ interpretes loco, *tapetibus instructum*, vulgata *stratũ* reddiderunt. Hoc est illud cœnaculum instructum paratumque, quod *primam Christianorum Ecclesiam* vocat Proclus. Immo ipse Dominus, vt Rabbinorum nonnulli affirmant, veste sacra, quam ipsi appellant Taleth, indutus fuit. Finita concione, Minister de cathedra descendit, & ante mensam mappa instratam consistit. Et hic omnis est ornatus quem adhibent: hæc eorum altaria. *Mensam habent vbi comedant, & non Altaria vbi consecrent,* dicebat de eorum similibus D. Augustinus. Philadelphenses hortatur *S.* Ignatius, *vt Altaria habeant,* quæ *venerabilia, diuina & sancta* S. Dionysius appellat. *Hoc altare tremendum & admiratione dignum,* inquit. D. Chrysostomus, *ob sacrificium quod illi imponitur; petra est, sed petra sancta, propterea quod recipit Corpus Domini.* Et Optatus, *Altaria sedes appellat Iesu Christi.* Vsus horum Altarium non erat tantum, vt Sectarij affirmant, deuotiones Christianorum & oblationes recipere, sed etiam sacrificia Deo offerre, vt videre est apud S. Dionysium, S. Cyprianum. Sacerdotes sanctæ Ecclesiæ, ait D. Clemens, *Hostiam incruentam super altaribus Domini offerunt. Quum velaris retrahi* (agnosce consuetudinem, quam hodie nos obseruamus in locis, vbi altaria sunt velo circumdata) *tunc superne* (inquit D. Chrysostomus) *cœlum aperiri cogita, & angelos descendere. Indigni sunt oculi peccatoris qui videant hæc mysteria, & aures quæ audiant.*

III. Quum adhuc esset Ecclesia huc illuc errans, portatilia erant Altaria, impositum habentia lapidem consecratum: sed postquam victoriæ eam fixam & immobilem constituerunt, è lapidibus exstructa fuere Altaria. Itaq; illis in locis, vbi tuto sedẽ figere potuerunt prisci Christiani, Altaria fundauerũt, quæ in hunc vsq; diem in veteribus templis nostris exstãt. Et Christiani, qui Indias frequẽtarunt, quas olim D. Thomæ prædicatio peragrauit, Altaria Christiana cum reliquijs quibusdam Imaginis Virginis in speluncis inuenerunt. Annon videtis S. Martialem ad Burdegalẽses nostros scripsisse, *se Aram Deo Israelis & Martyri ipsius S. Stephano dedicasse?* Ea ara in ciuitate Lemouicum, vbi Apostolus iste Aquitaniæ quiescit, conspicitur, ædificata à Principe Stephano, quem ad Christianismũ ipse conuerterat; ante eam noctes dies q; ardent septem candelæ, iuxta antiquã istã fundationẽ in Parlamento nostro & disceptatã & confirmatam. Itaque primorum illorum Christianorum prima cura erat, Altaria Deo ædificare, quæ nuperi isti Christiani destruxerunt: aut si quando ingruerent persequutiones, ligneas aras habebant, quas honore & veneratione afficiebant. Probationem huius rei

apud ipsos vestros Auctores Centuriatores Magdeburgenses, quærite, istic videbitis, ipsos veritatis, quæ in omni antiquitate repetitur, vi inviolabili, quam abolere non potuerunt, adactos, Altarium structuram consecrationemque ad illa ipsa sæcula referre, quibus Discipulorum Apostolorum poterat adhuc vox exaudiri. Quod si hi Lutherani Historiographi suspecti sunt vobis, Ministrum Burgonium Calvinianum adite, in historia Ecclesiastica edita Anno MDLXIII. *Primogenitus ille Ecclesiæ Constantinus Magnus, etiam nondum penitus sub iugũ missõ paganismo Ecclesias habuit, & portatiles quidem quoties iter faceret, aut castra alicubi metaretur. Melius adhuc Talebotus, celebris ille Angliæ Dux militũ Franciæ olim & Vasconiæ terror, qui nunquam in aliquo loco, vbi diutius commoraturus esset, statiua habuit quin sacellum è lapidibus exstruendum continuo curaret, vt in ipsis castris sacrum fieret.* Et illius quidem adhuc hodieque ruinæ conspiciuntur, quod in campo illo ædificauit, vbi vnà cum vita victoriam amisit, nimirum nobili illo prœlio ad Castillonum, quo recuperata est Aquitania & in perpetuum Franciæ vnita. Nunc ad Reformatos nostros reuertamur.

IV. Huic mensæ, cuius forte in popina aut alio loco profano vsus fuit, eritque postea ad res quaslibet, patina imposita est plena pane vulgari, frustulatim in eum modum concisso, quo ad comedendum ouo aptari solet; vel etiam mantili inuolutus est is panis: ab altero latere lagenæ adsunt vnà cum vitris. *In cuius rei locum omnis semper antiquitas vsa est, vt nos hodieque facimus, Calicibus*, vt videre est apud Tertullianum, S. Augustinum, & Optatum Meleuitanum, qui impij sacrilegij quendam arguit, quod calices Sanguinis Iesu Christi confregisset & conflasset. Ministro assistunt Diaconi, homines fere aulici, aut ciues, si qui sunt in Ecclesia, aut opifices, dum sint membra Consistorij. Atque his ita, vt dixi, præparatis, Minister, sine vlla præuia manuum lotione, quam tamen, vt ex antiquis auctoribus constat, adhibere fuerant soliti primitiuæ Ecclesiæ Presbyteri, qui mos adhuc viget in Ecclesia Catholica, frustum panis istius pro se sumit, idque frangens his verbis plerumque ex doctrina Caluini vtitur: *Panis quem frangimus, Communio est Corporis Christi.* Quo facto, ei, qui ex Consistorio primus adstat, tantundem porrigit inquiens: *Recordare, quod Christus mortem pro te & passionem subijt.* Alij inquiunt, *Hoc est Corpus, quod pro te passum est.* Alij nihil dicunt penitus, contenti oculos, dum panem porrigunt, cœlum versus sustulisse, vt omnia procedant ex fide, verbis autem & vocibus nullus locus detur. Quasi dixisset Iesus Christus, *Credite Corpus meum, & comedetis illud; non vero, Accipite & comedite corpus, quod tradetur pro vobis* Quo loco notate mihi pulchram nouitiæ huius Ecclesiæ politiam. In veteri Ecclesia Presbyter, signo Crucis facto, his verbis ad omnes & singulos vtebatur: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.* nec vnquam verba mutabat; Contra Minister ad ostendendam Spiritus sui abundantiam, diuersam verborum formulam in distribuendo pane non raro vsurpat: vnde fit, vt fratres communicantes in locum suum reuersi, interrogent alij alios, quemadmodum est à pluribus obseruatum, Tibi quidnam dixit? Rursus Catholici dicunt, *Domine non Sum Dignus, &c.* quæ precatio ad imitationẽ Centurionis illius in Ecclesia primitiua vsitata fuit, Origene eius in hac actione mentionem faciente. At Calviniſta ne verbum quidem loquens, accepto pane & vino suo, quotam suam abiens mandit. Ij, quibus panem Minister porrigit, manum honoris gratia osculantur: aut si honoratior sit, qui panem accepturus est, ipse Minister panem osculatur, aut saltem ori propius admonet, eo ritu, quo in ciuilitatibus mundanis dantes aliquid alteri vti solemus. At in Ecclesia Dei qui maximus est, parem locum cum ceteris obtinet. Ipse Papa è manibus pauperis alicuius Cappucini Communionem accipiens, reuerentia ab ipso non afficitur, sed ingenua procumbens, Presbyterum se maiorem tunc agnoscit: quum contra in Noua Ecclesia hominibus honorem exhibeant, nõ Deo. Diaconus vicissim Ministro potum præbet, & post eum ipse bibit. Deinde ei, qui proximus se offert, tantundem Minister porrigit: & is porro locum facit sequenti, atque ita deinceps ordine quodam & serie alij in aliorum loca subeunt, perinde vt histriones solent Comœdiam acturi. Idem faciunt Iudæi, quum erecti & festinantes vescuntur Agno Paschali cum azymis & lactucis amaris. Profanæ & omni deuotione carentis animæ certissimum iudicium est, ô Caluiniſtæ, extrema irreverentia. *Maledictus*, inquit Ieremias, *qui opus Dei negligenter facit.* Ab Altera mensæ parte Diaconus vitrum communicantibus porrigit, inquiens iuxta Caluini doctrinam: *Poculum Benedictionis, quod benedicimus, est Communio*

nis

nio Sanguinũ Christi. Quæ verba ex Epistola ad Corinthios desumta sunt. Nonnunquam ait, *Recordare, quod Sanguis Christi pro te effusus est.* Quibusdam in locis Magistratus temporales priores accedunt, & hos sequuntur Spirituales, hoc est, ij qui sunt de Consistorio. Tanta scilicet horum est ignauia, vt instar Esaui, pro edulio lentium primogenituram suam, id est, prærogatiuam vendiderint. Stantes panem sumunt, aut potius euntes, & suam quisque portionem mandentes. Genebrardus euenisse aliquando scribit, vt anus edentula, cui crusta forte obrigerat, per negligentiam relicta (solent enim alioqui demere crustam) portionem suam, quam mandere non posset, in sinum recondere fuerit coacta, alia vero exclamans dixerit: O quam durus est iste, Caluinistarum Deus: tractabilis Catholicorum. Apud Genevenses Oblatis, vt vocant, à pistore petitis Cœnam celebrari solitam, auctor est Caierus. Residuum si quid est de hoc pane, id pauperibus datur, nec quidquam reseruatur, propterea quod in Noua hac Ecclesia Cœna celebrari nequeat nisi in eo loco vbi sit Cœtus congregatio & eo tempore, quo vniuersus populus eam sumit: Vnde efficitur, vt misero alicui Paralytico, lecto affixo, totum vitæ tempus reliquum ad mortem vsque degendum sit sine participatione Cœnæ Dominicæ, non minus quam captiuo, vt & ijs qui die, huic panis distributioni destinatum obire aliqua alia ratione impediuntur. Aliter facere, Papisticam superstitionem censent: quo nomine Lutheranos reprehendit Caluinus, & cum eo Musculus, Bullingerus, alij. Quos Chemnitius Lutheranus interrogat, *quo pacto ab omni humanitate, simulque à doctrina D. Cypriani tam alienam Religionem habeant, vt efficacissimum Corporis Christi medicamentum negent ægrotis?* Augustini aliam mentem fuisse, *qui exhortetur ægrotos, vt salutare hoc viaticum mature petant.* Et deinde ad Caluinum conuerso sermone quærit, *videatne à D. Dionysio iam olim indicatum fuisse, maximo bono per eum ægrotos frustrari qui communione eos priuet Eucharistia.* Quamquam ipse Caluinus in Epistolis suis censere se profiteatur, non esse denegandam Cœnam ægrotis, & cur ita sentiat, multis grauibusque rationibus induci se affirmet. Et nihilo tamen magis id fit. In quibus autem mœrorum angustijs necesse est versari eos quibus aliquid reliquum est conscientiæ, si nihil sit aliud quod eos soletur, præter Ministri hanc affirmationem, *quod sola fides sit currus, quo ceu Noui quidam Helia in cœlum sint rapiendi!* Parum profecto idonea cautio, quæ tam parum idoneos det fideiussores! Sed ad Ministrum, panem, vt dixi, pro concione distribuentem reuertamur. Is non raro bis eodem die Cœnam administrat: & tunc matutinum tempus famulis & ancillis tribuit, ipse non minus quam ceteri portionem suam sumens: deinde octauam horam, aut nonam, patribusfamilias & matronis impertitur. Quinetiam si duarum Ecclesiarum ministerio sit adstrictus, mane in vna Cœnam populo distribuet, deinde curata cute, ad reliquas oues suas proficiscetur, qui ipsi quoque prius bene pasti ad mensam Domini accedunt, hilariter Cœnam suam sumturi, non negligente Ministro etiam de hac participare, quũ sit ipsius, semper prius delibare, & primum omnium communicare. Quem abusum quum aliquando palpandum proponeret cuidam Patri Consistoriali, ostendens illi pietatẽ magnæ multitudinis hominum Catholicorum in Strandasiensi oppido: qui quum non potuissent Antistiti suo, optimo & religiosissimo Cardinali de Sourdis, visitanti & confirmanti populum suũ, confiteri tempore matutino, ab eoque Eucharistiam accipere, ieiuni ad Vesperas vsque perseuerabant, percepturi Corpus Creatoris sui: quumq; oculis ipsius subijcerem bonos istos homines, qui è longinquis locis illuc confluxerant, flexisque genibus tantisper in templo exspectabant. *Quorsũ,* inquit, *omnia ista? Quæ si Deus voluisset, nonne præcepisset?* Cui ego. *Ecclesia,* inquam *sua, suprema filiorum suorum Magistra & ductrici, statuendi super his rebus potestatem permisit, quemadmodum Augustinus docet, affirmans placuisse Spiritui sancto vt in honorem tanti Sacramenti Corpus Domini nostri in os hominis Christiani prius quam alius cibus intraret.*

V Sed quoniam primæuam Ecclesiæ puritatem non minus falso quam frequenter nobis opponunt: quid est cur nõ discant ex S. Clemente, hanc fuisse primitiuæ Ecclesiæ consuetudinem, vt reliquias consecrati panis collectas, cum reuerentia Corpori Iesu Christi debita conseruarent, in vsum ægrorum, peregrinorum, & eorum, qui frequentius communicare erant soliti? Concilium præcipit, *vt paratam Eucharistiam habeat Presbyter, vt si quis sit æger, confestim eam percipiat, nec moriatur absque communione.* Conseruabant autem eam, quemadmodum hodie quoque facimus, in vase, quod Græci appellabant κιβώριον, vnde nostrum Ciborium nomen sumsit, vt videre est centum in locis. Pulchra profecto & plena Religionis

antiquitas, ex Sancto Irenæo, Tertulliano, Cypriano & Divo Ambrosio petita, ad quam vobis, miserrimi Reformatores, non vero ad novitates Lacus Genevensis, recurrendum esset. Quæsivit aliquando ex me Reformatus quidam, *ubi maneret Corpus Christi si species in hierothecis istis tractu temporis corrumperentur.* Berengario idem quærenti pius quidam Pater in hunc modum respondit. *Panis inquit, divinus hominibus corruptis videtur corruptibilis: at Catholicis numquam corrumpitur cœlestis ille panis, Eucharistia ista, Manna istud. Non enim putrefit: quin hoc pane vivimus & à corruptione vindicamur, carnem immaculati istius agni immunem à passione manducantes. Vigilat Ecclesia, ne eiusmodi eveniat incommodum, ne, inquam, Hostia putrescat: potest enim sacerdos sacrificans in Altari, una vice omnes consecratas Hostias sumere, & in earum locum novas substituere. Quod si tamen tale aliquid contingeret, ut prorsus essent corruptæ species, desinit esse in ijs Christi Corpus, non secus ac anima, corpore dissoluto. Immo si bestia sacram devoraret Hostiam, esset in ea Corpus Christi, quomodo est in Athei alicuius & inimici Dei ventriculo.* Solas *species ledit bestia illa, id est, minimam Sacramenti partem, at Corpus Salvatoris neutiquam, ut quod pollui corrumpive non possit: est enim gloriosum, incorruptibile & passionis expers, nec magis dentibus arrodi potest, quam gladio, quo corpus persoditur, anima ladi. Iniuria nihilominus, qua species afficiuntur, ad Deum spectat, quoniam Corpus Jesu Christi, cum speciebus unicum constituit Mysterium, & unicum Sacramentum.* Præclara hæc Antiquitatis consuetudo, qua reponebatur Eucharistia in usum absentium & ægrotorum utque in Processionibus circumgestaretur, compluribus in locis legitur apud Tertullianum, Sanctum Cyprianum, Sanctum Basilium, Sanctum Augustinum, & apud primorum Regum Franciæ historicum Gregorium Turonensem. Hinc est quod Concilium Nicænũ Primum præcepit, ut in quaque Ecclesia sit æditus, qui loci illius in quo Eucharistia conservatur, curam gerat: nam quum persecutionis tempore non raro eveniret, ut ab Ethnicorum satellibus subito ingularentur Christiani, sacram hostiam linteo involutam unà secum domum asportabant, ut si opus esset, sumerent eam in puncto martyrij.

VI. Jam etsi ipsi fateantur, neminem posse administrare Sacramentum, nisi cui publice docendi munus incumbat: nihilominus tamen contra hanc doctrinam usus obtinet apud ipsos, ut Poculum Superintendententium aliquis, quemadmodum iam dixi, distribuat, quin ipse oculatus testis sum. Ministrum illi, qui poculum, seu vitrum manu tenebat, postquam bibisset, dixisse, da hoc fratri tuo, & eum porro proximo porrexisse, & sic deinceps ad ultimum usque, quemadmodum fit in Germania: aut quomodo Judæi Agnum suum Paschalem comedunt. Insignis profecto & crassus error! Genevenses Constitutiones statuunt, ne quis Calicem porrigat præter eos, qui sunt ad hoc constituti, sive Diaconos & Ministros. Et tamen in Catechismo ipsorum scriptum est, solos eos, qui docendi munus gerunt, posse administrare Sacramentum. Ut necesse sit illis fateri hic esse contradictionem, aut certe, se non celebrare, vel non velle celebrare Cœnam nisi sub specie solius panis. Sunt apud me scripta cuiusdam, qui Ministerio renunciavit, quãvis misera mulierecula adhuc eum retineat, quo minus plenariam Apostasiæ suæ veniam obtinere possit. Is hunc abusum à se animadversum ait. & Ministris sæpe, quum adhuc ipse Ministerio fungeretur, indicatum, eamque ipsam quæstionem vehementer disceptatam fuisse Anno M. DXXXV. in Synodo Bergeracensi, sed maiorem Ministrorum partem censuisse, non esse movendum hunc lapidem, ne occasio daretur populo cogitandi, quod in ea re erratum esset. itaque conclusum fuisse, ut in sua quisque Ecclesia id quod optimum videretur, in hac re, tamquam indifferenti, faceret. O brutalem conscientiæ libertatem, sine lege, sine norma, sine freno, sine politia, positã in arbitrio cuiusque, ut suo more & pro libitu & credat & vivat! Sane in primitiua Ecclesia, quidquid etiam dicatis, nunquam inuenietis receptum fuisse, vt præsente Presbytero Diaconus hoc munus in se susciperet.

VII. Panem adhibent vulgarem, vt & Græci, quamuis isti hanc rem adiaphoram existiment, vt ex Concilio Florentino liquet, vbi Papam Eugenium sic Græci alloquuntur: Nihil interest, inquiunt, vtrum azymus sit panis, an fermentatus, dummodo sit ex frumento confectus. At Caluinistæ communi pane haud aliam ob caussam uti videntur, quam quia in Ecclesia receptum est, ut Corpus Domini nostri, quod veteri fermento peccati nunquam infectum fuit, consecretur in pane azymo & cui fermentũ non est admixtum: fermento enim hypocrisis, malitia & arrogantia in Scriptura significatur. Et quidẽ ad imitationẽ Salvatoris id facimus, qui Sacramentum hoc primo azymorũ die instituit, hoc est, eo tempore, quo non licebat

Ju-

Iudæis ex verbi diuini præscripto, fermentatum panem domi suæ habere. Neque enim cogitandum est, Dominum hanc legem infringere, & Agnum Paschalem cum pane fermentato comedere voluisse. Neque solum communis est panis, quem Caluinistæ vsurpant sed nec mysterij illius, ad quod repræsentandum institutus est, vllam similitudinem habet. Catholicorum vero panis, ex antiqua Ecclesiæ traditione, cuius, præter Epiphanium, etiam Gregorius meminit, minutis Hostijs constat, iisque rotundis, propterea quod ea figura sit perfecta & in orb. suo totum mundum repræsentet. Præterea ad Caluinisticum panem nulla adhibentur verba Sacramentalia, sed precatio dūtaxat aut mysterij Cœnæ declaratio: at apud Catholicos, sicut loquitur D. Ambrosius, panis fit corpus Christi vi verborum Iesu Christi, dicentis *Hoc est Corpus meum, Hic est sanguis meus.* Nam quemadmodum non est satis, de Baptismi institutione concionem habere, sed adhibenda sunt verba Sacramentalia quibus Baptismus perficitur: ita nec de Cæna concionari sufficit, sed pronunciare oportet verba Eucharistiam efficientia, quibus vsus est Dominus Panem istum inquit D. Cyprianus, quem Dominus discipulis porrigebat, omnipotentia verbi carnem fieri; edi, ac non consumi; eo quod Christus etsi occisus fuerit, sit resuscitatus. Eundem edi per particulas, nihilominus integrum manere & perfectum: integrum in cœlo, & integrum in te.

VIII. Sumto in hunc modum inter eundum pane & vino ad suum quisque locum si vult, reuertitur, & argenti nonnihil in peluim conijcit, aut, vt postea est introductum in ima parte mensæ deponit, ad distribuendum pauperibus. Quod si Minister numerosam prolem habet (vt est id genus hominum in propagando generehumano plerumque felix) tunc & ipse partem ex Eleemosyna illa capit: neque enim potest melius charitas locari. In genua procumbere in hac actione nemo audet, & ne quidem deuoti animi aut religionis gestum speciemve aliquam præ se ferre. Vnde quum aliquando Dominus de la Force, ex familia Caumontiorum, pater eius qui nunc in Benearnia gubernationi præest, sumta Cœna, in angulo horrei in genua procidisset, orans, tamquam crasso admisso errore, iussus est surgere. Versabatur illi in memoria vetus illa pietas, quam in Ecclesia, paulo ante à se relicta, viderat: sed non effugit reprehensionem. Minister enim, postquam reuersum eum in locum suum, prouolutum in genua, ex seniore cognouit, alta voce inclamans, Surge, Domine; surge, inquit, scandalum præbes cœtui. Et ille miser paruit, miratus tamen, prohiberi se Deum inuocare. Num vero ô errones miserrimi, Catholicorum in percipienda sacra Eucharistia talis est pietas, qui ieiunant, perseuerant in oratione, in genua procidunt? Spernit namque Deum irreuerenter quisquis adorat. Lachrymis vultum rigant, pectus tundunt, & millo pietatis exercitijs rebellem carnem domant. Sic primi Christiani, vt Cyprianus in expositione Orationis Dominicæ affirmat, pectus percutiebant, peccata in eo latentia detestantes. Pectus enim cor & affectum significat; & quum is sit fons peccati, par est, vt ad eluationem Dei sui, honorariam hanc pœnam luat. Quod si quis apud vos id faceret is aut stultus, aut vt loquar cum Caluinistis, hypocrita haberetur. Caluinus fatetur, (a) de externis istis exercitijs, quæ in domanda carne occupantur, multa in veterum scriptis passim occurrere: Sed veniam præfatus, id, quod sentiat, dicendi, nimium eos ait minutis hisce rebus inhæsisse: Omnes, inquit, video aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere ac dure loquutos Catholici non manum extendunt, sed ore recipiunt, non panem, sed sub accidentibus panis, sanctum Corpus Creatoris, O miraculum, ô bonitatem Dei, inquit D. Chrysostomus, qui in supernis assidet cum Patre, in momento manibus hominum contrectatur & datur volentibus eum recipere! Ad solum magni & supernaturalis huius mysterij nomen diaboli fremunt, Angeli tremunt, sapientes intellectus, & vox destituit eloquentes. Os illud aureum, decus Græciæ, ipsos Angelos in ipso momento consecrationis Altari assistere & ad adorandum Deum facies suas inclinare, multis admirandis visionibus confirmat. Solus Caluinista elato capite sine reuerentia incedit, nec corpus prosternit, nec se humiliat, nulla cernitur in ipso corporis inclinatio, nulla submissio coram Domino suo, in cuius tamen fidem & obsequium non solum anima deuouere se debet, sed etiam corpus, lingua, os, oculi, manus, genua, & omnia denique membra vnanimiter consensum suum testari in agnoscendo Creatore, Redemptore & Seruatore suo, tanquam eo, qui mirabiliter in ipsis operatur omnia illa dona & benedictiones, quibus in hoc mundo perfruuntur, & in altero, & quidem perfectius multo, per-

(a) *lib. 3. Inst. cap. 4. sect. 38.* frui

frui desiderant. In ingenti ista & vasta mole totius huius Vniuersi, nulla pars est, nec maxima nec minima, quæ Maiestatem diuinam non aliqua ratione adoret, quæ bonitatis illius testimonium aliquod illustre nõ reddat, & quæ laudibus eius Hymnum aliquem suo quodam modo non decantet. Omnia excelsæ huius manus opera eam agnoscũt nec quisquam fuit tam infidelis Paganus qui non per ea potuisset ad opificis cognitionem adduci. Hæc sunt diplomata, hi veteres tituli, hæc documenta, quæ nulla fraus, nulla vis, nulla tyrannis abolere aut infirmare valet: quæ nos conuincunt, quantum illi debeamus. hæc clamant, omnia ab ipso esse, quæ possidemus, ipsius bonorum nos esse vsufructuarios, ipsius manere proprietatem quamuis vtilitas ad tempus nostra videatur. Et tamen tu solus ô prauæ fidei Caluinista (nec enim alio te possum appellare nomine) quoniam verbis Christi tui fidem adhibere non vis, immotus permanebis, nec vllo signo Deum tuum adorabis, in illo præsertim actu Religionis tuæ maxime solenni, vbi saltem Fide illum recipis. Sed erro, forte. Nam cui honorem exhibeat in sacris suis Caluinista? Num Deo? at is præsens non adest: Cœlo affixus est, ibi sumitur, illuc scalis fidei ascendunt. Nihil est apud illos sanctum, omnia profana: Panis, panis est, prætereaque nihil. Ille certe panis non est, quem D. Cyprianus non effigie, sed natura mutatum, & omnipotentia Dei factum carnem dicit. Et nihilo tamen minus in Orthodoxo suo (quamquam diris caussa) protestantur, Ecclesiam suam semper docuisse, quod oporteat Sacramenta, hoc est, Corpus & Sanguinis Christi sacra symbola, reuereri, honorare & adorare, non tamen eiusmodi honore, reuerentia & adoratione, quæ soli Deo debeantur, sed tali cultu, qualis conuenit rebus religiosis & sacris, & qualis Regibus, Principibus & Magistratibus exhiberi solet. Hoc igitur quum dicat Orthodoxus vester, quid est, cur nostras salutationes, reuerentias & corporis prostrationes, idololatriam appelletis? Cur inquit Beza? Ex Augustino apparet, sui temporis fideles adorauisse Christũ in mysteriis Cœnæ, at nos satius esse censemus ab huiusmodi externa adoratione abstinere.

IX. Hoc habent commune omnes, quæ vnquam exstiterunt, sectæ, vt sint inter se diuisæ, & frequenter inuicem discrepent, quemadmodum de Nouatianis scribit D. Ambrosius, & de Pelagianis S. Augustinus. Idem videre est in nostri temporis Lutheranis & Caluinistis. Illi, Catholicos imitari, flexis genibus Sacramentum recipiunt, immo etiam confitentur Sacerdotibus suis & Ministris: Realem quoque Corporis præsentiam non minus agnoscunt Pastores, ait in visitatione Saxonica Lutherus, docent populum, quantum sit peccatũ, sanctissimum hoc Sacramentum, quo sacrum Christi Corpus sacerdos distribuit, non honorare. Cum omni honore adorandum est venerabile hoc Mysterium. Idem discipuli eius scripserunt, Westphalus, Heshusius, Chemnitius, qui Caluinistas, tamquam Arrianos & Nestorianos, detestantur, & Cœnam eorum Deambulatoriam per ludibrium appellant. Nam erecto corpore, & velut deambulantes ad eam accedunt, ideoque Paripateticam libenter eam nuncupauerim. Verum animuero quum non modo animarum, sed corporum quoque creator sit Deus, idcirco obstricti sumus, vt Patrum nonnemo loquutus est, humiliare & spiritus & corpora, quotiescumque ad imploran dum auxilium, aut ad participanda mysteria eiuscoram ipso comparemus: Nam vt ad Deum ascendamus, descensu opus est; & vt tangamus Cœlum, terram pulsare oportet. Et certe vt attollaris ad Deum, primus gradus est, teipsum humiliare. Et quamuis in ijs actionibus, quæ sunt in domo Dei peragendæ, præcipuæ partes sint animæ, est tamen etiam corporis compositio in ijsdem non parum necessaria. Nam huius externa reuerentia excitat illius internam. Nimium certe coram Deo sese humiliasse nemo gloriari potest, præsertim in magno hoc mysteriorum mysterio, vbi id agitur, vt vnum cum ipso fiamus. Et ea est alioquin naturæ nostræ infirmitas, vt hac in re semper aliquis in nobis inueniatur defectus, dum nos cupimus acceptos efficere illi, qui veræ humilitatis viam nobis præivit, quum omnis nostra etiam maxime submissa humiliatio, nonnihil tamen habeat adhuc mundanæ gloriolæ. Quadere elegantissimam similitudinem nobis reliquit Episcopus Arelatensis (b) qui virit ante annos mille. *Quemadmodum*, inquit, *si quis de frontis alicuius limpidissimi, in medio herbarum florumque scaturientis, crystallina aqua cupit bibere, eum oportet inclinare sese, & ad hauriendam aquam demittere ita qui ad te venit, ô viue & clarissime fons gratia, Seruator meus, nisi incuruet se & cum humilitate submittat, impossibile est vt vel labia sua madefaciat.* Merito igitur deridentur à Lutheranis Caluinistæ: neque enim par est hoc modo coram Deo comparere.

b *Cæsarius homilia 30.*

rere. Quin potius adeunt scholam S. Dionysij, Augustini, Chrysostomi, Ambrosij, aliorumque sapientissimorum Ecclesiæ Christianæ antesignanorum? Sed Caluinistæ vicissim illos appellant Luthero-Papistas, habentque risui Belgicos, Hollandicos & Scoticos Caluinistas, qui discumbentes, velut pransuri, Cœnam sumunt: vnde etiam comessatoriam eam appellant. Et hi quidem docent, oportere ad exemplum Domini eodem modo, quo ipse, *sedere*. Verum ad conformandum sese ad hoc exemplar per omnia, *oportet & numerum ternumdenum obseruare*: quum ipsi promiscue tot discumbant, quot mensa capit; quin & oporteret eos ad imitationem Saluatoris, *super lectis accumbere & cubitis inniti*: nam ad hunc modum ipse cum Apostolis suis in solenni hoc conuiuio discubuit, extat que eius consuetudinis mentio in Scriptura tam veteris quam Noui Testamenti, eademque in sacris Tabulis optimi Patris Richeomi eleganter depicta conspicitur. Schlusselburgius Lutheranus, *de Belgarum Cœna* loquens, horrore affici se dicit, quoties videat eos, non secus ac ebriosos & rusticos in caupona sedentes, tantum bibere. Ministrum, in medio considentem, sumto poculo, primum bibere bonum haustrum, & plus quam in Ecclesia deceat, deinde porrigentem vitrum, dicere, *Accipite, & bibite, recordantes sanguinem Christi pro vobis effusum esse*. Eundem distribuentem panem, his verbis vti, *Accipite & comedite, recordamini & credite Corpus Christi crucifixum esse pro vobis*. Sed ad Gallos nostros redeamus. Hi postquam sumpserunt suam portionem panis, & poculum suum biberunt, locum faciunt ceteris. *Apud Anglos* autem ij, qui communicaturi sunt, non ad mensam accedunt, sed in ordinem redacti, suo quisque loco se continent, flexis genibus, ad quos deinde Parochus siue Episcopus, veste sua sacra, post habitam admonitionem, indutus, panem circumfert. Eum duo Diaconi sequuntur, patenam, in qua est panis, gestantes, & præterea duo famuli, vna manu cantharum vino repletum, altera vitrum quisque tenentes. Et hoc modo instructi, ordine alius post alium Cœnam Domini administrant. *Scoti*, horum vicini, mensæ assident, vt Belgæ & Bataui. In medio Rex, si adest sedet, cui vtrimque assident Aulæ suæ proceres. Minister, non vt in Anglia, sacra veste indutus est. Qua de re specialius aliquid attingam in tractatu de Schismate Anglicano, Scotiæ, aliarumque regionum vicinarum. Et hi sunt hæreticorum hac in re varij ritus, quum contra omnes Catholici flexis genibus Sacramentum sumant. Quorum vniformitas quasi Lydius quidam lapis est, infallibile testimonium perhibens veritati & assistentiæ diuinæ, & eo ipso, adorandum esse hoc sacramentum, ostendens. Corpus enim, vt inquit Athanasius, propterea adorari debet, quia per vnionem personalem factum est Corpus Filij Dei increati, Corpus annunciatum per Angelos, formatum à Spiritu sancto, vestimimentum factum Theanthrophi. Accede, inquit vetus ille Hierosolymitanus Patriarcha, inclinatus & prostratus, venerabundus & adorabundus.

X. Et hæc quidem est Cœna Caluinistica, ab ipsis pro libitu procusa ad nullum antiquitatis exemplar composita ad nullius quæ sub Cœlo sit, Christianæ Ecclesiæ similitudinem conformata, à nullo Concilio approbata, nulla tanto mysteria digna sanctitate conspicua, nulla sanctitatis nota insignis, nec quidquam habens, quod sapiat Religionem, quod ve animi deuotionem vel tantillum excitet, omni denique sanctificatione & benedictione, tamquam re, vt ipsi loquuntur, ludrica, destituta. Et hæc causa est, ob quam in Biblijs Genevæ excusis, infidi isti interpretes, ad tollendam benedictionem Eucharistiæ, Græcam vocem, εὐλογήσας, ita reddiderunt, vt pro benedictione gratiarum actionem substituerint, quemadmodũ etiã Apostolus τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας nominat, ipsi ex Calice benedictionis, Calicem gratiarum actionis no bis fabricauerunt. Lutherani autem conscientiæ plus habuerunt, vt qui hac ipsa benedictione Sacramentarios flagellent. Dominus noster, supremus ille Sacerdos, vtrumque fecit, & benedicens panem & Calicem, & gratias agens: quæ duæ actiones vtut sint in hoc mysterio inseparabiles, ac ambæ Sacramentales, differunt tamen inter sese. Neque enim ordinaria fuit hæc gratiarum actio, sed solennis & inuocatiua omnipotentiæ Dei, ad implendum hoc miraculum, & benedictio ad procreandam nouam qualitatem vim & perfectionem in re benedicta, pane, videlicet, & vino. In hæc enim elementa benedictio dirigebatur, vt D. Pauli verba ostendunt. *Calix benedictionis*, inquit, *cui benedicimus nonne Communio Sanguinis Christi est?* Quomodo omnes Patres hunc locum acceperunt, eoque vsi sunt id quod rident soli Caluinistæ, nec quam sit ipsorum actio ridicula, videre possunt. Fui aliquando in ciuitate Aginensi, quum Nobilis quidam sumto pane ad co-

messandum, eoque in duas partes secto, dimidiam daret virgini cuidam, inquiens, Celebremus vnà Cœnam. Eu reuerentiam, quam in max me solenni Religionis suæ actu adhibent: nunc reliquias Ceremonias, & quidem proxime matrimonia illorũ videamus.

DE CONFUSIONE MATRIMONIORUM apud Caluinistas.

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

I. *De matrimoniis Caluinistarum, & eorum confusione.*
II. *Idem ob commissum adulterium alteri nubendi suis faciunt potestatem.*
III. *Quibus ex caussis maritis uxores repudiare liceat.*
IV. *Quibus ex causis uxori etiam vivente marito alii liceat nubere.*
V. *Complusula eiusmodi repudiorum historia.*
VI. *Vera historia quæ Genevæ contigit.*

I. ETiamsi in Sacramentariorum numero non habeat Calvinistica hæresis Matrimonium, rideatque eo nomine Tertullianum & S. Augustinum, qui vna cum reliquis veteribus Christianis, hoc nomine frequenter illud insigniunt: nobis tamen de eo dicendum est aliquid. In Francia desponsati in concione se sistunt: ibi eos Minister, nulla intercedente ceremonia, precatione aut benedictione, matrimonio copulat. Mos diu obtinuit, vt matrimonium non nisi in exordio concionis, & ante preces, celebraretur: ne scilicet, Sacramentale aliquid illi inesse, per errorem existimaretur. Sed quum id non nisi in conspectu populi fieri posset, ex quo fiebat, vt multi interea ligarentur magicis artibus, crescente vnà cum hæresi hoc genere incantationis (id quod vnum est ex signis Antichristi Regnum præcedentibus) introductum est pluribus in locis, vt ad finem vsque concionis hic actus suspenderetur, & dimisso demum populo celebraretur. Graduum consanguinitatis, nisi inter fratrem sororemque, rationem non habent: nam qui sunt his remotiores, sine discrimine iunguntur, vt fratrum sororumque inter se liberi, & avunculi cum neptibus. Caterus *vidisse se* ait *Synodos dissidentes inter se incestuosis nuptiis, quas approbauerint, decretoque suo earum celebrationem promouerint, alias rursus condemnauerint. Quin & alio crasso admodum errore idem laborare eos scribit, dum, videlicet, ijs in locis, vbi libertas illis indulgetur, vni marito duas vxores copulent, & vnam vxorem duobus viris nuptum dent, dicitque ad id obtinendum nihil aliud requiri præter hanc vnam rationes, aut allegationem veritas, quod nimirum prior coniunx Religionem sequi, & Genevam aut aliò vnà migrare detrectet, si, videlicet, vel vir vel mulier istius Religionis professionem susceperit: nam inter maritum & vxorem hac in re nullum discrimen ab ipsis statui, sed pari iure vtrumque censeri.* Hæc Caterus. Maribus anno vicesimo, & filiabus decimo octauo licet absque parentum consensu nuptias contrahere. Et si intra sex hebdomadas à celebratis sponsalibus non ineant coniugium, cogi ad hoc à Consistorio possunt, iuxta Genevenses constitutiones.

II. Fornicationis caussa ita dissoluitur apud ipsos coniugium, vt vtrique parti liceat ad secundas nuptias transire, contra expressum Dei verbum, & veteres Ecclesiæ constitutiones, quamplurimis iustissimis rationibus subnixas, quum mulier, quamuis adultera, nihilominus deuincta maneat viro. Diserte enim scriptum est, *quod quicumque duxerit dimissam, committat adulterium*: vnde sequitur, matrimonium adhuc durare. Et præterea hæc vox, dimissa, separationem lecti significat, non vinculi coniugalis: Nam *quod Deus coniunxit, homo separare non potest.* Itaque si mulier adulterij virum conuicerit, potest, iuxta Leges Genevenses, diuortium petere, & alteri nubere, & vir item aliam vxorem ducere. Tanti est ipsis matrimonium, *habeturque pro contractu ciuili, à quo liceat iterum discedere.* Et interim clamat ex superiore loco vxoratus Minister, nos illos esse quos Apostolus voluerit indigitare quum Nicolaitas Hæreticos, & alios matrimonium detestantes, notat. Verum non damnant Ecclesia matrimonum, tanquam rem illicitam, sed cum Apostolo Paulo docet, *virginitatem castitatemque magis esse honorabilem.* Notanda est præterea etiam hac in re illorum confusio. Monachorum ad Ecclesiam Catholicã, illorum Religione relicta, redeuntium coniugia, dissolui posse existimant auctoritate Magistratus, contra expressum Dei verbum. Nam si matrimonium illud est, non potest nisi morte dissolui. Itaq; hoc ipso tacite confitentur, matrimoum id non esse,

esse, vt Caierus obseruauit. Vnde dimissa Monialis, si quis sit qui eam ducat potest secundas nuptias amplecti.

III. Si mulier nupta vterum ferat ex alio quam cui nupta est, potest is ea relicta aliam ducere. Anno M D LXXXI. in Synodo Neracensi, quidam indignatus ob ignominiam Ministerio illatam, Corrasium Ministrum Castelmoranensem cogere voluit, vt vxorem suã, quæ præmaturo partu, quinto videlicet mense post nuptias filiam edidisset, quam ipsa ex Notario quodã Cleriacensi, iam mortuo conceptam fuisse in facie Ecclesiæ cõfessa fuerat, dimitteret: qui quum nollet ea vti seueritate, conscientia prohibitus, dixit, *peccatum hoc ante admissum fuisse, quam sibi vxor vllatenus deuincta esset, seque culpam omnem, si qua in ipsa resideret, condonare.* Sed non ita multo post patuit fraus: falso enim Notario isti mortuo impacta fuerat culpa, quæ reuera erat ipsius Ministri, vt qui cum puella illa clam stupri consuetudinem antea habuisset.

IV. Inter Constitutiones Caluini etiam hic articulus inuenitur, diuortijs ianuam aperiẽs, & matrimonium in lupanar transformans. *Si maritus*, inquiunt, *nequam, ab vxore discedat, annum integrum mulier exspectet: eo exacto, si comperiatur opus esse, vt denuò nubat, licebit ei, prævijs proclamationibus, id facere. Quod si, occupato iam loco, vir eius reuersus fuerit, multabitur, prout videbitur æquitati cõsentaneum.* Sed formam inquisitionis, qua de calore aut frigore istius fœminæ relictæ cognoscitur, operæ precium est videre. *Iussam comparere coram Consistorio, Minister, habita prius admonitione, ecquid de viro suo inaudiuerit, interrogat: qua iureiurando affirmante, se annũ iam totum, vbi sit, ignorare, vtrum donum continentiæ habeat, Minister quærit. Si respondeat, carnem infirmam esse, id dictum sapientibus illis sat est, nec mora, in potestatem alterius viri veniendi libertatem habet: Præstat nubere quam vri.* Annon dissolutus aliquis homo commodissimam iam rationem habet, suppeditatam per leges Geneuensium, è vinculis coniugij sese expediendi, vagæ libidini indulgendi, & de lecto in lectum transiliendi? Nonne hoc est viam sternere mulieri libidinosæ, qua sub prætextu procurati huius diuortij, ad secunda vota transeat, aut etiam in leonum disciplinam se dedat? Iam vni feminæ duo aut tres erunt viri, & vni viro duæ aut tres vxores, omnes superstites: vt Geneuæ factum est, vbi intra sex menses tertiam vxorem quidã duxit, quũ duas priores, Caluino inter alios iudice, vt Lindanus affirmat, adulterij conuicissent.

V. Dici vix potest, quam infames commixtiones ex hisce Geneuensium legibus exstiterint. Notæ sunt historiæ & exempla plurimorum vtriusque sexus hominum, & illustrium quoq; personarum, quæ relictis coniugibus suis Geneuam, tanquam in asylum se receperunt, & sub Libertate cõscientiæ, carnis libertatem amplexæ sunt. Nam simul ac eiusmodi mulier muros vrbis Geneuensis attigit, illico libera est. Maritum oportet vel illius Religionem amplecti, vel alibi vxorem quærere. Sebastianus Flaschius Mansfeldiensis Minister, in libro de conuersione sua narrat, *Collegam quendam suum vehementer apud se institisse, vt permutationem inuicem facerent vxorum. Pudet me*, inquit, *alias enormes actiones literis diuulgare.* Vna hæc historia sufficiet.

Quum Sabaudiæ Duci Pedemontana Regio restitueretur, Nobilem quendam ex Occitania dominum de Clarie ex eo bello, libido incessit visendæ Geneuæ. Itaque assumtis socijs Nobili quodam Santonico, & alio quodam Aquitanico, Lauallo Domino, adhuc viuente, quos eadem curiositas mouebat, Geneuam contendit. Quo vbi ventum est, Caluinum audiunt concionantem, quamuis essent omnes Catholici. Ibi Dominus de Claire ad gregem feminarum oculos circumferens, vxorem suam inter illas conspicit. Attonitus, cum oculis & animo deliberat, num forte deliraret aut visus ipsum falleret. Sed quo magis aspicit, eo certius vxorem, & cum ea etiam filiam suam, agnoscit. Impatiens moræ, finem tamen concionis exspectat tum surgente concione, ad vxorem accedit. Quæ virum suum aduenientem conspicata, protinus exclamat, & ad Caluinum exeuntem accurrens, *Domine*, inquit, *serua me.* Ille subsistens, & Nobilem istum videns, iam manu tenentem filiam, quid negotij sit interrogat: & illa, *vir*, inquit, *est meus qui me abductũ venit.* Iuua me, obsecro. Caluinus vidẽs turbam circumsistere vt exitum videret fabulæ, domi se cogniturum hac de re pronunciat: illo interim prohibito, cũ vxore sua, nisi venia impetrata, colloqui. Vocatus eo ipso die ad Caluinum, & postridie ad Consistorium, vxorem & filiam repetit. At illi vrgent, vt exemplum eius imitetur, Euãgelium amplectatur: Omnia relinquenda esse præ amore Christi. Itaque quum nihil obtinere posset, metuens peiora de Consilio aliorum clam se subduxit, vxore & filia in potestate Caluini relictis. Plura id genus exempla, mihi probe cognita,

non recenseo. Nam si priuatorum hominum actiones persequi & omnium istorum abusuum catalogum contexere vellem, tempus me prius quam materia deficeret. His igitur omissis, de cantionibus præcipuo Religionis illorum exercitio, nonnihil dicemus.

DE PSALMORUM CANTU, QUO Caluinistæ multos initio seduxerunt.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

I. *Psalmi Dauidici apud omnes populos, qui aliquam Dei habent cognitionem, in pretio habentur.*
II. *Psalmorum decantatio à Pontificibus certis quibusdam regulis constituta.*
III. *Etiam Turbæ Psalmos decantant.*
IV. *Vt & omnes hæretici, exceptis Anabaptistis.*
V. *Populus Psalmorum cantillatione ab hæreticis inescatus.*
VI. *Primorum Lutheranorum & Caluinistarum consuetudo.*
VII. *Mos decantandi Psalmos in Catholica Ecclesia.*
VIII. *Psalmi à nouis Euangelicis profanati.*

I. OMnes populi ac nationes, quæ vllis ceremonijs aut religionis forma Deum coluerunt, sacris illis cantibus ac Psalmis à Spiritu S. regio Propheræ Dauidi dictatis semper vsæ sunt. Hos Iudæi increduli adhuc decantant, eodem modo quo antea in templo Salomonis. In Christiana Ecclesia preces, eæ præsertim quæ Clericis in vsu, Psalmorum verbis concipiuntur. Horas illas Canonicas ab initio Ecclesiæ ab ipsis Apostolis vsurpatas vti est in Actibus in ordinem exactiorem Damasius restituit per S. Hieronymum & S. Ambrosium, vt notat in Chronologia sua Genebrardus. Hoc cantu Latina lingua concepto, Catholicæ Ecclesiæ templa, concinna & suaui harmonia semper personuerunt. Quin etiam ceteris hominibus somno sepultis, bis centena per Christianum orbem circiter Religiosorum millia, noctis silentium rumpunt, diuinos hos Psalmos decantando. Eosdem Christiani omnes tam ad publicas quam priuatas preces adhibent. Græci, Armenij, Maronitæ, Syri, Iacobitæ, Moscouitę & alij populi à Græca dependentes Ecclesia, Græca lingua eosdem decantant, non autem vulgari: ut & Meridionales Christiani, Æthiopes, & Abyssini, magno illi Negus, quem nos Presbyterum Joannem appellamus, subjecti.

II. Hoc idem Plinius secundus in epistolis suis ad Troianum de Christianis perhibet: eos nimirum Deo suo, quem Christum vocent, ante lucem *laudes decantare* Sanctus Chrysostomus, *Nihil inter Christianos frequentius audiri dicit quam Dauidis Psalmos. In omnibus Ecclesiæ precibus, Dauidem principium dare, medium & finem.* Unde facile erroris convinci possunt qui ritus huius Psalmos decantandi Cœlestinum Papam auctorem faciunt, qui anno CCCC. Sedem tenuit. Gregorius quidem Papa statuit, *ut Clerici soli Psalmos in diuinis officijs decantarent, ad evitandã confusionẽ, quæ sæpe accidit, populo unà cum sacerdotibus canente.* Hic Pontifex ille fuit cognomento vere Magnus, etiam Lutheri & Calvini confessione, quem Deus sciuit ad diuina reformanda officia, & pulchrum illum ordinem quem adhuc in Ecclesia videmus, constituendum, qui antea ob continuas Gothorum, Visigothorum, Wandalorum & aliorum hæreticorum, qui venenum suum in Christianam Rempublicam effuderant, invasiones ac turbas totus erat confusus.

III. Musulmanni etiam sive Turcæ, quorum religio multa habet à Christianis & Judæis accepta, in cœtibus suis Psalmos hos Sergij apostatæ, Mahumetis collegæ opera traductos, Arabica lingua decantant: ut & Persæ, Æthiopes, & Arabes. Fatetur enim pseudo propheta ille & impostor maximus XII. Azore Elfurcani sui, Psalterium Dauidi cœlitus missum esse, Vocant vero Orationem Meridionalem, cuius usum quotidianum Mahumetes omnibus bonis Musulmannis mandarit. Alij Septemtrionales populi qui sub magni Chami imperio viuunt, eosdem Psalmos in magna habent veneratione. Ut paucis complectar, in omnibus terræ partibus diuinæ laudes Dauidis barbito decantantur. Quemadmodum vero omnes medicamentis sacaratis utuntur, non tamen omnes eorum effectus sentiunt: sic multi quidem Dauidicorum Psalmorum dulcedinem degustarunt, nec tamen eorũdem verum intellectum, & quæ inde proficiscitur salutem perceperunt.

IV. Ad hæreticos quod attinet, nemo umquam tam male tiosus ac perversus fuit qui diuina hæc Cantica reijcere ausus fuerit, præter solas Anabaptistas, qui

qui tamen magnæ sanctitatis opinionem affectant. In horum enim cœtibus nihil audias nisi vocem Prædicantis sive Exhortantis. Primi Lutherani, post prostitutã misere vulgo Sacram Scripturam, eidem Psalmos decantandos exhibuerunt; sed Deus bone, quantis erroribus ac depravationibus refertos! Ex his quidam Matthesius nomine eo dementiæ vel impietatis porius progressus est, ut dixerit non Davidem sed Æsopum eorum esse auctorem, sumto argumento ex nomine Asaph, Psalmis quibusdam præscripto. A Saxonibus hoc velut exercitium religionis ac partem aliquam cultus divini Galli mutuati sunt, adeo ut omnis eorum devotio hic inclusa sit, nec ulli apud eos cœtus obcantur, aue preces publicæ aut privatæ concipiantur, nisi mollis & effæminatus Psalmorum, ut plurimum non intellectorum cantus adhibeatur. Et hoc illud est, quod dici vix potest, quam multas simplices animas inescarint, ut quod solum in omni ipsorum cultu, devotionis alicuius videtur habere speciem, quum tam aerem quam aures auditorum divino nomine repleat.

V. Fatendum sane est, novas istas religiones ex nulla alia re non initium modo, sed & tanta incrementa sumsisse, quam ex suavi hoc Psalmorum cãtu. Hæc catena illa fuit, qua Lutherus & Calvinus, ut olim Amphion ille Thebanus, saxa ad novam suam condendam Babylonem attraxerunt. Hac tamquam fistula ijdem deceptas animas retibus suis involverunt. Ubi enim quis sonum alicuius Psalmi audierat, & verba vel parum intellexerat, statim iam in cœlum raptus sibi videbatur, ibique cum Deo quasi colloqui. Hoc cantu miles excubans & tædiũ noctis fallebat & frigus media hyeme depellebat; hoc opifex in officina, hoc rusticus aratrum sequens, labores suos solabantur: hoc integræ copiæ in acie stantes, selecto ad id cõvenientis argumenti Psalmo, ad pugnam fortiter capessandam sese mutuo excitabant atque exhortabantur. Mundus, fatuus ille sapiens, ex specie externa omnia iudicans, hanc Dei colendi formam initio valde statim probabat, anguem in herba latentem non animadvertens. His enim velut magicis carminibus incantati miro novitatis studio incendebantur, ac velut torrente quodam in abyssum hæreseos abripiebãtur. Hac eadem fraude veteres olim hæretici usi sunt. Samosatenus enim suo modo Psalmos in vulgarem linguã vertit. Eosdem Arrius qua vellet forma traductos, sectatoribus suis ad conciones euntibus, per plateas decantandas exhibuit: ut Psalmorum cantus, teste S. Hieronymo, tum nihil aliud fuerit quam porcorum velut grunnitus, & asinorum rugitus. Idem pessimus hæresiarcha Arrius Confessionis seu Fidei articulos rhythmis & modulis comprehensos, populo ediscendos ac decantandos proposuit, ut hæreseos suæ venenum tanto altius in eorum animos demitteret, ut notat S. Athanasius. Quin etiam libtum, quo religionis suæ mysteria versibus comprehenderat, Thaleiam inscripsit, id est, Convivialẽ, Sotadis ridiculi apud Ægyptios Poetæ imitatione: unde etiã à S. Athanasio Sotadicus appellatur, qui cibo unoque distentus blasphemias suas per cantica ista evomebat. Eodem modo duo Apollinares, utque hæreticus, usitatas Ecclesiæ preces, ut Sozomenus scribit (a) in cantus redegerunt, quos comessatores inter pocula, opifices in officinis, feminæ ad colum decantabant.

VI. Primi Lutherani ac Calvinistæ sub epularum finem Bibliae ac Psalterium tamquam mensas secundas seu bellaria inferre solebant. Tum una omnes canere, pueri, senes, Virgines, iuvenes, feminæ inprimis illam suam exilem ac gratam vocem ita explicare, ut iuvenum animos tamquam telo aliquo sancirent. De quorum plerisque illud dici poterat, quod Lacon ille de luscinia dixit. *Nil nisi vox es.* Nonminus iucundum erat spectaculum, videre decem aut duodecim naves vectoribus utriusque sexus plenas, qui cantantes ac psallentes ad conciones suas comeabant, & ripam sonitu replebant, non tam ut à Deo quam ab hominibus audirentur, atque ita devotionis aliquam speciem præberent.

VI. Abusum hunc, quo tamen mulræ animæ quotidie ab hæreticis capiebantur animadvertens vir magnæ doctrinæ atque auctoritatis, auctor fuit ut Psalmos, summi Pontificis permissu ab erroribus doctorum virorum opera repurgatos, & in novam formam ac melodiam redactis populo ante & post concionem decantandi potestas fieret. Sed consilium hoc à prudentioribus reiectum fuit ac damnarum, dicentibus hoc modo non tantum Sacram Scripturam profanatam, sed novitatibus etiam fenestram apertum iri, ac procul dubio vnitatem Ecclesiæ perturbatum iri, in qua vnius tantum linguæ sit vsus. Hunc vero hereticorum in decantandis Psalmis ardorem cito restinctum iri.

VIII. Imprudenter sane atque adeo impie à novis illis Euangelistis factum est, qui diuinos hos

a *Lib. 6. cap. 32.*

cātus tā turpiter profanatūr, ex ecclesijs in priuatorum ædes, ex ædibus in fabrorum officinas, pistrinum atque ergastulum traductos. Neque enim par est, vt magni illius Prophetæ ac regis, quem SS. Trinitatis præconem ex antiquis Patribus quidam appellant, enthusiasmi, vt ita dicam, & cœlestes contemplationes, in profanis passim locis adeoq; ipsis lauatrinis prostituantur. Quis enim non indignetur, à veteramentario calceos suente diuinū illud *Miserere*, &c. aut à fabro ferrum versante illud, *De profundis*, &c. sine vlla animi attentione aut deuotione mugiri magis quam cantari audiens? Quid quod nonnulli ijsdem turpissime ad amores, vel iocos ac ludibria abusi sunt, & adhuc abutūtur? vt vidua illa, quæ Principi alicui placere cupiens, & quasi complexus suos offerens, Psalmum cxxxi. *Domine non est exaltatum cor meum*, &c. cantillabat. Audi hac de re non quidem Theologi, doctissimi tamen hominis iudicium. *Nō sine ratione est*, inquit, *quod Catholica Ecclesia promiscuum temerarium & indiscretum sanctorum illorum & diuinorum Canticorum ab ipso S. Spiritu Dauidi dictatorum vsum prohibuit. Neque enim Deus miscendus est nostris actionibus, nisi cū plena honoris & respectus attentione ac reuerentia. Vox hæc nimis diuina est quam vt aures nostras solum demulceat. Ex corde, non ex lingua producenda est: nec permittere oportet vt puer in officina hoc velut ludo in medio friuolarum & vanissimarum cogitationum sese oblectet. Quanto minus, ô Montane, Psittaci cantus tales docendi sunt, qui in Gallia Psalmum aliquem Maroticum (a) meditantes sæpe auditi sunt.* Lepida cumprimis est historia quæ de Carnutum Vicedomino, Caluinianæ factionis homine, circumfertur. Is quum Neraci, quo cum Nauarræ Rege venerat, forte cum Ministro quodam de Psalmorum cantu disceptaret, sibique eum velut primitiuæ Ecclesiæ incognitum, non magnopere placere ostenderet, quum alternatiuæ Clericorum responsiones demonstrent, populum silentium potius quam linguam & vocem cantui accommodasse, Ministere contra hanc Dei laudandi ac precandi formam, & receptam in sua Ecclesia consuetudinem laudaret ille, *Profecto*, inquit, *si vera sunt quæ dicis, Domine Minister, lepide facturus sim, si ego Vestræ Maiestati supplicaturus vt aliquot scutatorum millibus inopiam meam subleuet, ad genua vestra accidam, & preces meas cantillans offeram; simul Psalmum accommodatis ad rem præsentem verbis auspicatus, omnibus circumstantibus ridendi materiam præbuit, excepto Ministro, qui iratus inde se proripuit.* Non pauci certe Caluinum hoc nomine nec iniuria reprehendunt, quod in nouella sua Ecclesia cantus eiusmodi cantari, & tamquam Dei Verbum adorari permiserit. Ista enim Psalmorum versio non minus apud Caluinistas habet auctoritatis quam apud nos vulgaris ista Bibliorum: quum tamen ipsi Septuaginta Interpretes in sua Versione à Spiritu S. ducti, sæpe magis vatum quam interpretatum munere functi videantur; vti & ipse Dauid per præsentia sæpe futura demonstrat.

DE ERRORIBVS ET FALSITATIBUS à Maroto in Gallica Psalmorum versione commissis.

CAPVT XV.

Lectori S.

SIquidem ea quæ toto hoc capite, ab Auctore disputantur, mere ad Gallicam, & quidem rhythmicam illam Maroti & Bezæ versionem spectent, atq; extra eam linguam nullum vsum habeant, totum hoc caput omittere, vt tamen Auctori suus in hoc libro constet capitum numerus, titulū nihilominus hoc loco ponere visum est. Interim eius linguæ periti (his enim solis caput hoc scriptū est) si quid in vtriusque, Maroti, inquam, & Bezæ versione Auctor desideret, scire cupiat, ex ipso fonte facile petent: Ad parem diligentiam conferendi vulgatos psalmos cum sacro textu inuitantur in suis linguis aliæ nationes, vt habeant parata verba ad exprobationes Acatholicorum.

DE CLEMENTE MAROTO, QVI primus Psalmos Gallicis rhythmis illigauit, deque eius vita & morte.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

I. *Primi Lutherano-Caluinistæ in Gallia Psalmos non decantarunt.* II. *Cleᵃ à Maroto paraphraste rythmico psalmorum*

II. *Clemens Marotus præstantissimus æui sui Poeta.*
III. *In Italiam fugit: inde reuersus, ex Consilio Francisci Vatabli, Psalmos Dauidis in rhythmos redigit.*
IV. *Ob litterarum imperitiam, multos errores in regio illo opere vertendo committit.*
V. *Theologica Academia Parisiensis Facultas Psalmorum à Maroto versorum publicationem impedire conatur.*
VI. *Marotus Genevam se confert, flagris ibi ob flagitium cæsus.*

I. INfelices Lutherani, quorum supra quum Gallicani schismatis explicarem initia mentionem feci, deserta Ecclesia hinc inde errantes, ac velut medio in mari inter breuia & scopulos, Scyllam & Charybdim, amissa sacra illa anchora, cum præsentissimi naufragij metu, fluctuantes, Lutherani inquam, etsi cœtus ac conciones, quas Exhortationes vocabant, inter se celebrarent, nullo tamen initio Psalmorum cantu vtebantur. Vnus Diaconorum vel Superintendentium aliquis vnum & alterum, prout visum erat, cœtui prælegebat: donec tandem A. M D XL. aulicus quidam nescio quo æstro percitus, repente prosilijt, & manu operi admota, sanctum hunc librum profanis versibus illigauit. Quis vero ille ac qualis fuerit, operæ preciũ videtur, ad posteritatis memoriam atque vtilitatem hoc loco paucis narrare.

II. Regnante in Gallia Francisco I. quum omnium litterarum, quarum ille munificentissimus erat patronus, tum vulgaris etiam Poëtices studia, hactenus valde languida, mirifice reflorescere cœperunt. Et hæc quidem opera potissimum Clementis cuiusdam Maroti, è Cadurcorum metropoli, quam Douenam quidam vocant, oriundi, qui admirabili venæ felicitate, & singulari inuentionum Poëticarum artificio, quod Epigrammata eius testantur, sui æui Poetas omnes facile superabat. Erat hic Regi à cubiculis, summaque eius gratia, vt qui studijs illis valde delectaretur, atque ipse etiam in ijs aliquando operam suam poneret, florebat: ridiculus interim, dicax, ac pæne scurra. Is ratus Poetis ac pictoribus omnia licere; respias ac sanctas versiculis suis traducere cœpit. Quo nomine quum hæreseos suspectum se fecisset, ac ne manus sibi injicerentur metueret, in Beneamiam ad Margaritam reginam profugit.

III. Animaduertens vero ne hic quidem satis se tutum esse, Ferrariam in Italiam profectus est, à Ducissa humaniter exceptus, vt & alij quos ignis metus Gallia expulerat. Eius intercessione impetrata à rege venia, Lutetiam redijt, ac cum Francisco Vatablo Hebraicæ linguæ Professore, familiaritatem contraxit, hortante, vt relictis profanis & ridiculis argumentis, venam Poeticam sacris potius rebus impenderet, ac Dauidis Psalterium vertendum susciperet. Erat autem Vatablus Catholicæ religionis studiosissimus, nec quidquam minus cogitabat, quam hoc suum Consilium aliquando Catholicæ religioni obfuturum. Adeò considerate oportet sacra aggredi, nec eis manum admouere in consultis Ecclesiæ præsulibus, maxime Romano Pontifice Christi Vicario quem Sp. S. unctio peculiariter regit.

IV. Sic ergo Marotus Vatablo vsus interprete (erat enim meliorum literarum, vt & omnium scientiarum imperitus) illotis manibus sacra hæc mysteria tractanda suscepit, ac Dauidicum Psalterium ita lancinauit, truncauit ac mutauit, vt de regio illo vate non minus quam de Deiphobo dicã possit:

Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas:

Et vix vlla regiæ illius ac diuinæ maiestatis, quæ in Dauidico opere (quod S. Augustinus *S. Scripturæ & omnium scientiarum Compendium* appellauit) elucet, vestigia supersint: siue Vatablo non tantam quantam par erat, diligentiam adhibente, siue Maroto, numerorum angustijs incluso, nimis magnam licentiam permittente.

V. Theologica Facultas Parisiensis, cuius Nauarra & Sorbona præcipua sunt Collegia, hoc modo hæresi fenestram aperiri animaduertens, grauiter ea de re apud regem conquesta est, simulque censuram triginta Psalmorum, quos Marotus iam imprimi curauerat, exhibuit, rogans *ne Sacram Scripturam ab illitterato plane homine sic profanari, eiusque versionem sine Ecclesiæ approbatione & Superiorum permissu edi pateretur.* Quamuis autem rex tam Marotum quam versiculos eius inprimis amaret, eoque aliquamdiu tergiuersaretur, tandem tamen ne quid in hoc genere amplius aliquid à Maroto scriptum publicaretur, edixit. Sed verum est profecto quod vulgo dici solet,

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata.

Nam & tunc statim Maroti versio tantis studijs

diis expeti cœpit, vt typographi exemplaribus imprimendis vix sufficerent. Nec in Musicos tantum numeros (qui hodieque etiam vsurpantur) verum etiam quam quisque vellet modulationem redacti Psalmi illi passim cantillabantur. Adeoque in aula etiam rex, regina, alij velut proprium aliquem sibi quisque eligebat & ad profanas res, studia sua ac vota accommodabat.

VI. Marotus interim rursus à carcere sibi metuens, quod linguæ parum moderari posset, Geneuam profugit, vbi ad triginta Psalmos iam editos, adhuc vigintialios addidit. Et quamuis in sacro hoc studio multum versaretur, mores tamen mutare non poterat. *Quum ergo in praua schola educatus, Ecclesiastica censura ac disciplina vitam suam subijcere non posset*, sic loquitur Ecclesiastica Caluinistarum Historia, volens, credo, dicere, Marotum hospitem suam corrupisse) *in Pedemontium concessit, quam regionem tum Galli tenebant; atque ibi sub regiorum Prefectorum patrocinio tutus aliquam diu vixit, Augustæ Taurinorum anno etatis suæ LX. mortuus.* Beza ait. *Marotum admirabili ingenij felicitate, sine vlla litterarum aut scientiarum cognitione, omnes ante se Poetas superasse, quumque bis religionis caussa regno excessisset, de Ecclesia optime fuisse meritum (cuius beneficij memoria ad posteros semper duraturæ sit) tertia Psalmorum Dauidis parte vulgaribus rhythmis reddita. Morum vero ac vitæ, quam in aulis, vndepietas & honestas fere exulent, totam pene exegerit, reformandæ ac melius instituendæ, exiguam curam habuisse.* Silentio interim præterit Beza, bonum hunc Poeram, ob præclara illa, credo, in Ecclesiam merita, Geneuæ flagris cæsum fuisse. Eidem mortuo idem Beza Gallico carmine parentauit, quod Psalmorum versioni præfixum legitur: additisque centum reliquis (non eadem tamen felicitate & elegantia qua Marotus, etsi doctrina alijsque rebus multo instructior) Psalmis, totum opus absoluit. Quia vero dubium mihi non est, quin lector scire cupiat quisnam ille Beza fit tories à nobis in hanc hæretici Theatri scenam productus: age vitam eius ac mores sequenti capite breuiter tamquam in tabella depingam.

***

DE THEODORO BEZA MAROti imitatore, ac Psalmodia à Caluinistis introducta.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

I. *Theodori Bezæ natiuitas & eruditio.*
II. *Idem scabiei doloribus vexatus ad desperationem pene redigitur.*
III. *Beza Ecclesiasticum Prioratus munus adipiscitur.*
IV. *Ecclesiæ repudium mittit, & quare.*
V. *Geneuam se confert.*
VI. *Maroti & Bezæ Psalmi rhythmici Musicis numeris includuntur.*
VII. *Melodiæ Psalmorum Caluinisticorum lasciua.*
VIII. *Quando Psalmi in concionibus decantari cœperint.*

I. THeodorus Beza natus fuit apud Vezelios Anno M D XIX. ipso die S. Ioannis: vnde discipulorum quidam *alterum eum Ioannem fuisse* dicunt. Natiuitatem suam, & quomodo mirabiliter à Deo ex parentum Papisticorum manibus liberatus fuerit; ipse in epistola quodam ad Melioberatus fuerit; ipse in epistola quodam ad Melioberatus fuerit; ipse in epistola quodam ad Melio

II. Antequam vero Ecclesiastico Ordini adscriberetur, patrũ à præsẽtissimo vitæ periculo abfuit, quod ipse in eadem supra citata Epistola describit. *Se nimirum insciis parentibus à patruo Lutetiam abductum, vt litteris operam daret, dum puer cum puero luderet, scabiem capitis seu porriginem contraxisse. Cuius curandæ quum in tanta ciuitate nullus Medicus satis peritus esset, tantis doloribus fuisse vexatum, vt ad memoriam eorum etiam nunc cohorrescat. Abductum ergo à patruo in Chirurgi cuiusdam ædes, vnà cum alio cognato sibi puero eodem morbo laborante, in summa miseria vixisse. Inde dum vterque ad patruum in Vniuersitate habitantem per pontem molendinarium comearent, comitante famulo, sed, vt solet id genus, omnia alia potius quam pueros obseruante; cognatum suum militari ac feroci ingenio puerum consuluisse, vt quum alia ratione tantis doloribus* (ægrimonia ob pudorem in arroganti animo melius dixisset) *liberari non possent, vnà se in subiectum flumen præcipitarent. Ad Consilium hoc se, natura aliquanto timidiorem, initio coherruisse, tandem vero instantis importunitate & doloribus victum, consensisse, se, quamprimum alter desiliisset, statim sequuturum. Dum in eo iam essent, & à diabolo constricti tenerentur, Deum sui misertum esse, illo ipso momento patruo præter omnem opinionem interueniente: à quo domum reducti, deinde in patrui ædibus curati, sicque miraculose è Sathanæ faucibus fuerint liberati.* Post hæc Lutetia Aurelianum profectus Beza, ad Iurisprudentiæ studia animum applicuit: indeà malo suo genio aliò abductus.

III. Non multo post enim Prioratum non procul à Lutetia nactus, genio indulgere cœpit. Resignationem nonnulli falsitatis arguerunt, resque in magno Consilio diu agitata est. Rem verò omnem non ita pridem Fr. Carreus Subprior, vt vocant, quomodo se haberet, enarrauit. In eo statu dum esset Beza, nihil aliud quam cutem curabat, feminarum inprimis consortio delectatus. Erat enim homo bona totius corporis forma, palma ludendi peritus, ad aulicos mores compositus, in sermone elegans & facundus, par quibuscumq; negotijs; queni & concionantem non semel audiui, & Ludouici Borbonij Principis Condæi lateri adequitantem, ferroque accinctum vidi.

IV. Verum vt intelligatur quæ causa ipsum impulerit vt hæresin amplecteretur, rem paullo altius repetam. Inter Poemata Bezæ Epigramma legebatur, Phaleucijs conscriptum versibus, quo ummum desiderium suum & amorem erga Audebertum quendam Aurelianensem testabatur. Curia Parisiensis impudicum aliquid latere rata, iuuenem hunc Poetam citari iubet. Is vero innocentiæ suæ forte diffisus, clam se subducit, vendito Prioratu pro mille circiter & ducentis scutatis, ac Geneuam abit, abducta secum Claudia (id enim Candidæ versibus tantopere celebratæ verum nomen erat) sutoris cuiusdam Parisiensis vxore: quã deinde vxorem duxit. Geneuam non multo post ad eum venit Robertus Ioannis Biberij ciuis Longemeldensis, vbi Prioratum habuerat Beza, filius, patrem suum turpiter, ab ipso deceptum querens: sed præter verba ac promissiones nihil domum retulit. Quum vero Beza postea ad Possiacense Colloquium venisset, ab Ecclesijs summa aliqua pecuniæ collecta, & per Launæum, qui ad Catholicam deinde Ecclesiam redijt, tradita, illi satisfactum, & tam Bezæ quam totius Ministerij famæ hoc modo, vti videbatur, consultum fuit. Sed operæ precium est quæ Launæus ipse de collega suo scribat, audire.

Postquam Beza omnibus flagitijs sepolluit, suamque ipse infamiam versibus suis diuulgauit; etiam vicini vxorem corrupit, venditisque Ecclesiasticis, quæ habebat, beneficijs, non tam persequutionis quam pœnæ metu, vnà cum illa aufugit. Antequam vero discederet, villicos suos decepit, beneficiorum reditibus prius quam deberentur perceptis. Quæres nobis in Possiacensi Colloquio multum negocij exhibuit; siquidem vidua quædam cum liberis suis eò venerat, à Beza æs alienum per fraudem contractum repetens. Cuius rei expediendæ negocium mihi datum fuit. Vidua illa mihi tum dixit, se ac maritum plusquam mille & ducentis libris Gallicis esse defraudatos. Hæc Launæus.

Illud tamen eius factum laudari potest, quod Nicolao Bezæ patruo suo & benefactori in parochiali SS. Cosmæ & Damiani Ecclesia elegans Epitaphium tribus linguis statui curauit. In quo ipse Beza genibus insidens, cereis vndique ardentibus pictus cernitur. Latini Epitaphij initium est:

Marmore de Pario nullas hic stare columnas, &c.

quod postea in Geneuensi editione ita immutauit:

Marmoreas, Lector, nullas &c.

Tandem vero rotum interpolauit, vtque se conuersum & à S. Spiritu illuminatum probaret, *contra Liserum Præsidem Epistolam sub Passauantij nomine edidit*, quem acerbissime oderat, eo quod Burgundicæ nationi, cuius Procurator in Aurelianensi

Academia fecerat, calices & ornamenta surrepta per sententiam iussus esset restituere. De fuga Bezæ qui plura scire cupit, *Præfationem legat Iacobi Pelletarij Medici Cenomanensis, in libro de Orthographia Gallicæ linguæ*, tantopere ipsi amico, vt in Dialogis istis præcipuas partes loquendi ei tribuat.

Idem Beza quum Lausannæ Græcas litteras profiteretur, edita inter alia Abrahami Sacrificantis trægædia; nec illud suum.

Amplector quoque sic & hunc & hanc & illam,

multaq; alia impudicitiæ plena, quæ cũ graui eius oppidi Senatui nõ tã facile se interpretaturum ac primine purgaturum animaduerteret, vnà cum Candida sua sese rursus subduxit.

V. Bezam Geneuam appulsum Caluinus non humaniter modo sed & cupide excepit, iam tum hunc sibi in laboribus socium ac deinde in Pontificatu successorem fore præsagiens: suaque opera atque auctoritate effecit, vt Græcæ linguæ in Lausannensi Academia professio ipsi demandaretur, ac postea Theologiæ, quam feminis quibusdam certis diebus explicabat. Dignum scilicet patella operculum. Aclicet Ministri nonnulli, Copus, Raymundus, & Enoch, apostatæ omnes, tot flagitiorum comperto, & adhuc tam moribus quam vestibus lasciuienti homini locum dandum esse negarent; Caluinus tamen nulli cedens, perfecit, vt ad Ministerij functionem admitteretur: quem deinceps Beza in omni sermone *patrem suum* appellauit. Nomen eius interim multis passim scriptis traducebatur. Audi quid Heshusius Lutheranus de Beza senserit ac scripserit: quem ait, *non adolescentiam modo per illicitos amores, adulteria aliaque flagitia turpiter exegisse, sed illa ipsa scriptis quoque & versiculis diuulgasse, atque gloriam inde quæsisse. Incredibilem esse monstri huius impudentiam, cuius turpis atque impia vita per Cynica illa, impura & detestanda Epigrammata toti Galliæ innotuerit. Eundem tamen si loquentem quis audiat, sanctum aliquem eremitam, aut alterum Iobum immo ipso Paullo Apostolo maiorem videri. Sic illum exilium suum, labores, vitæ integritatem ac sanctitatem laudare.* Hæc de Beza Heshusius: cuius reliquam vitam silentio prætereo, vt & id quod in Vireti hortis perpetrauit: nec non quomodo post Candidæ suæ mortem, cum vidua quadam Itali iuuencula iam septuagenarius secundas nuptias contraxerit. Vnum tantum adhuc indicabo, vt quæ eius studia & mores ad sepulcrum vsque fuerint intelligatur.

Nobilis quidam Aquitanus Anno MDC. Romam reuertens, vnà cum Marocani regis Medico, ac per Geneuam iter faciens, Bezam inuisit. Erat is tunica crasso filio contexta, & adsutas vsque demissa indultus, cingulo coriaceo, cui grandis præfixa erat fibula, cinctus, barbam gestabat oblongam, canam, & male pexam, promissam cæsariem, cincinnis in humeros vsque propendentibus, petasum latum ac pinguem. Manu tenebat schedulas quasdam multa litura inductas, quibus paullo ante Phaleuceos aliquot versus inscripserat, Amatorios an alios, incertum sibi Nobilis ille aiebat. Post acceptam ac redditam salutem, Beza illos ipsos versiculos ostendens, *sic*, inquit, *ego tempus fallo.* Tum Nobilis apud se, Hem! *Itane sanctus hic vir, iampedem alterum in Charontis habens cymba senectutem suam transigit! Sicine meditationibus Theologus occupatur!* Constat certe, iam ætate decrepitum hunc patriarcham nugis istis abstinere non potuisse. Fama etiam est, de reditu ad Ecclesiam non semel eum cogitasse. Certe soror ipsius ad Episcoporum conuentum, Henrico IV. rege, Rothomagnum venit, vt nescio quid secreti de fratre aperiret. At difficile est, ipso Luthero teste, vt secta alicuius princeps ac caput opinionem mutet. Nolo hic recensere, quomodo in Colloquio Possiacensi tamquam nouus Apostolus; quomodo item in prælio ad Druydas tamquam alter Zuinglius, se gesserit: in quo tamen prœlio calcaribus magis quam gladio vsus est. *Hi scilicet campi illi sunt, in quibus*, vt ad Angliæ reginam scribit, *prima Euangelij semina iacta sunt.*

VII. Beza Maroto succenturiatus, ita in eo labore versatus est, vt Psalmi ab ipso versi ab omnibus magno plausu, etiam à Catholicis excepti sint: vt qui faciles essent & modulis insuper ad instrumentalem, quam vocant. Musicam, accommodatis. Quocirca statim ab ipso Beza præstantissimi aliquot Musici, & inter alios Goudemeli quidam nomine, prece ac precio conducti, harmonias non inconcinnas eis addiderunt, summa cum modulorum tum suauitate tum varietate à quo tamen velut aurium lenocinio Catholica Ecclesia semper abhorruit. Edocta ex canticis canticorum, vbi cum dixisset quidam, *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Statim à Casto spiritu audiuit dici. Fuge dilecte mi, Fuge: assimilare Caprea hinnuloque cerucrum, in montibus aromatum.*

VIII. Nouum hoc Psalterium tanto studio etiam

iam à Catholicis expetebatur, vt decem millia exemplarium momento distracta fuerint. Postquam vero in Caluinistarum cœtibus cani, & cum Catechismis coniungi cœperunt, eorum vsus Catholicis interdictus est: siquidem, vt Concilium Laodicenum vult, cum hæreticis nihil commune esse debet, quod ab ipsis inuentum scilicet & concinnatum est.

DE CALVINISTARVM SEpultura.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

I. *Omnium religionum homines pro animabus Deum deprecati sunt, & corpora honesta sepultura affecerunt.*
II. *Iudæorum consuetudo pro defunctis deprecandi.*
III. *Quam Pagani à Iudæis mutuati sunt.*
IV. *Caluinistæ soli hic barbari sunt.*
V. *Defunctorum corpora honeste habendæ.*
VI. *Sepultura honestas ab ipsa Natura commendatur.*
VII. *Impietas Caluinistarum quoad sepulturas.*
VIII. *Cur hæretici nunc in Ecclesijs sepeliri cupiant, primitus aspernati.*
IV. *Sepultura cura ad Episcopos pertinet.*
X. *Caluinistarum querela.*

I. OMnes religiones, veræ, falsæ, pro mortuis precandi consuetudinem semper tenuerunt. Immo ipsi quoque Ethnici, sola Naturæ luce illustrati defunctis *æternam quietem precabantur*, vt scripta eorum legenti constat: adeo vt qui extremum hoc officium præstare eis recusaret, impius haberetur. Vt ergo pie sine religione quadam defungi nemo potest, nec religio sine Deo esse potest; sic laudabilis hæc consuetudo violari non potest quin religio, nec hæc, quin Deus simul violetur.

II. Iudæos hac consuetudine vsos, non modo ex libris ipsorum ritualibus, sed ipsius S. Scripturæ quoque constat exemplis, Iosephum, vide, apud quem funus Dauidis regis, Simonis Machabæi, reginæ Helenæ, &c. descriptum exstat. Abrahamus Saram, Iacobus Rachelem, Iacobum tota familia, Mosen, Aaron septuaginta dies, Aaronē populus vniuersus integrum mensem luxit. In Exodo sacrificia pro mortuis, apud Hieremiam Prophetam exequiæ memorantur. Eiusdem consuetudinis vestigia in libris Iobi & Tobiæ exstant. Quid multis? Vnum illud ex Machabæorum libris desumtum testimonium satis nobis esse debet: quod multorum scriptis est ventilatum.

III. Hanc consuetudinem Ethnici quoque à Iudæis mutuati sunt natura dictante *pro defunctis orationem ac curam piam esse existimantes*, vt ex multis ipsorum ritibus, de quibus integri libri exstant, & infinitis Scriptorum locis patet.

IV. At soli Caluinistæ sine vllis ritibus mortuos suos terræ mandant, aut si ritus quosdam adhibeant ij profani fere sunt, & infernum magis quam cœlum sapiunt. Satis esse putant, si dicant: Deus propitius sit eius animæ. Constat quum Geneuæ de ritibus sepulturæ reformandis in Ministrorū cœtu ageretur, Bezam respondisse, Papistis occasionem gloriandi dandam non esse. Eius tamen Epitaphiū Gabriel Fabricius describit, in quo Venus, Harpyæ, Bellona & Chimæra, præcipuæ Bezæ virtutes, conspiciuntur.

V. Vile quidem corpus est, Dei tamen digito formatum, eoque honeste habendum est. An Phidiæ opus ob materiæ vilitatem cōtemnimus, Corpus vas est animæ à Deo infusæ. Templum Dei est, quod etiam si à morte destruatur, in extremo tamen iudicio multo gloriosius excitabitur.

VI. Sepultura honesta Deum ipsum habet auctorem, qui Enochum & Heliam in paradisum transportauit. Iobum Chrysostomus effuse laudat, filios domus ruina oppressos honeste sepelientem. Et honestæ sepulturæ & resurrectionis Phœnicis se ipsum comburentis & renascentis exemplum nos admonet.

VII. Impij sunt Caluinistæ, quibus perinde est quo loco sepeliamur. Non ita Abraham, non Isaac, non Iacob, non Iob, non Ioseph: qui omnes certa loca vbi sepelirentur, sibi elegerunt. Hinc Ecclesia loca eiusmodi sacra atq; inuiolata esse voluit quæ etiam exorcismis ac precationibus solenniter consecrantur.

VIII. At Caluinistæ vt nihil sibi tam viuis quam mortuis cum Catholica Ecclesia commune esset, in sacris istis locis sepeliri, ignominiosum initio putarunt: postea vero etiam vi maiorum sepulcra ad suū vsum sibi vindicarunt. Cur, quæso? scilicet,

quia Superbiæ natura est illicita expetere. At hæreticos in ecclesijs aut locis sacris sepeliri Ecclesia vetuit. Præpostera cura, corpori honestum vbi quiescat locum quærere, anima interim infernos cruciatus patiente. Sed & hoc desiderium ideo diabolus ipsis immittit, vt sicut Catholicorum animæ Purgatorij igni ab omni labe quam adhuc habent, purgantur, atque in eo ipso doloris sentiunt leuamentum: sic hæreticorum animæ tanto magis crucientur, quanto in sanctioribus locis corpora ipsorum iacent. Illud denique operam dat diabolus, vt hæreticorum sepultura sacra loca profanentur ac polluantur.

IX. Sepulcrorum curam ad Episcopos pertinere, non vero ad ciuiles magistratus, multis euidentissimis argumentis vt & exemplis demonstrari potest: id quod ex Nouella etiam XLII. apparet. Quod eo dico, vt Episcopi hocius suum eripi sibi aut loca sacra profanari non patiantur.

X. Frustra ergo à Catholicorum cæmiterijs vos arceri conquerimini, Caluinistæ. Qui Ecclesiæ leges violastis, cur non merito pænas detis. Nó conuenit vt in Ecclesiis sepeliantur pro quibus Ecclesia non orat. At vos ipsi pro mortuis orare superstitiosum esse dicitis. An vultis vt nostra corpora eijciantur, & vestra in Ecclesijs sepeliantur? Vna enim quiescere non possumus.

Sed finem iam operi impono, postquam Ecclesiæ rebelles ad sepulcra deduxi, Tu Lector, interim zelum hunc meum Ecclesiæ seruiendi non modo agnosce, sed & pro virili imitare: qui in me quidem non exstinguetur.

Dum spiritus hos regat artus.

LAUS DEO.

PARS III.

HISTORIAE DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA

Hæreseon Sæculi

POST

FLORIMVNDI RAEMVNDI

Ætatem secuti, ex ipsis Sectariorum scriptis & Actis Collecta,

APPENDIX.

LIBER NONUS

ARGUMENTUM.

IN hoc libro continuator explicat Schisma Caluinianum Ortum in Hollandia, inter Prædicantes & Doctores Reformatos quorum ex vna parte fuit Jacobus Arminius Doctor Leydensis, ex altera vero parte Franciscus Gomarus ibidem Doctor, quorum Controversia principaliter quidem erat circa Prædestinationem Dei, consequenter tamen etiam circa alios articulos, à prædestinatione illa dependentes, aut cum ea connexionem habentes, nimirum 2. de Universitate Redemptionis Christi, an nimirum omnes homines redemerit, eisque meruerit, an aliquibus solum? 3. de Gratiæ divinæ auxilijs & concursu cum Homine. 4. de Conversione vel Justificatione Hominis. 5. De Perseverantia Fidelium in Fide. De his enim prædicti Doctores & eorum adhærentes Sectarii contradictoria asseruerunt, scissi in *Remonstrantes* qui Arminium sequebantur, & *Contra-Remonstrantes* qui Gomarum secuti sunt. Quid hi senserint, & quomodo se invicem oppresserint doctrina & vi sæculari etiam, exponetur isto libro.

INDEX CAPITUM
LIBRI NONI.

CAP. I. De Duplici sententia Calviniſtarum circa prædeſtinationem & primo quidem eorum, qui Antelapſarij dicti ſunt, quod ante lapſum Adæ præviſum, Prædeſtinationem à Deo factam aſſererent.

I. *Quid ſtatuant Antelapſarij de prædeſtinatione.*

II. *Citantur Antelapſarij Authores & eorum verba, ut de eorum ſenſu non dubitetur.*

CAP. II. Proponitur ſententia eorum Calviniſtarum, qui Sublapſarij dicti ſunt, quod Dei prædeſtinationem abſolutam poſt lapſum Adæ præviſum aſſererent.

I. *Quid Sublapſarij ſtatuant de æterna Dei prædeſtinatione.*

II. *Quomodo quidã Calviniſtæ ſeſe implicent, dum volunt mediã ſectã conſtituere, irrito tamẽ conatu.*

CAP. III. Inſtructiones ipſorumẽt Calvinianorum pro antedictis duabus ſententijs intelligẽdis & refutandis.

I. *Quomodo vocem* Efficaciter *uſurpent.*

II. *Quomodo permiſſionem definiant Calviniani.*

III. *Frivola eorum diſtinctio inter Neceſſitatem Infallibilitatis & Coactionis.*

IV. *Quomodo intelligant hominẽ mutabilem conditũ eſſe.*

V. *Ineptas alias eorundem diſtinctiones eſſe, inter Electionem & Salvationem; & inter Reprobationem & Damnationem.*

VI. *Quod ſub Reproborum nomine etiam Fidelium Filios comprehendant Calviniani Contra Remonſtrantes, ſeu Gomariſtæ.*

VII. *Syllabus Authorũ qui è Calvinianis damnatam à Remonſtrantibus tenent ſententiã, & cur eam Syllabum ediderint.*

CAP. IV. De Caluinianis alijs contra prædictas ſententias pugnantibus, ſiue de Remonſtrantibus aut Arminianis.

I. *Sententia Remonſtrantium decem Theſibus expoſita.*

II. *Declaratio harum Theſium facta per ipſos Remonſtrantes A.* 1619. 14. *Ian.*

III. *Quomodo conueniant Caluiniſtæ in voce Electionis intelligenda.*

IV. *Quomodo ijdem diſcrepent inter ſe.*

V. *Explicatur finaliter ſententia Remonſtrantium quoad prædeſtinationẽ in quatuor punctis conſiſtẽs, nempe cauſis, obiecto, conditionibus, diſcrimine electionis ad gratiam & gloriam.*

VI. *Remonſtrantes occurrunt quibuſdam dubijs, vel obiectionibus, de Fide, de Chriſto.*

VII. *Ordinem decretorum diuinorum in Electione ſecundum ſuam ſententiam proponunt.*

VIII. *Alia eorundem Controuerſia.*

CAP. V. Quænam Catholici omnes in his Caluinianorum ſententijs deſiderent.

I. *In ſententia contra-Remonſtrantium.*

II. *In ſententia Remonſtrantium, ſeu Armenianorum.*

CAP. VI. *De Confeſſione Belgica, & qua circa eam euenerunt.*

I. *Origo eius & robur.*

II. *Summarie proponuntur eius dogmata.*

III. *Errores multiplices in ea admiſſi.*

IV. *Quod hos errores ipſi Caluiniani agnouerint & oppugnarint.*

V. *Dei cura & prouidentia circa Eccleſiam Catholicam quo ad hanc litem.*

CAP. VII. De Catechiſmo Reformatarum Eccleſiarum ſeu Heidelbergenſi, & quæ circa eum acciderunt.

I. *Author Catechiſmi Palatini ſeu Heidelbergenſis.*

II. *Eiuſdem Synopſis.*

III. *Eiuſdem abſurda quinque in* 1. *quæſt. & Reſponſione deprehenſa.*

IV. *Similia plura ex alijs quæſt & Reſpõſionibus excerpta*

V. *Idem à Catholico feſtiuè exploſus.*

CAP. VIII. Schiſmatis inter Caluinianos Remonſtrantes & contra Remonſtrantes orti, initium & decurſus, A. 1567. ad A. 1620.

I. *Initia Schiſmatis Caluiniani inter Remonſtrantes & contra-Remonſtrantes.*

II. *Progreſſus eiuſdem ab A.* 1605. *ad* 1609.

III. *Acta ab* A. 1609. *ad Annũ* 1618. *quo indictum eſt Conſilium Caluinianũ vel Synodus Dordrechtana pro ſopiendo ſchiſmate.*

IV. *Dordracena ſynodi Acta.*

V. *Secuta poſt ſynodum Dordracenam.*

LIBER IX.

De duplici ſententia Caluinianorum ſeu Reformatorum circa prædeſtinationem, & primo quidem eorum, qui Antelapſarij dicti ſunt, quod ante lapſum Adami præviſum, prædeſtinationem a Deo factã aſſererent.

CAP. I.

I. Quid ſtatuant Antelapſarij Caluiniani de Prædeſtinatione Dei circa Homines.

II. *Citantur Authores Antelapſarij, & eorum verba, vt de eorum ſenſu non poſſit dubitari.*

I. Vna eſt Sententia Caluinianorum quæ ſtatuit Deum Opt. Max. ab æterno antequam homines vllos creare conſtituiſſet, aut eos vt creatos velin

pec-

peccatū lapsos considerasset, voluisse cetros quosdam nominatim eligere, & vitæ æternæ destinare, vt ostenderet se libertimè gratiosum esse: Multo vero maximam hominum partem, nullo merito aut culpa eorum, æterno exitio & eluctabili miseriæ addicere, vt ostenderet se iratum, potentem justum, id est libertime seuerum esse. Hæc prima sententia est, quam vt clarius explicemus, diligenter attendendum venit, ecquis iuxta hanc sententiam tum in Electionis, tum in reprobationis Decreto ordo & concatenatio inter actus diuinos fibrinuicem succentuiatos ab ijs statuatur.

Ac initio quidem duo principalia Decreta ante omnia considerandа veniunt, quæ sententiarum harum fundamenta sunt, decretum scil. Electionis ad vitam & reprobationis ad exitium faciendæ, quod appellant Decretum de fine. quod scil. Deus constituit paucos quosdam absoluta voluntate vitæ æternæ, contra vero plurimos æterno exitio destinare atque addicere, idque ad laudem & gloriam tum misericordiæ suæ, tum seueritatis libertimæ. Deinde Decretum Electionis & Reprobationis, quæ iam facta est, exequendæ, id est, procurandi vt electi per certa quædam media ad finem illum suum, id est, vitam æternam: Reprobi id est, multo maxima humani generis pars ad æternum exitium & ineluctabilem atque ineffabilē miseriam, vtpote ad finem ipsis destinatum, perducantur, quod appellant Decretum de medijs.

II. Non diffitemur quidem esse, qui vtrumque hoc decretum confundere & in vnum compingere studeant, sed quia nullo iudicio aut ratione adducti id faciunt. magnopere curandi non sunt. Latibulum enim, & effugium potius quærunt eiusmodi Doctores, quam veritatis nudam atque apertam declarationem.

Hoc itaque fundamento straro in hunc modum decreta diuina ordinant.

Primo statuunt, Deum Opt. Max quod sapientissimum artificem decet, de fine vltimo & architectonico, in quem omnia dirigerentur & desinerent apud se cogitasse.

Finem autem hunc statuunt fuisse gloriam Dei, siue potius gloriæ diuinæ declarationem.

Quia verò hæc in declaratione proprietatum Dei excellentissimarum sita est, proprietates autem glorioſæ non nisi operibus & actibus gloriosis eluceſcere & exeri queant, necessarium fuisse dicunt, vt Deus opera illa faceret, in quibus veluti in speculo proprietatum illarum excellentia repræsentaretur & patefieret.

Inter proprietates autem diuinas quia excellentissimæ, & tantum non extremæ atq; vltimæ sunt duæ, Misericordia & Iustitia (quā alij libertatis voce simpliciter, alij dominij & iuris absoluti terminis enunciare solent) necessum fuisse statuunt, vt duo illis proprietatibus consentanea opera fierent: Saluatio sc. & perditio, siue Rejectio; idque eo etiam fine, vt ne vniuersum alioquin imperfectum foret. i. vt ne deessent in vniuerso ad perfectionem & ornatum eius miseri simul ac felices, id est, alij, qui æternis cruciatibu infernalibus plecterentur, alij qui beati essent.

II. Hinc sunt illa Theologorū taliū pronunciata,

Prædestinationem vocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de vnoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes: sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus. Calu. lib. 3. Inst. cap 21. n. 5.

Ecce cum rerum omnium dispositio in manu Dei sit, cum penes ipsum resideat salutis ac mortis arbitrium, consilio nutuque suo ita ordinat, vt inter homines ita nascantur ab vtero certa morti deuoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent. Cal. lib. 3. Inst c. 23. n. 6.

Deus fecit æternum & immutabile Decretum, quo certos aliquos homines mera gratia ad vitam æternam quosdā vero iusto iudicio ad æternā damnationē destinarit, vt in illis misericordiā, in his vero iustitiā suam declaret. Hunc finem cum Deus in Creatione hominis propositum sibi habuisset, necesse fuit eum etiam cogitare de via & ratione, quam ad illum finem peruenire potuerit, vt eius misericordia pariter & iustitia manifestaretur. Beza in Colloq. Mompel. pag 523.

Si non possumus rationem assignare cur suos misericordia dignetur, nisi quia ipsi ita placet. neque etiā in aliis reprobandis aliud habebimus, quam eius voluntatem. Calu. lib 3. Inst. ca. 22. n. 3.

Quem ipsi libuit, ex mera sua voluntate ab æterno nulla vllius ipsorū indignitate habita ratione odio & exitio destinauit. Beza de Prad. doctrina & vsu p. 147. 71.

Necessario quoque statuendū est. Ab ipso destinari odio & exitio quoscumque ipsi libuit, nullo ipsorum improbitatis, quod ad aliud decernendum attinet, habito respectu. Beza de Prad. doctrina &c pag. 71.

Quod si nos homines in quotidiana bestiarū mactatione vtimur nostro arbitrio, neq; iniusti aut dicimur aut re vera sumus. si hodie hūc bouē mactem⁹. alterū nō mactemus, quanto magis hic Deo suū relinquendū arbitrium & ab-

& abſolutum decretum in homines, qui Dei reſpectu non ſunt tanti, quanti hominibus culex aut pulex, Kecker. in Syſt. Theol. pag. 309. Colloq. Mompel. pag. 523. Beza vol. 1. fol. 190.

Miſericordia verò & iuſtitia declarari non poterant, niſi crearentur aliqui & in ſtatu tali collocarentur, in quo miſericordia opus haberent, & punitionis diuinæ obiecta fierent.

Hinc enim ſunt illa effata.

℣ Cum iuſtitia præſupponat culpam, ſine qua iuſtitia exerceri non poteſt (ubi enim non eſt culpa, ibi neq; pœna locum habet) ideo hominem ita creari oportuit, ut ſervata natura aptus eſſet, quo Deus iuſtitiam declarare poſſet: iuſtitiam enim ſuam in homine declarare non potuiſſet, niſi eum ad æternam damnationem deſtinaſſet. Piſcator contra Schaf. theſ. 22.

Cum Dominus iis cauſis adductus, quas ipſe ſolus novit, propoſuiſſet eos (reprobos) in hunc finem creare, ut in ipſis iram & potentiam ſuam oſtenderet, ſimul eas cauſas gradatim ordinavit. Feſtus Homius in notis Belg. ad Catech. fol. 216.

Falſum eſt, Deum totum genus humanum non alio quam ſalvationis fine creaſſe.

Creatio reproborum eſt fructus reprobationis. Piſcator. in Reſp. ad Apol. Bertij pag. 130.

Miſeri autem homines fieri non poterant, niſi per peccatum; quia miſeria pœnæ rationem habet, quæ culpam ſibi ſemper præcedaneam habet.

Peccare non poterant, niſi intellectu & libera voluntate, aliiſque donis ad peccatum evitandum neceſſariis inſtruerentur, certamque legem acciperent, cuius tranſgreſſio ſolum peccatum eſt.

Itaque de his omnibus totidem decreta fieri neceſſum fuit. Decretum ſc. de creando homine eundemque omnibus neceſſarijs ad peccatum non pertrandum inſtruendo, & de lege eidem ferenda, citra quam peccatum dari non poterat.

Hinc ſunt illa axiomata:

Qui vult finem, is neceſſario etiam vult media, quæ ad finem conſequendum neceſſaria ſunt. Ad patefactionem autem miſericordiæ & iuſtitiæ in peccato condonando & puniendo neceſſarium eſt peccatū. Piſcat. in Reſp. ad Apolog. Bertij p. 130.

Item. *Deus ideo homini mandatum dedit, ut illud tranſgrederetur homo, atq; ipſe hoc modo occaſionem nanciſceretur puniendi ipſum. Ibid pag. 54.*

Deus in primis duobus hominibus operatus eſt, i. creavit reliquos omnes. Sed diverſo fine, alios quidem, ut eſſent vaſa miſericordiæ, alia ut eſſent vaſa iræ. Ut autem ad utrumq; illum finem pervenire poſſet, permiſit omnes in peccatum labi; proinde etiam ad peccatum utroſq; condidit; quippe ſine quo ad fines illos pervenire non potuiſſet. Piſcat. contra Hemming de Gratia Dei pag. 76.

Item. *Si Deus operatus eſt, impium ad pœnam ſequitur quod eundem etiam operatus ſit ad peccatum: quia niſi peccatum præceſſiſſet, pœnam ei iuſte infligere non poſſet. Ibid.*

At vt ne hic fine ſuo fruſtraretur Deus, eo quòd libertate homini conceſſa; quâ fieri poterat, vt vel peccaret vel non peccaret ſi vellet, incerta erat peccati futuritio, neceſſum fuiſſe ſtatuunt, ut novum Decretum fieret, quo poſito non poſſet non peccare homo: i. decretum vel efficiens ſive potēter determinans voluntatem ad unam tantum partem arcano impulſu & motione; vel permiſſivum, quo gratia ad peccatum evitandum neceſſaria homini vel ſubtraheretur vel non continuaretur, ſed ipſe homo ſibi & ſuæ naturæ relinqueretur, ruinoſæ domus inſtar, quæ, ſi fulcra & tibicines ſuſtentandæ ei deſint, molo & pondere deinde ſuo corruat neceſſe eſt. Hoc enim pacto permittendi verbū vſurpare authores ſolent. Hoc decreto poſito peccare hominem neceſſe erat, & divinæ miſericordiæ atque iuſtitiæ objectum fieri.

Hinc ſunt illa pronunciata.

Deus malos fecit i. creavit in Adamo: bonos quidem & integros, quippe ad imaginem ipſius factos, veruntamen tales ut mali fieri poſſent, & hoc conſilio ut mali fierent. Piſcat. in Reſp. ad Apol. Bertij pag. 87.

Ad peccatum tamen, ut peccatum, quatenus ex eo gloria Dei bonitate ipſius Dei illuſtranda erat, tam electi quam reprobi fuerunt præordinati. Zanch. de Nat. Dei pag. 722. in fol.

Deus hoc conſilio condidit hominem ut reipſa laberetur; quippe cum nonniſi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos principales. Contra Schafm. Theſ. 33. pag. 29.

Falſum eſt, Deum non habere opus peccatore: opus eo habet ad patefaciendam gloriam. Ibidem pag. 81.

Impoſſibile eſt ut Deus alia via ad finem ſibi propoſitum perveniret. Piſcator in Reſp. ad Apol. Bertij pag. 44.

Quanquam in peccato Adami illud factum eſt, quod ex decreto Dei fore conſtitutum erat: tamen ipſum Decretum Dei non fuit Adamo cognitum, nempe Deum velle ut ipſe peccaret. Danæus in Iſageg. pag. 149.

Deus etiam ipſum primi hominis lapſum ordinavit & fieri decrevit, & quidem ab æterno, quemadmodum & ipſam hominis creationem ab æterno decrevit. Ibidem pag. 144.

Sed

Sed nec satis erat ut hoc decretum fieret alterũ accedere debebat, ut homo ille primus non pro se tantum peccaret, sed in illo totum genus humanum: neque id tantum, sed vt ita peccaret, vt ex eo peccatum aliud flueret; quo ipso rursum ad pœnam oligarentur æternam omnes & singuli, qui vmquam fuerunt, sunt, aut erunt homines, Iesu Christo excepto, & deinde inepti ad omne bonũ atque ad omne malum necessario procliues & propensi redderentur. Hinc enim sunt illa: *Iterum quaro, Vnde factum est, vt tot gentes vna cum liberis eorum infantibus æternæ morti inuolueret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia ita Deo visum fuit?*

Decretum quidem horribile fateor; infitiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus quem exitum habiturus esset homo antequam ipsum conderet; & ideo præsciuerit quia decreto suo sic ordinauerat.

Item: *Fatemur factum fuisse Dei cõsilio ac volũtate ut Adamus lapsus sit, & ut nos omnes in hanc conditionis miseriam, qua nunc sumus irretiti decideremus. Calv. inst. lib. 3. cap. 21. n. 7.*

Ex huiusmodi misero & in peccatum lapso homine voluit Deus proseminari tũ eos quos elegerat, tum eos quos reprobaverat. Ac de Electis quidem decretum fieri oportuit, ut ex statu illo misero eriperentur: itaq; quia iustitia divina læsa erat per peccatũ, decretũ factũ est, ut illis solis mediator & Redemptor cõcederetur, qui pro ipsis satisfaceret, & pœnas peccato debitas persolveret. 2. Per & propter quem illi soli remissionem peccatorum, vitam æternam & Spiritum sanctificationis consequerentur contra peccati tum damnationem tum dominium. 3. Qui fide vera illos virtute & efficacia interna donaret, qua peccata iã ante remissa esse sibi firmiter persuaderent. 4. Qui illos in fide illa per omne vitæ tempus ita conservaret, vt licet in medijs peccatorum, scelerum ac flagitiorũ atrocissimorum sordibus viverent contra conscientiam suam, nihilominus tamen in favore & gratia sua retineret, & vel in ipso extremæ vitæ articulo ad pœnitentiam reduceret, sibique secundum Electionis suæ Decretum ad misericordiæ suæ gloriam salvandos sisteret.

Hinc illa pronunciata:

Æternæ Electionis arbitrio fit, quod quibusdam Euangeliũ vitæ prædicetur, & apud illos locum reperit: apud alios vero non prædicatur aut prædicatum non admittitur. Polanus de Prad. pag. 59

Ex hac Electione principaliter fluit quis crediturus sit, quis nõ sit, quis absolvẽdus, quis nõ. Zepper de Prad. pag. 6.

Electi fideles certo statuunt à Deo Patre sibi imputatã esse satisfactionẽ Christi in remissionẽ peccatorum, hoc est Deum Patrem ijs omnia peccata remisisse. scil. antequam crederent. Textor in volumine altero.

Cur non dat gloriam Deo & ingenuè affirmat principem fidei causam esse ipsam Electionem. Itemq; principem incredulitatis causam esse Reprobationem? Piscator contra Schasm. pag. 86.

Hinc sequitur, idcirco studere Electos omnibus operibus bonis, quia sunt non minus ad media, quam ad finem prædestinati. Piscator contra Schasm. pag. 86.

Deus non reijcit suos ob quicquam eorum quæ faciunt. Sturmius de Prædest pag. 25.

Item, Deus ex æterno amore, misericordia & gratia sua omnia Electorum præterita, præsentia & futura peccata in Christo tegit, condonat, teget ac condonabit. Smout. in suo Scripturali vaì &c. fol. 77.

Fideles sæpenumero & horribiliter se peccatis contra Deum & legem ipsius polluunt, quin imo in idololatriam, superstitionem, falsam doctrinam, hæresin, altercationes, Christi abnegationem, securitatem, diffidentiam, licentiam, viuendi, superbiam, rebellionem, homicidium, adulterium, proditionem, aliaq; similia prolabuntur &c. Smout. in Pater noster fol. 56

Nihilominus tamen credimus & his non obstantibus persuasum habemus nos nec totaliter nec finaliter excidere, nec excidere posse ex paterno amore & gratia Dei erga nos. Smout in suo Pater Noster quod Synodo inscripsit fol. 53. 54. 55.

Reprobatos vero, qui multo maximam mundi partem constituunt, quod attinet, ex eodem Adamo nasci illos voluit Deus, vt iustitiam suam, id est, severitatem liberrimam in illis manifestaret. Vnde necessum fuit, vt in lapsu illo relinquerẽtur, ac proinde 2. vt Christus Mediator illis non daretur, qui pro ipsis mortem subiret, aut apud Deum intercederet, eaque propter vel in infantia sua morerentur sine vlla veniæ spe, tam qui ex fidelibus, quam qui ex infidelibus parentibus nascituri erãt; vel si adolescerent, vt gratia ad salutem necessaria & sufficiens illis non concederetur, sed si qua daretur aliquando, sola inefficax tantum & per se insufficiens gratia offerretur, cuius auxilio neq; vellent neque possent obedire Deo vocanti, 4. cuius tamen rejectione incredulitatis & maioris pœnæ rei fierent, 5. vt porro defectu huius gratiæ & occasione mandatorum, quibus non possent non obluctari, ruerent in omne genus peccatorum, blasphemiarum, hæresium &c. aut si quando gratiæ alicuius communioris beneficio vlterius paululum ad cognitionem veritatis, ad gaudium aliquod &

gustū diuinę gratię proveheretur, id ipsū nō tantū non prodesset ipsorum saluti, sed ad majorē ipsorū condemnationē faceret, donec tandē, fatali & inevitabili peccatorū mole obruti, Deo occasionem præbeant discretā antea justitiam sive severitatē in illos exercendi, atq; ita in æterna ipsorum & inelucrabili damnatione gloriam suam illustrandi.

Hinc sunt illa Doctorum placita:

Ut prævisa sanctorum fides ac opera bona causa non fuerunt electionis eorum, sic prævisa impiorū infidelitas, aut alia peccata minimè fuerūt causa cur à Deo fuerint reprobati, sed sicut illos elegit in Christo secundum propositum voluntatis suæ; sic hos reprobavit secundum idem propositū voluntatis suæ. Zanchius de Nat. Dei. pag. 711.

Errant qui putant Prædestinationem pendere à prævisis operibus, vel à prævisa fide aut incredulitate. Imo hæc omnia Prædestinationis effecta sunt. Piscat in Analysi Epist. ad Rom. ad vers. 11 12. 13. c. 9.

Pro Reprobis nullo modo mortuus est Christus, sive sufficienter dicas, sive efficaciter. Piscator contra Schasm. pag. 123.

Hinc sequitur ideirco studere electos omnibus operibus bonis, quia sunt non minus ad media quam ad finem prædestinati. Reprobos verò omnem conatum bene agendi omittere, quia sunt reiecti ab hac gratia mediorum non minus quam à fine ipso. Sturmius de Præd. pag. 23.

Quos Deus in vitā contumeliam & mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent & severitatis exempla, eos ut in finem suum pervenient, nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc eius prædicatione magis obstupefacit, & indurat. Calvin. Inst. lib. 3. cap. 24. n. 12.

Salvâ pietate licet dicere, Reprobos ideò non respicere, nec credere, nec legi Dei servanda studere, quia ad nihil horum prædestinati fuerunt. Piscat 3. Thes. volum. pag. 314.

Reprobationis effecta sunt. 1. defectio seu privatio mediorum ad salutem consequendam ordinatorum, exceptâ in nonnullis vocatione externâ 2. Excæcatio & induratio, ac proinde perseverantia in peccatis. 3. Suscitatio ad iudicium, &c. Zanch. Miscell. pag. 321.

Non est impium dicere, Reprobos ideò opera quæ in ipsis reprobis mala sunt facere, quia ad ea faciendā fuerunt prædestinati. Ibidem Zanch. in Miscell. pag. 112.

Verum est, reprobatos à Deo esse quoq; ordinatos ab æterno ut non crederent sed ut indurarentur, ut peccarent idque ex ipsius beneplacito, & ut in vasis iræ suæ iustitiā iustè ostenderet Deus. apparere ex variis Scripturæ locis. Danæus in Isa. c. 4 part. li. 3. cap. 193.

Deum operari omnia in omnibus, non tantum in pijs, sed etiam in impijs. Zanch. in Misc. 428.

Qui sunt omniū infelicissimi altius etiam conscendunt, ut gravius ruant Huc enim cuiusdam gratiæ munere provehuntur, ut etiam aliquatenus cōmoueantur ad donū cæleste degustandū, adeò ut ad tempus recepto semine videantur in Ecclesia Dei plantati, atq; etiam iter ad salutem aliis ostendant. Sed hoc constat, Spiritū illum adoptionis quē proprium esse diximus illorū qui nunquam eiiciuntur foras, quiq; in arcano populi Dei perscripti sunt, numquam cum illis communicari, &c. Beza in Cyclopædia sua pag. 192.

Hic proprius est ordo decretorum divinorum, quem auctores primæ sententiæ statuunt.

Proponitur sententia eorum Calvinianorum, qui Sublapsarij dicti sunt, quod Dei prædestinationem absolutam circa homines post lapsum Adami prævisum ordinarint.

CAP. II.

I. *Quid Sublapsarij Calvinistæ statuant de æterna Dei prædestinatione.*

II. *Quomodo quidam Calvinistæ sese implicent, dū volunt mediā sectā constituere irrito tamen conatu.*

I. ALtera sententia est eorum, qui Electionis & Reprobationis divinæ obiectum statuunt esse genus humanū in mente divinâ consideratū ut in Adamo lapsū, id est, peccato, ac propterea æternæ condemnationi ob peccatū illud primū obnoxiū, ex quo certas quasdā singulares personas nominatim ad salutē à Deo puro meroq; voluntatis ipsius beneplacito, nulla ratione habita respicientiæ, fidei aut obedientiæ, selectas esse dicunt ac segregatas, paulatimq; per varia media, sive per potentiam sive per sapientiā administrata ad finē destinatum certò & inevitabiliter perduci ac promoveri eodē planè modo atq; ordine, quē sententiā prior habet.

Reprobatos quattuor circa illos hunc decretorū ordinē instituūt, qui tamen cū primo coincidit.

1. Vt iustitiam, id est, iram & severitatem suam contra illos manifestaret Deus, decrevit ut in statu isto peccati relinquerentur, & nec à damnatione nec à dominio peccati vnquam liberarentur.

2. Quod Deus, vtut Christi mors & satisfactio toti mundo redimendo sufficiat, nolit tamē vt vlla ratione ijs, quos æterno exitio destinavit profit aut proficiat, sed expressè contrarium velit.

3. Quod ijs nolit gratiam vllam vel salutarem, vel ad salutem sufficientem concedere ac largiri.

4. Quod vocari tantùm velit illos ad gratiā per vocationem externā cui non possint non reluctari.

5. Quod

5 Quod id sæpe fieri velit vt tantò magis excæcentur, indurentur, & grauioribus, ac pluribus proinde criminibus implicentur.

6 Quod illuminare aliquando quidē eos aliquâ cognitione velit, imò gaudio & lætitia aliqua, adeoque persuasione tali imbui sinat, qua non minus persuadent sibi se electos esse, quàm electi ipsi sed eo tantum fine, vt excusatio ipsis adimatur, quod nescierint quid fieri a se oporteat, vel vt de impotentia suâ nullo fructu convincantur, & tandem in sublime evecti, lapsu grauiore in æternorum cruciatuum Barathrum præcipitentur & ruant. Breviter, tam insufficienti gratia donare, vt necessarium planè sit illos in peccatis manere, incredulos fieri, eaque facere, per quæ grauissimos illos, & inenarrabiles æterni ignis cruciatus, ad hoc, vt ne imperfectum, relinquatur vniversum, miseri in caput suum accersant.

Hic est secundus decretorum divinorum ordo, quem secundæ sententiæ auctores, qui sublapsarij dici solent, passim aut ipsi statuunt in scriptis suis, aut secundum hypotheses & fundamenta sua statuere necesse habent.

II Sunt qui alium quendam ordinem decretorum divinorum ex hypothetica & conditionata Dei præscientia desumere solent, ne in absurda illa manifesta incidant: sed quia necessum est vt ij vel in Arminianam seu Remonstrantium sententiam inviti recidant, vel in alteram duarum supradictarum relabantur, operæ pretium non iudicauimus pluribus eorum sententiā examinare & exponere.

Instructiones ipsorum Calvinianorum pro antememoratis duabus sententijs Fratrum suorum intelligendis & refutandis.

Cap. III.

I. *Quomodo vocem efficaciter vsurpent.*
II. *Quomodo permissionem Dei definiant.*
III. *Friuolam eorum esse distinctionem, inter necessitatem infallibilitatis, & Coactionis.*
IV. *Quomodo intelligant hominem mutabilem esse conditum.*
V. *Ineptas esse eorundem alias distinctiones, inter Electionem, & saluationem; ac inter Reprobationem & Damnationem.*
VI. *Quod Caluinistæ Contra Remonstrantes sub Reproborum nomine etiam filios Fidelium non adultos comprehendant.*
VII *Syllabus Authorū & verborū ex iis excerptorū, quibus Caluinianorū pars de prædestinatione sententiā à Remonstrantibus damnatam profitetur.*

I. Ad supradictas duas sententias rectius intelligendas nonnulla annotanda sunt, quæ maiorē lucē desiderant, propter tenebras, quibus à nonnullis ea non ita nuper inuolutæ sunt & obscuratæ.

II. Ac primùm quidē cum Art. 2. mentio fit mediorū, quæ per tum Electi tum reprobi efficaciter atq; inevitabiliter perducantur, notandū est, vocē *Efficaciter* generaliter accipi solere ab auctoribus sententiæ illius, prout non tantùmodò decretum effectivū, sed etiā permissivū sub se complectitur. Tam enim permissivum decretū efficax illis dicitur quàm effectivum: nō quòd permissio propriè efficientiā aliquam aut importet, aut significet in ordine ad effectū vel euentum; sed quod ea posita non minus necesse sit euentū existere, quàm si per veram & realē aliquam efficientiā perduceretur.

II. Permissio enim illis nō est impedimentorū, quæ efficaciter euentum inhibitura essent, suspensio: hac enim posita manet adhuc voluntas indeterminata & indifferens ad alterum oppositorum, neq; vlla peccati futuritio necessariò sequitur; sed permissio illis est vel substractio, vel nō datio, vel nō continuatio illius siue gratiæ, sive influxus sive potentiæ, qua positā nō potest non fieri, vt homo peccet. Eodē prorsus modo quo permissione posita, vt lapis naturâ suâ grauis, manu alicuius antea sustentatus in sublimi deorsum cadat, fieri nō potest, qui lapis ex alto decidat, non quòd permissio illa propriè efficiat, aut vim aliquā lapidi imprimat, vt cadere eū necesse sit, sed quòd lapis naturâ sua grauis, sublato impedimento, pondere suo naturali deorsum vergat. Eadem ratione hominē labi necesse fuit posita hac permissione, non quòd permittendo efficeretur lapsus, sed quòd permissione positā homo sibi & suæ naturæ relictus non possit nō peccare. Quæ causa etiā est, cur decretū hoc divinū de permittēdo lapsu efficax dicatur ab ijs, etsi nō effectivū: ac proinde nō minus inevitabile sit quā si effectivum esset. Id quod propterea etiā necesse habē: dicere, quia alioqui concipi nō posset, qua ratione absoluto decreto Electionis & Reprobationis subordinetur Decretum de permittendo lapsu, cùm hoc ipsum infallibile mediū non foret exequendi Decretum illud; idque propterea, quòd positā permissione libertas homini salua relinquatur, ita vt possit non peccare; Quia verò causa deficiens in necessarijs ad causam efficientem reducitur, hinc est, quòd alij

non vereantur asserere, Deum positivè subtraxisse homini gratiam, sicut, cum quis fulcra & columnas domui sustentandæ positas subducit, unde domus casum & ruinam sequi necesse est: alij vero disertè affirment, Deum voluisse ut homo laberetur: alij ex decreto Dei arcano lapsum, alij necessariò peccasse, alij ordinatione Dei factum ut laberetur, asserant. Quæ omnia etsi phrasibus aliquo modo discriminari videantur, reipsa tamē in idē recidūt.

III. Ex quo fundamento facile apparet 1. Distinctionē illā necessitatis in necessitatē coactionis & necessitatē infallibilitatis, eo quo ab auctoribus his usurpatur sensu, aut nullā prorsus, aut admodū frivolam esse; cū præterquā quod infallibilitas menti propriè, nō rei aut enti competat, utraq; necessitas tā infallibilitatis, quā coactionis antecedens sit, ac proinde cū libertate consistere nullo modo possit. Etsi verò infallibiliter dici possit evenire vel eventurum aliquid ex aliquo, quod ex eo tamen tanquā causa per vim aut pondus aliquod impressum agēte, non proficiscitur, sed tantum quod ad positionem eius non potest non existere, tamen id ipsum abundè sufficit ad hoc, ut non minus necessariò tale quid evenire dicendum sit, quam quod per coactionem aut vim efficitur. Non n. tantum vis aut impulsus violentus tollit libertatem, sed quidlibet ad cuius positionem, effectum, vel eventum existere necesse est, etiamsi nulla accedat ad eventū producendum vis aut efficientia: quæ res si bene attēdatur, magnā in hoc negotio totolucē adferre potest, & non obscurè demonstrare multos eorum, qui Prædestinationem in lapsu tantum admittere velle videntur, utraque ire non audēt, nullo prorsus iudicio id facere, & in eodem cum alijs Supralapsarijs luto hærere.

IV. Ex hoc sequitur nullo prorsus fundamento niti, quod auctores huiusce sententiæ hominem liberè tamen peccasse ex parte sua asserant, cum positā istā permissione nō posset non peccare. i. in potestate hominis non esset à peccando abstinere: Et hac ratione, si quis penit⁹ eorū sententiā perspicere velit, videtur accipiendū, cū dicunt hominē mutabilē cōditū fuisse. i. nō ꝙ posita permissione mutare posset libere se ipsum homo interno & ppio motu suo à statu illo in quo erat, sed ꝙ ex statu illo in quo erat, excidere & sic mutari eū non tam possibile quā necesse foret. Quod quidam observantes dicere malunt, ideo Adamum libere peccasse; quia cum voluptate, cum gaudio, sive libenter legem trāgressus est: quæ definitio libertatis si obtinere debeat, iam summè necessaria sumè libera erunt.

V. Ineptam esse distinctionem illam, qua inter Electionem & salvationem, inter reprobationem absolutam ad exitium æternum, & damnationē ad æternum exitium vt pœnā, tanquā inter actus dominij & iudicij distinguitur: cùm posito absoluto Electionis ad vitam æternā, sive salvandi decreto, salvatio tanquam actus iudiciarius, sive actus, quo salus, tanquā præmium aliquod cōfertur, succedere nullo modo possit, quia hac ratione finē suum primò intentū plenarie nō consequeretur Deus, puta laudē absolutæ misericordiæ & gratiæ Deinde cū præmiū non conferatur nisi sub conditione officij liberè præstandi, fine suo frustrari posset Deus; aut si frustari non posset, eo ꝙ ipse efficere decernat in homine quòd ab eo postulat, tū conferre homini vitā sub ratione præmij promissi nequeat. Deniq; quia posito absoluto reprobationis decreto damnationē tanquam reprobationis fructū, vel vt alij, necessariū consequens existere necesse est; idq; interveniente tali permissione peccati, qualis supra annotata est. Vbi autē necessaria est ex vi decreti primi peccati, & proinde damnationis futuritio, ibi damnatio tanquam actus iudiciarius locum habere nequit. Quod enim necessariò nulla præcedente culpa fit, id culpæ rationem habere nequit; ac proinde quæ sequitur punitio iusti iudicij nomen non meretur.

VI. Ex decretorum coordinatione apparet, quâ ratione rectè dicatur, ab illis statui Deum creasse maximam generis humani partem, non tantùm ad exitium, sed etiam ad damnationem. Etsi enim finis primus non sit damnare per modum iudicij, tamē damnatio est effectū vel consequens potius aliquod ex intentione primi finis & decreti subsequentis necessariò fluens. Certissimū autē est eū, quē ex hypothesi decreti primi incidere in damnationē necesse est, ne sc. decretū frustra factū fuerit nō minus ad dānationē creatū esse ꝙ ad exitū, si nō tanquā ad finē, saltē tanquā ad necessariū consequens. Qua re observatā multi non minimæ notæ DD. à locutione hac se non abhorrere in scriptis suis palam facere non erubuerunt.

VII. Sub reproborum horum numero complecti solent. Contra-Rem. nō tantū adultos omnes gentiles, incredulos, & eorū plerosq; tenellos & vix dū natos liberos, quos æternis cruciatibus ad laudem divinæ severitatis, etiā ante rationis vsum ex hac vita discedentes, destinatos esse affirmant: sed non paucos etiā fideliū liberos à sanguine materno adhuc

huc calentes, tenellas illas animas vix dū in lucem editas, tanq̄ si ideò nascerētur vt æternū miseri forent, & in enarrabilibus cruciatibus animo & corpore torquerētur ad gloriā Dei. Quæ res etiāsi dura atq; horrida videatur, ac proinde etiā à quibusdā Cōtra Rem. subinde negari aut incrustari mirū in modū soleat, tamen ita plana ac certa est, vt qui hac in re hæsitant, non tā iudicio ac ratione certa adducantur, quā solo metu, ne vid. hæc vna palpabilis crudelitas fidē illis omnē atq; existimationē adimat apud Matresfamilias, alioq; quibus liberorū suorum salus tenerrimè curæ ac cordi est.

Vt appareat verum esse quod dicimus, videatur tantumodo locus D. Paræi de Amissione Gratiæ & statu peccati contra Bellarm. lib. 6. pag. 891.

Nec Zuuinglius, nec Calvinus, nec quisquam nostrū indefinitè omnes infantes sine Baptismo vel in vtero matris, vel in partu, vel dū ad Baptismū gestantur, decedētes in cœlo cū beatis collocāt, sed de solis infantibus Ecclesiæ in fœdere natis, si morte præueniantur, canone charitatis ita pronunciant ex singulari privilegio promissionis, parentibus & liberis facta in fœdere; Ero Deus tuus & seminis tui: Saluâ tamē Electione Dei, qua vt olim in Abrahami & Isaaci familia, ita deinceps in fidelium liberis sæpe discrimen fecit ac facit, nobis nec scrutandum nec fugillandū, sed adorandū. Rom. 9. 11. Hæc est nostra & nostrorū DD. constans de hac quæstione sententia.

Verū quidē est, aliud quid de infantibus fidelium, quàm infidelium dicere velle videtur Paræus, sed si verba propius introspicias, idē planè dicere iudicandus est: *Canonis* enim *charitatis* mentionem cum facit, indicat nō obscurè certâ fide tenendum non esse, ꝙ de fidelium liberis ait, sed ex charitate tantū statuendū, quæ non rarò fallitur; & sub hoc velo multi latere hactenus studuerunt, sed frustrā. Dū enim iudicij huius ex caritate profecti fundamentum allegant, promissionē divinā adferre solent, vti & hoc loco D. Paræus: at promissio non est iudicij charitatis, sed fidei certissimæ & indubiæ fundamentū. Deinde cùm salua manere vult Electionē, iterū ostendit, qua ratione verba sua intelligi velit. Et sanè si fundamentum eorum videatur, nulla causa est, cur de infantibus fidelium in infantia morientibus aliter statuant, quàm de cæteris reprobis, cum reprobatio facta sit ex genere quidem humano lapso, vti quidā volunt, sed absq; vllo respectu in peccatū tanquā in causam meritoriā aut impulsiuā Reprobationis. Jd si verū sit, cur majore infantiū ex fidelibus natorū cōmiseratione quàm aliorū reproborū & ex infidelibus natorum, duci velle, aut ductū Deum esse asserunt? *Si quis dicat* actualia peccata deinde intervenire in adultis, per quæ reos se ipsos condemnationis faciunt: Respōdetur ex ipsorū principijs. 1. Id in liberis eorum in infantia morientibus locum non habere. 2. Eadem peccata esse vel effecta vel consequentia saltem Reprobationis necessaria & evitabilia, ac proinde per ea condemnationis reos fieri non posse.

Si dicant promissū extare divinū, *Ero Deus tuus & seminis tui*: Regeri poterit, promissū illud ad infantes in infantia morientes non restringi, sed ad omnes quatenus ex Abrahamo nascituri erant extendi, ac proinde si id generatim accipere velint, ad omnes omninò fœderatos infantes referendum esse. Quod si admittant: Sequetur alterutrū necessariò: Aut omnes infantes fidelium, siue moriantur, siue non moriantur, saluandos esse. Aut fieri posse, vt ij, qui semel electi fuerunt ex gratiâ Electionis excidant. Vtrum retigerint, vlcus erit.

Accedit, quod infantes fideliū qua tales baptizentur. 1. signo fœderis obsignentur, nullâ habitâ ratione eius an supervicturi sint necne, idq; ex hoc maxime fundamento, quod res signata ipsis verè competat. Vnde firmiter concluditur, statuendū necessariò esse aut infantes omnes fideliū baptizatos saluatum iri, aut si non salvandi sint omnes, fieri posse vt ij, quibus remissio peccatorum semel obtigit, eadē deinde rursus in totū & finaliter priuentur. Aut si neutrū dicatur, affirmandum erit infantibus fideliū omnibus ac singulis rē signatā non competere, sed esse inter eos, qui electi sint, & qui reprobi, ac proinde omnes quotquot baptizantur hac conditione baptizandos esse, Si electi sint; per consequens electionē & reprobationē in illis qua talibus locū habere debere. Id quod certissimum esse cùm intelligerent Argentinenses Ecclesiæ Ministri, monitos concionatores omnes suos voluerunt in Confessione Argentinensis Ecclesiæ Anni 1539. cui subscripserunt Bucerus, Capito, Hedio & reliqui ministri, vt neminem baptizarent nisi hac particulâ vel expressa vel subintellecta. *Ego, ô Deus hunc baptizo secundùm Electionem & propositum diuinæ voluntatis tuæ.* Vide Artic. 18. Quod deinde secutus sententiæ huius ingenuus professor Zanchius, sub eadē hac conditione, *si electi sint, vel expressa, vel subintellectâ baptizari infantes fideliū asseruit.*

Hæc Remonstrantes pag. 23. usq; ad 45 Actorū suorum parte secundâ Hardervici A. 1620. in 4. editorū quibus visum est apponere & subnectere syllabū omniū eorū testimoniorū, ex quibus sin-

gula totius hui⁹ articuli, de prædestinatione membra quæ ipsi damnarunt, ad oculũ exhibentur, prout a defensoribus ante dictarum sententiarum, scriptis publicis editis asserta fuerunt, & hodie dum reperiuntur, ad quæ hic omissa otio indulgere volentem lubens remitto, ne pluribus blasphemijs referendis Catholicas chartas maculem.

VII. Rationes, ob quas impulsi Remonstrantes eiusmodi syllabum ediderint, solum addo, sunt autem hæ.

1. Quia nulli rectius & planius sententiã istam de Electione & Reprobatione ante lapsum & circa lapsum exposuerunt, quam ij qui in ea Syllabo citantur, cùm maxima parte præcipui sint & celeberrimi istius sententiæ adsertores ac patroni.

2. Quia ipsi Contra remonstrantes in hoc nostro Belgio passim in scriptis suis, vbi de his quæstionibus disceptatur, super horum Doctorum cõsensu gloriantur, & ob hoc nouitatis nos insimulant, quod ab illis dissentiamus. Patet hoc ex nupera contraria Declaratione Contra Remonstrantium Illust. Ordd. Hollandiæ & VVestfrisiæ traditâ Anno 1617. In qua sententiæ suæ antiquitatem ex horum auctorum suffragio circa hæc ipsa capita stabiliunt, diserte affirmãtes illos ipsos sententiæ suæ fuisse addictos, eandemque magna cum ædificatione, & vnanimi cum assensu Ecclesiarum reformatarum, &c. concionibus & scriptis tradidisse, ac propugnasse. Probat hoc Adriani Smoutij liber, quem Concordiam indigetat, in quo prolixum eorundem auctorum Syllabum recitat, & eorum ὁμοδοξίαν (licet infeliciter) probare conatur. Probat hoc Iacobi Triglandij ministri Amstelodamensis prolixum opus, cui titulum fecit: Defensio doctrinæ & existimationis reformatarum Ecclesiarum; in quo pro istorum Doctorum dictis quam maximè horridis, tanquam pro Ecclesiæ doctrina decertat, ac si Ecclesiæ sua doctrina & existimatio constare non possit, nisi integris & illæsis istorum D D. de prædestinatione placitis.

3. Quia quàm plurimi libri horum Auctorum de his ipsis quæstionibus, partim Belgico idiomate conscripti, partim è Latino in Belgicum versi, in vulgus apud nos sparsi sunt, & indies spargũtur, non sine graui offendiculo & Ecclesiarum nostratium conturbatione. Horum ergo sententiam in hac Synodo proponi ac refutari quam maximè necessum est.

4. Quia partim scriptis, partim concionibus hoc nomine accusamur, quod sententiam horum D D. mala fide proponamus. Vide Collat. Hagiensem pag. 6. & 7. Edit Belg. & pag 20. & 38. Quæ causa est, cur ipsissima eorum verba hic adducere operæpretium duxerimus.

5. Quia Contra Remonstrantes fatentur, se & cum Supralapsarijs & cùm Sublapsarijs Doctoribus in summa doctrinæ huius conuenire. Vide Collat. Hag. 24 Editione Belg. pag. 31. Triglandius in moderato Christiano pag. 31. Quare etiam vtriusque sententiæ Doctores allegari expedit.

6. Quia vulgò Contra Remonstrantium sententia nobis impingitur, & nostra ipsis. Quare postulat res, vt orbi Christiano constet, quid ipsi suis verbis de his doctrinæ capitibus enuncient Contra Remonstrantes, adeoque etiam illi, è quorum scholis & libris doctrinam suam hauserunt nostrates.

7. Quamobrem apertè & ingenuè testamur nos horum Doctorum sententiam & dicta non allegare vt eos traducamus, aut debitæ ipsorum existimationi detrahamus, sed ob rationes iam dictas. Arbitramur enim viros fuisse clarissimos, & optimè de Ecclesia in multis meritos, quorum etiam nevos & lapsus regere voluissemus; nisi ad horum propositionem & refutationem nos adigeret necessaria causæ nostræ defensio, quin & ipsi Contra-Remonst. affirmando à nobis iniuriam istis Doctoribus fieri, nec talia ab illis doceri, adegissent. Non ergo hoc agendo sepulchhra horum Doctorum impuris manibus refodere conamur, vti objcitur, sed vt Dei & Patris nostri cœlestis gloriam in horum errorum refutatione asseramus & vindicemus. Et profectò si ijs ipsis Doctoribus licuit quamplurima reprehendere in omnium fermè Veterum Patrum, & tot Ecclesiæ priscæ luminum, Irenæi, Cypriani, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, & aliorum scriptis, cur & nobis idem non licebit in Neotericorum DD. scriptis? Nec verentur recentes nostri Theologi ipsos Lutheri de re Sacramentaria errores taxare & publicis scriptis refutare. Accedit, quod illi ipsi, quos citamus, Doctores sententiam suam clam esse noluerint; sed editis scriptis expressam iudicio Christiani orbis subiecerint. Maior ad hæc habenda est ratio ædificationis Ecclesiarum & boni publici, quam particularis existimationis horũ DD.

cui

cui tamen apud æquos iudices nihil propterea detrahetur, cùm falli & labi humanæ naturæ vitia sint, & doctissimorum etiam virorum hæc sors esse soleat, à vero subinde aberrare. Certè non veretur Reuerendus Episcopus Satisburiensis in nupero suo scripto aduersus Thomsonem edito Vilhelmi Perkinsi celeberrimi apud Anglos Theologi sententiam super Prædestinationis dogmate, tali censurâ notare, pag. 83. *Perkinsus vir alioqui eruditus & pius in descriptione diuinæ Prædestinationis, quam ille contra nostram, contra veteris Ecclesiæ fidem & contra lapsum Adami absolutè, decretam constituit, erravit errorem non leuem, cuius à doctis quibusdam viris iam diudum & suscepta defensio, turbas Ecclesiæ non necessarias dedit, quas etiamnum non sine scandalo & periculo hærere videmus, &c.* Ita Remonstrantes.

De Caluinianis alijs contra prædictas sententias, tanquam impias, pugnantibus, siue de Remonstrantibus eorumque doctrina priotibus opposita.

CAP. IV.

I. *Sententia Remonstrantium de prædestinatione X. Thesibus exposita.*

II. *Declaratio harum Thesium facta per ipsosmet Remonstrantes A. 1619. 14. Ian. exhibita in Synodo Dordracena Caluinianorum.*

III. *Quomodo conueniant Caluiniani in Voce Electionis intelligenda.*

IV. *Quom do eydem inter se discrepent.*

V. *Explicatur finaliter sententia Remonstrantium, quantum ad prædestinationem attinet, consistens in quatuor punctis, nempe causis, obiecto, conditionibus, discrimine inter Electionem ad gratiam & ad gloriam.*

VI. *Remonstrantes occurrunt quibusdam dubijs & obiectionibus de Fide & Christo, contra aduersarios.*

VII. *Ordinem decretorum diuinorum in Electione secundum suam sententiam proponunt Remonstrantes.*

I. Sententia Remonstrantium quam in conscientia sua Verbo Dei consentaneam esse arbitrati sunt hactenus, & etiamnum arbitrantur, circa primum de Prædestinationis decreto Articulum, hæc est.

1. Deus non decreuit quenquam ad vitam æternam eligere, aut ab eadem reprobare ordine prius quam eundem creare decreuerit, citra vllius obedientiæ seu inobedientiæ antecedentis intuitum, pro beneplacito suo, ad demonstrandam gloriam, misericordiæ & Iustitiæ suæ, vel potestatis & dominij absoluti.

2. Cum decretum Dei de cuiusque hominis tum salute tum exitio non sit decretum finis absolutè intenti; sequitur neque eidem decreto subordinata esse media talia, per quæ ad finem destinatum tum Electi, tum Reprobi efficaciter atque ineuitabiliter perducantur.

3. Quare nec Deus hoc Consilio creauit in vno Adamo omnes homines in recto statu, non ordinauit lapsum, eiusve permissionem, non subtraxit Adamo gratiam necessariam & sufficientem, non procurat Euangelium prædicari, homines externè vocati: non confert illis vlla dona Spiritus S. vt ista media essent per quæ eorum aliquos ad vitam perduceret, alios vitæ beneficio destitueret. Christus mediator non est solum executor Electionis, sed ipsius decreti electionis fundamentum: Quod alij efficaciter vocantur, iustificantur, in fide perseuerant, glorificantur, causa non est, quod absolutè ad vitam æternam sint electi: Neque quod alij in lapsu deserantur, Christus ijs non detur, prorsus non aut ineficaciter vocentur, indurentur, damnentur, causa non est, quod à salute æterna absolutè sint reprobati.

4. Deus non decreuit sine interuenientibus peccatis actualibus multo maximam partem hominum, ab omni salutis spe secluſam in lapsu relinquere.

5. Deus ordinauit vt Christus sit propitiatio pro totius mundi peccatis; & vi istius decreti, statuit credentes in ipsum Iustificare & saluare, hominibusque media ad fidem necessaria & sufficientia administrare, ea ratione quam nouit suam Sapientiam & Iustitiam decere. Neq; aquam autem destinauit ex vi decreti absoluti solis electis Christum Mediatorem dare, eosdemque solos fide per vocationem efficacem donare, iustificare, in fide conseruare ac glorificare.

6. Nec à vita æterna; nec à medijs ad eam sufficientibus vllus reiectus est absoluto aliquo antecedaneo decreto; sic vt meritum Christi, vocatio, omniaque dona Spiritus prodesse ad salutem omnibus possint, & reuera prosint, nisi ea ipsi in exitium sibi eorundem abusu vertant: ad incredulitatem autem, impietatem, peccata, tanquam media & causas damnationis, nemo destinatus est.

7. Electio

7. Electio Singularium personarum peremptoria est ex consideratione fidei in Iesum Christum & perseuerantiæ, non autem citra considerationem fidei & perseuerantiæ in vera fide, tanquam conditionis in eligendo prærequisitæ.

8. Reprobatio à vita æterna facta est secundum considerationem antecedaneæ infidelitatis & perseuerentiæ in infidelitate, non autem citra considerationem antecedaneæ infidelitatis aut perseuerantiæ in infidelitate.

9. Omnes fidelium liberi sunt in Christo sanctificati; ita vt nullus eorum ante vsum rationis ex hac vita decedens, pereat: Nequaquam autem in reprobatorum numero censentur etiam nonnulli fidelium liberi in infantia sua ante vllum peccatum, in propria persona commissum, ex hac vita decedentes: adeo vt nec baptismi sacrum lauacrum, nec preces Ecclesiæ ipsis vllo modo ad salutem prodesse possint

10. Nulli fidelium liberi baptizati in nomine Patris, & Filij & Sp. Sancti in infantiæ suæ statu viuentes absoluto decreto reprobatis adscribuntur.

II. Declaratio sententiæ Remonstrantium de Prædestinationis Decreto, in hunc modum ab eis est concepta. Vt de Prædestinationis Decreto Articulus, decem propositionibus à Remonstrantibus expressus solidè ac planè intelligatur, operæpretium est, vt nonnulla, quæ in thesibus (vti ferè fieri solet) breuibus & succinctis quibusdam terminis enunciata sunt, clarius & dilucidius oculos proponantur, & vtriusque partis sententia, tum Remonstrantium, quæ planalicet atque perspicua satis sit, tamen odiosè sæpe proponi solet, tum inprimis Cõntra-Remonstrantium, quæ mirum in modum occultari, abscondi & coram populo rudi atque indocto magno studio & cura incrustari solet, declaratione quâdam propiore in lucem eruatur & ad vivum resecta oculis omnium subijciatur.

Hoc vt fiat, ad tria quædam capita sedulo attendendum & animaduertendum esse arbitramur. Primum est, vt perspicuè declaretur, quid per Electionem ad vitam æternam, & Reprobationem à vita æterna vtrimque intelligatur. Secundum est. Quis diuinorum actuum ordo in Decreto tum Electionis, tum Reprobationis ab vtraque parte constitui soleat. Tertium est. Qua ratione termini varij hinc inde vsurpati, & in thesibus Remonst. expressi, intelligendi sint, ne alicui amplius seruiant pro latibulis & κρησφυγίοις ad sententiam propriam & genuinam, quam in sinu foueat, occultandum & abscondendum.

III. Primum caput quod attinet, Electionis vocem triplici ferè significatu accipi solere in Sacro codice fatentur Remonstrantes.

Primo significet Electionem ad gratiam Euangelicam, id est, vel decretum ipsum æternum de eligendo i. gratiosè vocando, & sic quasi eximendo, segregando & sequestrando homines ad participationem & communionem beneficiorum singularium illorum, quæ Euangelico comprehensa sunt; quo sensu accipi nobis videtur ad Eph. 1. 4. cum dicitur, *Sicut elegit nos in ipso ante iacta mundi fundamenta*, pro eligere, seu per Euangelium ad communionem gratiæ supercælestis euocare decreuit; tanquam scilicet primus auctor & fons gratiæ omnis atque misericordiæ: vel ipsam actualem, quæ in tempore fit, segregationem, seu potius euocationem per Euangelij gratiosam prædicationem; quo sensu accipitur vox Electionis Ioan. 15. 19. *Quia ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Electio enim hæc euocationem & segregationem ex mundo mundanisque studijs significet necesse est 2 Pet. 1. 10. *Quapropter fratres potius studete vocationem & electionem vestram firmam facere.* Item. 1. ad Thess. 1. 4. *Vt quisciamus fratres dilecti, à Deo electionem vestram*, id est, vocationem vestram à Deo auctore profectam esse. De Electione enim æterna omnium Thessalonicensium, ad quos scribitur, Apostolum hæc dixisse nullo modo verisimile est. Segregatio autem vel euocatio hæc, electio siue selectio appellatur duplici ferè de causa: vel, quia è communi hominum cætu populi sæpe nonnulli alijs quibusdam certo Consilio diuino præteritis & relictis, vti in Electione proprie dicta fieri solet, euocantur, & quasi eximuntur ad audiendum, & sic ad participandum Euangelij gratiam singularem, siue euocationi illi diuinæ morem gerant, quo sensu 1. ad Cor. 1 vers. 26. 27. *stulta, infirma, ignobilia mundo, elegisse*, dicitur Deus, id est, euocasse ita, vt obedirent Deo vocanti, vel saltem obedire se professi sint, & hoc sensu vox Electorum in scripturis non raro accipitur; siue ad obediendum Euangelio à Deo tantum inuitentur: qua ratione de Gentilibus dicitur passim, quod reiectis Iudæis ipsi

electi

electi à Deo, id est, vocati sint ad obediendum Euangelio, & sic ad beneficia Euangelio promissa consequendum eâ ratione ac via, quæ Euangelio continetur ac præscribitur: siue denique vocationi jam factæ refragentur; quo sensu *diligi* adhuc Iudæi increduli dicuntu *secundũ Electionem* Rom. 11. & passim populus Israeliticus non obstante eo, quod rebellione & contumacia sua Deum subinde fatigaret, *electus tamen Dei populus* passim in V. T. vocatur. Vel, quia totus aliquis populus, qui antea expers fuerat gratiæ & vocationis Euangelicæ, quasi ex communi & vulgari illo statu (citra vllam ad alios populos præteritos relationem) euocatur & eximitur ad participandum excellentem & priore longè digniorem statum: quo sensu Gentiles Apostolus Petrus 1. Epist. 2. 9. γένος ἐκλεκτὸν appellat, quia cum antea populus non essent, populus facti erant, vti versu sequenti, exponitur.

Secundo, Electionis vox significare aliquando solet specialem aliquam dignationem & separationem personarum, vel ad speciale aliquod munus & officium gerendum, quo sensu Luc. 6. 13. *elegisse duodecim Apostolos* dicitur Christus, vel ad prærogatiuam aliquam & dignitatem siue eminentiam supra alium, citra omnem tamen exclusionem à salute æternâ alterius ita non electi; quo sensu tribuitur Deo cum de Iacob & Esau agitur Rom. 9. vers. 11. *Propositum secundum electionem*, quia scilicet dixerat, vel, vt textus habet, vocauerat, id est pro suo arbitrio pronunciauerat, *Maior seruiet minori*, & alibi, *Iacob dilexi, Esau odio habui*.

Tertio, Electionis vox significare solet destinationem peremptoriam ad æternam vitam & beatam immortalitatem, & hoc sensu ferè semper à Theologis in hac materia accipi solet, cum dicunt: Electi simpliciter.

Iuxta hanc triplicem vocis electionis significationem, triplex etiam statuatur necesse est vocis Reprobationis significatio. 1. à gratiosa vocatione quæ per Euangelium fit. 11. à gratia specialis alicuius prærogatiuæ & dignitatis supra alios, 111. à gloria siue felicitate æterna.

Et in hisce quidem, quoad summam rei conueniunt vnanimiter ferè Theologi Calviniani.

IV. Discriminantur vero inter se duobus ferè modis, 1. obiecti ipsius formalis circa quod tum Electio tum Reprobatio versari creditur, consideratione, 2. ratione ordinis, quem Deus in actibus tum eligendi tum reprobandi, quibus circa obiectum versatur, obseruat & vsurpat.

De obiecto tot ferè sunt inter eos, qui Contra-Remonstrantes dicuntur sententiæ, quot capita, æque tam diuersæ, tam longè à se inuicem dissitæ, vt auctores ipsi inter se contendant, Ex vna sequi Deum insipienter agere, ex altera Deum iniuste, inique, & Tyranni in morem agere. Alia tantæ sit subtilitatis, vt propria sua vanitate euanescat. Alij enim obiectum Electionis & Reprobationis statuunt homines communiter & indefinite consideratos, alij vt condendos, alij vt conditos, alij vt lapsos, alij vt condendos, conditos, lapsos simul, alij vt saluabiles, damnabiles, creabiles, labiles, reparabiles; tam multiplici profecto discrimine, vt in perplexissimis labyrinthis hærere sese experiatur, quisquis in istas variantes Theologorum Contra-Remonst. etiam eorum qui in hoc Consessu comparent, opiniones atque placita incidit.

Remonstrantium vero sententiam quod attinet, vniformiter & simpliciter statuunt, juxta Euangelij ipsius formulam, obiectum diuinæ & quidem peremtoriæ Electionis ad æternam gloriam primum & adæquatum esse, Omnes & solos auxilio diuinæ gratiæ credentes in Iesum Christum & in fide illa vera perseuerantes vel morientes? Catholici addunt, & Mandata Dei ac Ecclesiæ obseruantes.

Contra vero Reprobationis peremptoriæ ad æternum & lamentabile exitium obiectum primum & adæquatum esse, omnes & solos infideles, id est, vel ab incredulitate sua desistere nolentes, vel in fide vera non perseuerantes. (Catholici iterum addunt: aut si fidem retinent, & secundum illius dictamen non viuant.)

V. Vt hæc sententia Remonstrantium plenissimè intelligatur, nonnulla propius elucidant Remonstrantes.

Ac primum quidem cum de Prædestinatione, quæ vtramque partem, id est tum Electionem tum Reprobationem, complectitur, agunt Remonstrantes, dupliciter ferè eam accipere solent. Primum vt significet Decretum illud diuinum generale, quo constituit pro liberrimo suo arbitratu credentes saluare, incredulos reprobare, id est, ex multis possibilibus vnam certam quandam rationem in mente sua designare & statuere, secundum quam saluare velit & damnare. Secundo vt significet decretum diuinum speciale, quo constituit iuxta præcedens illud decretum hos saluare, illos perdere, id est, hos consideratos vt

fideles æternæ vitæ destinare, illos consideratos vt infideles, siue qui credere nolunt, æternæ mortiatque exitio addicere. Prior actus simpliciter & in genere Prædestinatio ad vitam & ad mortem, posterior prædestinatio huius vel illius ad vitam aut ad mortem rectissime dicitur.

Primum illud Decretum Dei liberrimum est, nullamque aliam causam habet, quam puram Dei voluntatem & arbitrium, neque vllius etiam rei præuisionem, tanquam occasionem aut causam sui habere dici potest. Itaque fidei dignitas, aut meritum, aut prærogatiua quædam intrinseca hic in considerationem neutiquam venit, cur videlicet Deus eam seligere ex aliarum rerum omnium ordine voluerit, siue cur citra eam non saluare, & per eam solam homines saluare decreuerit: solum diuinæ voluntatis placitum hic locum habet.

Secundum Decretum, quia priori innixum est, in diuina quidem voluntate fundatur, sed fidei tamen ipsius aut infidelitatis intuitum & respectum præsupponit; vnde ex vna parte fides quidem & perseuerantia in fide, veluti conditio præstita ab homine, ac proinde tanquam causa sine qua non in hoc decreto considerandæ venit. Conditio enim præscripta & præstita necessario causæ alicuius rationem induit: sed nullo tamen modo tamquam causa quæ aut impellat aut efficiat virtute, merito, vel intrinseca dignitate ac perfectione sua, vt Deus hunc credentem saluare velit. Ex altera vero parte Infidelitas & contumacia considerandæ venit, non tantum veluti causa sine qua non, iuxta prioris decreti formulam; sed etiam tanquam meritoria causa propter quam Deus velit hominem hunc reprobare & condemnare, id est quia intrinseca fæditas, turpitudo & malitia, quæ in infidelitate est, illud meretur. Alia enim est ratio in Electione, quam in reprobatione: quia Electio ex gratia est, reprobatio ex ira & seueritate: ibi meritum locum habere nullo modo potest, hic & potest & debet; id quod in negotio iustificationis & oppositæ condemnationis manifestè liquet.

Deinde cum fideles & in fide perseuerantes aut motientes obiectum esse dicimus Electionis, & infideles obiectum Reprobationis, eos tantum intelligi posse ac debere statuimus, quibus gratia diuina aut reipsa iam facta est, vt credere possent, & iam credentes in fide perseuerare ad finem vsque; aut quibus Deus paratus fuit gratiam illam, quæ ad fidem concipiendam & conseruandam necessaria est, facere: ne videlicet quis nobis infantium, surdorum, amentium, rabiosorum, Indorum, aliorumque exempla hic alleget. Lex enim non lata, aut non intellecta, cum intelligi non possit, non obligat. *quomodo enim crederent ei de quo nunquam audiuerunt* Rom. 10. 14. 10. 15. 22. *Si non venissem & locutus essem eis, peccatum non haberent, nunc autem non habent quod prætexant peccato suo.*

Tertio, quia fideles alij sunt, qui ne vera quidem in Iesum Christum credunt, sed à fide illa vera vel secundis rebus deliniti, vel aduersis fracti, vel spe vel metu abducti deficiunt, & in defectione illa moriuntur: Alij qui in fide illa ad finem vsque vitæ perseuerant, aut saltem si ab ea deficiant, singulari, quodam gratiæ diuinæ beneficio reuocati, in fide restaurantur, & ad frugem redeunt, & tandem in eadem moriuntur, ac vitam hanc finiunt, hos solos intelligi volumus. Sicut ex aduerso, quia infideles quidam sunt, qui aliquamdiu quidem infideles manent, tandem tamen resipiscunt; quidam vero, qui etsi diu multumque vocentur, resipiscere tamen & credere aut nolunt, aut non admodum curant, nec operæ pretium ducunt: quidam qui ad meliorem mentem reuocari quidem se patiuntur: sed mutata rursum mente ad ingenium redeunt, & antiquum obtinent: non primigenios infideles, sed posterioris intelligi volumus. Quæ causa etiam est, cur peremptoriæ electionis mentionem fecerimus. Fatemur enim non illubentes, eos, qui ad tempus vera fide credunt, pro isto tempore in gratia esse, & proinde non minori iure electos dici posse, quam iustificatos, ablutos, beatos, & vitæ æternæ participes: quia videlicet in statu illo sunt, in quo si perseuerarent, re vera æternam gloriam & felicitatem consecuturi essent. Ob quam causam Apost. 2. Tim. 2. 10. *Se omnia sustinere* asserit *propter electos* (id est, fideles) *vt & ipsi salutem consequantur*, id est, ne per ipsum vllo modo stet, quo minus illi officij sui accuratam rationem habere pergant, & sic à salute æternâ, cuius iam per fidem aliquatenus participes facti erant, excidant. Quod ipsum etiam ex eo satis clare confirmatur, quod ij qui vocationi diuinæ paruerunt, electi dicantur, cum tamen à fide sua deficere possint, & vt ne deficiant seriis monitionibus & hortationibus à Deo extimulentur, imò non raro deficiant: Vnde etiam ab Apostolo Petro *electionem suam firmam reddere fide-*

les

les monentur. Similiter ex altera parte eos, qui infideles aliquamdiu manent, & nullis monitionibus atque adhortationibus ad frugem adduci possunt, quamdiu tales manent, non minus reprobatos, quam *inimicos, hostes Dei, iræ filios, miseros, perditos, à vita alienos, in morte positos* dici posse; quia in statu illo sunt, in quo si perseuerent, æternùm à facie Dei reijciendi & condemnandi sunt; etiamsi fiat, vt postea deinde per fidem, vitam in melius commutent, & in ea fide ad finem usque vitæ constanter permaneant.

Quarto, quia electio illa, quæ ad gratiam dicitur, non omnino nec prorsus excludit omnem affectum ac voluntatem communicandi gloriam ac vitam, sed eum necessariò præsupponit, tenendum diligenter etiam est, qua ratione electio hæc ad gloriam intelligenda, & ab electione ea, quam nos definiuimus, distinguenda sit. Dupliciter considerari potest gloria: vel sub ratione finis, vel sub ratione præmij. Sub ratione finis consideratur, cum ex affectu & amore gloriæ ac salutis æternæ, quam Deus creaturis suis communicatam cupiret, efficaciter quasi mouetur ad conferendum & suggerendam ea media, quæ obtinendo isti fini necessaria sunt. Is enim efficaciter censetur velle finem, aut aliquid sub ratione finis, qui amore finis mouetur ad ea media quærenda, aut subministranda, quæ isti fini obtinendo per se conducunt ac vtilia sunt; siue finis ipse obtineatur, siue non obtineatur: sicut e. g. medicus censetur velle atque amare ægrotantium sanitatem sub ratione finis, quia amore sanitatis, siue eo ipso quod ægros omnes curatos velit, omnia media adhibet atque vsurpat, quæ sanitati procurandæ conducere possunt: Similiter Patresfamilias liberorum suorum obsequium, & Ministri Iesu Christi gregis sibi concrediti sanctimoniam & innocentiam amare dicendi sunt, etiamsi fieri possit, vt id quod volunt & cupiunt, non obtineant, nec consequantur. Sub ratione præmij eligit aliquos ad gloriam Deus, cum illis actu & reipsa conferre vult gloriam, tanquam fidei & obedientiæ ab ipsis præstitæ mercedem ac præmium. Primam Electionem ad gloriam hoc loco intelligi nolumus, quia ex illa oritur decretum communicandi ea media, per quæ ad gloriam perueniri potest. Quæ quia respui & reijci possunt, hinc est, quod posita huiusmodi electione ad gloriam, non ponatur necessario gloriæ & salutis æternæ collatio. Quæ causa etiam est, quod illa communiter & sine discrimine vllo se extendat ad omnes eos, qui diuinæ vocationis gratiosæ participes fiunt. Neque enim fieri potest, quin eos, quos Deus ex affectu beneuolo ad gratiæ Euangelicæ communionem vocat, etiam ad gloriam, quantum in se est, peruenire velit. Qui enim id vult quod ad gloriam ipsam per se dirigitur, etiam velle dicendus est gloriam ipsam: sicut, qui alicui cibum ad conseruandum eum in vita suppeditat, efficaciter etiam vitam velle, quantum in se est, dicendus omnino est. Sed quia sæpe fit, vt is, cui Deus gratiam facit, eam reijciat, & is per consequens etiam *vitam & gloriam nolle* dicitur in sacris; imo, quod amplius est, *mori velle*, &c. hinc est, quod electionem eam ad gloriam hic intelligi velimus, quæ peremptoria est, & æternæ salutis communicationem actualem & realem sibi coniunctam habet.

Distinctionem hanc necessariam esse Scripturæ loca passim arguunt. Ad primam pertinent hæc sequentia, Ioan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt quisquis credit in eum non pereat*, &c. vers. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt damnet mundum, sed vt mundus seruetur per eum.* Ioan. 5. 34. *Hæc dico vobis vt vos seruemini.* vers. 40. *Sed vos non vultis venire ad me vt vitam habeatis.* 2. Corint. 5. 19. *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, non imputando eis lapsus ipsorum, posuitque in nobis sermonem illum reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur, veluti Deo precante per nos, oramus Christi nomine: reconciliamini Deo.* 1. Timot. 2. 4. *Deus vult omnes homines seruari & ad agnitionem veritatis peruenire.* 2. Pet. 3. 9. *Deus patiens est erga nos, nolens vllos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere.* Et similia multa alia. Ad secundam omnia ea pertinent, in quibus gloriæ, coronæ iustitiæ, mercedis præparatæ ab æterno mentio passim fit.

Huius itaque Electionis peremptoriæ fructus non potest esse, vel datio Seruatoris, vel fides in Seruatorem: Vtrumque enim hoc electioni isti præsupponitur. Nec reprobationis huius fructus aut consequens est, nec esse potest negatio Seruatoris & infidelitas: vtraque enim hæc Reprobationem præcedit.

VI. Etsi vero fides Electionis primæ illius, qua Deus constituit fideles seruare, fructus aliquatenus dici possit, quia ex decreto illo fluit necessi-

tas alterius decreti illius de conferendo media talia, sine quibus fides concipi & haberi nequit, imo per quæ ingenerari etiam fides & potest & solet; tamen revera fructus non nisi καταχρηστικῶς dici potest: cum ea posita fieri nihilominus possit (etsi Deus per sapientiam suam noverit aliter futurum) ut nemo credat, & omnes omnino infideles maneant: & alioquin etiam Reprobationis illius generalis fructus aut consequens infidelitas etiam dicenda foret, quod absurdum est.

Electionis vero quæ ad gratiam est, fructus dici potest hactenus, quod beneficio illorum mediorũ. quæ per gratiam suppeditantur, homo non tantum potens redditur ad credendum, sed actu etiam credit & fidem concipit, adeo ut gratiæ, tanquam causæ primæ ac principali, & solum supernaturaliter operanti, tribuendum sit, quod quis credat & in fide perseveret. Neque tamen hoc sensu fructum Electionis huius dici credendum est, quasi ex illa Electione, sive potius gratiæ huius collatione, necessario existat & oriatur fides, non aliter quam fructus ex arbore: sic enim fides ei cui gratia ista confertur, præscribi non posset & mandari sub comminatione æternæ pœnæ, & quidem ab eo, qui eam gratiæ illi vim atque efficacitatem inesse non tantum novit, sed eandem etiam ipse adhibet atque usurpat ad fidem ingenerandum. Sed hac tantum ratione, quod sine hac gratia fides ingenerari nequeat, & beneficio illius solius in omnibus qui credunt ea ingeneretur & efficiatur.

Per fidem intelligimus deliberatum illum & firmum animi assensum ac fiduciam, quo non tantum Jesu Christi veluti veræ ac divinæ inhæremus, sed in ipsum etiam Jesum Christum Sacerdotem ac Regem unicum, Dominum nostrum à Deo nobis datum toti recumbimus, ita ut ab eo uno salutem omnem ac felicitatem expectemus. Fiducia autem hæc necessario secum involvit atque importat vitæ sanctimoniam, atque integritatem, sive charitatem, & ut sic considerandæ semper est: non quod sanctimonia illa vel fidei forma sit, vel propriè ac per se partem aliquam objecti constituat, quod in electione considerandum veniat; sed quod fides, quæ eligenti Deo objicitur, sine illa esse nequeat, eamque de se sua fœcunditate gignat atque emanare faciat; fides enim nulla alia hic attendenda est quam *viva & quæ per charitatem efficax est*, Gal. 5.

Christum cum dicimus esse Electionis Decreti fundamentum, non id tantum volumus, quod Christus sit caput Electorum & fons bonorum omnium quæ ipsis destinatur in Electione; quomodo enim hac ratione Electionis fundamentum esset Christus? sed quod meritum & satisfactionem Jesu Christi filij sui Deus præire ac præsterni voluerit antequam ullum hominem ad vitam eligeret, aut de ullo homine nominatim salvando quippiam statuere vellet; non quod agere aliter nullo modo posset, sed quod justitiæ suæ læsæ rationem habere vellet, antequam misericordiæ fores peccatoribus aperiret ac patefaceret. Verum quidem esse fatemur, quod affectus sive voluntas salvandi peccatores dationem aut Decretum de dando Mediatore præcesserit; dilexisse enim mundum dicitur Deus, & ex dilectione filium dedisse, Joannis 3, sed affectus ille & voluntas peremptorium salvandi decretum non erat; alioquin tota satisfactio, propitiatio & meritum Jesu Christi subsecutum inutile futurum fuisset atque frustraneum, quia neque potest, neque necesse habet reconciliari aut propitius reddi is, qui iam ante peremptoriè & summo amore aliquem diligit ad vitam æternam. Itaque Christus ex sententia nostra decreti ipsius electionis fundamentum est dupliciter. Primò, quia nisi Decretum de dando Mediatore præcessisset, non potuisset decretum de salvandis ijs, qui in Mediatorem credunt, locum habere. Deinde, quia Justitiæ divinæ, quæ obstabat quo minus Deus in gratiam simpliciter cum peccatoribus redire vellet, per Mediatorem satisfactum est, adeò ut ea satisfactione primum interveniente deinde æternam vitam his & illis assignare, & per eum ipsum Mediatorem totum salutis negotium administrare constituerit.

VII. Ex quibus omnibus manifesto liquet, quis ordo Decretorum divinorum à nobis statuatur in Electione & Reprobatione: hic videlicet:

1. Deus ad gloriam & laudem redundantis bonitatis suæ decrevit creare hominem ad imaginem suam.

2. Hac ratione creato homini legem posuit, quã præstari ab eo non tantum possibile, sed & æquissimum erat, addita proinde comminatione mortis si eam transgrederetur.

3. Cum Adam liberrimè transgressus esset legem hanc, ac proinde malo mortis ac condemnationis non se ipsum modo, sed Deo ita ordinante, per naturalem generationem posteros omnes involvisset, mansit quidem affectus misericordiæ in Deo ad liberandum hominem miserum, sed quia obstabat

bat Justitiã, quæ læsa erat, & veritas comminationis divinæ, quo minus transgressori tali beneficeret, in actum exire non voluit Deus misericordiam suam, nisi prius Justitiæ satisfactum esset, & ante omnia manifestum fieret, Deum peccatum seriò odisse & justitiam amare.

4. Huic autem ut satisfieret, Mediatorem constituere voluit, qui pro peccatoribus omnibus piaculatis victima fieret, & pro ijs mortem subiret, qui per sanguinem suum ad eorundem reconciliationem effusum jus acquireret salutem & vitam æternam certa lege ijsdem conferendi.

5. Sanguine hoc effuso, vel ut effuso considerato, decrevit Deus ut omnes ij qui in Redemptorem illum verè crederent & in fide ad finem usque vitæ perseverarent, ex misericordia & gratia salutis & vitæ æternæ per eum participes fierent. ij vero qui credere in illum nollent, & in incredulitate atque inobedientia illa sua perseveraturi essent, ea propter æternæ mortis & condemnationis pœna plecterentur.

6. At vero quia fieri non poterat, ut peccatores ex seipsis aut viribus suis naturalibus crederent in hunc Redemptorem suum, & in fide tali perseverarent, ac proinde ut nõ credentes rei incredulitatis peragerentur, hinc est, quod Deus decreverit ijs media ad fidem & resipiscentiam necessaria & sufficientia suppeditare per quæ aut actu & reipsa ad fidem concipiendum idonei redderentur, aut ad fidem tandem aliquando concipiendum magis magisque disponerentur, præpararentur, & quasi gradibus quibusdam proveherentur.

Ex quo ultimum deinde Decretum fluit de salvandis nominatim illis, qui beneficio mediorum illorum crediturí, & in fide perseveraturi erant, damnandis vero vel reprobandis à salute illis, qui ad finem usque vitæ impœnitentes & incredulí mansuri erant, aut saltem in incredulitate moriturí.

Hæc est Remonstrantium ipsissima sententia, ex Catholicis Doctoribus collecta, postquam agnoverunt & senserunt, quod reliqui Calviniani Doctores, Factionis Gomaristicæ, sive Ante sive Postlapsarijlli sint, Christianum populum in blasphemias & exitum æternum sua Confessione Belgica, & Catechismo Heidelbergensi præcipitarẽt, De quibus, nempe tam Confessione quam Catechismo nunc amplius agendum est, ut eorum medullam Catholici penetrent & Calvinianorum in Germania oranorint obturare.

VIII. Quemadmodum iam in Articulo de Prædestinatione Calvinistæ in Hollandia dissecti fuerunt in duas aut tres factiones, odio tanto sese prosequentes, quanto aliam quamuis à se dissentientem sectam; ita quoque ijdem inter se discordes facti sunt in alijs articulis, qui à prædestinatione pendent aut cum ea connexi sunt, quorum potissima quatuor capita erant, nempe quæstio, *An Christus D. N. solum pro his passus sit & mortuus, quos vti Antelapsarii dicunt, ante omne præuisum in Adamo lapsum, Deus elegit absolutè ad salutem, vel vt Sublapsarij fingunt, solum pro his quos Deus ex massa perditionis, absoluta electione prædestinasset; An pro cunctis omnino hominibus, qui ex Adam nati sunt vel porro nascentur*, vti defendunt Arminiani, *concedentes quod non omnes, nempe aliunde accedente impedimento, passionis eius fructu fruantur.* Accedebat ad hanc controversiam alia consequenter disceptatio: *De Gratiæ diuinæ auxilijs, & cooperatione cum eâ liberi arbitrij.* Circa quam materiam absurdas fouebant sententias Gomaristæ, quos idcirco Arminiani vehementer oppugnabant. Denique 5. *Controuersia eorundem erat de Perseuerantia finali Fidelium*, circa quam Gomaristæ rursus mire absurda dogmata fovebant, Arminiani vero eadem æque reprobantes meliora substituere connitebantur, ipso lumine naturæ adversus blasphemias aduersariorum excitati, & libris Catholicorum adiuti. Quid porro de his quatuor Controversijs materijs senserint adversatiæ partes inter Caluinistas digladiantes, facillime ex Remonstrantium Thesibus intelligetur, vtpote è diametro oppositis adversus Assertiones Gomaristarum, Theses has expresserunt Remonstrantes ipsimet in Actorum suorum parte 2. pag. 180. quoad secundæ Controversiæ caput his verbis.

IV. Theses de Vniversalitate meriti mortis Christi exhibiti synodo Dordracena A. 1618. 16. Dec.

I. Pretium redemptionis quod Christus Patri suo obtulit, non tantum in se, & per se toti generi humano redimendo sufficiens est; sed etiam pro omnibus & singulis hominibus ex decreto, voluntate, & gratia Dei patris persolutum est: eoque à participatione fructuum mortis Christi, nemo absoluto & antecedente Dei decreto præcise excluditur est.

2. Christus merito mortis sua Deum patrem vniuerso generi humano hactenus reconciliauit, vt Pater propter ipsius meritum, salua Iustitia & veritate sua, nouum

gratia fœdus cum peccatoribus & damnationi obnoxijs hominibus inire & sancire potuerit ac voluerit.

3. *Etsi Christus pro omnibus & singulis hominibus reconciliationem cum Deo & remissionem peccatorum promeruerit, nemo tamen secundum Noui & gratiosi fœderis pactum, aliter, quum per fidem beneficiorum morte Christi partorum re ipsa sit particeps: nec peccata hominibus peccatoribus remittuntur, antequã actu & vere in Christum credant.*

4. *Credere*, Christum pro se mortuũ esse, *ij soli tenentur, pro quibus Christus mortuus est. Reprobi vero, quos vocant*, [reliqui Calvinistæ, nẽpe Gomaristæ] *pro quibus Christus mortuus non sit*, [vt ijdem volunt] *nec ad istam fidem obligari, nec propter incredulitatem contrariam iuste possent damnari: quin si qui tales Reprobi essent ij credere tenerentur Christum pro se mortuum non esse.*

Hæc Remonstrantium Calvinianorum contra Fratres suos erat sententia prolixè in actis eorundem à pag. 281 ad 370 probata, in qua non procul abirent à veritate nisi in 3. Thesi nimium soli Fidei Historicæ vim, neglecta caritate dedissent & Baptismum omisissent in parvulis, vti viam salutis. Porro de Dei Gratia eiusq; operatione in Homine ijdem Remonstrantes A. 1619. 16. Dec. XII. exhibuerunt Theses parte 3. Actorum suorum pag. 1. expressas, quas etiam usque ad pag. 183. comprobare adversus cæteros Calvinistas allaborarunt. Sed eas ob materiæ illius subtilitatem omittendas iudicaui. Denique de Fidelium Perseverantia octonas Theses cum posuissent easdem ad pag. 349 comprobarunt Hæc obiter attingere necessarium fuit, vt ea, quæ ex Tridentino afferentur adversus sectarios Concilio, eluceſcant, nec contra vmbras definita putentur.

Quidnam in his Calvinianorum tam Remonstrantium, quam Contra-Remonstrantium sententijs, de prædestinatione improbent Catholici.

Cap. V.

I. *Iudicium de duabus sententijs Caluinianorum in Communi.*

II. *Iudicium de iisdem magis in specie.*

I. VNiuersim Ecclesia Romana, vti sapientissima Ecclesiarũ omniũ mater, monente Apostolo optavit, vt à re tam ardua, qualis est prædestinatio, filij sui lacte opus habentes, extra Theologicas Scholas & Concilia rite indicta, abstinerent: & vt etiam hi ipsi, quibus ea de re agendi est potestas, magna sobrietate eam materiam tractarent; quin & prohibuit de aliquot, hanc materiam concernentibus quæstionibus, typis quicquam vulgari. Cui etiam prohibitioni sanctissime Magni in Ecclesia Doctores paruisse noscuntur. Damnat igitur in vtraque Calvinianorum factione ausus temerarios, quibus illi inducti illotis, vt dicitur, manibus sanctum attingere sunt ausi, doletque tantam blasphemiarum copiam miseræ plebi esse in manus datam, dum in foro & muro, in transtris & forulis de tam grandibus mysterijs. *aperto puteo abyssi* disputatur vt plebes garriendo & errando & blasphemando *aërem, id est Ecclesiam, ac solem Apocalypticum* (a) nempe divinitatem, tanquam errorum eclipsibus innumeris obscurant. Atque ideo eadem Ecclesia Romana spiritu Dei docta suos & omnes pariter alloquitur (b) *Fili caueas disputare de altis materijs, & de occultis iudicijs; cur iste sic relinquitur, & ille ad tantã gratiam assumitur: cur etiam ille tam eximie exaltatur. Ista omnem humanam facultatem excedunt, nec ad inuestigandum iudicium diuinum; vlla ratio prævalet vel disputatio. Quando ergo hæc tibi suggerit inimicus, vel etiam quidam curiosi inquirunt homines, responde illud Prophetæ: Iustus es Domine & rectum iudicium tuum; & Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Et: *Cum quidam anxius inter metum & spem frequenter fluctuaret, & quadam vice mœrore confectus in Ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostrauisset, hæc intra se reuoluit dicens; ô Si scirem, quod adhuc perseueraturus essem! Statimque audiuit diuinum responsum: Quod si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, & bene securus eris. Moxque consolatus & confortatus diuinæ se commisit voluntati, & cessauit anxia fluctuatio.* Hæc in commune cunctis suadet spiritus Dei, maxime plebi.

2. Quid vero eruditioribus eadem Romana tenendum tradat Ecclesia, sobrie prorsus in Tridentino Concilio exarat Sess 6 cap. 12. tanta certè sobrietate, vt temerarium vulgus omnino in tuborem det. Audiamus. *Nemo, quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio, usque adeo præsumere debet, vt certo statuat se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiam promittere*

a *Apoc cap. 9.* b *Thom. Kemp. lib. 3. Imit. Christi c. 58.*
c *apud eund. lib. 1. c. 25.*

mittere debent; nam, nisi ex speciali revelatione scirinon potest, quos Deus elegerit. His adiungo ex eadem sessione Canones, ex quibus optime se se armabit, qui in hac palæstra cum Calvinianis confliget, ut à neutra eorum factione perdatur.

DE IVSTIFICAtione.

CANON I.

Si quis dixerit, e *hominem suis operibus, quæ vel per humanam naturæ, vel per legis doctrinam fiant absque divina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo; anathema sit.* e *sup. c. 1. & 3. Rom. 3. 1. Cor. 15.*

CANON II.

Si quis dixerit, ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, vt facilius homo iuste viuere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumq; , sed ægrè tamen, & difficulter possit, anathema sit. f *Cõc. Milevit c. 5. Cõc. Afri. cap. 80. & c. ult. de conse dist. 4.*

CANON III.

Si quis dixerit, sine præveniente g *Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* g *Conc. Arausc. 2. c. 6. supra cap. 5. Rom 5.*

CANON IV.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitãti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, neq; posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque passivè se habere, anathema sit.

CANON V.

Si quis liberum hominis h *arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique à Satana invectum in Ecclesiam: anathema sit.* h *Vide Aug. lib. 1. cont. 2. epist. Pelag. c. 2.*

CANON VI.

Si quis dixerit, i *non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè, & per se, adeo, ut sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli: anathema sit.* i *Vide Aug. lib. 1 cont. 2. epist. Pelag. c. 3. & Prosp. Senten. 14. ad cap. Gallorum, & respon. ad 10. obiect. Vincent. Ioan. 1. Conc. Arausicanum, 2. circa fi.*

CANON VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata vel odium Dei mereri, aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, k *gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere: anathema sit.* k *Psal. 17. Luc 12. & Marc. 9. in fin.*

CANON IX.

Si quis dixerit, l *sola fide impium iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiã consequendã cooperetur, & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atq; disponi; anathema sit.* l *supra c. 1. & 2.*

CANON X.

Si quis dixerit, homines, m *sine Christi iustitia, per quã nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse: anathema sit.* m *sup. c. 7. Gal. 2. & 5. Eph. 1. & 4.*

CANON XI.

Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & caritate, quæ in cordibus n *eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei anathema sit.* n *Rom. 5.*

CANON XII.

Si quis dixerit, o *fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam diuinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur: anathema sit.* o *supra cap. 9.*

CANON XIII.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certò, & absque vlla hæsitatione propriæ infirmitatis & indispositionis peccata sibi remissa: anathema sit.

CANON. XIV

Si quis dixerit, p *hominem à peccatis absolvi, ac iustificari ex eo, quod se absolvi, ac iustificari certo credat; aut neminem verè esse iustificatum, nisi qui credat se esse iustificatum, & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, anathema sit.* p *supr. c. 9.*

CA-

CANON XV.

Si quis dixerit, d *hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum: anathema sit.* d Aug. c.13. lib. de corrept. & gratia, supr. c.12.

CANON. XVI

Si a *quis magnum illud vsque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum, absoluta, & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc ex speciali revelatione didicerit: anathema sit.* a Aug. li. de bono perseu. c.13. supra c.12. & 13. Gal.3. Ezech.18.

CANON XVII.

Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, vtpote b *diuina potestate prædestinatos ad malum: anathema sit.* b Conc. Arausc. 2. c. 25.

CANON XVIII.

Si quis dixerit, c *Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit.* c supra c.11, 1. Ioan.5.

CANON XIX.

Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos anathema sit.

CANON. XX.

Si quis hominem iustificatum, & d *quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantùm ad credendum: quasi verò Euangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum: anathema sit.* d Similis error erat Beguardorum a Concil. Viennensi damnatorum sup. cap.11.

CANON XXI.

Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse vt redemptorem, cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant: anathema sit.

CANON XXII.

Si quis dixerit, b *iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse: anathema sit.* b supr. 13.

CANON XXIII.

Si quis hominem semel iustificatum dixerit c *amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, numquam verè fuisse iustificatum, aut contrà, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia: anathema sit.* c sup. 3. 14.

CANON XXIV.

Si quis dixerit, d *iustitiam acceptam non conseruari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam: anathema sit.* d sup. c. 10

CANON XXV

Si quis in quodlibet bonum opus iustum e *saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus eius opera non imputet ad damnationem: anathema sit.*

CANON XXVI.

Si quis dixerit, a *iustos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem à Deo per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo vsque* b *in finem perseuerarint; anathema sit.* a supra c.16. b Mat.24.

CANON XXVII.

Si quis dixerit, c *nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumuis graui & enormi præterquam infidelitatis, peccato semel acceptam gratiam amitti: anathema sit.* c.1. Cor. 6. supr. c.15.

CANON XXVIII.

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viua, aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum: anathema sit.

CANON XXIX.

Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, aut posse quidem, sed sola fide amissam iustitiam recuperare sine sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana, & vniuersalis Ecclesia à Christo Domino, & eius Apostolis edocta, hucusque professa est, seruauit, & docuit: anathema sit.

CANON XXX.

Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, e *vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in* f *Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit: anathema sit.* e Sess. 14. c.8. f infra Sess. 25. in prin.

CA-

CANON XXXI.

Si quis dixerit iustificatum peccare g dum intuitu æterna mercedis bene operatur: anathema sit g supra c. 12. in fin.

CANON XXXII.

Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse bona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atq; etiam gloriæ augmentum: anathema sit.

CANON XXIII.

Si quis dixerit per hanc doctrinam Catholicam de iustificatione, à sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri, derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Iesu gloriam illustrari: anathema sit.

Atque est sobria Romanæ Ecclesiæ doctrina, quæ reliquis subtilitatibus in hac materia ex Sp. S. dictamine definiendis manum hactenus prudenter admonere supersedit, nisi in eo q̃ S. D. N. Innocentiũ X. P. M. quædam huc pertinentia, definire necessitas Belgij & Galliæ coegit, quæ non incongruè præmissis adnecto.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christi fidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm occasione Impressionis libri, cui Titulus, Augustinus Cornelij Jansenij Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Gallijs, controversia super quinque ex illis, Cõplures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, uti easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.

Tenor verò præfatarum Propositionũ est prout sequitur.

Prima: *Aliqua Dei præcepta Hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.*

Secunda: *Interiori Gratiæ, in statu Naturæ lapsæ nunquàm resistitur.*

Tertia: *Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à Coactione.*

Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset Humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

Quinta: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò Hominibus mortuũ esse aut sanguinẽ fudisse.*

NOS, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei Nobis ex Alto commissa, purgatis pravarum Opinionum erroribus, turbò militare, & tanquam Navis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis Portum pervenire possit.

Pro rei gravitate, coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem Quinque Propositiones, uti suprà Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relato maturè consideravimus, eosdemque Magistros varijs coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdẽ, ac super earum qualibet disserẽtes audivimus.

Cum autem ab initio huiusmodi discussionis ad divinum implorandum Auxilium multorum Christi fidelium preces, tùm privatim, tùm publicè indixissemus, postmodùm iteratis eisdem fervẽtiùs, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus Assistentia, tandem Divino Numine favẽte, ad infrascriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: *Aliqua Dei præcepta Hominibus Iustis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent Vires, sunt impossibilia; deest quoq; illis Gratia, qua possibilia fiant:* Temerariam, Impiam, Blasphemam, Anathemate damnatam, & Hæreticam declaramus, & ut talem dãnamus.

Secundam: *Interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur:* Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: *Ad merendum & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à Coactione:* Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: *Semipelagioni admittebant prævenientis Gratiæ Interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam*

Gratiam talem esse, cui humana voluntas posset resistere, vel obtemperare: Falsam & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse*; Falsam, Temeratiam, Scandalosam: & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorũ mortuus sit: Impiam, Blasphemam, Contumeliosam, Divinæ Pietati Derogantem, & Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

An. à Nat. D. N. Jesu Christi M. DC LIII. Indictione VI. &c. nona die Mensis Junij affixa & publicata Romæ, ac deinceps per alias Christiani Orbis Provincias, ad quas pertinebat.

Hac damnatione perstricta est Gomaristarum doctrina, de quorum promptuarijs & sentinis cusæ fuerunt eæ Propositiones. Etenim 1. Propositio ab Innocentio X. damnata est Gomaristarum, quã Remonstrantes damnarunt Actorum suorũ parte 3. Thesi 6. & ostendunt pag. 33. a Gomaristis doctam esse, adductis verbis ipsorummet Authorum ex collatione Hagiensi pag. 57. & 209. Triglandio, Geselio, Calvino, Beza, Zregedino, Piscatore, Dãmanno, Donteclockio, Thysio, Martyre, Zanchio, Zeppero &c. Calvinianis.

II. Propositio damnata ab Innocentio X. etiam est Gomaristarum, uti ostendunt Remonstrantes Actorum suorum parte 3 à pag. 19. ex collationis Hagiensis pag. 207. 208. Thisij, Triglandij, Dungani, Dammanni, Smouti, Geselij, Zanchij, Dõteclockij, Gomari, Calvinique &c. Gomaristarum ipsissimis verbis. & amplius à pag. 50 ibidem probant à Gomaristis doceri: damnantque Thesi sua.

III. Propositio ab Innocentio X. damnata est eorundem Gomaristarum, qui inter Antelapsarios, & Sublapsarios mediam sententiam inducere voluerunt, dicendo Homines eo quod à Deo ad malum seu peccatum non cogantur, sed solum alliciendo vel arcana voluntate necessitentur, libere satis peccare, & esse inexcusabiles à damnatione &c. ostendunt id & damnant Remonstrantes in suis Fratribus Calvinianis tum alibi, ut Actorum suorum parte 3 à pag 72. tum parte 2. pag. . . ubi irridentes eos qui sperant illo effugio se posse efficere, ne dicatur Deus ad peccata cogere, si solum arcano modo & voluntate necessitet homines ad peccatũ.

IV. Propositio ab Innocentio X. damnata, etiam fuit Gomaristarum, ut patet prolixissimè ex Actis Synodi Dordracenæ, in qua Gomaristæ prævalẽtes, fratres suos in Schola Calvini Arminianos ob id quod docerent *Gratiam Dei talem esse, cui humana voluntas possit resistere*, damnarunt, & Semipelagianos idcirco vocarunt.

V. Propositio ab Innocentio X. damnata, etiam est Gomaristarum, uti patet ex parte 2. Actorum à Remonstrantibus editorum à pag. 189. ad pag. 270. maximè à pag 287. ubi Remonstrantes suorum Contra-Remonstrantium verba incipiunt adnumerare, quibus impiè docent Christum D. N. non pro omnibus hominibus, sed solum pro Electis seu prædestinatis fuisse passum.

Habet igitur Romana Ecclesia hanc gloriam, quti à suo Episcopo Innocentio I. vidit damnatos Abnegatores Gratiæ hæreticos Pelagianos; ita à suo Innocentio X. viderit oppressos, alios hæreticos, qui Gratiæ affinxerunt irresistibilẽ & necessitatẽ, & habet Ecclesia Cathol. tam errandi, quã caritatẽ scindendi periculis paternè liberata, unde patri suo amantissimo semper gratias agat memoriamque eius in benedictione conserver semipernam.

De Confessione Belgicarum Ecclesiarum & quænam circa eam acciderint.

CAPUT VI.

I. *Confessionis illius Argumentum, origo, & robur.*
II. *Summarie contenta in ea Confessione dogmata.*
III. *Errores graves in ea Confessione admissi.*
IV. *Quod hos errores Armeniani seu Remonstrantes agnoverunt.*
V. *Dei Providentia & in Ecclesiam Catholicam beneficentia in eo quod permisit Remonstrantes oppressi à Gomaristis.*

I. CONfessio Ecclesiarum Belgicarum, pluribus Gallica An. 1562. Belgica sæpius, Latina, Germanica imo Græca etiam linguis edita, constat XXXVII. articulis cõplectibus ut Titulus ait, *summam doctrinæ de Deo, & æterna animarum salute*. Non est autem arbitrandum, quasi olim Belgarum Ministri, aliquando in unum locum congregati, dogmata huiusce Confessionis inter se collata, matura deliberatione, & Doctorum hominum oppositione aut examine multo præmisso, demum consentiendo unanimiter concluserint, & populo credenda tenendaq; proposuerint, uti in Sacrosanctis Eccles Cathol. Concil. fieri cõsuevit, & novissimè in Trid. factũ fuisse cõstat; sed omnia Cõfessionis illius dogmata & eorum methodus, non est aliud quam priuati doctoris in musæo reformatę Theologiæ conceptum temere opus (quidem sæpe postea.

ſtea mutatum correctumque vti diuerſa exemplaria conuincunt)& quidem furtiue, ex Gallica Caluiniſtarũ confeſsione(a)quæ A.1561. dicitur Carolo IX. Regi oblata eſſe, ſublecta, quo ad ſenſus plures, etſi Belgica verboſior ſit, & magis garrula. (a)In publicam tamen protruſum opus hoc, primo vnius alteriuſue Miniſtri, minus ſapientis admiratione laudatum, poſtea plurium, æque parum ſapientium, acceſsione approbatum in vulgarẽ ſenſim vſum inductum eſt. & ſpecioſo *nomine Eccleſiarum Belgicarum* fuit inueſtitum. Sed & ſi omnium Miniſtrorũ confeſsione ea confeſsio fuiſſet integris aliquot annis expolita ac decreta, nullam tamen maiorem vim certitudinemque obtineret, q̃ cuiuſdã Conſpirationis, ſine legitima authoritate conflatæ, cum in rebus Diuinis, *nemo habeat poteſtatem ordinandi, niſi ei ſit deſuper legitima traditione conceſſa*, de qua legitima traditione poteſtatis in diuinis, aut animarũ regimine ſibi conceſſæ, nemo Reformatorũ Miniſtrorũ hactenus vllum hominẽ valuit edocere, aut quenquã reddere ſecurũ, vti ipſi agnoſcunt. & faſſi ſunt tot iam annis exagitati Aquiſgranẽſi prouocatione ad ſpeculũ veritatis.(b)

II. Porro Confeſsio illa Belgicarum Eccleſiarũ, continet multa dogmata, de quibus ipſi Reformati neſciunt, *an ſint ad ſalutem neceſſaria ſcitu?* multo minus, *an ſola hæc ſint explicite ſcienda*; & multo adhuc minus, *an ſint Norma fidei ſaltem ſecundaria?*(nã prima Norma omnino apud eos eſſe debet ſcriptura ſacra)ſed & alia quam plurima ſunt in ea confeſsione, de quibus ipſi reſpondere neſciunt. Præcipua vero dogmata perditionem animarum concernentia in dicta confeſsione ſunt quæ declarant quodnam ſit *Verbum Dei ſeu ſcriptura diuina* art. 3. 4. 5. 6. 7. ad quam, veluti ad Regulam confeſsio iſta Fidem noſtram iubet exigi, enumeratque tum libros Canonicos, tum ſua priuata opinione Apocryphos. Deinde ex hac ita determinata ſcriptura art. 8. 9. 10. 11. eadem confeſsio narrat quid *de Deo Patre, Filio, Spiritu ſ.* ſecundum ſe, credant Reformati, tum q̃ id de eodem, *vt creatore & gubernatore omnium* art. 12. 13. 14. deinde quid *de Adami peccato & repromiſſione ei facta, & impleta per incarnationem D. N. I Chriſti tenendum ſit art.* 15. 16. 17. 18 19. 20. Etiam *quid Redemptor nobis præſtiterit boni.* art. 21. & 23. & *quomodo nobis applicetur iſtud bonum, ſiue ipſe Chriſtus Dominus, nempe per Fidem ſolam*, art. 24. 25. *quantumque per eam ſolatium habeant Reformati in Chriſto* art. 26. Dicit etiam aliquid eadem confeſsio *de Eccleſia Catholica, quid ſit agatque, quamque ſit neceſſaria, & vnde noſci queat & quas habeat Rectores* nempe Miniſtros Seniores, & Diaconos inſtar Senatus, Ciuiles autem Dominos inſtar Magiſtratus ius dicentis, dummodo ex Miniſtrorum arbitrio decernant & agant ab art. 27. ad 33. item 36. & 37. denique *de Sacramentis duobus, ſolis vlt. Baptiſmo & Cœna articulis* 34. 35.

Atque ita Finis Confeſsioni imponitur, omiſsis plurimis, *quæ neceſſario creduntur*, vti carnis Reſurrectio, *quæque agi oportet*, vt Oratio, & quæ obſeruanda ſunt vti *Præcepta Dei*, vt iure meritiſsimo pars ipſorummet Reformatorum, inſpectũ tanta imperfectione huius confeſsionis, tantaque lubricitate & falſitate dogmatum in ea contentorũ, etiam ſecundum domeſtica principia Reformatorum, eam *tamquam ſtupidam & inſulſam damnarit*, & per ſcripturam ſacram emendare ſeu eius errata demonſtrare auſa fuerit, vnde *Remonſtrantes* ab aduerſaria parte, qui Confeſsionem erraticam mordicus defendendã ſuſceperunt, ijdẽ appellati.

III. Nolo hoc loco Confeſsionis antedictæ errores ex Catholicæ Eccleſiæ principijs propalare, ac conuincere, ſed ſolum ex ipſis Remonſtrantiũ nempe fratrum ſuorum Scriptis, inter Acta ſua editis, idque quam breviſsime. Igitur limatioris ingenij, quam cæteri, craſsiores & obeſæ naris Reformati, Doctores Remonſtrantes conqueſti ſunt.

S. Confeſsionem illam Belgicam, à ſe ipſa in diuerſis exemplaribus, quæ tamen pro authenticis omnia habeantur, diſcrepare; inde euidens eſſe, non illam ſpiritus ſancti, qui in ſe ſuisque dictatis perpetuo conſtãs eſt, fuiſſe dictamen, ſed ingenij humani paulatim proficientis, & errores ſuos deprehendentis & mutãtis partũ. Aſſeruerũt proinde ijdem in cũbere Synodo Reformatarũ Eccleſiarũ, vt determinẽt, quodnã ſit genuinũ exẽplar, ex quo Fidẽ debeãt cõfiteri, tã vulgus q̃ Prædicãtes eorũ.

2. Confeſsionem eandem multum diſcrepare à Confeſsionibus aliarum Eccleſiarum Reformatarum in Helvetia, Gallia, Palatinatu, Anglia editarum. Exempli loco, Belgica Confeſsio art. 29. confitetur, tertiam notã veræ Eccleſiæ eſſe, *Si diſciplina Eccleſiaſtica, vt vitia corrigãtur, obtineat* & huiꝰ diſciplinæ

a *Videndũ Genevæ A. 1612. vel etiã alibi editũ Corpus vel Syntagma Confeſsionũ Fidei, quæ in diuerſis Regnis nomine Eccleſiarũ fuerunt editæ.* b *Authore P. Iudoco Ked Soc. Ieſu Sapiũ in Germ. edito, ad quod ſpeculũ obmutuerunt; vel ſi locuti, delirare conuicti ſunt tã Caluiniani quam Lutherani Reſpondentes.*

plinæ robur art. 32. fatetur imprimis consistere in *Excommunicatione.* Jam vero notorium est multas Reformatorum Ecclesias, nominatim Helveticam carere disciplina eiusmodi: unde consequitur Helveticam Reformatorum Ecclesiam, secundum Belgicam Confessionem, non esse veram Ecclesiam, & tamen pag. 11 Actorũ Synodi Dordracenæ quatuor Reformatorum ex Helvetia Rerumpub. Ministri, ut veræ Ecclesiæ Doctores admissi fuerunt, & in Synodo sententiam dixerunt cum hisce Confessionistis.

3. Ministri Hollandiæ compellunt iurare in verba Cõfessionis, & multi iurant, cum tamen *solum Verbum Dei sit norma Fidei*, & ipsa Confessio art. 7. dicat, *sacram Scripturã perfectè cõplecti & quodcunq; credi necesse est, in illa sufficienter edoceri*, aut igitur Confessio ista est ipsa Scriptura S. quod est evidenter falsum, aut est epitome Scripturæ, quod etiam est evidenter falsum; cum maior pars sententiarum & verborum in ea positorum non sit de scriptura, imo contra eam pugnet. Itaq; Reformati Belgæ, admittunt novam credendi Regulam præter Scripturam saltem veluti *Normam secundariam.* Hoc si concedunt, quid ni maiore iure Pontificij pro Norma secundaria teneant, uti semper tenuerunt, Conciliorum definitiones & SS. PP. consentientem doctrinam à tempore Apostolorum propagatam, quæ centesima parte non pugnant inter se, quantum Confessio brevis secum & cum scriptura. Audiant igitur Belgæ Canticnam suam *Non addetis &c.* ex Deut. & Apocal. *maledictionem latam in apponentes ad scripturam.*

4. Multa esse in Confessione illa imprudẽter, seu temere, multa falsè, multa secum ipsis pugnantia posita, in quæ tamen iurare, ut bruta, compellãtur. Exempli gratia, Imprudẽter asseritur art. 4 Libros Scripturæ Canonicos esse eos *quibus nihil possit opponi.* art. 5. *cæcos ipso contactu deprehendere quod ea eveniant, quæ in scriptura prædicuntur*, & ideo absque ecclesiæ judicio posse scire quod scriptura sit Dei verbum. art. 7. Imprudentissime allegatur textus ex Rom. 3 4. & psal. 61. 10. *de omnium hominum mendacitate & varietate* (contra Concilia, Decreta, Statuta, & successionem in Cathedra Apostolica supertã S. Petro fundata) dum addit, ex *seipsis* (seu ut habent alia exemplaria *ex sua natura* esse tales) nam Catholicis, contra quos textus illos allegat author Confessionis numquam asseruerunt, firmitatem decretis, Concilijsque inesse ab hominibus *in se ipsis vel natura sua spectatis, sed in promissa Ecclesiæ & imprimis S. Petri successoribus assistẽtia indefectibili Spiritus S.*

Falsa vero ista, cum art. 12. & sequentibus author Confessionis agens de creaturarum productione à Deo, *Deum Opt. Max. facit Antelapsarium in prædestinatione sua* id est ab æterno, ante omnem præuisum etiam in Adamo lapsum, certos homines nominatim elegisse ad vitam æternam, vt sibi inseruirent, vt vasa seu instrumenta ad ostendendam suam gloriam in misericordia sua, multo vero maximam partem hominum æterno exitio & ineluctabili miseriæ addixisse, vt ostenderet in eis, vti in vasis, gloriam suæ seueritatis iræ & potestatis in cruciando. alibi vero eundem Deum ac Dominũ facit *Sublapsarium*, id est ex genere humano consideratovt lapso in Adam, certas quasdam singulares personas nominatim elegisse ad salutem puro meroque placito suo; nulla habita ratione resipiscentiæ, fidei, aut obedientiæ per gratiam recuperatæ, & eas ineuitabiliter ad ostendendum diuitias misericordiæ suæ in illis produci ac promouerad dictam salutem. Reliquas personas singulares eiusdem generis humani ad ostendendam seueritatem suam decreuisse, In statu lapso relinquere, nec à damnatione nec à peccato vnquam liberare, nec à damnatione nec à peccato vnquam liberare & pro his Christum Dominum non esse passum, nec Deum voluisse vt eis eius passio prodesset, sed nec gratiam vllam salutarem concedere aut largiri.

Eosdemque tamen velit vocari ad gratiam per vocationem externam, cui debeant & non possint non reluctari, eo fine vt tanto magis obcæcentur, indurentur & gravioribus criminibus implicati, grauioribus pœnis implicentur, &c. Hanc sententiam Authorem Confessionis illius Belgicæ passim variis verbis inculcare, aut supponere, eo q; scribat talia, quæ, nisi illa ponantur, non subsistunt patet. Hinc art 12 de creaturis dicendo, *eas productas vt creatori suo inseruirent*, talem servitutem intelligere. Item dicendo, *creauit angelos eosque bonos, vt nuncij eius essent; alios in perditionem ab excellentia sua lapsos*, vafre causam bonitatis in illis, & perditionis in his subticuisse, nempe meritum & demeritum, vt Deum in ipsorum quoque creatione Antelapsarium posset efficere prædestinatorem. Aliaque eiusdem generis de ijs inculcare, abstinendo à mentione peccati, & vsurpando nomina *perditionis, corruptionis, condemnationis æternæ*; & quã in damnatis Angelis malitiam agnoscit, non esse aliam quam in qua creati sunt vel quæ præcipitationem eorum decretam, damnationemq; secuta est, nempe *quod Dei omnisque boni hostes sint,*

Eccle-

Ecclesia & membris eius insidiétur, veluti prædones &c. & ideo indies magis magisque horrenda tormenta eis infligi, Eandem ob causam articulo 13. Confessionis, authorem usurpare nomen *Ordinationis* dicendo *quod in hoc mundo nihil absq; ordinatione Dei eueniat*, nempe lectorẽ inducendo tã in sensum reprobũ, quod scilicet *omnia ex ea Dei ordinatione fiant, qua vt necessario fierent decreuit, quã insensũ aliũ bonũ ordinationis, qua quedã permittere decreuit, & qua dũ vt necessario succedant.* Hanc vafræ usurpationis intentionem prodidit author idem, cum antedictis subiungens latendi gratia (*quamuis Deus peccatorum, quæ fiunt, neque author neque rebus sit*) confestim ea addit, quæ aliter proxime dictis apte subiungi nequeunt, nisi ordinandi vocem in pessimo significatu exponas. Subiungit enim mentioni de peccatis ista. *Tanta enim tamque incomprehensibilis est ipsius* (Dei scilicet) *potentia & bonitas*, vt opus suum *optime iustissime ordinet & exequatur etiam cum & diabolus & impij iniuste agunt. Qua vero ita agit, vt humanum excedant sensum in ea nolumus curiose vltra quam fert captus noster inquirere. Quin imo omni animi submissione & reuerentia occulta nobis iudicia Dei adoramus &c.*

Hic est ille sermo iniquitatis, qui cum Deum fecisset & transformasset in Autc & Sublapsarium prædestinatorem pro Schola Calvini, eundem ne tyrannus appareat, vel dæmon, fascijs reverentiæ, & submissionis inuoluit, vt Christianus populus iudificatus æquiuocis, pro Deo vero dæmonem adoraret. Perviderunt hanc vafritiẽ Gomaristicã, Doctores ipsi in Schola Caluini, dicti Remonstrantes, eamque non ferentes ductu naturalis luminis in parte doctrinæ de prædestinatione à Fratribus suis seu collegis resilierunt, & Catholicorum dogma tutum de prædestinatione sunt amplexi, bellumque tam Confessioni huic, quæ est *Subuersio*, quam eius tutoribus aliquãto animo indixerunt, collectis ad singulos fere Confessionis istius malæ articulos *Notis & Animaduersionibus*, aliquãdo in synodo æqui iudicij viris proponendis.

Has Animaduersiones sub nomine considerationum ijdem Remonstrantes in Actorum suorũ prima parte tempore synodi Dordracenæ A. 1619. produxerunt, & cum ijsdẽ Actis ediderunt à pag. 86. ad pag. 99. legendas. Istic quilibet leget prudentes limitationes & cautelas verborum, quibus imprudenter vtitur Confessio Veluti articulo 13. citato admodo relata verba: *Tanta enim tamque incomprehensibilis hi prudenter addi optant Deum neque per malitia infusionem, nec alio siue interno siue externo impulsa aut gratia subtractione creaturũ necessitatem imponere tale opus efficiendi, quod sine peccato præstari nequit & creaturas in talibus opibus non instrumenta mera Dei, sed operis præcipuã esse.* It. causã ad verba illa: *Hæc doctrina de ordinatione diuina ineffabilem nobis affert consolationem, dum ea erudimur nihil nobis fortuito nec sine optimi patris nostri & cælestis voluntate euenire posse*, Remonstrantes omnino suadent addenda verba, per quæ excludatur peccatum, sine voluntate patris illius imo contra eum contingens. Et rursus ad verba: *sine eius* (Dei) *permissione venia, concessione* (ita enim diuerse exprimunt in diversis exemplaribus) *& voluntate nobis Diaboli omnesque inimici nocere nequeant ineffabilem affert consolationem*, addunt prudenter Remonstrantes, *non est valde magnum solatium quod diaboli nobis sine voluntate Dei nocere non possint, nisi addas & illud, Deum vero nunquam permittere vt noceant, aut si permittat, id cum nostro permittere emolumento.* Idem magnum errorem notant ad 14. articulum, ubi Confessio profitetur quod *Deus ex terra puluere hominem crearit*, quo loco si Confessio velit animam humanã de potentiã materiæ eductam, patet quãtus inculcetur error, ideoque oportuerat, vt corporis efformati, & animæ creatæ distincta conficeretur mentio. Admirantur autem Remonstrantes dum considerant quod confessionis author cum art. 12. de creatione, & 13 de providentia Dei in regendis creaturis etiam nomine egisset, iterum 14. art. ad creationem Hominis relabatur, habentque iure suspectum, quasi author in 12. & 13. articulis de decreto in mente divina egisset, 14. autem executionem decretorum divinorum clam obuoluere esset conatus vt Antelapsario sũ inveheret blasphemiam, qui modus agendi dolosus à genio hominis Caluiniani, præsertim accusantibus eum fratribus suis non abhorret, & postea Remonstrantes perspicue ostendent cap. octauo. Ridiculã veremfacit idem author Confessionis, cum eodem articulo 14 asserit *Homini de donũ à Deo acceptũ* (nẽpe bonitatis, iustitiæ & sanctitatis, & potestatis compocendi se arbitrio suo ad voluntatẽ Dei per omnia, quæ prædicauerat ei donata) *post lapsum tantum exigua quædam illorũ vestigia* (alia exemplaria habent, *Scintillas*) *remansisse, qua tamen sufficiant ad eum reddendum inexcusabilem*: & Mox eodem pene halitu ait: *quidquid in nobis lucis est in tenebras versum est, vt Scripturarum docet dicens, Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, vbi S. Ioannes Homines tenebras appellat. Ridicula, inquam,*

sunt hæc, quoniam & pugnantia sunt & pessime è scriptura probantur. Quomodo enim si homines meræ tenebræ sunt, nihilominus scintillæ sunt, aut exigua vestigia donorum Dei? aut si sunt meræ tenebræ, quomodo non excusabiles sunt de non lucere? Fatua sunt igitur ista assumenta. Omitto quod ibidem peccatum Hominis multo magis risu digna definitione depinxit, dicens non esse aliud quam *quod cum homo in honore esset nõ intellexit &c.* quod ipsum Remonstrantes vt plurima alia exprobrant, quæ prætereo, cum ex paucis adductis in medium cuius futilitas Confessionis Belgicæ iam tum innotescere possit, cuius occasione in Hollandia Schisma fuit inter Caluinistas meritissimè conflatum.

V. Elucet ex hinc singularis Dei in Ecclesiam suam Catholicam prouidentia, qui ex ipsa Schola Caluini Reformata in Cathedris Ecclesiarum Catholico populo ereptis excitauit eis aduersarios & euersores impiæ Confessionis, sinens eos, vti hinc & inde stantes acies concurrere bello tanto, vt toto Europa ad spectaculum fuerit excitata, de cuius belli decursu cap. 8. agetur. Interea votum esto, vt diuinæ prouidentiæ consideratio continuetur, à qua etiam illud est glorioſum Ecclesiæ Catholicæ gestum, quod cum se Remonstrantes Caluinianis Antagonistis suis opponere cœperunt, ipsimet non de suo paupere penu, sed de Romanæ Ecclesiæ armamentario arma aduersus hostem valitura, sumere debuerunt. Testantur hoc ipsi Remonstrantium antagonistæ qui identidem questi sunt de Fratribus suis, quod è Iesuitarum libris Suarezio, alijsque Papistis argumenta sumpsissent, ad sese Confessionemque suam suauem oppugnandam, quæ tamen argumenta, non rationum momentis aut (scriptura tãtopere semper sibi clara, & diuite & sufficiente, & illuminante) sed ciuilis potestatis violentia retundere debuerunt, imo opprimere, qua in re iterum diuinæ providentiæ radius pulcherrimus eluceſcit, dum iustam causam & bonam in Remonstratibus vt ostendam oppressis, nõ permisit triumphare, ne contraheret sanctitas Catholicæ doctrinæ vllam ex hoc infamiam, quod per hæreticos fuisset defensa. Etiam, vt mali defensores eius intelligerent se frustra armis Catholicorũ pugnare, qui nolint cum ijsdem in ijsdem eorum castris, nempe Ecclesia eadem viuere & militare. Cesset iam ab animis Catholicorũ admiratio ista: cur in Remonstrantibus bona causa fuerit à Contra-Remonstrantibus potenter oppressa?

De Catechismo Reformatarum Ecclesiarum, & quæ circa illum euenerunt.

CAP. VIII.

I. *Author Catechismi Reformatarum ad Rhenum Ecclesiarum siue Heidelbergensis.*
II. *Eiusdem Catechismi Synopsis.*
III. *Eiusdem absurda quinque in I. quæstione eius & Responsione deprehensa.*
IV. *Similia plurima ex alijs quæstionibus eius & Responsis detecta.*
V. *Quomodo idem Catechismus à Catholico scriptore fuerit festivè explosus.*

I. AVthor Catechismi Palatini seu Heidelbergensis fuit Zacharias Vrsinus Vratislauiensis in Silesia natus. Siquidem pater eius Caspar Beer (Latine Vrsus) quondam pædagogus in Austria, exactus inde Vratislauiæ considens Ludimagistrum agendo notham duxit, ex qua Zachariam istum suscepit An. 1534. 18. Iulij. Volo honestissimè eius vitam commemorare, ex Fratre eius in fide Festo Hommio, ne queri possint Reformati affectibus cum eo actum esse. Anno igitur 1550. VVittebergam ad Studia literarum missus, mercatorum quorundam eleemosynis ibi vixit, audiitque Philippum Melanchtonem, cum quo Ann. 1553. pestis metu expulsus VVitteberga Torgam secessit. Cum autem Melanchton paulo post alio inde esset euocatus. Vrsinus ad Rheni partes contendens per Heluetios & Lo-sannam & Genevam pervenit, vbi Caluini auditor factus ex Lutherano, vel Melanchtonico factus est Caluinianus. Discedensque à Caluino librarijs munusculis, quibus se alijsque insineret, est donatus; ipse vero Hæreses tam à Melanchthone quam Caluino haustas partim immutatas fouit, partim aliter coxit. Genevam autem recedens Lugdunum Galliarum, deinde Parisios profectus, Vratislauiensium fere impensis, istic Ioannem Mercerum Hebrææ linguæ professorem, audiendo aliquid profecit. Inde per Heluetios, Tigurum imprimis, hæreticis nobilem vrbem, transiens, per Sueuiam Vlmam atque Tubingam, Norimbergamque ac Franconium, redijt VVitebergam ad veterem hæresis Magistrum Melanchtonem

tonem, apud quem indies conversabatur, tanquam Caluinismi non iniquum sodalem vti de eo Lutherani conqueruntur & Caluinus Epistolis ad eum datis non obscure significauit. Apud hunc cum agit An. 1558. à Senatu Breslauiensi ad Regimen Scholæ S. Elisabethæ, unaque Philosophiæ ac Theologiæ initia tradenda euocatur, in qua ita versatus est, vt ouina pelle tectus lupus aliquando tempore latuerit, & grassatus fuerit; Sed cum ad cœnæ Lutheranæ & Caluinianæ materiam explicandam Methodo peruenisset, quisnam esset, plane est detectus, nam scripturas torquendo, & Veteres Doctores mutilando & Melanchthonem ipsum flectendo, ad sententiam pro Caluiniano figmento dicendam omnes cogebat. Vnde confestim à Lutheranis est veluti Sacramentarius ex loco profligatus, sensitque sero Senatus, & reliqui se colubrum & Vrsum, tum domi, tum in exteris regionibus aluisse, qui tunc quidem rapere, nunc autem mactare occiperet. Voluit nihilominus tam patenter deprehensus Leo, se Asini exuuijs velare, edendo Theses declarantes mentem suam, de baptismo & Cœna, quas ad Melanchthonem transmisit: sed Melanchton, intellectis ijs quæ acciderant, vafre vtrique parti veli ficari volens, ei suasit, *vt cautè perseueraret in Orthodoxa doctrina, & si istic locorum non posset subsistere, discederet; vt VVittebergam rediret.* Videns igitur Vrsinus animium arcana pectoris sui detecta Ann. 1570. 14. Iunij Vratislauia discessit, & VVittebergam rediit, vbi eodem anno paulo ante reditum hunc obierat Melanchton 16 Febr. qui damnatam & anathematizatam ab se doctrinam Sacramentariorum Augustæ A. 1530. extremo vitæ tempore paulatim plus & amplius visus erat profiteri, ita vt Palatinus Elector Otto Henricus paulo ante mortem eius, Melanchtonem consulens, de controuersia cœnæ Heidelbergæ, inter Doctores suæ Academiæ Petrum Boquinum & Guilhelmum Clebitium Caluinistas ex vna, & Heshusium ac Lutheranos ex altera parte, obortæ, literas receperit magis fauentes Sacramentariæ opinioni quam Lutheranæ, (a) Vnde etiam Palatinatus mox in Caluinissimum fuit præcipitatus. Nam Otto Henricus Consilium Melanchtonis secutus, Heshusium & Clebitium capita factionis orræ quidem amadavit, & Caluinistas exinde introduxit & fouit. Vltus fuit tunc Melanchton se ipsum ex animi sui desiderio aduersus Heshusium, is enim Flaccianus erat, quod genus hominum inter Lutheranos Philippo erat infensissimum, Ita passionum arbitrio, apud Nouos illos Euangelicos, sisque deque vertebantur omnia. Cum igitur VVittebergam redux Vrsinus videret ibi omnia Lutheranis oppleta, professionem eo loco inter tot oculos & aures aduersaturas ordiri metuens, ad Sacramentariorum nidum Tigurum in Helvetios 3. Octob. redijt, vbi à Petro Martyre vel pseudo-Martyre potius & Bullingero, Simlero, Lauatero, Gualtero, Gesnero, Frisio & similis farinæ hominibus est exceptus, tanquam ex castris inimicorum Transfuga, & in Synodo quadam Specimen suæ hæresios dare iussus, dedit. At cum per literas Heidelberga datas à Thoma Erasto Medicinæ Doctore professor Sacramentariæ factionis eo euocaretur Vrsinus eo & sua & aliorum voluntate est profectus, qui An. 1565. 19. Sept. eodem perueniens in sapientiæ Collegio cæpit docere, concionandi vero munus ad quod non adeo aptus erat, delatum refugit. Docuit istic *Locos Communes* annis quinque, donec ei Hieronymus Zanchius successit, qui An. 1568. 12. Febr. doctionem suam est auspicatus. In hoc contubernio cusus est Heidelbergensis Catechismus nempe Petri Boquini, Emmanuelis Tremellij (hi Sacram scripturam; ille Nouum, hic vetus interpretabantur) & Hieronymi Zanchij (qui Locos Communes quasi Scholasticam Theologiam docebat) Editus fuit primo Catechismus ille nefandus, sine exegesi, quæ postea adiecta est, cum Flaccius Illyricus, Heshusius & alij eum refutare incepissent. Sed & idem Vrsinus cum Boquino An. 1564. mense Aprili, cum Brentio & Smidelino collocutus est in Colloquio Maulbrunnensi, indicto ad componendas controuersias inter VVirtenbergicos & Palatinos Theologos *de Vbiquitate* tunc enato errore. Idem Vrsinus à Friderico III. Electore Palatino in Ambergensi ac Neostadiana Gymnasijs fundandis est adhibitus, euocarunt eum quidem Bernates Heluetij ad Cathedram Losannensem, sed eam suasu Electoris recusauit. Verbo absoluam. Doctor erat qui neminem sui cerebri doctorem nanciscì valens, diu graues labores sustinuerit solus docendo, donec Belgam quendam, Iacobum Kimedontium assecutus est, sibi placita loquentem, in quem oneris

a *Vlenberg. vita Melancht. cap. 24 n. 2. Peucerus Narrat. de Melancht.*

oneris partē relicta vxoriæ rei operam dare cæpit Anno 1573. tanquam essentiali parti doctrinæ Acatholicæ. Stetit in hoc secundo fortunæ cursu Vrsinus vtque ad Annum 1577. cum defuncto Friderico III. Electore Palatino Caluiniano, Ludouicus IV. filius eius successor, Lutheranis addictus, Caluinianos Doctores profligauit, & in his etiam Vrsinū ac Kimedoncium qui 10. Octob. Heidelbergam relinquere coacti sunt. Vrsinum tamen in Neostadianam Scholam vna cum Hieronymo Zanchio euocauit Ioannes Casimirus Caluinianus secundo genitus Friderici III & frater Ludouici IV. A. 1577. vbi seq. A. 3. Maij professionem suam exorsus est, quo tempore & Haiam interpretatus est, & aduersus Lutheranorum *Librum Concordiæ*, edidit *Admonitionem* Neostadianam. Hæc ageotem demum mors A. 1583. 5. Martij abstulit, ætatis suæ An. 49. monumentum ei Neostadij positum est in choro principalis templi. Atque hæc de Authore Catechismi Heidelbergensis sufficiunt, ex quibus patet Hominem fuisse mutabilem, & proprij iudicij seruum, & qui patriam suam simulata religione perdere sit aggressus & ingratus.

II. Editus fuit igitur Catechismus, Latino, Gallico, Germanico, Belgico imo Græco Linguarum idiomate excusus, ac forte pluribus, quæ mihi videre non fuit datum, continet autem huiusmodi ordinem doctrinæ initio quæstiones duas habet PROŒMIALES, *de Maximo Solatio Reformatorum, & de mediis seu scitu necessarijs, vt illo Solatio Reformati frui possint.* Deinde TRACTATVM seu corpus (in Latino-Græca editione A. 1635. Lugduni Batauorum) in tres partes seu titulos dissectum, primus *de Miseria hominis* à quæst. 3. Alter est *de eiusdem Liberatione* à quæst. 12. Tertius *de gratitudine*, à quæst 86. Harum duæ posteriores partes rursus in alias minus principales dissectæ sunt, nimirū secunda quæ est de liberatione Hominis cōtinet doctrinam, *de Satisfactione, & Mediatore, & Fide, Symbolo Apostolico, deque Sacramentis*, & eorum appendice, nempe *de clauibus.* At tertia, quæ est de gratitudine, continet doctrinam *de Hominis conuersione*, q. 88. seu mortificatione Veteris Hominis q. 89. & viuificatione Hominis noui q. 90. & *de bonis operibus* q. 91. *& præceptis Decalogi* q 92. *& precatione* Dominica, q. 116. ad 129. seu finem. Hæc est ipsissima Methodus Catechismi Reformati, contra quem ipsi Reformati plurima obiecerunt, quæ in Remonstrantium Actis videre licebit lectori, cui ea legendi est potestas. Aiunt enim in hunc modum. *Ecce Catechesis illa prædicat & inculcat* q. 1. *Maximum in vita & morte Solatium, mox* q. 3. *oblita sui in immanem nos deturbat miseriam, ex qua emergere non possimus nostris viribus, & pauciſſimi alienis. Deinde parte secunda agit de pulcherrima per Christum Dominum Liberatione gratioſiſſima sine omni nostra cooperatione, mox oblitus sui author, parte tertia requirit ab homine & conuersionem, & mortificationem Veteris hominis, & viuificationem noui, & bona opera, & præceptorum obseruantiam & precationem, quasi Liberatio Christi sine his non valeat. Imo in ipsa parte 2. oblitus sui, ait per prædicationem & Ecclesiasticam disciplinam debere homini aperiri regnum Dei, quasi Christus non satis aperuerit, sed quasi conniuere fecerit.* Ex quibus paucis patet quam misere impingant, suomet iudicio, qui aduersus Ecclesiam Christi, columnam veritatis conati sunt sapere, & quomodo dicentes se esse sapientes stulti facti sint.

III. Porro idem Catechismus, vti ipsimet Reformati annotarunt & typis ediderunt, suoque Concilio Nationali exhibuerunt, continet plurima *Imprudenter dicta, periculosa asserta, Fatua, falsa & pugnantia tum inter se, tum etiam cum sacra scriptura.* Quod vt perspicuum fiat ostendam vel in sola q. 1. & Resp. eius ista omnia accusationis capita contineri.

Primò Imprudenter dictum est quod statim primo quæstione docetur Catechumenus Solatium quærere, cum non sit hoc finis hominis, aut medium salutis æternæ, sed potius *scientia Veritatis, & Executio boni*, & *baiulatio Crucis* iuxta illud psalmi 118. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*, & 2. Tim. 3. *erunt homines seipsos amantes, cupidi* &c. quæ capite illo toto dicuntur, ea enim aduersus quæstionem hanc primam Catechismi & Responsionem eius directè incedunt. Longe aliter Christus & Apostoli prædicationem suam orsi sunt dicentes: *pœnitentiam agite* &c. Sed & in eo Author Catechismi impudens est, dum eadem quæstione quærit de Solatio cuiusuis hominis, & respondet solum de solatio, quod solum homo fidelis, iuxta Caluinistas, habere potest.

Secundo continet Periculosa asserta, tale est dum in Resp. ad q. 1. dicit Reformatus se tenere, quod non solum sit Dei cum anima, corpore & pilis omnibus suis, sed *quod omnia oporteat etiam saluti suæ seruire*, vbi Caluinistæ ipsi quærunt sic ex Fra-

tribus

tribus suis (a): *An non verba illa, occasionem cuiquam præbere possint cogitandi & statuendi, nec peccata quidem saluti ipsius Officere posse, præsertim cum non desint commentatores, qui in hunc ipsum locum ista scribere non vereantur. Eoque præstet illa verba aliquo modo restringi, ne securitati fenestram aperiant.*

Tertio continet eadem 1. quæstio Fatua, pro exemplo sit, quod docet respondere Catechumenum *hoc esse Vnicum suum in vita & morte solatum, quod omnibus hominibus etiam Turcis & Iudæis est commune*, nempe 1. *quod animo & corpore sit Dei, hoc* siquidem etiam de Turcis & Iudæis est verum 2. *quod ipsum redemerit Christus*, quod etiam de illis verum est, etsi redemptionem non usurpent, 3. *quod pilus de capite Caluinistæ non cadat sine Patre cæleste*, id etenim nec fit de capite Turcæ vel Iudæi, 4. *quod oporteat vt omnia saluti Caluinistæ seruiant*, enim vero id oportet quoque fieri Turcæ & Iudæo, ita enim Deus intendit ab initio, etsi non semper ita fiat, vti neque Caluinistæ, quanta enim fiunt Caluinistæ, quæ saluti eius non seruiunt! etsi seruire deberent, siquidem ipse sibi destruit seruitutem, ad salutem, qua multa sibi seruitura fuissent, quemadmodum igitur ex his præmissis Catechismus ille Caluinianus docet inferre; quod ob hæc præmissa fiat *certus Spiritu Dei de Vita æterna*, ita quoque Turca & Iudæi securi sunt, sine dubio de Paradiso æterno, ex ijsdem præmissis, & æque imò plus quam Caluinistæ fiunt *prompti & parati, vt Deo vivant*, nam vtrique bona opera præter promptitudinem illam à se exigunt, & præstant, quæ idem Caluinista, se omninò præstare posse negat, in Respons. ad q. 5. & 60. imo omnia sua opera confitetur esse peccata & quod horribilius sæpe natura propendere ad odium proximi & Dei semper, & vti habet textus scripturæ adiunctus, facilius æthiopem albari quam in se hoc odium emendari.

Quarto continet Falsa, tale est q. 1. assertum, *quod Spiritus Dei reddat unumquemque Caluinistam certum de vita æterna; & reddat ipsum promptum ac paratum vt Deo deinceps vivat.* Cum idem Caluinista teneat, quod nihil sit credendum, nisi quod proponit sacra scriptura, quo dicto hic Dictator se ipsum & Spiritum suum refutat. Accedit quod 5. & 60. quæsito asserat, se ita esse malũ vt Dei mandata nullo modo seruare possit. Vnde sequitur Caluinistam *promptum fieri atque paratum ad id*, quod minime ab eo seruari potest, nec vnquam seruatur. Quanta non sunt ista doctrinæ nouæ portenta! Sed:

Quinto, pugnant etiam asserta quæst. primæ tam inter se quam cum sacra scriptura, nam quærens, quod sit maximum solatium Caluinistæ in vita & morte? non docet respondere secundum Christi Domini doctrinam, Beatitudine, *Vitam æternam, siue spem illius & possessionem aut Dei fruitionem*, quæ vtique est summum bonum, secundum scripturam) sed tale, quid quod æternum tenere potest absque æternæ vitæ possessione, & de facto damnati homines in inferno fere totum teneat & tenebunt. Nam, *hi animo & corpore sunt Dei, & pretioso sanguine Christi sunt redempti plenissima solutione pro ijs præstita in cruce, & liberatione à potestate diaboli quantum attinet ad Christi opus; nec sine voluntate patris à damnatis potest cadere capillus; & oporteret omnia saluti eorum seruire*, etsi id nunc non fiat, verum tamen adhuc est, oportere ita fieri, siquidem solum oportere exigit Caluinianus ille Catechismus; & certi sunt damnati de existentia vitæ æternæ, olim fide nunc euidentia, & experimento suo docti, & vt Deo viverent olim, nunc ne annihilentur, prompti & parati sunt, imo vt Deo placitè vivant, etiam prompti ac parati fuerunt, & indubie sunt per velleitates siue inefficacem voluntatem, quo sensu S. Bernardus ait: *Infernum esse plenum bonis voluntatibus*, nempe inefficacibus, & sine fructu & bonis operibus. Itaque hæc Catechesis, ob talia abominanda, Melius Sapientes Caluinistas adegit, vt inter Animaduersiones suas etiam ponerent notam talem: *Considerandum est, sufficiatne dixisse, vt ipsi deinceps viuam, promptum ac paratum reddit; an vero præstet non nulla addere quæ insuper ipsam actualem obedientiam exprimant sine quâ conscientia non potest non accusare Christianum.* Ita ipsi Caluinistæ contra se, nimirum sciebant, velleitates, & promptitudines, inefficaces longe abesse à præstatione operis, à qua præstatione volebat Consolator ille suauis & Caluinianus eximere Christianos, & sic ad suam Ecclesiam attrahere omnes ignauos & pigros vt venirent secum, ad illud cœlum à S. Bernardo depictum, quod est plenum bonis voluntatibus ineffi-

a pag. 103. *Actorum Remonstrantium.*

cacibus, hominum bonis operibus destitutorum.

IV. Quod si tanta est peruersitas in ipso limine Catechesios Belgicæ, è Palatinatu aduectæ, vt ipsi Reformati eam tam patenter criminando refutare debuerint (cum tamen initio Sermonis deceat maximè simulare probitatem, eos qui volunt decipere; & assumere prudentiam, qui non intendunt repelli) quid in sequentibus, ad 129. numerum excrescentibus quæstionibus atque Responsis sanitatis sperare licebit? Excerpam tamen & fere ex ipsismet Caluinianorum contra suum Catechismum proprium scriptis proponam ne Thrasonicum de se triumphum duci conquerantur Magni & Soli illi sapientiæ totius deuoratores.

Act. queruntur Caluinistæ tum alibi tum in Animaduersionibus ad quæst. 61. *Nullas fere his*, (vbi de Iustificatione sua coram Deo imputata ex Christo agunt) *vsurpari phrases sacræ scripturæ visitatas*, cum tamen alias meta Biblia & purum Dei verbum crepent. Et quidem multa testimonia, scripturæ ad margines Catechismi citari videmus, sed, vti ijdem conqueruntur, parum vel nihil sæpe ad id, ad quod citantur, idonea, *Domesticum hoc testimonium verum est.* Et inspecie queruntur Arminiani hæc Catechismi sui dogmata nulla scriptura subnixa esse, videlicet quæst. 9. vbi peccatum Adæ appellatur *Contumacia*. & quæst. 61. vbi Catechismus docet *Sola fide Caluinistam esse iustum*. Requirunt Remonstrantes eo loco scripturas, si quas enim adduxerint esse falsas, corruptore Luthero. Lepore excepit olim eam assertionem Catholicus: dicens vere sola fide esse iustum Caluinistam, quia reipsa nunquam id probari, credi debere, cerni non posse. Sed & quæst. 114. vbi Catechismus docet, quod præcepto *Non concupisces* præcipiatur, *ne vel minima cupiditate vel cogitatione aduersus vllū Dei præceptum corda nostra vnquam sollicitentur: sed vt perpetuo & ex animo peccatum omne detestemur contraque omni iustitia delectemur.* vbi Catechismus insanus non videt, quod ipsum saluatorem faciat peccatorem, vtpote qui à dæmone & impijs est sollicitatus aduersus præceptum Dei: *mittete, Adorame* &c. 2. Nec videt quod somno opus habeat, & negotiosis alijs cogitationibus, quæ impediunt vt perpetuo nec peccatum detestari, nec iustitia delectari queat. Et quæst. 115. in qua Catechismus, um mentitus esset modo explicatam falsitatem contra Deum sine scriptura, continuo addit quærendo: *Cur Deus velit legem suam adeo exactè & seuere prædicari, cum nemo sit in hac vita, qui eam seruare possit:* Respondet: *vt in omni vita magis magisque agnoscamus, quanta sit natura nostra propensio ad peccandum &c.* Ad quæ verba Remonstrantes iure quærunt: *An in scriptura S. extet testimonium, quod Deus Legem suam ea intentione tam seuere velit prædicari, & non potius ideo vt impleatur?* Deinde quærunt, ex quo scripturæ loco possit Catechismus probare, *quod*, vti ait ibid. Catechismus, *postquam ex hac vita decesserimus propositam, in Lege adeo seuere explicata, perfectionem iusti assequamur? Vbi*, aiunt, *quæso id vel secundum verba vel sensum reperitur?* Videte igitur, ô Reformati, vnde vos vestri Ministri reforment? è verbo Dei? an suismet cerebri sui figmentis? vti ipsi Doctores vestri perspicue adeo conuincunt, vos vero in Catholica-Romana Ecclesia persistentes, gaudere & exultare, quod à scorpionibus huiusmodi Apocalypticis non estis infecti.

2. Conqueruntur etiam Remonstrantes Caluiniani, contra socios suos Caluinianos, quod etiam multa Catechismus eorum Reformatus doceat contra scripturam. Atque in specie Thomas Gosvvinius ad quæst. 9. imo communitas Remonstrantium parte 2. Act. pag. 105. queritur, quod Catechismus Reformatus dicat: *Impulsore diabolo Adamum & se & omnem posteritatem donis divinis orbasse*, cum sacra scriptura non nisi suasu eius, factum affirmet. impellendi vero vox proprie longe potentiorem vim signet, & debeat omnino abijs caueri, qui Deum faciunt Impulsorem arcanum ad peccandum, vt supra cap. 1. de Antelapsarijs, & alibi sæpe est declaratum. Festiuè etiam ex hoc asserto Catholicus nuper monstrauit Diabolum esse Caluinistarum Deum, nam cum Catechismus eorum asserat Diabolo impulsore Adamum & se & posteritatem suam spoliasse donis divinis, eandemque spoliationem asserant Caluinistæ, Gomarum sequentes & Caluinum, arcano impulsu à Deo esse factam, vtique Caluinistarum Deus Diabolus erit, ex unius eiusdemque prædicati singularis argumento: imo queruntur ad eandem quæst. Caluiniani Remonstrantes contra scripturam asseri in Catechismo, *quod Adam sua ipsius contumacia se suosque orbarit.* Sed pergunt Remonstrantes & amplius conqueruntur ad quæst. 36. Catechismi (Reformati:) *Quod Mediator noster sua sancta conceptione & nati-*

uitate

cate peccata in quibus concepti sunt Caluinistæ, tegat, ne in conspectum Dei veniant. Quærit enim Assuerus Matthisius: *An vllo scriptura testimonio probari possit, quod hic dicitur?* imo asserit Catechismum sibi ipsi contradicere, cum dicat q. 37. 75. & alibi *sua passione tanquã vnico in cruce sacrificio peracto nos redemptos!* similis est querela quam ad q. 60 Catechismi Reformati monet citatus Gosvvinius, exprobrans Catechismo, quod dicat Hominem in Christo regenitum etiamnum ad omne malũ esse propensum, cum S. Ioan. 1. ep. cap 3. & alibi scr. s. longe aliter loquatur, non solum enim iustum promptum & paratum ad bonum & viam mandatorũ Dei, pronuntiat scriptura; sed etiam iustè agere & currere viam mandatorum, & in omnibus iustificationibus coram Deo & hominibus incedere & incessisse quosdã pronunciat. Impingit in eandem scãdali petram Catechismus Reformatus q. 61. in qua scripturis ignota dogmata proponi querunturRemonstrantes, & q. 62. cum accusante Gosvvinio & Mathisio &c. Catechismus ille ait: *præstantissima nostra opera esse peccatis inquinata*, ex Isaiæ 64. cum constet ex textu istic de particularium hominum peruersitate agi, non de genere humano & ipse Caluinus & Marloratus neget ex particulari illa posse vniuersalem inferri. præterquam quod mendacium euidens sit, Abrahamum iuxta mandatum Dei euntem ad immolandum filium, obedientiam suam, tantopere à Deo laudatam, inquinasse peccatis, & scriptura sacra passim insignibus elogijs opera regenitorum ornet nunc *vestes mundas, immaculatam religionem*, nunc *purpuram & byssum* vocando, dicendoque *quod vestimenta sua in hoc sæculo non inquinarint.*

Et ideo Caluinistæ contra Caluinistas concludunt, inepte Isaiæ locum 64. repertum de panno mẽstruato, ad omnis humani generis iniquitatem referri. Perinde ac si argumentari liceret, *Mulieres immunda sunt Menstruis; ergo omnes homines.* Denique ad quæst. 114. Catechismi, dicentis, quod *qui ad Deum conuersi sunt præcepta Dei minime possint seruare, sed etiam sanctissimi quique, quamdiu in hac vita sunt, habeant tantum exigua initia obedientiæ perfectæ:* Gosvvinius quærit non male, *an conueniant cum S. scr. hæc dicta, cum S. scr. non tantum faciat mentionem initij, sed progressus, Gal. 6. 15. incrementi 2. Pet. 3. v. 15. complementi 2. Cor. 7. 1.* & Mathisius Caluinista similiter ad cand. quæst. quærit, *An non scriptura, non solum initium, sed & progressum in curriculo & stadio obedientiæ illis tribuat?* & *quomodo obedientia Abrahami, Pauli & similium actiũ conuenire possit dictum Catechismi de initijs exiguis?* Lõgior ero si singulas accusationes Reformati Catechismi, à Reformatis ipsis editas protulero. Ergo cæteras extra & contra scripturam assertiones eius indiculo subnectere contentus ero, nimirum Remonstrantes deprehenderunt in quæst. 6. 9 10. 34. 44. 62. 64. 70. 71. 72. 114. 115. contra scripturam plurima asserta. Vt vel inde patere possit, quam sint fideles scripturæ custodes & puri verbi diuini prædicantes Reformati, qui a suismet collegis, tam manifeste coarguuntur falsi. Sed pergo ad aliud accusationis aduersus Caluinistas à Caluinianis motæ caput videlicet.

3. Manca est doctrina Catechismi Reformati, eo quod aliquam partem doctrinæ proponendo, aliam partem quæ æquè & sæpè magis necessaria est, omittat, vel authoris stupore, vel callidítate. Noto summariè loca, quæ talia esse demonstrarunt Remonstrantes, quæst. 1. & Resp. eius quæst. 3. 7. 8. 9. 10 11. 17. 21. 22. 27. 28 34. 37. 45. 54. 64. 66. 69 71. 75. 86. 87. 96. 99. 107. 110. 113. 118. 122. 125 imo adeo fatuum ostendunt fuisse Catechismi authorem, vt ne quidem Titulos conuenientes nouerit præponere materiæ tractandæ, quod vitium in Titulo *de Miseria Hominis* ante quæst. 3. & in Tit. *de Liberatione Hominis*, ante quæst. 12. & in Titulo *de gratitudine*, ante q. 86. perspicuè Remonstrantes ostendunt Ex omni turba doctrinarum mutilarum, vnum duntaxat proponam exemplum hoc. Quæstione 3. interrogat Catechismi author Caluinistam sic: *Vnde tuã miseriam cognoscis?* & docet respondere sic: *Ex Lege Dei* Hic Remonstrantes ita considerant. *Num satis plene respondetur ad q. 3. hisce verbis? an non addendum: Et propria conscientia mea & potentia ad Legem implendam examinatione, neque ex illa Legis diuinæ recitatione, quæ solum Dei postulatum continet, absque annexione pœnæ, miseriam nostram cognoscere posse videmur. Imo etsi quispiam transgressionem Legis perfectè præstaret Legem, miser tamen esse non desineret.* Ita Remonstrantes. Addo, quod Homines ita cæci sint, vt audientes Legem ne quidem intelligant, & si quid ruditer intelligant, affectu erga se bono, Legem violasse vix agnoscant. omitto cætera mutila & manca dogmata examinare. Et procedo ad aliud accusationis caput.

4. Methodus Catechismi Reformati graves habet defectus, ut Remonstrantes Calviniani, Calvi-

nianis obiecerunt, nempe ad q. 1. & ℟. eius & q. 2. & in Tit. de miseria. & q. 10. 12. 88. 94. 96. 89. Etiam vitiosæ methodi unum adijcio exemplum verbis Calvinistæ conceptum: Quæstione 86. & sequentibus usque ad finem Catechismi agitur de *Gratitudine præstanda erga Deum propter liberationem Reformatorum à miseria.* iam vero inter Gratitudinis opera post dictam liberationem, tanquam fructus ponit Catechismi author *Conversionem* q. 88. & *mortificationem veteris hominis* q. 89. & *vivificationem novi Hominis*, q. 90. unde manifestum evadit, quod secundum Catechismum Palatinum Reformatus sit quidem liberatus à miseria, peccati & pœnarum, & adhuc tamen servus peccati & pœnarum: quoniam liberatus gratitudinis ergo debet adhuc converti ex Resp. q. 88. & mortificare veterem hominem, ex ℟. ad q. 98. vivificare novum hominem ex ℟. ad quæstio. 90. Hæc autem sunt *portentosa*, & solent vocari apud omnes homines *Contradictoria*, sed apud Reformatos nuncupantur *Subtilia*. Merito igitur in suis ad Catecheſin Heidelbergensem considerationibus, ista considerando Carolus Niellius Reformatorum unus ita scribebat: *An non hoc loco, ubi de Gratitudine agitur, qua liberationem à miseria sequitur, prater iustum ordinem agitur de Hominis Conversione, cum Conversio in Scripturis Sacris, videatur ubiq; ipsam Remissionem peccatorum antecedere. Ezech. 18. Esai. 1. Luc. 24. Act. 3. &c.* Ita Reformatus, contra Reformatum Catechismum.

5. Abusus vocum Sacrarum, in alio sensu, quam patitur scriptura. Huiusmodi stilo Catechismus Reformatus Dei Justitiam & iram sæpissime usurpat *pro Tyrannide*, vel ut honeste cum Reformatis loquar pro *severitate quadam pugnante cum misericordia natura Dei, imo iusta*, de talibus accusant Remonstrantes Catechismi sui q. 11. n. 1. q. 17. num. 1. q. 19. & 29. & 95. uno exemplo accusationis veritatem satetur monstrasse. q. 11. Catechismus *vocat Dei iustum, cuius iustitia postulet, ut quod adversus summam Dei Maiestatem commissum est, id etiam summis pœnis hoc est sempiternis, tum animi tũ corporis supplicijs luatur.* Esto. Hujus iustitiæ actum unum in Resp. ad 10. q. ait esse *Horrendis modis iratsci cum ob innata nobis peccata, tum ob ea, quæ committimus ipsimet.* Vide quomodo jam incipiat obtrudere Tyrannidem, inque ipsomet Deo horrendos depingere modos. Et qui quæso sunt illi horrendi modi irascendi? clam ait, quod ut haberet materiam ostendendi potentiam iræ & severitatis suæ, maximam partem Hominũ creavit in peccatis (id enim sunt peccata innata) & arcano impulsu ad committenda alia inducit, ut supra cap. 1. in Antelapsariorum hæresi est declaratum, & hoc est *onus illud iræ Dei*, quod Christus iuxta q. 17. Catechismi portavit, quando pro aliquibus hominibus solum, ut dicũt Reformati Gomaristæ: passus est, quasi absque hac passione omnes Homines, a[illegible] cernas pœnas fuissent prædestinati. Sed satisfecerat? cesso.

6. De evidenter falsis accusatur Catechismus Reformatus à Remonstrantibus Reformatis, in considerationibus ad q. 1. 6. 10. 13. 22. 27. 32. 34. 37. 45. 62. 120. 114. Exemplum duplex pono unum notatum à Matthisio, ad q. 114. ibi ait Catechismus, *Sanctissimi quique, quamdiu in hac vita sunt habent tantum exigua initia obedientiæ, istius, qua observent præcepta Decalogi*, quam id falsum sit, ostendit Evangelium Matthæi 19. 20. *Omnia hæc custodivi à iuventute mea, quid adhuc mihi deest?* utique nihil, nisi Cõsiliorum Evangelicorum perfectio, nam Dominus ea sola subjungit, dicens: *si vis perfectus esse. Vade, vende quæ habes & da pauperibus, & sequere me.* Ecce hominem, consilia Evangelica aspernantem, ideoque nondum sanctissimum uti Apostoli, & tamen talem, qui à iuventute præcepta Decalogi custodivit &c. Addo ego ex eodem Catechismo aliud evidenter falsum ex Resp. ad q. 75. dicente: *Christus me atque omnes fideles de HOC FRACTO pane* (nempe quem Hic Heidelbergæ Ursin⁹ à suo prædicante, alius alibi, in singulari accipit) *edere, & de poculo distributo bibere iussit in sui memoriam, additis his promissis. PRIMVM, Corpus suum non minus certo pro me in cruce oblatum ac fractum, sanguinemque suum pro me fusum esse, quam oculis certo panem Domini mihi frangi, & populum mihi communicari. Deinde &c.* quæ infra numero 9. recensebo, inter contradictoria, nam quid quæso falsius dici potest, quam ista Christum Dominum dixisse? produc Calvinista testes, si potes. imo si probus es & non mendax, vel Impostor. Nam si non certius est Christum pro te in Cruce oblatum esse, quam quod vides panem pro te frangi, certe parva est certitudo pro te Christum fuisse passum, cum oculi sæpe mentiantur. Et cæci Calvinistæ ne quidem corporaliter frangi panem videre possint unde Christi passio.

7. De imprudenter quoque dictis accusatur idem Catechismus à domesticis suis Calvino Reformatis in Considerationibus ad quæst. 3. 6. 10. 13. 20. 21. 84. 85. 88 89 60 105. 107. 111. 114. 116. imo in præfigendo Titulo illo, qui est de Gratitudine ante q. 86. Exemplum grandis imprudentiæ assume

mo ex Considerationibus Remonstrantium illud, quod in Resp. ad quæst. 5. ait Calvinista *se propensum esse ad odium Dei, & proximi*, & hoc testimonium est verum, utpote ingenuè libereque confitentis de se, absque tormentis, cui est fidendum. Jam vero statim sui oblitus in Resp. ad quæst. 6. ait *se conditū à Deo vera iustitia & sanctitate præditum, ut Deum suum rectè cognosceret, ex animo diligeret, cum eo beatus æternum viveret.* O Homo, hæc non consistunt, cū tam perversa natura. Unde Remonstrantes merito dicunt considerandum esse num Deus hominem ad hunc finem absolute creaverit, an sub conditione. Si absolute, quomodo Deus fine suo frustratus est? & maxima pars hominum excidit, irritumque sit Dei decretum? sin conditionate? quomodo vera erit sententia Gomaristarum prædestinantium?

8. Insaniam quoque, (quod in Calvinista, supra omnem Antiquitatem & Concilia SS. PP. & omnes Doctores Sapiente, est perquam horribile crimen) in authore Catechismi Reformati demonstrant Remonstrantes domestici testes apud Animadversiones suas in q. 8. 60 104. 114. 116. quibus adde loca num. 7. de imprudenter dictis citata, cum imprudentia magna, parum absit ab insania. Videamus insignem aliquam insaniam Zachariæ Ursini, & omnium qui Catechismum ejus pro oraculo mirabili habent quæstione 8. quærit, *An omnes adeo simus corrupti, ut ad bene agendum prorsus non simus idonei! & ad omne vitium proclives.* & Resp. *Certè, nisi per Spiritū S. regeneremur.* Ibi est duplex insania. 1. quod dicat Homines omnes esse proclives ad omne vitium, nempe ad prodigalitatem & Avaritiam; ad nimiam abstinentiam & ingluviem, ad meticulositatem & nimiam audaciam, ac opposita inter se vitia, de quibus Aristoteles gentilis congruit in Ethicis quod magis inter se confligant, quam virtus, Media, sive cum hoc sive cum illo extremo. Vidisti Lector insaniam unam, vide nunc & alteram, *Quæritur an non frustra, imo insanè addatur hoc loco conditio illa, nisi per spiritum S. regeneremur?* dico insane. nam in Resp. ad q. 60 dicit Calvinista seu *Reformatus per spiritum suum sanctum*, sic: Etiamnum ad omne malum propensus sum, *& conscientia mea accusat quod aduersus omnia mandata Dei grauiter peccauerim.* Ecce insanienter additam antea conditionē, nisi per Spir. S. regeneremur. Nam quid illi profuit illa regeneratio! Manfit suo testimonio ut ante cā fuit, nempe propensus ad omne malum, & peccans cōtra omnia Dei mādata, & ut dicit ad q. 1. prōptus & paratus ut vivat Deo. Et ideo non est mirum quod postquam est renatus ex Spiritu S. & liberatus à peccatis, adhuc debet converti q. 87. & tunc, cum conversus est, adhuc nihil valeat Reformatus, ut ipse testatur, ad q. 8. si potest æthiops mutare pellem suam &c.

9. Imo de Contradictorijs & pugna cum semetipso accusant Reformati Cathechismum suum reformatum, in Animaduersionibus suis ad q. 6. 8. 9. 21. 36. 37. 42. 43. 44. 45. 56. 60. 67. 70. 71. 74. 75. 77. 84. 85. 87. 90. 103. 114. 116. 125. imo in hoc genere Contradictoria asserendi ita Reformati excellunt, ut nulla à Christiana Lege introducta, vel potius ac orbe creato, nulla secta hominum æque in hac arte excelluerit. Atque hoc est Tota Calvinistarum quam multi prædicant vel mirantur *Subtilitas*. Siquidem quicquid in Caluinismo reperitur subtile, id semper in duas maximas has, seu axiomata resolui deprehendet, qui mecum inspicere voler, nimirum *Duæ Contradictoria possunt simul esse vera.* Et, *Duæ Contradictoria simul esse possunt falsa*, sive quod plebs capit, Idem esse nigrum, & albū, esse calidum & simul esse frigidum. Deo gratias, pro tanta potestate hominibus concessa, quam nec ipse Deus habet & ante Calvinismum nemo sciuit, fuisse datam. Vis mi Lector exemplo rem declarari? non credo. modo enim præcedente numero inter insanias vnum adnumerauī. Narrabo igitur quod Coloniæ euenit. P. Fridericus Spe Soc. Jesu Sacerdos, ipse è nobili familia, nobilem cognatum suum Caluinistam inuisurus ad S. Gereonē ducebat secum Philosophiæ sub se auditorem, viæ socium, aiebatque, *Duas Contradictorias posse simul esse veras aut certe simul falsas hodie discet Tua Caritas*; Mirarer inquit ille. Subiungit P. *Tace solum & dissimulata Latinæ Linguæ scientia, sede, quasi orans, & intende disputanti mihi & cognato meo.* Dictum factum, salutatione data & accepta, consederunt cognati, & sermone amico protractus est Caluinista eo, ut diceret *Prohibitum esse in Ser. S. cultum Sanctarum imaginum, quæ sunt Dei & sanctorum* eius repræsentatiuæ, notabatur dictum creta super mensæ tabulam, discursum deinde vago (inter declarandum quid qualesue sint Dei imagines & SS. eius) habito, ventum est, ad id ut Ille ex cognato quæreret, vbinam quæso crucifixi Domini nostri imago est prohibita, resumens ille, ait, *non est earum in scriptura mentio.* Tunc subridens P. annotabat dictum id iuxta alteram cognati sententiam, aiebatque, *Domine cognate, intellexi Respō-*

sionem vestram, sed manet mihi scrupulus ille, quod quæ dixit, vestra Nobilitas sint contradictoria: quoniam in scriptura prohiberi ne Dei & SS imagines colantur, & quod earum in scripturis nulla, fiat mentio, apud homines contradictoria dici solent. cumque cognatus ille bonus respondisset ista bene consistere, finem sensim colloquio, dicto vale, fecit, & digressus socio suo dixit: *Nunquid contradictoriâ simul vera ostendit &* riserunt pariter ore, corde autē gemebāt super cæcitate cordis eius, qui contradictorias duas simul indicauit esse veras. Erat enim, vti dictum est, Reformatus. Sed ecce adhuc specimen ingenij Reformati aliud. Catechismus Reformatus ad q. 75. *qua ratione in cœna Domini admonentur & cōfirmentur Caluinistæ, quod vnici sacrificij Christi in cruce oblati atq; omnium bonorū eius sit particeps?* docet Caluinistam respondere. *Quod Christus iusserit se & omnes fideles de hoc* (Heidelbergæ, Genevæ, aut Amstelodami à prædicante N.N.) *fracto pane edere &c. additis his promissis. Primum &c.* (quæ numero 6. antea retuli) *Deinde, animā suam non minus certo ipsius corpore quod pro nobis crucifixum est, & sanguine, qui pro nobis fusus est, ad vitam æternā ab ipso pasci quam panē & vinū symbola corporis & sanguinis Domini è manu Ministri accepta, ore corporis percipit Caluinista &* in & ad q. 79 *Quemadmodū panis & vinum corporis vitam sustentant, sic Crucifixum corpus Christi & effusum eius sanguinem vere esse animæ nostræ cibū & potū quoad vitam æternā nutriatur.* Imo plus adhuc dicit q. 76 dicens Caluinistas esse carnē de carne Christi, & os de ossibus eius. Ex quibus assertis vtiq; intelligi datur, quod sicuti reali substantiali, & sensibili præsentia panis & vinum introeunt in Corpus Caluinistæ, ita Crucifixum Corpus Domini & Sanguis eius reali, substantiali, & sensibili (saltem animæ) præsentia introeant in animam Caluinistæ. Et sicuti in filijs non imaginarie & creditiue solū est, sed vere & realiter caro & sanguis parentum, ita in Caluinistæ corpore etiā sit caro & ossa Christi; Veruntamen hoc idem Caluinista examinatus negat, & ait, Christum q. 76. 46. &c. esse & fore in cælo: *& iam non esse in terra secundū humanam naturam, sed solū secundū diuinam naturā, gratiā, spiritum.*

Itaq; Caluinista Christum sumit intra se, & tamen distat à Christo quantum distat cælum à Terra &c. Fatigor: sunt enim subtilia mirabilia, hoc est contradictoria mendacia, quæ sunt illis credenda.

10. Qui de contradictionibus & pugnis cum semetipso tam grauiter accusatus est & secum pugnare demonstratur, multo magis cum alijs suæ religionis reformatæ socijs repugnare præsumendus est, idcirco etiam, hac in parte accusatur Cathechismus ille miserrimus, à Remonstrantibus inter Animadversiones suas, ad q. 6. 9 21 34. 37 85. 103. præter alia num. 9. assignatas quæstiones, in quibus subinde & secum & simul cum alijs Symmystis pugnantia affirmat aut negat. Non oportet tantā calumniam fratribus à filijs matris suæ impactam esse inultam, aut demonstranda est saltem aliquo perspicuo facto. Agedum ergo: in ipso siluæ ingressu, Videte Caluinistæ specimen, quod vester Cathechismus merito flagelletur. is q. 6. dicit *quod homo sit creatus vera iustitia & sanctitate præditus, &c. vtque cum Deo beatus in æternum viueret.* quærunt ibi Remonstrantes fratres vestri, in suis Animaduersionibus, *An non Cathecheſis cum docet,* hominē, vt cum Deo beatus in æternum viueret, à Deo cōditum esse, *contradicat quam plurimis Reformatæ Ecclesiæ Doctoribus?* Vtique: tangite primi & secundi hoc libro capitis pupillas. Ait idem Cathechismus q. 44 in explicatione symboli, *quod,* postquā Christus mortuus & sepultus est, *descendit ad Inferna, nihil aliud sit, quam quod Christus D. inenarrabilibus animi sui angustijs, cruciatibus & terroribus, in quos tum antea, tum maxime in cruce pendens fuerit demersus & Caluinistas ab angustijs & cruciatibus liberauit.* Vbi Isaacus Fridericus Remonstrans in considerationibus suis ista annotat: *Cum Articulus de descensu Christi ad Inferos in Responsione ad q. 44. varie à Reformatis DD. explicetur, multique per descensum Christi ad inferos nihil aliud quam sepulturā, vel mansionē in sepulchro intelligendam esse existiment, an hæc explicatio in Ecclesijs Reformatis non sit toleranda.* Addo annon & Caluini explicatio sit toleranda ex quo eruunt Doctores Catholici, quod Christum inferni tormenta tulisse senserit. Item an nō Caluinistæ vi explicati ad eum modum articuli sint impassibiles facti, nam quius Caluinista ibi profitetur *se ab angustijs & cruciatibus inferni liberatū esse.*

11 Hæreses nouas inducit etiā Reformatus Cathechismus, nempe Stoicismum paradoxum de paritate omnium peccatorum. q. 11.

Et Chiliasmatum errorem, q. 31. 32.

De Stoicorum errore in paritate peccatorū asserenda occupati Cathechismū Reformatū conqueruntur Remōstrantes in Considerationibus suis ad q. 11. ibi enim ait Cathechismus, *Iustitiā Dei postulare vt quod aduersus summam Dei maiestatem commissum est, id etiā in summo hoc est sempiterno cum animi tum corporis supplicijs luatur.* At Remonstrant quærunt. *Num simpliciter & absolute summum* sium

cium mereatur, eo quod aduersus summam Maiestatem Dei commissum sit. & an scriptura hanc causſam ullibi alleget? Item quo modo ex illo non sequatur, peccata omnia esse paria, iuxta Stoicorum axioma? Quod veleo nomine Christianis maxime reijciendum videtur, quod scriptura sacra aperte satis pœnarum gradus constituat, graviores quibusdam pœnas denuntiet, & mensurã peccatorum non impletam quibusdam peccatis, accessa quorundam impleri testetur: Et Gervvinus ad eadem Catechismi verba quærit; *quo pacto illa conveniant cum verbis Christi Matth. 11. 22. dicentis, quod tolerabilius erit Tyro & Sydoni in die Judicij, quam generationi illi cui loquebatur.* Chiliastarum vero hæresim videtur resuscitare Catechismus in Resp. ad q. 32 dicens in Calvinistæ persona. *se ideo Christianũ vocari, quod per fidẽ sit membrũ & postea æternum cum Christo regnũ in omnes creaturas tenebit.* Subiectas habent Remonstrantes has creaturas omnes, & quærunt, quænam illæ sint.

12 Catechismus Reformatus sancit Gomarismum, sive Antelapsariorum hæresin, nam id Remonstrantes pluribus locis convincunt ex Catechismi loquendi formulis, nempe n. 3. Considerationũ sup. q. 18. ibi enim ordo verborũ cõvincit in authore Catechismi errorẽ Antelapsarij dogmatis, ait enim de Deo, *me Spiritu suo de vita æterna certũ facit, ut is ipsi deinceps vivam promptũ ac paratum reddit.* Vides hic ordinem, nempe prius *vitæ æternæ certitudinem*, postea gratitudinis loco *vivere Deo paratũ*, At Apostolus Rom. 8. 13. 14. 15 aliũ ordinẽ servat, & 1. Joan 3. 21 nimirũ Catechismo contrariũ, cui insistendum est contra Catechismum, tanquam Regulæ ipsiusmet Catechismi. Idem Gomarismus elucet ex q. 9. 64. 65. 84. 88. 89. 90 & 114.

13 Imo Catechismus Reformatus Deum in operationibus ad extra subijcit necessitati alicui fatali à se confictæ ostendunt hoc Remõstrantes in suis notatis ad q. 11. n. 3 & ad q. 12. n. 2. dicit enim Catechismus *Dei iustitiam postulare, ut divinæ Mai. offensa sempiternis supplicijs plectatur.* & q. 12 *necesse esse*, quasi Deo non sit liberas condonandi peccatum sine supplicio condigno

14 Denique suo Gomarismo omnem securitatẽ impietatis in hac vita aperit, ut passim ostendunt Remonstrantes, dum sola Fide & promptudine docet Deum esse contentum sine actuali obedientia

V. Eundem Catechismum à Remonstrantibus adeum, quo vidimus, modum explosum, etiam Catholicus festivè irrisit. nam quidam non ignotus libellis adversus Prædicantes scriptis, in uno eorũ, quem *Reformatum Impostorẽ* Latinè, Belgicè, *Den gereformeerden Duymendrayer* appellarunt, introduxit duas personas *Civilem* & *Classicum* textores illũ Catholicæ, hunc Reformatæ religionis professores. Quos cum forte in colloquium de suæ artis negotijs fortuna adegisset, & *Civilis* de telæ lineæ fragilitate ex infelici lini proventu eius anni multa conquestus fuisset, *Classicus* autem se iactaret de arte & mirifica dexteritate in cuiusvis staminis tela restauranda, adeo ut ipse nexus vix acuto sensu notari possint, *Civilis* festivè subiunxit si se ita res habeat, experimentum capturum ex connectendis ijs quæ in Reformato Catechismo malè cohærere vidisset, cum prima credendorum Regula, Scriptura. Sex eiusmodi esse præcipua quæ se quidem fatigent, quæ si Classicus apte noverit, connectere sine dolo, sine logis. Magnum sibi nõ solum Apollinem fore, sed, & gratis è symposio abiturum, & se in posterum ab observantia anxia mandatorũ Dei liberum futurum, in quibus alias multum sit tricatus animo, aliud dictante illo & carne aliud concupiscente *Classicus* et si iure excipere tunc potuisset, se det extrinsecus male ad Theologiã evocari, quia tamen norat omnes Reformatos à Deo doctos & illuminatos esse nequaquam deesse voluit causæ Reformatæ & si fieri posset, etiam facere proselytum unum, atque ita postulatis Civilis sese audacter obtulit, & ut Civilem terreret, tres telas bombycinæ texturæ ei manum condixit, si non impleret dicta factis caupone in Judicem ac testem vocato. Adsidente igitur illo inter familiares haustus & colloquia, & iocos Belgicos Civilis producto Catechismo Reformato, quæstionem 114. proposuit, ac prælegit: *Possuntne illi, qui ad Deum conversi sunt, hæc præcepta* (Decalogi nimirum quæ præcesserant) *perfectè servare?* Responsio: *Minime verum etiam Sanctissimi quique quamdiu in hac vita sunt, habent tantum exigua initia huius obedientiæ.* Ista, ait Civilis, mihi nimium quantum à Sacræ Scripturæ dictatis abire videntur, & gnavo nexu egere. *Classicus* nihil metuens *Verum est*, inquit, *neque enim præcepta nobis à Deo data sunt, ut serventur, hoc enim fieri nequit, propter corruptionem & malitiam naturæ nostræ, sed ut agnoscamus ex ijs nostram miseriam, uti ibidem quæstione 115 additur, & quæstione 3. iam ante dictum fuerat hic Civilis*; rogo ergo te ostende qui id cohæreat cũ S. Lucæ de Zacharia & Elisabetha dictis cap. 1. vers. 6. *Erãt iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela?* *Classicus* concionem orsus à mundi exordio & antegresso tempore, à Civili prohibeatur,

cita-

citatis pactis conventis, *Sine dolo, sine legis.Classicus* irasci & manu mensam pulsare. *Civilis* ad pacta conventa cogere itaque clasicum inaniter strepere videns Civilis,addebat; Si istic classice aqua hæres quid erit si tibi ingressero 11. Matth. cap.vers.30 *iugum meum suaue est & onus meum leue.* & 1.Ioan 5. versum 3. *mandata eius grauia non sint.*etiam ex Iosue cap 11.℣. 25 & 2. Paralip.cap. 15.℣.15.exempla legis impletæ? & exegero vt cum his Cathechismi Reformati asserta connectas? *Classicus* questus iniquum esse vt tot capitibus scripturæ semel & simul occupetur,iam ante alijs causis caput prægravatum, Nicotiani folij pulueren hausit,& cum sternutanti Bene-dictum esset,à Ciuili Classicus ægre ferre visus est,eo quod creaturæ non debeant Bene-dici, quandoquidem in Formula Cœnæ Reformatæ Amstelodami & alibi excusa sæpe *omnes benedicentes creaturas seuere excommunicantur*; cui excommunicationi Reformatæ multi censent etiam Deum subiacere, eo quod benedixerit panem,pisces &c.creaturas non paucas. Verum missa hac lite Ciuilis Classicum ad S Lucæ caput quantocius reuocabat, qui purgato aliquantum cerebro clarior subtiliter respondit: *S. Lucam pictorem fuisse, quod genus hominum subinde pingat res paulo aliter quam res ipsa ferant.* (credo iuxta illud Horatij *pictoribus atque Poetis, quidlibet audendi &c.*) *non esse dubium quin & Zacharias & Elisabeth fuerint homines peccatores*, & sic constare recte cum scriptura Cathechismum Reformatum. *Ciuilis* animadversa subtilitate tantâ,& tam inopinata Classici, cauponem iudicem ac testem contractus initi *de dolo* appellabat. Caupo Judex se non diffiteri respondit, quin in eo casu dolus vel à S Luca vel à Classico interuenerit,credere se tamen potius a Classico dolum esse ortum, eo quod iam mille sexcentis annis S Lucas habitus sit vir verax & bonus. Sed Classicus perstabat in sententia, & censebat se tam subtiliter personam textoris egisse, vt ne Gochiensis quidem Textor secum componi posse videretur. Cum in eo cardine igitur res vertitur Hospita Romanæ fidei, quæ vtraque auscultauerat, manu admota ad tabellã crediti cretâ binos adscribebat ductus numeris Symposij. Classicus videns exclamare: Domina nescis scriptum esse. *Non furtum facies, non loqueris falsum testimonium &c.* Hospita subridens ait Classice, itane tui immemor es? audiente me dicebas, *Præcepta Dei seruare esse impossibile: non esse nobis eo fine proposita vt seruemus, sed vt miseriam nostram agnoscamus.* Et nunc à me imbecilla creatura exigis, quod à vobis viri magnanimi non impetraris? quis iste agendi modus est? *Alligare onera grauia aliis & digito nolle ea leuare?* quin & ipsa memini à magno illo Calvino doctum esse *Dei esse ordinatione dispositum, vt mandata eius non seruentur.* (a) *implentem ergo Dei ordinationem noli turbare*, nec tibi ipsi obesse, cui iuxta Catechismi tui 41. *oraculum, quo omnia, etiam hoc meum contra Legem factum saluti tuæ seruire oportere certum est.* plura etiam garrire volentem interpellat Classicus dicens *Mulier in Ecclesia taceat.* Illa, quid tu mihi ista? in hospitio? nescis quod *quæ infirma sunt mundi elegit Deus vt confundat fortia*? & ne tibi vllo pacto possis arrogare à me irrogatam iniuriam, vide, quam ex vestri Cathechismi dictamine iuste egerim,ego,tu vero me iniquè accuses; dicis me furtum facere, me mentiri dum duas solum noto amphoras in tabella crediti vti reris ad te non allatas in hanc mensam. Sed profecto graviter erras: Audi me. Quidni enim erres? certè. *Tu dicente Cathechismo tuo credis te Christi corpore & sanguine quæ in terris non sint, sed solummodo in cælo ad dextram Patris considentis pasci te tam verè, quam symbola panis & vini à Prædicante recipis.* Ego verò tibi apposui omnium quæ in cella mea sunt amphorarum symbola, multo magis cum illis symbolizantia, quam panis & vinum cum Christi corpore. Atqui ista consumpsisti, credibilius igitur est, quod quæ in cellario meo sunt bibisti, cum hæc tanto sunt viciniora tibi, quanto mea cella tibi est vicinior quam cœlum. Risit caupo subtilitate ingenij vxorij, risit & ipse Ciuilis, maluitq; damnum sentire, Classico communc, quam tam appositæ cretæ notas expungi. Imo aiebat se solũ sufficere ad solvendum pretium tantillum earum rerũ, quarum Symbola Classicus ebibisset. Campo vero lætatus de nouo quæstus & corradendæ pecuniæ arte amicè vxori propinabat, symbola cæterarum mensurarum. Hæc Actus primi in loco-seriâ Fabula synopsis, cæteros quinque non minus festiuos omitto, ab alio forte transferendos.

Sic qui Catholicorum Sacra sine ratione sæpe irriserunt, cum ratione & ipsi nouissime irridentur.

CA-

a *Lib.2. inst.c.7:v.5.lib.3, c.11.v.15.& 16.Remonstrantes fusè Actor.part.3.*

QUOMODO SCHISMA CALVINO-Hollandicum cæptum, & propalatum sit, & concurrentibus utrimque partibus xx. annis sustentatum usque ad Synodum eorum Nationalem & prædatoriam Dordraci celebratam.

CAPUT VIII.

I. *Initium Schismatis Calvino-Hollandici inter Remonstrantes & Contra-Remonstrantes.*
II. *Progressus eius ab An. 1605. ad 1609.*
III. *Secuta ab An. 1609. ad An. 1618. quo Synodus Dordracena indicta fuit.*
IV. *Acta in Synodo Dordracena.*
V. *Secuta post Synodum eandem.*
VI. *Epilogus libri noni.*

I. ANno 1597. in Confœderatis seu Hollandicis Provincijs Statuum inter Ministros verbi Reformatos, glisscens dissensio de aliquot doctrinæ Christianæ capitibus, ex animis per linguas & calamos in publicum erupit; quæ eâdem operâ Ecclesiæ Romanæ sub SS. PP. & Cõciliorum Sanctorum unanimi consensu ac traditione cohærentis felicitatem, & eorum qui ab ea desciverunt, & sub Reformatorum nomine, se in unum corpus redigere laborant, infelicitatem indicavit. Ea dissensio in hunc modum orta est ex ipsorummet doctrina.

Erant Anno dicto in Hollandia Ministri verborum excellentiores Caspar Coolhasius Lugduni Batavorum; Hermannus Herbertus Dordraci ac Goudæ ac Cornelius Wiggerus Hornæ & alij alibi qui consideratis sententijs Calvinianorum Ministrorum fratrum suorum, quos habebant. *De prædestinatione Dei circa Homines, & qua inde pendent tum Redemptionis vel universalitate, vel ad certos homines astrictione, tum gratia Divina auxilijs, conversione que aut Iustificatione Hominum, ac denique perseverantia Fidelium in fide*, animadverterunt, tam lumine naturæ quam sacrarum literarum ductu, multa in ijs sententijs impia & blasphema & asystata contineri, quibus docendis & suam & aliorum conscientiam iudicabant inquinari, & ideò apud se sensim statuerunt eiusmodi profanis doctrinis opponendam esse saniorem doctrinam. Porro impia doctrina Fratrum suorum, (quorum antesignanus fuit Gomarus tunc Professor Leydensis, atque Gronigensis Minister, à quo Gomaristæ dicti sunt) in 1. 2. 3. 6. 7. Capitibus huius libri satis perspicuè explicata est.

Ad Rerum gestarum seriem enarrandam in hoc schismate pergo: nempe, quod cum Melior illa, & melius sentiens suo iudicio, Calvinianorum pars Remonstrantes ferre non posset impiam Fratrum suorum doctrinam, & inter docendum scribẽdumque aliter tam Divinæ prædestinationis ordinem, quam quæ illi connexa sunt explicaret, etiam argumenta tum adversus Authores impios, & Confessionem Belgicam ac Catechismum formaret non invalida, bilis cæterorum Ministrorum & zelus eorum, uti fieri solet *Inter superbos & sine Iudice dissentientes*, adversum eos concitatus est. Itaque ab adversarijs Contra-Remonstrantibus in concionibus agitari, & Synodis provincialibus affligi cæperunt. (a) Coolhasius in Synodo Middelburgensi Reformatorum, Herbertus in synodis Hollandiæ Australis, Wiggerus in synodis quibusdam Borealis Hollandiæ est oppressus civili magis potestate & multitudine adversariorum, quam uti oportebat, scripturarum vel argumentorum pondere. Veruntamen cum authoribus oppressis caussa eorundem minimè est oppressa, siquidem Jacobus Arminius vir sedatiore, æquiore & acri præ fratribus iudicio Minister Amstelodamensis ad eandẽ sustẽtandã accessit, usuque libris Catholicorũ Doctorũ, qui eã materiã solidissime pertractarunt, argumẽta & ratiões ex eis mutuat⁹ cætera Reformatorũ dogmata intacta relinquens, Prædestinationis &c. cõnexorum dogmatum sphæram aggressus, Calvini, Zanchij, Bezæ, Martyris & similium Rigidorum absolute Prædestinantium sententias explosit. Invenit etiam hic mox adversarios suos Symmystas, Amstelodami, sed & invenit Synergos imprimis Joannem Utenbogardum, Adrianum Borrium alioſque Theologiæ Reformatæ Lugduni Bat. Sectatores, quorum ope suffultus Arminius ad Collationem subinde & inter alios etiam Franciscum Iunium Doctorem Calvinianum Lugduni Batavorum provocavit, Adeoque excelluit ut cum Anno

a *Acta Synodi Dordracena in præfat.*

1602. 28. Aug. idem Iunius esset defunctus Utenborgardi opera & Commendatione Arminius ei in professione Theologiæ sit à Curatoribus Academiæ illius surrogatus. Invidebant quidam Ministelli cæteri Arminio eam prælationem, & quantum in ipsis fuit obnixi sunt, sed nihil efficientes hominem sibi præferri solum doluerunt. Ipse coactus à symmystis, vt instituta prius cum D. Francisco Gomaro de præcipuis doctrinæ capitibus collatione pro Doctoratus gradu obtinendo, ut Gommaristæ narrant, promitteret se singulares opiniones suas non disseminaturum. An. 1603. 6 & 7. Maij damnatis etiam Pelagianorum erroribus & SS. PP. Augustini &c. qui contra Pelagium scripserc, laudatis sententijs Cathedram Doctoralē Lugduni conscendit, promotus ab ipsomet Francisco Gomaro, quemadmodum Lutherus olim a Carolstadio, à quo, uti Lutherus longe abijt, ita & Arminius a Gomaro, tam doctrina quam instituto. Porro Arminius in Cathedra collocatus ita se sub initia gessit, uti Calviniſtæ solent, nempe tegere mentem, dissimulare, tempus exspectare, idcirco sententijs tam his q. am alijs, uti fors ferebat, cum præsidebat, defendendis operam impendit etiam contrarijs, sed explicatione, vel usu ambiguo vocum suis, & ad suam mentem detortis, uti Gomaristæ queruntur. At hos vicissim Arminiani incusant, quod mentem suam, continuo, ne populo innotescat, occultent, certi se manibus mattum, quarum dilectissimas proles, ex cunis, etiam baptizatas, ad damnationem relegant, tanquam quosdam Novos Pentheos esse discerpendos. Quicquid vero horum sit, Calviniſtis se mutuo fallere, ex principijs Reformationis suæ est usitatum. Veruntamen Arminius pedetentim veritatem ob oculos ponere auditoribus, & argumentorum è Catholicis haustam vim stringere, & ostentare uti suum dogma aggressus, adversarios, exultante auditorum suorum numero, premebat. Ita enim inter hæreticos Nostri Tēporis comparatum est, ut cum soli fidei, neglecta caritate, omnem tribuant sanctimoniam, egregiè se mutuo depectant, & fratrem de fratre manubias reportantem læto celeusmate excipere aveant. Studio disputandi addebat Arminius consilium aliud (quod à Calvino valde usurpatum est) nempe libros manu scriptos, Catholicorum suppresso nomine vel titulo, de Controversis suggerere, ac legendos tradere, inter quos Gomaristæ etiam Societatis Jesu Doctores fuisse queruntur, nempe Suarezium, quem tunc de Gratiæ auxilijs Apostolicæ sedis mandato nefas erat excudi. Hunc alios suis Auditoribus suggessisse queruntur adversarij Arminijt, de quo etiam addunt quod de Zacharia Ursino, Catechismi Heidelbergensis authore, Calvinoque ipso, ac eiusdem sententiæ hominibus contemptim (& sane merebantur) sit sæpe locutus, atque eorum argumenta de prædestinatione Catholicorum more eluserit, irriserit que, asserendo se multa habere consideratione dignissima annotata in Reformatæ doctrinæ Catechesin æque ac Confessionem Hollandicam, quæ aliquando Synodo essent exhibenda. Cum igitur hisce modis multos Auditorum suæ sententiæ amantes effecisset, & ij vel ad ministerium verbi, vel professionem in scholis accessissent gnaviter doctrinæ ejus sodalitati insistebant, & adversum partem Gomaristicā exagitabant. Jd Hollādiæ Ministri adversarij eorū, qui magis brutā sequebatur doctrinā de prædestinatione intelligētes inito consilio deputarunt ad Arminium legatos, qui ei rumores de ipso eiusque doctrina sparsos exponerent, & sollicitudinem suam sub nomine pulchro Ecclesiarum ostenderent & rogarent, ut si quid in receptæ nuper Hollandorum Religionis desideraret doctrina, id sincerè suis Fratribus exponeret, quo aut ipsi per collationem, aut per synodum superijs quæ vellet, satisfieret, quibus ille quæ videbantur respondet, & collatione, tanquam cum deputatis habenda, supersedit. Jam dudum enim nihil Sanctum aut Christianæ Caritati congruum, adversus se suaque sententiæ assertores, moliri eos senserat, sed vel dolis, vel vi circumvenire sibi resistentes, ipsis esse destinatum, quorum ab hominum Colloquijs quanto quis magis secreverit se, tanto securiorem se certo effecerit.

II. Serpebant interim & in scholis & in foro, & in transtris & pristinis vulgò disceptationes, *de prædestinatione, de Gratia, de libero arbitrio, de perseverantia*, & Christi Domini satisfaciendi modo, ita ut Anno 1605. 28. Julij à Consule Urbis Leydensis Phædone & Paulo Merula Historiarum professore, uti Gomaristæ narrant, moneretur, animum induceret cum collegis suis coram presbyteris Ecclesiæ Leydensis conferre, quod ille ut, pote maior doctiorque otiosum esse ratus est, omisitq; ob quem contemptum superbi illi se cunc-

do

do inflammati, literis & dictis Arminium & ei addictos traducere passim ceperunt, effeceruntque vt in Arminium imbres querelarum vndique depluerent. Itaque ad querelas aliarum synodorum eodē Anno imprimis Dordrechtianæ classis, in Roterdamensi synodo 30. Augusti collectæ, accessit querela, quæ ad cavendum in doctrina Calvinianorum Rigidorum turbas, vti præseferebat, revera vt vinceret, 8 Nouemb. decreuit vt omnes pastores tum *Confessioni Belgicarum Ecclesiarum tum Cathecheſi Palatinæ* subscriberent, quod multi recusarunt Ipsi etiam Academiæ Leydensis curatores accusatoribus Arminij & IX. articulos, de quibus querebantur disceptari, offerentibus, synodum Nationalem, breui indicendam responderunt. Valde increuit hinc sollicitudo Gomaristarum, qui apud Generales statuum supplicarunt 26. Novemb. vt Nationalis tandem synodus, diu expectata indiceretur. Generales vero Statuum declararunt ordines omnes iam pridem in eiusmodi synodum consensisse magno consensu atque vt secundum quarundam Provinciarum postulatum, in eâ fieret *Reuisio Confessionis Belgicæ & Cathechismi Palatini*, esse in consensus sui literis postulatum, tanquam consentiendi conditionem. Hoc nuntio accepto quantum Gomaristæ lætati sunt audito omnium consensu in synodum, tantum cruciati fuerunt mentione eiusmodi *Reuisionis*, in qua scirent sua recens subintroducta & blasphemæ doctrinæ principia, quæ iam stabilita rebantur, ad cunas & ad incudem esse revocanda. verbo *tremor gelidusque cucurrit cuncta per ossa pauor*. Tricatum est itaque multis inter Genera es statuum & deputatos à Gomaristis Anno 1606. vsque in Augustum ne eiusmodi *Reuisionis* mentio litteris de convocanda Synodo insereretur. At cum mense illo Australium Hollandorum Synodus instaret Goringhemij celebranda, in ea postulatum fuit à congregatis ibi Ministris, vt qui *animaduersiones in Cathecheſin, & Confeſſionem* annotatas, vti ferebatur, habe rent, eas *Classibus*, Si pastores essent, & si professores *Deputatis* Ecclesiarum exhiberent, vt ea ratione ipsis ante synodum Nationalem satisfieret per classes, vel demum synodo Nationali proponerentur. Spectabant in hoc decreto Gomaristæ, vt fundum Arminianorum exhaurirent & ad eorum argumenta dissoluenda, oppugnandamque sententiam se possent præparare, sed Arminiani cautiores, aiebant; se sues Animadversiones tam in Confessionem quam Catecheſin in tempore prolaturos. Interim Anno 1607. 23. Maij evocantur à Generalibus statuum ex singulis provincijs Thelogi, vt de Tempore, Loco & materia modoque synodi habendæ cum eis deliberaretur. Estque deliberatum, ac vnanimiter ab evocatis, inter quos & Arminius erat & Gomarus tunc conclusum est, placere vt initio futuræ æstatis synodus præscriberetur & quidem Vltraiecti in eaque ageretur *de Grauaminibus Ecclesiarum. Quatuor autem Ministri cum 1. senioribus vel Doctoribus è singulis synodis particularibus ad eam mitterentur atque vt Deputatis eiusmodi seu missis definiendi potestas concederetur. Normam iudicando Scripturam Sacram esse debere, conuocandos esse etiam Belgas extra Belgium degentes & à Generalibus statuum esse rogandos qui ordini præsessent*; Et in his quidem conueniebant evocati, at in alijs quibusdam conueniri non potuit, nempe *quid pro definitiua sententia foret habendum, Deputatorumne ad synodum, an & Deputantium consensus. 2. De Deputatorum potestate, si dissentirent, differrentue consensum. 3. De Reuisione Confessionis & Cathechismi Heidelbergensis, in litteris conuocatoriis exprimenda omittendaue.* nam Gomaristæ horrebant non solum *remissionem* suæ subintroductæ in Belgium doctrinæ Fatalis, sed etiam ipsum nomen Reuisionis, quo arbitrabantur sese veluti fulmine afflatos cremari. Vnde iam tum apparebat, quâ concordia synodus ea esset celebranda, de qua tali dissensione in præliminaribus disceptaretur, Itaque hæc ipsa discordia synodum, priusquam esset, infecit, & moras nouas, ne cito fieret obiecit, maxime ea quam dixi mentio Reuisiones, ad quam exhorrescebant plerique ministri tanquam ad causam dicendam in Iudicio. Ex eo tempore Gomaristæ Arminium & socios eius persequi, & ei insidias tendere cæperunt; maxime cum ille dictaret secutus Paulum ciuem Romanum se non istis, sed ordinibus Generalibus obnoxium esse in reddenda ratione. Causisque ob quas *Reuisio* necessaria videretur. Exprimere tamen rationes illas tentarunt aduersarij eius magnis moliminibus. Ac 1. orarunt Ordines Hollandiæ & Frisiæ occiduæ, vt ex synodis Australis & Borealis vnam conflare liceret, ad difficultates tollendas, sed id quo minus

confestim fieret, impediebant Consilia Reipublicæ quæ tunc de Inducijs cum Rege Hispaniarum sanciendis tractabantur, urgentia. Acta sunt hæc circa 14. Septembris & Arminius Anno 1608. 30 Aprilis libello supplice impetravit ab Ordinibus, ut causæ suæ & Gomari cognoscerentur corã Supremæ Curiæ Cõsiliarijs, & non Ministris verborũ sibi ad mortẽ infensorũ. Pessimè habuit id rursum miseros Ministros, qui sibi in Ecclesiastica re iudicium deberi censebant, & eo pacto statuerunt viam novo, deinde in Hollandia, nato, schismati, de potestate Magistratus Civilis in Ecclesia, de quo postea sermo erit. Itaque supplicarunt & illi Ordinibus Hollãdiæ & Frisiæ 14. Maij, ut in Synodo Provinciali causa Ecclesiastica cognosceretur. Ordines vero media via incedentes, utrique parti satisfacere rati sunt, si cognosceretur coram Curia suprema causa Arminij & Gomari, iudicium vero deferretur Synodo. Itaque ad collationem inter Gomarum & Arminium tandem deventum est apud supremam Curiam Hagæ, ubi iterum lis oborta est Actoris partes subterfugiente Gomaro, Arminio ad partes reise offerente, qui recusante Gomaro partes Actoris exclamabat, *mirari se quandoquidem de Heterodoxia sua varij rumores sparsissent, & iã omnes Ecclesias pervasissent, incendiumque à se excitatum ipsa Ecclesia tecta superare crimina rentur neminem reperiri, qui accusationem instituere auderet.* Hac gloriatione demum extractus est ad partes Actoris agendas Gomarus, qui ex autographo Arminij de Justificatione hominis asserta prodaxit, *Iustitiam Christi non imputari hominibus in iustitiam, verum ipsam fidem seu Tò credere per gratiosam Dei acceptilationẽ, esse iustitiam nostram; qua corã Deo iustificemur qua* assertio plane repugnat Catechismo Palatino, & illorum Calvinianorum sententiæ qui nihil in homine ullo boni, esse affirmant, sed omnia merum esse peccatum, adeo ut neque credere in Deum bonum sit opus, sed solus Deus sit bonus, & illius bonitate imputata homini, fiat homo bonus, si quis bonus censeri debet. Stultissime sane & contra se ipsos docendo. Si enim imputari debet homini Justitia Dei, ut quid fidem exigitis ab homine? sinite obsecro Deum imputare, & nolite exigere ab homine aliquid, quod sit causa imputandi justitiam. Idcirco ad objecta Gomari tam fatua non fuit elinguis Arminius, sed & ille adversarium ursit, adeo, ut Consiliarij Supremæ Curiæ qui collationi aderant, Ordinibus retulerint, *Controversias quæ inter duos illos Doctores exortæ sint, versari potissimũ in Subtilioribus quibusdam de prædestinatione disputationibus, quæ aut omitti, aut mutua tolerantia dissimulari possint.* At Gomarus avidus honoris & victoriæ studio æstuans protestabatur dicens: *eas tanti esse momenti ut ipse cum Arminij sententia se diceret coram Deo comparere non audere*, quod ab Arminio multo melius & efficacius dicebatur, cum Gomari sententiæ de prædestinatione essent multis blasphemijs coopertæ, & ab Ecclesia Catholica damnatæ & porro damnandæ. Minabatur igitur Gomarus ut solent passionibus subjecti, & malæ causæ patroni, ostentans tumultus Civitatum & Provinciarum, nisi ex sua sententia statueretur; sed tunc nihil evicit. Unum illud statuerunt Ordines, *ut utriusq; scripta consignata in Suprema Curia conservarentur, nemini communicanda, quoad Synodus Nationalis celebraretur.* Quæ res Gomaristarum factionem multo magis turbavit, cum tot machinis adhibitis nondum ex Arminianis extorquere potuissent, quid in Calviniana doctrina improbarent, metuerentque ne tota subverteretur, *Catechismo eorum & Confessione* profligatis. Itaque Gomaristarum deputati incessanter flagitabant synodum, vel Provincialem vel Nationalem, Ordines autem videntes passionibus æstuare Ministros, eosdem detinebant, ut ne quidem suas cõsueras synodos celebrarent, cum tumultuum potius, quam sanæ doctrinæ seminaria futura præviderent.

Erat iam æstas Anno 1608. cum identidem flagitantibus Gomaristis, ut synodi fierent, Ordines 28. Iunij responderunt quod proximo Octobri Synodum essent convocaturi Provincialem. Eo comperto Ministri Arminianis infensi, quasi iam tum Iudicum subsellia occuparent, Arminianis iterum iterumque edixerunt, ut Considerationes suas singuli in singulis Classibus suis patefacerent, deferendas ad instantem Synodum, qua in re iniuriam manifestam irrogabant modestis Fratribus suis, quorum se Dictatores constituebant illi ipsi qui nuper ab Ecclesia Catholica Tota, necab Apostolica Sede, nec Concilijs Universis iudicari de se sinebant, prætextu libertatis Conscientiarum. Itaque Arminiani minime ad tam indignam attentatæci aut fatui in Fratribus suis Gomaristis desiderabant æquum iudicium, ut *quod sibi nolient fieri alijs ne facerent*; & rogabant filios Matris suæ ne pugnarent contra se: & meritissime quidem se-

se eorum iudicijs subtrahebant, & nihil eorum quæ atroces illi Dictatores mandabant iure suo prætenso expediebant. Vbi October adfuit Maior synodus in 2 menses dilata est, & permissum est, vt suas particulares annuas synodos Ministri in vtraque Hollandia celebrarent, ea cautione ne Arminij causa, reseruata Prouinciali, in ijs tractaretur. Celebrata est Dordraci Synodus Hollandiæ Australis, & contra Ordinum iussum Arminij causa tractata est à furiosis Gomaristis & denuo decretum, *vt considerationes suas Arminiani deferrent aduersarijs suis, sub pœna Censuræ Ecclesiasticæ, in contumaces stringendæ. Idē à Petro Bertio tunc Regente Theologici studij Leydæ esse postulandum.* Sed aduersus illud euanidum & prædatorium decretum Arminiani ab Ordinibus litteras obtinuerunt 13. Octob *vt Considerationes suas, quas haberent, non ad Gomari factionem, sed ad ordines obsignatas transmitterent, vt ad Synodum asseruarentur.* Academia vero deputatis à synodo flagitatoribus respondit: *Gomarum nihil habere considerationum circa confessionem Belgicam aut Catheckismum* (quippe ex suamente conflatcinata) *Arminium vero suo tempore scripto responsurum,* Ipse vero Ordinibus exposuit *Quid de Prædestinatione diuina, de gratia, de libero arbitrio Hominis de perseuerantia Sanctorum, de certitudine salutis, de perfectione Hominis in hac vita, de Deitate filij Dei, de Iustificatione Hominis coram Deo, aliisq; capitibus doctrinæ, Belgarum Reformatorum sentiret.* asserens *ab aduersa sua parte tradi de Prædestinatione doctrinā quæ cum Dei natura, eius sapientia, iustitia & bonitate, cum natura hominis eiusque libero arbitrio cum opere creationis, cum natura vitæ mortisque æternæ, peccati denique essentia pugnaret, quæque gratiam diuinam tolleret, Dei gloriæ minuens, hominumque saluti esset noxia, quæ Deum faceret peccati authorem, dolorem de peccatis impediret, pœnitentiam tolleret; omnem piam sollicitudinem exterminaret studium bene agendi minueret, ardorem precandi profligaret, desperationem pareret, Euangelium euerteret, Verbi Ministerio obesset, postremo fundamentum omnis religionis euerteret.* Neque sanè vanè ista dicebantur, Gomarus tamen tanquam letali ictu petitus 12 Dec. accusationem orsus, doctrinam Arminij aliter interpretari, & cum id frustra fieret. inde maximè impetere, *quod Ministris aliis, nempe aduersarijs suis, totiesrogatus & conatus, doctrinæ suæ copiam non faceret & cum Catholicis seu Papistis maximè Iesuitis in prædestinationis negotio & annexis ei sentiret. Idcirco ne quid Resp. Reformata detrimenti caperet, synodum Nationalem quotes opera Vtenbogardi &c. impeditam, omnino esse maturandam, vt remedijs adhibeatur scissuræ & apostasiæ multorum a[illegible]nium desciscentium,* Sub hæc

[illegible]nno 1609 crebro à Gomaristis vexatus et[illegible]erim, & monitus Arminius, vt suas in Belgi[illegible]m doctrinam Considerationes promissas scripto comprehensas mitteret, qui 4 Aprilis per epistolam Respondit; *se id dissuliſſe quod intellexisset Illust. Ordines Ministris mandasse, vt considerationes suas obsignatas ad ipsos mitterent, idcirco se consilium mutasse, expecturumque dum idem sibi quoque Academia professori mandetur.* Regens quoque Collegij Theologici P. Bertius ab ijdem monitus vt suas expromeret. sine tergiversatione respondit, *se in articulis de Iustificatione Hominis coram Deo, de prædestinatione, de gratia Dei & libero arbitrio, de perseuerantia, denique vera fidelium, diuersum ab Gomaristis sentire.* Vnde multo vehementius perculsi sunt Gomaristæ. Itaque animosiores paulo Arminiani, inter quos dicitur etiam Alcmariæ se exeruisse præceteris Minister Adolfus Venator qui publice Arminianam in Ecclesia doctrinam tradebat. Ideo hunc Confestim eius aduersarij vti Pelagianum & Socinianum falso traducere cæperunt, & eum cum quibusdam à docendi munere suspenderunt. Ille vero suspensionem illam hoc cipiendens cum socijs apud Illust. Ordines conquestus mandatum impetrauit, quo eorum restitutio imperabatur mandabaturque inimicis eorum, vt non obstarent, restitutioni, qui ad conscientiæ suæ asylum recurrentes, *id facere non posse responderunt & deprecati sunt humillime quasi atq; iterū synodum Nationalem urgere cœperunt,* cuius cum nondum esset opportunitas, Nova collatio inter Gomarum & Arminium instituta est, assumptis à quauis parte quatuor Ministris, habendā coram ipso Ordinum Illustrium conventu. Eam collationem è scribis excipi volebant; Ordines vero voce sola fieri, postea tamen scriptis comprehendendam esse ad iudicium synodi, convenit. Erant inter Collatores ex parte Arminij assumptos Vtenbogardum Hagæ, Borrium Leydæ, Grevinckhouium Roterdami Ministros, quarus antedictus Venator Alcmarianus, quem vt suspensum renuebant Gomaristæ. Ex parte Gomari verò fuerunt assumpti Acronius Schiedamæ, Rolandus Amstelodami, Bogardus Harlemi, & Hommius Leydæ

Ministelli. verum nihil illi aduersus Venatorem efficere potuerunt, sua suspensione prætensa, qui olim ipsius Ecclesiæ Catholicæ veram censuram flocci-pendendam docebant.

Initium collationis fuit factum de Iustificatione; *An scilicet Fides quâ actus est secundum gratiosum Dei æstimationem sit ipsa Iustitia, qua coram Deo iustificamur? Deinde de Prædestinatione diuina, Tertio de gratia Dei & cooperatione liberi arbitrij, vltimo de Perseuerantia vere fidelium.* De quibus solis cum actum sit ea collatione, accidit vt deinde famoso nomine ea res, *Quinque controversi* articuli sint nominati. Quam solide porro Arminius & eius socij in hisce substiterint aduersus Gomaristas docent Remonstrantium Acta parte. 2. in qua Arminiani proposuerunt, explicarunt & defenderunt exactissime sententiam suam super quinque de prædestinatione eique annexis capitibus, tot scripturæ locis confirmata, & contrariæ sectæ clara confutatione stabilita, vt mirum sit, quomodo rationi suæ Gomaristæ satisfaciant, nisi voluntate sola pugnarent, ostendentes facto se gratiæ Dei seu veritati posse resistere, quod fieri posse verbo negabant; cum contra Gomari sententia, de ijsdem capitibus nullo robore eiusmodi, nisi Sophismatis & bruto multitudinis & potestatis sæcularis impetu fulciatur. Hæc eo recensentur, vt tanto tetrior Gomaristarum appareat victoria, quo Arminianos vi demum oppresserunt. Cum autem quinque discussis articulis Ordinibus collationem abrumpi placuisset 22 Augusti, collatoribus imperarunt vt scripta sua de controversijs oblata intra certum dierum numerum custodiæ suæ submitterent, donec ea in Synodo discuterentur. At hac collatione magis Reformati Gomari partium turbati sunt & 16. Septemb. iterum postularunt ab Ordinibus Synodum, in qua scirent se facile aduersarios oppressuros numero nondum auctos quibus Responsum est, convocatam iri Synodum cum Alcmarianæ classis Ministri ex Illust. Ordinum mandato de Adolpho Venatore & adhærentibus, in cœtum suum admittendis, paruissent. Ne igitur ea res moram faceret vlteriorem à Gomaristis Deputati Alcmariâ profecti, cũ eius loci classe egerũt de abdicatorum restitutione, Hæc in parte paruit, & Venatore excluso, ob graues vti dicebat causas, cæteros admisit. Sed ea ratione nec Ordinibus nec Arminianis cum satisfeciissent 5. Octobris denuo ad recipiendum Venatorem compulsi sunt. cum sensim infirmatus Arminius ex hac vita 19. Octob. decessit.

Arminio è vita sublato Gomaristæ, vti magno aduersario liberati, spem certam sibi de reliquis opprimendis faciebant, & Synodum rursum sollicitabant, quam eis Ordines addixerunt, cum Alemariana Classis eorum mandatis paruisse videretur, vti decebat: quod cum pertinaces Gomaristæ recusarent, occasionem dederunt Arminianæ partiacrius ipsos, vti rebelles premendi & argumentis, quibus Spiritu resistere non possent, fortius vrgendi, qua in re multi scriptis & dictis operam non ignauam collocarunt, pro vindicanda Statuum & ordinum authoritate. Itaque Ann. 1610. eiusmodi turbis inchoatus ad 25. Maij decurrit, cum Gomaristarum patientia pene fracta fuit & pessundata, itaque potenter iterum Synodum efflagitarunt. At dum id Ordines meditantur, inter ipsos de modo conuocationis, & conuocandis cœptum est disceptari & ambigi, & non solum Provincialis Synodus, sed & Mino-res annuæ intermittendæ fuerunt, studio partium diuulsa consensione, in Hierarchia, carente capite seu Papa, Hac occasione Arminiani cum viderent se excommunicatione & alijs indignis modis à suis Fratribus in Fide tractari, ipse inter se corpus quoddam conflandam esse non inepte iudicarunt, cum Gomaristas à Fide vera & religione & caritate excidisse sentirent. Nec multo post, nimirum mense Iunio Hollandiæ & VVest-Frisiæ ordinibus libellum supplicem, cui titulus erat *Remonstrantia* obtulerunt, à quo eos quidam *Remonstrantes* dictos fuisse contendunt. In hac illi causam suam egerunt strenuè & perspicue aduersus tenebras Gomaristarum, qui nec opinionibus conuenirent, nec candide illas ipsas, quas fouebant in animis, producere in lucem auderent, de prædestinatione, de Gratia, Dei, &c. adiunctis. Ne vero maior inter Ministro ex hoc scripto concitaretur seditio, diligentissime Remonstrantia illa est occultata, & dum in locum defuncti Arminij successor quæritur, ecce tibi aduersus Gomaristarum factionem, supplicesque libellos & omnia vota, in Cathedram vacantem Steinfurto, VVestphaliæ oppido Caluini academia celebrato, euocatur Conradus Vorstius, homo audax, & sui sensus & Gomaristis suspectus, certe Socinianismi ab ijsdem accusatus,

Lega-

Legationem obijt Vtenbogardus, quod cum Gomaristis fuisset compertum, inquieti homines iterum Ordines monere, & orare ne is, velut vnguis in vlcus immitteretur, præsertim cum Academia Heidelbergensis (Gomari partium ea erat) aduersus Vorstium dixerit 26. August. luculentium testimonium Heteredoxiæ in doctrina de Deo eiusque attributis, nempe & *quantum esse Deum & compositum & mutabilem*, ab eo defendi &c. Hinc iterum disceptatio multa & commotio obortaest de Vorstij persona ad 18. Oct. circa quod tempus Vorstius aduenit & ab ordinibus auditus Steinfurtum redijt. Alia disceptatio eodem tempore oborta est ob personas examinandorum in Classibus pro cura animarum, cum iussu ordinum nemo a cura illa depelli debuit, qui se cum Arminianis sentire affirmaret, quæ res a 21. August. ad Nouemb 21. cum importunitate Gomaristarum dum tractatur ab Ordinibus demum Collatio Hagæ Comitis decernitur instituenda super *quinque controuersis articulis*, inter Denos & Denos Ministros aut Doctores ex vtraque parte legendos. Hi Ann 1611. ad 11. Martij conuenerunt, vbi iterum dissensio oborta est ex personis, qui de parte Gomari se ingerebant titulo Deputatorum ad futurā collationem. His igitur explosis multo maior de forma Collationis est oborta discordia, ita vt Ordines discerperentur animis. Arminiani latentes blasphemias Gomaristarum in apertum produci volebant, at illi occultabant obnixe, & vt expedirent se specie quadam, profitebantur *à se credi & doceri quod Deus neminem condemnaret, nec statuisset damnare quenquam, nisi iuste propter propria ipsius peccata*. Sed in his simplicibus, vti videbatur Sermonibus, virus occultum tenebant, nempe futura ex vi Reprobationis cuique obuentura peccata, quod cum ordines non aduerterent, utcunque eis acquierunt tanquam ritè de blasphemia purgatis. Denique Festus Hommius fuit in ea collatione os Gomaristarum, Adrianus Borrius alijque pervices Arminianorum. Interea è VVestphalia redibat Conradus Vorstius quem ad 27. Aprilis audiendum in collatione decreuerunt ordines, ex cuius auditione iterum dissensio alia oboritur dum Remonstrantes eum recipiendum ad Cathedram censent, Gomaristæ reijciunt, & vtrique pertinaciter proposito insistunt vsque ad eundem infecto iudicio dimissum, & paulo post Collationi finis impositus, nim. suspensa, sententia, nim. vt articuli in eo statu manerent, quo ante collationem fuissent, Ministri in pace ageren[t] docerentque suos sententias, scriptoque exhiberent per collationē propositā. Reliquam partē tanni turbæ circa Vorstij personam in Prouincijs absumpse-runt. Cumque exeunte Ann. 1611. statuissent Ordines vt Collatores Hagienses, scripto statum controuersiæ circa 5. articulos controuersos exhiberent, vnaque sua ad-derent Consilia pacis. Remonstrantes mutuam tolerantiam suggesserunt. Gomaristæ vero iterum synodum (prædatoriam) postularunt.

Speciosum quidem erat Gomaristarum Consilium, de Synodo, veruntamen prædatorium, vtpote in quo, sub nomine honesto Synodi, conspiratio vnius factionis latura esset in aduersarios sententiam præiudicatam. Itaque variè fuerunt Ordines affecti, audito vtriusque partis Consilio, adeo vt nihil statui posset. At pertinaces Ministri è factione Gomari non quiescebant, clamantes *non solum 5. articulos in controuersiam vocari à parte Arminij, sed plures magni momenti*, quo clamore obstrepero 3. Dec. commoti ordines statuerunt, *vt purissime doceretur in Scholis & Ecclesijs Euangelium nimirum 1. perfecta Christi satisfactio pro peccatis nostris 2. Iustificatio hominis coram Deo. 3. Fides saluifica 4. peccatum originale. 5. certitudo salutis. 6. Perfectio Hominis in hac vita, omnia iuxta morem & traditionem in Reformatis passim Ecclesijs vsitatam hactenus*. Sed id decretum emplastrum erat suppurantium vulnerum, partibus hinc & inde rem suam agentibus. & nihilominus decreto satisfacientibus, maxime tamen Gomaristæ tumultuabantur, & in populo schisma erat & secessio, capitibus singulis quam elegissent partem sequentibus. Quin etiam Alcmariæ ad arma deuentum est, cum Gomaristæ id egissent, vt Magistratui annuo, qui æquus fuerat vtrique parti, succederet amplius fauens Gomaristis. quam molitionem, plebs Venatori Ministro Arminiano fauens, vindicavit. abditato eiusmodi Magistratu à Gomaristis subintroducto. atque ita Gomaristæ causam suam commendare dum conantur, deteriorem effecerunt, exilio consecuto. Alcmariæ exemplum secutum est Roterodamum &c. At Amstelodami alijsque locis plurimis Gomaristæ Arminianos pepulerunt. Magistratus vero Gomaristas cernens truculentius agere, non paucis locis seueris edictis eos, vt turbatores compescuit, quod illi Arminianorum Machinatione fieri interpretari,

multo

multo magis furebant. Inter hos tumultus demum alter princeps factionis Gomarus obit Ann. 1612. ex hac vita, in cuius locum euectus est ad Leidensem Cathedram Doctoralem Simon Episcopius Remonstrans, nuper Amstelodamo pulsus ab aduersa factione; Hinc iterum commotio inter Gomaristas consecuta est, peruenerat iam Schisma hoc in Vltraiectinam prouinciam, & occuparat, Geldriam item ac Transisulaniam, & quidem in Vltraiectina Prou. ab Arminianorū parte circa Augustum mensem prævalente *Formula Regiminis Ecclesiastici* ex mente Vtenbogardi Hagiensis Ministri concepta est, cuius 4. & 5. Articulis cap. 2. videbant *Tolerantiam sententiarum de 5. controversis articulis*, vti in Hollandia tolerarentur. Et similia Neomagi, Bomeliæ, Tielæ, Dauentriæ, Camliæ, Campis, alijsque locis gerebantur, rationabilem Arminij doctrinam vt quæ Homines Fatis ineuitabilibus liberaret, populo ac Ministris lubenter acceptantibus, idcirco Gomaristarum factio rursum communicatis Consilijs ex singulis Provincijs duos ablegat ad Generales ordines Deputatos, sola fere Vltraiectina cessante Provincia, qui ordines informarunt, & rogarunt, vt Synodi conuocationem diuitius iam differre cessarent. Sed cum Vltraiectinæ Provinciæ deputati abessent, & Hollandiæ ac VVest-Frisiæ deputati dicerent, se non satis liquidis mandatis à suis Delegantibus esse instructos quoad Synodum, postulatum irritum euasit. Legebantur tunc passim libelli ab vtraque parte dissidentium editi, *Campana incendiaria*; *Impressior Declaratio*; *Via directa*, & *Mercurius*, alijque, quibus partes aduersas eleuabant & deprimebant ex animi sui sensu & arbitrio, ita vt compita, vici & domus perstreperent disputantium turbis, tanquam tubis & tympanis in bello. Cumque nullum malo huic finem repetirent Gomaristæ, timentes ne plausibilitate doctrinæ aduersariæ opprimerentur, post ordines toties tentatos, Consilio inito Guilhelmum Ludouicum Nassouium Frisiæ gubernatorem induxerunt seu prece seu pretio seu vtrisque machinis, vt is Vtenbogardum Arminianum & Hommium Gomaristam, tanquam Principes factionum suarum accersitos induceret, vt ipsimet amice ac fraternè inter se despicerent, an non via aliqua honesta componendi dissidij appareret?

Ad hæc Hommius fertur respondisse, *si Remonstrantes in solis 5. articulis hactenus controversis vellent sistere, nec ad aliud dogma Ecclesiarum Belgicarum conuellendum se extenderent, facile dissidium Tolerantia mutua posse componi*; Vtenbogardus rogatus quid de hoc ipso Consilio sentiret, respondit, *se arbitrari alios articulos nullos à Remonstrantibus impeti*. Itaque hi Duum-viri assumptis tribus pro singulis factionibus personis moderatis, qui de hac pacis via transigerent amplius consultarunt; quod consilium Ann. 1613. 21. Ian. Ordines Collaudarunt. Ergo 27. Febr. Delphis Octo-viri adsūt, vbi *Mutua Tolerantia* sententiarum, quo ad 5. articulos tentata est: & Arminiani quidem confestim in eam consensere, Gomaristæ vero, *primo de solis 5. articulis tolerandis cautionem poscebant, deinde ipsam Tolerantiam mutuam circumscribi certis terminis iubebant, ita demum se consensuros in eandem*. Conditiones autem erant hæ, *vt sex capita Doctrinæ ab ordinibus Ann. 1611. 3. Dec. paulo ante memorata, purissime iuxta Euangelium per omnes Ecclesias Belgij tussa prædicari, Remonstrantes iuxta Confessionem Belgicam, & Catechismum Palatinam suamque Thesibus expressam exegerim, reciperent se docturos, & contrariam eis sententiam, quæ ex quibusdam Anti-thesibus Arminij Vorstij Bertij & Venatoris &c. proposita esset, aque reijcerent ac damnarent*. Has conditiones, cum non aliud agerent, quam vt Arminiani suos quinque articulos tacite damnarent, & Mutuæ Tolerantiæ nomine à Gomaristis in seruitutem conscientiæ concederent, Arminiani admittere sane non debuerunt, nec illos, vt admitterent postulare decebat. Cesserunt tamen pacis gratia Arminiani in tantillo, ne præfracte responderent, sed se cum reliquis Remonstrantibus agere velle ea de re asseruerunt. Ita Hommius & Vtenbogardus euocati ad Ordines, eisdem Delphis acta retulerunt, Hommio dicente: *quod spes pacis affulgeret, si Remonstrantes suam circa 5. articulos sententiam declararent*, quasi Gomaristæ tot Thesibus, tot libris, tot collationibus expressam, mentem Arminianorum nondum perspexissent. Idcirco facile ordines insidias Gomaristarum odorati Vtenbogardum, seorsim audiendum censuerunt, qui *Gomaristas insidiose agere, & Inquisitionem Nouam sibi assumere est conquestus*; vti ipsi ordines coram audissent ex *Festo Homio*. Quæ propter Ordines Gomaristis edixerunt; *vt à postulanda huiusmodi declaratione sententiæ Arminianæ, quæ adeo iam esset vulgo protrita, desisterent, & tergiuersationibus pacem aduenientem vltro, ne impedirent*. Gomaristis autem ad huc peruicaciter

eaciter apud ordines exhibentibus Theses illas, in quas Arminianos consentire, & Antitheses quas ab Arminianis vellent damnari, Ordines seuere interdixerunt, *ne aut typis aut manu expressorum, scriptumue hoc cuiquam mortalium communicaretur.* Et quia apud ordines quidam ab Ecclesijs aut synodo Deputatorum titulo ac officio fungebantur, ijque remoram paci inijcere censebantur, certe Arminianis essent suspecti, *& titulo & officio illo abstinere iussi sunt.* Tantum valuit Arminianorum æquitas & causa, quamdiu per Iudices incorruptos & nullarum partium fuit tractata. visa est tunc ad apicem perueniisse Arminiana res cum hæc gerabantur. nam ex hoc tempore obstinatione Gomaristarum, prætextu Declarationis istius vafre expetitæ & non impetratæ res Arminianorum retro ferri specioso titulo cæperunt, & continue, etiam in synodo ipsa, tergiversationis quo ad Declarationem suæ sententiæ criminationem passi sunt, imo quasi Romanam Catholicam religionem sub 5. articulis reducere conarentur, invidiose apud Perfectos Calvinistas, traducebantur. Quæ suspicio & criminatio multum Gomaristas, imo pene sola adiuuit, & præsentissimo exitij periculo exemit, Arminianos vero involuit vt sequens historia pandet.

Erat eo tempore in authoritate apud Angliæ Regem Iacobum I. Hugo Grotius vir eruditus, is cognita causa controversiarum, sive sponte suâ siue ab alijs, persuasus, ad Regem illum tanquam suorum Regnorum (vti volebat) supremum caput Ecclesiasticum & vicinarum Ecclesiarum oraculum seu proëpiscopum, vna cum Informatione de sententia Arminianorū & Gomaristarū scripsit literas suasitque Regi, vt is se pacis arbitrium aut sua sorte in *Tolerantia mutua* indicenda exhiberet apud Hollandos, præsertim cum aliter componi dissidiū non posset, Rex negotium commendatum auide suscepit, suasit, & Ordinibus scripsit.

Illi vero inter se discrepabant æque ac ipsi Ministri, de quibus componendis agebatur, Prævaluerunt tamen rationes eorum qui *Tolerantiam sanciendam esse* censuerunt, atque ita demum in Hollandiæ ac West-Frisiæ vrbibus A. 1614. 25. Iulij sancitum *Decretum Tolerantiæ mutuæ* est promulgatum, additis in rem quibusdam Scripturæ Patrumq; sententijs, quas Gomaristæ confestim arrodere cæperunt, atque per easdem ipsum Decretū, aiebant enim *Faustū Regiensem Episcopū inter alios ciatum semipelagianū fuisse*, quo crimine etiam Arminianos onerabant Ea igitur ratione Decretum paci conciliandæ vel stabiliendæ destinatum nouam belli materiam suppeditauit, Triglandio Amstelodamensi, ex Gomari factione, Ministro, vt Decretum typis oppugnaret, Vtenbogardo contra vt aduersus Triglandium defenderet, quem rursus Triglandius egregius Calvini, Bezæ, Zanchijque & similium Gomaristarum hyperaspistes, refutauit. Cum igitur Decreti vis infirmari videretur A. 1615. Septembri & Octobri mense laboratum est, vt quamplurimi sua ei nomina subscriberent, quod pars præstitit, pars autem alia zelosior refugit, vt igitur etiam hi aliqua authoritate ad subscribendum inducerentur, 21. Dec. ad singulas classes *Decretum de Tolerantia mutua* transmissum est, & vt subscriberent Ministri fuit mandatum, adiecto alio Decreto quo permittebatur, *vt in Ministrorum vocatione, Item seniorum electione eo liceret vti ordine, qui A. 1591. constitutus fuerat, sed quibusdam recusantibus parum acceptatus* quod Ministri imperium Ecclesiasticum ciuili Magistratui extortum inique, nollent ad eundem vel in parte reuolui, vtpote *Scorpionum Apocalypticorum è numero habentium coronas aureas super capita sua.* Erat quippe illo Decreto sancitum vt electio prædictorum fieret per 4. è Magistratu ciuili, & 4. de presbyterio personas.

Hæc decreta iterum perplexos reddiderunt Gomaristicam manum, quæ tot à Deo sollicitata ad sanam mentem medijs ijsq; vrgentibus, satis ostendit ipso facto quod ore negabant *se Dei gratiæ posse & resistere & acquiescere; etiam sibi, in tot blasphemis sententijs contra Deum, gratiam abunde ministrari &c.* sed libertate arbitrij, odio in partem aduersam, *inflammati à gehenna rota*, Deputatos ex singulis fere, in quibus adhuc dominabantur, classibus, ad Ordines ablegarunt, vt grauamina Deputantium, circa huiusmodi Decreta, scripto comprehensa publicè in Haga Comitis exponerent, atque eorundem Introductionem deprecando omnino recusarent. Inuenerunt hi ante propositionem, cuius causa venerant, effugium quo Classes vti possent ad declinandum onus transmissorum Decretorum; nempe *quod diceretur, illa nondum plena solennique omnium Ordinum approbatione esse approbata, & ideo vim Legis minime obtinere.* Lætum inventum. Interea tamen contra Decreta aliquot locis tumultuatum est à Ministris Gomari, imprimis Harlemi, quibus locis ad communionis separationem peruenerunt Factiosi. nolebant

enim Ministri in consortium vocandorum Ministrorum ac Presbyterorum admittere Magistratum civilem, & qui ipsimet non aliunde in Hollandia à nullo alio nisi ciuili Magistratu, & quidem per Rebellionem excitato, erant admissi, nunc ingrati suosmet creatores & patres ea potestate excludebant. Ita vt iam tum Apollonianum schisma, de quo seq. libro agetur, natum serperet. Ego igitur modo Hollandia in exactum ac patens schisma abijt, conventibus contra conventus celebrandis diffisa. Exemplo sit Haga Comitis. Cum istic Gomarista Henricus Rosæus, quod Decretis illis, prætextu conscientiæ, obtemperare recusaret, suspensus esset à munere, Ministerij, & adhærentes deinceps in pago Risvvicensi vicino, mox iterum in separato templo Hagæ religionis suæ exercitium percommodato acceptos Ministros vsurparunt, authoritate quorundam inter Ordines, in quibus erat etiam Mauritius Princeps Arausicanus & Comes Guilhelmus Ludovicus Nassouius, qui incertum quibus causis moti, sanè arbitrij libertate usi, & vti Mauritius fassus est vtilitatis intuitu à Remonstrantibus declinarunt, & pondus animumque Gomaristis addiderunt. At è Remonstrantium parte stabant alij, inprimis Aduocatus Hollandiæ, qui partem eam sæpe fideliter adiuuit, effecitque, vt punitis ob Decreta non recepta, cum appellarent supremam curiam, curiæ protectio negaretur.

Annus inter hæc agebatur 1616. cum ad Amstelodamense præpotens emporium Hollandiæ, Decretis illis obstrum, mense Aprili missus est Hugo Grotius cum quibusdam qui sua eloquentia senatum inducerent ad Decretorum dictorum receptionem. Is audito Grotio, quod ad Decreta illa suum non accessisset suffragium offensus, respondit se in sua *quinquagenaria* (grandis scilicet ætatis, et quam multi in Senatu præsentes antecellebant) *religione* velle persistere, nec Actis ab Ann. 1611. vsque ad huius anni 18. Martij assentiri, donec legitimæ Synodi conuocatione controuersiæ Religionis componerentur. Fuit hoc alterum grande pondus, quo Gomaristarum factio inualuit. Succedente deinde Anno 1617. Arminiani *Secundam Remonstrantiam* Ordinibus obtuleruut, in qua suam causam è criminationibus Gomaristarum eximebant, aduersarios Fatalismi & aliorum criminum reos agebant, mense Martio. Gomaristæ autem quæsitis extra Belgium prope & procul suffragijs & auxilijs, per suos in Fatalismo sodales Ministros effecerunt etiam hoc vt Iacobus Britanniarum Rex, 20. Martij datis literis Ordines hortaretur, vt demum positis inter se discordibus affectibus partium turbationi Ecclesiarum remedium afferre mutuarent, præsertim instante magno illo syncretismo, & mysterio quod in Germanico Imperio tunc moliebatur Caluinismus, qui & Imperium illud penitus diripere & sibi vendicare iam constituerat & erecta primum à Corona & Regno Bohemiæ & Hungariæ Austriaca Domo ulteriora erat attenturus, si fortuna faueret. Horum pars magna erant & ipse Britanni & inter status Hollandiæ non pauci, qui Consilijs, directione, & ope Magnum illud miraculum erant patraturi, *quo Papismus ex toto orbe terrarum erat profligandus, omnesque Monachi & Ecclesiastici maximè autem Iesuitæ Bohemorum rusticorum Hussiticis, tribulis (ita enim sculptura area & typo ipsi expressérunt Caluinistæ) in infernalem orcum & latebras æternas, erant compellendi, Imperator vero Romanus penitus, sub aquilæ specie explumandus atque ad hospitium cæsareum, sub panis & pernæ signo ablegandus in exilium.* Eo rerum statu Regis Iacobi authoritati accessit Mauritij principis, (qui etiam ipse Consiliorum in Germania erat director) voluntas, quæ vtpote potentis Gubernatoris exercituum, erat grauis. Vtrisque Zelandorum accessit Oratio & Legati ad idem Comitentes, vt nimirum Nationalis Synodus cogeretur, *qua vti Ordinario medio per Spiritum Sanctum proposito*, (ita enim narrant Gomaristæ ipsimet, quod notare poterit Catholicus) *via tandem ad pacem Religionis sternatur*, non solùm Ecclesijs, sed multo magis ciuili statui profuturam, ob eas quas memoraui causas. Dum tractatur, disceptatur de talis Synodi, vel componendæ litis per aliam viam negotio, rumor increbuit, *Synodum eiusmodi (vtpote Dictaturam Pontificiam vel Conciliorum iam pridem damnatorum authoritatem restituendo) à Libertate Provinciarum multum detracturam, & Ministris verbi sceptra daturam. cum unaquæque provincia habeat ius supremum de Religione statuendi, prout ipsi visum esset, Indignum esse hanc libertatem alijs provincijs subiugari, imo armis si præripiatur eam esse defendendam.* Hinc factum est, ut nonnullarum Ciuitatum Rectores, decreverint circa 4. Augusti conspirando milites conscribere qui nec Ordinibus, nec Mauritio, sed sibi solum, essent obstricti iuramento, & his libertatem suam esse tutandam. Factum id Ultrajecti, Leidæ, Harlemi,

mi, & alijs locis compluribus, ita ut Ordines & Mauritium ea res sollicitos, teneret, qui omni ope adnisi sunt, ne quid Resp. detrimenti caperet, in tam propinquis Imperij Germanici turbis dirigendis occupanda. Adiuvit Ordines Dudleius Carletonus Legatus Britanniarum Regis, cuius orationem 6. Octobris habitam nacti Arminiani, quod Gomarum redivivum spiraret, Libello edito refutasse narrantur. Generales vero Ordines ut famosum damnasse, etiam Joannes Casimirus Junius filius Francisci Junij refutandum assumpsisse traditur mense Decembri, & uti sibi persuadebat, examinavit. Itaque tandem ad seq. Anni 1618. Cal. Maias Ordines Synodum Nationalem instituendam decernunt, simulque Leges constituunt, secundū, quas, & convocatio fieret, & ipsa synodus dirigeretur. Et quoniam Gomaristæ sibi solis diffidebant in Arminianorum congressu, ut eos multitudine capitum in Synodo superarent, nec quenquam Remonstrantium in Consessum admitterent, vincerentque certissimo, ex vicinis Regnis ac Provincijs Theologos, suæ farinæ & mentis elicuerunt ad Nationalem Synodum, nempe Anglia, Scotia, Gallia, Germania; cumque quidam ridicule rogarent, ut eadem opera Oecumenicam Synodum seu Generalem indicerent, Responderunt id quod, inter omnia huius Synodi causa dicta, sapientissimum fuit, nimirum: JNCERTISSIMUM ESSE AN ET QUANDO SYNODUS OECUMENICA CONVOCARI POSSIT (nempe a Calvinistis) HANC NATIONALEM QUASI OECUMENICAM ET GENERALEM FORE; (addo forte & ultimam uti prima fuit, ea siquidem evenerunt, ut ipsomet & piguerit & puduerit esse vel hanc primam celebratam) CUM EX OMNIBUS FERE REFORMATIS ECCLESIIS DEPUTATI SINT EIDEM JNTERFUTURI. quæ verba ab ipsis Gomaristis typo edita, tanquam Monumentum æternum adversus se ipsos conscriptum, singulariter noto. Cum illis parenter & ingenuè negent se esse Catholicam Ecclesiam toto orbe terrarum diffusam secundum Scripturarum elogia de Christi Regno nimirum, ut patet ex Actis ipsiusmet Synodi. Universa Calvinianorum Ecclesia congregata in Spiritu Ursini & Gomari, complexa Belgium cōfœderatum, Angliam, Palatinatum, Hassiam, Helvetiam, Nassoviam, Genevam, Bremam & Embdam, dixitque sententiam, quam nec Helveti, nec Angli, nec Hassi, nec Palatini, nec Genevates per omnia amplectuntur.

V. Acta in Synodo Dordracena à die 13. Novēb. sessione 1. An. 1618. usque ad sessionem 145. die 9. Maij An. 1620. edita sunt Dordraci An. 1620 in folio magno 276. paginis, quibus altera pars Dogmatica subijcitur, complectēs Iudicia Theologorum Provincialium super Quinque Controversis Remonstrantium Articulis & hæc paginis 319. absolvitur. Horum epitomen brevem do ex ipsis Remonstrannium & Gomaristarum Actis concinnatam, ab ipsis Remonstrantibus initio Actorum suorum in Præfatione præfixam, His ce verbis:

IV. Synodus conuocata est, in qua ij ipsi qui non tantum nobis nostrisque studijs in patria nostra directè atque ex professo semper adversati fuerant, sed tantum non inimici ac capitales hostes nostri vtramque paginam fecerunt. Horum iudicijs vellemus, nollemus, stare aut cadere oportuit causam nostram. Ab his citati sumus, coram his iudicibus causam dicere iussi sumus: Et hi sunt illi qui nos pronuntiarunt, non reos tantum, sed etiam *conuictos corrupta Religionis, scissæ Ecclesiæ vnitatis, grauissimorum scandalorum, & intoleranda peruicaciæ aduersus supremi Magistratus publicata in Synodo decreta & aduersus ipsam* (eniecur Theologorum) *Venerandam Synodum*: Hi sunt illi qui à Rectoribus nouis auxilia implorant vt *turbulentos & inquietos spiritus* (quos videlicet ipsi designaturi sunt) *compescant*, & *Synodica decreta authoritatis suæ calculo adiecto stabiliant & immota ac perpetua reddant*. Et ecce successum. Non multo post, Remonstrantes citati aut silere iubentur veluti muti canes, aut exire patria cum vxoribus liberisque. Cæteri ferme ducenti ad eorum exemplum æterno exilio mulctantur, aut prodigioso silentio in libera patria adstringuntur, & ne quid odio desit publicantur edicta, ne quis eis vel tenuncium suppeditet, quo vitam miseram in exilio tolerent, inediæque molestiam & mendicitatis infamiam euadant; quingenti floreni in singulorum Remonstrantium Ministrorum capita statuuntur, sub æterni carceris pœna, redire in patriam vetantur, aliaque Albanæ sæuitiæ damnata, exempla in vsum reuocantur.

Hac ratione actum nobiscum est, Christiane Lector, & causa nostra inaudita, indefensa, damnata est ab aduersarijs nostris, quodque dignum admiratione est, eorum criminum, quorum ipsi sibi non possunt non esse conscij, non tantum *rei* sed & *conuicti* pronunciamur: Quis credat? vtique si reos tantum nos dixisset Synodus, speciem aliquam habuis-

et oratio: Iudicium. n. suum dixisse Synodus videri potuisset. At conuictos nos fuisse quo colore, qua specie, qua verisimilitudine dicitur? certe non aliâ quam quâ olim Nero Imperator Christianos *generis humani hostes convictos* pronuntiauit; etenim ne pugnatum quidem aut in arenam descensum, aut ad manus vnquam ventum fuit. Quippe à collatione vsque adeo abhorruit semper Synodus, vt ne vocem quidem ipsam in primo nostro aditu sustinuerit, sed eius spem omnē protinus præciderit. Quoties optauimus, rogauimus, orauimus, obsecrauimus vt iusta aliqua Collatio spectante & audiente Fœderato Belgio toto institueretur? quam enixè sæpenumero petiuimus vtrumne in tanta doctorum hominum coorta quisquam esset, qui errorem nobis nostrum ostenderet & erroris nos si posset conuinceret? At semper repulsam passi sumus, ad iudicandum quippe non ad disputandum se conuenisse aiebat Synodus. Et hæc cum palam publicèque gesta sint, conuictos tamen nos pronunciare Synodus ausa fuit: Itane ergo sine Sole, sine puluere, sine conflictu victoria reportata est, & nos, quorum animis nunquam vllæ argumentorum machinæ, vlli rationum arietes admoti sunt, sed qui solo tantum Authoritatis bruto fulmine percussi fuimus, etiam cum multò ante conscientias rationibus optimis munitas obtenderemus, & vt illis satisfieri posset humiliter peteremus, nihilominus conuicti sumus? Profecto si aduersarium audire nolle, est cum vincere, fasces victo submittimus & victi sumus; si conscientiam aduersarij reluctantem sola authoritate premere atque vrgere est eundem conuincere, manus damus, & quia ita placet Synodo, conuicti sumus.

Quin imo, habet etiam quo suam siue supinam socordiam, siue stupidam credulitatem tegat Petrus Molinæus cum in præfatione libri sui, quem Anatomen Arminianismi inscribit, nos non rationibus non argumentis (id n. colorem habuisset) sed *solo aspectu Venerandæ Synodi (quæ nullam aliam à multis retrò seculis, nec celebriorem nec sanctiorem nec Ecclesiæ vtiliorem fuisse nimium turpi & mercenaria oratione adierit) sic perturbatos fuisse* scribere non dubitat, *vt cum ante Synodum gestiremus in pugnam & certamen aude poscere videremur, conuersis tergibus eaperimus φυγοδικεῖν lucemque odisse & moras nectere, & quidem perculsi sine metu sine conscientiæ*: Habet inquam quo pudendam hanc & hyperbolicam calūniam aliquatenus obtegat; Alioquin certe indignum nomine atque famâ suâ fecit, vir alioquin non ineruditus nec incelebris quod limen libri sui prætexuerit tam à vero aliena præfatione, tanquam si in Epicuri aliquo intermundio aut ignota regione per somnium sibi narrari audiuisset ea, quæ in Belgio & in Synodo gesta sunt. Equidem nisi leuiter fidem abhibere maluisset, quam molesta veritatis disquisitione se fatigare, fieri vix potuisset, vt vir prudens in vicina Gallia tam turpem & fœdum erroremerrasset. Quamquam si omnino certam detrectasse mus moras nexuissemus, quid in eo reprehensione dignum fuisset? An aduersam partem iudicem non agnoscere, ab aduersa parte leges loquendi & silendi accipere nolle cum manifesto detrimento bonæ causæ & veritatis diuinæ tergiuersari est & φυγοδικεῖν? Ergone Athanasium qui nunquam non gestiebat in pugnam contra Arianos, & certamen aude semper poscebat, cum Tyri in concilio Arianos aduersarios suos rerum potiri videret & subito inde aufugeret, solo aspectu venerandæ Synodi perturbatum fuisse diceret Molinæus & φυγοδικεῖν cœpisse? Et Paulinum Episcopum Treuirensem tergiversatum cum Auxentium Episcopum, & socios eius sinistra quædam contra se moliri intelligens subito Mediolano ex Concilio discederet? Et Cyrillum, Hilarium, Chrysostomum, Nazianzenum alioque moras nectere voluisse eò quod ad Concilium vocati venire recusarent? Quis credat Molinæum, cui calamus, & lingua in concionibus in libris & nusquam non prurium ac gestiunt ad pugnam contra Pontificios, tam erecti tam constantis animi futurum, vt certamen declinaturus non sit, si Pontificibs iudices agnoscere & ex ipsorum arbitrio causam suam agere iuberetur, etiam si sale & felle redundet, quibus consuere aduersarios qualibet occasione ipsi non foret difficile?

1. Sed misso Molinæo, quorum, amabo, criminum rei & conuicti dicimur? Primum *Corrupta Religionis*, ait Synodus: Itane mi lector? An Religionem corrumpunt ij, qui ferreas & fatales Parcarum tabulas expunctas cupiunt ex Ecclesia, in qua libera Religio locum habet? qui affirmant Deum fideles solos in vera fide perseuerantes aut morientes ad salutem elegisse, infideles verò solos reprobasse, pro omnibus Christum mortuum, omnibus vocatis sufficientem gratiam dari ad credendum, fidelibus vero etiam singulare Spiritus S. robur subministrari vt ad finem vsque contra omnes tentationes in fide perseuerare possint: sed tamen fieri nihilominus

minus posse concedunt, vt vocati diuinæ vocationi morem gerere præfracte nolint, & fideles à gratia & salute æterna propria sua & vincibili culpa excidant? Ergone torculum, medulla, vita & anima Religionis est Fatum, tam dirum tam horrendum tam ab omni recta ratione alienum, quo statuitur absque propriæ & vincibilis contumaciæ intuitu maximam generis humani partem à Deo reprobatam esse ad æternum & lamentabile exitium, cæteros vero sine fidei aut obedientiæ propriæ respectu electos esse ad gloriam immortalem? Hos perire non posse vllis peccatis: Illos saluari non posse? Neutros plus boni facere aut mali omittere posse quam faciunt aut omittunt? Illos non posse credere cum vocantur. Hos non posse non credere? Bone Deus! quo non recidunt mortales cum vitam & animam religionis in eo collocant, quod religionis omnis præsentissimum venenum est? Rectius multo iudicat Suetonius, cum Tiberium Religionum negligentiorem fuisse ait, eo quod persuasionis plenus esset omnia fato agi. Etenim quis locus virtuti & vitio, obedientiæ & inobedientiæ, præmio & pœnæ? quæ vis monitionum, hortationum, promissionum, comminationum, obtestationum, querelarum, precum, votorum, desideriorum, gemituum? quæ necessitas, quæ vtilitas laboris, curæ, studij, spei, metus, zeli aliorumque piorum conatuum, vbi fatalis & ineuitabilis actionum & euentuum omnium necessitas æternalege sancita dominatur atque obtinet? Sed quid mirum corruptæ Religionis nos accersi ab istis Fatalitatis Manichaicæ adfertoribus, cum eiusdem criminis Nero olim strenuissimus Fati adfertor, Christianos homines sanctissimos insimulauerit? cui *ob prouinciam à latronibus & his qui nouam humano generi superstitionem inculcabant* (quo nomine Christiani designabantur) *purgatam* monumentum in Hispania erectum fuit? ad cuius forte exemplum Synodus hæc Dordracena, quæ prima horrendam illam Fatalitatem solemniter adiererea usa fuit, aureo suo nummo inscribi iussit, *Religione adserta*.

Eiusdem commatis est, cum *scissa vnitatis Ecclesia* rei ac conuicti dicimur; Quomodo enim qui nec ipsi secessimus, nec secessionem fieri suasimus, nec factam probauimus, sed contra, vnitatem, pacem, concordiam & tolerantiam mutuam, quamdiu caussa cognita nondum erat, & spes correctionis apparebat, maioraque incommoda vitari poterant, vrsimus, inculcauimus, suasimus, coluimus, laudauimus, schismatis rei adeoque conuicti esse possumus? Equidem quod olim Elias Achabo dixisse legitur, idem & nobis hic dicere liceret. Non nos sumus qui Israelem turbauimus, sed tu O Synodus & qui tecum conspiratunt contra seruos Iehouæ: Vos enim ij fuistis, qui doctrinam nostram multo ante damnastis & intolerabilem iudicastis, qui reclamantibus nobis secessionem hic illic aut fecistis ipsi, aut silentio vestro approbastis. Actisque manu vestra signatis secessionem faciendam & vnitatem Ecclesiæ scindēdam esse iudicastis, aliaque eius generis plura coram Sole ipso fecistis. Fieri ne potuit, vt sine scrupulo ac morsu esset conscientia vestra, cum huius criminis, reos ac conuictos nos pronunciaretis & manu vestra signaretis?

Sed & quo iure ac merito rei agimur *grauissimorum scandalorum*? Etenim à scandalis vsque adeo abhorremus, vt si vel imprudentes cuiquam vllum ante hac dederimus, scandalum non dubitemus etiamnum rogare atque obsecrare, vt illud nobis propter D. Iesum condonetur, quippe qui nouimus quam seueram sententiam in eos ferat humani generis Seruator, qui minimo alicui fideli offendiculum dederint. At si qui scandalum ex bene factis nostris acceperint vitio suo, eam culpam præstare nec cupimus nec debemus. Etenim efficere vt, cum rectè agamus, nemo malus offendatur, nec potestatis nec officij nostri est. Quod si vero à nobis scandala grauissima data sint, necessum est vt aut vita, aut doctrina, aut docendi modo ea data dicantur: vitam quod attinet, eam laus tibi sit D. Iesu, inculpatam vximus: Doctrinam proposuimus, quam in conscientia verbo Dei consentaneam & rationibus optimis nixam, & ad pietatem serio colendam summe vtilem ac tantum non necessariam duximus. Modum vero in docendo cum seruauimus, vt neminem læserimus, nemini eo quod dissentiret à nobis, molestiam facessiuerimus, nulli agre fecerimus, abstinentes à personis rem ipsam tantum cum mutuæ tolerantiæ oblatione semper tractauerimus nisi postquam necessitas nobis ab importunis aduersarijs imposita est authores ipsos authorumque nomina & scripta in lucem proferendi: qua tamen in re tantum abest, vt peccatum à nobis sit contra authores illos & scandalum alicui iure datum, vt contra potius ex mente scopo & voto authorum ipsorum, notum fecerimus id, quod illi notum esse & perspectissimum omnibus, librorū suorum publicatione, voluerunt. Et quotusquisq; tandem of-

sensus fuit, qui modo veritati claræ paratus fuit cedere & nec seruiliter mancipatus fuit sententiæ suæ nec arctioris aut castigatioris vitæ legem sibi dari ægre tulit? Quot hominum millia imo myriades reperiuntur, quæ scandalum illud diuinissimæ Religionis Iesu Christi, Stoicum inquam illud aut Manichaicum Fatum Religioni omni inimicum, animose impugnatum & tantum non inuictis argumentis labefactatum & conuulsum gaudent, qui veritatem & vim pietatis orbi nostro restitutam sibi gratulantur, & Deo perpetim pro tam singulari beneficio gratias agunt?

4. Vltimum crimen & omnium teterrimum est, *Intoleranda peruicacia*, sed quod facilius intentatur, quam probatur, & is qui Christiano genio ducitur, Deo potius soli καρδιογνώστῃ eius iudicium relinquit, quam sibi confidenter arrogat, imprimis in negotio Religionis, cum conscientiæ, cuius teneritudo maxima est forum agitur: charitatis est, non posse peruicaciæ culpam dare ei, qui conscientiam rationibus suis mutam nudæ authoritati obtendit: Prudentiæ est, non velle crimen intendere quod probari non potest, quodque eodem iure contra intendentē regerere licet. Sed cōtra quos crimen peruicaciæ commissum esse dicit Synodus? Contra Delegatos ne? Atqui decretis eorum lubentes volentesque semper paruimus, nisi cum superior iudex aut conscientia vetarent: Conscientiam tamen nunquam nisi rationibus optimis instructam ac suffultam reuerenter obtendimus: Authoritati soli conscientiam cedere nec posse nec debere constanter asseruimus: Lex n. non sibi soli conscientiam suæ æquitatis debet, sed ijs etiam à quibus obsequium exspectat, vti Tertullianus inquit. Contra. Synodum vero ecquæ peruicacia, nedum intoleranda locum habere potuit? Synodus enim vti potestatem & authoritatem in aduersam partē ineptē & non nisi superbe sibi arrogat, ita parum Christiane, atque immerito, peruicaciæ crimen impingit ijs, qui conscientiam, licet forte erroneam prætexunt & scrupulum quem sentire se affirmant, eximi sibi petunt priusquam obediant. Eruditi oportet eos, qui eruditi cupiunt & quos conscientiæ suæ rationem habere nulla verisimili ratione negari potest, priusquam authoritatis contemtæ rei agi possunt: At conscientiam obtendentes rationibus multis nixam erudire nolle, & nihilominus peruicaciæ arguere, eorum est qui dominatum in conscientias affectant & spiritu Antichristi ducuntur.

Ex hisce luculenter apparet, eadem prorsus ratione nobiscum egisse Synodum Dordracenam, qua præcedentibus sæculis agere solebant ij qui aduersarios suos oppressos cupiebant, & qualia fere soleant esse iudicia quæ pars aduersa formet, vbi tribunal nacta est, ex quo sententiam de aduersario dicat. Suspecta merito videri debent omnia ista, siue testimonia, siue acta siue iudicia, quæ aduersarij ferūt aut cōmemorant. Fieri. n. vix potest, vt nō ex affectu illo ex quo proficiscuntur vitium trahant. Quare non est quod nos etiam ex Synodi huius iudicio æstimes, Christiane, Lector: Sed si nos propius nosse vis nosmet ipsos audi.

Vidisti sinceram relationem Synodi Dordracenæ, quam si utriusque partis Actorū cōtuleris & Tomos fere xxx. alios inter dissidentes editos contuleris, sinceram deprehendes, nunc obiter quæ seruita sint Synodum facile perspicies, nempe oppressos esse Arminianos non vi doctrinæ sed conspiratione potentiæ, fecitque Synodus illa Arminianis, quod falso de Synodis Catholicis hæretici solent queri. Videant Acta Tridentini Concilij, quanta securitate, quanta humanitate, citavit protestantes, expectavit morantes?

V. Quæ Synodum Dordracenam secuta sint in ipsa Hollandia ex parte Gomaristarum facile perspiciet Lector. nam, vt Philistæi Sampsone capto & in molam retruso, biberunt super Arminianis vinum in iucunditate animæ suæ, & quæ victores captis hostium castris facere consueuerunt, à Gomaristis minime defuerunt. At ex altera parte Arminianorum iniquè oppressorum, quis fuerit sensus æque Lector perpendet, si æstimare nouerit, quis solcat esse sensus eorum, qui a Iudicibus non competentibus, neglecta iuris forma oppressi sunt. Cœlum quidem miseri illi & terram inclamabant, sed cœlum eis desuper erat aheneum & terra ferrea, quoniam, etsi non tam prodigiosè vti Iudices & oppressores eorum offenderunt cæli & terræ Dominum, offenderant tamen in aliis multis abominationibus Caluini & Lutheri, & fecerant sibi ex illorum instituto vitulos aureos, derelicta via patrum suorum. Ex hac ipsa tamen oppressione, Caluinianorum à Caluinianis, Remonstrantium à Contraremonstrantibus Arminianorū à Gomaristis permissa, Dei iusto iudicio magnum bonum Ecclesiæ Catholicæ est enatum, siquidem vnus oppressorum Bernardus Duinglo, offensus iniquitate Gomaristarum, collegit barbara, crudelia. Ne-


ro-

roniana & Iuliana facta & consilia Gomaristarum, quæ vel in Belgio, vel vllibi patrata comperat, eaque typis mandauit, ex quibus multa de Genio Caluinismi innotuerunt, quæ etiamnum Catholicis sunt adiumento, tum ad canendum, tum refellendum versutias ac calumnias Caluinisequarum. Inter quæ etiam est, cruentissimum Consilium Prædicantis Gogiensis in Cliuia & facinus, qui & ipse erat de secta Gomaristarum, & Sanatum Catholicum vna cum consule & multis per Cliuiam Catholicis, falsis à se confictis literis & manu Textoris Gochiensis descriptis, conatus est præcipitare in supplicium infame, nisi Deus abominandam Traditionem, in oculis Caluinistarum, producto ipsius Prædicantis autographo testamentis lecti, (vbi id Textor absconderat) conuictam dedisset, perpetuam infamia Ministerij, quam Magistratuum Caluinianorum, qui tam patenter deprehensam Proditionem, nunquam puniuerunt, sed verbi Ministrum ad aliam Cathedram promoneruntur, miserum textorem qui instrumentum duntaxat fuerat nequam ministri, perpetuo carceri addixerunt. Videri potest ea Historia prolixe descripta in Schola Iesuitica P. Ioannis Kedd aduersus Hulsium Gomaristam VVestalienſem, Coloniæ typis impressa.

EPILOGVS LIBRI IX.

HAbes Lector Caluinianæ doctrinæ de prædestinatione & annexis hoc libro medullam extractam, & schisma Arminiano Gomaristicum depictum, ex ipsismet eorum Actis, vbi vere loquuntur. Supereſt aliud Vedelium inter & Apollonium schisma de Ciuilium in Reformatos Ministros & eorum Ecclesias Magistratuum Iurisdictione exortum, quod Liber X. tum schismata Angliæ recentia quæ XI. Liber denique Germanica Calixti, Hulsemannique Lutheranorum, quæ XII. Liber poterit complecti, si continuatore vita superstes operam scribendi permittat, Claudite iampueri riuos sat prata biberunt.

FINIS.


Th
4870